43
4 H
7

Digitized by Google



DE
BENEDICTIONIBVS PATRIARCHARVM
ELECTA SACRA:
Commentario Litterali & Morali illuſtrata:
AVCTORE
DIDACO DE CELADA
MONTELADENSI
è Societate IESV,
THEOLOGIÆ QVONDAM Profeſſore, nunc in Collegio Complutenſi ſacrarum Litterarum Interprete.

EDITIO ALTERA
Ab eodem Auctore, & correctior, & auctior.

CVM QVINQVE INDICIBVS,
I. Paragraphorum moralium. II. Politico-Christianæ institutionis. III. Ad Conciones copiosissimus. IV. Locorum S. Scripturæ. V. Rerum & Verborum.

LVGDVNI,
Sumpt. PHILIP. BORDE, LAVR. ARNAVD, & CLAVDIJ RIGAVD.

M. DC. LVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROM. VITTORIO EMANUELE

REVERENDISSIMO NOBILISSIMOQVE

PRÆSVLI

D. FERDINANDO

DE NEVFVILLE,

ABBATI S. WANDREGISILI

ET BELLEVILLÆ,

à Conſilio Regio.

PRETIOSO *labori ſacram captamus lucem, dum tui prenſamus vmbram patrocinij,* (PRÆSVL AMPLISSIME) *Cuius enim auguſtis Patriarcharum Benedictionibus locupletatum Opus, lucem aucupetur ambitioſiùs quàm Tuam, cui cælum tam benigna largitate indulſit; vt quæ in aliis diuiſa circumſpectamus decora: in Te vno collecta ſuſpiciamus. Tibi cælum, Præſul Ampliſſime, nondum nato ad miraculum fauit, cùm in ſplendida parentum deſignatione, quæ in aliis ſumma bonorum eſt, & votorum, tibi tantùm proluſit, eáque de gente oriundum te voluit, quam non modò, fumoſis Auorum imaginibus claram, ſed rerum præclarè fortitérque geſtarum ſplendore illuſtrem, Chriſtianus orbis agnoſcit. Spirat etiamnum Gallicis in Annalibus, numeroſa Auorum ſeries, eo ſplendore: vt non precariò, & aſpirante Principum beneuolentia, quod ferè omnes, ſed per Galliæ, Italiæque beneficia, veluti Gradus: ad illud magnitudinis quaſi cælum, euectos, vel inuidi fateantur. Iam pridem iiſdem in Annalibus, velut in Cælo, clariſſimus Pater tuus, ventura gentis ſuæ fata perlegit, ſuáque dum recognoſcit facinora in ſe ipſo, vt in fauſto Cæli huius ſydere prænouit: nunquam ſe extinctum iri, qui tantam lucem affudit Hiſtoriæ, obſcurum fore nunquam, qui linguam erectis marmoribus legatus olim Romæ dedit: hæc peregrinis ad Orbis theatrum populis è Cælio monte in fatidicæ quondam ſtatus, Carolum loquentur Neouilleum, omniáque dicent, cùm non ante Henricum Magnum, Magnum Henrici legatum moriturum prædicabunt, addéntque Carolum Magnum eſſe debuiſſe, qui tam magno Regi, ita magno fuerit in pretio. Sed enim tam illuſtribus comparata meritis Nobilitas, in Te velut in alueum transfuſa gloriæ, Te vno contenta acquieſceret, niſi Tu propriis auctam virtutibus, ſuos in fontes fœneratam refunderes, & qui habes vt à parentibus dicaris Magnus, illud à te parentes conſequantur, vt Maiores exiſtimentur. Addidiſti* (PRÆSVL ILLVSTRISSIME) *hoc familiæ decus tuæ, vt quæ ab illuſtri Maiorum ſtrenuitate obtinuit, vt bellicarum familia virtutum audiat, hoc Ingenio tuo, Doctrinaque*

Carolus Halincurtius ſtatuam Romæ erexit Henrico Magn. ad S. Ioann. Lateran.

a 2 porſus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

prorſus ſingulari acceptum refert, vt Pallas ibidem togata pari cum gloria conquieſceret, quò diuertit armata, & inter otioſa ſapientiæ caſtra non amittat iura præliorum. Effeciſti demum, amico doctrinæ, virtutumque coniugio, vt ea in familia illuſtriſſimos Præſules, Abbates ampliſſimos, & Eminentiſſima dignos purpura viros, inueniat Eccleſia, vnde tot retrò à ſæculis præauguſtos Gubernatores, intimos Conſiliarios, Duces fortiſſimos, Caſtrorum præfectos, Amanuenſes Regios, Legatos prudentiſſimos, Francorum Reges petierunt.

Vide quàm Cælo ſis acceptus, quantámque Deo Opt. Max. felicitatem debeas, qui conceſſarum claritate virtutum, eam familiam illuminas, quæ vnica auara magnitudine, cæterarum omnium in ſe ſplendorem colligit, adeò vt dubium Neouilleorum admiratoribus fecerit, lucémne ſectentur an tenebras, qui veſtri ambiunt gloriam patrocinij. Eos etenim, velut in Sole latere neceſſe eſt, quibus tantus ſplendor affulſerit; glorioſas tamen nemo prudens tenebras refugit, cùm obſcurus eſſe non poſſit, qui tam auguſtis inſepultus fulgoribus deliteſcit.

Tantæ igitur facibus amplitudinis illuſtrari labores geſtiunt, itaque apud me ſtatuo, glorioſè omnino collocatas à me impenſas, operámque magnificè poſitam, ſi æternum hoc, voluntatis addictiſſimæ vadimonium, & auctoramentum obſequij in Te mei Amplitudini tuæ acceptum fore perſpexero. Viue & faue.

Amplitudinis tuæ,

Seruus addictiſſimus,

PETRVS PROST.

Facultas

Facultas R. P. Præpoſiti Prouincialis Societatis IESV, *in Prouincia Toletanâ.*

EGO Ferdinandus de Valdes Prouincialis Societatis IESV, in Prouinciâ Toletana, poteſtate ad hoc mihi factâ à Reuerendo admodum Patre noſtro Mutio Vitelleſchi eiuſdem Societatis Præpoſito Generali. Facultatem facio, vt Tomus inſcriptus: *De Benedictionibus Patriarcharum Electa ſacra*, à P. Didaco de Celada in noſtro Collegio Complutenſi Sacrarum Litterarum Interprete, conſcriptus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio adprobatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſuſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, dedimus. Matriti 20. die Aprilis. Anno Domini 1640.

FERDINANDVS VALDES.

Cenſura R.P. Doctoris Ambroſij de Peñaloſa Societatis IESV, *Sereniſſimi Regis Catholici Philippi IV. & eius Ceſareæ Sororis Mariæ Concionatoris, necnon in Academia Viennenſi olim primarij profeſſoris.*

EX commiſſione Domini Licentiati Laurenti de Yturricarra in hac Philippica Curia Vicarij Generalis, attentiùs legi librum R. Patris Didaci de Celada, Societatis IESV, & in Collegio Complutenſi Sacrarum Litterarum Interpretis, (cuius titulus eſt *De Benedictionibus Patriarcharum Electa ſacra*) nihilque in eo reperi non conſonum doctrinæ fidei, aut bonis moribus, ſed cum valde vtilem eſſe cenſeo Bibliorum ſtudioſis, & oratoribus ſacris: ideóque opus dignum exiſtimo, quod in publicam vtilitatem euulgetur. Datum Madriti in noſtro Collegio Imperiali Societatis IESV, 6. Septembris, anno 1640.

AMBROSIVS DE Peñaloſa.

NOS el Liçenciado Don Lorenço de Yturricarra Chantre de la Yglefia Magiſtral de la ville de Alcala de Enares, y Vicario General de la villa de Madrid, y ſu partido, por ſu Alteza el Sereniſſimo Señor Cardenal Infante adminiſtrador perpetuo del Arçobiſpado de Toledo mi Señor, &c. Por la preſente damos licencia, por lo que a nos toca para que ſe pueda imprimir, y imprima el libro intitulado, *De Benedictionibus Patriarcharum Electa ſacra*, attento que per la cenſura de ſobre conſta no hauer en el coſa contra nueſtra Fe Catholica, y buenas Coſtumbres. Dada en Madrid a ſeis de Setiembre, 1640.

Licençiado LORENTIO DE YTVRRICARRA.

Por ſu mandado,

IVAN PEROGILA. Notario

Approbatio P. Fratris Gabrielis Lopez Nauarro, Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, ſacræ Theologiæ Lectoris emeriti; ac conſilij Regij ſanctæ generalis Inquiſitionis Qualificatoris ex munere.

SVPREMVS Regius Caſtellæ Senatus, Librum hunc, *De Benedictionibus Patriarcharum*, mihi videre, perlegere, & quid de eo cenſerem, affirmare, præcepit. Opus eſt, operâ, & ſtudio, *admodum R.P. Didaci de Celada è Societate* IESV, *in Collegio Complutenſi Cathedræ ſacrorum Bibliorum expoſitoris*, elaboratum. Illud acuratè feci, hoc fateor ingenuè. Hæ ſunt benedictiones benè dictæ, ſcriptę benè, quæ benedictionibus omnium gentium repleantur, digniſſimæ, omnium benè dictis, benè ſcriptis celebrandæ. Bis benè dictæ benedictiones, ſemel de priſcis Patriarchis, iterum ab auctore noſtro nouiſſimo. Iuſtè de illo dicam: *Iſaiæ 3.* *Quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet. Excepit doctrinam* *Eccl. c. 32.* *Domini; & qui vigilauit ad illum, inuenit benedictionem.* Idem, quod magnus Orator Hiſpanus à quolibet ſcriptore docet faciendum, fecit, perfecit: Quid? *Quintil. lib. 10. c. 3.* *Adhibere curam* (inquit) *rectius erit, atque ab initio ſic opus ducere, vt cælandum, non ex integro fabricandum ſit.* Quæ in ſacra pagina, iam dudum fabricata, ſed denuo propria induſtria, altè defoſſa inuenit, mirâ quadam cælat varietate, & pulchritudine *Zach. c. 3.* gratiſſima. *Cælat*, certè, *Sculpturam illius in quo omnes fore benedicendos*, prædixit Scriptura. Completur opere in hoc doctrina S. Vincentij Lirinenſis, ad *Vincent. Lirin. de proph. vocum nouitate c. 37.* ſcriptores ſacros: *O Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor, ſi te diuinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrinâ, eſto ſpiritualis tabernaculi Beſeleel, pretioſas diuini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adijce ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur, te exponente illuſtriùs, quod antè obſcuriùs credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antè vetuſtas, non intellectum venerabatur; eadem tamen, quæ didiciſti, ita doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua.* Et quia egregio auctori noſtro, par eſt Scholaſticæ Theologiæ, & ſacræ paginæ exactiſſima cognitio, hanc ita exponit, vt litteralem ſenſum, ſimul & moralem, eminenti quadam, & inexplebili mentis capacitate complectatur, delectúmque rerum, ſententiarum, necnon verborum, & ſingulorum pondera, examine libret oculatiſſimo. De hac materia, licèt multa à multis eruditè ſint ſcripta, ſed neque ſemper deſperandum aliquid illis quæ dicta ſunt, melius poſſe reperiri: neque adeò ieiunam, ac pauperem, natura hominis (maximè maximo, & improbo probè labore ſuffulta) ſapientiam fecit, vt vna de re bene dici, niſi ſemel non poſſit, poteſt namque ſæpè, poteſt ſæpiſſimè. *Nam* (vt inquit Quintilianus) *ſi vno tantùm genere bene diceretur, fas erit exiſtimari, præcluſam nobis à prioribus viam.* *Quintil. lib. 5. c. 10.* Abeſt ab iis ſcriptis omne maledictum, quod malè conceptum redoleat, cuncta in illis fidei Catholicæ conſona, ſanctorum Patrum piis, boniſque moribus cuncta. Nulla cunctatio in illis communi luci in commune, Diuini Verbi præconibus, commodum, dandis; neque ad id, auctori ſuo facultas denegetur. In hoc Conuentu Diuæ Mariæ de Victoria Matritenſi, 20. Menſis Septembris. Ann. 1640.

FR. GABRIEL LOPEZ NAVARRO.

Summa

Summa Priuilegij Catholicæ Maieſtatis.

POR priuilegio de ſu Mageſtad Catholica dado en Madrid a ſiette dias del mes de Octubre de 1640. tiene licencia el R. P. Diego de Celada de la Compañia de IESVS, o quien ſu poder huuiere, de imprimir vn libro intitulado *De Benedictionibus Patriarcharum Electa ſacra*, por tiempo de diez años, y a qual quiera de los Señores de ſu Mageſtad eſta prohibido el imprimir eſte libro ſin licencia del dicho R. P. ſo las penas contenidas.

Firmado,

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro Señor,

ANTONIO ALOSSA RODARTE.

Summa Licentiæ Catholicæ Majeſtatis.

POR facultad de ſu Mageſtad Catholica dada en Madrid a nueue dias del mes de Nouembre de 1640. tiene licençia el R. P. Diego de Celada de la Compañia de IESVS, o quien ſu poder huuiere, de imprimir vn libro fuera deſtos ſus Reynos intitulado *De Benedictionibus Patriarcharum Electa ſacra*, por tiempo de diez años, y a qual quiera de los Señores de ſu Mageſtad eſta prohibido el imprimir ſin licencia del dicho R. P. ſo las penas en la dicha licencia contenidas.

Firmado,

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro Señor,

ANTONIO ALOSSA RODARTE.

Ledit R. P. *Diego de Celada a fait tranſport du ſuſdit Priuilege à* PIERRE PROST *Marchand Libraire à Lyon.*

APPRO

APPROBATIONES.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE, in Sacra Theologia Magiſter, in Eccleſia ſanctæ Crucis Cuſtos, in Diœceſi Lugdunenſi Officialis Ordinarius & Metropolitanus Vicegerens, atque Vicarius Generalis Subſtitutus, inque Librorū cenſuram incumbere iuſſus; Fidem facimus, nos hæc Commentaria cùm Litteralia, tum Moralia in Patriarcharum Benedictiones à R. Patre Didaco de Celada Monteladenſi Societatis IESV, in Collegio Complutenſi Theologiæ Profeſſore, improbo labore elucubrata vidiſſe, legiſſe; omniaque non modò Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ ſanctæ doctrinæ in illis ex toto conformia, ſed & acutis mentis conceptibus referta, atque innumerum locorum ſacræ Scripturæ eleganti elucidatione micantia, comperiſſe: Ideóque digniſſima quæ in publicum bonum prælum ſubeant, nos meritò cenſuiſſe. Lugduni, 17. April. 1641.

DE VILLE, Vic. Gen. Subſtit.
& Offic. Vicegerens.

NOS BENEDICTVS PVYS, Magiſter in Theologia, Canonicus & Caput Capituli Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Nicetij, ac in Archiepiſcopatu Lugdunenſi Procurator Generalis; Fidem facimus nihil in his Commentariis in Patriarcharum Benedictiones à R. P. Didaco de Celada Monteladenſi, Societatis IESV, in Collegio Complutenſi Theologo profeſſore editis reperiſſe quod fidem rectam non ſapiat, pietatem non adſtruat, imò & eruditorum votis non plenè ſatisfaciat. Datum Lugduni apud S. Nicetium, die 20. Aprilis, anno Domini, 1641.

BENEDICTVS PVYS.

Facultas R.P. Præpoſiti Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi.

IOANNES GAYET Prouincialis Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. May, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij, 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant; permittit PETRO PROST Bibliopolæ Lugdunenſi, vt Librum cui inſcriptio eſt,* De Benedictionibus Patriarcharum Electa ſacra, *Authore Didaco de Celada Monteladenſi è Societate* IESV, *ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 24. Nouembris, anni 1640.*

IOANNES GAYETVS.

SERIES

SERIES PARAGRAPHORVM Moralium.

Methodus materiandarum inde concionum, ad tyrones.

OMNES morales theſes in hoc volumine ſparſim deſcriptas, ad 1.
Prædicatorum in ſtruendis concionibus vſus, forſan non inidoneas, nunc ſeriatim congeſſimus: inde enim expromptum cuique erit (niſi valde fallor) haud difficilè ſacras conciones vbertim apparare, in quo valdè ſudat Tyronum induſtria: exindéque ſudatas vernaculâ linguâ conciones è memoriâ ſæpè recitant, magno labore, nec decoro magno. Scilicet qui in re Theologicâ ſufficienter eruditus, prædicandi munus obire, & aptam extruere concionem auet, primò prælegat Euangelium, dein conſulat aliquem è commentatoribus. Aurea catena S. Thomæ, opportuniſſima eſt: Hugo Cardinalis, ſubtilis, & moraliſſimus auctor: PP. Ioannes Maldonatus, vel Alfonſus Salmeron, vel Cornelius à Lapide, locupletes litteræ exponendæ Interpretes. Hinc gemina Concionatori exurgit vtilitas. Altera eſt Euangelij exponendi notitia: (Annon dedecet Scripturæ verba, quorum ſententiam ignoras, coram exponere, illuſtrare, clarare?) Altera eſt, quòd Euangelij litterâ attentiùs inſpecta, commentariis explorata, atque variis ſententiis, & tranſlationibus aucta, ſuggerit ex ſenſu litterali, vel myſtico, vel accommodatitio, themata plura, ſiue thematum ſcintillas, aut vmbras, ſaltem adnotatione conſuſaneá. Prægnantem theſibus, aut theſium velut dubiis mentem habes? con- 2.
feſtim perlege hanc Paragraphorum moralium ſeriem, in quâ quadringentas nihilominùs morales theſes reperies: quibus perlectis, miriſſimum planè foret, non plures cateruatim menti occurriſſe, quæ quod prælectione expoſiti Euangelij obſeruaſti, non confirment disertè, aut ſaltem illò adludant, & facili flexu accommodari poſſint. Selige è pluribus tres, quattuórve theſes, quarum materiam opportuniorem cenſeas; & illam ſternere, & concinnare difficile non erit ſolerter conanti. Velis, & poteris, niſi imperitus ſis. Itaque cùm materiam hinc delegeris, imitari licebit ad acumen, & ad mores, præluſtrem in elocutione & ſtructurâ concionem, quam audiſti, aut legiſti, calamo, prælôve deſcriptam. Nec laboris faſtidioſus putes, quòd ſemel, aut iterùm conari ſat eſt. In vnâ dieculâ nemo euadit eruditus. Gigantes ſimul natos, & adultos legiſti; ſed Poetarum licentiâ, non Hiſtoricorum narratione.

Quòd ſi dum ſic attentiùs luſtraſti Euangelium, aliquod occurrit thema, quod 3.
valdè opportunum iudicas, vel ad rem moralem tractandam, vel ad panegyrim illius Sancti, in cuius feſto concionem habiturus es; neque hoc theſium promptuarium, neque aliud adſimilium theſium conceptaculum (ô quàm illuſtres lucubrationes hæc ætas parturit!) idoneam ſuggerit tui inuenti probationem; illud interim omitte, mihi crede, capiti tuo conſule, ne irrito defatigeris labore. Arduum enim eſt etiam peritiſſimis, ſubtiles & opportunas inuenire probationes ad id illuſtrandum, & exſatiandum, quod in animum irrepſit ſuum. Præſtat iam inuenta, & elaborata comptè adaptare, & congruâ elocutione ſumptuoſiùs adornare, ne acumen degeneret. Præſtat inquam, è iam argutè elaboratis aliqua eligere, quàm quòd tibi occurrit, idoneâ probatione, & ſplendidâ conceptuum gazâ opulenter locupletare. Tantiſper labora, vt inuenta accommodes, ne diu fruſtrà labores, ne inuenias.

4 Ad hæc ſedulus procura, ne totas ingenij, & eloquentiæ vires contendens ad oſtentandi acuminis negotium, aut otium; theſim non flectas ad informandos auditorum mores: qui debet eſſe concionatorum ſcopus, & vniuerſalium eſt auditorum illex. Id è ſacro ſuggeſtu audire populus piè expetit, & verbo Dei pietatem adipare feſtinat: ergo nefas eſt, vt pietatis dimittatur exſuccus; & vt per te, eodem animo, & fructu, & concionum ſacraria, & profanitatis theatra frequententur, ingenti rei Chriſtianæ iacturâ. Neque ideò moralium theſium acumina, & ſtyli elegantiam damnamus; ſed ſola acumina, & meram ſtyli ambitionem. Porrò ſicut ex inelegantì, obtuſâ, & inamœnâ theſi, ad informandos, ſiue carpendos mores, moraliſſimè deſcendis; quid vetat, vt ex concinnâ, eleganti, politâ, altè excogitatâ, & eleganter elaboratâ probatione, viuaciùs mores informes, vitia perſequaris, & omnes ſanctitates ore ſpires? Nimirum, aſpectabili ſubtilitate, peritorum animos conciliaſti? Viuidâ confeſtim moralitate pe-

5. ritos æquè ac imperitos flecte: flectes autem ſi non minorem curam quam acumini, moralitati impendas. Dei *gladius exacutus eſt, & limatus. Vt cædat victimas; exacutus eſt: vt ſplendeat limatus eſt:* chalybis enim ſplendor non officit ad ictum infligendum: (Solis *ſpecula* Tertullianus agnouit) nec ferri ærugo latius vulnus aperit, ſed deterſi ferri acies peracuta. Audeat primò ſubtilitas, ſed idoneè, & tempeſtiuè: audeat mox acris vitiorum reprehenſio, audeat & viuida virtutis adhortatio, è ſubtili conceptu periè deprompta, & ſpontè ad mores fluens, atque ad vtilitatem audientium eloquenter concinnata. Luſtra oculis, & attentiori mente Sanctorum Zenonis Veronenſis, Chryſologi Rauennatis, Ambroſij Mediolanenſis, & Baſilij Seleuciani conciones ad populum habitas & perſpicuè videbis quantò cum ingenij acumine, & oris elegantiâ mores corrigant, & virtutibus inſtruant. Neque enim pietas ingenio renunciauit. Sileant ergo ruſticani elegantiæ vituperatores.

Ezech. 21. v. 9. & 10.
Tertullian. alias expenſus.

6. Quòd ſi in concionandi arte adhuc nouitius hæres, & paſſim imperitus impingis; conſule (ſi lubet) *Copiam ad ſacras conciones*, quam in operis calcem reiecimus, forſan aliquo extruendæ concionis pudore, ibi reperies hos eoſdem Paragraphos ad plura Euangelia copiosè (vtinam feliciter, aut idoneè ſaltem) adaptatos: & notabis quàm vberem, vel vnum duntaxat Euangelium, ſuggerat materiam ad morales theſes excitandas, tractandas, & fors aliquandò vbertim exſpatiandis. Tu ſimiliter adlabora, &, opinor, poſt breue tempus exercitationi impenſum, non in eiſdem duntaxat Euangeliis, ſed in aliis etiam quibuſlibet, idem comptè, & argutè præſtabis. Sed aduerte, quod cùm ibi omnibus vniuerſalium concionatoribus proponantur morales theſes plures fortè auditoribus tuis non congruent: è multis aptiora ſelige. Quorsùm in priuatis oppidis laudatior Principum politia? Inijce amorem virtutum, quæ in auditoribus languent: inſectare vniuerſatim vitia, quæ ibi flagrant: inſtrue rudiores in rebus fidei, & morum; eruditos promoue; nemo è tua concione domum redeat ieiunus: fœcunda tua concio plures animas maritet Deo. Prudentiam diligens & attentus in omnibus conſule, quæ eſt opportuniſſima Concionatorum ſuppellex. Prætereà animaduerte, quòd tametſi excitatum in Euangelio aſſumptum, perſæpè copiosè

7. (pro tenuitate noſtra) locupletetur in Paragrapho, ad quem lectorem remittimus; aliquando tamen res illa perſtrictim tractatur, quò excitatum thema illuſtrari poſſit ex aliorum ſcriptis, aut ex Concionatoris ad conciones deſcripto promptuario. Nec cenſeas inidoneam eſſe theſim illam, quæ tibi tunc idonea non eſt, aut inidonea apparet, forſan aliis erit, & videbitur opportuna. Videas aliquos, quibus nil argutum videtur, niſi quod ipſi tunc quærunt, aut ingenio ſuo adridet. Et ſæpè qui ab horum genio peregrinatur, eſt laudatoris peritiæ inquilinus: ô iniquum iudicium, cenſus ſapientiæ erit? Quot homines, tot ingenia. Fortè qui tibi placeat, pluribus diſplicebit. Sed heus tu, vituperonum iudicia, & cenſuras inhibere satagis? fruſtrà labor. Taceo. Addam, & finio, quod his placuit Tyrones admonere, paratus ego admoneri ab omnibus.

E prima

E prima Benedictione.

§.1. *Anguſta hominum mens, ſic oratione auguſtè grandeſcit, vt cælum parturire dicatur.* pag. 20

2 *Præfectus operator priùs rem effecit, quàm effecturus putetur.* 21

3 *Largior beneficentia, cælo & nomen, & rem cæli tribuit; Chriſtus Dei, & incorporatæ deitatis conſummatio eſt?* 22

4 *Deus, ſi non vnus, ſed multiplex eſſet; & contemptibilis foret, & nullus?* 23

5 *In re liberalitatis, opportunè Iuſtitiæ nomen auditur.* 25

6 *Sublimior potentia, inconſulti furoris ſuſpecta eſt, niſi aduocata Ratio hāc notam eluat.* 26

7 *Ad oſtentandos iuſtitiæ rigores, cùm acerbiùs punit Deus, vnus plures nominatur?* 27

8 *Qui ſemel vni cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit.* 28

9 *Iudex meritò dicitur pius, quia iuſtus: & iuſtus quia pius.* 29

10 *Beneficium beneuolentiùs exhibitum, largitori perſæpè inſidiatur.* 30

11 *Regum faſtus, ſæpè naturam deſueſcit, & Dei potentiam æmulatur.* 31

12 *Cæleſtis Beatorum gloria, adhuc poſt Thaboris viſionem, manet myſterium?* 32

13 *Abſentia Iudæ glorificationis Chriſti initium fuit: & nequam Angelorum è cælo eiectio, Beatitudinis compendium?* 33

14 *Niſi homo cælo, tanquam baſi nitatur; & niſi illuminetur cæli lumine; labaſcit, & caligat egregiè.* 34

15 *Terra, reſque terrenæ virium languorem, aut inueniunt, aut faciunt.* 34

16 *Vltra perfectionem audet virtus, piâ ambitione merendi?* 36

17 *Ante perſonam, perſona ſæpè auditur infamia; aut ingenio detractionis, aut caſtigationis arbitrio.* 37

18 *Apud iudicem cognatum reus innoxius eſt, cognationis merito.* 38

19 *Vitium virtuti prait ſumptuoſâ ambitione affectandæ virtutis.* 39

20 *Semper ſubdito licet meliorem eſſe, quàm eius ſuperior; nunquam meliorem videri, impunè licet?* 40

21 *Procerum defectus garrula inferiorum inuidia non ſinit occultos latêre.* 40

22 *Authoritatem conciliare delictis, magnum ſcelus eſt, magno luendum.* 41

23 *Cùm vitia arrident, & proſunt, peccat qui rectè facit?* 43

24 *Occulta virtutis miracula latiùs buccinant patratoris famam.* 43

25 *Vſque eò eſt ſublimis Dei natura, vt aliquâ ignoratione melius cognoſcatur.* 44

26 *Vſqueadeò Deus noſter ſublimis eſt, vt videri niſi inuiſibiliter non poſſit?* 45

27 *Vel cælum ipſum ſubcæleſtium rerum obſcuritate ſplendores ſuos adornat.* 46

28 *Nil putatur illuſtre, quod nitorem non mutuat lucis ſuffragio?* 47

29 *Diſtrictior delictorum inueſtigatio, ſæpè medicinam non facit, ſed occultum vulnus exulcerat.* 48

30 *Vera ſapientia eſt ſplendor lucis æternæ, & emanatio omnipotentis gloriæ?* 49

31 *De ſcholâ pacis & concordiæ erudienda eſt Chriſtiana Doctorum ſapientia.* 50

32 *Euariatio regiminis, & Gubernatorem deuenuſtat, & ſubditos inquietat.* 52

33 *Fauori imputandum eſt, quòd perſpectum aliorum bonum nobis placeat?* 53

34 *Mera & abſoluta aliorum bonitati gratitudo noſtra debetur.* 54

35 *Lux auribus etiam loquitur: vos oculos quoque illuminat: quod oculus non videt, videt tactus?* 55

36 *Eximius amor, exaggeratior rei amatæ encomiaſtes eſt.* 56

37 *Ille eſt verè Iſraelita in quo dolus non eſt, qui neque ad odium aliquid loquitur, neque ad gratiam.* 57

38 *Nonnulli ſic ſuis ſe credunt coniecturis, vt quod ob leuia ſæpè indicia credunt, reputent Euangelium.* 58

39 Scelera, quæ curioſè ſuſpicioſa æmulatio in alio fingit, prophetia oculis inſpexiſſe ſibi videtur. 59

40 Regiminis negotium, non fallaci aurium relatione, ſed exploratoriâ oculorum viſione, ritè peragitur. 59

41 Veritas per bonos etiam traduces linguarum, & aurium, malignè ſerpit. 61

42 Res factitia, diuerſiſſima eſt in ſe ipsâ, ac in humani factoris ideâ. 62

43 Occaſio quondam delinquendi, etſi nuper honeſtata, ſtudioſè adhuc fugienda eſt. 62

44 Arrogantior honoris ambitio eſſe ſolet inhonoratæ abiectionis ſequela. 63

45 Indubia eſt veritas, cui militat infenſioris inimici ſuffragium. 64

46 Præcedentem depuliſſe moleſtiam, eſt humanæ voluptatis gratia. 66

47 Non fauſtum operis auſpicium, ſed illius conſummatio, illi de perfectione gratulatur. 67

48 Nomen Primi, & Secundi pacatam concordiam ſeditioſè inquietat. 68

49 Deus à præſtabiliori parte; mundus à deteriori rebus nomina facit. 68

50 Bonum opus, integritas diei eſt, eiuſque redemptio, benedictio, & ſanctitas. 69

51 Toto diuinioris omnipotentiæ aduiſu opus eſt, vt homo ad Terram promiſſionis per viam Philiſthinorum pergere deſiſtat? 70

52 Qui ſemel à Chriſtianâ perfectione deſciuit, ferè ineptus ad illam recuperandam habetur? 71

53 Non benè laudat, qui laudat quod exorbitat? 73

54 Priuilegium vni conceſſum, in omnes mox ſerpit, humanæ ambitionis licentiâ. 74

55 Subditos ad concupita præcepto cogi, gratiæ officioſitas eſt, & regendi peritia. 75

56 Lex obedituro cognata, obſequium ſubornat. 76

57 Præproperè terra ſiccatur, & Arida dicitur, ne vnquam non ſit vomeris patiens. 77

58 Res iam munda, antiquo ſqualoris nomine exinceps denenuſtanda non eſt. 78

59 Impiorum iter, peruium & tritum; & ſimul inuium, deſertum, & inacceſſum dicitur. 79

60 Boni Gubernatoris idea in aquis apparet: quæ vnum corpus conflat, æquale habet dorſum, ipſa ſe præcedit, vrget, & ſequitur. 80

61 Cæleſtes Solis radij humanis oculis inuidens lacrymas, & ſidereo furto eas rapiunt? 81

62 Largior beneficentia, acceptæ iniuriæ ſtipendium eſt. 82

63 Qui de ſuo, etſi modicè ornatur, adſcititios cæli fulgores æmulari poteſt, de ornamenti præſtantiâ. 83

64 De honorarijs benemeriti ſtipendijs, homo inferioris meriti honeſtandus eſt; ne ille arroganter turgeat, hic tabeſcat ſqualidè. 84

65 Qui perfectionem ſumptuoſiùs exambit, non tantùm ſuo, ſed omni etiam tempore fructificat. 85

66 Deſint ſeditionum fautores, & altâ pace turbulentior reſpublica æternùm florebit. 86

67 Mundialia bona, dum falſato ſemper aſpectu cernuntur in ſeipſis, conſpicua apparent. Cælum ſuſpice, vt terram deſpicias. 87

68 Donatio vltra neceſſitatem, diuinioris gloriæ procurat auctarium. 88

69 Populorum Rector ne diſtrictiorem remittat diſciplinam, ob vituperonum cenſuram. 89

70 Quiſquis vltrò ſe potentioribus ingerit, latentis vitij ſuſpectus eſt. 91

71 Sic grauatè ferunt homines in præfecturâ conſortem, vt ira Dei, eiuſdem regiminis participem deſignare dicatur? 92

72 Sublimior felicitas, dehoneſtamentis tributaria eminet. 93

73 Superior quod ſingulari fauore alicui impendit, cæteris detrahit. 93

74 Gubernator peritus ob commune ſubditorum commodum, glorioſa ſui nominis commoditati cedit. 95

75 *Sidereæ præfectura, non tam Præfectum, quam ſubditos, claros, & illuſtres reddit.* 96
76 *Velis & ſenties, quod ſentire velis.* 96
77 *Diuites & potentes delicati ſunt, ad iniuria ſenſum, & pauperculos & inualidos velut inſenſiles tractant.* 97
78 *Bruta animantes arcano ſenſuum ingenio Dei iuſſa percipiunt?* 98
79 *Ad voluptabilia vel bruti ſenſus quaſi intellectu inoculantur voluptatis veneficio.* 99
80 *Non affectus, ſed Ratio, in conſilium aduocanda eſt.* 100
81 *Sit Deus nobis velut noſtra Mens, quo exactiùs in nobis Dei voluntas fiat.* 101
82 *Scientia principandi, in parendi eruditur gymnaſio.* 102
83 *Eligendus Antiſtes, ætatis, eruditionis, & meritorum indiget ſuffragio.* 103
84 *Reges geminato & natura, & dignitatis velut fomite inſtigantur ad malum.* 104
85 *Laudabilior ſubpræfectorum peritia, in regiminis adminiſtratione, Præfecti ideam fideliter exprimit.* 105
86 *Spontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat.* 106
87 *Aliqua cum obeundo officio cognatio, perfectiſſimum efformat officialem.* 107
88 *Virginitas humilitate deſtituta, mentis elatione periclitatur.* 108
89 *Idonea ad rectè operandum potentia, præproperè gaudet operis prærogatiua.* 109
90 *Quod in re virtutis fieri oportet, facere neceſſe eſt?* 110
91 *Cura erga infima & abiecta, habetur prouidentiæ clauſula, & integritas.* 111
92 *Eoſdem cibos, & homini præſidenti, & ſubiectis animantibus aſſignat Deus.* 112
93 *Mundiale bonum in alto viſum, gratius apparet; quaſi placendi vſuram ab alienatione mutuetur.* 113
94 *Mentita hominum imaginatio, mundialibus bonis nimis lenocinatur.* 115
95 *Dei munera plus illi placent, poſtquam ea hominibus dono dedit, arcanâ placendi vſurâ.* 116
96 *Homo non vitæ auſpicio, ſed in mortis clauſulâ dignus laude cenſetur?* 117

E ſecunda Benedictione.

§. 97 *Vberior & officioſior eſt gratia, quæ in bono patre filiis condonatur.* 127
98 *Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtenſione, arctiùs ſibi diſcipulos ſuos deuincit.* 128
99 *Alicuius rei prohibitio, ad reliquarum prohibitorem agnoſcendum manuducit.* 129
100 *Multiplex Superiorum lex, non exarmat malitiam, ſed ſæpè ſubditos ad inobedientiam armat.* 130
101 *Sæpè qui magna vicit, minimis vincitur.* 131
102 *Homo cui præceptum diuinum imponitur, diuini honoris humanus arbiter conſtituitur.* 132
103 *Obſequium obedientis, verum facit mandatum præcipientis?* 133
104 *Flagitium poſt beneuolam correptionem & iuſtitiam irritat, & miſericordiam acerbat.* 134
105 *De maiori periculo, certius extruitur præſidium periculi, ad humanæ fiduciæ auctarium.* 135
106 *In acerbioris ſupplicij terrore, diuinioris clementiæ leguntur characteres.* 136
107 *Ipſa rei fauſtæ denuntiatio, delati boni nuntij remuneratio eſt.* 136
108 *Qui Deum timet, ſecurus in timoris diuini aſylo, homines non timet, ridens mentitas mundi minas.* 137
109 *Sol iam exortus Sodomitici ignis lucem inſterſtinguit, quò Deus ſeuerioris iuſtitiæ rigores abſcondat.* 138
110 *Multæ videntur eſſe cœli portæ; vna tamen inuenitur, ipſaque peranguſta.* 139
111 *Supplicij minæ, ſupplicij meritum ſine ſupplicio redimunt.* 140
112 *Piè calamitoſus, in periculo ſuo tutus eſt, fiduciæ priuilegio.* 141
113 *Humana genealogia, quæ non eſt in Scripturâ diuinâ, Euangelium non eſt.* 142

114 *Ad delicias, quæ ſpei humanæ gratè blandiuntur, faſtidioſe nauſeat poſſeſſio.* 143
115 *Benefica Dei potentia, & tota humani arbitrij poteſtas, cohibere debent ſiniſtram noſtri iudicij de alio cenſuram.* 144
116 *Sicut in Peſſimis aliquid boni, ita & in Optimis aliquid peſſimi reperitur.* 145
117 *Quantùm prauitatis in alio curioſis oculis videris, tantùm in te alter reciprocâ pœnâ videbit.* 146
118 *Bonus filius ad tegendos Patris defectus, toto pietatis ingenio ſedulus incumbit.* 147
119 *Inter auguſta Dei elogia recenſetur, quòd etiam non filiorum pater nominetur.* 148
120 *Scelus publicatum, intimiùs patratori corporatur, & obdurationem publicitate procurat?* 150
121 *Nil citò timueris, ne periculum quod times, citiùs ad te veniat.* 150
122 *Superior, appoſita forma eſt, cui ſubditi imprimantur.* 151
123 *Pœna diuturnitas, repetita plaga eſt, & calamitatis acerba exaggeratio.* 152
124 *Ira, ſicut non ſcit cur iraſcitur, ita cui iraſcitur, neſcit.* 153
125 *In acerbiſſimâ oppreſſione, nec gemere licet, nec Deum orare iuuat?* 154
126 *Quod Moyſes Pharaoni ſuadere deſperat, inflictæ plagæ arcanè perſuadent.* 155
127 *Publicata infamia, fit ſæpè impudenter delinquendi licentia.* 156
128 *Superiorum moleſta cenſura, ſubditorum amorem auertit.* 157
129 *Parentes, qui pro tuendo filio vltra vires non audent; & viuo filio parentum nomen perdunt, & ſuperſtite vtroque parente, filius nominatur pupillus.* 158
130 *Sollicitior Domini in ſeruos cura, apprimè commendatur, dilaudatur, exaggeratur.* 159
131 *Auguſtior Dei gloria, fit glorioſius iuſtorum præmium.* 160
132 *Sublimius faſtigium ruinæ inſidiatur.* 161
133 *Quàm ſit illuſtre, generoſum, & perfectum, plenariè quempiam ſuum adimplere officium.* 162
143 *Strenuos viros, quos viuentes contempſimus; mortuos de abſentiâ magni æſtimamus, & ſerâ pœnitentiâ lugemus.* 163

E tertia Benedictione.

§. 135 *Mortis propiùs ſpectatæ meditatio, abdicationi bonorum gratulatur.* 172
136 *Quare Chriſtus, multâ diſcipulorum turbâ comitatus ſolus manſiſſe dicatur?* 173
137 *Abrahamus plus ſperat de incerto, quàm fuerat ſecurus de proprio.* 174
138 *Humana imbecillitas piæ audaciæ conceptaculum eſt.* 175
139 *Religioſus negotiis ſecularibus obſeſſus non poteſt ſeruire Deo? Solitudo ad perfectionis neceſſitatem religioſum conſtringit?* 176
140 *Mundialia bona piè derelicta, auidiùs ad ſui amorem alliciunt: quaſi eorum deſertio, ſit cenſus eorum?* 177
141 *Vile pecuniæ lucrum, ſublimioris gratiæ refutans vſuram, deprecationem procurat.* 179
142 *Mundialia bona virtuti adrident, non vt poſſideantur, ſed vt poſſeſſa pro Chriſto repudientur.* 180
143 *Largior eleemoſyna, opum congerendarum arbitrium eſt, piâ benignitatis vſurâ.* 181
144 *Pauper eleemoſynis, vltrà quàm poteſt erogandis, obæratus eſt.* 182
145 *Appendices eleemoſynæ laudes, quæ Abrahamum eximiè illuſtrarunt.* 184
146 *Frequens, & populoſa ciuitas, vt regni, ſic & vitiorum metropolis eſſe ſolet.* 185
147 *Virtutis ſtudioſus, materiam quoque peccati ſtudioſè deuitat.* 186
148 *Impiorum contubernium, peſtilentiariam malitiam piis moribus exhalat.* 187
149 *Reſipiſcentia non recuperat ex præterito ſcelere partam infamiam, quæ eſt ſceleris appendix.* 188
150 *Humana amicitia, ſpe potiùs, quàm fide comparatur.* 189
151 *Bona hominis iuſti fama, aſſertrix virtutis eſt, eique dignitatem filij Dei impertit.* 190
152 *Bona Euangelici præconis fama, Euangeliſtæ miniſterium adimplet?* 191

153 *Opus non ex ipſius merito, ſed ex opinione perſonæ taxari ſolitus.* 192

154 *Non tam operis meritum, quàm perſonæ operantis opinio, operis cenſus eſt apud homines.* 193

155 *Studioſior lucendi gloria, ambitioſè glorioſum nimis fatigat.* 194

156 *Religioſos Abrahami, & Apoſtolorum mores, Deus generis nobilitate compenſat.* 195

157 *Meriti prærogatiua eſt honoris repulſa: inde Dignitati gloria plus additur, dum plus Dignitas timetur.* 196

158 *Mundialis aliquando felicitas, arcanè blanditur virtuti, & pro meritis computatur.* 197

157 *Perdita Euangelij drachma meliùs quæritur vel in obſcurâ nocte, quam poſtea in clarâ diei luce.* 198

160 *Principis præſentia vel puſillanimos armat, igniculoſque ingerit ad virtutem.* 199

161 *Quiſquis occaſionem exercendæ virtutis captat, & inopinatam felicitatem, & ſuæ redemptionis occaſionem inuenit.* 201

162 *Fitus adhuc, qui nuper præ diuino amore languebat, protinus languet amor, & laſſeſcit propoſitum.* 202

163 *Futura gratitudo præſentis conſeruandæ gratiæ artificium eſt.* 202

164 *Priuatorum hominum obſequia, obliuioni Principum adulantur.* 203

165 *Eſtimata opulentia ſæpe diuites facit, ſumptuoſo opinionis cenſu.* 204

166 *Vt terra ſterilitas cultori imputatur, ſic Gubernatori diuturna ſubditorũ prauitas.* 2 5

167 *Ardua pericula feliciter exantlare, ſpontanei propoſiti ſtipendia ſunt.* 207

168 *Dura neceſſitas ſeu egeſtas, amoris neceſſitudines vincit.* 208

169 *Humana miſeria neceſſitatis lenocinio, diuinam beneficentiam clanculum ſubornat ad gratiam.* 208

170 *Bonum virtutis exemplum, characterem ſpectatoribus imprimit.* 210

171 *Vir religioſus, quaſi inquilinus peregrinetur in regum curiis.* 211

172 *Naufraga ſpes, in aſylo periculi ſui tutior eſt.* 212

173 *Citius inolitam libidinem, & pietatis iura deſerit politicus Princeps, quàm rationem ſtatus, quam ſibi putat proficuam.* 213

174 *Qui facilè ſolet iurare, ſacrilege incipit peierare.* 214

175 *Expromptum hominis obſequium, breui tantæ diſtantiæ compendio, Deo appropinquat.* 214

176 *Splendidius fulget, qui aliquando innatum ſplendorem inuiſus diſſimulat.* 215

177 *Legem vnam, vnam plures putare, inobedientiæ ingenium eſt.* 216

178 *Sedulus perfectionis ſtudioſus, vel quod virtutis acceptus eſt, præ perfectionis auaritiâ denuò poſſidere exãbit.* 217

179 *Pium opus cunctanter, & pigrè inchoatum, etiam poſt conſummationem vix inceptum creditur.* 218

180 *Aliquando obſequentis cunctatio, præcipientis pietati blanditur.* 219

181 *Qui ſuperioris præceptum, velut diuinæ voluntatis characterem accipit, humanis ratiunculis illud eludere deſiſtit.* 220

182 *Præceptum non fornicandi, ſolis ceremoniis ſatis impletur? Virginitatis nomen exteriori habitu conſtat.* 221

183 *Humana ſublimitas, quæ ex aliorum meritis obuenit, non computatur ad faſtigij gloriam.* 221

E quarta Benedictione.

§. 184 *Bene omnia fecit, qui bene aliquid facit.* 230

185 *Ignorantia in Rectore, grande ſcelus eſt, & regiminis euerſio.* 231

186 *Optimus Gubernator, ad rem præſentem cæcè caligans, futuris oculatiſſimè prauidet.* 231

187 *Excelſum opus prouidentiæ diuinæ, per errorem humanum fieri debebat.* 232

188 *Qui noctu accenſam lucernam videre non poteſt, interdiu videt extinctam.* 233

189 *Erogari in meritorum ſtipendium, generoſus amor erubeſcit.* 235

190 *Affectus ſic rationem ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum, & congruum videatur.* 236

191 *Domeſtica virtus ſeceſſu contenta, præ dignitatum ambitio eſt.* 237

192 *Sæpe viri, quos ſpirituales vocant, propriis commoditatibus nimis indulgent.* 238

193 *Ionas Propheta publicam aliorum ſtragem negligens ob leniculum ſui* in

incommodum grauiter angitur. 239

194 *Vſque adeò metus metuendi cauſas exaggerat, vt ſæpe homo felicitatem periculi ſui timeat.* 240

195 *Audacia de prauio timore armatur: neſcit audere, qui timere neſcit.* 241

196 *Vel ad rem maximè à nobis cupitam, ab alio cogi, grauate admodum ferre conſueſcimus.* 242

197 *Vel impoſſibilia tentare ambimus, ne deſiſtamus à propoſito, quod ſemel in animum irruit, & opere inchoatum eſt.* 242

198 *Sublimior poteſtas, callidè aſtutos, è candidè ſimplicibus elaborat.* 244

199 *Perfectionis diuinâ piè ſuperbâ æmulatione, primum cæli locum vnuſquiſque exambiat.* 245

200 *Inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum.* 246

201 *Non tam ex præſenti, quàm ex futuro rerum ſtatu, totius hominis titulatur elogium.* 247

202 *Præambulum electorum examen trutinet merita candidati.* 248

203 *Superior ne ſit tam candidè ſimplex, vt ſemel videatur totus.* 249

204 *Acceptum à Deo munus, ſignum eſt diuinæ promiſſionis indubiè adimplendæ.* 250

205 *Linguam ſubiecti Adamo ſerpentis, aſſumit Dæmon, vt in eum ſæuius ferociat.* 251

206 *Qui fratri ſeruit, vnus plures ſeruus eſt, multiplici ſubiectus ſeruitute.* 252

207 *E multis maledicentibus, vnus duntaxat maledicitur, ne omne hominum genus maledicatur.* 253

208 *Malus Sacerdos peſtilentiſſimam contagionem reipublicæ inhalat.* 253

209 *Præclarus Sacerdotij nitor, vel leuis delicti nubeculâ obſcurè infuſcatur.* 254

210 *Homo, præ cognato faſtu, interrogatione potius, quàm expertâ ratione ſæpe ſuadetur.* 256

211 *Adamo & Iſaaco diuina ecſtaſis immittitur, ad humanæ iniuriæ fruſtrationem.* 257

212 *Qui de offenſore bonam habet exiſtimationem, iniuriam condonaſſe videtur.* 258

213 *Omni feritur plaga, qui ſuum æmulum feliciter fortunatum videt.* 259

214 *Bonum quoduis, ab æmuli poſſeſſione, placendi gratiam fœneratur.* 260

215 *Tenuitas humana, niſi vitiorum nominibus, dignè de Dei clementia non cenſet.* 261

216 *Vrbanitatis officioſitas eſt, vel ab honore reiectum honoraria commemoratione honeſtare.* 262

217 *Qui inimico muliebriter detrahit, eidem victoriæ pignus offert.* 263

218 *Prælustris aliorum bonitas, & aſpectabilis nitor, maledicorum linguas exacuit.* 264

219 *Quæ notamus in aliis ſcelera, noſtrorum notitiam ad nos reuerberent.* 265

220 *Suendi artem non abſque furacitate dedicauit Adamus.* 266

221 *Malum, quod quiſque patitur, acerbiſſimum omnium eſſe putat.* 267

222 *Opus alioqui præcelſum, patratoris vilitate decreſcit, deuenuſtatur, vileſcit.* 268

223 *Nemini ſeruire, quàm omnibus imperare, gratius eſt.* 269

224 *Dira ſeruitus, libertati de oppreſſione affinis eſt.* 270

225 *Iudicij audacter temerarij officina, indicantis maleuolentia eſt.* 271

226 *Tam opulentum reportatur de Perſecutionibus lucrum, vt cum ſæuo perſecutore amicitias concilset.* 272

227 *In occulto loquitur nihil, qui multa ſecretò loquitur.* 273

228 *Qui ſuum ſecretum alicui credit, & ſecreti exigit fidem, publicationem ſubornat.* 274

229 *Ille maſcula virtute viget, qui à paſſionibus ſuſtinet violentiam, & ſapienter viuit.* 275

230 *Qui immodicè indignatur, non tantum iræ reus eſt, ſed & cauſa iraſcendi.* 276

231 *A Præfecto offenſo nullum ſatis tutum effugium eſt.* 276

232 *Iniuriarum memoria, ſic atrociter ad vltionem inſtigat, vt Satan meritò nuncupetur.* 278

233 *Concordiam cum hominibus ſeruare aliquis humanæ virtutis faſtus eſt.* 279

234 *Nemini quantumuis concordiæ ſtudioſo, inter rixantes pax eſſe poteſt.* 280

235 *Aliqua beneuolentia in aduerſarios homines, aut Gentilium Deos, illorum vincendorum arbitrium eſt.* 281

236 Nona

236 *Noua quædam & arcana aduerſariis parcendi genera propalantur.* 282
237 *Diligere eum, qui dubius eſt de noſtro erga eum Amore, eximia Amoris exaggeratio eſt.* 283
238 *Humani gaudij ſequela mœror eſt.* 284
239 *Ad nuptias idoneè conciliandas, Princeps pacis conſulitur.* 285
240 *Coniugium non minus virtutum, quàm corporum eſto, religioſiori copulâ mentium.* 286

E quinta Benedictione.

§. 241 *Medicorum ars vices cum funeratore reciprocat.* 293
242 *Diuturnos diu patiendi labores, mellea virtutis voluptas compendioſè abbreuiat.* 294
243 *Profunda triſtitia, ſæpe de inferno eſt, energumenumque aut inuenit, aut facit.* 295
244 *Magiſtratuum ardor pro ſua iuriſdictione nimis tuenda, periculoſum tentamenti genus eſt.* 296
245 *Præpoſitorum zelus, ne totus ferueat pro tuenda Dignitate.* 297
246 *Vrbanitas eſt, ingenuitatis ſtemma, & illuſtre nobilitatis inſigne.* 298
247 *Dei templum nemini obſequium præſtat; cui humilia obſequia præſtare, humanitas tota vectigalis naſcitur.* 299
248 *Adeò delicatus eſt ſacrorum ritus, vt vel oculis parum fauentibus profanetur.* 300
249 *Expulſus è paradiſo, contra paradiſum impudenter armatur.* 301
250 *Dignitas ingenio negotiationis parta, etſi perilluſtris ſit, vix ad honorem computatur.* 302
251 *Patientia, paradiſea felicitatis conſummatio eſt, & hominum menſura.* 303
252 *Proſperior fortuna vices cum aduerſa reciprocat.* 304
253 *Senum agnatum vitium eſt, nil vnquam magnum putare de eo, quem puerum aliquando nouerunt.* 305
254 *Benignitati lenocinium eſt in ſeipſo experiri rigores, quibus alios ſeuerè addicit.* 306
255 *Præcipientis exemplum, vigor præceptionis eſt ad ſequelam.* 307
256 *Blandus amor duras lacrymas exprimit, & lamenta concinnat.* 309
257 *Terrenum monimentum, quo ſuum nomen cum fama perpetuare, mortales procurant, æterna obliuionis prophetia eſt.* 310
258 *Propria laus, illius rei, quam in ſe commendat, defectum aliquem præſentire ſignificat.* 311
259 *Rem cupitam, non per vicarios, ſed per ſeipſum exequi, magni amoris character eſt.* 312
260 *Inurbanitatis culpa, præproperè ſeueriſſima mulctatur pœnâ.* 313
261 *Arcanâ Dei electione, primus fratrum reperitur, qui erat poſtremus.* 314
262 *Feliciorne fortuna, virtuti aliquando militat.* 315
263 *Quaſi aurita forent ſubditorum manus, inauribus ad obſequium ornantur.* 316
264 *Non tam excæcata mens, quàm voluntas vitiis inſoleſcens, hæreſeos conceptaculum & officina eſt.* 317
265 *Æternat nomen in tenella pueri carne velut ſubſtantialiter inſcriptum* 320
266 *An auguſtum Chriſti IESV nomen Ieſuitis ſic arcanâ fæcunditate filietur, vt ipſius Solis radio videatur deſcriptum.* 321
267 *Principis nutus curialium doctorum extorquet ſuffragia.* 322
268 *Quàm ſint homines propriæ ſententiæ peramantes, quamuis ſæpe ſine riuali.* 323
269 *Nemo quantumuis pius & ſapiens, ſuæ humanæ rationi tutò ſe credit.* 324
270 *Diuina electio quem non inuenit dignum facit.* 325
271 *Auguſtior eſt gloria, vltrò victoria generoſè cedere, quàm victoriam feliciter reportare.* 326
272 *Qui ſemel cadere incipit, gradiendo, non præcipitando deſcendere, rarum priuilegium eſt.* 328
273 *Indignus laude, laudandus etiam eſt, vt laude dignus laudari impunè permittatur.* 329
274 *Memoria inſtantis ſibi mortis, aſtrorum adornat fulgores, & paradiſeam conſummat felicitatem.* 330
275 *Mors, quæ inurbanè de tædio ſui naſcitur, in ſui deſiderij ſepulcro tumulatur.* 331
276 *Humana vita ſic eſt caduca, vt fuga à morte moraliſſimè dicatur.* 332

277 *Negotium, cui homo ſuam fidem viuens obſtrinxit, adhuc poſt mortem negligendum non eſt.* 333
278 *Qui inopia laborat, & humeris, & manibus mutilus eſt.* 334
279 *Praeuius labor, & induſtria, paradiſo & beatitudini impenſa, vtriuſque delicias facit gratiores.* 335
280 *Precariæ orationis omnipotentia, ex impoſſibili facit neceſſarium.* 336
281 *Infinita Dei liberalitas, donando, ad vlterius donandum quodammodo obligatur.* 337
282 *Quàm acerbè animam ſupplicantis excruciet, rei petitæ negatio.* 338

E ſexta Benedictione.

§.283 *Quis ſit Deus declarat rigor finalis iudicij, quod hominum peccatis offendi dicitur.* 350. a.
284 *Beneuola multorum concordia, auguſtioris gloriæ officina eſt.* 350. b.
285 *Minor in hominem inimicus, eſt Dæmon: homo verò ſæuior, & atrocior ſui hoſtis eſt.* 351
286 *Minacia verba euaporant furorem: taciturnitas in homine offenſo, ſæpe crudelitatis fomes & augurium eſt.* 352
287 *Diuturnior patientia exaſperata, in acerbiores excandeſcit iras.* 353
288 *Conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decore proprias offenſas velut ignorare videtur.* 354
289 *Agreſtis luxuria, homines, exleges inuenit, aut facit.* 356
290 *Qui hominis libidinem pandit, omnia quæ in tota vita ſua fecit, ſimul manifeſtat.* 357
291 *Laſciuia acerbè etiam patitur in nomine ſupplicium, quod meretur in re.* 358
292 *Peccatorum hyems, diuinì amoris ſcintillas reuerberat in affectum.* 359
293 *Pœnitentia meritum æmulatur, an quoddammodo ſuperat innocentiæ prærogatiuam?* 359
294 *Iniquorum cognatam concordiam malitia conflat.* 360
295 *Quod in conferenda Meſſiæ Dignitate, Senatores cognati erga Ioannem: hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationem.* 361
296 *Maligna cognatorum auaritia, de cognati funere ſibi animitus gratulatur.* 362
297 *Nemo non benignus eſt ſibi cenſor.* 363
298 *Sciolus quiſque, vel de dubitatione ſuâ, ſic arroganter præſumit, vt illam ad ſui ingenij famam perpetuare procuret.* 364
299 *Illuſtrior honor, dum vindictâ recuperari ambitur, egregiè periclitatur.* 365
300 *Blandimenta inimici offenſam exaggeratius irritant.* 366
301 *Seueriſſimum alienæ virtutis zelum, terra timet, cælum reueretur.* 367
302 *Res bona expetenda non bonus modus rem totam egregiè conſtuprat.* 369
303 *Scriptioni operam dare, inter Simeonis maledictiones computatur.* 370
304 *Neceſſariuſne eſt prophetiæ ſpiritus, ad hiſtoriam retrò acti aut verè narrandam.* 371
305 *Nulla ſcriptio, vel in ſuæ peritiæ aſylo, ſatis eſt tuta à vituperonum cenſu.* 371
306 *Priſca ſapientia ſolo antiquitatis titulo, de veritate diu poſſeſſa non præſcribit.* 373
307 *Ne dum mutua vlciſcimur odia, rectæ fidei cauſam nos tueri ſimulemus.* 374
308 *Homo qui iratum corripit hominem, fruſtrat correctionis fructum.* 375
309 *In iram ratio inſpiratur, quo indignatio opportuna ſit pietatis auxiliatrix.* 376
310 *Ad ſubditos radicitus extirpandos de virtutu plantario, valde difficilem ſe præbeat ſuperior.* 377
311 *Impudentia delinquendi, delicti exaggeratio eſt, & puniendi fomes.* 378
312 *Celebris Tertulliani locus, diuinæ miſericordiæ vindex, vindicatur.* 379
313 *Principem eſſe, & effuſius laudari, antiqua ſynonyma ſunt.* 381
314 *Aliena gloria incredibilis eſt homini, qui ſuam nimis amat.* 382
315 *Vel in ipſa obſequiorum ſubmiſſione, in ingenuis elucet generoſitatis ſcintilla.* 383
316 *Rapienda ſunt cæli bona, vt de pio furti lenocinio dulcius ſapiant.* 384
317 *Humana Chriſti Dei natiuitas, auguſtam*

guſtam in progenitores reuerberat gloriam. 385

318 Ciuitas poſt lapſum inſigniter reſtaurata, felix eſt luxuriæ ſuffragio. 386

319 Impunitas Notariorum, euerſionem regni portendit: acerbior eorum mulcta populos felicitat. 387

320 Deſectibus, quibus deturpantur plures, aliqui ad placendi gratiam venuſtantur. 388

321 Labores patienter tolerati, inter Chriſti Dei progenitores recenſentur. 389

322 Chriſtus in Euchariſtiâ hilaritatem diuinitatis oſtendit. 390

323 In Patriarchis recenſendis negligitne Scriptura præcedentiæ ciuilitatem? 391

324 Cæli politia ſugillat humanæ præcedentiæ vrbanas nugas. 392

325 Impiorum Ratio à diu inolita malitia belluinis ratiocinationibus obbruteſcit. 393

326 Nihil agendo homines, malè agere perdiſcunt, in otij gymnaſio. 394

327 Quietis otium, & hominum ingratitudo, Bibliorum ſtudiis adulantur. 395

328 Sat gloriæ eſt honorum cupidis: ſi cum potiſſimis comparentur. 397

329 Qui ſe ſolum putat idoneum ad præcelſum munus obeundum, illud faſtidire ſolet: Secus ſi ſciuerit alios æquè idoneos cenſeri. 398

330 Pulchra femina venuſtatis præſtigio, re odij negotiatur amorem. 399

331 Peccati notitia, initium ſalutis eſt, & remiſſionis prognoſticon. 399

332 Flagitioſius peccatum perfecta ipſius cognitione curatur. 400

333 Reproborum eſt retrorſum cadere, quia ibi cadunt vbi non vident: iuſtus autem in faciem ſuam cadit, quia ibi cadit, vbi videt. 401

334 Eſtne pia virtutis arrogantia, ferientem vitiorum vulnere, eodem telo ſtrenue referire? 402

335 Violenta ſubditorum oppreſſio Redemptorem vindicem expetit. 403

336 Redemptionis humanæ adhuc perennat myſterium, quo Chriſtus filij nomen Patri reſtituat in filiis, & pacem Deitatis inueniat. 405

337 Deus vt orantis vota adimpleat, aliquoties orationis vota contemnit. 406

338 Obſtinata honorum recuſatio, Deum velut contentioſum facit, vt illam ſublimet. 406

339 Nudas pedum plantas obſeruat, qui cæli gazas latrocinari prè ambit. 407

340 Sic nonnulli ſua ſchola tenaciſſimè adhæreſcunt, vt veritati ab aliis inuentæ planè renunciarint. 408

341 Iuuentutis audacia, fœminarum garrulitas: nimis ſubtile, aut rude nimis ingenium, lectioni ſcripturarum officit. 409

342 Eximia laus canæ ſapientiæ eſt, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla. 411

343 Negat Chriſtum eſſe Deum, qui Chriſtianas virtutes erubeſcit. 412

344 Cæleſtis pater Prodigum filium, non quando abiit, ſed quando recipit tunc deplorat. 413

345 Menſa propoſitionis, Euchariſtiæ typus, in Auſtriadum domum arcanè vergit. 414

346 Qui in pietatis propoſito nunquam laſſeſcit, ad virtutis metam feliciter peruenit. 415

347 Vel muta labiorum apertio, obſtetricante indiget gratiâ, ne faciat verborum aborſum. 416

348 In eloquentiæ defectum operatrix miraculorum virga Moyſi ſubrogatur. 417

349 Arcana ſilentij vis, & ingenium acutè elimat, & eloquentiam concinnè elaborat. 418

350 Silentio etiam ſua ineſt arcana eloquentia, quæ eleganter ſuadet. 419

351 Vitæ quàm linguæ eloquentia, potentior eſt ad virtutis ſuadelam. 420

352 Secularis ſapientia conſcientiæ gratulatur: & profana eloquentia balbutit ad diuina. 421

353 Auguſtior maieſtas, ex viliori humilitate cenſenda eſt. 422

354 Humilitas profundè deſcendit, vt Deum inueniat, cui omnia tribuit. 423

355 Præcelſi muneris dignitas, ſæpe magnos viros aut inuenit, aut facit. 424

356 Regiis familiaribus ſumptuoſior poteſtas olim conceſſa. 425

357 Ne Principis latus, & aures, vnus, aut alter vindicet ſibi. 426

358 Attentius Rex ſuo regno conſulit, quàm fidentior priuatus. 427

359 Præ

359 *Præfecti ſola cognatio meritum eſt ad præfecturas.* 428
360 *Regij familiaris gratia, ſententioſè inuiſa dicitur.* 429
361 *Piæ nobilitatis elogium eſt, humilium conuerſationem non faſtidire, ſed perhumaniter ambire.* 430
362 *Concordia venuſtas iuſtorum eſt, quæ diuinum ſanciat amorem.* 431
363 *Mulier impudica, vna plures dicitur ad malitiæ exaggerationem.* 432
364 *Vel leuis occaſiuncula in re libidinis, non leuem hominibus ingerit ſuſpicionem.* 433
365 *Circumſpecta cautela neglectus in caſta etiam vxore, maritorum zelotypiam ſubornat.* 434
366 *Attentiori occaſionum præſcindendarum cautela debet Chriſtus, nil æmulos in re libidinis aduerſus eius modeſtiam ſuſpicatos.* 434
367 *Serpentem non bonæ famæ rumuſculum ſiſtere, primus fuit Euangeliſtæ labor?* 436
368 *Acerbior perſecutio, blandimentum virtutis eſt, & pietatis ſequela.* 437
369 *Calamitas de manu hominis, acerbior venit, eadem verò de manu Dei, ſuauis, & mitior euadit.* 438
370 *Plures pati præfectos eſt Ægyptiacæ oppreſſionis compendium?* 439
371 *Canam ſenectutem magis dedecet ignorare quàm diſcere.* 440
372 *Zelotypiæ angor, & inferni furor mitior eſt, quàm inuidiæ paſſio?* 441
373 *Maleuolentiæ ingenium, opus alioqui innoxium crimen læſæ maieſtatis appellat.* 442
374 *Calamitoſis, & de aduerſitate lætanter gratulandum, & glorioſè inuidendum eſt.* 443
375 *Potentes, ambitione potentiæ quos iniuſtè læſerunt, inde iniuſtius oderunt.* 444
376 *Præfectorum eſculenta abundantia, vrbanè ſuadet attentiorem erga ſubditos prouidentiam.* 445
377 *Indecori criminis accuſatio, aut infamem inuenit, aut facit.* 446
378 *Vltima neceſſitas non ſit ſpei iactura, ſed fiduciæ conceptaculum.* 447
379 *Carcer certiſſimum facultatum naufragium eſt, & reorum præda.* 448
380 *Vinculorum anguſta dignitas, ſublimiores glorias arcanè reuerberat.* 449
381 *Quam ſubditus de ſuperiore reportat, pœnitenda, & deflenda victoria eſt.* 450
382 *Quiſquis putat rempublicam eius peritia indigere, ineptus eſt ad dignitatem.* 451
383 *In patiendi ignobilitate, nobilis quidam dignitatis vigor elucet.* 452
384 *Arrogantiam prælationis appendicem, priſtina quondam ſecuti vtilitas opportunè cohibet.* 454
285 *Nihil mali accidere bono viro poteſt; qui in viuente corpore viuas exequias mortificatione celebrauit.* 455
386 *Dum ſuperior cibat ſubditos, eorum obſequium alit.* 456
387 *Regium Principum elogium eſt, vel menſæ reliquias non negligere.* 457
388 *Sæpe cæleſtis ſponſus ſpecie repulſæ, acrius ſuæ ſponſæ ſauciat amorem.* 458
389 *Mirumne eſt, Iacobum tantiſper in aulâ commoratum, patriæ cæleſtis non fuiſſe oblitum?* 459
390 *Auia felicitas, quam communis ambitio ſuſpirat, inimicorum vota ſunt.* 460
391 *Politica ratio ſtatus ex leuicula, & ſibi pugnante occaſione, Numen aut reuerenter admittit, aut irreuerenter proculcat.* 461
392 *E propria ſublimitate aliorum ſublimes honores metimur.* 462
393 *Præpropera medicina vitiorum, quæ in Religionis clauſtra irrepere incautis poſſent.* 463
394 *Spinoſos, & igneos Præfecti mores, humana recuſat politia.* 465
395 *Opportuna reprehenſio, paterna benedictio eſt, velut prophetia non relabendi, & felix delictorum ſepulchrū.* 466
396 *In re politica adhuc iurata magiſtratuum fides ſuſpectane eſt?* 467
397 *Chriſtus adhuc viuus acerbè præſentit, ſacrum eius corpus poſt mortem lancinari?* 468
398 *Redemptionis negotium Dominico cadaueri quodammodo adſcribitur, ad gloriæ auctarium.* 469
399 *Diuturnior defunctorum luctus, imminentis infortunij augurium eſt.* 470
400 *Tempus eſt potentiorum Principum ſubſiſtentia.* 471

Inſtructio

INSTRVCTIO Politico Chriſtiana.

Cap. I.

Principandi commoda ad vtramque felicitatem.

Cap. II.

Quàm ſit infelix principandi felicitas.

Cap. III.

Cognatâ ſupra humanum faſtum, aliqui Superiores turgent arrogantiâ?

Cap. IV.

Sublimior Potentia eſto rationi ſubiecta.

Cap. V.

Superior eſt morum norma, in quam ſubditi imprimuntur.

Cap. VI.

Agnatum eſt Superioribus, plus æquo belligerari pro tuenda auctoritate, & iuriſdictione amplianda.

Cap. VII.

Delicta Principum flagitioſius exorbitant.

Cap. VIII.

Ignorantia in Principe, magnum ſcelus eſt, & regiminis euerſio.

Cap. IX.

Sciêntia commiſſi à ſubditis reatus, eſt laudatior Præpoſiti ſollertia.

Cap. X.

Audacia ſiniſtra ſuſpicionis in Præfectis caſtigatur.

Cap. XI.

Ne ſit ita candidè ſimplex, vt ſemel videatur totus.

Cap. XII.

Amicitia, & cognatio, ſæpe Iudicis rationem inuertit.

Cap. XIII.

Acceptio perſonarum, languor iuſtitiæ eſt.

Cap. XIV.

Quàm ſit hominibus pergraue aliis ſubeſſe.

Cap. XV.

Terrenis Regibus, Rex cæleſtis imminet.

Cap. XVI.

Tribunalium vitia caſtigantur: & non boni Principum miniſtri proſcribuntur.

Cap. XVII.

Vltroneus adulatorum grex, procul eſt amouendus.

Cap. XVIII.

Otium iners Principem dedecet: ſine meritu ſordet purpura.

Cap. XIX.

Aulicorum, & curialium mores vituperantur.

Cap. XX.

De Amicis, & Familiaribus Principum.

Cap. XXI.

Legum condendarum politia eruditur.

Cap. XXII.

Subditi ad obſequium vltro trahendi ſunt.

Cap. XXIII.

Sit pronus ad clementiam: nam benignitas, & humanitas eſt Præpoſitorum elogium.

Cap. XXIV.

Nimia Superiorum ſeueritas, regimen deprauat.

Cap. XXV.

Qualis debeat eſſe Superior erga ſibi infenſos.

Cap. XXVI.

Cautela reprehenſionis, artificium eſt emendationis.

Cap. XXVII.

Liberalitatem colat, in quâ opportunè reſonet Iuſtitiæ nomen.

Cap. XXVIII.

Cùm nil inconſultum decernere fas ſit, quales debeat Conſultores adſciſcere.

Cap. XXIX.

Electorum politia eruditur.

Cap. XXX.

Quæ ſit praua, & quæ proba Candidatorum ambitio?

INSTITVTIO POLITICO-CHRISTIANA,

AD SVPREMOS, MEDIANOS, & infimos Eccleſiaſticæ atque ſecularis politiæ Superiores.

§. paragraphum deſignat. n. numerum denotat marginalem. p. paginam.

CAPVT I.

Principandi commoda ad vtramque felicitatem.

NEMINI ſubeſſe, auguſtior ſceptri gloria eſt. Sic eſt moleſtum Superiorem pati. §. 46 n.4. p.66

Eſaüitas, ſeruitutis excuſſiſſe iugum, præ regni gloriâ æſtimatur. § 223. n.2.p.269. Num ſeruitute ſe ſoluere, præ empyreâ gloriâ cenſetur? ibid. n.3.

Opulenta principis Abrahami felicitas, inter eius merita computatur? paragr. 158. n.3.pag.197. Porrò ſpes cæleſtium terrenis donis perſæpè erigitur. ibid.n.2.

Feſtinat Iſaacus ſuum Eſaü familiæ inaugurare principem, vt eum regiis opibus, & principali honore ad virtutem ſtimulet. paragr.267. num.2. pag.322. & 323. Nam ſublimior dignitas, & glorioſa opulentia, non ſemel virtuti militant. ibid.n.3.

Sæpè Deus felices vberiùs felicitat, ad ſuæ beneficentiæ oſtentationem. paragr.68.n.3.&c.p.89

Dauid vires in Dæmonem cum ſceptro accepit? paragr.11.n.3.p.31

Exinde præproperè humeris donatur Abrahamus, ad ferendas ærumnas felicitatis appendices. Ibidem num.3.

Sublimior felicitas dehoneſtamentis tributaria eminet. paragr.72.num.2. & 3. p.93

Felicior fortuna vices cum aduersâ reciprocat. paragr 251.n.2 & 3.p.304. 305

Proſperior felicitas, argumentum damnationis eſt. paragr.252. num.4. pagin.305

Præfecti Ioſephi ſublimior proſperitas, ſententiosè, *Lutoſa* dicitur. §. 360. n.2.p.429

Eoſdem cibos & homini Præſidenti, & ſubiectis animantibus aſſignat Deus. paragr.92. n.2. & 3. p.113

Vt terræ ſterilitas cultori imputatur, ſic Gubernatori diuturna ſubditorum peruerſitas. paragr.166.n.2.& 3. p.205. & 206

Subditorum ſtomachum & linguas, Superioris potentia excuit. §. 205. n.2. &c. p.251

Vel leues Superiorum defectus, faſtigium ſublimitatis inuidiosè prodit. paragr.21.n.2.p 41

Tempus eſt auguſtorum Principum *ſubſiſtentia.* paragr.400.n.2.pag.471. Exinde Regum felicitas conſultiſſimè dicitur, *Flos temporis.* ibidem num.4.

Sumptuoſior lucendi gloria, ambitiosè glorioſum nimis fatigat. paragr.155. n.2. & 3. p.194. 195

CAPVT II.

Quàm ſit infelix principandi felicitas.

SVblimius faſtigium ruinæ clanculum inſidiatur. §.132.n.2.p.161.

CAPVT III.

Capvt III.

Cognitâ ſupra humanum faſtum aliqui Superiores turgent arrogantiâ.

SEmper ſubdito licet meliorem eſſe, quàm eius Superior; nunquam meliorem videri impunè licet. § 20. n 1. & 2. p. 40. 41

Inde obſcurum tunc cælum tenebras reuerberat [illegible] terram. ibi n. [illegible]

Regum faſtus naturam ſæpè deſ[illegible]eſcit. paragr. [illegible] & 3. p 31. Cum ſceptro vires [illegible] Dæmonem habere preſſum [illegible] ibi num. [illegible] Propria ſolius Dei opera [illegible] exambit. paragr. 11. n. 4. p. 31. Rex eſſe affectat ætatum arbiter. ibid. n. [illegible] p. 32

Princeps indignus laude, laudandus etſi intempeſtiuè eſt, vt quiuis laude dignus laudari [illegible] permittatur. paragr. 273. numero 2. & 3. pagina 329

Quiſquis putat rempublicam eius peritia indigere, inidoneus eſt ad Magiſtratus. paragr. 38[illegible] n. 2. & 3 p. 451. 452

Vel ipſa infelicitas arrogantes inflat. paragr. 383. n. 4. p. 453

Arrogantiam Prælationis appendicem, priſtina quondam ſeculi vilitas opportunè cohibeat. paragr. 384. n. 2. & 3. p. 454

Superior ob communem ſubiectorum vtilitatem gloriæ ſuæ vltrò cedat. paragr. 74. n. 2. & 3. p. 95

Siderea Præfectura non tam Præfectum, quàm ſubditos illuſtres reddit. paragr. 75. n. 2. & 3. p. 96

Tantâ aliqui Superiores turgent arrogantiâ, vt conſors in regimine, Ira Dei dicatur. paragr. 71. n. 2. p. 92

Ne ſic vanæ gloriæ militet, vt propter vituperonum cenſuram, diſtrictiorem remittat diſciplinam. paragr. 69. n. 1. & 2. &c. p. 89. 90

Quam ſubditus de Superiore victoriam reportat, pœnitenda, & deflenda victoria eſt. paragr. 381. n. 2. & 3. p. 450. 451

Capvt IV.

Sublimior Potentia eſto Rationi ſubiecta.

IMpiorum Ratio à diu inolitâ malitiâ, belluinis ratio[illegible]nationibus obbruteſcit. paragr. 325. num. 2. & 3. &c. p. 393. 394

Sublimior Potentia inconſulti furoris ſuſpecta eſt, niſi aduocata Ratio hanc notam eluat. §. 6. n. 1. &c. p. 26.

Inde Deus ſummus omnium Princeps, non omnipotentiâ, ſed Paſſione Diabolum vicit, ne Potentia, ſed Ratio viciſſe videatur. ibi n. 2.

Dei verbum priùs Ratio, quàm omnipotens, conſultiſſimè nominatur, ne vſquam appareat abſque Ratione Potentia. paragr. 6. num. 3. p. 27.

Exinde omnipotentia Dei dicitur, diuinæ Rationis principatus. inibi n. 4

In iram Principis Adæ Ratio inſpiratur, quò indignatio opportuna, fit iuſtitiæ auxiliatrix. paragr. 09. n. 2. & 3. p. 376. 377

Rationibus, quæ cælum ſapiant, tanquam baſi Princeps homo innitatur. paragr. 14. n. 2. p. 35

Sed aduerterit Princeps, quòd Ratio humana ſæpè periculoſa eſt. §. 51. n. 4. pag. 71. Vnde humana Ratio ab affectu ſeducta, dicitur ad malitiam prompta. paragr. 190. n. 3. p. 236 Suus etiam dies Rationi expiandæ conſultiſſimè deſtinatur. paragr. 169. n. 2. pag. 324. Porrò affectus ſic ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum eſſe videatur. paragr. 190. n. 2. &c. p. 236

Capvt V.

Superior eſt morum norma, in quam ſubditi imprimantur.

BOni Superioris idea in aquis apparet: quæ vnum corpus conflat, æquale habet dorſum; ipſa ſe præcedit, vrget, & ſequitur. §. 60. n. 2. & 3. p. 80

Eligendus Antiſtes, ætatis, eruditionis, & meritorum indiget ſuffragio. paragr. 83. num. 1. & 2. &c. pagin. 103

Videat ſubditus oculis Præcipientis vocem. §.255. n.1. p.307.308. Dura præcepta miteſcunt exemplo Præcipientis. ibi n.2. & 3
Superior appoſita forma eſt, in quam ſubditi imprimantur. paragr. 122. n.3. pag.152. Indéne turbari dicitur Chriſtus, cùm ſe omnibus imitandum proponit? ibid.n.2
Principi Adamo ſpecies laboris indicitur; ne otium præſcribat, apud Principes, qui ſubditos debent ad laborem vrgere. §.326.n 2.p.394
Princeps, qui vel ciborum reliquias non negligit, ſubditis frugalitatem inſpirat. paragr. 387. n.1. & 2. & 3. p.457. 458
Mirúmne eſt, Iacobum in Regis aulâ tantiſper commoratum, patriç cæleſtis non fuiſſe oblitum? paragr.389. n.2. p.459. 460
Bonum Abeli Principis exemplum, characterem ſpectatoribus imprimit. paragr.170. n.2.p.210. Et quaſi hereditario iure virtutem impertit. Inibi n.4.p.210.211

Capvt VI.

Agnatum eſt Superioribus, plus æquo belligerari pro tuendâ auctoritate, & iuriſdictione ampliandâ.

Magiſtratuum zelus pro ſuâ iuriſdictione nimis tuendâ, immites gerit lites. paragr.244.n.1.p.296
Eliæ Poteſtas nimis fuit cedendi auara. paragr.244.n.4.p.296.297
Diabolúſne Chriſtum Deum deiicere intentat, ſe ſe inferendo in humanam eius iuriſdictionem? §.244.n.2. p.296
Chriſtus etiam dum reus eſt, ſuæ iuriſdictionis amplitudinem aduerſus Pilatum tuetur. §.244.n.3.p.296
Præpoſitorum ardor, ne totus ferueat pro tuendâ Dignitate. paragr.245. n.1.& 2.p.297
Chriſtus mauult ſuæ Poteſtati, quàm communi vtilitati derogare. §.245. n.3.p.297.298
Iudex in alieno territorio deuenuſtatur, ſicut luna cùm mane languida apparet. paragr.103.n.3.p.133

Capvt VII.

Delicta Principum flagitioſiùs exorbitant?

Principum vel leues defectus faſtigium ſublimitatis prodit. §. 21. n.2.p.41
Sublimior Regum potentia, inconſulti furoris ſuſpecta eſt, niſi aduocata Ratio hanc notam eluat. paragr. 6. n.1. & 2. &c. p.26.27
Auctoritatem, quam delinquendo delictis conciliant ſceleſti Principes, magnum ſcelus eſt, magno luendum paragr.22. n.2. & 3. p.42
Regum crimina indigentiam redemptionis ſingulariter probant. §.84. n.2. p. 104. Inde Ioannes Præcurſorem ſe probat Redemptoris, quia veſana obiurgat Regum flagitia. ibid.n.3.
Reges lapſui nati dicuntur, Dignitate velut fomite ad ruinam impellente. §.84.n.5.pag.105. Pœnitentia peregrinatur in Regibus. ibid. eod. n.5
Principum malitia, malitiæ refuga eſt. §.103. n.3. p.133. Exinde in oppidis etiam procul à regia Curia, obiurganda ſunt enormiſſima quæque Regum flagitia. §.84.n.4.p.104.105
In acerbiſſima oppreſſione, nec gemere populo licet, nec Deum orare iuuat? §. 125. n.2. & 3. p.154. 156
Offenſi Principis iras, Cælum priùs quàm terra veretur. paragr.131.n.6. p.277
Reges cognato potentiæ faſtu, quos iniuſtè læſerunt, inde iniuſtiùs oderunt. paragr.375. n.2. & 3. p.444
Regum aula, rerum cæleſtium obliuionem procurat. paragr.389.n.2. & 3. p.459. 460
Sicut terræ ſterilitas cultori imputatur, ſic Gubernatori diuturna ſubditorum peruerſitas. paragr.166. num.1. & 3. p.205. 206
Boni ſubditi vel publicos Superioris defectus ſollerter occultant. §. 118. n 2.p.147.148
Hebræi populi principes, per viam Philiſthinorum in terram promiſſionis pergere ſtudent. paragr.51. num. 2. p.70.71
Via iniquitatis amouenda à Principe peccatore eſt. paragr.51.n.3.p.71
Citiùs inoliram libidinem, & pietatis iura deſerit impiè politicus Princeps,

ceps, quàm rationem Status, quam ſibi putat proficuam. §.175.n.2.& 3. p.213

Capvt VIII.

Ignorantia in Principe, magnum ſcelus eſt, & regiminis euerſio.

Sapientia Ioſephi, meritum fuit ad principatum. paragr.185.num.1. p.231.232
Grande peccatum, etiam apud Barbaros eſt, ignorantia in Principe. paragr 185.n.2.p 232
Notitiæ Rectoris, ſunt regiminis ingenia paragr.185.n.3.p.232
Perſæpè errat quiſquis affectuum ſequitur ductum. paragr.190. num.2. & 3. p.236
Qui inaurem vnam ſuperiori donat, non donauit vtramque. paragr.263. n.2.p.316.317
Strenuus Gubernator velut caligans ad præſentia, futuris oculatiſſimè prouidet. paragr.186.n.2.p.232
Errat glorioſus & opulentus Princeps, qui ſubditos pauperculos & in ſtolidos ſenſu carere putat. paragr.75. n.2. & 3. p.96
Aſt ſapientiſſima ignoratio eſt, quæ ſcire diſſimulat, quovſquè inſtet operandi opportunitas. paragr.40. n.2. p.60
Quin & conſultior prudentia, pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias offenſas velut ignorare videtur. §.288. n.2. & 3. p.354.355
Non tam mens, quàm Superioris oculi, ſubditorum explorent ingenia. paragr.40.n.5.p.60
Quod Moyſes Pharaoni perſuadere deſperat, inflictæ plagæ arcanè perſuadent. §.126.n.2. & 3. p.155.156
Otioſorum hominum machinaria arbitria diligentèr examinet: nam res factitia, diuerſiſſima eſt in ſe ipsâ, ac in factoris ideâ. paragr.42.n.2. & 3. p.62.63
Strenuos viros, quos viuentes contempſit, mortuos ſerâ pœnitentiâ lugebit.paragr 134.n.1 & 2.&c.p.163.164
Philiſthinorum Princeps retrorſum cadit, quia ibi cadit, vbi non videt: Iuſtus autem in faciem ſuam cadit, quia ibi cadit, vbi videt. paragr.333. n.2 &c. p.401. 402.
Celada *de Benedict. Patriarch.*

Capvt IX.

Scientia commiſſi à ſubditis reatus, eſt laudatior Prapoſiti ſollertia.

Subditi apud ignauum Præfectum, ſimiles ſunt ſupputationis calculis. paragr.40.n.1.p.59
Viſus potiùs quàm fallax auditus, teſtis adhibendus eſt. Ibi n. 2. & 3. Heli cæcus grauem filiorum culpam, venialem cenſet. paragr.40.n.4 p.60
Velis, & cenſebis, quod cenſere velis. paragr.76. n.1. & 2. &c. p.96. 97
Iniurioſa Superiori illata, crimen læſæ maieſtatis malitioſè nominatur. paragr.231.n.5.p.277
Qui inaurem vnam Superiori donat, non donat vtramque. paragr. 263. n.2.p.316.317
Nemo quamtumuis pius & ſapiens, ſuæ humanæ rationi tutò ſe credit. paragr.269.n.2. & 3. p.324.325
Quare Rex Saül, æmuli Dauidis Oculator dicitur. paragr.39. n. 2. Quin & prophetat aliena à communi ratione agentium, & dicentium. ibid. n.3.p.325
Sciat Superior, quòd diſtrictior delictorum inueſtigatio, ſæpè medicinam non facit, ſed vulnus exulcerat. paragr.29. n.2. &c. p.48. 49
Quin & indecori criminis accuſatio, aut infamem inuenit, aut facit §.377. n.1. & 2. & 3. & 4. p.446. 447

Capvt X.

Audacia ſiniſtræ ſuſpicionis in Præfectis caſtigatur.

Nonnulli ſic ſuis ſe credunt coniecturis, vt quod ob leuia ſæpè indicia credunt, reputent Euangelium. paragr.38 n.1. & 2.p.58. Ideò Samaritana Chriſtum ex indiciis credendum, ſuis propoſuit Samaritis. ibi n.4.p.58
Scelera, quæ curioſè ſuſpicioſa æmulatio in alio fingit, prophetiæ oculis inſpexiſſe ſibi videtur. paragr.39.n.1. & 2. & 3. p.59
Ne de alio ſiniſtrè iudicemus, præſumendum de illo eſt, quidquid boni Deus in illo poteſt facere. §.115.n.2. p.144. 145

Quin & tota arbitrij ... ctas exerenda eſt, ne de aliquo prauè iudicet. §.115.n.4.p.145

Quantum prauitatis in alio curioſis oculis videris, tantùm in te alius reprocâ pœnâ videbit. paragr.117 n. . & 3.p.146. 147

Iudicij audacter temerarij officina, Iudicantis maleuolentia eſt. § 225.n.2. &c. p.271

Vel leuis occaſiuncula in re libidinis, non leue ſuſpicionum ingerit incentiuum. paragr.363.n.2. & 3.p.433

Attentiori occaſionum præſcindendarum cautelæ debet Chriſtus Deus, nil æmulos Pontifices aduerſus eius modeſtiam ſuſpicatos. paragr. 366. n.2. & 3.p.435

Capvt XI.

Ne ſit ita candidè ſimplex, vt ſemel videatur totus.

SVblimior Poteſtas, callidè aſtutos è candidè ſimplicibus elaborat? paragr.198. n.1. &c. p.244. Inde in viro principe, ſemel fraudulentum fuiſſe, ſimplicitas reputatur. Inibi n.2. p.244

Aſtutè Ægyptius Rex ſuſpicioſam de Ioſepho cautelam, honore diſſimulat. paragr.198.n.3.p.244

Iſaacus, quem familiæ inaugurat Principem, præſentem non videt, etſi eidem futura præuideat. paragr. 203. n.1. & 2. p.249

Philiſthæus videns Dauidem, illum ignorat, quia inauguratum iam Principem videt. paragr.203. n.3.p.249

Sit ſecretorum tenax, animaduertens, quòd in occulto loquitur nihil, qui multa in ſecreto etiam loquitur. §.227.n.2.& 3.p.273. Nam qui ſuum ſecretum alicui credit, & ſecreti exigit fidem, publicationem ſæpè ſubornat. paragr.228.n 2. & 3.p.274

Cautè celet ſubditorũ defectus, ſcius, quòd publicatum ſcelus, patratori velut intimiùs corporatur, & obdurationem publicitate procurat. paragr.120 n.2.& 3.p.151. Porrò publicata infamia, fit ſæpè impudenter delinquendi licentia paragr. 127. n.2. & 3. & 4. p.156. 157

Capvt XII.

Amicitia, & cognatio, ſæpe Iudicis Rationem inuitiant.

EXimius amor, exaggeratior rei amatæ encomiaſtes eſt. §. 36. n.2. &c. p.56. 57. Inde non aduocatur amor in conſilium. paragr. 80. n.2. p.100

Amor ſic ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum eſſe videatur. paragr 190 n.2.& 3.p.236

Charitatis radio multitudo peccatorũ operitur. paragr.225.n.2.&c. p.271

Spiritus ſanctus, quia amor eſt, nuſquam ſedere, aut iudicare dicitur? paragr.225.n.4.p.272

Quàm ſit difficile cognatis imperare. paragr.329.n.2.p.398

Præfecti ſola cognatio, meritum eſt ad Præfecturas. paragr. 359. n.2.& 3. p.428.429

Quod in conferendâ Meſſiæ dignitate Senatores cognati erga Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationem. paragr.295.n.2.& 3.p.361.362

Iudex cognatus cognatione abſoluit. §.18.n.2.& 3. & 4.p.38.39. Fortaſſis inde Cognati dicuntur, ſuorum *ſubſiſtentia*. paragr.56.n.3.p.76

Anxiè præcauet rex Abimelech, ne grauiùs peccet cognatorum aliquis, eò quòd ſcit impunè peccaturum. paragr.18.n.3.p.38

Vnius fratris purpurâ, reliqui ſeptuaginta fratres ſplendidè fulgent. paragr.284.n.3.p.351

Capvt XIII.

Acceptio perſonarum, languor Iuſtitiæ eſt.

SOlis præſidentia, qui Præſidis idea proponitur. paragr.73. n.1.p.93. Lunę verò deuenuſtatur pręfectura; quia quod alterâ parte deeſt, ſemper aliis offert. ibid.n.2.p.94

Alicui reſeruari fructus ſibi interdictos, vaferrimè ſuggerit Euæ malus ſerpens. paragr.73.n.3.p.94

Illacrymat Ieſus quia ſolum Lazarum, & non mortuos omnes ſuſcitaturus erat. paragr.73.n.4.p.94

Anxiè

Anxiè timet Rex Abimelech, ne delinquat aliquis de genere ſuo, quia ſcit impunè peccaturum. paragr. 18. n.3 p.38
Quiſquis nobis proficuus eſt, à nobis habetur optimus. paragr. 18. num.4. p.38. 39
Boni Superioris idea in aqua apparet: quæ vnum corpus conflat, *æquale habet dorſum*: ipſa ſe præcedit; vrget, & ſequitur. paragr.60.n.2.& 3.p.80
Perniciosè ſibi perſuadet Superior, pauperculos & inualidos ſenſu carere; ſecùs diuites & nobiles. §.77. n.2. & 3. p 98
Summus omnium princeps Deus, eoſdem cibos & homini, & animantibus deſignat. §.92.n.2. & 3.p.113
Primus, id eſt, victor; *Secundus*, id eſt, victus. §.48. n.1. p.68. Inde nomen Primi & Secundi, pacatam concordiam inquietat. §.48.n.2. & 3. p.68
Fauori imputabitur, quod perſpectum aliquorum bonum aliquibus placeat? paragr.33.n.2. & 3.p.53.& 54
Moyſes, legis proculcatione, gratiam Ægyptij Legiſlatoris negotiatur. paragr.320.n.4.p.389
Qui minùs diligitur, relinqui dicitur. paragr.205.n.4.p 251
Regni proceres ſæpe ſupplicia neſciût, magno regni malo. paragr. 18. n. 3. p.38

Capvt XIV.

Quàm ſit hominibus pergraue, alteri ſubeſſe.

Domini nomen obſequium, & amorem auertit. paragr. 128. n.2. & 3. p. 158. Odia ſeruorum in Dominum. paragr.205.n.2.p.251
Nemini ſeruire, quàm omnibus imperare gratius eſt. paragr.223. num.2. & 3. p.269
Dira ſeruitus libertati de oppreſſione confinis eſt. §.224.n.2. & 3.p.270
Principes ęgrè ferût ab aliquo ſubditorum in aliquo ſuperari. paragr.20. n.2. & 3. p.41
In acerbiſſima oppreſſione, nec gemere populo licet, nec Deum orare iuuat. §.125.n.2. & 3.p.154.& 155
Quàm ſit ſubditis difficile, *Dominum* quaſi *Deum* colere. paragr. 128. n.2. & 3. p.158.
Priuatorum hominum munera, & obſequia, obliuionem Principi ſuggerunt. paragr. 164. num.1. & 2. & 3. p.203. & 204
Subditos negotiatores planè depauperat, cùm eos, bonorum recenſitione, opinione diuitiarum expoliat. paragr.165.n.2. & 3. p.204. & 205
Offenſi Principis iras, cælum priùs quàm terra veretur. paragr.231.n.6. p.277
Violenta ſubditorum oppreſſio, Redemptorem Deum, oppreſſionis vindicem expetit. paragr.335.n.2.p.404
Reges aliqui ambitione potentiæ, quos iniuſtè læſerunt, indè iniuſtiùs oderunt. paragr.375. n.2. & 3. p.444
Semper ſubdito licet meliorem eſſe, quàm eius Superior; nunquàm meliorem videri impunè licet. §.20.n.2. & 3. p.41
A Præfecto offenſo nullum ſubdito ſatis tutum aſylum eſt. paragr.231.n.2. p.276. 277
Quàm acerbè animum ſupplicantis excruciet, rei petitæ negatio. §.282. n.2. p.338. 339
Ad ſubditos radicitùs extirpandos de virtutis plantario, valde difficilem ſe præbeat religioſus Præſul. §.310. n.2. p.377
Plures pati Præfectos, eſt Ægyptiacæ oppreſſionis compendium. §.370. n.2. & 3. p.439
Quam ſubditus de Superiore victoriam reportat, pœnitenda & deflenda victoria eſt. paragr.381.n.2. & 3. p.450. 451
Aſt ſiderea præfectura, non tam Præfectum, quàm ſubditos illuſtres reddit. paragr.75. n.2. & 3. p.96

Capvt XV.

Terrenis regibus Rex cæleſtis imminet.

Dira ſeruitus libertati de oppreſſione confinis eſt. paragr.222.n.2. & 3.p.268
Regum flagitia indigentiam Redemptionis ſingulariter probant. §. 84. n.2. p.104
Ioannes Baptiſta redemptionis ſe probat Præcurſorem, obiurgans enormiſſima Principum ſcelera. §. 84. n.3. p.104

In violentâ oppreſſione, nec gemere populo licet, nec Deum orare iuuat. paragr. 125. n. 2. & 3. p. 154. 155. Sed violenti principis mentio, memoriam Propheris excitat Redemptoris. paragr. 335. n. 1. p. 403. 404
Dira populorum oppreſſio, Deum Saluatorem quàm matutè acceſſit. paragr. 335. n. 2. p. 404
Corporaturne Verbum diuinum, vt oppreſſos ab Herode liberet? §. 335. n. 3. p. 404
Celebratne Chriſtus finale iudicium, vt homines liberet ab Antichriſti oppreſſione? paragr. 335. n. 4. p. 404
Pœnitentia in Regibus peregrinari dicitur: & Lupiri nati putantur. §. 84. n. 5. p. 105. Etſi Principum malitia, malitiæ refuga ſit. §. 103. n. 3. p. 133
Quod Moyſes Ægyptio regi ſuadere deſperat, inflictæ à Deo plagæ arcane perſuadent. paragr. 126. n. 2. & 3. p. 155. 156
Dum Deus gratiâ ſuâ Reges præuenit, ne materiale peccati committant, illis parcere dicitur. §. 147. n. 4. p. 187

Capvt XVI.

Tribunalium vitia caſtigantur: & non boni Principum Miniſtri proſcribuntur.

CVm vitia proſunt, peccat qui rectè facit. paragr. 23. n. 2. & 3. p. 43
Paupertas litigantis, veritatem facit mendacem. paragr. 103. n. 3. p. 133
Inopia in tribunalibus, reatus damnabilis eſt. paragr. 231. n. 2. p. 276. 277
Caueat Iudex, ne dum reus vincula inaurat, eadem ſoluat. paragr. 278. n. 4. p. 335
Sciat Iudex, quòd carcer non tam eſt reorum cuſtodia, quàm præda. paragr. 379. n. 1. & 2. & 3. p. 448. 449
Impunis Notariorum furacitas, euerſionem regni portendit: acerbior eorum mulcta, populos felicitat. paragr. 319. n. 1. & 2. & 3. p. 387. 388
Indecori criminis mera accuſatio, aut infamem inuenit, aut facit. §. 377. n. 1. & 2. & 3. p. 446
A Iudice offenſo nullum ſatis tutum aſylum eſt. §. 231. n. 2. p. 276. 277
Regij Miniſtri, ſicut Pharaonis Magi, obſequij ſpecie regni plagas augent. paragr. 328. n. 2. p. 397
Principis nutus, ſæpè Curialium Doctorum extorquet ſuffragia. §. 267. n. 2. & 3. p. 322. 323
Ob regalium miniſtrorum auaram furacitatem, regnum tumultuat. §. 396. n. 4. p. 468
In re publicâ, adhuc iurata Magiſtratuum fides, ſuſpecta eſt. paragr. 396. n. 2. & 3. p. 467. 468

Capvt XVII.

Vltroneus adulatorum grex, procul eſt amouendus.

PRincipem eſſe, & effuſiùs laudari, antiqua ſynonyma ſunt. §. 313. n. 2. p. 381
Aulici adulatores in ſe culpam deriuant, ne Princeps culpandus videatur. paragr. 313. n. 3. p. 381. 382
Primus omnium, impius Cain munera Deo adulanter obtuliſſe legitur: inde repulsâ mulctatur. paragr. 300. n. 2. p. 367
Quiſquis vltrò ſe potentioribus inſinuat, ſuſpectus ambitionis ſit §. 70. n. 2. &c. p. 91
Non adulatione, ſed obſequio, ſubditi appropinquent Principi. paragr. 175. n. 1. p. 214. Hinc Moyſes Deo præſens, propiùs Deo accedit, dum longiùs ab eo mittitur. Ibi. n. 2. p. 215. Seraphini, obſequio citiùs quàm affectu fiunt proximiores Deo. §. 375. n. 3. p. 444
Ne Principis latus & aures, vnus aut alter vindicet ſibi. paragr. 357. n. 2. & 3. p. 426. 427
O, ſciat adulatorum grex, quod priuatorum hominum munera & obſequia, obliuionem Principum negotiantur. paragr. 164. n. 1. & 2. & 3. p. 203. 204

Capvt XVIII.

Otium iners Principem dedecet: ſine meritis ſordet purpura.

PRincipi Adamo ſpecies laboris in paradiſo indicitur, ne apud Principes præſcribat otium. §. 326. n. 2. p. 394
Attentiùs Rex ſuo regno conſulit, quàm fidèlior Priuatus. paragr. 358. n. 1. & 2. & 3. p. 427. 428

Nihil

Nihil agendo, malè agere perdiſcit in otij gymnaſio. §.326.n.1.p. 94

Princeps Sabbati dies quieti deſtinata, Dei benedictione, & ſanctificatione eget. paragr.326.n.3 p.395

Aliquid laude dignum agant Principes, qui ægrè ferunt ab aliquo ſubiectorum in aliquo ſuperari. §. 20. n.2. & 3. p 41

Eximia Principis virtus eſt, ſuum plenariè officium adimplere. §.133.n.1. & 2. p.162. 163

Salomon alicubi non dicitur Rex, quia alieno, id eſt, patris merito regnauit. paragr.183.n.2.p.222

Boni Superioris idea in aquis apparet: quæ vnum corpus conflat, æquale habet dorſum: ipſa ſe præcedit, vrget, & ſequitur. paragr.60.n.2.& 3. p. 80

Capvt XIX.

Aulicorum, & Curialium mores vituperantur.

AVlici Doctores, id eſt, collegium amicorum, duntaxat à Principe Abimelecio cenſuli dicitur. paragr.356.n.2 p.425

Mirúmne eſt, Iacobum in Regis aulâ tantiſper commoratum, patriæ cæleſtis non fuiſſe oblitum? paragr.389. n.2.p.459.460. Regiæ aulæ pericula. Ibi n.1. & 3.p.459. 460

Aulæ regiæ felicitas, quam communis ambitio ſuſpirat, ſæpè inimicorum vota ſunt. paragr.390.n.1.& 2.& 3. p.460.461

In regiâ Abimelechi Curiâ depretiatur Iſaacus, qui extra Curiam à Regibus honoratur, & ſublimatur. paragr.191. n.2.p.237

Frequens & populoſa ciuitas, vt regni, ſic & vitiorum metropolis eſſe ſolet. paragr.146.n.2. & 3. & 4. p.185. 186

Vir religioſus quaſi inquilinus peregrinetur in regum Curiâ. paragr. 171. n.1. & 2. pag.211. Hic dum è Curia exit, habilis putatur ad cælum. Ibid. n.3. p.211.

Capvt XX.

De Amicis, & Familiaribus Principum.

REgiis familiaribus ſumptuoſior poteſtas olim conceſſa. §. 359. n.1.p.428. Priuatus regis Abimelech, & poſſidet Regem, & eſt collegium amicorum. Ibi.n.2.

Priuatus Regum quondam erat Præfectus gynæcei. paragr.359.n.2.p.428

Dubiis Abimelechi regi dominaxat reſpondet Priuatus, id eſt, Collegium amicorum. paragr.356.n.3.p 426

Ioſeph Pharaonis Priuatus, erat velut Pater Regis, Réxque eius pupillus. paragr.356.n.4 p.426

Rex Pharao omnia permittit Ioſepho, tantúmque Regis nomen ſibi ſeruat. paragr.356 n.5.p.426

Pháraonis Priuatus dicitur, Amicus neceſſarius. paragr.356.n.4.p 426

Ne Principis latus & aures, vnus aut alter vindicet ſibi. paragr.357. n.2. & 3. p.426. 427

Attentiùs Rex ſuo regno prouidet, quàm fidentior Priuatus. paragr.358. n.1. & 2. & 3. p.427. 428

Regij familiaris gratia, ſententioſè dicitur, *Lutoſa*. paragr.360. n.2.p 429. Regum gratia vitrea eſt: facilèque periclitantur, qui Principibus famulantur. paragr.390.num.1.& 2. & 3. p.460. 461

Regij familiaris cognatio, & poſteritas, auitæ potentiæ rea eſt. paragr. 360. n.3. p 429

Mortuo Ioſepho, Regis familiari, filij Iſrael illuſtriùs creuerunt. §.183.n.4. p. 222

Regius familiaris, nil ſibi petat à Rege. paragr.282.n.3.p 338

Sublimius faſtigium ruinæ inſidiatur. paragr.132 n.2 & 3. p.161.162. Qui autem ſemel cadere incipit, gradiendo, non præcipitando deſcendere, rarum priuilegium eſt. paragr. 272. n.2. & 3. p.328

Capvt XXI.

Legum condendarum politia eruditur.

LEx dicitur, Hominis ſubſiſtentia. paragr. 56.n.2.p.76

Et

Et Pædagogia puerorum inſolentium. §.236.n.3.p.282
Dei populus à mulieribus purus, legem Dei iubetur accipere. paragr. 289. n.2.p.355.356
Subeat legis iugum princeps Adam, quò ipſe imperare ediſcat. paragr.82 n.3.p.102
Adamo vna arbuſcula prohibetur, vt omnium præbitorem agnoſcat.§.99 n.2.p.129
Multiplex Superiorum lex, non exarmat malitiam; ſed ſæpè ſubditos ad inobedientiam armat. paragr. 100. n.1. & 2. & 3. p.130
Homo cui diuinum præceptum imponitur, diuini honoris humanus arbiter conſtituitur. paragr.102.num.2. & 3.p.132
Obſequium obedientis, verum facit mandatum præcipientis.paragr.103. n.2. & 3. p.133
Superioris præceptum, diuinæ voluntatis character nominatur. §. 103. n.1.p.133
Dei præcepta, iis qui parêre reluctantur, Verba mendacia à Pharaone dicuntur. paragr.103.n.3.p.133
Legem vnam plures putare, inobedientiæ genius eſt. paragr.177. n.2. & 3. p.216. 217
Qui Superioris præceptum, velut diuinæ voluntatis characterem accipit, humanis ratiunculis illud eludere deſiſtit. paragr.181. num.2. & 3. p.220
Vel ad rem cupitam præcepto cogi, grauatè admodum ferre conſueſcimus. paragr.196.n.2. & 3.p.242
Legum abrogatio, arcanum parcendi genus eſt. paragr.236.n.3.p.282
Præcipientis exemplum, vigor præceptionis eſt ad ſequelam. paragr.255. n.1. & 2. &c. p.307. 308
Brutæ animantes arcano ſenſuum ingenio Dei iuſſa percipiũt.paragr.78. n.1. & 2. & 3. p.98. 99
Potentia ad benè operandum, arcana quædam lex eſt? paragr.89. num.4. p.110
Scientia imperandi, in parendi eruditur gymnaſio. paragr. 82. n.2. & 3. p.102
Dum Superior cibat ſubditum, eius obſequium alit. paragr.386.num.1. & 2. p.456

Capvt XXII.

Subditi ad obſequium vltrò trahendi ſunt.

Felix præcepti neceſſitas, quæ votis præſtat obſequium, dum liberæ iuſſioni ſeruit affectus. paragr. 55. n.3. p.75
Lex obedituro cognata, obſequium ſubornat. paragr.56.n.1.& 2.p.76.Inde homo è terra producitur, quia terræ cultura illi præcipienda erat. Ibi n.3. Et mari præcipitur obſequium, ad quod vi naturali propendet. §. 56. n.4.p.76
Vel ad rem cupitam, præcepto cogi, grauatè admodum ferre conſueſcimus. paragr.196.n.3. & 2.p.242
Obſequij ratio in animorum conſenſione ſita eſt. §.55.n.2. & 3. p.75
Sit Deus nobis velut noſtra mens, quò exactiùs in nobis Dei voluntas fiat. paragr.81. n.2. & 3. p.101
Spontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat. paragr.86.n.2. & 3. p.106.107. Nec habet Chriſtus quid dicat, vt declinet Patris mandatum? paragr.181.n.2.p.220
Aliquando obſequentis cunctatio, præcipientis pietati blanditur. §. 180. n.1. & 2. & 3.p.219
Benedictio Eſaü eſt, fratri Iacobo ſeruire? paragr.224. n.4. p.270
Quaſi auritæ forent ſubditorum manus, inauribus ad obſequium ornantur. paragr.263.n.2. & 3.p.316.317
Caſtitas obſequentis, obſequio adulatur. paragr.289.n.2. & 3.p.355.356
Obedire, cibari eſt, quin etiam & armari. paragr.386.n.3.p.456
Sciat Superior, quòd Cælum, id eſt, viri ſpirituales, aliquando moroſiùs obediunt. paragr.52.n.2.p.71.72

Capvt XXIII.

Sit pronus ad clementiam: nam benignitas & humanitas eſt Præpoſitorum elogium.

Iudex meritò dicitur iuſtus, quia pius: quaſi pietas ex iuſtitiâ debeatur. paragr.9.n.1. & 2.pag.29. Vnde Hebraicè Iuſtitia eodem nomine ac Miſeri

Miſericordia deſignatur. parag. 9. n 3. p.30
Benignitatis lex ominium eſt, in ſe ipſo experiri rigores, quibus alios addicit. paragr.254. n.2. & 3. p 307
Siderea præfectura non tam Præfectos, quam ſubditos claros reddit. §.75. n.2. & 3. p.96
Sollers cura erga infima & abiecta, habetur prouidentiæ clauſula & integritas. paragr.91.n.2.p.111.112
Dum Superior ambit ſubditos, eorum obſequium alit. paragr. 386.num.1. & 2. & 3. & 4. p.456. 457
Rex Nabuchodonoſor herbis alligatus, eas non extirpat, ne ſubditos eradicet. paragr.310.n.2.p.377
Ob communem ſubditorum vtilitatē, gloriæ ſuæ cedat. paragr.74.num.2. & 3. p.95
Dominus, per beneficentiam Deus agnoſcitur. paragr.3.n.5.p.13
Summus omnium princeps Deus, quaſi lege de humanitate latâ, debitor eſt clementiæ. paragr.9. n.3. p.30
Supplicij minæ, ſupplicij meritum ſine ſupplicio redimunt. paragr.111.n.1. & 2. p.140.141
Legum abrogatio, anticipata venia eſt. paragr.236.n.3 p.282
Miſericordia diuina, eſt diuinæ Iuſtitię idea. paragr.312 n.9. p.380

Capvt XXIV.

Nimia Superiorum ſeueritas, regimen deprauat.

NE putet, pauperculos & inualidos ſenſu carere. paragr.77.num.2. & 3. p.98
Peracerbus ſolet eſſe Superior, qui in ſe ipſo non experitur rigores, quibus ſubditos ſeuerè addicit. paragr.254. n.2. p.307. Porrò in rubo eſt Deus, dum calceamenta in rubeto deponi iubet. Ibi num.2. Item, In rubo eſt, qui ad ſpinas & tribulos hominem damnauit. paragr.254. n.3. p.307
Aſpera Gubernatorum ingenia, ingratiam & irreuerentiam arbitratu negotiatur. paragr.394. num.2. p.465. Inde vorax rubi ignis, etſi quodammodò Angelificatus, conſultiſſimè mutus dicitur. Ibid.n.3.p.465
Venenum, quod ſerpens Gubernator in alienam perniciem profert; ſine ſuâ continet. paragr.394.n.4.p 465. 466
In acerbioris ſupplicij terrore, diuinæ clementiæ leguntur characteres. paragr.106. n.1. & 2. p.136
Seuerioris ſupplicij rigores Deus abſcondit, quasi ſuæ iuſtitiæ bonum erubeſcat. paragr. 109. num.1. & 2. pag.138
Supplicium occultum, medicinæ eſt; publicum ſæpè obdurationem de infamiâ procurat. paragr.120. num.2. & 3. p.151
Iudæ flagitium, quia omnem menſuram excedit, ipſe in ſe dignè caſtigat. paragr.285.n.2.p.351
Supplicium de manu hominis, acerbius venit; idem verò de manu Dei mitius euadit. paragr.369.num.2. & 3. p.438. 439
Iuſtitia diuina Miſericordiam æmulatur. paragr.312.n 1. p.379.380
A crudelitate vindicatur Deus; cum Sacerdotum flagitia punit. § 208. n.2. p.253. 254
Subditorum in ſuperiorem odia. §.205. n.2. p.251
Minimè verò ad ſtrictiorem remittat diſciplinam, ob malignam vituperonum cenſuram. paragr.69.num.1. & 2. p.89. 90
Verùm ſubditorum repulſa, ſæpè Superiorū opinioni ſuffragatur. §. 370. n 2. p.439
Quod Moyſes Pharaoni perſuadere deſperat, inflictæ plagæ arcanè perſuadent. paragr.126. n.2. & 3. p.155 156

Capvt XXV.

Qualis debeat eſſe Superior erga ſibi infenſos.

SCiant Superiores, quòd agnatum hominibus eſt, depretiare eos, qui nos læſerunt. paragr. 212. n. 2. & 3. p.258
A Præfecto offenſo nullum ſubdito ſatis tutum aſylum eſt. paragr.231.n.1. & 2. & 3. p.276. 277
Tota Dei omnipotentia cum auxiliatrice miſericordia, contra offenſum Præfectum à Iacobo inuocatur. paragr.231.n.4.p.277
Iniuria Superiori illata, quaſi crimen læſæ maieſtatis reputabitur, ad malitiæ

litiæ exaggerationem. §. 231. num. 5. p. 277
Offenſi Principis iras, Cælum prius quàm terra timere videtur. §. 231. n. 6 p 277
Potentes ambitione potentiæ, quos iniuſtè læſerunt, inde multiùs oderunt. paragr. 375. n. 2. & 3. p. 444
Quam ſubditus de Superiore victoriam reportat, pœnitenda, & deflenda victoria eſt. paragr. 381. n. 2. & 3. p. 450. 451
Superiores ægrè ferunt ab aliquo ſubditorum in aliquo ſuperari. §. 20. n 2. & 3. p. 40
Eccur Principes ſuis Miniſtris non ſuccenſent, qui ſæpè plagas regni augent, ſicut Pharaonis Magi? §. 328. n. 2. p. 397
Ioſeph Præfectorum norma, pro malis non tantùm bona donat, ſed reſtituit. paragr. 62. n. 2. p. 82. Hinc dona largitur fratribus, quæ reſpondeant offenſis. paragr. 62. n. 3. p. 82
Eſtne Chriſto Deo cauſa gratiæ donandæ, compenſare mortis iniuriam? paragr. 62. n 4. p. 82
Verùm prælustris honor vindictâ periclitatur, non aſſeritur. paragr. 299. n. 2. p. 365. 366
Iacob veniam non rogat pro filiis proditoribus, ne ſuum Ioſephum eiuſmodi petitione deuenuſtet. §. 299. n. 3. p. 366
Chriſtuſne per concordiam ſui generis, ad pacem peruenit Deitatis? paragr. 372. n. 3. p 441
In iram principis Adæ, ratio inſpiratur. paragr. 309. n 2. p. 378
Quin & conſultior Antiſtitis prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias offenſas velut ignorare videtur. paragr. 288. n. 2. & 3. p. 354. 355

Capvt XXVI.

Cautela reprehenſionis, artificium eſt emendationis.

TEmpeſtiua reprehenſio, ſcelerum ſepulcrum eſt. paragr. 395. n. 5. p. 467
Paterna defectuum increpatio, emendationem prophetat? paragr. 395. n. 4. p. 466
Præmonere, & reprehendere, aliena non ſunt à paternis Benedictionibus. paragr. 395. num. 3. pag. 466
Apoſtolos nuper incredulos, poſt opportunam reprehenſionem, fidei magiſtros Chriſtus conſtituit. §. 395. n. 2. p. 466
Flagitium poſt beneuolam correptionem patratum, & iuſtitiam irritat, & miſericordiam exacerbat. §. 104. n. 1. & 2. p. 134
Deſperátne Cainus, quia Dei admonitionem parricidio cõtempſit? §. 104. n. 3. p. 134
Homo qui iratum corripit hominem, fruſtrat correptionis fructum. § 308. n. 2. & 3. p. 375. 376
Procùl etiam à regia Curiâ reprehendit Ioannes enormiſſima Regum flagitia. paragr. 84. n. 4. p. 104. 105
Ille efficaciter ſuadet, quem cùm videas, & cùm audias, idem eſt. §. 351. n. 1. p. 420. Inde ſterilis eſt Philoſophorum adhortatio; quia ex ſententiâ venit, non è vita. Ibid. num. 2. p. 420. 421.

Capvt XXVII.

Liberalitatem colat: in quâ opportunè reſonet Iuſtitiæ nomen.

CÆlum, ſi immunificum foret in terram, auguſtum Cęli nomen erubeſceret. Inde ſimul cum terrâ conditum eſt, paragr. 3. n. 1. & 2. p. 22
Regis Chriſti liberalitas, eſt eius plenitudo, & notio? paragr. 3. n. 3. & 4. p. 22. 23
In re liberalitatis, opportunè Iuſtitiæ nomen auditur. paragr. 5, n. 2. & 3. p. 25. Eximia liberalitas, quod iuſtum fuerit, munificè donat. Ibid. n. 4. p 26
Donatio vltra neceſſitatem, ſublimioris gloriæ procurat auctarium. §. 68. n. 1. & 2. &c. p. 88. 89
Creaturæ à Deo homini donatæ, gratiores Deo apparent, poſtquam donatæ ſunt? §. 95. num. 2. p. 116. 117
Regia manus meliùs donatiuo ſplendet, quàm ſceptro. paragr. 95. num. 1. p. 116
Præfectorum eſculenta abundantia, vrbanè ſuadet attentiorem erga alendos ſubditos prouidentiam. §. 376. n. 2. & 3. p. 445.

Capvt XXVIII.

Cùm nil inconſultum decernere fas ſit, quales debeat Conſultores aſciſcere.

Homo non eſt bonus ſui Conſiliarius. Inde abſtrahendum eſt conſilium à collegio carnis. §. 80. n.2. p.100

Verbum diuinum, quia Ratio eſt, potiùs quàm Spiritus-ſanctus, qui Amor eſt; à Patre Deo conſuli dicitur? paragr.80.n.3.p.100

Quàm ſint homines propriæ ſententię tenaciter peramantes, quamuis ſæpè ſine ratione. §. 268. numer.2. & 3. p.323. 324. Inde Sapientum nemo ſuæ humanæ ration. tutò ſe credit. paragr.369.n.2.&c.p.438

Eximia laus canæ ſapientiæ eſt, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla. paragr.342. n.1. & 2. & 3.p.411.412

Aulicorum fides in obſequium ſeruile ſubmittitur? paragr.267.n.1.p.322. Inde nunquam Princeps incomitatus in ſententiam it: Imò eius nutus curialium doctorum extorquet ſuffragia? Ibidem num.2. & 3. p.322. 323

Ne Princeps falſa ſupponat, aut proponat Conſultoribus, vt eorum conſenſum extorqueat. paragr.141. n.1. p.180

Regum dubiis tantùm reſpondet Collegium amicorum? Reſpondeat etiam qui Regum obſequia non exambit, ſed ſapientiam ſeuerius tractat. paragr.356.n.3 p.426

Velis, & ſenties, quod ſentire velis. §.76.n.1.& 2.& 3.p.96.97

Quiſquis nobis proficuus eſt, cenſetur optimus. paragr.18.n.4.p.38.39

Capvt XXIX.

Electionum politia eruditur.

Sciant Electores, quòd qui de ſuo, etſi modicè ornatur, vt terra, adſcititios, cæli fulgores æmulari poteſt de præſtantiæ merito. §. 63. n.1.& 2. &c. p.83.84

De honoratis benemeriti ſtipendiis, *Celada* de Benedict. Patriarch. homo inferioris meriti honeſtandus eſt; ne ille arroganter turgeat, hîc tabeſcat ſqualidè. paragr.64.n.2. & 3. p.84

Vel ſuperuacuâ cõmemoratione oportet electi æmulum honorare. §.216. n.3.p.262.263

Velis, & ſenties, quod ſentire velis. §76.n.1. & 2. & 3. p 96.97

Ergo non affectus, ſed Ratiò aduocanda in conſilium eſt. paragr.80. n.2. & 3. p.100. Nam affectus ſic Rationem ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum cenſeatur. paragr.190. num.2. & 3. p.236

Præſul eligendus, ætatis, eruditionis, & meritorum indiget ſuffragio. §.83. n.1. & 2. & 3. p.103

Etſi merè grandior ętas in electionibus reprobatur. paragr.261. num.2 &c. p.314.315. Nam abiectis primogenitis, natu minimos Deus eligit. paragr.261.n.2. & 3. p.314 315.

Quòd in conferendâ Meſſiæ dignitate, Senatores cognati erga ſuum Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationem. paragr. 295. n.2. & 3. p.361. 362

Sciant Electores, quòd Candidatus, qui ſe ſolum putat idoneum ad præcelſum munus illud faſtidire ſolitat: ſecùs ſi ſciuerit, alios æquè idoneos cenſeri. paragr.329.n.2. & 3.p.398

Diuina, non humana electio, quem non inuenit dignum, facit. §.270. n.2. & 3. p.325. 326

Præambulum Electorum examen, priùs trutinet merita Candidati. paragr.102 n.2. & 3. p.248

Heu, fauori imputabitur, quod perſpectum aliorum bonum placeat! §.33. n.2. & 3. p.53. 54

Non lateat Electores, quòd non Dignitatum negotioſa ambitio; ſed fuga, & repulſa, meritum eſt ad Dignitates. paragr. 157. num. 2. & 3. p.196. 197

Præfectura ingenio negotiationis partâ, vix computatur ad honorem paragr.150. n.2. & 3. p.302. 303

Primogenitus Manaſſes, cui dextera negotioſè procuratur, duplici dehoneſtatur ſiniſtrâ. paragr.261.n.4. p.315

Vide verbo, *Meritum*, & verbo, *Hypocriſis*, in Indice rerum.

Capvt XXX.

Quæ ſit praua, & quæ proba Candidatorum ambitio?

ARrogantior honorum ambitio, eſſe ſolet inhonorę abiectionis ſequela. §.44.n.2.&c.p.63.64. Ambitionis artificium eſt, ſe vltrò Potentioribus ingerere. paragr.70.n.2. &c. p.91

Vitium ſæpè virtuti præit ambitioſa oſtentatione merendi. paragr.19.n.1. & 2. p. 39. Ergo præambulum Electorum examen, attentiùs trutinet merita Candidati. paragr. 202. n.2. & 3. p.248

Primogenitus Manaſſes, cui ſollerter Dextera procuratur, duplici deuenuſtetur ſiniſtrâ. §.261.n.4.pag.315

Cognatio cum Senatoribus, ſeriò Dignitates exambit, cognationis merito. paragr.295. n.2. & 4. p.361. 362

Sat gloriæ eſt honorum cupidis, ſi cum potiſſimis comparentur. paragr.328. n.2. & 3. p.379

Qui ſe ſolum putat idoneum ad præcelſum munus obeundum, illud faſtidire ſolet: ſecùs ſi ſciuerit, alios æquè dignos cenſeri. paragr. 329. n.2. & 3. p.398

Quiſquis putat rempublicam eius peritiâ indigere, ineptus eſt ad Dignitates. paragr.382.n.2.& 3.p.451.452

Religioſus non benè Mortificationis arbitrio Dignitates mercatur. §.393. n.2. p.463.464

Præfectura ingenio negotiationis parta, vix computatur ad honorem. paragr.250.n.2. & 3 p.302.303

Honorum repulſa, eſt pia Sanctorum ambitio. paragr.157.n.1. & 2. & 3. p.196. 197

Domeſtica virtus receſſu contenta, piè negotioſa Dignitatum ambitio ſit. paragr.202. n.2. & 3. p.248

Obſtinata Dignitatũ recuſatio, Deum velut contentioſum facit, vt illam Dignitatem ſublimet? paragr.338. n.2. & 3. &c. p.407

INDEX

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,
quæ in hoc Opere ad mores exponuntur.

§. paragraphum deſignat : n. numerum denotat marginalem : p. paginam indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

Cap. 1. v. 1. IN principio creauit De' cælum & terram. §. 1. n. 1. & 3. p. 20. 21. Et §. 2. num. 2. & 3. p. 21. Et §. 3. num. 1. pag. 21. Et §. 5. n. 2. & 3. p. 25. Et §. 7. n. 4. p. 28. Et §. 11. n. 4. p. 31. Et paragr. 14. n. 2. p. 34. Et paragr. 15. n. 4. p. 35. Et §. 18. num. 4. p. 38. Et paragr. 36. num. 2 p. 56. Et §. 48. n. 3. p. 68. Et paragr 49. num. 3. pag. 69. Et paragr. 88. num. 1. pag. 108. Et paragr. 148. n. 2. p. 187. 188. §. 280. n. 2. pag. 336. §. 367. n. 2. p. 436

2 Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. §. 17. n. 2. p. 37. Et paragr. 20. num. 2. p. 40. Et paragr. 22. n. 2. p. 42. Et paragr. 23. n. 3. p. 43. Et paragr. 24. n. 3. p. 44. Et §. 27. n. 2. p. 46. Et §. 188. n. 3. p. 234

3 Dixitque : Fiat Lux. Et facta eſt Lux. paragr. 28. num. 2. & 3. p. 47. Et §. 19. n. 2. p. 48. Et paragr. 37. n. 3. & 4. p. 57. Et paragr. 102. n. 2 p. 132

4 Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona. paragr. 29. n. 4. & 5. p. 49. Et paragr. 32. n. 3. p. 52. Et paragr. 33. n. 2. pag. 53. Et paragr. 34. n. 1. p. 54. Et paragr 36. n. 4. p. 57. Et paragr. 42. n. 2. p. 62. paragr. 201. n. 3 p. 248. paragr. 304. n. 3. p. 371

5 Factumque eſt veſpere & manè, dies vnus. paragr. 34 n. 2. p. 54. Et §. 46. n. 2. p. 66. Et paragr. 47. n. 3. p. 67. Et §. 48. n. 2 p. 68. Et paragr. 49. n. 2. p. 69

6 Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. paragr. 31. n. 3. p. 51. Et §. 52 n 2 p. 71. 72

9 Congregentur aquæ... & appareat arida. paragr. 57. n. 2. & 4. p. 77. Et §. 58. num. 2. p. 78. Et paragr. 60. num. 3. p. 80. Et §. 61. n. 2. p. 81. Et §. 324. n. 5. p. 393

11 Germinet terra herbam virentem, &c. paragr. 63. num. 2. p. 83. Et paragr. 64. n. 2. p. 84

12 Et protulit terra herbam virentem, &c. §. 34. n. 3. p. 54

14 Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem. §. 66. num. 2. p. 86

16 Fecitque Deus duo luminaria magna. Luminare maius, vt præeſſet diei, &c. p. 68. n. 2. p. 88. 89. Et paragr. 70. num. 3. p. 91. Et paragr. 72. n. 3. p. 93. Et §. 73. n. 2. p. 94. Et paragr. 75. n. 2. & 3. p. 96. Et paragr. 76. n. 4. p. 97. paragr. 355. n. 2. p. 424

20 Producant aquæ reptile animæ viuentis, &c. paragr. 77. n. 2. p. 98

22 Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris. paragr. 78. n. 2. pag. 98. 99. Et §. 79. n. 2. p. 99

26 Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, &c. §. 42. num. 3. p. 62. Et paragr. 80. num. 3. p. 100. §. 312. n. 6. p. 380

28 Creſcite, & multiplicamini. paragr. 89. n. 4. p. 110.

29 Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. paragr. 92. n. 2. pag. 113. Et 236. num. 3. p. 82

31 Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. paragr. 34. n. 4. p. 54. 55. §. 91. n. 5. p. 114. Et §. 95. n. 2. p. 116. 117. Et §. 96. n. 2. p. 117

Cap. 2. v. 1. Perfecti ſunt cæli & terra, &c. §. 27. n. 3. p. 47

2 Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, &c. §. 16. n. 2. p. 36. paragr. 50. n. 4. p. 70. paragr. 116. num. 4. p. 146. paragr 234. n. 2. p. 280. Et §. 242. n. 4. p. 294. Et paragr. 326. num. 3. & 4. p. 395

3 Quod creauit Deus vt faceret. §. 16. n. 4. p. 36

4 In die, quo fecit Dominus Deus, &c. §. 128. n. 3. p. 158

7 Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ. paragr. 44. n. 3. p. 64. §. 56. n. 3. p. 76. paragr. 87. n. 2. p. 107. §. 276. n. 1. p. 332

7 Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, &c. §.81. num.2. & 3. p.101. Et paragr.136. num.5. paragr.174.§.109. n.2.p.376

15 Tulit Dominus Deus hominem,& poſuit eum in paradiſo voluptatis, &c. paragr.57.num.4.p.77. paragr.163.n.4. p.203. paragr.279.n.2. p.335. §.326. n.2.p.349

16 Ex omni ligno paradiſi comede, &c. paragr.54.n.2. p.74. paragr.82. num.3. p.102.paragr.102.num.3.p.1 2.§.251. num 2. pag.303. paragr.366. numer.2. p.456

17 De ligno ſcientiæ boni & mali, ne comedas,&c.paragr 25.num.3 p.45.§.30. num.2.p.49.paragr.99.num.2.pag.129. paragr.274.n.2.p.330

18 Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, &c. paragr.339.n.2.p.407.408

18 Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. paragr.2 .9.n.3.p. 85

19 Vt videret quid vocaret ea. paragr.40. n.5.p.60.61.Et paragr.205.n.2. p.251. Et paragr.239. n.4. p.285. 286.§.29 . n.1.p.357

20 Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius. paragr.85.n.2.p.105

21 Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam. paragr.211.n.2.p.257

23 Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c. paragr. 93.n.6. p.115. Et paragr. 240. n.1. & 2.p.286

24 Quam ob rem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ,&c.paragr.205.n.3.& 4.p.251

Cap. 3. v.2. Cur præcepit vobis Dominus, vt, &c paragr. 3.n.2.p.94.paragr.341.n.1. p.410

3 Et ne tangeremus illud.paragr.177.n.3. p.217

5 Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum. paragr.265.n.5.p.321

6 Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum. paragr.79. n.1. p.100. paragr.219.n.2.p.265.§.341.n.3. p.410

7 Et aperti ſunt oculi amborum, cumque cognouiſſent.....Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.paragr.220. num.3.p.266.267. paragr.341. num.4. p.410

14 Terram comedes, &c. paragr.188.n.5. p.2 5

15 Ipſa conteret caput tuum. paragr.221. n.2.p.167

18 Spinas & tribulos germinabit tibi. paragr.254.n.3.p.307

20 Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Eua. paragr.258.n.2.p.311

24 Eiecitque Adam,& collocauit ante paradiſum.... Cherubim, & flammeum gladium. paragr.85.num.4.pag.106. Et paragr.249.n.3.p.302

Cap. 4. v.3. Vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. paragr.19. n.1.p.39. paragr.300.n.2.p.367

4 Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſuis. paragr. 170. numer.1. pagin.210

5 Ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit. paragr.204. n.3. p.150.§.300. n.2. p.367

5 Iratuſque eſt Cain vehementer. §.124. n. .p.154.§.230.n.2.p.276

6 Quare iratus es? & cur concidit facies tua? paragr.104.n.3.p.134

7 Nonne ſi bene egeris, recipies? §.214. n.2.p.260.§.308.n.2.p.375

7 Statim in foribus peccatum tuum aderit. paragr.120.num.2.p.149. Et §.190. n.2.p.237

9 Num cuſtos fratris mei ſum ego? paragr.375.n.3.p.444

14 Ero vagus, & profugus in terra, &c. paragr.276.n. .p.332

15 Dixitque ei Dominus: nequaquam ita fiet. paragr. 8 .n.2.p. 38

17 Et ædificauit ciuitatem,vocauitque,&c. paragr.146.n.3. p.185.186.paragr.257. n. .p.310

23 Septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech verò &c. §.54.num.3.pag.74. Et paragr.325. n.2.p.393

Cap. 5. v. 1. Hic eſt liber generationis Adam, &c. paragr 257.n.2.p 310

6 Et cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum. paragr.105. num.4. p.135. §.344.n.1.p.413

Cap. 7. v. 13. In articulo diei illius. paragr.50. n.2.p.69.70

Cap. 8. verſ.1. Recordatus autem Deus Noë, cunctorumque animantium, &c. §.97. n.2.p.127

13 Aperiens Noë tectum arcæ, aſpexit,viditque quòd exſiccata eſſet ſuperficies terræ. paragr.67.n.2.p.87

Cap. 9. verſ.3. Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum. paragr.236.n.3. p.282

13 Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis. paragr.105.n.2. & 3.p.135. paragr.106.num.2.pag.136. paragr.107.n.3. & 4.p.137.paragr.111. n.2.p.140

23 Facieſque eorum auerſæ erant. §.118. n.2.p.147.148

26 Benedictus Dominus Deus Sem. §.131. n.2.p.160.161

27 Dilatet Deus Iaphet. paragr. 132. n.2. p.161.162

*Cap.*11. v.4. Faciamus ciuitatem,& turrim,cuius culmen pertingat in cælum. §.197. n.2.p.243

4 Et celebremus nomen noſtrum. §.257. n.4.p.310.311

30 Erat autem Sara ſterilis,&c. §.166.n.3. p.206

*Cap.*12. v.1. Egredere de domo tua, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui. paragr.135. n.2. p.173. paragr.137.n.2 & 3. p.174.175. §.146.n.1.p.185

3 Faciamque te in gentem magnam, paragr.150.n.3. p.190. paragr.158.n.3. p.197.198. §.337.n.2.p.406

6 Cúmque veniſſet in eam, pertranſiuit Abram terram vſque ad locum Sichem. paragr.132.n.3.p.162

17 Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, &c. §.173.n.2.p.213

18 Salutare tuũ expectabo Domine. §.337. n.2.p.406
19 Gad accinctus prœliabitur ante eum, &c. §.339.n.2.p.407.408
20 Aſer pinguis panis eius, &c.§.345.n.3. p.414.415
22 Filiæ diſcurrerũt per murum. §. 363. n.3.p.432
24 Diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius. paragr.278. numero 4. p.335.§.379.n.1.p.449
24 Inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſraël. §.386.n.3.p.456
28 Benedixitque ſingulis, benedictionibus propriis. paragr.395.n.3.p.466
Cap.50. v.2. Præcepit ſeruis ſuis Medicis, vt aromatibus condirent eum. paragr.241. n.1.p.293
3 Quibus iuſſa explentibus, tranſierunt quadraginta dies. §.269.n 2.p.324
4 Locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis, &c, paragr.281, n.3.p.338.339
7 Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis.paragr.198.n.3. p.244.§.373.n.3.p.442
10 Veneruntque ad aream Atad.... vbi celebrantes exequias, &c. paragr.399.n.2. p.470.471
15 Ne forte memor ſit iniuriæ, &c. §.232. n.3.p.278
17 Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris, &c. §.299.n.3.p.366
17 Nos quoque oramus, vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatẽ hanc. §.231. n 5.p.277
17 Quibus auditis, fleuit Ioſeph. §. 299. n.4 p.366
25 Aſportate oſſa mea de loco iſto. §.277 n.2.p.333

Ex Exodo.

Cap.1. verſ.6. Quo mortuo.... filij Iſraël creuerunt, &c. paragr.183 n 2.p.222
8 Surrexit interea Rex nouus, &c. §.32. n.1. p.52. §.164. n.3. p.204.§.185.n.3. p.231.§.360.n.3.p.429
10 Venite, ſapienter opprimamus eum. paragr.267. n.3. p.323. paragr.370.n.3. p.439
10 Expugnatiſque nobis egrediatur de terrá. paragr.142.n.2.p.180.181
13 Oderantque filios Iſraël Ægyptij, &c. paragr.360. n.2. p.429. Et paragr. 374. n 2.p.443
15 Quando obſtetricabitis Hebræas, &c. §.368.n.4.p.417.418.
22 Quicquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite. §.11.n.1.p.31
Cap. 2. v. 1. Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui. paragr.129.n.2 p.158.159
3 Cúmque iam celare non poſſet, &c. paragr.129.n.3.p.159
5 Miſit vnam de famulabus ſuis, &c. §.259.n.2.p.312
9 Accipe puerum iſtum, & nutri mihi. §.55.n.3.p.75
10 Quem illa adoptauit in locum filij. §.320.n.4.p.389
14 Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos. paragr.370. n.2. p.439
15 Qui fugiens de conſpectu eius, &c. §.127.n.3.p.196
23 Mortuus eſt rex Ægypti, & ingemiſcentes, &c. §.125.n.2.p.154.155
Cap.3. v.2. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis. paragr.259.num.3. p.312.§.394. n.2.p.465
2 Et videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur. paragr.35.n.2.& 3.p.55. §.254 n 3 p.307
5 Solue calcamẽtum de pedibus tuis,&c. §254 n.2.p. 307
6 Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. paragr.352.num.2.p.421.§.394. n.3.p.465
6 Abſcondit Moyſes faciem ſuam. §. 26. n.2.p 46
8 Et educam de terra illa in terram ſpatioſam, &c §.158.n.2.p.197
9 Clamor ergo filiorum Iſraël venit ad me. paragr.311. n 4.p.379
10 Veni, mittam te ad Pharaonem, &c. §.167.n.2.p.207.§.175.n.2.p.215
12 Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis ſuper montem iſtum. §.163.n.2.p.203
14 Ego ſum, qui ſum. §.47.n.4.p.67
18 Ibimus viam trium dierum, &c. §. 51. num.2. & 4. pag.70. 71. Et paragr.139. n.2. p.177
21 Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis. paragr.135.n.2.p.172.173
Cap.4. v.3. Proiice eam in terram: proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.paragr. 108.n.3.p.138.Et §.157. n.2 p.196.197.§.338. n.2 p.407.§.394. n.4.p.465.466
5 Vt credant,quòd apparuerit tibi Dominus Deus, &c. §.24.n.1.p.44
10 Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius. §.352. num.3. p.422
11 Quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum? paragr.349.n 4.p.418
12 Et ego ero in ore tuo, &c. §. 347. n.2. p.416
13 Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es, &c. paragr.319. n.2. p.398. §.338. n.1. p.407
14 Iratus Dominus in Moyſen, ait: Aaròn frater tuus, &c. paragr.71. n.2. pag.92. §.351.n.4.p.421
17 Virgam quoque hanc ſume in manu tua, &c. paragr.348.n.2.p.417
19 Mortui ſunt omnes, qui quærebant animam tuam. paragr.267. n 2. p. 322. 323
24 Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. paragr.108.n.2 p.137
26 Sponſus ſanguinum tu mihi es. §. 47. num.2. pag.67. Et paragr.179. numer.2. p.218
Cap.5. v.1. Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto. paragr.139. n. 2. pag.176. 177. Et paragr.248.n.2.p.300. 301
2 Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. paragr.4.n.2.pag 23. Et §.126.n.2. p.155. 156

Vt

3 Vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem. §.103.n.2.p.133
6 Præcepit in die illo Præfectis operum, & exactoribus populi. §. 319. num. 2. p.387.388
9 Vt non acquieſcant verbis mendacibus. §.103.n.3.p.133
14 Flagellatique ſunt, qui præe.ai e operibus. §.319.n.3.p.388
15 Cur ita agis contra ſeruos tuos ? &c. §.373.n.2.p.442
Cap.6. v.3. Et nomen meum Adonaï non indicaui eis. paragr.98. n.3. p.128. §.283. n.2.p.350
6 Ego Dominus, qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum. paragr.377. n.4. p.446. 447
9 Qui non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus. paragr.224. n.2. & 3. p.270
Cap.7. v.1. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. §.7.n.2.p.27
1 Et Aaron frater tuus erit propheta tuus. §.41.n.1.p.61.§.268.n.3.p.324
3 Ego indurabo cor Pharaonis.§.103.n.1. p.133. Et §. 120. n.3. p.150. Et §.181. n.3. p.220
9 Cúmque dixerit vobis Pharao: Oſtendite ſigna, &c. §.70.n.2.p.91
10 Quæ verſa eſt in colubrum, &c. §.76. n.2.& 3. p.97. Et §.157.n.3.p.197
11 Proiceruntque ſinguli virgas ſuas,quæ verſæ ſunt in dracones.&c. paragr.201. n.2.pag.247. paragr.328.n.2.& num.3. p.397
12 Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. paragr.186.n...n.232
Cap.8. v.3. Et ingredientur domum tuam, & cubiculú lecti tui, &c.§.387.n.2.p.457. 458
10 Qui reſpondit: Cras. paragr.101.n.3. p.131
23 Ponamque diuiſionem inter populum meum, &c. §.148.n.3.p.188
Cap.12. v.35. Dedit autem Dominus gratiam populo, &c. paragr.190.n.2.p.236
Cap.14. v.28. Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt, &c. paragr.294.n.3.p.361
Cap.16. v.15. Quod cùm vidiſſent filij Iſraël, dixerunt ad inuicem Manhu? §. 114. n.2. p.143.144. §.298. n.2.p.364.365. §.371.n.2.p.440
19 Nullus relinquat ex eo in mane. §.99. n.3.p.129
22 Die autem ſexta collegerunt cibos duplices. paragr.321.n.3.p.390
Cap.19. verſ.1. Venerunt in ſolitudinem Sinaï. §.146.n.2.p.185
15 Et ne appropinquetis vxoribus veſtris. paragr.289.n.2.p.355.356
16 Et ecce cœperunt audiri tonitrua, &c. paragr.100. n.2. p.130. Et paragr. 255. n.3.p.308
Cap.20. v.18. Cunctus autem populus videbat voces. paragr.35. n.4. p.55. §.255. n.1. p.307. 308
Cap.22. v.28. Diis non detrahes. paragr.148. n.2. p.186. 187. Et §.217. n.3.p.264
Cap.26. v.35. Menſa enim ſtabit in parte Aquilonis. paragr.345.n.1.p.414
Cap.31. v.18. Deditque Dominus Moyſi... duas tabulas teſtimonij. §.100.n.3 pag.130. §.305.n.1 p.372
Cap.32. v.4. Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. paragr.4. n.6. pag.24. Et paragr.8. n.1.p.28. Et §.36. n.3.p.56
28 Et occidat vnuſquiſque fratrem,& amicum, &c. §.298.n.3.p.365

Ex Numeris.

Cap.11. verſ.4. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? &c. §.393.n.4.p.464
17 Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis. §.85.n.3.p.105.106
Cap.21. v.8. Fac ſerpentem æneum.... qui percuſſus aſpexerit eum viuet. §.332.n.2. p.400. 401
Cap.24. v.3. Dixit homo, cuius obturatus eſt oculus. paragr.67.n.3.p.88

Ex Deuteronomio.

Cap.4. v.9. Ne obliuiſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui. §.35.n.4.p.55
Cap.6. verſ.4. Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt. §.4.n.1.& 2.&c.p.23
Cap.32. v.6. Numquid non ipſe eſt pater tuus? §.119.n.3.p.149

Ex Ioſue.

Cap.10. v.12. Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. §. 216. n.3.p.262.263
Cap.15. v.19. Dedit ei Caleb irriguum ſuperius & inferius. §.61.n.3 p.81

Ex lib. Iudicum.

Cap.5. v.13. Saluatæ ſunt reliquiæ populi.... ex Ephraim deleuit eos, &c. §.273.num.2. p.329
14 Zabulon qui exercitum ducebat ad bellandum. paragr.319.n.1.p.387
18 Zabulon & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti. §.71.n.2.p.93
20 Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, &c. §.53.n.3.p.73
Cap.6. v.19. Et coxit hædum,& de farinæ modio azymos panes. §.204 n.2.p.250
Cap.8. v.22. Dominare noſtri tu, & filius tuus, &c. §.283.n.3.p.351
Cap.9. v.2. Quid vobis eſt melius, vt dominentur veſtri? &c. §.284.n.3.p.352
Cap.13. v.6. Habens vultum Angelicum, terribilis nimis. §.365.n.2.p.434
Cap.14. v.6. Et hoc patri, & matri noluit indicare. §.153.n.1.p.192.193

Ex lib.1. Regum.

Cap.2. v.24. Non enim bona fama, quam ego audio. §.40.n.4.p.60
Cap.3.v.3. Nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur. paragr.14. n.3. & 4. pag.34. Et paragr.32. n.2. pag.53. 54. Et §.133. n.2. p.163. 164.Et §.188. n.2.p.234

*Cap.*13 v.10. Et ſicut Ægyptus venientibus in Segor. §.145.n.2.p.177.178. Et §.176. n.3 p.216
11 Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, &c. paragr.260. n.3. p.314
14 Leua oculos tuos, & vide à loco, &c. paragr.93.n.3.p.114
*Cap.*14.verſ.2. Contraque regem Balæ, eſt ipſa Segor. paragr.58.n.4.p.78. paragr.291. n.2.p.357
*Cap.*15.v.12. Suſpice cælum,& numera ſtellas, ſi potes, &c. §.176.n.2.p.216
*Cap.*18.v.4. Afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros. paragr.116.n.3.p.146
10 Reuertens, veniam ad te tempore iſto, vita comite. paragr.276.n.5.p.332
10 Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi. paragr.238.n.3.p.284
21 Deſcendam, & videbo clamorem, qui venit ad me, &c. paragr.40. n.2. & 3. p. 60
27 Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis. paragr.201.n.1.p.247
*Cap.*19. verſ.1. Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere. §.180.n.3.p.219
17 Noli reſpicere poſt tergum.paragr.39. n.3.p.464
20 Parua, & ſaluabor in ea. paragr. 146. n.4. p.186. Et paragr.183. n. 3. p.222. §.194.n.2.p.240
23 Sol egreſſus eſt ſuper terram,& Lot ingreſſus eſt Segor. §.109.n.2.p.138
36 Peperitque maior filium,& vocauit nomen eius Moab. §.291.n.4.p.358
*Cap.*20. v.6. Cuſtodiui ne, in peccares in me. paragr.147.n.4.p.18-
*Cap.*21. v.17. Tulit itaque Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech, percuſſeruntque, &c. paragr.164.num.2.p.203. 204. paragr.396.n.4.p.468
*Cap.*22.v.1. Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum,&c.§.237.n.3.p.283.284
2 Atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, &c. paragr.101. n.1.p.131. paragr.222.n.3.& 4. p.268. 269 paragr.256.n.2.p.309. paragr 385. n.2.p.455
3 De nocte conſurgens, &c. paragr.180. n.1.p.219.paragr.296.n.2.p.363
9 Cúmque alligaſſet illum,&c.§.380.n.4. p.450
10 Et extendit manum ſuam, & arripuit gladium. paragr.172.n.3. p.212. §.378. n.3.p.447.448.
12 Non extendas manum tuam ſuper puerum. paragr.18.n.3.p.218.219
*Cap.*23. v.2. Venit Abraham vt plangeret, & fleret eam.§.399.n.3.& 4.p.471
*Cap.*24.v.16. Virgoq; pulcherrima,& incognita viro. paragr.182.n.4.p.220
30 Cumque vidiſſet inaures in manibus ſororis ſuæ. paragr.263.n.2.p.316.317. paragr.261.n.7.p.319
*Cap.*25. v.21. Deprecatúſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua. paragr.280. num.3. p.336
22 Et collidebantur in vtero eius paruuli, &c. paragr.234.n.3.p.280
25 Protinùs alter egrediens plantam fratris tenebat manu. §.339.n.4.p.408
27 Iacob autem vir ſimplex habitans, &c. paragr.198.n.1 p.244
*Cap.*26. v.3. Et peregrinare in eâ. paragr.171. n.2.p.211
5 Et cuſtodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias, legeſque. §.182. n.1.p.220
8 Vidit eum iocantem cum Rebecca,&c. paragr.115.n.3.p.145
10 Potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tua, &c. paragr. 8.n. .p. 8
10 Et induxeras ſuper nos grande peccatum. paragr.185.n.2.p. 30
12 Et inuenit in ipſo anno centuplum. paragr.165.n.2.p.204.205
26 Ad quem locum cum veniſſet de Geraris Abimelech, &c. paragr.191.num.2. p.237.paragr.356.n.2.p.425.§.357.n.3. p.427
28 Qui reſponderunt: vidimus tecum eſſe, &c. paragr.356.n.3.p.426
31 Et ſurgentes mane iurauerunt, &c. paragr.174.n.3.p.214
*Cap.*27. v.1. Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius,&c. paragr.186.num.2. p.232. paragr.187. n.2. & 3.p.233
4 Affer vt comedam; & benedicat tibi anima mea. paragr.189.n.4.p.235.236. paragr.191. n.3.p.237. paragr.262.n.2. p.315.316
23 Et non cognouit eum,quia piloſæ manus.... Benedicens ergo illi, &c.§.203. n.2.p.249
29 Eſto Dominus fratrum tuorum, &c. §.206.n.2.p.252
29 Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, &c. paragr.207.n.2.p.253
33 Expauit Iſaac ſtupore vehemẽti.§.211. n.2.p.257
40 Tempuſque veniet cùm excutias, & ſoluas iugum. §.46.n.3.p.66.§.225.n.2. p.271. §.224.n.4.p.270
41 Dixitque in corde ſuo, &c. paragr.227. n.2.p.273
42 Nunciata ſunt hæc Rebeccæ. §. 227. n.2.p.273
*Cap.*28. verſ.13. Et Dominum innixum ſcalæ. paragr.172.n.3.p.328.§.354.n.2.p.423. 424
17 Non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cæli. paragr.110. n.4. p.140. Et §.247.n.4.p.300
20 Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Dominus mecum, &c. paragr.128. n.2. p.158
21 Erit mihi Dominus in Deum. §.128. n.2.p.158
*Cap.*29.v.11. Oſculatus eſt eum,& eleuatâ voce fleuit. §.256.n.4.p.309
20 Et videbantur illi pauci prę amoris magnitudine. §.242.n.3.p.294
*Cap.*30. v.3. Habeo famulam Balam, ingredere ad illam, &c. §.372.n.2.p.441
*Cap.*31. v.36. Tumenſque Iacob cum iurgio, ait.§.165.n.3.p.205.§.230.n.2.p.276
*Cap.*32. v.25. Cùm videret,quod eum ſuperare non poſſet. paragr.15. numero 4.p.36. paragr.258. num.3. p.311. paragr.271. num.3. p.327. paragr.381. n.2. p.450. 451

Et Pædagogia puerorum inſolentium. §.236.n.3.p.282
Dei populus à mulieribus purus, legem Dei iubetur accipere. paragr. 289. n.2.p.355.356
Subeat legis iugum princeps Adam, quò ipſe imperare ediſcat. paragr.82 n.3.p.102
Adamo vna arbuſcula prohibetur, vt omnium præbitorem agnoſcat. §.99 n.2.p.129
Multiplex Superiorum lex, non exarmat malitiam; ſed ſæpè ſubditos ad inobedientiam armat. paragr. 100. n.1. & 2. & 3. p.130
Homo cui diuinum præceptum imponitur, diuini honoris humanus arbiter conſtituitur. paragr.102.num.2. & 3. p.132
Obſequium obedientis, verum facit mandatum præcipientis. paragr.103. n.2. & 3. p.133
Superioris præceptum, diuinæ voluntatis character nominatur. §. 103. n.1 p.133
Dei præcepta, iis qui parêre reluctantur, Verba mendacia à Pharaone dicuntur. paragr.103.n.3 p.133
Legem vnam plures putare, inobedientiæ genius eſt. paragr.177. n.2. & 3. p.216. 217
Qui Superioris præceptum, velut diuinæ voluntatis characterem accipit, humanis ratiunculis illud eludere deſiſtit. paragr.181. num.2. & 3. p.220
Vel ad rem cupitam præcepto cogi, grauatè admodum ferre conſueſcimus. paragr.196.n.2. & 3. p.241
Legum abrogatio, arcanum parcendi genus eſt. paragr.236.n.3.p.282
Præcipientis exemplum, vigor præceptionis eſt ad ſequelam. paragr.255. n.1. & 2. &c. p.307. 308
Brutæ animantes arcano ſenſuum ingenio Dei iuſſa percipiũt. paragr.78. n.1. & 2. & 3. p.98. 99
Potentia ad benè operandum, arcana quædam lex eſt? paragr.89. num.4. p.110
Scientia imperandi, in parendi eruditur gymnaſio. paragr. 82. n.1. & 3. p.102
Dum Superior cibat ſubditum, eius obſequium alit. paragr.386.num.1. & 2. p.456

Capvt XXII.

Subditi ad obſequium vltrò trahendi ſunt.

Felix præcepti neceſſitas, quæ votis præſtat obſequium, dum liberæ iuſſioni ſeruit affectus. paragr. 55. n.3. p.75
Lex obedituro cognata, obſequium ſubornat. paragr.56.n.1.& 2.p.76. Inde hom[illegible]è terra producitur, quia terræ cultura illi præcipienda erat. Ibi n.3. Et mari præcipitur obſequium, ad quod vi naturali propendet. §. 56. n.4.p.76
Vel ad rem cupitam, præcepto cogi, grauatè admodum ferre conſueſcimus. paragr.196.n.3. & 2.p.242
Obſequij ratio in animorum conſenſione ſita eſt. §.55.n.2. & 3. p.75
Sit Deus nobis velut noſtra mens, quò exactiùs in nobis Dei voluntas fiat. paragr.81. n.2. & 3. p.101
Spontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat. paragr.86.n.2. & 3. p.106.107. Nec habet Chriſtus quid dicat, vt declinet Patris mandatum? paragr.181.n.2.p.220
Aliquando obſequentis cunctatio, præcipientis pietati blanditur. §. 180. n.1. & 2. & 3.p.219
Benedictio Eſaü eſt, fratri Iacobo ſeruire? paragr.224. n.4. p.270
Quaſi auritæ forent ſubditorum manus, inauribus ad obſequium ornantur. paragr.263.n.2. & 3.p.316.317
Caſtitas obſequentis, obſequio adulatur. paragr.289.n.2. & 3.p.355.356
Obedire, cibari eſt, quin etiam & armari. paragr.386.n.3.p.456
Sciat Superior, quòd Cælum, id eſt, viri ſpirituales, aliquando moroſiùs obediunt. paragr.52.n.2.p.71.72

Capvt XXIII.

Sit pronus ad clementiam: nam benignitas & humanitas eſt Præpoſitorum elogium.

Ivdex meritò dicitur iuſtus, quia pius: quaſi pietas ex iuſtitiâ debeatur. paragr.9.n.1. & 2.pag.29. Vnde Hebraicè Iuſtitia eodem nomine ac Miſeri

Miſericordia deſignatur. parag. 9. n 3. p.30

Benignitatis lenocinium eſt, in ſe ipſo expertri rigores, quibus alios addicit. paragr.254. n.2. & 3. p.307

Siderea præfectura non tam Præfectos, quam ſubditos claros reddit. §.75. n.2. & 3. p.96

Sollers cura erga infima & abiecta, habetur prouidentiæ clauſula & integritas. paragr.91.n.2.p.111.112

Dum Superior iubat ſubditos, eorum obſequium alit. paragr.386.num.1. & 2. & 3. & 4. p.456.457

Rex Nabuchodonoſor herbis alligatus, eas non extirpat, ne ſubditos eradicet. paragr.310.n.2.p.377

Ob communem ſubditorum vtilitatẽ, gloriæ ſuæ cedat. paragr.74 num.2. & 3.p.95

Dominus, per beneficentiam Deus agnoſcitur. paragr.3.n.5.p.23

Summus omnium princeps Deus, quaſi lege de humanitate latâ, debitor eſt clementiæ. paragr.9. n.3. p.30

Supplicij minæ, ſupplicij meritum ſine ſupplicio redimunt. paragr.111.n.1. & 2. p.140.141

Legum abrogatio, anticipata venia eſt. paragr.236.n.3 p.282

Miſericordia diuina, eſt diuinæ Iuſtitiæ idea. paragr.312. n.9. p.380

Capvt XXIV.

Nimia Superiorum ſeueritas, regimen deprauat.

NE putet pauperculos & inualidos ſenſu carere. paragr.77.num.2. & 3. p.98

Peracerbus ſolet eſſe Superior, qui in ſeipſo non experitur rigores, quibus ſubditos ſeuerè addicit. paragr.254. n.2. p.307. Porrò in rubo eſt Deus, dum calceamenta in rubeto deponi iubet. Ibi num.2. Item, In rubo eſt, qui ad ſpinas & tribulos hominem damnauit. paragr.254. n.3. p.307

Aſpera Gubernatorum ingenia, ingratiam & irreuerentiam arbitrate negotiatur. paragr.394. num.2. p.465. Inde vorax rubi ignis, etſi quodammodò Angelificatus, conſultiſſimè mutus dicitur. Ibid n.3.p.465

Venenum, quod ſerpens Gubernator in alienam perniciem profert, ſine ſuâ continet. paragr.394.n.4.p.465. 466

In acerbioris ſupplicij terrore, diuinæ clementiæ leguntur characteres. paragr.106. n.1. & 2. p.136

Seuerioris ſupplicij rigores Deus abſcondit, quaſi ſuæ iuſtitiæ bonum erubeſcat. paragr. 109. num.1. & 2. pag.138

Supplicium occultum, medicinæ eſt; publicum ſæpè obdurationem de infamiâ procurat. paragr.120. num.2. & 3. p.151

Iudæ flagitium, quia omnem menſuram excedit, ipſe in ſe dignè caſtigat. paragr.283.n.2.p.351

Supplicium de manu hominis, acerbius venit, idem verò de manu Dei mitius euadit. paragr.369.num.2. & 3. p.438. 439

Iuſtitia diuina Miſericordiam æmulatur. paragr.312.n 1. p.379.380

A crudelitate vindicatur Deus; cùm Sacerdotum flagitia punit. § 208. n.2.p.253.254

Subditorum in ſuperiorem odia. §.205. n.2. p.251

Minimè verò diſtrictiorem remittat diſciplinam, ob malignam vituperonum cenſuram. paragr.69.num.1. & 2. p.89. 90

Verùm ſubditorum repulſa, ſæpè Superiori opinioni ſuffragatur. §.370. n.2. p.439

Quod Moyſes Pharaoni perſuadere deſperat, inflictæ plagæ arcanè perſuadent. paragr.126. n.2. & 3. p.155 156

Capvt XXV.

Qualis debeat eſſe Superior erga ſibi infenſos.

SCiant Superiores, quòd agnatum hominibus eſt, depretiare eos, qui nos læſerunt. paragr. 212. n. 2. & 3. p.258

A Præfecto offenſo nullum ſubdito ſatis tutum aſylum eſt. paragr.231.n.1. & 2. & 3. p.276. 277

Tota Dei omnipotentia cùm auxiliatrice miſericordia, contra offenſum Præfectum à Iacobo inuocatur. paragr.231.n.4.p.277

Iniuria Superiori illata, quaſi crimen læſæ maieſtatis reputabitur, ad malitiæ

litiæ exaggerationem. §.231. num.5. p. 277
Offenſi Principis iras, Cælum prùs quàm terra timere videtur. §. 231. n.6 p 277
Potentes ambitione potentiæ, quos iniuſtè læſerunt, inde iniuſtiùs oderunt. paragr.375.n.2. & 3.p.444
Quam ſubditus de Superiore victoriam reportat, pœnitenda, & deflenda victoria eſt. paragr.381.n.2. & 3. p.450. 451
Superiores ægrè ferunt ab aliquo ſubditorum in aliquo ſuperari. §. 20. n 2. & 3. p.40
Eccur Principes ſuis Miniſtris non ſuccenſent, qui ſæpè plagas regni augent, ſicut Pharaonis Magi? §.328. n.2.p.397
Ioſeph Præfectorum norma, pro malis non tantùm bona donat, ſed reſtituit. paragr.62.n.2.p.82. Hinc dona largitur fratribus, quæ reſpondeant offenſis. paragr.62.n.3.p.82
Eſtne Chriſto Deo cauſa gratiæ donandæ compenſare mortis iniuriam? paragr.62.n 4.p.82
Verùm præluſtris honor vindictâ periclitatur, non aſſeritur. paragr. 299. n.2.p.365.366
Iacob veniam non rogat pro filiis proditoribus, ne ſuum Ioſephum eiuſmodi petitione deuenuſtet. §. 299. n.3.p.366
Chriſtusne per concordiam ſui generis, ad pacem peruenit Deitatis? paragr.372.n.3.p.441
In iram principis Adæ, ratio inſpiratur. paragr.309.n.2.p.378
Quin & conſultior Antiſtitis prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias offenſas velut ignorare videtur. paragr.288. n.2. & 3.p.354.355

CAPVT XXVI.

Cautela reprehenſionis, artificium eſt emendationis.

TEmpeſtiua reprehenſio, ſcelerum ſepulcrum eſt. paragr.395.n.5. p. 467
Paterna defectuum increpatio, emendationem prophetat? paragr. 395. n.4.p.466
Præmonere, & reprehendere, aliena non ſunt à paternis Benedictionibus. paragr.395.num. 3. pag.466
Apoſtolos nuper incredulos, poſt opportunam reprehenſionem, fidei magiſtros Chriſtus conſtituit. §. 395. n.2.p.466
Flagitium poſt beneuolam correptionem patratum, & iuſtitiam irritat, & miſericordiam exacerbat. §. 104. n.1. & 2. p.134
Deſperátne Cainus, quia Dei admonitionem parricidio cõtempſit? §. 104. n.3. p.134
Homo qui iratum corripit hominem, fruſtrat correptionis fructum. § 308. n.2. & 3. p.375. 376
Procùl etiam à regia Curiâ reprehendit Ioannes enormiſſima Regum flagitia. paragr.84. n.4. p.104. 105
Ille efficaciter ſuadet, quem cùm videas, & cùm audias, idem eſt. §.351. n.1. p. 420. Inde ſterilis eſt Philoſophorum adhortatio; quia ex ſententiâ venit, non è vita. Ibid. num.2. p.420. 421.

CAPVT XXVII.

Liberalitatem colas: in quâ opportunè reſonet Iuſtitiæ nomen.

CÆlum, ſi immunificum foret in terram, auguſtum Cęli nomen erubeſceret. Inde ſimul cum terrâ conditum eſt, paragr.3.n.1.& 2.p.22
Regis Chriſti liberalitas, eſt eius plenitudo, & notio? paragr.3.n.3. & 4. p.22. 23
In re liberalitatis, opportunè Iuſtitiæ nomen auditur. paragr. 5. n. 2. & 3. p.25. Eximia liberalitas, quod iuſtum fuerit, munificè donat. Ibid. n.4. p.26
Donatio vltra neceſſitatem, ſublimioris gloriæ procurat auctarium. §. 68. n.1. & 2. &c. p.88. 89
Creaturæ à Deo homini donatæ, gratiores Deo apparent, poſtquam donatæ ſunt? §.95. num.2. p.116.117
Regia manus meliùs donatiuo ſplendet, quàm ſceptro. paragr.95.num.1. p.116
Præfectorum eſculenta abundantia, vrbanè ſuadet attentiorem erga alendos ſubditos prouidentiam. §. 376. n.2. & 3. p.445.

CAPVT XXVIII.

Cùm nil inconſultum decernere fas ſit, quales debeat Conſultores aſciſcere.

HOmo non eſt bonus ſui Conſiliarius. Inde abſtrahendum eſt conſilium à collegio carnis. §. 80. n.2. p.100
Verbum diuinum, quia Ratio eſt, potiùs quàm Spiritus-ſanctus, qui Amor eſt; à Patre Deo conſuli dicitur? paragr.80.n.3.p.100
Quàm ſint homines propriæ ſententię tenaciter peramantes, quamuis ſæpè ſine riuali. §. 268. numer.2. & 3. p.323. 324. Inde Sapientum nemo ſuæ humanæ rationi tutò ſe credit. paragr.369.n.2.&c.p.438
Eximia laus canæ ſapientiæ eſt, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla. paragr.342. n.1. & 2. & 3.p.411.412
Aulicorum fides in obſequium ſeruile ſubmittitur? paragr.267.n.1.p.322. Inde nunquam Princeps incomitatus in ſententiam it? Imò eius nutus curialium doctorum extorquet ſuffragia? Ibidem num.2. & 3. p.322. 323
Ne Princeps falſa ſupponat, aut proponat Conſultoribus, vt eorum conſenſum extorqueat. paragr.141. n.1.p.180
Regum dubiis tantùm reſpondet Collegium amicorum? Reſpondeat etiam qui Regum obſequia non exambit, ſed ſapientiam ſeuerius tractat. paragr.356.n.3 p.426
Velis, & ſenties, quod ſentire velis. §.76.n.1.& 2.& 3.p.96.97
Quiſquis nobis proficuus eſt, cenſetur optimus. paragr.18.n.4.p.38.39

CAPVT XXIX.

Electionum politia eruditur.

SCiant Electores, quòd qui de ſuo, etſi modicè ornatur, vt terra, adſcititios, cæli fulgores æmulari poteſt de præſtantiæ merito. §. 63. n.1.& 2. &c. p.83.84
De honoratis benemeriti ſtipendiis, *Celada* de Benedict. Patriarch. homo inferioris meriti honeſtandus eſt; ne ille arroganter turgeat, hîc rubeſcat ſqualidè paragr.64.n.2. & 3. p.84
Vel ſuperuacuâ cõmemoratione oportet electi æmulum honorare. §.216. n.3.p.262.263
Velis, & ſenties, quod ſentire velis. §76.n.1. & 2.& 3.p 96.97
Ergo non affectus, ſed Ratio aduocanda in conſilium eſt. paragr.80. n.2. & 3. p.100. Nam affectus ſic Rationem ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum cenſeatur. paragr.190. num.2. & 3. p.236
Præſul eligendus, ætatis, eruditionis, & meritorum indiget ſuffragio. §.83. n.1.& 2.& 3.p.103
Etſi merè grandior ętas in electionibus reprobatur. paragr.261. num.2 &c. p.314. 315. Nam abiectis primogenitis, natu minimos Deus eligit. paragr.261.n.2.& 3. p.314 315.
Quòd in conferendâ Meſſiæ dignitate, Senatores cognati erga ſuum Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationem. paragr.295. n.2. & 3. p.361. 362
Sciant Electores, quòd Candidatus, qui ſe ſolum putat idoneum ad præcelſum munus, illud faſtidire ſolitat: ſecùs ſi ſciuerit, alios æquè idoneos cenſeri. paragr.329.n.2. & 3.p.398
Diuinâ, non humana electio, quem non inuenit dignum, facit. §.270. n.2. & 3.p.325. 326
Præambulum Electorum examen, priùs trutinet merita Candidati. paragr.202 n.2. & 3. p.248
Heu, fauori imputabitur, quod perſpectum aliorum bonum placeat: §.33. n.2. & 3. p.53. 54
Non lateat Electores, quòd non Dignitatum negotioſa ambitio; ſed fuga, & repulſa, meritum eſt ad Dignitates. paragr. 157. num. 2. & 3. p.196. 197
Præfectura ingenio negotiationis partâ, vix computatur ad honorem paragr.150. n.2. & 3. p.302. 303
Primogenitus Manaſſes, cui dextera negotioſè procuratur, duplici dehoneſtatur ſiniſtrâ. paragr.261.n.4. p.315
Vide verbo, *Meritum*, & verbo, *Hypocriſis*, in Indice rerum.

Capvt XXX.

Quæ ſit praua, & quæ proba Candidatorum ambitio?

ARrogantior honorum ambitio, eſſe ſolet inhonoræ abiectionis ſequela. §.44.n.2.&c.p.63.64. Ambitionis artificium eſt, ſe vltrò Potentioribus ingerere. paragr.70.n.2. &c. p.91

Vitium ſæpè virtuti præit ambitioſa oſtentatione merendi. paragr.19.n.1. & 2. p. 39. Ergo præambulum Electorum examen, attentiùs trutinet merita Candidati. paragr. 202. n.2. & 3. p.248

Primogenitus Manaſſes, cui ſollerter Dextera procuratur, duplici deuenuſtetur ſiniſtrâ. §.261.n.4.pag.315

Cognatio cum Senatoribus, ſeriò Dignitates exambit, cognationis merito. paragr.295.n.2. & 4. p.361. 362

Sat gloriæ eſt honorum cupidis, ſi cum potiſſimis comparentur. paragr.328. n.2. & 3. p.379

Qui ſe ſolum putat idoneum ad præcellſum munus obeundum, illud faſtidire ſolet: ſecùs ſi ſciuerit, alios æquè dignos cenſeri. paragr. 329. n.2. & 3. p.398

Quiſquis putat rempublicam eius peritiâ indigere, ineptus eſt ad Dignitates. paragr.382.n.2.& 3.p.451.452

Religioſus non benè Mortificationis arbitrio Dignitates mercatur. §.393. n 2. p.463. 464

Præfectura ingenio negotiationis parta, vix computatur ad honorem. paragr.250.n.2. & 3 p.302. 303

Honorum repulſa, eſt pia Sanctorum ambitio. paragr.157. n.1. & 2. & 3. p. 196. 197

Domeſtica virtus receſſu contenta, piè negotioſa Dignitatum ambitio ſit. paragr.202. n.2. & 3. p.248

Obſtinata Dignitatū recuſatio, Deum velut contentioſum facit, vt illam Dignitatem ſublimet? paragr.338. n.2. & 3. &c. p.407

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,

quæ in hoc Opere ad mores exponuntur.

§. paragraphum deſignat : n. numerum denotat marginalem : p. paginam indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

Cap. 1. v. 1. IN principio creauit De° cælum & terram. §. 1. n. 1. & 3. p. 20. 21. Et §. 2. num. 2. & 3. p. 21. Et §. 3. num. 1. pag. 21. Et §. 5. n. 2. & 3. p. 25. Et §. 7. n. 4. p. 28. Et §. 11. n. 4. p. 31. Et paragr. 14. n. 2. p. 34. Et paragr. 15. n. 3. p. 35. Et §. 18. num. 4. p. 38. Et paragr. 36. num. 2. p. 56. Et §. 48. n. 3. p. 68. Et paragr 49. num. 3. pag. 69. Et paragr. 88. num. 1. pag. 108. Et paragr. 148. n. 2. p. 187. 188. §. 280. n. 2. pag. 336. §. 367. n. 2. p. 436

2 Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. §. 17. n. 2. p. 37. Et paragr. 20. num. 2. p. 40. Et paragr. 22. n. 2. p. 42. Et paragr. 23. n. 3. p. 43. Et paragr. 24. n. 3. p. 44. Et §. 27. n. 1. p. 46. Et §. 188. n. 3. p. 234

3 Dixitque : Fiat Lux. Et facta eſt Lux. paragr. 28. num. 2. & 3. p. 47. Et §. 29. n. 2. p. 48. Et paragr. 37. n. 3. & 4. p. 57. Et paragr. 102 n. 2 p. 132

4 Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona. paragr. 29. n. 4. & 5. p. 49. Et paragr. 32. n. 3. p. 52. Et paragr. 33. n. 2. pag. 53. Et paragr. 34. n. 1. p. 54. Et paragr. 36. n. 4. p. 57. Et paragr. 42. n. 2. p. 62. paragr. 202. n. 3 p. 248. paragr. 304. n. 3. p. 371

5 Factumque eſt veſpere & manè, dies vnus. paragr. 34. n. 2. p. 54. Et §. 46. n. 2. p. 66. Et paragr. 47. n. 3. p. 67. Et §. 48. n. 2. p. 68. Et paragr. 49. n. 2. p. 69

6 Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. paragr. 31. n. 3. p. 51. Et §. 52. n. 2 p. 71. 72

9 Congregentur aquæ.... & appareat arida. paragr. 57. n. 2. & 4. p. 77. Et §. 58. num. 2. p. 78. Et paragr. 60. num. 3. p. 80. Et §. 61. n. 2. p. 81. Et §. 324. n. 5. p. 393

11 Germinet terra herbam virentem, &c. paragr. 63. num. 2. p. 83. Et paragr. 64. n. 2. p. 84

12 Et protulit terra herbam virentem, &c. §. 34. n. 3. p. 54

14 Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem. §. 66. num. 2. p. 86

16 Fecitque Deus duo luminaria magna. Luminare maius, vt præeſſet diei, &c. p. 68. n. 2. p. 88. 89. Et paragr. 70. num. 3. p. 91. Et paragr. 72. n. 3. p. 93. Et §. 73. n. 2. p. 94. Et paragr. 75. n. 2. & 3. p. 96. Et paragr. 76. n. 4. p. 97. paragr. 355. n. 2. p. 424

20 Producant aquæ reptile animæ viuentis, &c. paragr. 77. n. 2. p. 98

22 Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris. paragr. 78. n. 2. pag. 98. 99. Et §. 79. n. 2. p. 99

26 Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, &c. §. 42. num. 3. p. 62. Et paragr. 80. num. 3. p. 100. §. 312. n. 6. p. 380

28 Creſcite, & multiplicamini. paragr. 89. n. 4. p. 110.

29 Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. paragr. 92. n. 2. pag. 113. Et 236. num. 3. p. 82

31 Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. paragr. 34. n. 4. p. 54. 55. §. 91. n. 5. p. 114. Et §. 95. n. 2. p. 116. 117. Et §. 96. n. 2. p. 117

Cap. 2. v. 1. Perfecti ſunt cæli & terra, &c. §. 27. n. 3 p. 47

2 Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, &c. §. 16. n. 1. p. 36. paragr. 50 n. 4. p. 70. paragr. 116. num. 4. p. 146. paragr. 234. n. 2. p. 280. Et §. 242. n. 4. p. 294. Et paragr. 326. num. 3. & 4. p. 395

3 Quod creauit Deus vt faceret. §. 16. n. 4. p. 36

4 In die, quo fecit Dominus Deus, &c. §. 128. n. 3. p. 158

7 Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ. paragr. 44. n. 3. p. 64. §. 56. n. 3. p. 76. paragr. 87. n. 2. p. 107. §. 276. n. 1. p. 332

18 Salutare tuũ expectabo Domine. §.337. n.2.p.406
19 Gad accinctus præliabitur ante eum, &c. §.339.n.2.p.407.408
20 Aſer pinguis panis eius, &c.§.345.n.3. p.414.415
22 Filiæ diſcurrerunt per murum. §. 363. n.3.p.432
24 Diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius. paragr.278. numero 4. p.335.§.379.n.1.p.449
24 Inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſraël. §.386.n.3.p.456
28 Benedixitque ſingulis, benedictionibus propriis. paragr.395.n.3.p.466
*Cap.*50. v.2. Præcepit ſeruis ſuis Medicis, vt aromatibus condirent eum. paragr.241. n.1. p.293
3 Quibus iuſſa explentibus, tranſierunt quadraginta dies. §.269.n.2.p.324
4 Locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis, &c, paragr.281. n.3.p.338.339
7 Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis.paragr.198.n.3. p.244.§.373.n.3.p.442
10 Veneruntque ad aream Atad.... vbi celebrantes exequias, &c. paragr.399.n.2. p.470.471
15 Ne fortè memor ſit iniuriæ, &c. §.232. n.3.p.278
17 Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris, &c. §.299.n.3.p.366
17 Nos quoque oramus, vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatẽ hanc. §.231. n.5.p.277
17 Quibus auditis, fleuit Ioſeph. §. 299. n.4 p.366
25 Aſportate oſſa mea de loco iſto. §.277 n.2.p.333

Ex Exodo.

*Cap.*1. verſ.6. Quo mortuo.... filij Iſraël creuerunt, &c. paragr.183.n 4.p.222
8 Surrexit interea Rex nouus, &c. §.32. n.1. p.52. §.164. n.3.p.204.§.185.n.3. p.231.§.360.n.3.p.429
10 Venite, ſapienter opprimamus eum. paragr.167. n.3. p.323. paragr.370.n.3. p.439
10 Expugnatiſque nobis egrediatur de terrâ. paragr.142. n.2. p.180.181
13 Oderantque filios Iſraël Ægyptij, &c. paragr.360. n.2. p.429. Et paragr. 374. n 2.p.443
15 Quando obſtetricabitis Hebræas, &c. §.368.n.4.p.437.438.
22 Quicquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite. §.11.n.1.p.31
Cap. 2. v. 1. Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui. paragr.129.n.2 p.158.159
3 Cúmque iam celare non poſſet, &c. paragr.129.n.3.p.159
5 Miſit vnam de famulabus ſuis, &c. §.259.n.2.p.312
9 Accipe puerum iſtum, & nutri mihi. §.55.n.3.p.75
10 Quem illa adoptauit in locum filij. §.320.n.4.p.389
14 Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos. paragr.370. n.2. p.439
15 Qui fugiens de conſpectu eius, &c. §.327.n.3.p.396
23 Mortuus eſt rex Ægypti, & ingemiſcentes, &c. §.125.n.2.p.154.155
*Cap.*3. v.2. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis. paragr.259.num.3.p.312.§.394. n.2.p.465
2 Et videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur paragr.35.n.2.& 3.p.55. §.254 n 3 p.307
5 Solue calceamẽtum de pedibus tuis,&c. §.254.n.2.p.307
6 Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. paragr.352.num.2. p.421.§.394. n.3.p.465
6 Abſcondit Moyſes faciem ſuam. §. 26. n.2.p 46
8 Et educam de terra illa in terram ſpatioſam, &c. §.158.n.2.p.197
9 Clamor ergo filiorum Iſraël venit ad me. paragr.311. n.4.p.379
10 Veni, mittam te ad Pharaonem, &c. §.167.n.2.p.207.§.175.n.2 p.215
12 Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis ſuper montem iſtum. §.163.n.2.p.203
14 Ego ſum, qui ſum. §.47.n.4.p.67
18 Ibimus viam trium dierum, &c. §. 51. num.2. & 4. pag.70. 71. Et paragr.139. n.2.p.177.
21 Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis. paragr.135.n.2.p.172.173
*Cap.*4. v.3. Proiice eam in terram: proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.paragr.108.n.3.p.138.Et §.157. n.2 p.196.197.§.338. n.2 p.407.§.394. n.4.p.465.466
5 Vt credant,quòd apparuerit tibi Dominus Deus, &c. §.24.n.2.p.44
10 Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius. §.352. num.3. p.422
11 Quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum? paragr.349.n.4.p.418
12 Et ego ero in ore tuo, &c. §. 347. n.2. p.416
13 Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es, &c. paragr.329. n.2. p.398. §.338. n.3. p.407
14 Iratus Dominus in Moyſen, ait: Aaron frater tuus, &c. paragr.71. n.2. pag.92. §.351.n.4.p.421
17 Virgam quoque hanc ſume in manu tua, &c. paragr.348.n.2.p.417
19 Mortui ſunt omnes, qui quærebant animam tuam. paragr.267. n 2. p. 322. 323
24 Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. paragr.108.n.2 p.137
26 Sponſus ſanguinum tu mihi es. §. 47. num.2. pag.67. Et paragr.179. numer.2. p.218
*Cap.*5. v.1. Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto. paragr.139. n. 2. pag.176. 177. Et paragr.246.n.2.p.300. 301
2 Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. paragr.4.n.2.pag 23. Et §.126.n.2. p.155.156

3 Vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem. §.103.n.2.p.133

6 Præcepit in die illo Præfectis operum, & exactoribus populi. §. 319. num. 2. p.387.388

9 Vt non acquieſcant verbis mendacibus. §.103.n.3.p.133

14 Flagellatique ſunt, qui præerant operibus. §.319.n.3.p.388

15 Cur ita agis contra ſeruos tuos ? &c. §.373.n.2.p.442

Cap.6. v.3. Et nomen meum Adonaï non indicaui eis. paragr.97. n.3. p.128. §.283. n.2.p.350

6 Ego Dominus, qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum. paragr.377. n.4. p.446. 447

9 Qui non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus. paragr.224. n.2. & 3. p.270

Cap.7. v.1. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. §.7.n.2.p.27

1 Et Aaron frater tuus erit propheta tuus. §.41.n.1.p.61.§.268.n.3.p.324

3 Ego indurabo cor Pharaonis.§.103.n.1. p.133. Et §. 120. n.3. p.150. Et §.181. n.3.p.220

9 Cúmque dixerit vobis Pharao: Oſtendit ſigna, &c. §.70.n.2.p.91

10 Quæ verſa eſt in colubrum, &c. §.76. n.1.& 3. p.97. Et §.157.n.3.p.197

11 Proieceruntque ſinguli virgas ſuas,quæ verſæ ſunt in dracones,&c. paragr.201. n.2.pag.247. paragr.328.n.2.& num.3. p.397

12 Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. paragr.186.n.1.p.232

Cap.8. v.3. Et ingredientur domum tuam, & cubiculū lecti tui, &c.§.387.n.2.p.457. 458

10 Qui reſpondit: Cras. paragr.101. n.3. p.131

23 Ponamque diuiſionem inter populum meum, &c. §.148.n.3.p.188

Cap.12. v.35. Dedit autem Dominus gratiam populo, &c. paragr.190.n.2.p.236

Cap.14. v.28. Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt, &c. paragr.294.n.3.p.361

Cap.16. v.15. Quod cùm vidiſſent filij Iſrael, dixerunt ad inuicem Manhu? §. 114. n.2. p.143.144. §.298. n.2.p.364.365. §.371.n.1.p.440

19 Nullus relinquat ex eo in mane. §.99. n.3.p.129

22 Die autem ſexta collegerunt cibos duplices. paragr.322.n.3.p.390

Cap.19. verſ.1. Venerunt in ſolitudinem Sinai. §.146.n.2.p.185

15 Et ne appropinquetis vxoribus veſtris. paragr.289.n.2.p.355.356

16 Et ecce cœperunt audiri tonitrua, &c. paragr.100. n.2. p.130. Et paragr. 255. n.3.p.308

Cap.20. v.18. Cunctus autem populus videbat voces. paragr.35. n.4. p.55.§.255.n.1. p.307.308

Cap.22. v. 28. Diis non detrahes. paragr.148. n.2. p.186. 187. Et §.217. n.3.p.264

Cap.26. v.35. Menſa enim ſtabit in parte Aquilonis. paragr.345.n.1.p.414

Cap.31. v.18. Deditque Dominus Moyſi... duas tabulas teſtimonij. §.100.n.3.pag.130. §.305.n.1.p.372

Cap.32. v.4. Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. paragr.4. n.6. pag.24. Et paragr.8. n.1.p.28. Et §.36. n.3.p.56

28 Et occidat vnuſquiſque fratrem,& amicum, &c. §.298.n.3.p.365

Ex Numeris.

Cap.11. verſ.4. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes ? &c. §.393.n.4.p.464

17 Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis. §.85.n.3.p.105.106

Cap.21. v.8. Fac ſerpentem æneum..., qui percuſſus aſpexerit eum viuet. §.332.n.2. p.400. 401

Cap.24. v.3. Dixit homo, cuius obturatus eſt oculus. paragr.67.n.3.p.88

Ex Deuteronomio.

Cap.4. v.9. Ne obliuiſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui. §.35.n.4.p.55

Cap.6. verſ.4. Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt. §.4.n.1.& 2.&c.p.23

Cap.32. v.6. Numquid non ipſe eſt pater tuus? §.119.n.3.p.149

Ex Ioſue.

Cap.10. v.12. Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. §. 216. n.3.p.262.263

Cap.15. v.19. Dedit ei Caleb irriguum ſuperius & inferius. §.61.n.3.p.81

Ex lib. Iudicum.

Cap.5. v.13. Saluatæ ſunt reliquiæ populi.... ex Ephraim deleuit eos, &c. §.273.num.2. p.329

14 Zabulon qui exercitum ducebat ad bellandum. paragr.319.n.1.p.387

18 Zabulon & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti. §.72.n.2.p.93

20 Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, &c. §.53.n.3.p.73

Cap.6. v.19. Et coxit hœdum,& de farinæ modio azymos panes. §.204.n.2.p.250

Cap.8. v.22. Dominare noſtri tu, & filius tuus, &c. §.284.n.3.p.351

Cap.9. v.2. Quid vobis eſt melius, vt dominentur veſtri ? &c. §.284.n.3.p.351

Cap.13. v.6. Habens vultum Angelicum, terribilis nimis. §.365.n.2.p.434

Cap.14. v.6. Et hoc patri, & matri noluit indicare. §.153.n.1.p.192.193

Ex lib. 1. Regum.

Cap.2. v.24. Non enim bona fama, quam ego audio. §.40.n.4.p.60

Cap.3. v.3. Nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur. paragr.14. n.3. & 4. pag.34. Et paragr.31. n.2. pag.53. 54. Et §.131. n.2. p.163.164.Et §.188. n.2.p.234

*Cap.*13 v.10. Et ſicut Ægyptus venientibus in Segor. §.140.n.2.p.177.178. Et §.176. n.3 p.210
11 Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, &c. paragr.260. n.3. p.314
14 Leua oculos tuos, & vide à loco, &c. paragr.93.n.3.p.114
*Cap.*14.verſ.2. Contraque regem Balæ, eſt ipſa Segor. paragr.58.n.4.p.78. paragr.291. n.2.p.357
*Cap.*15.v.12. Suſpice cælum,& numera ſtellas, ſi potes, &c. §.176.n.2.p.216
*Cap.*18.v.4. Afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros. paragr.116.n.3.p.146
10 Reuertens, veniam ad te tempore iſto, vita comite. paragr.276.n.5.p.332
10 Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi. paragr.138.n.3.p.184
21 Deſcendam, & videbo clamorem, qui venit ad me, &c. paragr.40. n.2. & 3. p. 60
27 Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis. paragr 201.n.1.p.247
*Cap.*19. verſ.1. Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere. §.180. n.3.p.219
17 Noli reſpicere poſt tergum.paragr.393. n.3.p.464
20 Parua, & ſaluabor in ea. paragr. 146. n.4. p.186. Et paragr.183. n. 3. p.222. §.194.n.2.p.240
23 Sol egreſſus eſt ſuper terram,& Lot ingreſſus eſt Segor. §.109.n.2.p.138
36 Peperitque maior filium,& vocauit nomen eius Moab. §.291.n.4.p.358
*Cap.*20. v.6. Cuſtodiui ne, in peccares in me. paragr.147.n.4.p.187
*Cap.*21. v.27. Tulit itaque Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech, percuſſeruntque, &c. paragr.164.num.2.p.203. 204. paragr.396.n.4.p.468
*Cap.*22.v.1. Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum,&c.§.237.n.3.p.283.284
2 Atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, &c. paragr.101. n.2.p.131. paragr.222.n.3. & 4. p.268. 269 paragr.256.n.2.p.309. paragr 385. n.4.p.455
4 De nocte conſurgens, &c. paragr.180. n.2.p.219.paragr.298.n.2.p.363
9 Cúmque alligaſſet illum,&c.§.380.n.4. p.450
10 Et extendit manum ſuam, & arripuit gladium. paragr.172. n.3. p.212. §.378. n.3.p.447.448.
12 Non extendas manum tuam ſuper puerum. paragr.18.n.3.p.218.219
*Cap.*23. v.2. Venit Abraham vt plangeret, & fleret eam. §.399.n.3.& 4.p.471
*Cap.*24.v.24. Virgoq; pulcherrima,& incognita viro. paragr.182.n.4.p.220
30 Cumque vidiſſet inaures in manibus ſororis ſuæ. paragr.263.n.2.p.316.317. paragr.262.n.7.p.319
*Cap.*25. v.21. Deprecatúſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua. paragr.180. num.3. p.216
22 Et collidebantur in vtero eius paruuli, &c. paragr.234.n.3.p.280
25 Protinùs alter egrediens plantam fratris tenebat manu. §.339.n.4.p.408
27 Iacob autem vir ſimplex habitans, &c. paragr.198.n.2 p.244
*Cap.*26. v.3. Et peregrinare in eâ. paragr.171. n.2.p.211
5 Et cuſtodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias, legeſque. §.182. n.1.p.220
8 Vidit eum iocantem cum Rebecca,&c. paragr.115.n.3.p.145
10 Potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tua, &c. paragr. 8.n...p. 8
10 Et induxeras ſuper nos grande peccatum. paragr.185.n.2.p. 30
12 Et inuenit in ipſo anno centuplum. paragr.165.n.2.p.204.205
26 Ad quem locum cum veniſſet de Geraris Abimelech, &c. paragr.191.num.2. p.237. paragr.356.n.2.p.425.3.357.n.3. p. 427
28 Qui reſponderunt: vidimus tecum eſſe, &c. paragr.356.n.3.p.426
31 Et ſurgentes mane iurauerunt, &c. paragr.174.n.3.p.214
*Cap.*27. v.1. Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius,&c. paragr.186.num.2. p.232. paragr.187. n.2. & 3. p.233
4 Affer vt comedam; & benedicat tibi anima mea. paragr.189.n.4.p.235.236. paragr.191. n.3.p.237. paragr.262.n.2. p.315.316
23 Et non cognouit eum,quia piloſæ manus.... Benedicens ergo illi, &c.§.203. n.2.p.249
29 Eſto Dominus fratrum tuorum, &c. §.206.n.2.p.252
29 Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, &c. paragr.207.n.2.p.253
33 Expauit Iſaac ſtupore vehementi.§.211. n.2.p.257
40 Tempuſque veniet cùm excutias, & ſoluas iugum. §.46.n.3.p.66.§.225.n.2. p.271. §.224.n.4 p.270
41 Dixitque in corde ſuo, &c. paragr.227. n.2.p.273
42 Nunciata ſunt hæc Rebeccæ. §. 227. n.2.p.273
*Cap.*28. verſ.13. Et Dominum innixum ſcalæ. paragr.172.n.3.p.328.§.354 n.2.p.423. 424
17 Non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cæli. paragr.110. n.4. p.140. Et §.247.n.4.p.300
20 Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Dominus mecum, &c. paragr.128. n.2. p.158
21 Erit mihi Dominus in Deum. §.128. n.2.p.158
*Cap.*29.v.11. Oſculatus eſt eum,& eleuatâ voce fleuit. §.256.n.4.p.309
20 Et videbantur illi pauci præ amoris magnitudine. §.242.n.3.p.294
*Cap.*30. v.3. Habeo famulam Balam, ingredere ad illam, &c. §.372.n.2.p.441
*Cap.*31. v.36. Tumenſque Iacob cum iurgio, ait.§.165.n.3.p.205.§.230.n.2.p.276
*Cap.*32. v.25. Cùm videret,quod eum ſuperare non poſſet. paragr.15. numero 4.p.36. paragr.258. num.3. p.311. paragr.271. num.3. p.327. paragr.381. n.2. p.450. 451

*Cap.*37. v.2. Et erat cum filiis Balæ & Zelphæ vxorum patris ſui. paragr.361. numer.2. p.430
8 Reſponderunt fratres eius: Numquid Rex noſter eris? §.206.n.3.p.252
8 Hæc ergo cauſa ſomniorum, atque ſermonum, &c. §.94.n.2.p.115
10 Num ego, & mater tua ... adorabimus te ſuper terram? §.315.n.3.p.383
35 Deſcendam ad filium meum lugens in inferno. §.252.n.3.p.304.305
*Cap.*38. v. 18. Ad vnum igitur coitum mulier concepit. §.318.n.2.p.386
27 Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in vtero. §.271.n.2.p.326.327
27 Vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum. §.380.n.2.p.449
*Cap.*39. verſ.11. Nequaquam acquieſcens operi nefario. paragr.304.n.3.p.435
*Cap.*40. v.1. Accidit vt peccarent duo Eunuchi, Pincerna Regis, &c. p. 390. n. 2. p.461
13 Reſtituet te in gradum priſtinũ. §.135. n.1.p.162
16 Tria canistra farinæ habentem ſuper caput meum. paragr.22. n.2.p.42.§.43. n.2. & 3. p.62.63.§.331. num.2.p.399. 400
20 Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat. paragr.96.n.1. pag.117.§.387. n.1.p.458
*Cap.*41. v.9. Confiteor peccatum meum. Iratus Rex, &c. paragr.313. numer.3.p.381. 382
33 Nunc ergo prouideat Rex virum ſapiẽtem, &c. §.342.n.3 p.411.412
40 Ad tui oris imperium cunctus populus obediet. paragr.386.n.3.p.456
43 Feceritque eum aſcendere ſuper currum ſuum. paragr.356. n.4. p.426
44 Dixit quoque ad Ioſeph: Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio, &c.§.356.n.5. p.426. §.358. n.2 p.427.428
45 Deditque illi vxorem Aſeneth filiam Putiphare Sacerdotis. §.239. n.4. & 5. p.285.286
51 Vocauitque nomen primogeniti, Manaſſes, dicens, &c. §.265.n.1.p.320
*Cap.*42. verſ 6. Cumque adoraſſent eum fratres ſui, &c. §.247.n.2 p.299
8 Fratres ipſe cognoſcens, non eſt cognitus ab eis. §.314 n.3.p 382
16 Alioquin per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis. paragr.396.n.5.p.467.468
32 Duodecim fratres vno patre geniti ſumus. §.119.n.5.p.149
36 Abſque liberis me eſſe feciſtis. §. 119. n.4. p.149
38 Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. paragr.213.n.4.p.295
*Cap.*43. v.11. Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis. paragr. 0.n.2.p.110.111
12 Pecuniam quoque duplicem ferte vobiſcum, &c. §.231.n.2.p.276.277
14 Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem. §. 231. num. 4. p.277. Et §.374.n.3.p.443
23 Nam pecuniam quam dediſtis mihi probatam ego habeo. §. 148. n.1. p. 181, 182

Cap. 45. verſ. 4. Ego ſum Ioſeph frater veſter. §.18.n.2.p.38
6 Quinque anni reſtant, quibus nec arari poterit, nec meti. paragr.166.n.2.p.205. 206
8 Quaſi patrem Pharaonis. paragr.358. n.4. p.426
15 Oſculatuſque eſt Ioſeph omnes fratres ſuos, &c. §.62.n.2.p.82
20 Nec dimittatis quicquam de ſupellectile veſtra. §.3.n.3.p.29
22 Beniamin verò dedit trecentos argenteos. §.62.n.3.p.82
*Cap.*46. v.7. Filij eius, & nepotes, filiæ, &c. §.363.n.2.p.432
30 Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. paragr.252.n.3.p.304.305
*Cap.*47. v.2. Extremos quoque fratrum ſuorum quinque, &c. §.359. num.3. pag.428. 429
4 Ad peregrinandum in terra tua venimus.... quoniam non eſt herba gregibus, &c. §.376.n.3.p.445
9 Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui, & mali. paragr.242.n.2 p.294 §.389.n.2.p.459. 460
24 Quintam partem Regi dabitis, &c. §.278.n.3.p 334
31 Iura ergo mihi: quo iurante, &c. §.396. n.2.p.467
*Cap.*48. v.2. Qui confortatus ſedit in lectulo. paragr.246. n.4. pag 299. Et §.315.n.4. p 383
4 Ego dabo tibi terram hanc, &c. §.249. n.2. p.301.302. Et paragr.250. num.2. p.301.303
5 Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon. §.251.n.2. pag.304. Et §.253. n 2.p.305.306.§.261.n.2 p.314.
14 Qui extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris. paragr.261. num.4. p.315. paragr.263. n.3.p.317
18 Quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius. §. 269. n.5.p.325.§.307.n.4.p.375
22 In gloria & arcu meo. §.178. n.2.p.134
*Cap.*49. verſ.1. Vocauit Iacob filios ſuos, &c. §.323.n.3. & 4. p.391. 392.§.395.n.4. p.466
5 Simeon & Leui fratres, &c. paragr.294. n.2.p.360.361
6 In conſilium eorum non veniat anima mea, &c. §.299.n.2.p.365.366
7 Diſpergam eos in Iſraël. paragr.303. n.2. p.370
8 Iuda te laudabunt fratres tui. §. 313. n.2. p 381
9 Requieſcens, accubuiſti vt leo. §.315. n.2.p.383
10 Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius. paragr. 319. n.2. p.387. 388
11 Lauabit in vino ſtolam ſuam, &c.§.320. n.3.p.388.489.§.345.n.2.p.414
12 Dentes eius lacte candidiores. §. 322. n.1.p.390
17 Fiat Dan coluber in via, &c. paragr.335. n.2.p 404

*Cap.*4.v.8. Hi ſunt Dij,qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ in deſerto. §.4. n.4. & 5. p.24. Et §.7. n.3. p.28. Et §.213. n.1. p.259. Et paragr.215. n.3. p.261. Et §..25.n...p..9...94
17 Ruina magna facta eſt in populo : inſuper & duo filij tui mortui súc.§.208. n.2.p.253.254
21 Et vocauit puerum, Ichabod, dicens : Tranſlata eſt gloria de Iſraël. §.213. n.4.p.259
*Cap.*10.v.5. Obuiam habebis gregem prophetarum, &c. §.243.n.3.p.296
*Cap.*11. v.2. Viditque mulierem ſe lauantem, &c. paragr.293.n.1.p.359.360
*Cap.*16. v.7. Ne reſpicias vultum eius, quoniam abieci eum. §.374.n.4.p.443
11 Numquid iam completi ſunt filij tui.... adhuc reliquus eſt paruulus.§.355.n.4. p.425
12 Surge, & vnge eum,ipſe eſt enim, &c. paragr.11.n.5.p.31.§.384.n.3.p.454
13 Tulit Samuel cornu olei,& vnxit eum, &c. paragr.261.n.3.p 314.315
14 Et exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino. paragr.243.n.2.p.295
18 Ecce vidi filium Iſaï Bethlehemitem, &c.§.355.n.4.p.425. §.389.n.3.p.460
23 Quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharam. paragr.11.n.5.p.31
*Cap.*17 v.42. Cúmque inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid,deſpexit eum. §.203. n.3.p.249
44 Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli. §.217.n.2.p.263.264
55 De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, paragr.164.n. .p.204
*Cap.*18. v.7. Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia. paragr.173.n.3.p.219
9 Non rectis ergo oculis Saül aſpiciebat Dauid. paragr.39.num.2. & 3.p.59. Et paragr.124.n.2.p.153.154
*Cap.*19. v.10. Niſuſque eſt Saul configere Dauid. paragr.10.n.3.p.30. Et paragr.213. n.3.p.259. Et paragr.372.n.3.p.441
*Cap.*22. verſ.9 Reſpondens autem Doeg Idumæus, &c. paragr.389. num.3. p.460. paragr.390.n.3.p.461
*Cap.*24. v.21. Nunc ſcio, quòd certiſſimè regnaturus ſis, &c. paragr.135.n.2.p.181
23 Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca. paragr.10. n.2. p.29. §.381. n.3.p.451
*Cap.*28. v.15. Quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer? paragr.155.n.3.p.195

Ex lib. II. Regum.

*Cap.*7. v. 8. Ego te tuli de paſcuis ſequentem greges, &c. paragr.384.n.3.p.454
*Cap.*11. v.4. Miſſis itaque Dauid nunciis, tulit eam, &c. paragr.334.n.2.p.402.403
*Cap.*12. v.5. Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum, &c. §.219. n. .p.265
9 Vxorem illius accepiſti in vxorem tibi.... quamobrem non recedet gladius, &c. paragr.12. n.3. p.41. Et paragr.43. n.4.p.63
19 Num mortuus eſt puer? &c.§.194.n.5. p.240. 241
31 Populum quoque eius adducens, ſerrauit, &c. paragr.287.n.4.p.354
*Cap.*13. verſ.20. Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? §.121.n.4.p.151
32 Amnon ſolus mortuus eſt, quoniam in ore Abſalom erat. paragr. 286. num.2. p.352.353
*Cap.*16. v. 21. Ingredere ad concubinas patris tui, &c. paragr.173.n.3.p.213
*Cap.*18. v.25. Si ſolus eſt, bonus eſt nuncius in ore eius paragr.197.n.3.p.243

Ex lib. III. Regum.

*Cap.*8. verſ.27. Quod verè Deus habitet ſuper terram, &c. paragr.210.n.3.p.256. Et §.247.n.3.p.299 300
*Cap.*17. v.1. Si erit annis his ros,& pluuia,&c. paragr.90.n.3.p.111. Et paragr.92.n.3. p.113. Et paragr.174.n.4. pag.214. Et paragr.244.n.4.p.296.297. paragr.301. n.4.p.368.§.309.n.3.p.376.377.§.358. n.3.p.428
4 Coruiſque præcepi, vt paſcant te ibi. §.376.n.2.p.445
12 Non habeo panem niſi quantum pugillus, &c.§.143.n.2.p.182. Et §.144. n.3.p.183
21 Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum. paragr.44.n.4.p.64
22 Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, &c. §.280.n.4.p.336.337
*Cap.*19. v.4. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. §.196. n.2. p.242. §.275. n.2.p.331. §.330.n.2.p.399. Et §.369. n.2.p.438
10 Et relictus ſum ego ſolus, & quærunt, &c. §.329.n.3.p.398
20 Vade, & reuertere : quod enim meum erat feci tibi. §.71.n.3.p.92
*Cap.*20. verſ.28. Deus montium eſt, & non eſt Deus vallium. §.91.n.4.p.112

Ex lib. IV. Regum.

*Cap.*20. v.10. Facile eſt vmbram creſcere, neque hoc volo, &c. §.155. n.2. p.194. 195

Ex lib. I. Paralipomenon.

*Cap.*11. v. 17. O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna Bethlehem. §.192. n.3. p.238. 239

Ex lib. II. Paralipomenon.

*Cap.*22. v.21. Filij qui egreſſi fuerant de vtero eius, interfecerunt eum gladio. §.397. n.3.p.468.469

Ex Tobia.

*Cap.*1. verſ.3. Ita vt omnia quę habere poterat quotidie concaptiuis fratribus, &c. §.89.n. 2.p.109
*Cap.*2.v.20. Videte ne forte furtiuus ſit. §.220. n.2.p.266

Ex Iudith.

Cap. 5. v. 21. Et vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, &c. §.311.num.1. p.378
Cap. 7. v. 20. Aut in tuo flagello vindica, &c. §.369.n.3.p.438.439
Cap. 8. v. 8. Neque erat qui loqueretur de illa verbum malum. §.364.n.1.p.433
Cap. 9. v. 4. Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa, &c. paragr.281.n.1.p.337.338
Cap. 13. v. 20. Non permiſit me Deus ancillam ſuam coinquinari. §.364.n.2.p.433

Ex Iob.

Cap. 1. v. 1. Et erat vir ille ſimplex. §. 96. n.3. p.118
Cap. 2. v. 13. Et nemo loquebatur ei verbum. paragr.350 n.3.p.419
Cap. 3. v. 8. Maledicant ei, qui maledicunt diei, &c. paragr.218.n.2.p.264
21 Qui expectant mortem, & non venit. paragr.275.n.3.p.331
Cap. 4. v. 6. Vbi eſt timor tuus, fortitudo, & patientia tua. paragr.195.n.2.p.241
16 Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum. paragr.70. n.4. p.91. §. 300. n.3.p. 67
Cap. 6. v. 9. Qui cœpit, ipſe me conterat, &c. paragr.123.n.4.p.153
12 Nec caro mea ænea eſt. paragr.77.n.3. p.98.§. 85.n.4.p.455.456
13 Neceſſarij quoque mei receſſerũt à me. paragr.56.n.2.p.76
Cap. 7. verſ. 15. Suſpendium elegit anima mea. §.137.n.4.p.176
Cap. 9. verſ. 23. Si flagellat, occidat ſemel, &c. §.123.n.4.p.153
28 Sciens, quod non parceres delinquenti. paragr.149.n.2.p.189
Cap. 14. v. 2. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur. §.276.n.4.p.332
13 Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas, &c. §.311.n.2.p.378.379
Cap. 38. verſ. 7. Cum me laudarent ſimul aſtra matutina. paragr.18. n.4. & 5. pag.48. Et paragr.65. n.4. p.86. Et §.134. n.3. p.164. Et §.176.n.1.& 2.pag.215.216. paragr.274. num.1. p.330. paragr.346. n.3.p.415.416

Ex Pſalmis.

Pſalm. 1. v. 1. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, &c. §.148. n.4.p.188
3 Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. paragr.65.n.1. & 2. p.85
4 Sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. paragr.59.num.4. p.79.80
Pſal. 18. v. 7. A ſummo cælo egreſſio eius. &c. §.274.n.3.p.330
Pſal. 21. v. 21. Erue à framea Deus animam meam. paragr.397.n.2.p.468
Pſal. 30. v. 11. Infirmata eſt in paupertate virtus mea. paragr.168.n.1.p.208
Pſal. 32. v. 6. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, &c. §.270.n.3.p.326
4 Paraſti in conſpectu meo menſam, &c. §.345.n.3.p.414.415
5 Diligit miſericordiam & iudicium. §.9. n.3.p.30
Pſal. 38. v. 6. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum, &c. §.400.n.2.p.471.472
Pſal. 40. v. 11. Reſuſcita me, & retribuam eis. paragr.61.n.4.p.82
Pſal. 44. v. 2. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. paragr.305.n.4.p.372
Pſal. 48. v. 18. Quoniam cùm interierit, non ſumet omnia, &c. paragr.146. num.2. p.185. Et §.315.n.2.p.383
Pſalm. 50. v. 4. Amplius laua me ab iniquitate mea. paragr.333.n.3.p.402
5 Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. paragr.331. n.3. p.400. §.333. n.1. p.402
Pſalm. 51. v. 3. Quid gloriaris in malitia, qui potẽs es in iniquitate? §.297.n.3.p.364
Pſalm. 63. v. 8. Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, paragr.123.n.3.p.153
Pſalm. 67. verſ. 19. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem. paragr.223.n.3.p.269
22 Verticem capilli perambulantem in delictis ſuis. §.334.n.4.p.403
Pſal. 68. v. 22. Et dederunt in eſcam meam fel. §.123.n.2.p.152.153
Pſalm. 71. v. 17. Ante ſolem permanet Nomen eius. paragr.266.n.2. & 4. p.321.322
Pſal. 72. verſ. 9. Poſuerunt in cælum os ſuum. §.218.n.3 p.264.265
Pſal. 76. v. 10. Numquid obliuiſcetur miſereri Deus? &c. §.106.n.3.p.136
Pſal. 77. v. 70. De poſt fœtantes accepit eum, &c. paragr.384.n.3.p.454
72 In intellectibus manuum ſuarum deduxit eos. §.263.n.2.p.316.317
Pſal. 80. v. 17. Dilata os tuum, & implebo illud. paragr.347.n.3.p.416
Pſalm. 93. v. 20. Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? §.195.n.3.p.241
Pſal. 102. v. 15. Tanquam flos agri ſic efflorebit. §.400.n.4.p.472
Pſal. 109. v. 1. Sede à dextris meis. §.260.n.2. p.313
Pſal. 111. v. 26. Initio tu Domine terram fundaſti, &c. §.3.n.1.p.22
Pſalm. 117. v. 19. Aperite mihi portas iuſtitiæ, &c. paragr.110.n.3.p.139
Pſal. 118. v. 29. Viam iniquitatis amoue à me. §.51.n.3.p.71
Pſal. 127. v. 2. Labores manuum tuarum quia manducabis. §.279.n.3.p.335.336
Pſalm. 131. v. 1. Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. §. 287. n.4. p.354

Ex Prouerbiis.

Cap. 1. verſ. 5. Audiens ſapiens, ſapientior erit. §.371.n.1.p.440
Cap. 6. verſ. 34. Zelus & furor viri non parcet. §.365.n.3.p.434
Cap. 8. v. 32. Nunc ergo filij audite me. §. 87. n.4.p.108
Cap. 10. v. 10. Qui annuit oculo, dabit dolorem. §.365.n.3.p.434

19 Qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. §.349.n.2. & 3.p.418

*Cap.*17.v.28. Et ſi compreſſerit labia ſua, intelligens. §.349.n.2.p.418

Ex Eccleſiaſte.

*Cap.*7. v.2. Melior eſt dies mortis die natiuitatis. §.96.n.4.p.118

17 Noli eſſe iuſtus multum. §. 301. n. 1. p.367.368

Ex Canticis.

*Cap.*2. v.1. Ego flos campi, & lilium conuallium. paragr.88.n.3.p.109

7 Adiuro vos filiæ Hieruſalem,&c.§.31. n.4.p.51

12 Flores apparuerunt in terra noſtra:tempus putationis aduenit.paragr.276.n.4. p.332

*Cap.*3. v. 1. In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea. paragr. 147. n.3.p..187

*Cap.*4. verſ.9. In vno oculorum tuorum, & in vno crine, &c. §.362.n.2.& 3.p.431

Cap. 5. v. 5. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa. paragr.388.n.2.p.458.459

*Cap.*8. v.8. Quid faciemus ſorori noſtræ quando alloquenda eſt? §.202.n.4.p.248

Ex Sapientia.

*Cap.*2. v. 4. Nomen noſtrum obliuionem accipiet. paragr.257.n.4.p.310.311

6 Venite ergo fruamur bonis. paragr.94. n.4.p.116

7 Et non prætereat nos flos temporis. §.400.n.4.p.472

*Cap.*5. v.4. Ambulauimus vias difficiles. §.59. n.2. & 3. p.79

*Cap.*7. v.26. Imago bonitatis illius. §.118.n.3. & 4. p.148

*Cap.*12. v.16. Virtus enim tua,iuſtitiæ initium eſt. paragr.6.n.4.p.27

*Cap.*18. verſ.15. Omnipotens ſermo tuus, &c. §.286.n.1.p.352

Ex Eccleſiaſtico.

*Cap.*10. v.6. Omnis iniuriæ proximi ne memineris. §.232.n.4.p.278

*Cap.*11. v.29. In fine hominis,denudatio operum illius. §. 96. n.3. p.118. Et §.127. n.2.p.156.157

*Cap.*14. v.6. Qui ſibi inuidet,nihil eſt illo iniquius. paragr.372.n.4.p.441

*Cap.*15. v. 3. Pane vitæ & intellectus. §. 269. n.4.p.325

*Cap.*32. v.1. Rectorem te poſuerunt, noli extolli, &c. paragr.60. num.1. p.80. Et §.359.n.2.p.428

Cap. 8. v.1. Honora medicum propter neceſſitatem. paragr.241.n.3.p.293

2 A Deo enim eſt omnis medela, & à lege. paragr.241.n.4.p.293

16 Quaſi dira paſſus,in ipſo plorare.§.399. n.3.p.471

Cap. 39. v. 10. Et in abſconditis ſuis conſiliabitur. paragr.80.n.2.p.100

Ex Iſaia.

*Cap.*3. v.7. In domo mea non eſt panis. Nolite me conſtituere Principem. paragr.386. n.1.p.456

*Cap.*6. v.2. Seraphim ſtabant ſuper illud, &c. §.175.n.3.p.215

8 Quem mittam? & quis ibit nobis? §.167.n.2.p.207

*Cap.*9. v.6. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, &c. paragr.251. n.3. p.303. 304

*Cap.*11. verſ.10. In die illa radix Ieſſe.... & erit ſepulchrum eius glorioſum. §.398.n.3. p.469.470

*Cap.*14. v.12. Quomodo cecidiſti Lucifer,&c. §.272.n.3.p.328.§.382.n.3.p.452

13 Sedebo in monte teſtamenti,&c.§.246. n.2.p.298. §.260.n.2.p.313.§.302.n.3. p.369

*Cap.*28. v.19. Vexatio intellectum dabit auditui. paragr.126.n.2.p.155.156

21 Vt faciat opus ſuum, alienum opus eius, &c. paragr.312.n.2.p.379

*Cap.*29. v. 17. Nonne Libanus conuertetur in Carmel? paragr.393.n.4.p.464

Cap. 49. v. 8. In die ſalutis auxiliatus ſum tui. §.68.n.5.p.89

*Cap.*30. v.11. Videte nobis errores. §. 264.n.2. & 3. p.317.318

*Cap.*42. v.14. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, &c. §.286.n.3.p.351.§.287.n.3.p.354

*Cap.*50. v.4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, &c. §.350.n.2.& 3.p.419

*Cap.*53. v.12. Pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam. paragr.62.n.4.p.82

Cap. 58. v. 6. Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? paragr.144.n.2.p.183

*Cap.*59. v.16. Aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat. paragr.95.n.3.p.117

*Cap.*66. v. 8. Nunquid parturiet terra die vna? &c. paragr.359.n.2.p.428

Ex Ieremia.

Cap. 2. verſ. 20. A ſæculo confregiſti iugum meum, &c. paragr.289.n.3.p.355

*Cap.*5. v.22. Qui poſui arenam terminum mari præceptum ſempiternum. §.56. n.4. pag.74

Ex Threnis.

*Cap.*1. v.13. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me. §.126.n.3.p.156

Ex Ezechiele.

*Cap.*1. v.10. Facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quattuor. paragr.78.n.1.p.99

*Cap.*19. v.5. Tulit vnum de leunculis ſuis,leonem conſtituit eum, &c. §. 355. n.3. p.424.425

*Cap.*24. v. 21. Ecce ego polluam ſanctuarium meum. paragr.125.n.3.p.155

*Cap.*28. v.12. Signaculum ſimilitudinis.§.302. n.3.p.369.§.382.n.3.& 4.p.452

*Cap.*29. v. 21. Tibi dabo apertum os in medio eorum. paragr.347.n.3.p.416

*Cap.*34.

Cap. 34. v. 2. Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. §.376.n.2.p.445

Ex Daniele.

Cap. 2. v. 33. Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. §.15.n.2.p.35
Cap. 3. v. 14. Deos meos non colitis, & ſtatuam auream.... non adoratis? §.8.n.2.p.28
Cap. 4. v. 12. Alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, &c. §.310.n.2.p.377
Cap. 14. v. 36. Tolle prandium, quod miſit tibi Deus. §.112.n.3.p.142

Ex Oſee.

Cap. 12. v. 4. Directus eſt cum Angelo, & inualuit. §.156.n.3.p.311. §.381.num.2. p.450.451
8 Diues effectus ſum, inueni idolum mihi. paragr.8.n.3.p.29
Cap. 13. v. 11. Dabo tibi Regem in furore meo. §.335.n.1.p.403.404

Ex Iona.

Cap. 1. v. 2. Surge & vade in Niniuen, &c. §.2. n.5.p.22. Et §.106.n.3.p.136. Et §.111. n.3.p.141. §.309.n.4.p.377
3 Et ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis. paragr.74.n.2.p.95. paragr.301.n.2. & 3.p.368
9 Dominum Deum cæli ego timeo. §.23. n.4.p.43
12 Tollite me, & mittite in mare. §.86. n.3.p.107
Cap. 2. verſ. 1. Et præparauit Dominus piſcem grandem, &c. paragr.172. numer.2. p.212
11 Et euomuit Ionam in aridam. §.112. n.2.p.141.142
Cap. 3. v. 4. Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. paragr.106.n.3.p.136
Cap. 4. v. 1. Et afflictus eſt Ionas afflictione magnâ, &c. §.193.n.2.p.239
2 Scio enim quia tu Deus clemens, & miſericors, &c. paragr.215.n.4.p.262. §.245.n.2.p.297
9 Benè iraſcor ego vſque ad mortem. paragr.193.n.3.p.239. §.308.num.3. p.375.376

Ex Nahum.

Cap. 1. v. 3. Mundans non faciet innocentem. §.149.n.1.p.188.189

Ex Sophonia.

Cap. 3. v. 1. Væ prouocatrix, & redempta ciuitas, columba. §.208.n.3.p.254

Ex lib. I. Machabæorum.

Cap. 1. v. 12. Diſponamus teſtamentum cum gentibus. paragr.294.n.4.p.361
Cap. 10. verſ. 1. Qui cognominatus eſt Nobilis §.156.n.3.p.196.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap. 1. v. 1. LIBER generationis Ieſu-Chriſti filij Dauid, filij Abraham. §.11. n.2. pag.31. Et paragr. 64. n.4. p.85. §.113. n.. p.142. §.207.n.3. pag.255. paragr.257. n.2.p.310. paragr.272.n.1.p.328. §. 9. n.3.p.360. Et paragr.317.n.3.pag..85. §.321.n.4.p.390. §.392.n 2.p.462.463
2 Abraham genuit Iſaac. paragr.252.n.4. p.305. Et paragr.323.n.2.p.391. §.380. n.4.p.450
3 Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. paragr.246.n.3.p.298.299. paragr.285. n.3.p.352. Et paragr.317. n.2. & 4. p.385.386. §.380.n.2.p.449
5 Salmon autem genuit Booz de Rahab. §.87.n.3.p.108. Et §.317.n.4.p.386
5 Booz autem genuit Obed ex Ruth. paragr.353.n.2.p.422.423
6 Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. paragr.17. n.4. p.37. Et paragr.84.n.2.& 5.p.104.105. paragr.183.n.2.p.222. paragr.291.n.3. p.357.358. paragr.293. num.2.p.360. §.330. n.3. p.399. paragr.334. num.3. p.403
7 Salomô autem genuit Roboam. §.287. n.2.p 353
8 Ioram autem genuit Oziam. §.271.n.4. p.327. paragr.306.n.5. pag.373. §.391. n.2.p.462
9 Ioatham autem genuit Achaz. §. 235. p.4.p.281.282.4. paragr.391.n.3.p.462
11 In tranſmigratione Babylonis, &c. paragr.321.n.2. & 3. p.389.390
18 Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph. paragr.151.num.3. p.191. Et paragr.240.n.4.p.286.287
19 Cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere. paragr.9.n.2.p.29
20 Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. paragr.240. n.5.p.287
21 Et vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet, &c. §.265.n.2.& 3. & 4. p.320.321. §.336.n.1.p.405
Cap. 2. v. 1. Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, &c. paragr.269.n.3.& 4. p.324. 325. §.400.n.2.p.471
2 Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? §.210.n.4.p.256.257
2 Vidimus ſtellam eius, &c. §.24.num.3. p.44. Et paragr.154. n.1. & 2. p. 193. 194. Et paragr.350. num.5. p.420. Et §.34.n.3 p.54

3 Audiens autem Herodes rex turbatus eſt. §.121.n.3.p.151

13 Surge, & accipe puerum, & matrem eius,& fuge in Ægyptum. paragr.231. num.6. p. 277. Et paragr.236. num.2. p.282

Cap.3. v.9. Patrem habemus Abraham. §. 97. n.3.p.127. Et §.170.n.4.p.210.211

11 Cuius non ſum dignus calceamenta portare. paragr.270.n.2.p.325.326

Cap.4. verſ. 3. Dic vt lapides iſti panes fiant. paragr.386.n.4.p.456.457

8 Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. §.93. num.4.p.114. Et §.94.n.3. p.115.116. Et §.244. num.2. p.296

9 Hæc omnia tibi dabo. §. 64. n.3.p.84

Cap. 5. v. 2. Et aperiens os ſuum docebat eos. §.347.n. .p.416

4 Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram. paragr.114.num.3.pag.144. Et paragr.142.n.5.p.181

6 Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. paragr.30.n.5.p.50

7 Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. paragr. 143. n.3.p.182

9 Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. paragr.31. n.5. p.51. Et §.66. n.3.p.87. Et paragr.151.n.2. p.190. Et §.231.n.2 p.278

17 Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, &c. §.340.n.3.p.409

25 Eſto conſentiens Aduerſario tuo citò dum es in via cum eo. paragr.235.n.3. & 5. p.281.282

34 Ego autem dico vobis, non iurare omnino. paragr.174.n.2.p.214

48 Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. §.199.n.2. p.245. Et §.16.n.2.p.36

Cap.6. v.9. Pater noſter, qui es in cælis. §.247. n.3.p.299.300

9 Sanctificetur nomen tuum. §.30. n.3. & 4.p.50. Et §.367.n.3.p.436

10 Fiat voluntas tua, &c. paragr.55. n.2. p.75. Et §.81. n.2.& 3. p.101

12 Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus, &c. paragr. 143. n.4. p.181

Cap.7. v.1. Nolite iudicare, vt non iudicemini. paragr.117.n.3.p.147

13 Spatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem. paragr.59. n.3.p.79. Et §.110 n.2.p.139

Cap.8. v. 6. Domine puer meus iacet in domo, &c. paragr.130.n.2.p.159.160

10 Non inueni tantam fidem in Iſraël. §.45.n.4.p.65

19 Magiſter ſequar te quocumque ieris. paragr.161.n.3. p.202. paragr.303.n.3. p.370.§.392.n.4.p.464

29 Quid nobis & tibi fili Dei? §.19.n.2. p.39

Cap.9. verſ. 9. Hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. paragr.17. num.5. p.37. Et paragr 141.n.3.p.179

14 Quare nos, & Phariſæi ieiunamus,&c. paragr.69. n.3. & 4. p.90. paragr.340. n.2. p.409

21 Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero. §.15.num.5.p.35. paragr.215. n.2.p.261

24 Non eſt enim mortua puella, ſed dormit. paragr.127.n.4.p.157

Cap.10. v.19. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. paragr.268.n.2.p.323. 324

42 Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem, &c. paragr.144. n.4.p.183

Cap.11. verſ.2. Ioannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti,&c. parag.3.n.3. & 4. p.22.23

3 Tu es qui venturus es, an alium expectamus? paragr.295.n.3.p.362

4 Cæci vident, claudi ambulant, &c. paragr.91.n.3.p.112

6 Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. paragr.23.n.2.p.43

12 Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. paragr.316.num.3. p.384

Cap.14. v. 20. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos. paragr.68.n.1.p.88

Cap.15. v.2. Non enim lauant manus, cum panem manducant. paragr.69.n.2.p.90

22 Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, &c. §. 282. num.4. p.339. Et §.366.n.2.p.435

23 Qui non reſpondit ei verbum. §. 350. n.4.p.419.420

Cap.16. v. 16. Tu es Chriſtus Filius Dei viui. paragr.19.n. 2.p.39

18 Tu es Petrus,& ſuper hanc petram,&c. paragr.342.n.2.p.411

Cap.17. v.2. Et transfiguratus eſt ante eos,&c. §.12.n.3.p.32

3 Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias, &c. paragr.289.n.3. pag.356. Et paragr.214.n.3.p.260

6 Audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam. §.333.n.2. & 3.p.401.402

9 Nemini dixeritis viſionem, &c. §. 12. n.2.p.32. Et paragr.153.n.3.p.193

Cap.18. v.15. Corripe eum inter te, & ipſum ſolum. paragr.395.n.5.p.467

20 Ibi ſum in medio eorum.§.249.num.4. p.302

22 Non dico tibi vſque ſepties, &c. §.16. n.3. p.36. Et paragr.89. n.3. p.110. Et paragr.212. n.2. p.258. Et paragr.236. n.1.p.282. Et paragr.375. n.2.p.444

24 Et cùm cœpiſſet rationem ponere, &c. paragr.2.num.4.p.21. Et paragr.29.n.3. p.48.49

Cap.19. v.27. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. paragr.140. n.5.p.178. Et §.222 n.2.p.268. paragr.297.num.2. p.363.364. Et §.393.n.3.p.464

Cap.20. verſ. 8. Cùm ſerò autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori, &c. §.5.n.4.p.26

18 Ecce aſcendimus Ieroſolymam,& filius hominis tradetur. §.169.n.4.p.209

21 Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, &c. paragr.199. n.3. p.245. Et paragr.250. num.3.pag.303. §.295. n.4.pag.362. §.301. n.2. p.369. §.357. n.2.p.426.427

22 Neſcitis quid petatis. §.20. numero 2. p.41
22 Poteſtis bibere calicem,&c. §.167.n.3. pag.207
23 Sedere autem..... non eſt meum dare vobis. §.245.n.3.p.297.298
Cap.21. v.37. Verebuntur fortè filium meum. §.288.n.3.p.355
39 Et apprehenſum eum, eiecerunt extra vineam. paragr.311.n.3.p.379
Cap.22. verſ.9. Ite ergo ad exitus viarum, &c. paragr.171.n.3.p.211
Cap.25. v.1. Quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam, &c. paragr.88. n.4. p.109. paragr.264. num.4. p.318.319. paragr.388.n.3.p.459
2 Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. §.10.n.3.p.30
8 Fatuæ autem ſapientibus dixerunt,Date nobis de oleo veſtro,&c.paragr.328. n.4.p.397
36 Nudus, & cooperuiſtis me, &c. §.145. n.3.p.184
40 Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis,mihi feciſtis. §.145.n.1. p.184
41 Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. paragr.104.n.2.p.134
Cap.26. v.11. Semper pauperes habetis vobiſcum, &c. paragr.145.n.4.p.184
28 Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. §.166.n.5.p.206
34 Antequam gallus cantet, ter me negabis. paragr.343.n.3.p.412.413
56 Tunc Diſcipuli omnes relicto eo fugerunt. §.150.n.2.p.189.190
63 Adiuro te per Deum viuum vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus. §.343.num.2. p.412
Cap.27. verſ.5. Et abiens laqueo ſe ſuſpendit. paragr.285.n.2.p.351
29 Plectentes coronam de ſpinis, &c. paragr.254.n.3.p.307
45 A ſexta autem horâ tenebrę factę ſunt, &c. paragr.228. n.2. p.274. Et §.248. n.3.p.301
51 Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. paragr.25.n.2.p.45
Cap.28. v.1. Venit Maria Magdalene, & altera Maria. paragr.363.n.4.p.432
2 Et accedens, reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. paragr.45.n.3.p.65
20 Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. paragr.160.n.3.p.200

Ex Marco.

Cap.1. v.1. Initium Euangelij Ieſu Chriſti,&c. paragr.113.n.2.p.142
3 Ego vox clamantis in deſerto.§.84.n.3. p.104
Cap.5. v.26. Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis.paragr.241.n.4.p.293
Cap.6. v.4. Quia non eſt Propheta ſine honore,niſi in patria ſua. §.253.n.3.p.306
18 Non licet tibi habere vxorem fratris tui. paragr.84.n.3.p.104
24 Quid petam? at illa dixit: Caput Ioãnis Baptiſtæ. paragr.221.n.2.p.267
Cap.7. v.36. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. §.228. n.3. & 4. p.274
37 Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. §.184.n.2.p.230
47 Remittuntur ei peccata multa... Cui autem minus dimittitur minus diligit. §.292.n.3.p.359
Cap.10. v.45. Et daret animam ſuam redemptionem pro multis. §.161.n.3.p.201
Cap.11. v.13. Non enim erat tempus ficorum. §.65.n.3.p.86
Cap.14. v.72. Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus, &c. paragr.184. n.1.p.230
Cap.16. v.14. Et exprobrauit incredulitatem eorum, &c. paragr.395.n.2.p.466
15 Prædicate Euangelium omni creaturæ. §.154.n.3.p.194
19 Aſſumptus eſt in cęlum,& ſedet à dextris Dei. paragr.223.num.4.p.271.272. Et §.246.n.2. p.298. Et §.324. num.2. p.392

Ex Luca.

Cap.1. v.18. Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis. paragr.327. n.4.p.396
26 Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo... ad Virginem. paragr.45.n.5 p.65
29 Quæ cùm audiſſet, turbata eſt. §.88. n.2.p.108
48 Quia reſpexit humilitatem ancillę ſuę, &c. paragr.353. n.2. p.412.413
Cap.2. v.7. Et pannis eum inuoluit,&c.§.380. n.3.p.449.450
21 Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c. §.265.n.2.p.320
47 Stupebant autem omnes qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis eius. paragr.53.n.2.p.73
Cap.3. v.1. Anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. paragr.335.n.3.& 4. p.404
Cap.7. v.37. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. §.161. num. 2. p.201. §.229.n.3. & 4.p.276
38 Lacrymis cœpit rigare pedes eius, &c. §.334.n.4.p.403.§.339.n.3.p.408
Cap.8. v.2. Maria,quæ vocatur Magdalene,&c. §.58.n.3.p.78
21 Mater mea, & fratres mei ſunt,qui verbum Dei audiunt, & faciunt. §.240. n.7.p.287
33 Exierunt ergo Dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, &c. paragr.86. n.2.p.106.107
44 Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam, &c paragr.169.n.3.p.209
Cap.9. v.46. Intrauit cogitatio in eos, quis eorum maior eſſet. §.44.n.2.p.63.64
59 Sequere me..... Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos. paragr.159.n.3.p.199
61 Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, &c. paragr.52.n.4.p.72
Cap.11. verſ.7. Pueri mei mecum ſunt in cubili. §.130.n.3.p.160. Et §.121 n.2.p.151. §.385.n.2.p.455
14 Et illud erat mutum. §.49.n.4.p.69

Cap. 12. v. 4. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus. §.351.n.2.p.420.421
20 Stulte, hàc nocte animam tuam repetunt à te. §.109.n.3.p.139
35 Et lucernę ardentes in manibus veſtris. paragr.318. n 3. p.386.387. Et §.227. n.2.p.273
Cap. 13. v.8. Dimitte illam & hoc anno vſque dum fodiam circa illam,&c. §.167.n.4. p.206. §.310. n.3. p.377. 378. §.334. n.2.p 402.403
Cap. 15. verſ.8. Quæ mulier habens drachmas decem, &c. §.159.n.2.p.198.199
17 Qui in ſe reuerſus, &c. paragr. 249. n.4.p.302
18 Surgam,& ibo ad patrem meũ. §.117. n.2.p.148
20 Cum adhuc longè eſſet,vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt. §.256.n.3.p.309.§.344.n.2.p.413
12 Citò proferte ſtolam primam, &c. §.318.n.4.p.387
31 Fili,tu ſemper mecum es,& omnia mea tua ſunt. §.262.n.3.p.316
Cap. 16. v. 8. Laudauit Dominus villicum iniquitatis,quia prudenter feciſſet. §.220. n.2.p.266
19 Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & byſſo. paragr.4.n.3. p.24
Cap. 17. v. 3. Attendite vobis: ſi peccauerit in te frater tuus. §.117.n.2.p.146.147
Cap. 21. v.17. Et eritis odio omnibus hominibus. paragr.265.n.3.p.320
25 Erunt ſigna in Sole,& Luna. §.283.n.3. p.350
Cap. 22. v. 43. Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum. paragr.160.n.5.p.200. paragr.350.n.3.p.419
Cap. 23. v.40. Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. §. 221. num.3. p.267
45 Velum templi ſciſſum eſt medium. paragr.25.n.2.p.45
46 In manus tuas commendo ſpiritum meum. paragr.136.n.4.p.174
Cap. 24. v.37. Exiſtimabant ſe ſpiritum videre. §.314 n.2.p.382
39 Palpate & videte,&c. §.35.n.5.p.56

Ex Ioanne.

Cap. 1. v.1. In principio erat Verbum. §.6.n.2. p.27. Et §.200. n.3.p.246. paragr.286. n.1.p.352. §.392.n.1.p.462.463
3 Omnia per ipſum facta ſunt. paragr.6. n.3.p.27. paragr.286.n.1.p.352
4 In ipſo vita erat. §.400.n.3.p.472
12 Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,&c. paragr.119.n.2.p.148
14 Verbum caro factum eſt. paragr. 133. n.4. p.163. paragr.353. num.3. p.423. paragr.393.n.5.p.464
15 Hic erat quem dixi, &c. paragr.306. n.4.p.373
19 Vt interrogarent eum: Tu quis es? paragr.191.num.4.pag.238.§.295.n.2. p. 361
23 Ego vox clamantis in deſerto. §. 84. n.3.p.104
27 Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. §.270.n.1. p.325. 326
33 Et ego neſciebam eum. paragr.26.n.3. p.46
42 Et adduxit eum ad Ieſum, &c. §.342. n.1.p.411
47 Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. paragr.37.n.2.p.57
Cap. 2. v. 4. Quid mihi & tibi eſt mulier? &c. §.337.n.3.p.406
11 Hoc fecit initium ſignorum Ieſus, in Cana Galilææ...... Et crediderunt in eum Diſcipuli eius. §.201.n.3.p.247
24 Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, &c. paragr.264.n.6.p.319
Cap. 3. verſ.2. Hic venit ad Ieſum nocte, &c. paragr.371.n 2.p.400
14 Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem, &c. paragr.332.n.2.p.400.401
16 Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. §.259.num.4. p.312. 313
18 Qui credit in eum non iudicatur, &c. paragr.229.n.2.p.275
23 Erat Ioannes baptizans in Ænnon. paragr.152.n.2.p.191.192
Cap. 4. v.17. Et mirabantur, quia cum muliere loquebatur. paragr.366.n.4.p.435
29 Qui dixit mihi omnia quæcumque feci. paragr.190.n.2.p.356
29 Numquid ipſe eſt Chriſtus? §.210.n.2. p.256
39 Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum, &c. paragr.38.n.3.p.58
Cap. 5. v.23. Vt omnes honorificent Filium,ſicut honorificant Patrem. paragr. 245. n.3.p.297.298
Cap. 6. v.5. Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, &c. paragr.67.n.4.p.88
12 Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta. paragr.169.n.2.p.209
13 Impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. §.68.n.1.p.88.§.387.n.1. p.447
68 Numquid & vos vultis abire? §. 98. n 2.p.118
Cap. 8. v.8. Et iterum ſe inclinans,ſcribebat in terra. §.190. num.3.p.356.357.§.366. n.4.p.435
9 Et remanſit ſolus Ieſus. §.136.num.3. p.173. 174. Et §.368.n.3.p.437
48 Nonne bene dicimus nos,quia Samaritanus es? §.307.n.2.p.374
59 Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. paragr.45.n.2.p.65
Cap. 10. verſ. 11. Ego ſum paſtor bonus, &c. §.122.n.3.p.152
17 Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, &c. paragr.189. n.2.p.235
Cap. 11. v.6. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit, &c. §.378. n.2.p.447
16 Eamus & nos, & moriamur cum eo. §.138.n.2.p.175.176
35 Et lacrymatus eſt Ieſus. paragr.73.n.4. p.94. Et paragr.238. n.2.p.284.§.256. n.4.p.309. paragr.344.n.2. & 3.p.413. 414

3 Vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem. §.103.n.2.p.133
6 Præcepit in die illo Præfectis operum, & exactoribus populi. §. 319. num. 2. p.387.388
9 Vt non acquieſcant verbis mendacibus. §.103.n.3.p.133
14 Flagellatique ſunt, qui præerant operibus. §.319.n.3.p.388
15 Cur ita agis contra ſeruos tuos ? &c. §.373.n.2.p.442
Cap.6. v.3. Et nomen meum Adonai non indicaui eis. paragr.98. n.5. p.128. §.283. n.2.p.350
6 Ego Dominus, qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum. paragr.377. n.4. p.446. 447
9 Qui non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus. paragr.124. n.2. & 3. p. 170
Cap.7. v.1. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. §.7.n.2.p.27
1 Et Aaron frater tuus erit propheta tuus. §.41.n.1.p.61.§.268.n.3.p.324
3 Ego indurabo cor Pharaonis.§.103.n.1. p.133. Et §. 120. n.3. p.150. Et §.181. n.3. p.220
9 Cùmque dixerit vobis Pharao: Oſtendite ſigna, &c. §.70.n.2.p.91
10 Quæ verſa eſt in colubrum, &c. §.76. n.1.& 3. p.97. Et §.157.n.3.p.197
11 Proiecerunt que ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones,&c. paragr.201. n.2.pag.247. paragr.328.n.2.& num.3. p.397
12 Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. paragr.186.n.1.n.232
Cap.8. v.3. Et ingredientur domum tuam, & cubiculũ lecti tui, &c.§.387.n.2.p.457. 458
10 Qui reſpondit: Cras. paragr.101. n.3. p.131
23 Ponámque diuiſionem inter populum meum, &c. §.148.n.3.p.188
Cap.12. v.35. Dedit autem Dominus gratiam populo, &c. paragr.190.n.1.p.236
Cap.14. v.28. Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt, &c. paragr.294.n.3.p.361
Cap.16. v.15. Quod cùm vidiſſent filij Iſraël, dixerunt ad inuicem Manhu? §. 114. n.2. p.143.144. §.298. n.2.p.364.365. §.371.n.1.p.440
19 Nullus relinquat ex eo in mane. §.99. n.3.p.129
22 Die autem ſexta colligerunt cibos duplices. paragr.322.n.3.p.390
Cap 19. verſ.1. Venerunt in ſolitudinem Sinai. §.146.n.2.p.185
15 Et ne appropinquetis vxoribus veſtris. paragr.289.n.2.p.355.356
16 Et ecce cœperunt audiri tonitrua, &c. paragr.100. n.2. p.130. Et paragr. 255. n.3.p.308
Cap.20. v.18. Cunctus autem populus videbat voces. paragr.55.n.4.p.55.§.255.n.1. p.307.308
Cap.22. v.28. Diis non detrahes. paragr.148. n.2.p.186. 187. Et §.217. n.3.p.264
Cap.26. v.35. Menſa enim ſtabit in parte Aquilonis. paragr.345.n.1.p.414
Cap.31. v.18. Deditque Dominus Moyſi... duas tabulas teſtimonij. §.100.n.3.pag.130. §.305.n.1.p.371
Cap.32. v.4. Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. paragr.4. n.6. pag.24. Et paragr.8. n.1.p.28. Et §.36. n.3.p.56
28 Et occidat vnuſquiſque fratrem,& amicum, &c. §.298.n.3.p.365

Ex Numeris.

Cap.11. verſ.4. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? &c. §.393.n.4.p.464
17 Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis. §.85.n.3.p.105.106
Cap.21. v.8. Fac ſerpentem æneum.... qui percuſſus aſpexerit eum viuet. §.332.n.2. p.400. 401
Cap.24. v.3. Dixit homo, cuius obturatus eſt oculus. paragr.67.n.3.p.88

Ex Deuteronomio.

Cap.4. v.9. Ne obliuiſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui. §.:5.n.4.p 55
Cap.6. verſ.4. Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt. §.4.n.1.& 2.&c.p.23
Cap.32. v.6. Numquid non ipſe eſt pater tuus? §.119.n.3.p.149

Ex Ioſue.

Cap.10. v.12. Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. §. 216. n.3.p 262.261
Cap.15. v.19. Dedit ei Caleb irriguum ſuperius & inferius. §.61.n.3.p.81

Ex lib. Iudicum.

Cap.5. v.13. Saluatæ ſunt reliquiæ populi.... ex Ephraim deleuit eos, &c. §.275.num.2. p. 329
14 Zabulon qui exercitum ducebat ad bellandum. paragr.319.n.1.p.387
18 Zabulon & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti. §.72.n.2.p.93
20 Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, &c. §.53.n.3.p.73
Cap.6. v.19. Et coxit hœdum,& de farinæ modio azymos panes. §.204 n.2.p.250
Cap.8. v.22. Dominare noſtri tu, & filius tuus, &c. §.284.n.3.p.351
Cap.9. v.2. Quid vobis eſt melius, vt dominentur veſtri? &c. §.284.n.3.p.351
Cap.13. v.6. Habens vultum Angelicum, terribilis nimis. §.365.n.2.p.434
Cap.14. v.6. Et hoc patri, & matri noluit indicare. §.153.n.3.p.192.193

Ex lib.1. Regum.

Cap.2. v.24. Non enim bona fama, quam ego audio. §.40.n.4.p.60
Cap.3.v.3. Nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur. paragr.14. n.3. & 4. pag.34. Et paragr.31. n.2. pag.53. 54. Et §.133. n.2. p.163.164.Et §.188. n.2.p.234

Cap.4.

*Cap.*13 v.10. Et ſicut Ægyptus venientibus in Segor. §.149 n.2.p.177.178. Et §.176. n.3 p.210
11 Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, &c. paragr.260. n.3. p.314
14 Leua oculos tuos, & vide à loco, &c. paragr.93.n.3.p.114
*Cap.*14.verſ.2. Contraque regem Balæ, eſt ipſa Segor. paragr.58.n.4.p.78. paragr.291. n.2.p.357
*Cap.*15.v.12. Suſpice cælum,& numera ſtellas, ſi potes, &c. §.176.n.2.p.216
*Cap.*18.v.4. Afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros. paragr.116.n.3.p.146
10 Reuertens, veniam ad te tempore iſto, vita comite. paragr.276.n.5.p.332
10 Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi. paragr.238.n.3.p.284
21 Deſcendam, & videbo clamorem, qui venit ad me, &c. paragr.40. n.2. & 3. p. 60
27 Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis. paragr 201.n.1.p.247
*Cap.*19. verſ.1. Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere. §.180. n.3.p.219
17 Noli reſpicere poſt tergum.paragr.395. n.3.p.464
20 Parua, & ſaluabor in ea. paragr. 146. n.4. p.186. Et paragr.183. n. 3. p.222. §.194.n.2.p.140
23 Sol egreſſus eſt ſuper terram,& Lot ingreſſus eſt Segor. §.109.n.2.p.138
36 Peperitque maior filium,& vocauit nomen eius Moab. §.191.n.4.p.238
Cap 20. v.6. Cuſtodiui ne, in peccares in me. paragr.147.n.4.p.187
*Cap.*21. v.27. Tulit itaque Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech, percuſſeruntque, &c. paragr.164.num.2.p.203. 204. paragr.398.n.4.p.468
*Cap.*22.v.1. Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum,&c.§.237.n.3.p.283.284
2 Atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, &c.paragr.101. n.1.p.131. paragr.222.n.3. & 4. p.268. 269 paragr.256.n.2.p.309. paragr 385. n.2.p.455
3 De nocte conſurgens, &c. paragr.180. n.1.p.219.paragr.296.n.2.p.363
9 Cúmque alligaſſet illum,&c.§.380.n.4. p.450
10 Et extendit manum ſuam, & arripuit gladium. paragr.171. n.3. p. 212. §.378. n.3.p.447.448.
12 Non extendas manum tuam ſuper puerum. paragr.18.n.3.p.218.219
*Cap.*23. v.2. Venit Abraham vt plangeret, & fleret eam. §.399 n.3.& 4.p.471
*Cap.*16.v.24. Virgoq; pulcherrima,& incognita viro. paragr.182.n.4.p.220
30 Cumque vidiſſet inaures in manibus ſororis ſuæ. paragr.263.n.2.p.316.317. paragr.261.n.7.p.319
*Cap.*25. v.21. Deprecatúſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua. paragr.280. num.3. p.336
22 Et collidebantur in vtero eius paruuli, &c. paragr.134.n.3.p.180
25 Protinùs alter egrediens plantam fratris tenebat manu. §.339.n.4.p.408
27 Iacob autem vir ſimplex habitans, &c. paragr.198.n.2 p.244
*Cap.*26. v.3. Et peregrinare in eâ. paragr.171. n.2.p.211
5 Et cuſtodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias, legeſque. §.182. n.2.p.220
8 Vidit eum iocantem cum Rebecca,&c. paragr.115.n.3.p.145
10 Potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tua, &c. paragr. 8.n...p. 8
10 Et induxeras ſuper nos grande peccatum. paragr.185.n.2.p. 30
12 Et inuenit in ipſo anno centuplum. paragr.165.n.2.p.204.205
26 Ad quem locum cum veniſſet de Geraris Abimelech, &c. paragr.191.num.2. p.237 paragr.356.n.2.p.425.3.357.n.3. p.427
28 Qui reſponderunt: vidimus tecum eſſe, &c. paragr.356.n.3.p.426
31 Et ſurgentes mane iurauerunt, &c. paragr.174 n.3.p.214
*Cap.*27. v.1. Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, &c. paragr.186.num.2. p.231. paragr.187. n.1. & 3. p.233
4 Affer vt comedam ; & benedicat tibi anima mea. paragr.189.n.4.p.235.236. paragr.191. n.3.p.237. paragr.262.n.1. p.315. 316
23 Et non cognouit eum,quia piloſæ manus... Benedicens ergo illi, &c.§.205. n.2.p.249
29 Eſto Dominus fratrum tuorum, &c. §.206.n.2.p.252
29 Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, &c. paragr.207.n.2.p.253
33 Expauit Iſaac ſtupore vehemẽti.§.211. n.2.p.257
40 Tempuſque veniet cùm excutias, & ſoluas iugum. §.46.n.3 p.66.§.225.n.2. p.271. §.224 n.4.p.270
41 Dixitque in corde ſuo, &c. paragr.227. n.2.p.273
42 Nunciata ſunt hæc Rebeccæ. §. 227. n.2.p.273
*Cap.*28. verſ.13. Et Dominum innixum ſcalæ. paragr.272.n.3.p.328.§.354.n.2.p.423. 424
17 Non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cæli. paragr.110. n.4. p.140. Et §.247.n.4.p.300
20 Vouit etiam votum dicens : Si fuerit Dominus mecum, &c. paragr.128. n.2. p.158
21 Erit mihi Dominus in Deum. §.128. n.2.p.158
*Cap.*29.v.11. Oſculatus eſt eum,& eleuatâ voce fleuit. §.256.n.4.p.309
20 Et videbantur illi pauci prę amoris magnitudine. §.242.n.3.p.294
*Cap.*30. v.3. Habeo famulam Balam, ingredere ad illam, &c. §.372.n.2.p.441
*Cap.*31. v.36. Tumenſque Iacob cum iurgio, ait.§.165.n.3.p.205.§.230.n.2.p.276
*Cap.*32. v.25. Cùm videret,quod eum ſuperare non poſſet. paragr.15. numero 4.p.36. paragr.258. num.3. p.311. paragr.271. num.3. p.327. paragr.381. n.2. p.450. 451

*Cap.*4.v.8. Hi ſunt Dij,qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ in deſerto. §.4. n.4. & 5. p.24. Et §.7. n.3. p.28. Et §.213. n.1. p.259. Et paragr.215. n.3. p.261. Et §.125.n.1.p.93.94

17 Ruina magna facta eſt in populo : inſuper & duo filij tui mortui ſũt.§.208. n.2.p 253.254

21 Et vocauit puerum, Ichabod, dicens : Tranſlata eſt gloria de Iſraël. §.213. n.4.p.259

*Cap.*10.v.5. Obuiam habebis gregem prophetarum, &c. §.243.n.3.p.296

*Cap.*11. v.2. Viditque mulierem ſe lauantem, &c. paragr.293.n.1.p.359.360

*Cap.*16. v.7. Ne reſpicias vultum eius, quoniam abieci eum. §.374.n.4.p.443

11 Numquid iam completi ſunt filij tui.... adhuc reliquus eſt paruulus.§.355.n.4. p.425

12 Surge, & vnge eum,ipſe eſt enim, &c. paragr.11.n.5.p.31.§.384.n.3.p.454

13 Tulit Samuel cornu olei,& vnxit eum, &c. paragr.261.n.3.p.314.315

14 Et exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino. paragr.243.n.2.p.295

18 Ecce vidi filium Iſaï Bethlehemitem, &c.§.355.n.4.p.425. §.389.n.3.p.460

23 Quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharam. paragr.11.n.3.p.31

*Cap.*17.v.42. Cúmque inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid,deſpexit eum. §.203. n.3.p.249

44 Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli. §.217.n.2.p.263.264

55 De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, paragr.164.n. .p.204

*Cap.*18. v.7. Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia. paragr.173.n.3.p.319

9 Non rectis ergò oculis Saül aſpiciebat Dauid. paragr.39.num.2.& 3.p.59. Et paragr.124.n.2.p.153.154

*Cap.*19. v.10. Niſuſque eſt Saül configere Dauid. paragr.10.n.3.p.30. Et paragr.113. n.3.p.259. Et paragr.372.n.3.p.441

*Cap.*22. verſ.9 Reſpondens autem Doeg Idumæus, &c. paragr.389. num.3. p.460. paragr.390.n.3.p.461

*Cap.*24. v.21. Nunc ſcio, quòd certiſſimè regnaturus ſis, &c. paragr.235.n.2.p.281

23 Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca. paragr.10. n.2. p.30. §.381. n.3.p.451

*Cap.*28. v.15. Quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer ? paragr.155.n.3.p.195

Ex lib. II. Regum.

*Cap.*7. v. 8. Ego te tuli de paſcuis ſequentem greges, &c. paragr.384.n.3.p.454

*Cap.*11. v.4. Miſſis itaque Dauid nuntiis, tulit eam, &c. paragr.334.n.2.p.402.403

*Cap.*12. v.5. Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum, &c. §.219. n. .p.265

9 Vxorem illius accepiſti in vxorem tibi.... quamobrem non recedet gladius, &c. paragr.12. n.3. p.41. Et paragr.43. n.4.p.63

19 Num mortuus eſt puer ? &c.§.194.n.5. p.240. 241

31 Populum quoque eius adducens, ſerrauit, &c. paragr.287.n.4.p.354

*Cap.*13. verſ.20. Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum ? §.121.n.4.p.151

32 Amnon ſolus mortuus eſt, quoniam in ore Abſalom erat. paragr.286. num.1. p.352.353

*Cap.*16. v. 21. Ingredere ad concubinas patris tui, &c. paragr.173.n.3.p.213

*Cap.*18. v.25. Si ſolus eſt, bonus eſt nuncius in ore eius paragr.197.n.3.p.243

Ex lib. III. Regum.

*Cap.*8. verſ.27. Quod verè Deus habitet ſuper terram, &c. paragr.210.n.3.p.256. Et §.247.n.3.p.299 300

*Cap.*17. v.1. Si erit annis his ros,& pluuia,&c. paragr.90.n.3.p.111. Et paragr.92.n.3. p.113. Et paragr.174.n.4. pag.214. Et paragr.244.n.4.p.296.297. paragr.301. n.4.p.368.§.309.n.3.p.376.377.§.358. n.3.p.428

4 Coruiſque præcepi, vt paſcant te ibi. §.376.n.2.p.445

12 Non habeo panem niſi quantum pugillus, &c.§.143.n.2.p.182. Et §.144. n.3.p.183

21 Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum. paragr.44.n.4.p.64

22 Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, &c. §.280.n.4 p.336.337

*Cap.*19. v.4. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. §.196. n.2. p.242. §.275. n.2.p.331. §.330.n.2.p.399. Et §.369. n.2.p.438

10 Et relictus ſum ego ſolus, & quærunt, &c. §.329.n.3.p.398

20 Vade, & reuertere : quod enim meum erat feci tibi. §.71.n.3.p.92

*Cap.*20. verſ.28. Deus montium eſt, & non eſt Deus vallium. §.91.n.4.p.112

Ex lib. IV. Regum.

*Cap.*20. v.10. Facile eſt vmbram creſcere, neque hoc volo, &c. §.155. n.2. p.194. 195

Ex lib. I. Paralipomenon.

*Cap.*11. v. 17. O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna Bethlehem. §.192. n.3. p.238. 239

Ex lib. II. Paralipomenon.

*Cap.*32. v.21. Filij qui egreſſi fuerant de vtero eius, interfecerunt eum gladio. §.397. n.3.p.468.469

Ex Tobia.

*Cap.*1. verſ.3. Ita vt omnia quę habere poterat quotidie concaptiuis fratribus, &c. §.89.n.2.p.109

*Cap.*2.v.20. Videte ne forte furtiuus ſit. §.220. n.2.p.266

Ex Iudith.

Cap. 5. v. 21. Et vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, &c. §.311.num.1. p.378
Cap. 7. v.20. Aut in tuo flagello vindica, &c. §.369.n.3.p.438.439
Cap. 8. v. 8. Neque erat qui loqueretur de illa verbum malum. §.364.n.1.p.433
Cap. 9. v.4. Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa, &c. paragr.281.n...p.337.338
Cap. 13. v.20. Non permiſit me Deus ancillam ſuam coinquinari. §.364.n.2.p.433

Ex Iob.

Cap.1. v.1. Et erat vir ille ſimplex. §. 96. n.3. p.118
Cap. 2. v.13. Et nemo loquebatur ei verbum. paragr.350 n.3.p.419
Cap. 3. v.8. Maledicant ei, qui maledicunt diei, &c. paragr.218.n.2.p.264
21 Qui expectant mortem, & non venit. paragr.275.n.3.p.331
Cap. 4. v.6. Vbi eſt timor tuus, fortitudo, & patientia tua. paragr.195.n.2.p.241
16 Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum. paragr.70. n.4. p.91. §. 300. n.3.p. 67
Cap. 6. v.9. Qui cœpit, ipſe me conterat, &c. paragr.123.n.4.p.153
12 Nec caro mea ænea eſt. paragr.77.n.3. p.98.§. 85.n.4.p.455.456
13 Neceſſarij quoque mei receſſerũt à me. paragr.56.n.2.p.76
Cap. 7. verſ.15. Suſpendium elegit anima mea. §.137.n.4 p.176
Cap. 9. verſ.23. Si flagellat, occidat ſemel, &c. §.123.n.4.p.155
28 Sciens, quod non parceres delinquenti. paragr.149.n.2.p.189
Cap. 14. v.2. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur. §.276.n.4.p.332
13 Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas, &c. §.311.n.2.p.378.379
Cap. 38. verſ.7. Cum me laudarent ſimul aſtra matutina. paragr.28. n.4. & 5. pag.48. Et paragr.65. n.4. p.86. Et §.134. n.3. p.164. Et §.176.n.1.& 2.pag.215.216. paragr.274. num.1. p.330. paragr.346. n.3.p.415.416

Ex Pſalmis.

Pſalm. 1. v.1. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, &c. §.148. n.4.p.188
3 Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. paragr.65.n.1. & 2. p.85
4 Sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. paragr.59.num.4. p.79.80
Pſal. 18. v.7. A ſummo cælo egreſſio eius. &c. §.274.n.3.p.330
Pſal. 21. v.21. Erue a framea Deus animam meam. paragr.397.n.2.p.468
Pſal. 30. v. 11. Infirmata eſt in paupertate virtus mea. paragr.168.n.3.p.208
Pſal. 32.v.6. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, &c. §.270.n.3.p.326
4 Paraſti in conſpectu meo menſam, &c. §.345.n.3.p.414.415
5 Diligit miſericordiam & iudicium. §.9. n.3.p.30
Pſal. 38. v. 6. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum, &c. §.400.n.2.p.471.472
Pſal. 40. v.11. Reſuſcita me, & retribuam eis. paragr.61.n.4.p.82
Pſal. 44. v.2. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. paragr.305.n.4.p.372
Pſal. 48. v.18. Quoniam cùm interierit, non ſumet omnia, &c. paragr.146. num.2. p.185. Et §.315.n.2.p.383
Pſalm. 50. v.4. Amplius laua me ab iniquitate mea. paragr.333.n.3.p.402
5 Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. paragr.331. n.3. p.400. §.333. n.3. p.402
Pſalm. 51. v.3. Quid gloriaris in malitia, qui potés es in iniquitate? §.297.n.3.p.364
Pſalm. 63. v. 8. Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, paragr.123.n.3.p.153
Pſalm. 67. verſ.19. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem. paragr.223.n.3.p.269
22 Verticem capilli perambulantem in delictis ſuis. §.334.n.4.p.403
Pſal. 68. v.22. Et dederunt in eſcam meam fel. §.123.n.2.p.152.153
Pſalm. 71. v.17. Ante ſolem permanet Nomen eius. paragr.266.n.2. & 4. p.321.322
Pſal. 72. verſ. 9. Poſuerunt in cælum os ſuum. §.218.n.3 p.264.265
Pſal. 76. v.10. Numquid obliuiſcetur miſereri Deus? &c. §.106.n.3.p.136
Pſal. 77. v.70. De poſt fœtantes accepit eum, &c. paragr.384.n.3.p.454
72 In intellectibus manuum ſuarum deduxit eos. §.263.n.1.p.316.317
Pſal. 80. v.17. Dilata os tuum, & implebo illud. paragr.347.n.3.p.416
Pſalm. 93. v.20. Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? §.195.n.3.p.241
Pſal. 102. v. 15. Tanquam flos agri ſic efflorebit. §.400.n.4.p.472
Pſal. 109. v.1. Sede à dextris meis. §.260.n.2. p.313
Pſal. 111. v.26. Initio tu Domine terram fundaſti, &c. §.3.n.2.p.22
Pſalm. 117. v.19. Aperite mihi portas iuſtitiæ, &c. paragr.110.n.3.p.139
Pſal. 118. v. 29. Viam iniquitatis amoue à me. §.51.n.3.p.71
Pſal. 127. v. 2. Labores manuum tuarum quia manducabis. §.279.n.3.p.335.336
Pſalm. 131. v.1. Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. §. 287. n.4. p.354

Ex Prouerbiis.

Cap. 1. verſ.5. Audiens ſapiens, ſapientior erit. §.371.n.1.p.440
Cap. 6. verſ.34. Zelus & furor viri non parcet. §.365.n.3.p.434
Cap. 8. v.32. Nunc ergo filij audite me. §. 87. n.4.p.108
Cap. 10. v.10. Qui annuit oculo, dabit dolorem. §.365.n.3.p.434

19 Qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. §.349.n.2. & 3.p.418
*Cap.*17.v.28. Et ſi compreſſerit labia ſua, intelligens. §.349.n.2.p.418

Ex Eccleſiaſte.

*Cap.*7.v.2. Melior eſt dies mortis die natiuitatis. §.96.n.4.p.118
17 Noli eſſe iuſtus multum. §.301.n.1.p.367.368

Ex Canticis.

*Cap.*2.v.1. Ego flos campi, & lilium conuallium. paragr.88.n.3.p.109
7 Adiuro vos filiæ Hieruſalem,&c.§.31.n.4.p.51
12 Flores apparuerunt in terra noſtra:tempus putationis aduenit.paragr.276.n.4.p.332
*Cap.*3.v.1. In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea. paragr.147.n.3.p..187
*Cap.*4.verſ.9. In vno oculorum tuorum, & in vno crine, &c. §.362.n.2.& 3.p.431
*Cap.*5.v.5. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa. paragr.388.n.2.p.458.459
*Cap.*8.v.8. Quid faciemus ſorori noſtræ quando alloquenda eſt? §.202.n.4.p.248

Ex Sapientia.

*Cap.*2.v.4. Nomen noſtrum obliuionem accipiet. paragr.257.n.4.p.310.311
6 Venite ergo fruamur bonis. paragr.94.n.4.p.116
7 Et non prætereat nos flos temporis. §.400.n.4.p.472
*Cap.*5.v.4. Ambulauimus vias difficiles. §.59.n.2. & 3. p.79
*Cap.*7.v.26. Imago bonitatis illius. §.118.n.3.& 4.p.148
*Cap.*12.v.16. Virtus enim tua,iuſtitiæ initium eſt. paragr.6.n.4.p.27
*Cap.*18.verſ.15. Omnipotens ſermo tuus, &c. §.286.n.2.p.352

Ex Eccleſiaſtico.

*Cap.*10.v.6. Omnis iniuriæ proximi ne memineris. §.232.n.4.p.278
*Cap.*11.v.29. In fine hominis,denudatio operum illius. §.96.n.3.p.118. Et §.127.n.2.p.156.157
*Cap.*14.v.6. Qui ſibi inuidet,nihil eſt illo nequius. paragr.372.n.4.p.441
*Cap.*15.v.3. Pane vitæ & intellectus. §.269.n.4.p.325
*Cap.*32.v.1. Rectorem te poſuerunt, noli extolli, &c. paragr.60.num.1.p.80. Et §.359.n.2.p.428
*Cap.*38.v.1. Honora medicum propter neceſſitatem. paragr.241.n.3.p.293
2 A Deo enim eſt omnis medela, & à lege. paragr.241.n.4.p.293
16 Quaſi dira paſſus,in ipſo plorare.§.399.n.3.p.471
*Cap.*39.v.10. Et in abſconditis ſuis conſiliabitur. paragr.80.n.2.p.100

Ex Iſaia.

*Cap.*3.v.7. In domo mea non eſt panis. Nolite me conſtituere Principem. paragr.386.n.1.p.456
*Cap.*6.v.2. Seraphim ſtabant ſuper illud, &c. §.175.n.3.p.215
8 Quem mittam? & quis ibit nobis? §.167.n.2.p.207
*Cap.*9.v.6. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, &c. paragr.251.n.5.p.303.304
*Cap.*11.verſ.10. In die illa radix Ieſſe.... & erit ſepulchrum eius glorioſum. §.398.n.3.p.469.470
*Cap.*14.v.12. Quomodo cecidiſti Lucifer,&c. §.272.n.3.p.328.§.382.n.3.p.452
13 Sedebo in monte teſtamenti,&c.§.246.n.2.p.298. §.260.n.2.p.313.§.302.n.3.p.369
*Cap.*28.v.19. Vexatio intellectum dabit auditui. paragr.126.n.2.p.155.156
21 Vt faciat opus ſuum, alienum opus eius, &c. paragr.312.n.2.p.379
*Cap.*29.v.17. Nonne Libanus conuertetur in Carmel? paragr.393.n.4.p.464
*Cap.*49.v.8. In die ſalutis auxiliatus ſum tui. §.68.n.5.p.89
*Cap.*30.v.11. Videte nobis errores. §.264.n.2.& 3.p.317.318
*Cap.*42.v.14. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, &c. §.286.n.3.p.351.§.287.n.3.p.354
*Cap.*50.v.4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, &c. §.350.n.2.& 3.p.419
*Cap.*53.v.12. Pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam. paragr.62.n.4.p.82
*Cap.*58.v.6. Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? paragr.144.n.2.p.183
*Cap.*59.v.16. Aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat. paragr.95.n.3.p.117
*Cap.*66.v.8. Nunquid parturiet terra die vna? &c. paragr.359.n.2.p.428

Ex Ieremia.

*Cap.*2.verſ.20. A ſæculo confregiſti iugum meum, &c. paragr.289.n.3.p.355
*Cap.*5.v.22. Qui poſui arenam terminum mari præceptum ſempiternum. §.56.n.4.pag.74

Ex Threnis.

*Cap.*1.v.13. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me. §.126.n.3.p.156

Ex Ezechiele.

*Cap.*1.v.10. Facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quattuor. paragr.78.n.1.p.99
*Cap.*19.v.5. Tulit vnum de leunculis ſuis,leonem conſtituit eum, &c. §.355.n.3.p.424.425
*Cap.*24.v.21. Ecce ego polluam ſanctuarium meum. paragr.125.n.3.p.155
*Cap.*28.v.12. Signaculum ſimilitudinis.§.302.n.3.p.369.§.382.n.3.& 4.p.452
*Cap.*29.v.21. Tibi dabo apertum os in medio eorum. paragr.347.n.3.p.416

*Cap.*34.

Cap. 34. v. 2. Væ paſtoribus Iſraël,qui paſcebant ſemetipſos. §.376.n.2.p.445

Ex Daniele.

Cap. 2. v. 33. Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. §.15.n.2.p.35

Cap. 3. v. 14. Deos meos non colitis,& ſtatuam auream.... non adoratis? §.8.n.2.p.28

Cap. 4. v. 12. Alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, &c. §.310.n.2.p.377

Cap. 14. v. 36. Tolle prandium, quod miſit tibi Deus. §.112.n.5.p.142

Ex Oſee.

Cap. 12. v. 4. Directus eſt cum Angelo, & inualuit. §.156.n.3.p.311. §.381.num.2. p.450.451

8 Diues effectus ſum,inueni idolum mihi. paragr.8.n.3.p.29

Cap. 13. v. 11. Dabo tibi Regem in furore meo. §.335.n.1.p.403.404

Ex Iona.

Cap. 1. v. 2. Surge & vade in Niniuen, &c. §.2. n.5.p.22.Et §.106.n.3.p.136.Et §.111. n.3.p.141.§.309.n.4.p 377

3 Et ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis. paragr.74.n.2.p.95. paragr 301.n.2. & 3.p.368

9 Dominum Deum cæli ego timeo.§.23. n.4 p.43

12 Tollite me, & mittite in mare. §. 86. n.3.p.107

Cap. 2. verſ. 1. Et præparauit Dominus piſcem grandem, &c. paragr.172. numer.2. p.212

11 Et euomuit Ionam in aridam. §. 112. n.2.p.141.142

Cap. 3. v. 4. Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. paragr.106.n.3.p.136

Cap. 4. v. 1. Et afflictus eſt Ionas afflictione magnâ, &c. §.193.n.2.p.239

2 Scio enim quia tu Deus clemens, & miſericors, &c. paragr.215.n.4.p.262. §.245.n.2.p.297

9 Benè iraſcor ego vſque ad mortem. paragr.193.n.3.p.239. §.308.num.3. p.375.376

Ex Nahum.

Cap. 1. v. 3. Mundans non faciet innocentem. §.149.n.1.p.188.189

Ex Sophonia.

Cap. 3. v. 1. Væ prouocatrix, & redempta ciuitas, columba. §.208.n.3.p.254

Ex lib. I. Machabæorum.

Cap. 1. v. 12. Diſponamus teſtamentum cum gentibus. paragr 294.n.4.p.361

Cap. 10. verſ. 1. Qui cognominatus eſt Nobilis §.156.n.3.p.196.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap. 1. v. 1. LIBER generationis Ieſu-Chriſti filij Dauid,filij Abraham. §. 11. n.2. pag.31. Et paragr. 64. n.4. p.85. §.113. n.2. p.142.§.203.n.3. pag.255. paragr.257. n.2.p.310.paragr.272.n.1.p.328.§. 97. n.3.p.360. Et paragr.317.n.3.pag.385. §.321.n.4.p.390.§.392.n.2.p.462.463

2 Abraham genuit Iſaac. paragr.252.n.4. p.305. Et paragr.323.n.2.p.393.§.380. n.4.p.450

3 Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.paragr.246.n.3.p.298.299. paragr.285. n.3. p.352. Et paragr.317. n.2. & 4. p.385.386. §.380. n.2.p.449

5 Salmon autem genuit Booz de Rahab. §.87.n.3.p.108. Et §.317.n.4.p.386

5 Booz autem genuit Obed ex Ruth. paragr.353.n.2.p.422.423

6 Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. paragr.17. n.4. p.37. Et paragr.84.n.2.& 5.p.104.105. paragr.183.n.2.p.222. paragr.291.n.3. p.357.358. paragr.293. num.2.p.360. §.330. n.3. p.399. paragr.334. num.3. p.403

7 Salomõ autem genuit Roboam. §.287. n.2.p 353

8 Ioram autem genuit Oziam.§.271.n.4. p.327. paragr.306.n.5. pag.373.§.391. n.2.p.462

9 Ioatham autem genuit Achaz. §. 235. n.4.p.181.182.& paragr.391.n.3.p.462

11 In tranſmigratione Babylonis, &c. paragr 321.n.2. & 3. p.389.390

18 Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph. paragr.151.num.3. p.191. Et paragr.240.n.4.p.286.287

19 Cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere. paragr.9.n.2.p.29

20 Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. paragr.240. n.5.p.287

21 Et vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet,&c.§.265.n.2.& 3. & 4. p.320.321. §.336.n.2.p.405

Cap. 2. v. 1. Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, &c. paragr.269.n.3.& 4. p.324. 325. §.400.n.2.p.471

2 Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? §.210.n.4.p.256.257

2 Vidimus ſtellam eius,&c. §.24.num.3. p.44. Et paragr.154.n.1, & 2. p. 193. 194. Et paragr.350. num.5. p.420. Et §.34.n.3 p.54

3 Audiens autem Herodes rex turbatus eſt. §.121.n.3.p.151
13 Surge, & accipe puerum, & matrem eius,& fuge in Ægyptum. paragr.231. num.6. p. 277. Et paragr.236. num.2. p.282
Cap.3. v.9. Patrem habemus Abraham. §. 97. n.3.p.127. Et §.170.n.4.p.210.211
11 Cuius non ſum dignus calceamenta portare. paragr.270.n.2.p.325.326
Cap.4. verſ. 3. Dic vt lapides iſti panes fiant. paragr.386.n.4.p.456.457
8 Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. §.93. num.4.p.114. Et §.94.n.3. p.115.116. Et §.244. num.2. p.296
9 Hæc omnia tibi dabo. §. 64. n.3.p.84
Cap. 5. v. 2. Et aperiens os ſuum docebat eos. §.347.n. .p.416
4 Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram. paragr.114.num.3.pag.144. Et paragr.142.n.5.p.181
6 Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. paragr.30 n.5.p.50
7 Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. paragr. 143. n.3.p.182
9 Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. paragr.31. n.5. p.51. Et §.66. n.3.p.87. Et paragr.151.n.2. p.190. Et §.232.n.2.p.278
17 Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, &c. §.340.n.3.p.409
25 Eſto conſentiens Aduerſario tuo citò dum es in via cum eo. paragr.235.n.3. & 5.p.281.282
34 Ego autem dico vobis, non iurare omnino. paragr.174.n.2.p.214
48 Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. §.199.n.2. p.245. Et §.16.n.2.p.36
Cap.6. v.9. Pater noſter, qui es in cælis. §.247. n.3.p.299.300
9 Sanctificetur nomen tuum. §.30. n.3. & 4.p.50. Et §.367.n.3.p.436
10 Fiat voluntas tua, &c. paragr.55. n.2. p.75. Et §.81. n.2.& 3. p.101
12 Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus, &c. paragr. 143. n.4. p.182
Cap.7. v.1. Nolite iudicare, vt non iudicemini. paragr.117.n.3.p.147
13 Spatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem. paragr.59. n.3.p.79. Et §.110 n.2.p.139
Cap.8. v.6. Domine puer meus iacet in domo, &c. paragr.130.n.2.p.159.160
10 Non inueni tantam fidem in Iſraël. §.45.n.4.p.65
19 Magiſter ſequar te quocumque ieris. paragr.161.n.3. p.202. paragr.303.n.3. p.370.§.392.n.4.p.464
29 Quid nobis & tibi fili Dei? §.19.n.2. p.39
Cap.9. verſ. 9. Hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. paragr.17. num.3. p.37. Et paragr 141.n.3.p.179
14 Quare nos, & Phariſæi ieiunamus,&c. paragr.69. n.3. & 4. p.90. paragr.340. n.2. p.409
21 Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero. §.15.num.5.p.35. paragr.215. n.2.p.261
24 Non eſt enim mortua puella, ſed dormit. paragr.127.n.4.p.157
Cap.10. v.19. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. paragr.268.n.2.p.323. 324
42 Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem, &c. paragr.144. n.4.p.183
Cap.11. verſ.2. Ioannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti,&c. parag.3.n.3. & 4. p.22.23
3 Tu es qui venturus es, an alium expectamus? paragr.295.n.3.p.362
4 Cæci vident, claudi ambulant, &c. paragr.91.n.3.p.112
6 Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. paragr.23.n.2.p.43
12 Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. paragr.316.num.3. p.384
Cap.14. v. 20. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos. paragr.68.n.1.p.88
Cap.15. v.2. Non enim lauant manus, cum panem manducant. paragr.69.n.2.p.90
22 Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, &c. §. 282. num.4. p.339. Et §.366.n.2.p.435
23 Qui non reſpondit ei verbum. §. 350. n.4.p.419.420
Cap.16. v. 16. Tu es Chriſtus Filius Dei viui. paragr.19.n.2.p.39
18 Tu es Petrus,& ſuper hanc petram,&c. paragr.342.n.2.p.411
Cap.17. v.2. Et transfiguratus eſt ante eos,&c. §.12.n.3.p.32
3 Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias, &c. paragr.289.n.3. pag.356. Et paragr.214.n.3.p.260
6 Audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam. §.333.n.2. & 3.p.401.402
9 Nemini dixeritis viſionem, &c. §. 12. n.2.p.32. Et paragr.153.n.3.p.193
Cap.18. v.15. Corripe eum inter te, & ipſum ſolum. paragr.395.n.5.p.467
20 Ibi ſum in medio eorum.§.249.num.4. p.302
22 Non dico tibi vſque ſepties, &c. §.16. n.3. p.36. Et paragr.89. n.3. p.110. Et paragr.212. n.2. p.258. Et paragr.236. n.1.p.281. Et paragr.375. n.2.p.444
24 Et cùm cœpiſſet rationem ponere, &c. paragr.2.num.4.p.21. Et paragr.29.n.3. p.48.49
Cap.19. v.27. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. paragr.140. n.5.p.178. Et §.222 n.2.p.268. paragr.297.num.2. p.363.364. Et §.393.n.3.p.464
Cap.20. verſ. 8. Cùm ſerò autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori, &c. §.5.n.4.p.26
18 Ecce aſcendimus Ieroſolymam,& filius hominis tradetur. §.169.n.4.p.209
21 Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, &c. paragr.199. n.3. p.245. Et paragr.250. num.3.pag.303. §.295. n.4.pag.362. §.302. n.2. p.369. §.357. n.2.p.426.427

22 Neſcitis quid petatis. §.20. numero 2. p.41
22 Poteſtis bibere calicem?&c. §.167.n.3. pag.207
23 Sedere autem..... non eſt meum dare vobis. §.245.n.3.p.297.298
Cap.21. v.37. Verebuntur fortè filium meum. §.288.n.3.p.355
39 Et apprehenſum eum, eiecerunt extra vineam. paragr.311.n.3.p.379
Cap.22. verſ.9. Ite ergo ad exitus viarum, &c. paragr.171.n.3.p.211
Cap.25. v. 1. Quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam, &c. paragr.88. n.4. p.109. paragr.164. num.4. p.318.319. paragr.388.n.3.p.459
2 Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. §.10.n.3.p.30
8 Fatuæ autem ſapientibus dixerunt,Date nobis de oleo veſtro,&c.paragr.328. n.4.p.397
36 Nudus, & cooperuiſtis me, &c. §.145. n.3.p.184
40 Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis,mihi feciſtis. §.145.n.1. p.184
41 Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. paragr.104.n.2.p.134
Cap.26. v. 11. Semper pauperes habetis vobiſcum, &c. paragr.145.n.4.p.184
28 Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. §.166.n.5.p.206
34 Antequam gallus cantet, ter me negabis. paragr.343.n.3.p.412.413
56 Tunc Diſcipuli omnes relicto eo fugerunt. §.150.n.2.p.189.190
63 Adiuro te per Deum viuum vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus. §.343.num.2. p.412
Cap.27. verſ.5. Et abiens laqueo ſe ſuſpendit. paragr.285.n.2.p.351
29 Plectentes coronam de ſpinis, &c. paragr.254.n.3.p.307
45 A ſexta autem horâ tenebrę factę ſunt, &c. paragr.228. n.2. p.274. Et §.248. n.3.p.301
51 Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. paragr.25.n.2.p.45
Cap.28. v.1. Venit Maria Magdalene, & altera Maria. paragr.363.n.4.p.432
2 Et accedens, reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. paragr.45.n.3.p.65
20 Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. paragr.160.n.3.p.200

Ex Marco.

Cap.1. v.1. Initium Euangelij Ieſu Chriſti,&c. paragr.113.n.2.p.142
3 Ego vox clamantis in deſerto.§.84.n.3. p.104
Cap. 5. v. 26. Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis.paragr.241.n.4.p.293
Cap.6. v.4. Quia non eſt Propheta ſine honore,niſi in patria ſua. §.253.n.3.p.306
18 Non licet tibi habere vxorem fratris tui. paragr.84.n.3.p.104
24 Quid petam? at illa dixit: Caput Ioãnis Baptiſtæ. paragr.221.n.2.p.267
Cap. 7. v. 36. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. §. 228. n.3. & 4. p.274
37 Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. §.184.n.2.p.230
47 Remittuntur ei peccata multa... Cui autem minus dimittitur minus diligit. §.292.n.3.p.359
Cap. 10. v. 45. Et daret animam ſuam redemptionem pro multis. §.161.n.3.p.201
Cap.11. v. 13. Non enim erat tempus ficorum. §.65.n.3.p 86
Cap.14. v.72. Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus, &c. paragr.184. n.3.p.230
Cap. 16. v. 14. Et exprobrauit incredulitatem eorum, &c. paragr. 195.n.2.p.466
15 Prædicate Euangelium omni creaturæ. §.154.n.3.p.194
19 Aſſumptus eſt in cœlum,& ſedet à dextris Dei. paragr.223.num.4.p.271 272. Et §.246.n.2. p 298. Et §.324. num.2. p.392

Ex Luca.

Cap.1. v.18. Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis. paragr. 327. n.4 p.396
26 Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo... ad Virginem. paragr.45.n.5 p.65
29 Quæ cùm audiſſet, turbata eſt. §. 88. n.2.p.108
48 Quia reſpexit humilitatem ancillę ſuę, &c. paragr.353. n.2. p.421.423
Cap.2. v.2. Et pannis eum inuoluit,&c.§.380. n.3.p.449.450
21 Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c. §.265.n.2.p.320
47 Stupebant autem omnes qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis eius. paragr.53.n.2.p.73
Cap.3. v.1. Anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. paragr.335.n.3.& 4. p.404
Cap.7. v.37. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. §. 161. num. 2. p.201. §.229.n.3.& 4.p.276
38 Lacrymis cœpit rigare pedes eius, &c. §.334.n.4.p.403.§.339.n.3.p.408
Cap.8. v.2. Maria,quæ vocatur Magdalene,&c. §.58.n.3.p.78
21 Mater mea, & fratres mei ſunt,qui verbum Dei audiunt, & faciunt. §. 240. n.7.p.287
33 Exierunt ergo Dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, &c. paragr.86. n.2.p.106.107
44 Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam, &c paragr.169.n.3.p.209
Cap.9. v.46. Intrauit cogitatio in eos, quis eorum maior eſſet. §.44.n.2.p.63.64
59 Sequere me..... Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos. paragr.159.n.3.p.199
62 Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, &c. paragr.52.n.4.p.72
Cap.11. verſ.7. Pueri mei mecum ſunt in cubili. §.130.n.3.p.160. Et §.121 n.2.p.151. §.385.n.2.p.455
14 Et illud erat mutum. §.49.n.4.p.69

*Cap.*12.v.4. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus. §.351.n.2.p.420.421
20 Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te. §.109.n.3.p.139
35 Et lucernę ardentes in manibus veſtris. paragr.318. n.3. p.386.387. Et §.227. n.2.p.273
*Cap.*13.v.8. Dimitte illam & hoc anno vſque dum fodiam circa illam,&c. §.166.n.4. p.206. §.310. n.3. p.377. 378. §.334. n.2.p.402.403
*Cap.*15. verſ.8. Quæ mulier habens drachmas decem, &c. §.159.n.2.p.198.199
17 Qui in ſe reuerſus, &c. paragr. 249. n.4.p.302
18 Surgam,& ibo ad patrem meũ. §.117. n.2.p.148
20 Cum adhuc longè eſſet,vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt. §.256.n.3.p.309.§.344.n.2.p.413
22 Citò proferte ſtolam primam, &c. §.318.n.4.p 387
31 Fili,tu ſemper mecum es,& omnia mea tua ſunt. §.262.n.3.p.316
Cap. 16. v.8. Laudauit Dominus villicum iniquitatis,quia prudenter feciſſet. §.220. n.2.p.266
19 Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & byſſo. paragr.4.n.3. p.24
*Cap.*17. v. 3. Attendite vobis: ſi peccauerit in te frater tuus. §.117.n.2.p.146.147
*Cap.*21. v.17. Et eritis odio omnibus hominibus. paragr.265.n.3.p.320
25 Erunt ſigna in Sole,& Luna. §.283.n.3. p.350
Cap. 22. v. 43. Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum. paragr.160.n.5.p.200. paragr.350.n.3.p.419
*Cap.*23. v.40. Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. §. 221. num.3. p.267
45 Velum templi ſciſſum eſt medium. paragr.25.n.2.p.45
46 In manus tuas commendo ſpiritum meum. paragr.136.n.4.p.174
*Cap.*24. v.37. Exiſtimabant ſe ſpiritum videre. §.314 n.2.p.382
39 Palpate & videte,&c. §.35.n.5.p.56

Ex Ioanne.

*Cap.*1. v.1. In principio erat Verbum. §.6.n.1. p.17. Et §.200. n.3 p.246. paragr.286. n.1.p.352. §.392.n. p.462.463
3 Omnia per ipſum facta ſunt. paragr.6. n.3.p.27. paragr.286.n.1.p.352
4 In ipſo vita erat. §.400.n.3.p.472
12 Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,&c. paragr.119.n.2.p.148
14 Verbum caro factum eſt. paragr. 133. n.4. p.163. paragr.353. num.3. p.423. paragr.393.n 5.p.464
15 Hic erat quem dixi, &c. paragr.306. n.4.p.373
19 Vt interrogarent eum: Tu quis es? paragr.191.num.4.pag.238.§.295.n.2. p. 361
23 Ego vox clamantis in deſerto. §. 84. n.3.p.104
27 Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. §.270.n.1. p.325. 326
33 Et ego neſciebam eum. paragr.26.n.3. p.46
42 Et adduxit eum ad Ieſum, &c. §.342. n.1.p.411
47 Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. paragr.37.n.2.p.57
*Cap.*2. v. 4. Quid mihi & tibi eſt mulier? &c. §.337.n.3.p.406
11 Hoc fecit initium ſignorum Ieſus, in Cana Galilææ..... Et crediderunt in eum Diſcipuli eius. §.201.n.3.p.247
24 Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, &c. paragr.264.n.6.p.319
*Cap.*3. verſ.2. Hic venit ad Ieſum nocte, &c. paragr.371.n.2.p.400
14 Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem, &c. paragr.332.n.2.p.400.401
16 Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. §.259.num.4. p.312.313
18 Qui credit in eum non iudicatur, &c. paragr.229.n.2.p.275
23 Erat Ioannes baptizans in Ænnon. paragr.152.n.2.p.191.192
*Cap.*4. v.17. Et mirabantur, quia cum muliere loquebatur. paragr.366.n.4.p.435
29 Qui dixit mihi omnia quæcumque feci. paragr.190.n.2.p.356
29 Numquid ipſe eſt Chriſtus? §.210.n.2. p.256
39 Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum, &c. paragr.38.n.3.p.58
*Cap.*5. v.23. Vt omnes honorificent Filium,ſicut honorificant Patrem. paragr. 245. n.3.p.297.298
*Cap.*6. v.5. Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, &c. paragr.67.n.4.p.88
12 Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta. paragr.169.n.2.p.209
13 Impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. §.68.n.1.p.88.§.387.n.1. p.447
68 Numquid & vos vultis abire? §. 98. n.2.p.128
*Cap.*8. v.8. Et iterum ſe inclinans,ſcribebat in terra. §.290. num.3.p.356.357.§.366. n. .p 435
9 Et remanſit ſolus Ieſus. §.136.num.3. p.173. 174. Et §.368.n.3.p.437
48 Nonne bene dicimus nos,quia Samaritanus es? §.307.n.2.p.374
59 Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. paragr.45.n.2.p.65
*Cap.*10. verſ. 11. Ego ſum paſtor bonus, &c. §.122.n.3.p.152
17 Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, &c. paragr.189. n.2.p.235
*Cap.*11. v.6. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit, &c. §.378. n.2.p.447
16 Eamus & nos, & moriamur cum eo. §.138.n.2.p.175.176
35 Et lacrymatus eſt Ieſus. paragr.73.n.4. p.94. Et paragr.238. n.2.p.284.§.256. n.4.p.309. paragr.344.n.2. & 3.p.413. 414

41 Ait Ieſus: Tollite lapidem, &c. §.63. n.3.p.83.84
48 Venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem. paragr.257. num. 4. p.310. 311
49 Vos neſcitis quidquam. paragr. 187. n.4.p.233. Et §.325.n.4.p.394
Cap.12. verſ.27. Nunc anima mea turbata eſt, &c.§.122.n.2.p.151.152.Et §.181.n.2. p.220
32 Et ego ſi exaltatus fuero à terra, &c. §.354.n.3.p.424
Cap.13. v. 9. Non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput. parag.69.n.2.p.90
10 Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet. paragr. 116. n.3.p. 146. Et paragr.178 n.3.p.218
27 Et poſt buccellam introiuit in eum Satanas. paragr.127.n.2.p.156
31 Cum ergo exiſſet, dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis.§.13.n.2. & 3.p.33
Cap.14. verſ.23. Siquis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. §.177.n.2.p.216.217
27 Pacem relinquo vobis, pacem meã do bis. paragr.233.n.2.p.279
Cap.15. v. 3. Manete in me, & ego in vobis. §.361.n. .p.4 0
8 Et efficiamini mei diſcipuli. §.178.n.2. p.217
12 Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem. §.233.n.3.p.279
13 Maiorem hâc dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. paragr.226.n.2.p.272
Cap. 17. v. 19. Vt ſint ipſi ſanctificati in veritate. paragr.226.n.3.p.272
21 Vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, &c. paragr.136.n.2.p.173
22 Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis,vt ſint vnum, &c. paragr.284. n.2.p.350
Cap. 18. v. 4. Ieſus itaque ſciens quæ ventura erant ſuper eum, &c. paragr.288.n.2. p.354.355
10 Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, &c. §.160.n.2.p.199
19 Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis, &c. paragr.343 n.2.p.412
20 Reſpondit ei Ieſus: Ego palam locutus ſum mundo. paragr.227. n.*. p.273
38 Dixit ei Pilatus: Quid eſt veritas? §.298.n 3.p.365
39 Eſt autem conſuetudo vobis vt vnum dimittam, &c. §.377. n.2. & 3.p.446
Cap.19. v.11. Poteſtatem habeo crucifigere te, &c. paragr.244.n.3.p.296
12 Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. paragr.74.n.3. & 4. p.95
28 Sciens Ieſus quia iam omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur, &c. §.277.n.3.p.333
30 Et inclinato capite tradidit ſpiritum. paragr.277.n.4. & 5.p.333.334.§.364. n.2.p.415.§.398.n.2.p.469
34 Continuò exiuit ſanguis,& aqua.§.61. n.4.p.81
Cap.21. v.8. Tunicâ ſuccinxit ſe. §. 133. n.2. p.162
15 Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. paragr.82.n.2. p.102. Et §.83. n.2.p.103. Et §.162. n.2. pag.201. Et §.202. n.2. p.248. Et paragr.237. n.2. p.283. Et §.292. n.2. p.358. Et §.292. n.4. & 5. p.359. Et §.384.n.2.p.454
23 Et non dixit ei Ieſus,Non moritur,&c. §.41.n.2.p.61

Ex Actis Apoſtolorum.

Cap.3. v. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit: Reſpice in nos. §. 141. n.1. & 2. p.179. §. 216. n.2. p.262
16 Dedit integram ſanitatem iſtam. §. 91. n.2.p.111.112
Cap.7. v. 53. Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum. §.255.n.4.p.308
Cap.12. v.11. Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, &c. §.379.n.2. p.448. 449

Ex Epiſtola ad Romanos.

Cap.4. verſ.18. Contra ſpem in ſpem credidit. §.378 n.3.p.447.448
Cap.8. verſ.17. Si autem filij, & heredes, &c. §.316.n.4.p.384
Cap.9. v.16. Quia maior ſeruiet minori.§.368. n.2.p.436
Cap.10. v.10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. §.200. n.2.p.246
Cap.12. v.4. Sicut in vno corpore multa membra habemus, &c. §.353.n.1.p.422
20 Non vos defendentes chariſſimi, &c. §.235.n.3.p.281
Cap.14. verſ.4. Stabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum. paragr. 115. n.2. p.144.145. Et §.127.n...p.156.157
Cap.16. verſ.7. Qui ſunt nobiles in Apoſtolis. paragr.156.n.2.p.195.196

Ex Epiſtola I. ad Corinthios.

Cap.1. verſ.20. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? &c. §.348.n.3.p.417
Cap.2. v.9. Nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus, &c. §.12.n.3.p.32
Cap.4. v.5. Nolite ante tempus iudicare, &c. paragr.188.n.4.p.234
Cap.7. v. 14. Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem. §.240.n.6.p.287
Cap. 9. v.22. Factus ſum infirmis infirmus vt infirmos lucrifacerem.§.351.n.3.p.421
Cap.11. v. 2. Sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. paragr.255.n.2.p.308

Ex Epiſtola II. ad Corinthios.

Cap.6. v.2. In die ſalutis adiuui te. §. 68. n.3. pag.89
Cap.11. v. 2. Virginem caſtam exhibere Chriſto. paragr.54.n.4.p.74
Cap.12. verſ.9. Virtus in infirmitate perficitur. §.138.n.3.p.176

Ex Epiſtola ad Epheſios.

Cap.5. v.16. Rediméntes tempus. §.50.n.3.p.70

Cap.6.

Cap. 6. v. 19. Detur mihi ſermo in apertione oris mei. §.347.n.3.p.416

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

Cap. 1. verſ. 21. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. §.131. n.3.p.161
Cap. 3. v.14 Quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea, &c. §.140.n.3.p.178

Ex Epiſtola I. ad Theſſalonicenſes.

Cap. 4. v.12. Vt non contriſtemini,ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. §.399.n.4. p.471

Ex Epiſtola I. ad Timotheum.

Cap. 1. verſ.19. Quam quidam repellentes,&c. §.264.n.5.p.319
Cap. 2. v. 5. Vnus mediator Dei & hominum, &c. §.336.n.4.p.405
Cap. 3. v.6. Non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, &c. §.,82.n.2.p.451.452
Cap. 6. v.10. Radix omnium malorum eſt cupiditas. §.141.n.5.p.179.180

Ex Epiſtola II. ad Timotheum.

Cap. 4. verſ.5. Miniſterium tuum imple. §.133. n.3. p.162.163. Et §.132.n.3. pag.162. Et §.170.n.3.p.210

Ex Epiſtola ad Hebræos.

Cap. 4. verſ.12. Et diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. paragr.225. n.3. p.271
Cap. 6. v.4. Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, &c. §.52.n.5.p.72
Cap. 7. v.3. Sine patre, ſine matre, ſine genealogia. §.83.n.3. pag.103. Et §.113.n.4. p.145. Et §.209. n.1. & 2. p.254. 255. Et §.266.n.6.p.322
26 Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex... excelſior cælis factus. paragr.209. n.4. p.255
Cap. 9. v.17. Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. §. 316. n.4.p.384

Ex Epiſtola B. Iacobi.

Cap. 5. v.6. Inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna. §.207.n.3.& 4. p.253

Ex Epiſtola I. B. Petri.

Cap. 4. verſ. 8. Ante omnia autem mutuam in vobis..... quia charitas operit multitudinem peccatorum. paragr.225.num.2. p.271

Ex Epiſtola I. B. Ioannis.

Cap. 1. v. 1. Manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. §.35.n.4.p.55

Ex Apocalypſi.

Cap. 3. v.19. Ego, quos amo arguo, & caſtigo. §.388 n.1.p.458
Cap. 7. v.9. Stantes ante thronum..... & omnes Angeli ſtabant. §.260.n.2.p.313
Cap. 9. v.6. Deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. §.275.n.3.p.331
Cap. 19. v. 2. Qui iudicauit de meretrice magnâ. §.363.n.1.p.432.

FINIS.

IDEA

IDEA OPERIS.

I. Benedictio de Adamo, & Eua.
Complectitur cap. 1. Geneſeos.

II. Benedictio de Noë, & Filiis.
Complectitur cap. 9. Geneſeos.

III. Benedictio de Abrahamo, & Iſaaco.
Complectitur ab initio cap 12. Geneſeos, vſque ad verſ. 10. & ab initio cap. 26. vſque ad verſ. 6.

IV. Benedictio de Iacobo, & Eſaü.
Complectitur cap. 27. Geneſeos.

V. Benedictio de Ephraim & Manaſſe.
Complectitur cap. 48. Geneſeos.

VI. Benedictio de duodecim Patriarchis.
Complectitur cap. 49. Geneſeos.

DE

DE

BENEDICTIONIBVS PATRIARCHARVM ELECTA SACRA.

Explicantur quæ ad tituli notitiam ſpectant.

1\. PRÆLVSTREM hunc titulum, *De Benedictionibus Patriarcharum*, dedicauit ſanctus Ambroſius, illum cuipiam Lucubratiunculæ præſcribens; præſcripſit & Ruffinus, *De benedictionibus Patriarcharum ad Paulinum*, & *Paulinus presbyter apud S. Iſidorũ de Script. Eccleſiaſt. n. 4. & ipſe etiam Iſidorus cap. 31. Commentariorum in Geneſim.* Quos recentiores æui Doctores imitati ſunt, in tituli vſurâ, quá Opuſcula nobilitarunt ſua, ſuperbo Magni Ambroſij imitamento. Verùm antiqui, & recentes Scriptores ſtrictiùs eiuſmodi epigraphe vſi ſunt, dum illam coarctant, vel ad Benedictiones Iacobi, *Geneſeos* 49. vel Moyſis, *Deuteronomy* 33. quibus vterque duodecim Iſraëlitarum tribuũ principes felicitauit. Sed laxiùs vocabulorum proprietate vti licet in hoc Opere, ſpectatâ nominis ſignificantiâ, Biblico *Benedictionis* vſu, & frequenti SS. Patrum vſurpatione. Singula Tituli verba explicanda ſunt, vt dicendis facem accendant, quę Lectores inculet: titulo autem expoſito, non inidoneam inſtituti mei reddam rationem.

S. Ambroſ. Ruffinus. Paulinus. S. Iſidorus.

Hunc titulum præſcripſerunt antiqui, & neoterici ſcriptores.

2\. Itaque in ipſo Operis veſtibulo vox *Patriarcha* explicanda eſt, prout in ſacris litteris, & in hierarchiâ Eccleſiaſticâ vſurpari ſolet. Eſt ergo (vt vocis etymon innoteſcat) *Patriarcha*, & Græcum, & compoſitum nomen, conflatum ex τῶ πατέρος ἐ τῆς ἀρχῆς. Ad quem modum multa Latini mutuant à Græcis vocabula, vt Hæreſiarcha, Gymnaſiarcha, &c. *Patriarcha* igitur nominatur Patrũ princeps. Quo nomine (ſi quis alius) inſigniri debet Adamus, humani generis protoparens, & patrum princeps: Noëmus etiã pater Sem, Cham, & Iapheth, quorum numeroſâ ſobole gens hominum, eluuione naufraga, reſtauratur. Prætereà Abrahamus, Iſaacus, & Iacobus. Ad hęc, duodecim filij Iacob ſingulatim Patriarchæ dicuntur à S. Stephano, *Actor.* 7. & ſic communiter illos appellant SS. Patres, & antiqui recentéſque Scriptores: quippe qui totidem familiarum protoparentes extiterunt, quibus Dei populus conſtat. Quibus addere licet Ephraimum, & Manaſſem, quos ſingularum tribuum principes Iacobus conſtituit, adoptionis priuilegio. Ecce tibi huius lucubratiunculæ argumentũ in ſex partes diſſectum. Prima Benedictio Adamo & Euæ impenditur, Geneſis 1. cap. Secunda Noëmo & filiis, cap. 9. Tertia Abrahamo & Iſaaco, ab initio cap. 12. vſque ad verſ. 10. & ab initio cap. 26. vſque ad verſic. 6. Quarta Iacobo & Eſaü, cap. 27. Quinta Ephraimo & Manaſſe, cap. 48. Sexta duodecim Patriarchis, cap. 49. quæ Deuteronomij 33. à Moyſe diuerſimodè inculcantur. Itaque in hoc Volumine præfata Geneſeos capita priùs ſuccincto commentario ad litteram exponam: dein pro rei op-

Quid ſignificet Patriarcha: & quibus hoc nomen competat.

Actor. 7. v. 7. 8. & 9.

Datur idea Operis.

portunitate ad mores laxiùs exſpatiabor. Neque aliquid capitis explicandi intermittam, etſi ad *Benedictiones* preſſiùs non ſpectet; ne ſaltuatim rem versás, mutilos condam commentarios. Rursùs, neque omnes Scripturarum tractus; in quibus horum Patriarcharum *Benedictiones*, aut perſtringuntur, aut iterantur, aut amplificantur, hîc infarciam; ne inciſim multa tra.lans, & inamœna expoſitione narrationem interturbans, deuenuſtem expetitam Operis elegantiam, (titulum huic lucubrationi præfigens è re præcipuâ, quam verſat Geneſeos caput.) Quin & ex dicendis ſuper hoc argumento, cuique procliue erit facili negorio; reliqua & ad litteram expedire, & ad mores diuitare. Benè notant Abulenſis & Lyranus, principes cognationum in vnaquaque tribu, appellari *Patriarchas.* Vnde 1. Paralip. 8. de principibus tribus Beniamin dicitur: *Hi Patriarchæ, & cognationum principes, qui habitauerunt in Hieruſalem.* Et Tertullianus aduersùs Hermogenem, priſcos Philoſophos, qui multis fuerunt errorum duces, *Hæreticorum Patriarchas* appellat. Sed perrarò *Patriarcharum* nomen in malam partem accipitur. Ideò S. Iſidor. Peluſiota, Eſaü improbiſſimũ, vel potiùs reproborum ſymbolum, à Patriarchali reiicit dignitate, ſic fatus epiſt. 47. *Huic* (Eſaü inquam) *veluti natu maximo, & regnum, & ſacerdotium, & Patriarchica debebatur dignitas. Virtute porrò iſte vacuus erat. Idcircò in eã adductus eſt neceſſitatem, vt etiam ſuâ ſponte id venderet, quo etiam inuitus ſpoliari merebatur.*

Patriarchæ nomen in bonam partem accipitur.

1. Paralip 8. v. 28. Abulenſ. ibi quæſt. 5. Lyran. ibi.

Peluſ.

Sicut frequens, ita & varius eſt verbi *Benedicere* vſus in ſacris litteris. Benedicimus enim inferioribus, paribus, ſupe-
4. rioribus. Benedicit homo Deo, & homini Deus. Dei autem Benedicere, nil eſt aliud, quàm bona dicere: Deum autem bona dicere, planè eſt, illa deſignare, polliceri, aut tribuere. Hominem verò Deo benedicere, eſt, illius auguſtam liberalitatem, aut magnificam beneficentiam, ceteráque eius attributa dilaudare; & bona quę Deo inſunt, vel à Deo accepit, commendare. Hæc vulgaria ſunt, & nemini non nota. Hinc factum eſt, vt quoniam qui ſe mutuò ſalutant, bona ſibi exoptant (nempè vitam, valetudinem, felicitatem) vt *Benedicere* pro ſalutare haud rarò ſumatur. Geneſeos 47. inducitur Iacob *Benedicens illi*, id eſt, Regi Pharaoni. Et infrà: *Benedicto Rege egreſſus eſt foras.* Plura Scripturarum loca allegat inibi Cornelius. In hunc ſenſum explicat noſter Martinus de Roa illud Iob. 1. *Ne fortè peccauerint filij mei, & Benedixerint Deo in cordibus ſuis*, id eſt, Vale dixerint. Quem validè inibi Sanctius impugnat. Item cùm cap. 2. Iobi vxor, ſic illum alloquitur: *Benedic Deo, & morere*; LXX. transferunt: *Dicito aliquod verbum in Dominum, & morere*: quod communiter Interpretes, Græci maximè, vel per antiphraſim, vel per euphemiſmum exponunt: ita vt τὸ *Benedic*, idem ſit, ac *Maledic.* Plures acceptiones & vſus huius verbi *Benedicere*, copiosè tradit Pineda in Iob cap. 1. verſ. 5. à num. 17. Denique non omittam perobſcurum Tertulliani locum in lib. de Idololatria, vbi hæc habet verba: *Benedictio eſt nominis, maledictio cuſtodita diſciplina*: locus ſpecie tenùs difficilis; ſi contextus inſpiciatur attentiùs, explicatu non arduus: & qui τὸ *Benedicere* à ſua vulgari ſignificantiâ non extrahit. Itaque hominis erga homines Benedictio, eſt, *Sanctificationis, & gratiarum votiua collatio*, vt definit Ambroſius. Dei verò erga homines Benedictio, eſt, Diuina pollicitatio alicuius boni, aut illius exhibitio. In hoc ſecundo ſenſu accipitur Prima Benedictio Adami & Euæ; Secunda Noëmi & filiorum; & Tertia Abrahami & Iſaaci. In prima autem acceptione capitur in quarta Benedictione, dum Iſaacus benedicit Iacobo; in Quinta cùm Iacobus Ephraimo & Manaſſe; & in Sexta dum idem Iacobus duodecim filiis, totidem familiarum Patriarchis benedicit. An hæc vltima fuerit Benedictio, an prophetia, ibi tradetur.

Quid Benedicere in Scripturis ſignificet.

Gen. 47. v. 8. & 10.

Cornel. ibi.

Iob. 1. v. 5. Roa lib. 1. de locis, cap. 9.

Iob 2. v. 9.

Pineda.

Tertullian. de Idol. c. 14.

S. Ambroſ. de Bened. Patr. cap. 2.

Nihil, quod commentario litterali facem accendat, Præludialium diſputationum nomine, præmittendum duxi; ne impedita & ſcabroſa quæque in veſtibu-
lo adaggerans, non appetentiam, ſed nauſeam Lectorum excitarem. 5. Neque protheſibus ad mores materiatis, quicquam ferè notandum ſupeſuit, quod non prænotarim in Iudithæ prologo, ſeu Operis Ideâ. Adſimilis labor parem ſubire aleam non recuſat. Ergo (quod felix faſtúmque ſit) ordior, auſpicor primã Benedictionẽ, exinde ſeriatim reliquas.

BENE

BENEDICTIO I.

DE

ADAMO ET EVA.

PRIMA Benedictio Benedictionem Adami & Euæ continet. Primi enim hominum, diuinam Benedictionem Adamus & Eua dedicarunt: dum in hoc 1. Geneſeos cap. recèns creatis, *Benedixit illis Deus.* Quin Hic v.17. & mundi machinam, quaſi peramplam domum illis extruxit, animantium apparatu & ſeruitia, & cuncta mundialis opificij opera eorum obſequio deſtinauit. Ecce tibi quàm largâ *Benedictione* felicitatur Adamus in hoc primo Geneſeos capite. Ergo initium diuinæ Benedictionis, ſit auſpicium noſtræ de Benedictionibus tractationis.

CAPVT PRIMVM
GENESEOS.

IN principio creauit Deus cælum & terram. 2. Terra au- Vers.1.
tem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem
abyſſi: & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. 3. Dixitque
Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. 4. Et vidit Deus lucem
quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris. 5. Appellauit-
que lucem Diem, & tenebras Noctem: factúmque eſt veſpere
& mane, dies vnus. 6. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio
aquarum: & diuidat aquas ab aquis. 7. Et fecit Deus firmamentum, diui-
ſítque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum.
Et factum eſt ita. 8 Vocauitque Deus firmamentum, cælum: & factum eſt
veſpere & mane, dies ſecundus. 9. Dixit verò Deus: Congregentur aquæ,
quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita. 10. Et
vocauit Deus aridam, Terram, congregationéſque aquarum appellauit Maria.
Et vidit Deus quòd eſſet bonum. 11. Et ait: Germinet terra herbam viren-
tem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum,
cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita. 12. Et protulit
terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignúmque faciens
fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam. Et vidit
Deus quòd eſſet bonum. 13. Et factum eſt veſpere & mane, dies tertius.
14. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem

ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos: 15. vt luceant in fir-
mamento cæli, & illuminent terram. Et factum eſt ita. 16. Fecitque Deus duo
luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præ-
eſſet nocti: & ſtellas. 17. Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram,
18. & præeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras. Et vidit Deus
quòd eſſet bonum. 19. Et factum eſt veſpere & mane, dies quartus. 20. Dixit
etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram
ſub firmamento cæli. 21. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam vi-
uentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile
ſecundùm genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. 22. Benedixitque eis di-
cens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auéſque multiplicentur
ſuper terram. 23. Et factum eſt veſpere, & mane, dies quintus. 24. Dixit quoque
Deus: Producat Terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, &
beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas. Factúmque eſt ita. 25. Et fecit Deus beſtias
terræ, iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit
Deus quòd eſſet bonum, 26. & ait: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitu-
dinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæ-
que terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. 27. Et creauit Deus hominem
ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam crea-
uit eos. 28. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & re-
plete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli,
& vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. 29. Dixitque Deus: Ecce
dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ
habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam: 30. & cunctis
animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuerſis, quæ mouentur in terra,
& in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita. 31.
Viditque Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona. Et factum eſt veſpere,
& mane, dies ſextus.

COMMENTARIVS.

6. Vers. 1.

IN PRINCIPIO. Hæc vox *principium* plura ſignificat, vnde variæ expoſitiones informantur. Communis eſt ſignificatio, quæ *principium* ſtatuit, id à quo inchoatur actio, quæcumque illa ſit, aut opus, quod molimur. Sicut principium domus, eſt eius fundamentum; principium nauigationis, eſt ſolutio è portu. Sic *principium* operum Dei, & actionum, quæ à Deo ſummo rerum opifice extra ipſum, ad hominum vſum, & adſpectum prodierunt, fuerunt cæli & terra. Hic videtur obuius, & expeditus huius loci ſenſus, quem communiter ſequuntur interpretes, quos longum eſſet recenſere. Nempe cùm primùm cœpit mundus exiſtere, ante alia omnia fecit Deus cælum & terram, reiectâ in dies alias aliarum rerum productione. Sunt qui *in principio* explicant, *in Verbo*: ſed non adducar vt exiſtimem, hanc interpretationem litteralem eſſe, & non potiùs myſticam. Philoſophi verò qui æternitatem, Chaldæi & Ægyptij, qui plures annorum myriades mundo adſcribunt, facilè refelli poſſunt: quoniam à primo mundi exordio vſque ad Noëticum diluuium & deinceps, retroacti anni determinatè ſupputantur.

Quid ſignificet τὸ in principio.

Vnde probatur mundum non extitiſſe ab æterno.

CREA

Mariana. Honcala. *Non terra, ſed cælũ propriè creatum, & quare.*

7. Creavit. Neque Hebraïca, neque Græca neque Latina huius verbi ſignificatio cogit ad propriam & ſtrictam creationem interpretandam, vt hîc notarunt P. Mariana, & Honcala, & alij paſſim. Neque res ipſa efformata, nempe cælum & terra, ſi formam ſortiuntur dependentem à materia, quod non patitur propria creatio. Vnde etſi materia priùs tempore non extiterit, quàm forma, productio non ſortitur propriæ creationis elogium, ſed meræ eductionis attributum: licet generatio dici non poſſit; quia rem mutationis ignorat. Fateor, cælum (Empyreum inquam, quod hîc exprimitur) ſtrictè creari; non quoniam hîc creari dicitur, ſed quia corpus eſt ſimplex & incompoſitum, vt olim in Philoſophicis velitabar. Quin & putauerim terram ipſam laxiori vocabulo dici poſſe creari: quia eius materia tempore non præceſſit. Sed hoc Philoſophici pulueris negotium eſt.

Iſai. Abulenſ. Cathar. Perer. Rio. *Pluratiuus numerus pro ſingulari.* Bonfrer. Arias. Caninius.

8. Devs. Hebraïcè, אֱלֹהִים *elohim*, id eſt, *Dij creauit.* Notus Hebrææ linguæ idiotiſmus, (nullo grauidus ſacramẽto) apud quam numerus pluratiuus ſingulari numero applicatur. Sic Exod. 20. v. 3. *Non habebis Deos alienos*; Hebraïcè, *Non erit tibi Dij alieni.* Iſaiæ 19. v. 4. *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudeliũ.* Hebr. *Dominorum duri.* Ecce tibi ex linguæ ſanctæ idiomate, numeri ſæpè diſcordant. Ita Abul. Cathar. Perer. Martin. del Rio, & Bonfrer. hîc. Vide in apparatu Bibliorum Ariam Montanum lib. *Ioſeph.* cap. 2 & Angelum Caninium lib. de loc. Heb. Vnde in his verbis, *Dij creauit*, non ſolidè adſtruitur myſterium Trinitatis: nam etſi plures in Deo perſonas fides agnoſcat, non tamen plures Deos quod pluratiuum *Dij*, debuiſſet ſignificare. Sed certè quidam (verba ſunt P. Ioan. Mariana) eò ſunt progreſſi, vt Latinè rectè dici Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum eſſe Deos diſputent, non tamen tres Deos, ne numerus ad eſſentiam referatur per imprudentiam. Sic Cathar. in hunc locum, ídque ex ſententia, vt ipſi videtur, S. Thom. Alij in impiorum numero habent, qui ita ſentiant. Hucvſque Mariana. Quod decernere aliûs Scholæ otium aut negotium eſto. Ego quidem id affirmare non auſim.

Mariana. *Deus noſter dici non poteſt Dij.*

Cathar. S. Thom.

Cælum Empyreum primâ die creatum fuiſſe.

9. Cælvm. Empyreum inquam, ſolum. Quod ideò verius cenſuerim, quia seriò cenſemus, nullum aliud dari cælum durum ac ſolidum præter Empyreum, ſed ſuperiora elementa cælorum vocabulo infrà denotari: de quo agemus ad v. 6 huius cap. *Cæli* autem nomine Empyreum duntaxat cælum hîc ſignificari, docent Doctorum Summates. S. Clem. Rom. lib. 1. Recogn. aiens id ex S. Petri ore accepiſſe. Origen. homil. 1. Diodor. Tharſ. in Catena Theodor. Procop. Alcuin. Raban. Lyra ibi. Philo lib. de Mundi Opif. S. Hilar. in Pſal. 135. Theophil. Antioch. ad Autolycum lib. 2. Iunilius, Beda, Abul. S. Anſelm. lib. 1. de Imagine mundi c. 28. Rupert. lib. 1. in Gen cap. 6. S. Bonau. in 2. diſt. 12. Strabus Fuldenſ. in Gloſſ. Gulielm. Pariſ. 1. p de vniuerſo c. 31. & 40. Alex. Alenſ. p. 2 ſummæ Theolog. q. 45. memb. 2. Hugo Vict in ſent. tract. 2. c. 1. S. Bruno lib. 1. de nouiſ. cap. 2. Molina 1. p. q. 86. Cathar Martin. del Rio, Cornel. Menoch. Gordonus, Tirinus, Salianus tom. 1. in apparatu ad Annales c. 6. qui SS. Patrum, & veterum auctorum verba & refert, & expendit.

authoritate oſtenditur.

Aſt cælum Empyreum negat Caiet. in 2. ad Cor. cap. 12. Contrarium tamen ſentiunt reliqui ſcriptores. Neque negare poteſt Caietan. *Habitationem in cælis, domum non manufactam.* 2. Cor. 5. v. 1. Et hanc ſtabilem & fixam Chriſti & Beatorum habitationem, niſi velit, Chriſtum & Beatos in cælo mobili circumagi perpetuò, & in gyrum ſemper vnà cùm cælo rotari. Itaque ex communiſſima Theologorum ſententiâ in hac primâ mundi die creatum eſt cælum, non illud quod omnium animantium obiectum oculis, digito etiam indicari poteſt, ſed cælum Empyreum, beatorum ſedem quietam, atque immobilem, coruſcantem ſplendore mirabili, mortaliũ tamen oculis inacceſſam, theatrum pulchritudinis inæſtimabilis, in quo ſeſe Deus ſanctis Angelis, atque hominibus videndum præbet, ſicuti eſt, eíſque immenſas diuitias gloriæ ſuæ poſſidendas exhibet. Hoc cælum ab igneo ſplendore *Empyreum* vulgò nominatur. 10.

Negari non poteſt, dari cælum Empyreum.

Cum cælo Empyreo putauerim Angelos ſimul creatos, auguſtæ habitationis futuros incolas, ſaltem non poſt ſextum diem contra Acatium & Gennadium, ſuadet ſerpentis cum Euâ colloquium, quod niſi miniſteriali dæmonis officio mutum & brutum ſerpentis ingenium modulari nõ potuit. Die mundi quartâ vulgò cenſentur aſtra moueri ab Intelligentiis. Imò & primâ die lux diſtinguens tres illos primos mundi dies, 11.

Primâ mundi die creantur Angeli.

ab Angelis circumagi communiter cenſetur: ergo in eâ ſaltem opinione iam erant Angeli.

12\. Scio Origen. Theodor. Seuerian. Caſſian. S. Baſil. Nazianz. Chryſoſt. Hieron. Hilar. Ambroſ. Iſidor. & Bedam, quos allegat Salianus in apparatu ad Annales *Euaſio præcluditur.* c. 7. docuiſſe ante mundi illam hanc machinam, Angelos fuiſſe conditos. At oppoſita ſententia verior & tutior eſt, & omnium Catholicorum communis poſt definitionem Concil. Lateran. quæ habetur cap. *Firmiter*, de ſum. Trinit. & fide Cath. quæ adſtruit nô antè, ſed ſimul cum mundo corporeo Angelos fuiſſe *Conc. Later.* creatos. Hæc ſunt verba Concil. *Creator omnium in ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam; & deinde humanam ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* Vt definitionem Concilij declinent aduerſarij, reſpondent, obiter id dictum de Angelis, propriè verò contra Origen. audacter aſſerentem, animas diu ante corpora creatas fuiſſe. Verùm quid vetat aliquid obiter definiri? Et quidẽ diſertè aſſeritur à Concil. *Simul ab initio temporis vtramque condidiſſe creaturã, Angelicam & mundanam*: ergo aut τὸ *ſimul*, ſignificat temporis ſimultatem: & ſic rem euici: id enim intendimus. Aut ſignificat idem quod *pariter*, vt contendunt aduerſarij, hoc eſt, vtramque creaturam condidit Deus, etſi diuerſo tempore: & ſic Concilij definitio non fuerit Origẽ. qui tametſi cenſuit, animas diu ante corpora creatas fuiſſe, nuſquam tamen negauit, à Deo fuiſſe conditas. Ergo Origen. fatetur, Deum *ſimul*, id eſt, *pariter* condidiſſe Angelicam & mundanam creaturam: & exinde nihil Concilium vel aduersùs Origen. definit. Ecce tibi hanc communem euaſionem ſolidè præcluſam.

13\. *Cur tacetur Angelorum creatio.* Petes, quare Angelorum creationem Moyſes prætermiſerit? Reſpondent paſſim interpretes; Ne Hebræis ad Idololatriam propenſis, tam excellentis naturæ mentione occaſionem offerret Angelos colendi velut quædam numina. Profectò exiguum foret operæ pretium id diſtuliſſe vſque ad cap. 3. vbi Cherubinos inducit, & exinceps perſæpè Angelos apparentes Abrahamo, &c. & ipſi Moyſi. Imò cùm Angelos ab alio creatos publicaret, planè eſſe numina denegaret, & ita idololatriam auerteret. Ergo in hoc ſextiduo Angelorum non meminit Moyſes, quia duntaxat corporati mundi creationem denarrare propoſuit.

TERRAM. Nempe corpus ſeu elementum illud, quod mox poſt aquarum ſeparationem, *Terræ* nomen accepit. Hoc exigit ſimplex & hiſtorica narratio. Putauerim ſimul cum terrâ in imis eius viſceribus effoſſum tetrum Inferni ergaſtulum: nam cùm Angeli citiſſimi ſint in ſuis operationibus, videtur veroſimilius non poſt multas à ſua creatione morulas à Deo defeciſſe. Fruſtrà ergo alibi vſque ad tertium diem torquerentur Dæmones, qui perpetuò cruciandi erant in Inferno. 14. *Primâ die producitur Terra, & effoditur Infernum.*

Quæres, an Cælum priùs quàm Terra productum fuerit? Reſpondeo cum Beda hîc, ſimul producta fuiſſe: neque enim conſtat cælum fuiſſe priùs creatum. Et Pſal. 101. v. 26. dicitur: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.* etſi hîc cælum priùs recenſeatur: quæ enim ſimul facta ſunt, ſimul nominari non poſſunt: quæ eſt Bedæ ratio. *Non priùs cælum quàm terra producitur.* *Beda. Pſalm.*

TERRA AVTEM ERAT. Hæc ipſa Terra quæ cum cælo creata fuit initio temporis, tunc recèns creata, fuit INANIS ET VACVA, Hebraïcè, תהו ובהו *tohu vabohu*, inanitas & vacuitas, per heteroſim, abſtractum pro concreto. Vulgatus ſenſum expreſſit. Scilicet terra tunc fuit vacua animantibus, plantis, metallis, &c. Sicut nux nucleo vacua, inanis iure dicitur. *Inane* idem ſonat ac vacuum: ſed geminatio vocabuli, & abſtractum poſitum pro concreto, vacuitatem inaniſſimam explicant. Sic erat tunc terra. Vocula *autem* accipienda eſt aduerſatiuè: cælum enim Empyreum tunc vacuum non erat, ſed luce conſpicuum, ab Angelis habitabatur. VERS. 2. 15. *Quid ſit terram eſſe inanem & vacuam.*

TENEBRÆ ERANT SVPER FACIEM ABYSSI. Nomine *abyſſi* elementum aquæ haud dubiè intelligitur. At cur ſola *abyſſus* tenebroſa dicitur, cùm terra etiam, aër, & cælum (ſi tunc mobiles cæli creati ſunt, vt multi cenſent) in meris tunc iacuerint tenebris, nondum creatâ luce? Putauerim, tenebrarum nomine aërem inſinuari tenebroſum, aquis ſuperfuſum: non enim dicitur abyſſus tenebroſa, ſed tenebras, id eſt, aërem ſine luce, eſſe ſuper faciem abyſſi. Ita Rupertus hîc, à quo P. Franc. Suarez in præluſtri lucubratione de Opere ſex dierum. Nota, quòd τὸ *facies* hîc redundat, vt aliàs perſæpè in Bibliis; eſtque pleonaſmus Hebrææ linguæ. Aërem autem 16. *Tenebrarum nomine tenebroſus aër ſignificatur.*

tem proprio vocabulo hîc non expreſſit, quia covſque nulla facta fuerat eius mẽtio, & confeſtim nominandus erat.

17. *Spiritus Dei vaſtus aër dicitur.*

Spiritvs Dei. Aër inquam. Hebræa vox רוח *Ruach*, pro quâ *ſpiritum* Vulgatus tranſcripſit, aërem etiam propriè ſignificat. Alioquin cur de aëre tam altum ſilentium, dum alia minutiora Moyſes non omittit? τὸ *Dei* ſignificat, quàm ſit vaſtum aëris elementum: quippe quod pertingit è terrâ ferè vſque ad Empyreum cælum. (de quo infrà agetur copiosè.) Eſt enim Scripturarum mos, cùm res prægrandis, aut valdè inſignis inducitur, ſubiungere *Dei* nomen, ad rei auctarium. Sic dicitur *Mons Dei, Cedrus Dei, Bellum Dei*, & alia ſexcenta Ne verò obſtrepat aliquis Catharinus, ſubſcribimus huius commenti nobiles ſectatores. Tertullianus aduersùs Hermog. Theodor. q. 8. Sixtus Senenſ. lib. 5. Biblioth. allegat S. Baſil. Diodor. & Auguſt. Salian. citat Anaſtaſ. & Procop. Gazæum, Tirinus antiquiores Hebræos. Ita Oleaſter, Pererius, Mariana, & alij. Non ibo inficias, communiter Patres, quorum quatuor ſupra triginta allegat hîc Aſcanius Martinengus, per *Spiritum Dei* intellexiſſe, Spiritum ſanctum, tertiam Triados perſonam; ſed in ſenſu myſtico, vt ex Origene 1. *Periarchon*, obſeruauit Sixtus Senenſ. nuper laudatus. Qui apprimè notat, quòd τὸ Ferebatvr, non ſignificat motum, ſed mobilem aëris naturam. Vnde L X X. interpretes, quos communiter SS. Patres ſequuntur, tranſtulêre, *incubabat*, ſeu *fouebat*.

Cathar.

Martineng.

Origen. Senenſ.

18. Vers 3.

Ambroſ. Athanaſ.

Dixitqve Devs. τὸ *dicere* apud Hebræos, ſignificare ſolitat, velle, decernere, iubere; imò & facere, cùm eſt ſermo de Deo. Ita S. Ambroſ. lib. 1. Hexaëm. cap. 9. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arianos. Fiat. Hebraïcè *erit*. Sed bene aduertit Oleaſter ex linguæ idiotiſmo, futurum ſumi pro præſenti, quaſi dicat: *Exiſtat lux*.

19. *Lucis vocabulo ſignificatur elementum ignis.*

Lvx. Ardua olim & nunc quæſtio, quænam fuerit hæc lux in fine operum primæ diei mundo accenſa. Multa multi hâc ſuper re, quæ ſigillatim recensêre operoſum eſſet. Ego crediderim lucis vocabulo deſignari elementum ignis. Ita S. Cyrill. lib. 2. contra Iulian. S. Gregor. Nyſſen in Hexaëm. S. Damaſcenus lib. 2. de Fide, cap. 7. Hugo de S. Vict. in cap. 6. diſertis verbis. P. Mariana hîc, & è Neotericis plures. Nempe ignis appellatur lux à qualitate lucidâ ſibi cognatâ. Sic primus homo vocatur אדם *Adam*, à colore terræ rubræ è quâ formatus eſt. Hæc interpretatio eò mihi maximè arridet, quòd principes mundi partes, è quibus reliquę materiatæ ſunt, & nominatim cenſet, & ſigillatim nominat, quod in reliquis commentationibus deſiderari videtur. Ecquis enim non deſideret in hâc mundialis opificij hiſtoriâ, principalium mundi partium narrationẽ? Veroſimiléne eſt, Moyſem, qui reliqua minutiſſimè recenſuit, omiſiſſe recenſitionem elementorum, quibus aſpectabilis mundus conſtat, & è quibus reliqua conflantur? Ergo ingenij vires contendendæ ſunt, vt id pronâ contextus explicatione inueniatur, ne manca aut mutila putetur Moyſis narratio. Igitur qui id præſtiterit, vota eruditorum explebit. Neque aliâ probatione eget hæc commentatio, quàm probabili argumentorum contrà militantium, ſolutione. Neque argumenta hactenus obiecta, aut quæ menti occurrunt obiicienda, recenſitione elumbabo; ſed nouas adaggerabo vires, quo magis veritas reſplendeat. Itaque in hac ſententiâ, omnia conſtare videntur. *Terra* proprio nomine ſignificatur: *Aqua* abyſſi expreſſa eſt vocabulo: *Aër* dum ſpiritus nominatur: *Ignis* appellatione lucis, quæ eſt inſignior & ſpectabilior eius qualitas: *Cælum* etiam Empyreum, quod cæli inſignitur vocabulo. Sed duplex nodus, qui hanc impedit interpretationem, extricandus eſt.

Scio plures Philoſophos negaſſe ignis elementum, tum quia lucere vel in obſcurâ nocte non apparet; tum etiam quia vorax eius natura pabulum abſumeret. Hæc duplex obiectiuncula nimis eſt Philoſophica; & oppoſitum multis olim adſtruebamus in libb. de Cælo. Ideò autem elementum ignis non apparet, quoniam nimis remotum eſt à terris, & cælo Empyreo confine, & magna ex parte expenſum eſt in aſtris materiandis: (de quo agemus ad verſ. 14.) pauciores autem, & rariores ignis partes, ad tam vaſtam ſpatiorum diſtãtiam lucem non ſpargunt. Prope terram verò ignis materiam abſumit; quia eam nimiùm rarefacit, & ſic à ventis diſſipatur, & à contrariis qualitatibus vicinorum corporum impugnatur, & vincitur. Secùs in propriâ ſphærâ, vbi infimiſſima tantùm eius ſuperficies, bellum gerit cum aëre, languido inibi aduerſario, & cum quo victoriæ reciprocat vices. 20. *Elementum ignis defenditur à Philoſophorum argutiis.*

21. *Validum argumentum circa interpretationem.*

Sed omiſſis Philoſophorum argutiis, validum è Bibliorum pharetrâ contorqueri poteſt argumentum. Eſto, luceret ignis elementum, antequam grandior, & lucidior eius portio erogaretur in aſtra: (de quo ad præfatum v. 14.) ſaltem ignis in propriâ ſphærâ, terras vndique ambiens, & illuſtrans, diſtinguere non potuit tres primos mūdi dies, de quibus infrà dicitur: *Factum eſt veſpere & manè dies vnus: dies ſecundus: dies tertius.* At vbi eſt veſpera, vbi perpetua fulget lux? Ergo elementum ignis, ſemper terras circumquaque illuminans, diſtinguere non ſufficit tres primos mundi dies, ex veſpere & mane conſtitutos.

22. *Proponitur noua argumenti ſolutio.*

Iuuat aliquam recèns excogitatam huius argumenti ſolutionem coram proponere, non palàm aſſerere, quæ fors non diſplicebit Biblicæ eruditionis petitis: & quæ valdè placuit viris ingenio & eruditione magnis, à me hâc ſuper re conſultis. Nempe demus aduerſariis elemētum ignis toto illo triduo terram immotâ ſtatione circumilluminaſſe (vel, ſi mauis, minimè fulſiſſe) fortè tunc per prolepſim dici poſſet, diſtinxiſſe diem in veſperem & manè, ſiue in diem atque noctem: non quia tunc propriè fuerit veſper & manè, ſed quia tunc de die naturali loquitur Moyſes per anticipationem, ſicut de reliquis exinceps diebus vſque ad mundi finem. Scilicet in primâ mundi die (idem cenſe de ſecundâ, & tertiâ) fuit duratio duodecim horarum, quæ correſpondet *veſperi*, ſeu nocti, cui alia duratio totidem horarum ſucceſſit, quæ nunc reſpondet *mane*, ſeu diei artificiali, in reliquis mundi diebus. Cùm enim reliqui omnes mundi dies conſtēt duratione 24. horarum, quaſi lux & tenebræ in diem & noctem diſpeſcunt: viſum eſt Moyſi opportunâ vti prolepſi, & per anticipationem appellare *veſperem & manè*, id quod tunc propriè nec veſper erat, nec manè: ſed erat quædam duratio, quæ ſemper deinceps veſper & manè futura erat, & ſic appellanda.

23. Exemplis res hæc illuſtrari poteſt. Omitto aliūde petita. Gen. 13. v. 10. vrbs Bala appellatur *Segor*, antequā eiuſmodi haberet nomen, quia ſic poſtea mutato vocabulo nominanda erat. Et Gen. 14. v. 15. vrbs Laïs nuncupatur *Dan*, quia poſtmodum à Danitis id nomen ſortita eſt. *Geneſ.* Mittamus inquam, hæc, quia è re ipsâ recuperare licet exēpla non inidonea. Receptiſſima ſententia eſt, quam ſatis locupletes tuentur auctores, hanc primam mundi diem, conflari ex duodecim horis, in quibus terra & abyſſus fuerunt in meris tenebris: & aliis duodecim horis, in quibus lux terris affulſit: tempuſq; tenebrarum dici *veſpere*, & reliquā durationem poſt lucem exortam, dici *mane*. Quod ſi hos auctores interroges, quo modo meræ tenebræ, quæ primam noctem conſtituerunt, potuerint verè & propriè appellari *veſpere*, Hebr. ערב *Hereb*, quæ vox ſignificat ligamen diei cum nocte; cùm tunc *veſper* non fuerit ligamen diei cum nocte, (Hiſpanè *Crepuſculo*) ſed mera caligo, & cui nulla præceſſit lux: neceſſe eſt (ſi ſapiunt) vt reſpondeant, primam mundi noctem non fuiſſe *Hereb*, ſeu *veſperem*; ſic autem per prolepſim appellari, quia reliqui exinceps dies veſpere & mane conſtruūtur. *Argum. reto ad rem inem promuntur aduerſary.* Adſimiliter ergo cenſe in noſtro caſu, & quod tu reſpondere teneris, aliis reſpondere permitte. Adde plures interpretes, qui ſeriò cenſent, à puncto meridiei lucem diffundi cœptam; atq; adeò ſex duntaxat horas mundum illuſtraſſe in hâc primâ die; in reliquis autem diebus, horas omnino duodecim: & tamen Scriptura eodem modo loquitur de diebus omnibus, tametſi primus dies dimidiâ ſui parte orbatus illuxerit.

Aliud ſubiiciam exemplum è pluribus quæ ſeſe menti cateruatim obiiciunt. 24. *Alio exemplo roboratur ſolutio.* In hoc cap. 1. verſ. 11. ſcribitur, in die mundi tertiâ dixiſſe Deum: *Germinet terra herbam virentem.* Et mox ſubditur: *Et protulit terra herbam virentem.* Et tamen cap. 2. verſ. 4. dum agitur de eâdem tertia die ſcribitur: *In die quo fecit Dominus cælum & terram, & omne virgultum agri antequam orietur in terrâ, & omnem herbam regionis priuſquam germinaret.* Nunc rogo, an quando cap. 1. dicitur: *Germinet terra herbam*, &, *Protulit terra herbam*, τὸ *germinet*, propriè accipiendum ſit, ita vt terra recèns producta, actiuè *protulerit*, & propriè rigoroſè *germinarit* herbas? Quòd ſi propriè *protulit*, ac *germinauit* herbam, quo pacto verè dici potuit de eâdem die, quod herba è terrâ extitit, *antequam orietur in terrâ, & antequam germinaret*? Scilicet tertiâ mundi die, etſi terra actiuè non protulerit & germinauerit plantas & herbas, quæ tunc à ſolo Deo productæ ſunt in terra, vt conſtat ex cap. 2. Et adſtruetur infrà ad verſ. 11. ex receptiſſimâ commentatorum ſententiâ.

Ideò

Ideò tamen in hoc cap. 1. per prolepſim herbæ dicuntur germinari, quia deinceps oriuntur & germinant. Hoc vulgare eſt apud interpretes ibi. Ad ſimilem ergo modum, prima, ſecunda, & tertia mundi dies, dicuntur conſtare *manè & veſpere*, quia tempus illud 24. horarum exinceps mane & veſpere conſtat. Hæc ſolutio, ſi ſpecie tenus vibretur cenſura, videbitur duriuſcula; ſois medullitùs inſpecta, Biblice peritis genuina apparebit; & opportuna ad defenſandum, omnium elementorum, quæ ſunt præcipuæ mundialis machinæ partes, Moyſen expreſsè meminiſſe.

25. *Expedita ſolutio.* Quòd ſi propoſita (nec interim aſſirmata) ſolutionis doctrina non arrideat, reſponderi poteſt cum Marianâ ibidem, lucidiores ignis partes, vel totum igneum elementum, toto triduo typhonis in modum ab aliquâ Intelligentiâ circumactum: ſicut circumagitur tua lux, ſiue illa ſit ſola qualitas, ſiue corpus aliquod luminoſum, ſiue quiduis aliud. Nempe quod aduerſarij dixerint de tuâ luce, id ego dixerim de ignis elemento. Et ſanè omne ignis elementum conglobatum, luces ſpargere potuit mundo, quas nunc in totam ſphæram circumfuſum, & aſtris materiandis imminutum, emittere non apparet. Nec mireris ignem in rerum primordio loca mutaſſe, quæ mutauit & aqua, vt perſpicuum eſt ex verſ. 9.

26. Vers. 4. ET VIDIT DEVS LVCEM QVOD ESSET BONA. Scientiâ inquam, approbationis, quam vocant Theologi; vel ſcientiâ viſionis, quæ rei productionem ſubſequitur, Deus vidit, & approbauit lucem, tanquam bonam, iucundam, vtilem, pulchram: id omne ſignificat Hebræum טוב *tob*, pro quo Vulgatus exſcripſit *bonum*. DIVISIT LVCEM A TENEBRIS. Id eſt, diſtinxit, ac ſegregauit ea; non quidem loco, ſed tempore. Scilicet effecit Deus, vt dies & nox ſibi inuicem ſuccederent. Id quoque dictum putabit per anticipationem (ſicut *veſpere & mane*) quiſquis ſequetur priorem argumenti ſolutionem, verſ. præcedenti propoſitam.

Quomodo dies à nocte diuiſus.

27. Verſ. 5. APPELLAVIT, &c. Appellari fecit. Nempè notitiâ Hebrææ linguæ poſtmodum Adamo inditâ, vt congrua rebus nomina faceret. Sic verſ. 10 dicitur Aridam appellaſſe Terram. DIEM. artificialem inquam, ex quo & nocte coaleſcit naturalis dies 24 horarum. tametſi ſtatim *Dies* pro die naturali accipitur. Et nota, in perexiguâ verborum diſtantia eamdem vocem *dies* ſupponi pro diuerſo ſignificatu. Inde conſtat quàm ſit ſæpe elumbe argumentum: In eâdem periodo eadem vox aliquid ſignificat: ergo in eâdem ſignificatione eadem vox accipienda eſt in poſteriori eiuſdem periodi parte. Imbelle planè argumentum, niſi a contextu vires ſumat.

Eadem vox in eadem periodo ſignificat rem diuerſiſſimam.

FACTVM EST VESPERE ET MANE DIES VNVS. Multa hîc multi, quæ obuia ſunt, & ea recenſere à meo inſtituto alienum. Sic rem concipe. Totum elementum ignis (antequam perampla & potiſſima eius portio erogaretur in aſtra, die mundi quartâ) creatum fuit in noſtro hemiſphærio: poſt duodecim horas à creatione cæli & terræ, in quo horarum ſpatio abyſſus cum terrâ & aëre iacuit in meris tenebris. Duodecim horis tenebrarum, totidem horæ ſucceſſerunt, in quibus tunc creatum elementum ignis noſtrum illuminauit hemiſphærium. Itaque duodecim tenebrarum horæ appellantur *veſpere*, id eſt, nox, per ſynecdochen, pars pro toto: & duodecim horæ lucis vocantur etiam ſynecdochicῶs, *mane*, id eſt dies, a diei initio *Mane* enim diei artificialis initium eſt. Hæc primæ diei conſtituendæ forma ſatis communis eſt. Ita Abulenſ. Molina, Eugub. Mariana, Salianus, Bonfrerius. Nihilque habet peculiare, niſi quòd in locum meræ lucis, aut alterius corporis lucidi, elemẽtum ignis ſubrogamus. Quod ſi cui arriſit doctrina, quam ad verſ. 3. tradidimus, expeditior ſuppetit commentatio. Recognoſce ibi dicta, & hûc opportunè aduoca. DIES VNVS id eſt, primus, ex linguæ Hebrææ idiotiſmo. Sic etiam Hiſpanè cardinalis numerus pro numerali vſurpatur. 28.

Ex quo veſpere & mane primus dies conſtitutus ſit.

Illud mihi haud dubium eſt; etſi oppoſitum patronos numeret locupletes, Philonem lib. Allegor. Caietanum hîc, Canum apud Banez 1. part. quæſt. 74. art. 2 Auguſtinum, qui dubitanter videtur loqui, & diſputando potiùs quàm aſſerendo) mundum non fuiſſe in inſtanti creatum. Alioqui ſimul affulſit lux, & abyſſus tenebris ſqualebat: Terra aquis & veſtita, & nudata erat: item 29.

Mundus in momento conditus non fuit.

Terra

Terra erat inanis & vacua, atque ſimul plantis, arboribus, & animantibus adornata. Adamus vigil non inueniebat adiutorium ſimile ſibi: & ſimul dormiens, coſtam obtulit ad Euæ formationem. Quin & hiſtorica Moyſis narratio per *veſpere* & *mane* diſtinguens dies ſingulos, ſeptem omnino dies integros adeò exigere videtur, vt Cornelius hic errorem appellet ſententiam oppoſitam, vtpotè nimis à ſimplici narratione alienam. Dum verò Eccleſiaſtici 18. verſ. 1. ſcribitur: *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*; intellige, *pariter*, id eſt, nihil non creauit. Vnde Græcè pro *ſimul* ſcribitur κοινῇ, hoc eſt, communiter, pariter. Neque etiam obſtat, quòd Geneſeos 2. verſ. 4. dicitur: *In die, quo fecit Dominus cælum & terram, & omne virgultum agri.* Nam *dies* ibi pro tempore vſurpatur, vt aliàs perſæpè in Biblijs. Niſi malis per Zeugma repetendum eſſe illud, *in die*, vt ſenſus ſit: *Hæ ſunt generationes cæli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum & terram*: & in die quo fecit *omne virgultum agri.*

Cornel. Eccli. Geneſ. 2.

30. *Vers 6. Variæ ſententiæ ſuper hâc re traduntur.*

FIAT FIRMAMENTVM. Ludouicus de Molina diſput. 10. Tannerus diſput. 6. quæſt. 3. qui plures allegat, Bonfrerius, Cornelius, & Oleaſter hîc, nomine *Firmamenti* intelligunt omnes cœleſtes globos. Merſennus octauam duntaxat ſphæram cœleſtium orbium. Priorem ſententiam amplexarer, ſi cælos duros ac ſolidos agnoſcerem, de quo infrà. Adhæc Gaſpar Sanctius in præluſtri Opere in tria Geneſeos capita, nondum typis excuſo, cuius autographa apud me habeo, ſeriò cenſet, nomine *Firmamenti* intelligi extimam terræ ſuperficiem, quæ diuidit marinas, & fluuiales aquas, ab his, quæ ſtagnant in imis terræ cauernis: has vocat aquas inferas, illas appellat aquas ſuperas. Sed nimis obſtat, quod Scriptura confeſtim hoc firmamentum appellat cælum. Terra autem nullibi Scripturarũ Cæli nomine gaudet. Tametſi Plinius l. 2. c. 1. mundum nuncuparit cælum, fortè ſynecdochicè. Multus eſt ſapientiſſimus Pater, vt hunc nodum ſoluat; ſed me iudice, vix poteſt extricari. Alij denique Firmamenti vocabulo aërem interpretantur; & ita per aquas ſuperas intelligunt nubes; per inferas verò, quæ in mari iacent: ne prope Empyreum veras & naturales aquas conſtituant.

Firmamenti nomine non poteſt terra intelligi. Plinius.

Ceterùm vt meam in hac re ſententiam exponam, paucula prælibare licet de voce *Firmamentum*, vt expeditiùs tradamus, quo pacto poſſit aquas ſuperas ab inferis ſegregare. Itaque *Firmamentum* Hebraicè appellatur רקיע *Rachiah*, pro quâ voce L X X. interpretes tranſtulerunt στερέωμα. Vulgatus *Firmamentum*. Vox autem Hebræa propriè ſignificat expanſionem, ſeu extentionem; ſiue huiuſmodi expanſio ſit rei ſolidæ, ſiue fluxæ, vt notauit Lipomanus Hebraicè peritus. Porrò tametſi nomen *Rachiah*, aut *ſteréoma* impoſitum ſit ad ſignificandam rem, quæ malleo ad incudem velut lamina extenditur; tamen extenſione vocabuli quamlibet expanſionem deſignat. Pſal. 103. verſ. 12. *Extendens cælum ſicut pellem*, ſeu tabernaculum, quod non extenditur mallei tunſionibus. Et ſane plures etiam auctores conſtituentes cælos duros, nomen *Rachiah*, ſeu *ſteréoma*, ſiue *firmamentum*, accipiunt pro aëre. Vnde infrà verſ. 20. *Et volatile ſuper terram ſub firmamento cæli.* Hebraicè ſcribitur, *ſuper firmamento cæli.* At volucres in aëre volant: ergo *firmamenti* nomine aër poteſt intelligi. Et ſanctus Baſilius homil. 3. in Hexaëmeron, verba Iſaiæ 51. verſ. 3. ſic exſcribit: *Cælum ſicut fumus firmatum eſt.* Vbi fumus ſortitur *firmamenti* vocabulum, dum peramplè expanditur. Sapienter ſanctus Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litteram cap. 10. *Nec nomen*, inquit, *firmamenti cogit, vt ſtare cælum putemus. Firmamentum enim non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, ſeu propter intranſgreſſibilem terminum ſuperiorum & inferiorum aquarum, intelligere licet.* 31.

Quid firmamentum ſignificet. Pſalm. S. Baſilius. S. Auguſt.

Itaque neque Hebræi vox *Rachiah*, aut שמים *ſcamajim*, id eſt, *ibi aqua* (quâ voce ſolent cæli ſignificari) neque Græcum στερέωμα, Latinè *firmamentum*, neque οὐρανός, id eſt, cælum, ſuadent cælos eſſe ſolidos. Vnde in ſua Medullâ obſeruauit Naclantus; veteres Hebræorum Rabbinos, cælos ſoliditatis expertes perpetuò exiſtimaſſe, quod veroſimilius puto cum pluribus ex antiquis & neotericis Doctoribus, quorum quidam explicatiùs, alij non ita perſpicuè id docent. ſanctus Iuſtinus ad quæſt. 39. orthod. Emiſſenus & Diodorus apud Lipomanum. Nyſſenus in Hexaëm. Chryſoſtomus 32.

Auctoritate fulcitur, cælos non eſſe duros, ac ſolidos.

ſoſt homil. 6. Lactan. l. 3. de falsâ ſapient. c. 24. Baſil. homil. 1. Ambroſius l. 1. cap. 6. Iſidorus lib. 3. Etymolog. cap. 49. Procopius in cap. 2. Geneſ. Philaſtrius in Catalogo Hæreſ. Richardus Victor. lib. 2. except. 7. Anſelm. l. 1. de Imag. mundi, Hugo Carenſis hîc, Carthuſianus ad verſ. 12. Priſci Philoſophi apud Ariſtotelem 2. de Cælo à text 43. Cicero 2. de Natura Deorum, Plato in Timæo, Seneca lib. 7. Natur. quæſt. Tycho Brahe cum peritioribus Aſtrologis, P. Mariana hîc, Norimberg. lib. 6. cap. 5. ſuæ Philoſophiæ. Et ſanè Scriptura ſacra motus diurnos, menſtruos, annuos, Aſtris, non cælis adſcribit, in hoc cap. 1. verſ. 14. & Eccleſiaſtici 1. & Pſalm. 18.

33. *Ratione probatur cælos eſſe fluxos, nō ſolidos.* Præterea ſic faciliùs expediuntur tot errones Planetarum curſus, atque adeò vitatur labyrinthus tot eccentricorum, & concentricorum: toties Aux, & oppoſitum Augis, tot Epicyclorum poſitio è Mathematicorum otio & cerebro; quæ indies ſic excreſcunt, vt ſimillima fabulis videantur. Denique beneficio tubi optici oculares Aſtrologi hoc ſeculo celebres, magno conſenſu nunc docent, Lunam valde inæqualem, & aſperam apparere, in eâ montes adſurgere, & valles deprimi. Et per parallaxim manifeſtè oſtendunt, Cometas vagari ſupra Lunæ orbem: in ipsôque Solis diſco maculas nuper oſtendit Scheiner in præluſtri Opere de Maculis Solis. Dein Mercurius & Venus deprehenduntur proprio motu Solem circuire; & quatuor ſtellas (quas Iouiales vocant) Iouem; duas alias, Saturnum comitari; quod fieri non poteſt, ſi cæli conſtituantur duri ac ſolidi. *Scheiner.*

34. *Tannerus. Merſenn. Fit ſatis argumentis aduerſariorum.* Sed rident huiuſmodi phænomena Theologi ſeueriori ſupercilio. At Adamus Taner, qui peritè ſcripſit in omnem Scholaſticam & Moralem Theologiam, in Hexaëmer. diſput. 6. q. 3. dub. 3. fatetur ſe magnâ cum animi iucunditate beneficio tubi optici, mira quædam obſeruaſſe. Et Marinus Merſennus in Gen. c. 1. quæſt. 7. art. 9. his phænomenis tandem cedit. Quod vſque adeò increbruit inter Aſtrologiæ peritos, vt derideant hodie oppoſitum opinantes, teſte eodem Merſenno. Verùm cùm parallaxis non ſe extendat vltra Planetas, non adeò perſpicuè id conſtat de octauâ ſphæra, quam vocant firmamentum. Sed protractâ ratiocinatione idem ſuaderi poteſt. Nam ſi Scriptura non cogit ad conſtituendum aliquem orbem cœleſtem durum ac ſolidum, (præter Empyreum) & omnes Planetarum ſphæræ ſunt fluxæ, quo firmo fundamento adſtruitur alicuius orbis cœleſtis ſoliditas? Neque aliquem mouere debet illud Iob 37. v. 18. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ex ære fuſi ſunt?* Nam hęc verba non fecit Iobus, ſed Eliu garrulus quiſpiam Rhetoriculus, cuius Philoſophia inibi reprobatur. Et licet verba eſſent Iobi, illa in noſtram ſententiam interpretantur Pineda inibi, & Merſennus nuper allegatus. *Iob.* *Pineda. Merſenn.*

Ergo nomine *Firmamenti*, quod *expanſionem* ſignificat, intelligendum eſt aeris & ignis elementum, vaſtiſſimè tunc expanſum vſque ad Empyreum. Sicut *cæli* vocabulo in Scripturis ſignificari ſolet expanſio, quam ſupra terras conſtitutam ſuſpicimus. Sic dicuntur cataractæ cæli, volucres cæli, triſte & rubicundum cælum, æneum cælum, ignis de cælo, & alia ſexcenta. 35. *Quid cælum ſignificet.*

Petes, quo pacto aſtra cæleſtia moueantur, ſi nullo feruntur orbe cæleſti? In ſententiâ eorum, qui Intelligentias cæli motrices agnoſcunt; exprompt um etiam erit aſſignari Intelligentias aſtrorum motrices. Par eſt vtrobique ratio, æqualis difficultas. Et ſanè ſicut nunquã adduci potui, vt crederem Euſebio Norimberg. tribuenti aſtris vitam, etſi duntaxat loco-motricem: ita inuenire non poſſum rationem, quæ oſtendat repugnantiam, quare in totâ ſphæra omnipotentiæ Dei non inueniatur aliqua qualitas, ipſis cognata, quæ valeat ſtellas rotare, etſi tantiſper exerrent in ſuo curſu. Quę qualitas ſeu virtus fortè mirior non foret illâ, quæ magnetem vrget ad mundi polum. Neque neceſſaria eſt imaginatio, quæ regat potentiam loco-motricem, vt patet in motu elementorum ad ſuum centrum: in motu, quo argentum viuum perenniter ebullit: in motu compreſſionis & dilatationis, quo animalium cor perpetuò mouetur, quem gratis dixeris, eſſe formaliter vitalem, cùm non ſequatur imaginationis ductum; ſed tantùm materialiter, quia ſupponit animalem cordis vitam. Quin & in opinione eorum, qui plantis denegant vitam, videmus motum localem, quo truncus ſuccreſcit, & dilatatur in ramos, in folia, & fructus. Quod ſi poſſibilis eſt emortua qualitas, 36. *An aſtra circumagantur ab innata qualitate?*

qualitas, quæ aſtris impreſſa, illa circumagat, quid neceſſe eſt confugere ad Intelligentias, quas Philoſophia, nullam aliam inueniens motûs cauſam, inuexit in ſcholas ad hoc munus præſtandum? Hæc curſim propoſuiſſe placuit: nihil tamen ſuper hâc quæſtione affirmo, veritus Philoſophorum ſupercilia, qui quod in Philoſophia non didicerunt, anathemate feriunt. Tametſi expromptum ſit ſatisfacere rationibus, quas affert Bubalus 1. part. ad q. 50. art. 1. quæſito 1. diff. 2. quæ, niſi valdè fallor, non valdè vrgent. Redeo ad textum.

Bubal.

37. FIAT FIRMAMENTVM IN MEDIO AQVARVM. Id eſt, vaſta illa expanſio aëris & ignis, ſit interſtitium inter aquas, quæ terris incumbunt, & aquas ſuperas eleuatas ſuper aërem & ignem, & conſtitutas, aut infra Empyreum, vel ad Empyrei latera. Et ſic hæc perampla expanſio DIVIDAT AQVAS AB AQVIS, id eſt, aquas ſuperas ab inferis. IN MEDIO. Non mathematico, ſed rudi Mineruâ ſumpto, vt aliàs perſæpè in Bibliis. Verbum FIAT, neque paucis, neque indoctis negotium faceſſit, cùm *firmamentum*, hoc eſt, elementum aëris & ignis, in hâc ſecundâ die factum non ſit, ſed in die mundi primâ. Verùm huic difficultati reſpondere tenentur quotquot aſſerũt, omnes cæleſtes orbes in primâ die conditos. Et quidem Hebræo idiomate ſæpe dicitur *fieri*, quod olim factum, denuò exponitur, aut aliquâ ex parte augetur, & ornatur. Sic Danielis 4. verſ. 27. Nabuchodonoſor dicitur Babylonem ædificaſſe, quondam ædificatam; quia hortos penſiles in eâ extruxit. Et Iudith 1. v. 1. Arphaxad traditur condidiſſe Ecbatanam, ante mille annos conditam; quia eius reconcinnauit muros. Et 2. Regum 19. de Miphiboſeth dicit Hebræus textus, quòd non *fecerat ſibi labium, neque pedes*, id eſt, pilos ſuperioris labij non reſecuerat, neque pedes lauerat, vt explicat Oleaſter in Idiotiſmis. Sic *firmamentum* dicitur ſecundâ die factum, non quia tunc primò factum eſt ſed quia dudum factum, eſt aquarum interſtitium, diuidens aquas ſupercæleſtes ab inferis.

Verbum fiat, ſignificat etiā quod denuò reconcinnatur.

Daniel.

Iudith.

2. Regum.

38. Ridet Caluinus dum audit aquas ſupercæleſtes; ſed ridicularius homo, rudere ſcius, derideat ſacram Scripturam, & SS. Eccleſiæ Patres id palàm aſſerentes. Ita S. Clemens Roman. 1. Recog. 5. Iuſtinus quæſt. 93. Tertullian. l. de Trinit. S. Hilarius in Pſalm. 135. S. Baſilius homil. 3. S. Ambroſius lib. 2. Hexaemeron cap 3. & 4. S. Hieronymus in epiſtola ad Ocean. S. Epiphan. in epiſtola ad Ioannem Hieroſol. S. Chryſoſtomus homil. 4. in Geneſ. S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 9. S. Auguſtinus 2. de Geneſi ad litteram, cap. 5. & ſæpe alibi. Hippolytus & Seuerianus in catenâ, Eucherius in Geneſ. lib. 1. c. 3. Theodoretus quæſt. 11. Caſſiodorus in Pſalm. 103. Haymo in Pſalm. 148. S. Bruno ibi, S. Damaſcenus 2. de Fide, cap. 6. & 9. S. Proſper in Pſ. 103. Anaſtaſius Sinaita lib. 2. cap. 7. Iunilius, & Procopius hîc, Beda in quæſt. in Geneſ. Rupertus lib. 1. cap. 23. ſanctus Anſelmus de Imagine mundi, cap. 23. Hugo Victorin. in Geneſ. Richardus Victor. lib. 2. cap. 7. Magiſter in Pſalm. 148. Petrus Comeſtor in Hiſtoriâ Scholaſt. Richard. Pampol in Pſal. 148. Euthym. in Pſalm 103. Anſelm. Laud. & Strabus Fuldenſis hic, Dracontius, & Marius Victor. in Geneſ. Drepanus Florus in hymno trium puerorum, Ioſeph. lib. 1. Antiq. cap. 1. Oleaſter, Honcala, Vielm. Molina, Bellarminus, Martinus del Rio, Salianus, Bonfrerius, Cornelius, Merſennus, Gordonus, Tirinus, Menochius, & plures alij.

Auctoritate fundatur hæc ſententia.

39. Nec Philoſophorum argutiæ nos abripient à tantâ Patrum, & Doctorum conſenſione. Porrò etſi aquæ illæ ſint naturales, & eiuſdem rationis cum his inferioribus, non elabuntur, quia ſunt extra ordinem vniuerſi, ac ſi conſtitutæ eſſent ſupra Empyreum, aut in ſpatio imaginario alterius mundi poſſibilis, noſtro mundo ſecundùm ſuperficiem conuexam contigui, ſicut duo globi mutuò approximati. In quo caſu perſpicuum eſt, partes vnius mundi non ferri in alias alterius mundi contigui.

Quare non elabuntur aquæ ſupercæleſtes.

40. Verùm cùm ſupercæleſtes aquæ ſint eiuſdem ſpeciei cum noſtratibus, & hæ corruptibiles ſint, neceſſe eſt & illas fore corruptioni obnoxias: ergo aut ſubiecti ignis calore, aut aliâ ex cauſâ corrumpentur. At res quæ extra ordinem ſunt vniuerſi, aliâ reguntur prouidentiâ. Quod patet in corporibus, quæ in cælis beantur, aut cruciantur in tartaris. Item in mundo poſt iudicij diem: in re quoque gratiæ & iuſtificationis: & præſertim in ſtatu innocentiæ, (ſi in eo Adamus perſeuераret) vbi multa forent huic prouidentiæ poſt lapſum, admodum

admodum peregrina. Sic cenſe de aquis ſupercæleſtibus.

41. Quorſum ergo prope Empyreum aquæ conſtituuntur? Finem nouit, qui eas ibi locauit. Quanta ſunt ante oculos noſtros, quorum cauſas ignoramus? Quare Deus mundum hunc ante quinquies mille & ſexcentos annos creauit, & non antea, aut poſtea? Cur poſt ſupremam iudicij diem reſtaurabit, aut denuò producet mundum habitatoribus vacuum? Forte aquas potuit Deus prope Empyreum, vt miris ac variegatis reflexæ lucis coloribus, qui in aquâ velut in Iride apparent, iucunde paſcat & recreet Beatorum oculos. Apocal. 7. v. 17. *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* & cap. 22. v. 1. *Oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ ſplendidum tanquam cryſtallum.* Ita Merſennus, Salianus, Cornelius. Porrò cùm ſinus ſit aer, aut æther intra pauimentum & tectum ſolidum cœli Empyrei, ad miniſterium loquelæ, & ſpecierum intentionalium, vt tradit Leſſius apud Tannerum ſuprà, quid mirum ſi ad eiuſdem Empyrei latera ſtagnent copioſi latices in præfatum finem conſtituti?

Quare non vte- ra aqua pro- pe cælum.

Apocal.

Leſſius.

Vers. 7. Et fecit Devs, &c. Executus eſt Deus quod paulò anteà in verſ. præcedenti iuſſiſſe dicitur.

42. Vers. 8. Vocavitqve Devs firmamentvm cælvm. Firmamentum, hoc eſt, perampla aëris & ignis expanſio, aquas ſuperas diſpeſcens ab inferis, idonee ſortitur nomen cæli, Hebraicè שָׁמַיִם *ſchamaim*, id eſt, *ibi aqua*. Nempe à parte ſuperiori, & inferiori illic aquæ ſunt iuxta ſuprà dicta de aquis ſuperis, & inferis. Aquæ ipſæ ſupercæleſtes non appellantur *cælum*, ſeu *ſchamaim*: quia *ſchamaim* ſignificat, *ibi aqua*, non aquas ipſas, à quibus firmamentum, *cælum*, ſeu *ibi aqua* nominatur. Et factvm est vespere et mane. Explica vt ad v. 5.

Cur aquarũ expanſio non appellatur cælum.

43. Petes, quare Deus hanc ſecundam tantummodo mundi diem, illaudatam dimiſerit? Neque enim in hac ſecunda die legitur ſolemnis aliarum clauſula: *Vidit Deus quod eſſet bonum.* Profectò cùm opus ſecundæ diei ſit aquarum diuiſio, confeſtim tertiâ die perficienda, aquas in maria, & ſubterraneos ſpecus erogando, ideò laudatio eouſque differtur. Cuius indicium eſt, quòd ſequens dies tertia venuſtatur benedictione geminâ; alterâ poſt peractam aquarum ſeparationem v. 10. alterâ poſtquam terra

Secunda dies ſui benedictione non vacat.

Celada de Benedict. Patriarch.

aquis nudata veſtitur herbaceo cultu verſ. 12. qui fuit diuerſus terræ ornatus diuerſa benedictione honorandus.

44. Vers. 9. Congregentvr aqvæ, &c. Aquæ, quæ cælo ſubduntur, iacéntque ſupra terras, congregentur in locvm vnvm. In hac tertia mundi die ingentes alueos eſſe ſecit Deus vbi conderentur aquæ, quæ partim apparent in Oceano, in Mediterraneo, in tot lacubus, & fluuiis, partim in ſubterraneis voraginibus latent. Hinc montes adſurgunt, iacent valles. Vnvm appellat aquarum locum, ab aliqua continuationis vnitate, quâ omnes aquæ Oceano communicant. De quo ſatè Salian. in tertia mundi die, à n. 7. Non quia hîc dicuntur aquæ congregatæ *in locum vnum*, exinde putes, aquas eſſe terrâ ſubliniores, alterumque globum efficere: quia in Lunæ eclipſi vmbra vnius globi tantùm apparet, non duplicis, terræ, inquam, & aquæ. Dein, ſi aquæ adſurgunt in cumulum, naues difficillimè è portu ſoluerent, & facillimè in portum ingrarent, decliui curſu. Nobiſcum ſentiunt præter Hier. in Pſalm. 32. & Chryſoſt. homil. 9. ad pop. & Damaſcen. 2. de Fide cap. 9. politiores interpretum, & plures philoſophicè & aſtronomicè periti. In Pſal. verò 106. verſ. 6. dum dicitur, *Super montes ſtabunt aquæ*, futurum ponitur pro præterito: agitur enim de primâ rerum creatione. Conſule interpretes ibi.

Aquæ an non eleuantur ſupra terræ globum.

Salian.

Hieron.

Chryſoſt.

Damaſc.

Pſalm.

45. Appareat arida. Recedente abyſſo in abſtruſas telluris voragines, terræ dorſum aquis nudatum, conſpicuum ſe oſtendit: & terra quæ nuper erat limoſa, exſiccata apparuit, vt poſſet habitari, agricolatione exerceri, & fructus ſuos facere. Sed non viduata congruo humore amnium, riuulorum, & latentium venarum, ne præ nimiâ ſiccitate fatiſceret. In hac tertiâ die metalla, & reliqua foſſilia produxit Deus in terræ penetralibus. Et factvm est ita. Iubente Deo aquæ receſſerunt, non paulatim, ſed quam ocyſſime. Ita S. Baſil. Ambroſius, Chryſoſt. & alij plures.

Non omnino arida relicta eſt terra.

Baſil.

Ambroſ.

Chryſoſt.

46. Vers. 10. Vocavitqve Devs aridam terram. Eſt Prolepſis. Tunc enim non eſt hoc nomine appellata, ſed die ſexto, cùm Adamo Hebræam linguam indidit Deus. *Aridam* dicit, non quia arenoſa, & inde infrugifera; ſed quia priùs limoſa fuerat, nunc perducta fuit in congruam ſiccitatem. Nempe hoc elementum idonee exſiccatum, appellatum eſt

Cur appellatur terra.

ארץ *erets*, id eſt, *terra*, à verbo רצץ *ratſats*, hoc eſt, *calcare*: ſicut terra à terendo dicitur, quia ab hominibus & iumentis teritur & calcatur.

CONGREGATIONES AQVARVM, &c. Cuiuis copioſo aquarum receptaculo, *Maris* nomen inditum. Siue aquæ dulces ſint, vt ſtagnum Genezareth, ſiue ſalſæ, vt Oceanus, ita S. Hieron. hic: ימים *iammim* enim Hebræis vtrumque ſignificat. Exinde apparet ſalſuginem non eſſe mari cognatam. Ita S. Damaſcen. 2. de Fide, cap. 9. Ariſtot. 2. Meteor. Deus enim cùm omnes aquas creaſſet dulces, exuſtas exhalationes marinis aquis immiſit, quò arceret putredinem, eaſque habiles redderet ad magna nauigia ſuſtentanda. VIDIT DEVS QVOD ESSET BONVM. Ecce benedictionem atque approbationem, quæ in ſecundâ die deſiderabatur, peractâ aquarum diuiſione, exhibitam.

Vnde maris ſalſedo. S. Damaſc. Ariſtot.

47. GERMINET TERRA HERBAM, &c. Non actiuè producendo, vt inidoneè Caietanus, Burgenſis, Honcala: ſed paſſiuè, ſcilicet materiam duntaxat tunc ſuggerens rerum opifici, qui herbas & arbores adultas produxit, quod non potuit actiuè præſtare terra in tam breui temporis morâ. Ita S. Thom. 1. p. q. 70. art. 1. Abulenſ. Martin. del Rio, Pererius, Cornel. Bonfrer. Gordon. Menoch. & alij paſſim. Vnde ſcribitur infrà c. 2. v. 5. Deum in die tertiâ produxiſſe: *Omnem herbam regionis antequam germinaret*, id eſt, antequam ipſa terra actiuè eam produceret. Scilicet præpararat Deus herbas ante producta animalia, vt eis productis confeſtim idoneum pabulum abundè ſuppeteret. ita Theodor. q. 11.

Vers. 11. Terra hîc ſe habuit paſſiuè. Caietan. Burgenſ. Abulenſ. Rio. Pererius. Cornel. Bonfrer. Gordonus. Menoch. Theodor.

48. ET FACIENTEM SEMEN. Producat terra herbam quæ vim habeat, vt poſſit ſemen facere ad ſuæ ſpeciei propagationem. LIGNVM, arborem, inquam, eſt Hebraiſmus. POMIFERVM. Pomum apud Latinos latiſſimæ ſignificationis eſt, & pro quouis arboreo fructu vſurpatur. Scilicet pyrus pyra faciat, amygdalus amygdalas, nux nuces, vitis vuas. Nec putes omnes arbores creatas fuiſſe fructibus onuſtas; ſed eas duntaxat, quæ eo anni tempore fructus ferunt, aut acerbos, aut maturos. Sub *pomiferis*, ſeu *frugiferis* arboribus, infrugiferas comprehendi, perſpicuum eſt: ita Procopius Gazæus: neque enim alibi fit mentio infrugiferarum arborum. CVIVS SEMEN IN SEMETIPSO SIT. Virtutem habeat gignendi ſibi ſimile, per ſemen quod ſibimet inſit; ſiue in fructu, ſiue in folijs, ſiue in radice. SVPER TERRAM. in terra inquam.

Arbores infrugiferæ ſub frugiferis comprehenſæ. Procop.

49. ET PROTVLIT TERRA, &c. Non vt nunc, vt notabamus ad v. 11. Videlicet iubente Deo è terra erupit roſa cum ſpinis: agnatum enim eſt roſis ſpinoſas eſſe. Sanè peccatum non mutauit rerum naturas. Ita omnes ferè interpretes, ſi Baſilium excipias. Præterea plantæ & arbores noxiæ tunc etiam eruperunt, non autem poſtea in pœnam peccati, vt exiſtimant Beda, Rupert. Raban. Alcuin. Pro nobis ſtant magni Interpretes, Auguſt. l. 3. de Gen. ad litt. Baſil. Ambroſ. Procop. pluresque alij apud Salian. Porrò in hac tertiâ die, atque adeò ante delictum creauit Deus omnem herbam regionis, (vt dicitur infrà c. 2. v. 5.) τὸ *omne* nihil excludit: hic ibi v. 2. die ſeptimâ dicitur ceſſaſſe ab omni opere producendo. Scilicet deinceps non produxit nouas rerum ſpecies. Præterea herbæ & fructus, qui aliquibus ſunt noxij, alijs ſunt edules, & ſalubres: cùm helleborus coturnicibus ſit cibus, & vaccæ cicutâ impunè veſcantur. Quod autem dicitur infrà c. 3. v. 18. *Spinas & tribulos germinabit tibi*: intellige, nō perpaucas ſpinas, vt priùs, ſed magnâ copiâ, & quæ bonum ſemen opprimant ſpontiuo, & noxiali exortu.

Vers. 12. Baſil. Beda. Rupert. Raban. Alcuin. Auguſt. Baſil. Ambroſ. Procop. Geneſ. 2. Geneſ. 3.

Quæres, quo anni tempore mundus productus ſit. Rabbini duce Ioſeph. l. 1. Antiq. c. 3. Scalig. Vbbo, & Mariana putarunt in æquinoctio Autumnali. Communiter SS. Patres, & Scripturæ interpretes, æquinoctio verno mundi auſpicium adſcribunt. Beda lib. de ſex ætatib. refert id declaratum in Synodo Palæſtina. Tutior eſt hæc ſententia propter PP. auctoritatem. Si momenta probationum vtriuſq; expendas, neutra vrget. Conſule Tirin. c. 9. Chron. ſacri, & Bonfrer. hîc.

50. FIANT LVMINARIA, &c. Scilicet Deus ignis elemētum ſpiſſauit, & in aſtra coaptauit, adhuc retentâ formâ ignis. Non inquam, totum ignis elementum, ſed magnam, & potiorem eius partem. Itaque aſtra eſſe igneæ naturæ, magno conſenſu docuerūt veteres Philoſophi apud Theodoretum lib. de mater. & mund. eāmque disertè tradunt Patrum proceres. Tertullianus lib. de Anima, Origenes lib. 4 aduersùs Celſum, S. Iuſtinus in Ariſtotelis repreh. Lactantius lib. 2. c. 6. Theodoretus quæſt. 11. ſanctus Gregorius Nyſſenus de Hiſtor. ſex dierum, S. Baſilius homil. 3. ſanctus Ambroſius, lib. 2.

Vers. 14. Aſtra ſunt ex ſua portione igni elementi.

lib. 2. Hexaem. cap. 2. ſanctus Cyrillus Hieroſol. catech. 9. Cæſarius qu. 8. 68. Emiſſenus & Theodorus hic, ſanctus Chryſoſtomus homil. 6. ſanctus Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litter. c. 10. Anaſtatius Sinaita lib. 2. Hexaem. Arnobius lib. 2. aduerſ. Gentes. Beda lib. de Natura rerum cap. 5. & 19. Hugo Victor. in annot. in Geneſ. Procopius hic, ſanctus Damaſcenus lib. 2. de Fide, ſanctus Iſidorus lib. 3. Orig. ſanctus Anſelmus l. 1. de Imag. mũnd. cap. 33. & 35. Alcuinus in qq. in Geneſ. Mariana hic, & Aſtrologorum plures. Fauet huic interpretationi Hebræus textus. Nam Hebraicè pro *luce*, quam ſupra ad verſ. 3. interpretati ſumus elementum ignis, habetur אור *or*, id eſt, lux, aut lumen: hic autem pro *luminaribus* habetur מאר *meorot*. Cumque exploratum ſit מ eſſe præpoſitionem apud Hebræos, idem erit מאר *luminaris*, ac מאור *de luce*, id eſt de lumine, nempe de igne, qui lucis nomine deſignatur. Scilicet ignis ille primâ die creatus, in hac die quartâ in Aſtra tributus eſt. Quid enim aptius ad lucendum & illuminandum, quàm ignis, à ſe nitidus & ſplendidus? Imò cum hodie perſpicuum & exploratum ſit, nouas eſſe generationes & corruptiones in cælis (vt dicebamus ad verſ. 6.) præſtat reiicere quintam cælorum & aſtrorum ſubſtantiam, incorruptam & immortalem, quam profana Ariſtotelis idololatria in Philoſophorum ſcholas inuexit. De quo erudite Euſeb. Nierembe g l. 6. c. 1. ſuæ Philoſophiæ.

51. Nec putaueris in naturæ difforme, vt propter bonum vniuerſi, non modica pars ignei elementi vagetur in aere, elemento extraneo. Sicut aqua ferè mixta nũnc eſt cum terræ elemento, deſerto eius connaturali loco. Nec inficior, falſò Planetas fœnerari lucem à Sole, vberiorem lucem inquam: nam aſtra habere aliquam lucem, demonſtratur in Lunæ eclipſi, in quâ Luna apparet rubicunda. Sol autem lucidior eſt reliquis aſtris, vtpotè conflatus ex ampliori & lucidiori ignei elementi portione. Mirabiles autem effectus, quos influunt aſtra in hæc inferiora corpora, idoneè poſſunt adſcribi igni, mirè adtemperanti reliquas qualitates. Sicut temperamento primarum qualitatum miras quaſdam operationes adſcribit Philoſophia. Cui familiare eſt, quod ignorat, referre, aut in aſtrorum occultos influxus, aut in primarum qua-

Aſtra etſi ex igne conſtent, mariſſima proprie operantur in hæc inferiora.

litatum temperiem. Nec putes magnetem attrahi à polari ſtella, quam non reſpiciat: ſed ferri toto ſuæ naturæ impetu in polum mundi, exploratum eſt. De magnete legi poteſt Merſennus in Geneſ. cap. 1. v. 1. cap. 18. Merſenn.

Lvminaria. Planetas, & ſtellas omnes, vt ex contextu patet. In firmamento cæli. In expanſione illa perampla ignei & aërei elementi, cui cæli nomen inditum eſt. Dividant diem ac noctem. Alternatim diem ac noctem illuminent. Sol interdiu, Luna noctu. Rudi Hebræorum populo, rudi etiam Minerua loquitur Moyſes. Neque enim Luna noctem conſtituit. Nox enim, etſi illunis, nox erit, ab vmbrâ terræ ex aduerſo Sole oppoſitum hemiſphærium illuſtrante. Diem, artificioſum: nam dies naturalis noctem includit.

In signa et tempora, &c. Eſt Hendiadys. Aſtra poſuit Deus in firmamento cæli, *in ſigna & tempora*, &c. id eſt, in ſigna temporum, & dierum, & annorum. Videlicet vt aſtra eſſent *in ſigna temporum*, nempe veris, æſtatis, autumni, hyemis. Item *in ſigna temporum*, ſationis, meſſis, vindemiæ, oliuitatis, &c. Tempus enim horum omnium deſignat aſtrorum motus. Dierum. feſtorum inquam, vt putà Sabbati, neomeniarum, &c. Annorum. vt comprehenderet non tantùm naturales annos, ſed etiam annum ſacrum, ſabbaticum inquam, &c. Menſes omiſit, ſicut & horas, quæ etiam aſtrorum motibus deſignantur. Quid neceſſe erat ſingula particulatim expreſſiſſe? Nihil hic dictum putes contra immunitatem arbitrij, vt non nulli ariolantur Aſtrologi. 52.

Quomodo ſtellæ ſint creatæ in ſigna temporum.

Vt lvceant in firmamento. Ecce finis efformandi aſtra, vt ſic fulgeant in ſuperis expanſionibus, vt terras illuminent alternante fulgore. Vers. 15.

Dvo lvminaria magna. Sol & Luna appellantur luminaria magna, non quia cetera aſtra magnitudine ſuperent: nam etſi Sol omnium aſtrorum putetur maximum, quia tamen Luna ceteris eſt depreſſior, & terris propinquior, eius diametrum viſualem, aut æqualem, aut ampliorem Sole cenſeas. Et inde ex apparentiæ ſenſu & cenſu, luminare magnum nominatur, & cum Phœbo Phœbe componitur. Aſtrorum magnitudo ad Aſtrologiam ſpectat. Legi poſſunt hîc Bonfrerius, Merſennus, Pereira, & 53. Vers. 16.

Quare Luna dicatur luminare magnum.

Quomodo Sol & Luna præſideant diei & nocti. Cornelius. LVMINARE MAIVS appellat Solem comparatione Lunæ & ſtellarum, non in diametro viſuali, in quo à Luna ſuperatur; ſed in amplitudine molis, & plenitudine lucis. PRÆESSET. Sol ſuo ſplẽdore diem facit, & velut regit & gubernat diem, dum mane, meridiem, & veſperam facit quibus dies conſtat. Sic pro ſuo modulo Luna & ſtellæ nocti præſũt, eam illuminando, & nouo ſiderum ortu & occaſu, eam diuidendo, & quaſi regẽdo. Quod cecinit regius Vates Pſ. 135. verſ. 7. *Solem in poteſtatem diei; Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis.* Quod Moyſes dixit *præeſſe*, Dauid expreſſit vocabulo *poteſtatis*. ET STELLAS, non tantùm quas vocant fixas, ſed etiam reliquos planetas (præter Solem & Lunam, quæ nominatim expreſſerat) interpretor: ne videantur omiſſæ præluſtres cæli faces.

54. *Stellarũ nomine planetæ etiam deſignantur.* ET POSVIT EAS. Eſt anallage generis. Neque enim tantùm *eas*, id eſt, ſtellas poſuit in firmamento cæli; ſed etiam duo illa luminaria magna, & planetas reliquos. *τὸ poſuit* idonee inſinuat, aſtra non eſſe cælo infixa, ſed ſeorſim euagari. Sic homo extra paradiſum factus, mox dicitur in paradiſo poſitus. Geneſ. 2. verſ. 15. (Geneſ.) IN FIRMAMENTO CÆLI. In ſuperâ illâ expanſione, in aëre inquam, & igne, iuxta dicta ſuprà ad verſ. 6. Non priùs aſtra efformans, & poſteà reponens, ſed efformando reponens. Gratis ſiquidem dicerent ea aſtra alibi formata.

55. VERS. 20. *Aquarum fœcunditas.* PRODVCANT. Non actiuè, ſed materiam præbendo, vt de terrâ herbas germinante diximus ſuprà ad v. 11. Verbum Hebræum ſignificat, ebulliant, ſeu ſcaturiant in maximâ copiâ. Copioſam ſoboleſcentium piſcium multitudinem ad aquarum luxuriam refert Ariſtoteles l. 3. de generatione animalium, cap. 11. & Plinius lib. 9. cap. 1. (Ariſtot. Plin.) AQVÆ. Ex merâ aquâ, aliorum elementorum nullâ præuiâ admixtione, putarim efformatos piſces, cùm elementa non ſint formaliter in mixto; & Deus præter naturæ exigentiam fecerit piſces ſubitò ex aquâ ebullire. Aquam duntaxat piſcium matricem agnoſcunt S. Baſilius, S. Ambroſius, S. Chryſoſtomus, & Theodoretus. (Baſil. Ambroſ. Chryſoſt. Theodor.)

56. *An plantæ viuunt?* REPTILE appellat piſces, quia non gradiuntur pedibus, ſed repunt in aquis, & pinnulis vtuntur pro remigio. ANIMÆ VIVENTIS. id eſt, reptile pollens animâ viuenti, ſeu vitæ largitrice: nempè vitâ ſenſitiuâ, quâ propriè bruta viuunt. Nunc primò vitæ vox auditur in Scripturis, non cùm plantæ germinarunt, & arbores ſoboleſcunt. Num Moyſes præmaturè Stoïcus, negans vitam plantis? Ita P. Mariana ex Galeno, neque abs re philoſophatur. (Mariana. Galenus.) ET VOLATILE, &c. Ecce tibi volucres ex aquâ enatas. (*Volucres ex aquis enaſcuntur.*) Nec aduerſatur textus Hebræus (& ſi aduerſaretur, ex Vulgato corrigendus foret) ſcribens: *Producant aquæ reptile, & volatile volet ſuper terram*: nam intelligendum eſt relatiuum אשר *aſcer*, vt ſubaudiuit Vulgatus, LXX. & Chaldæus, quibus ſubſcribunt ferè omnes interpretes. Et ſenſus erit: Et volatile, quod volet ſuper terram. Neque huic expoſitioni repugnat quod dicitur infra cap. 2. verſ. 19. *Formatis de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus*. Nam *τὸ de humo* referendum eſt ad proximum ſuppoſitum, ad animantes inquam terræ, non ad volucres, quas ex aquis formatas eſſe dixerat. Scilicet multa per anacephalæoſim breui perſtringit ibi Moyſes, quæ nunc explicatiùs enarrauerat. SVB FIRMAMENTO CÆLI. Hinc adſtruitur *τὸ firmamentum* pro aëre accipi, non pro octauâ ſphærâ, aut cælis inferioribus: vicinius enim tectum, non adeò ſublimiſſimè remotum, aſſignandum erat volucribus, quæ in imâ aëris regione volant.

57. VERS. 21. CETE GRANDIA. Pro *cete* Hebraicè ſcribitur תנינים *tanninim*, quæ vox generalis eſt, & ſignificat vaſtæ magnitudinis belluam, ſiue aquaticam (vt hîc) ſiue terreſtrem, vt habetur Malachiæ 1. v. 3. (Malach.) Nec reſtringitur vocabulum ad vnam ſpeciem cetorum, ſed maximos quoſque piſces comprehendit. VIVENTEM, ATQVE MOTABILEM, hoc eſt, reliquum piſcium vulgus, quod viuit, & natat in aquis. Quaſi dicat, piſces maiores, medianos, minores, omnes inquam. IN SPECIES SVAS. id eſt, iuxta ſuas ſpecies. Idem dictum puta de volucribus. SECVNDVM GENVS SVVM. Nempè ſecundùm ſpecies ſuas. Cùm verò dicitur Deus creaſſe cete grandia, & reliquos piſces, & volucres omnes, quæ produxerant aquæ; non innuitur Deum produxiſſe denuò ea, quæ produxerant aquæ: actum enim ageret: ſed per enallagen temporis Vulgatus Plusquamperfectum poſuit pro Perfecto. Scilicet creauit Deus cete grandia, & omnem animam, quam *produxerant aquæ*, id eſt, produ-

xerunt,

xerunt, dum Deo creanti piſces & aues, aquæ illorum creãdorum idoneam materiam ſuppeditarunt.

58. Vers. 21. BENEDIXITQVE EIS. Dei benedicere, benefacere eſt. Quodnam eſt hoc beneficium, quod Deus in piſces, & aues contulit? Nempè, CRESCITE, & MVLTIPLICAMINI. Hebraicè pro *creſcite* ſcribitur פרו *peru*, *fructificate*, Vnde conſtat, quòd vocula *&* eſt exegetiua, & ſenſus eſt, *Creſcite*, ſeu fructificate, *&* (id eſt) *multiplicamini*. Nemo eſt adeò ſtupidus, vt cenſeat his verbis intimari piſcibus præceptum propagationis. Ponitur itaque Imperatiuum pro Futuro. Quaſi dicat: Potentia & appetentia ſpeciem propagandi, quam vobis in creatione indidi, non erit fruſtrà, nec effectu ſuo vacua; ſed te ipsâ ſoboleſcetis, & multiplicabimini. Ita Rio, & Gordonus.

Rio. Gordonus.

REPLETE AQVAS MARIS. Vbique aquarum ſit magna piſcium copia. Neque tanta piſcium multitudo neceſſaria eſt ad bonum verborum veritatem: nam v. 28. dicitur hominibus, *Replete terram*, & tamen non eſt tam frequens & numeroſa hominum copia. SVPER TERRAM. Quia etſi aues per aera volent, tamen in terra nidos conſtruunt, ſomnum capiũt, oua pariunt, & excludunt. Quid dicendum eſt de Phœnice, quæ non multiplicatur? Primò autem eſſe ſymbolicam, non veram, (ita Vliſſes Aldrobr.) poeticis antiquorum rumoribus, pluſquàm alis volantem. Deinde, eſto, vera ſit: rediuiuo tamen interitu de emortuo cinere arcanè ſoboleſcit. Quin etſi non propagetur, quod ordinarium & frequens eſt, narratur: quod infrequens & rarum, omittitur.

Phœnix auis ſymbolica, non vera. Vliſſes Al-drou.

59. Vers. 24. PRODVCAT TERRA. Dies quinta habitatores dedit aquæ, & aëri, hæc ſexta dies incolas terræ parit. In igne nullus viuens habitator vſpiam inuenitur. Ita Dioſcorides lib. 2. cap. 56. & ibi Mathiolus, Galenus lib. 3. de Temper. Brodæus lib. 3. Miſcellan. cap. 3. ANIMAM VIVENTEM. Synecdochicè, id eſt, animalia viuentia. IN GENERE SVO, id eſt, iuxta ſingulorum ſpecies.

In igne nihil viuit.

Quæritur an Deus ea animalcula, quæ ex putri materiâ generantur, tunc produxerit, vt puta vermes, qui ex cadauere ebulliũt: Veroſimilior videtur pars negatiua, vt docent Salianus & Cornelius: quia ea animalia primò producta ſunt à Deo, quæ poſſent ſpeciem propagare, vtpotè quibus dictum eſt: *Creſcite & multiplicamini*: ergo ſat eſt poteſtate productos pediculos, pulices, & his ſimiles viuas ſordes; quia producta ſunt corpora, è quibus vltrò enaſcuntur. Idem iudicium eſto de ad alterius ſpeciebus, quales ſunt hybrides, quæ ex diuerſorum ſpecie animantium commixtione procreantur. Ita Rupertus, S. Thomas, Molina, Vielmius, Valentia, Bonfrerius, Salianus. Nempe mulus ex equâ & aſino; ex hirco & oue tityrus; ex lupo & cane, thoës &c. Neque imperfectus creatus eſt mundus carens his monſtris. Conuenit inter expoſitores hac ſexta die producta animalia noxia & carniuora: quia exinde nullam nouam ſpeciem produxit Deus: & conſtat ſerpentem tunc productum. Et quidem credibile eſt, ſpecies animalium adeò copioſo numero productas fuiſſe, vt ſufficerent alimenta præbere carniuoris. Ita Bonfrerius. Vnde Adamus & Eua veſtiri potuerunt enecti pecoris exuuiis.

Vermes, & ſimilia nũc non creantur. Salian. Cornel.

Animalia noxia nunc producta ſunt.

Bonfrer.

60. IVMENTA. Hebraicè בהמה *behemah*, animalia manſueta & domeſtica intellige, quæ opponuntur BESTIIS, hoc eſt, feris. REPTILIA. id eſt, animalia, quæ pectore incumbunt terræ, apodes inquam, aut quæ breuiores habent pedes, vel ſaltui potiùs ſunt habiles, quam greſſui. Sub *iumentorum, reptilium, & beſtiarum* nomine, reliquæ etiam ignobiliores, & ignotiores ſpecies deſignantur.

Vers. 25. ET FECIT DEVS, &c. Nimirùm Dei iuſſio opere expleta eſt. Omiſit verò Moyſes Dei benedictionem ſeu approbationem, quâ nunc proculdubiò decorauit terræ animantes, ſicut die quinta piſces & aues: nec meminit animantibus terræ dictum fuiſſe, *Creſcite & multiplicamini*: quia procliue erat intelligere, idem dictum terræ animantibus, quod piſcibus, & volucribus de propriæ ſpeciei propagatione. Feſtinabat enim Moyſes ad explicandam creationem hominis, qui erat huius opificij finis.

Cur beſtiæ non benedictæ.

61. Vers. 26. FACIAMVS. Verbo pluratiuo in hominis formatione vtitur Deus, quo alloquitur, non Angelos, (vt putant Hebræi) neque enim Angeli inſtrumentariam operam Deo contulère, neque homo euaſit Angelorum imago. Ergo Pater Deus alloquitur Verbum, & Spiritũ ſanctum, & adumbratur ſanctæ Triados arcanum myſterium. Ita S. Clemens

Adumbratur Trinitatis myſterium.

Rom.l.5. Conſt.c.6. S.Baſil. homil.10. S. Ambroſ.l.6.c.7.S.Chyſ.homil.8. S.Greg. Nyſſen. de Opificio hom. c.16 S. Athanaſius in Orat. contra Idola. S. Aug.l.16. de Ciuit. Dei, c.6. Euſeb l.1. Hiſtoriæ, S. Epiphan.in Ancor c.46.S.Cyri.Alexand. l.1.aduersùs Iulian.S.Hilar.l.4.de Trinit. Theodor. quæſt.19. Beda, & Procopius hîc, Rupert. l.2.c.1 Concilium Sirmienſe apud Hilarium de Synod s. Quis diſſentiat in tanto Patrum conſenſu? Nempe conſtructâ & omni ſupellectili & ſeruitio inſtructâ magnâ mundi domo, hominem eius principem introducit: cuius excellentia valdè commendatur, dum inducitur Deus quaſi conſultans & deliberans, quod in aliis retrò operibus non legitur. HOMINEM. Hebraicè אדם *Adā*, quod hîc non eſt nomen proprium huius hominis, ſed commune toti ſpeciei. Ita
Merſenn. Rio. Bonfrer. Merſennus, Rio, Bonfrerius. AD IMAGINEM & SIMILITVDINEM. Eſt Hendiadys,
Imago & ſimilitudo idē ſunt. nempe faciamus hominem ad imaginem ſimilitudinis noſtræ. Sic dicitur Sapien-
Sapient.2. tiæ 2. v.23. *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum*, id eſt, ad imaginem veram, & prototypo ſimilem. Itaque *imago* hîc
Geneſ. non diſtinguitur à *ſimilitudine*. Exinde Scriptura promiſcuè vtitur his vocibus, aut alterutrâ, aut vtrâque. Geneſ.5. v.1. & 3. & cap.9. verſ.6.

62. *In quo ſita ſit ratio diuinæ imaginis in homine.* Petes, in quonam ſita ſit hæc hominis ad Deum ſimilitudo? Primò in hominis naturâ & eſſentiâ, quâ homo intellectu & arbitrio pollet, & ſupremum attingit dignitatis gradum, in quo ſunt mentes cœlicæ. Hæc ſimilitudo ſic agnata eſt homini, vt amitti nō poſſit per peccatum. Alia ſimilitudo ad Deum eſt ſupernaturalis, in gratiæ & iuſtitiæ donis conſtituta, quæ primæuo delicto deleta eſt. Et de hâc loquuntur Patres cùm diuinæ imaginis reſtaurationem pollicentur ex gratiâ: & cùm aſſerunt hominis arbitrium debilitatum & imminutum eſſe: nōn quidem quoad entitatem phyſicam & intrinſecam, ſed quia multa poſſemus in ſtatu innocentiæ ex donis gratuitis, ad quæ in naturâ lapſâ non eualemus. Vtraque hæc ſimilitudo fuit Adamo & Euæ cōmunis. Sicut & alia ſimilitudinis ratio, quæ in animantium præſidentiâ conſiſtit, & cuius confeſtim meminit, aiens: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris*, &c. De qua imagine videtur loqui Paulus 1.Co-
rinth. 11. v. 7. quam abſolutè non negat 1.Corinth.
mulieri; ſed præſtantiorem reperiri aſſerit in viro, quia præſidet etiam fœminæ. Tametſi aliam etiam rationem imaginis inſinuet, de quo ibi.

63. *An homo ſecundum corporis lineamenta poſſit Dei imago?* Quod autem Adamus poſſit etiam in corporis lineamentis dici imago Dei affirmant Eugubinus, & Oleaſter, nec fortè ratione, ſi ſemel illis concedatur, Deum creaturum primum hominem, in humanâ tunc formâ apparuiſſe; corpúſque Adami euaſiſſe ſimile corpori illi apparenti, quod aſſumpſit Deus. De quo legi poteſt Serarius in Ioſue, q.4. Pererius in cap.32. Geneſ. num. 11. Salianus die mundi ſexta num. 55. qui plures Patres allegat. Profectò etſi externa corporis ſpecies Adami non repræſentaret incorpoream Dei naturam, repræſentaret tamen Deum, vt apparentem in exteriori formâ: quod ſatis foret, vt homo diceretur Deo ſimilis, non tantum in animæ animæque dotibus ſed etiam ſecundùm externa corporis lineamenta, ſub quibus
Homo dici poteſt imago Dei. apparuit. Vulgò interpretes, etſi ingenuè fateantur, hominem creatum fuiſſe ad imaginem Dei, concedere renuunt, hominem fuiſſe imaginem Dei; quia id proprium eſt diuini Verbi elogium. De
S. Auguſt. Bonfrer. quo Auguſt. 12. de Trinitate cap.7. Sed ſcrupulum eximit Bonfrerius. Nam diuinum Verbum vniuoca Dei ſimilitudo: homo & Angelus duntaxat æquiuoca: neque alia niſi impropria ſimilitudinis ratio inter creaturam & Creatorem poteſt reperiri. Porrò pro *imagine* Hebraïcè ſcribitur צלם *tselem*, quod vmbram ſignificat. Eſt ergo homo, vmbra ſeu imago Dei: reliquæ inferiores creaturæ, veſtigium ſimilitudinis repræſentant.

64. *Homo non eſt Trinitatis imago.* NOSTRAM. Putauerim, nō eſſe hominē propriè imaginē Dei, vt trinus eſt. Quæ enim creata imago poterit inueniri, quæ arcanum Triados myſterium propriè repræſentet? Eſt autem imago vniuſcuiuſque perſonæ, ſecundùm rationem aliis communem. Vnde τὸ *noſtram*, ſpecificatiuè vt aiunt accipe, non reduplicatiuè.

Quodnam dominium in animātes habuerit Adā. PRÆSIT. Hæc hominis in animantes præſidentia, non modò ad Adamum, ſed etiam ad Euam referenda eſt: nam Latinis vox *homo*, vtrumque ſexum deſignat. Et Hebraïcè ſcribitur, *Præſint*: & ſtatim vtrique dicitur, *Dominamini piſcibus maris*. Hoc dominium in ſtatu innocentiæ, plenum atque perfectum erat in homine; tum quia ex peculiari Dei proui

prouidentia brutæ animantes illi ad nutum parebant, ſicut modò domeſtica & manſueta animalia: tum etiam quia mirà ſolertià pollebat homo ad beſtias edomandas & cicurandas. Hoc dominium valde imminutum eſt poſt peccatum: & aliqua ſagacitas homini ſuppetit ad cicurandas feras: ſaltem terrore & minis eas edomat, & cogit ad obſequium. Geneſ. 9. v. 14.

Geneſ.

65. Vers. 27. Sapient. MASCVLVM ET FEMINAM, &c. Scilicet hác die ſextá formatus eſt Adam humani generis princeps. Sapientiæ 10. verſ. 1. & quidem extra paradiſum: nam in eum *tranſlatus* eſt Geneſ. 2. v. 15. Quo enim pacto verè dici poſſet *tranſlatus* in paradiſum, ſi in eo creatus eſt? Ita Doctores omnes Eugubino excepto. Tranſlatuſne eſt opera Dei, an Angeli alicuius? Hoc affirmat Lipomanus in Catena; illud Ambroſius lib. de Paradiſo, vtrumque incertum. Potuit etiam Dei inſtinctu pedibus ſuis iiſſe in paradiſum, ſicut Chriſtus eductus eſt à Spiritu in deſertum, Matthæi 4. verſ. 1. Et ſanè breui mora ductum fuiſſe conformius eſt diuinæ potentiæ, & exiguo tempori à creatione vſque ad eiectionem e paradiſo. Vbinam creatus fuerit Adam, diuinat quiſquis certò aſſerit. Hebræi Palæſtinam ambitioſe ſuggerunt, Abulenſis prope Hebron, alij in agro Damaſceno, Lyra & Genebrardus hærent dubij. Vnde enim id conſtare poteſt, præſertim cùm nondum eſſent diuiſæ & denominatæ regiones, & id alto ſilentio à Moyſe omiſſum. CREAVIT EOS. Non eum; ne quis Protoparentes putet androgynos, vt Nouatores in Franciá ex Platonis ſympoſio. Quod autem Eua creata non fuerit poſt diem ſextum, probant interpretes infrà ad cap. 2. verſ. 18.

Geneſ. Eugubin. Lipoman. Ambroſ. *Vbi terrarum creatus fuerit Adam?* Matth.

66. Vers. 28. *Nullum fuit propagationis præceptũ.* BENEDIXITQVE ILLIS DEVS. Quid ſit Deum alicui *benedicere*, explicuimus ſuprà num. 4. Et ſanè cùm Dei *benedicere*, ſit benefacere, nil ſcribitur in toto hoc capite, quod non ſit Adami *Benedictio*: omnia enim Adami gratiá creauit Deus. CRESCITE ET MVLTIPLICAMINI. His verbis non intimatur primis hominibus præceptum propagandi ſpeciem, vt malitioſè blaterant Hæretici, quo obſequij prætextu laſciuiendi licẽtiam excuſent: neque enim præcepti obligatio *Benedictionis* nomine intimaretur. Profectò eadem met verba intimata ſunt brutis animantibus abſque aliquâ præcepti ſuſpicione. Ergo Imperatiuum ponitur pro futuro, vt notauimus ad v. 22. S. Auguſt. de Geneſ. contra Mani li. cap 19. exiſtimauit in ſtatu innocentiæ filios non fore generandos. Procopius propagandos fore homines abſque coitu. Sed quorſum nuptiæ inter Adamum & Euam, Deo paranympho contractæ? Hinc conſtat Protoparentes creatos in eá ætate, quá poſſent filios procreare, quæ tunc foret ſupra octoginta annos ſpectata vitæ diuturnitate illius æui.

Auguſt. *Qua ætate creatus fuit Adam.* Procop.

REPLETE TERRAM. Filiis veſtris. *Terram*, orbem terrarum. SVBIICITE EAM. Pulſis & domitis belluis, terram inhabitate, & agricolatione exercete. Veroſimile autem eſt, homines in ſtatu innocentiæ habitaturos etiam extra paradiſum. Porrò ſicut dictum eſt piſcibus: *Replete aquas maris*; ſic etiam dicitur hominibus, *Replete terram*: ergo ſicut *aquarum* nomine, non aliquis aquarum tractus, ſed totum aquæ elementum innuitur; ita *terræ* vocabulo orbis terrarum deſignatur. DOMINAMINI. Nempe hic completur, quod v. 26. decretum erat. 67.

Homines in ſtatu innocentia totum orbem habitaturi.

ECCE DEDI VOBIS. τὸ *ecce* non eſt hîc particula, quæ admirationem denotet, ſed quæ affirmationem ſignificet; & ſubſtituitur pro *vtique*, aut *ſanè*, quod ad Hebrææ linguæ proprietatem refertur. *Dedi* pro *do* præteritum pro præſenti, quo carent Hebræi. VOBIS quá voce innuitur, Euam iam fuiſſe creatam. OMNEM HERBAM. Hinc percrebruit communis Patrum ſententia, homines vſque ad diluuium eſu carnium abſtinuiſſe; non diuino obligatos præcepto, ſed aliquá religione inde ortá, quòd Deus carnium vſum needum conceſſerat. Sed quorſùm alebant greges? Ad veſtitum è vellere, ad eſum è lacticinio, ad ægritudinum leuamen. Quod non tam exiſtimo veroſimile de Cainitis, nequam hominibus, quàm de Sethi frugi ſobole. VNIVERSA LIGNA. Scilicet arbores pomiferas, & quæ edules ferunt fructus, non infrugiferas. 68. Vers. 29.

Abſtinentia à carnibus non præcepta à Deo.

VALDE BONA. De ſingulis dixerat *bona*, de omnibus iunctim, optima: nam ſingulorum bonitas particula quædam eſt bonitatis totius vniuerſi. Adde hominem iam creatum, qui erat finis, & veluti colophon totius diuini opificij. Vers. 31.

COMMENTARIVS MORALIS.

§ I.

Anguſta hominum mens, ſic Oratione auguſtè grandeſcit, vt cælum parturire dicatur.

MVNDI opificium diuinæ beneficentiæ ornamentum eſt, in cumulus creaturæ aſpectu Creatoris edocens bonitatem. Nam ad creationem primum inceſſiſſe, ac rebus non exiſtentibus, vt conſiſterent dediſſe, bonitatis illius monumentum eſt. Itaque ſua bonitas Deo faciendi mundum cauſa fuit. Bonus eſt, bona fecit: ſummo bono nulla cuiuſque inuidia eſt. Nec monitore egebat, vt ea faceret qui propriæ beneficentiæ arcano inſtinctu, & arbitrio generoſiùs operatur. Non erat Cælum fornicato faſtigio elatum: non ſuberat terra infimitate ſuâ ſtabilis: non inertibus vndis ſtagnabant maria: lucis veſtigium nullum emicabat, cùm ex conſultiſſimo Dei propoſito Cælum & Terra ad diuinum nutum primò conſiſtunt:

Hic v. 1: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Magna hinc oritur quæſtio, olim & nunc in paucis celebris, an Angeli etſi non perdiu, ſaltem paulò ante mundi viſibilis formationem, creati fuerint. Seriò hanc quæſtionem non tracto, quia aliùs ſcholæ labor eſt, & nos in litteræ commentario eam libauimus: deſcribam tamen pulchra Baſilij Seleuciani verba, quibus & quæſtionem præſtingit, & theſim elucidat. Sic fatur de primâ rerum aſpectabilium molitione: *Quid hæc loquar? Angelorum turba ſuo eſſe priuata erant; ſolus enim Deus erat, Deus ipſius eſſe fons, vitæ theſaurus, ortus non indigens, bonitate ſcatens. Hic ea quæ non ſunt, vocat, non rogatus, non ſupplicatione inuitatus non exiſtentibus dat exiſtere.* Quorſùm tam ſolerter prouidet Deus, ne Angelorum creatio, cæli & terræ creationem anteuertat?

Quid neceſſe fuit dicere, Cælum nullâ præmiſſâ ſupplicatione creatum? Baſil. Orat. 12.

2. Quid, quæſo, referret, vt Angeli cæli creationi præceſſiſſent? An egebant corporali loco ſpiritales mentes? an fortè tam nobiles ſpiritus, niſi in operoſo cæli palatio inidoneè habitarent? Annon præſtaret, vt princeps creatura principem haberet creationis locum, & reliquas vt nobilitate, ſic etiam antiquitate ſuperaret? *In Principio* (id eſt, ante omnem aliam creaturam) *creauit Deus cælum & terram*, hoc eſt, *ea quæ non ſunt, vocauit, non rogatus, non ſupplicatione inuitatus non exiſtentibus dat exiſtere.* Scilice noluit Deus vt vlla rationalis creatura cæli formationem præiret, ne *rogatus*, aut *ſupplicatione inuitatus*, cælos produxiſſe videretur. Et vltroneam ſuæ bonitatis beneficentiam commendare intendit, & ſimul ſupplicem Orationis omnipotentiam prædicare; ne precaria ſupplicationis omnipotentia cælos efformaſſe videretur. Ideò Angelorum turbis ſuo eſſe priuatis, dat eſſe cælis non exiſtentibus; ne cui videri poſſit, non vnicâ Dei potentiâ, ſed adiutrice ſupplici precum omnipotentiâ, cælos creatos fuiſſe: matrice quidem Dei manu, ſed Angelorum Oratione obſtetricante. Vnde *non rogatus, nec ſupplicatione inuitatus*, cælos parturit Deus: velut ab Oratione præcauens, ne putetur alicuius precibus permotus, cælos produxiſſe. Quaſi cælum ſit idoneus & cognatus Orationis partus. Quod autem litteraliter emphatice negat Baſilius, myſtice Auguſtinus fatetur, cuius verba ſubiicio, & expendo.

In principio creauit Deus cælum & terram: 3.
non rogatus, non ſupplicatione permotus, ne adiutrice Oratione vti videretur, & alioqui non idoneo miniſteriali ſupplicationis adiumento precario. Verùm Oratio cælos pulſare, cælos tundere, cælos aperire; non cælos parturire putatur. Quid cauetur à præuiâ Oratione in creatione cælorum?

Hic v. 1. *Oratio humana cælum parturit?*

Agens de pudicitiæ integritate ſic belliſſimè fatur Auguſtinus, ad rem præſentem opportunè: *Hæc eſt*, inquit, *vberior fœcundiórque felicitas, non ventre grauescere, ſed mente grandeſcere; non lacteſcere pectore, ſed corde candeſcere; non visceribus terram, ſed cælum Orationibus parturire.* Planè aurea & auguſta Aurelij Auguſtini verba. Cælum parturit Oratio? Sic anguſta hominum mens Oratione grandeſcit, vt Cælum fœcundâ felicitate parturiat? Cælúmne erit generoſa precum ſoboles? Cælo grauеſcit Oratio? Cælum parturit? Cælum enititur, ſine aborſus metu? Cælum Oratio myſticè voto concipit, deuotione parturit, & ſpei adnixu in lucem feliciter edit: *Non viſceribus terram, ſed cælum Orationibus parturit.* Quid illuſtrius? *In principio creauit Deus cælum & terram.*

S. Auguſt. epiſt. 179.

Matthæi 6. orandi formam Chriſtus Deus 4.
his verbis præſcribit: *Sic ergò vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum. &c.* Non hic morabor interpretes, an hæc verba petitionem deſcribant, an ſint orationis exordium, & rogandi prooemiolum? *Pater* dicitur, vt oſtendatur auctoritas & pietas eius, quem ſupplicat. Additur *noſter*, vt innuatur petentis dignitas. Sed quam ob cauſam ſubiungit, *qui es in cælis?* An non accommodatiùs

Matth. 6. v. 9.

Quare cùm oratur Deus, dicitur; qui es in cælis?

mod[illegible]tiùs ad rem impetrationis, Deum [illegible] xiſſet prope nos ([illegible] quoque [illegible]) [illegible] diligentiæ [illegible] & ſupplicationi [illegible] quid eſt, quod ſolemni orationi hoc [illegible] præfigit, *Pater noſter, qui es in cælis*? Q[illegible] cælum [illegible] oratione audiri, cùm [illegible] impetrationis gratia? Quæ eſt hæc orationis cum cælo cognatio? Redeat Auguſtinus nuper laudatus: *Hæc eſt*, inquit, *vberior fæcundiórque [illegible] in terram, ſed cælum Orationibus parturit*. Oratio cælum parturit, Deus ergo in cælis [illegible] oritur: quaſi eſſe *in cælis* ſit impetrationis [illegible]ſes. Exinde ab illis verbis opportunum oratio ſumat exordiû: *Pater noſter qui es in cælis*.&c.

S. Auguſt. epiſt. 1[illegible]9.

5. 3. Regum 17. dixit Elias Theſbites ad Achab regem Iſraël: *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba*. Quod Iudæi, inquit, in Idolorum venerationem inclinarunt, quod auctore vitæ relicto Dæmonis mortis auctoribus ſe dediderunt; propterea [illegible] calamitatibus viuentem [illegible] mortem oppetant. [illegible] totis [illegible], quis [illegible] ſiccitatis [illegible] concuſſi. *Viuit Dominus [illegible] ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba*. Quæ Prophetæ verba Baſil. [illegible], ſic ad rem exclamat: *ò lingua, quæ cælum frenas! (& poſt non pauca) vt nubes ſilentio conſtrictas ſeruat*. Nimirùm quaſi [illegible] foret, quod Propheta [illegible] ſupplici, aut imperio precantè potenti, *cælum frenare* poſſet, & eius beneficia ore diſpenſare; cæli etiam *nubes ſilentio conſtringit*. ò arcanam humani ſilentij in cælum poteſtatem!

3. Reg. 17. v. 1.

Elias etiam [illegible] conſtringit.

B. Baſil. Seleu. orat. 11.

§. II.

Perfectus operator priùs rem effecit, quàm effecturus putetur.

1. LANGVET per inertiam ſuam multiloquentia. Quod linguæ additur, detrahi manibus ſolet. Marcidus operator laſciuit ore, operis infæcûdo. Verboſè quidem [illegible] Diu multumque verbigeratum eſt, ex nihil tandem patratum eſt. Rarò verba ad rem faciendam conferunt. Languet operandi ardor, qui in verba inutiliter euaporatur. Perfectus operator eſt, qui priùs abſoluiſſe opus, quàm inchoaſſe dicitur, ne præambula verba rem faciendam faſcinent quaſi tenellam, & ſimillimam naſcentibus.

2. Hîc verſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*. Etquare in tantæ molis opificio nullum præit rei faciendæ verbum? *Puto*, inquit, (verba ſunt Ambroſij) *In principio fecit Deus, vt incomprehenſibilem celeritatem operis exprimeret, ne mora in faciendo fuiſſe exiſtimaretur, cùm effectum priùs operationis impleta, quàm iudicium cœpta explicuiſſet: vt vel ſic intelligerent homines, quàm incomprehenſibilis operator eſſet*. Qui priùs abſoluiſſe, quàm incepiſſe negotium [illegible] patet, ille, ille inquam, perfectus & incomprehenſibilis operator eſt. Qui diu [illegible], ſero abſoluit. [illegible] quæ moras [illegible], impedimenta ſubornat, quæ operis impletionem aut cunctetur, aut impediat. Quo[illegible] diu rem parturit, infauſtum ominatur [illegible].

Hîc v. 1.

Ambr. ibi.

Qui priùs rem abſoluiſſe, quàm cœpiſſe appareat, perfectus operator eſt.

3. Subtilius, opinor, quàm ſolidiùs rem meditatur Caietanus, qui [illegible] illis verbis: *In principio creauit Deus cælum & terram*, lucem etiam creatam eſſe ſimul cum cælo, quippe quæ illius affectio & proprietas eſt. Sic fatur Caietanus ad illa verba: *Dixitque Deus: Fiat lux*. *Nec alia*, inquit, *creatione [illegible] lucem, quàm illa [illegible] quâ fecit cælum, quoniam lux proprietas eſt conſequens cæleſte corpus, eademque generatione generatur quâ generatur cælum: vt ſi iunxeris hæc duo (& quòd Deus creauit cælos, & quod dixit, Erit lux) perſpicias, Deum imperaſſe dicendo, & executum fuiſſe creando [illegible] lucem*. Nota quæ ſubiicit verba, *Meminit autem priùs executionis quàm imperij, vt [illegible] excellenti executione ad credendum imperium*. Scilicet [illegible] quàm audiatur vel imperij vox, res executioni mandata eſt, vt ex celerrimâ executione quam nulla præiuit vox, aut operis faciendi indicium, manuduceretur homo ad credendam diuini imperij omnipotentiam. *Antes eſtè executado que imaginado, paraque claramente ſe [illegible] que es Dios el que obra*. Vel ab vno rei faciendæ præuio verbulo ſibi velut præcauet Deus, ne tam excellens executio apud homines deuenuſtetur? Priùs auditur executio, quàm imperium, ad omnipotentem Dei prouidentiam hominibus commendandam? Sic operi faciendo præuius ſermo infauſtum augurium apud homines eſt! Executio quæ verba anteuertit, Deo digna eſt, & hominibus de efficacitate æmulanda; vt opere efficaciter præſtent, quod feliciter mente conceperunt.

Hîc verſ. 1.

Caiet ibi

Ante quàm audiretur Dei vox, [illegible] dicitur effectum.

4. Matth. 18. *Ideò aſſimilatum eſt regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta*. Vides operis celeritatem? *Voluit*, & ſtatim ſubditur, *Cum cœpiſſet*. Et ideo furaciſſimum ſeruum, decem millium talentorum debitorem, confeſtim opulentioris furti conuicit reum. Quod tacitè notauit Euangeliſta, ſic aiens: *Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum Dominus eius venundari*, &c. Scilicet qui vbi primùm voluit rationem ponere, ſtatim cœpit rationem ponere, nullo præuio rationis petendæ veſtigio, ſtatim reum imparatum conuincit, & rem feliciter exequitur. Non vt ille Villicus iniquitatis, qui priùs de non bonâ famâ, & de ratione reddendâ admonitus, locum rapaciſſimis ſtrophis reperit obuium. Rem facere decreuiſti? Silentium tibi indicito, & confeſtim incipe, & feliciter rem perfeciſti. Planè verba impedimentis lenocinantur, quod non latuit Seleuciæ Baſilium jam iam allegandum.

Matth. 18. v. 23 & 24.

Qui quod decreuit facere, ſtatim tacitus inchoauit, planè perficiet.

Lucæ 16. verſ. 1. & 2.

Ionæ

Ionæ 1. Et factum eſt verbum Domini ad
5. Ionam filium Amathi, dicens : *Surge & vade*
Ioan. 1. v. 1. *in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in*
Ex cõminatione excidij, coniicit Ionas vrbem non euertendam.
eâ : quia aſcendit malitia eius coram me. Quid verbis prædicturus erat Propheta, niſi verbis luctuoſum excidium, irâ Dei digniſſimum. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuerſetur.* Profectò ſi Deus vellet, Niniuen vaſtare, quorsùm ſe id facturum per Prophetam denunciat ? Quod argutè, vt aſſolet, notauit Seleucianus Baſilius, cuius hæc ſunt verba :
Baſil. Orat. 12.
Surge & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in eâ, &c. Verſabat ſiquidem (cùm Ionas fugit in Tharſis) *animo cogitationes, quibus latentem Dei beneuolentiam inueſtigaret. Si ſupplicia, inquit, de Niniuitis eſſent ſumenda, gaudens vtique obſequerer imperio adminiſter eſſem pœnæ impiorum : nam vrbs eſt idolorum amans, dæmonum ſerua, ignara Creatoris. Verùm eam nunc ominus punire, vt arbitror, minatur ; ſed pœnam terrore commutabit.* (Nota quæ ſubſcribit verba) *Suſpicor equidem comminationem in clementiæ matrem euaſuram. Nam cur euerſionem prænunciat, ſi veram vult animaduerſionem ? Si punire vult, cur admonet periculi ? cur oraculo plagam anteuertit ?* Quid luculentius ? Ecce Ionas extitit ſagaciſſimus ingenij diuini vates, & ex eiuſmodi verbis operi præeuntibus, opus tunc non exequendum coniectauit : nam cur ſic euerſionem prænunciat, ſi verè & abſolutè euertere cupit ? Hæc ab ingenio Ionæ. Nec Prophetam coniectura fefellit.

§. III.

Largior beneficentia, Cælo & nomen, & rem cæli tribuit ; Chriſti Dei & incomparatæ deitatis conſummatio eſt?

SVBLIMIVS honorum faſtigium & gloriæ locupletior gaza, non tam ſæpè conſtat felicitate propriâ, quàm alienâ infelicitate. Si omnes forent ſublimes, vacaret fortè ſublimis faſtigij gloria. Pauperum tenuitas mirè incrementat procerum magnitudinem ; & quorundam naturæ inopia, egeſtate ſuâ fortunam diuitum locupletat. Adeò vt gratulandum ſit felici, non tantùm de ſuâ fortunâ, ſed etiam de alienâ infelicitate.

Hîc verſ. 1. Hîc verſ. 1. *In principio creauit Deus cælum*
2. *& terram.* Quidnam primò creatum eſt, Cæ-
Cælum & vocabulũ, & rem cæli reſpuit, dum nõ adeſt Terra, cui benefaciat ?
lum, an Terra ? Præluſtris alterutrius gloria foret, primas alteri ferre in naſcentiæ primatu, & ſpectabilium omnium creaturarum maioratum nanciſci feſtinatione naſcendi. Regius Pſaltes pro Terrâ ſuffragium tuliſſe videtur, illique rerum omnium maioratum adſcribere, Terram Cælo præponens in natiuitatis ordine, aiens : *Initio tu Domine, Terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cæli.*
Pſalm 101. verſ. 26.
E contrario videtur ſtare Moyſes, ex relatione indubiâ, Cælum natiuitatis priuilegio Terram anteiſſe, inquiens : *In principio creauit Deus cælum & terram.* Grande plane litigium, in quo patronus quilibet (quantùm pectore tenus apparet) diuerſiſſimè ſentit, fidémque ſibi vendicare debet, & quidem diuinam, ſi id aſſeruiſſe conſtet. Venerabilis Beda, velut Biblicorum arbiter, litem diremit his verbis : *Vtrumque ſcilicet ſimul* (creatum eſt, *quamuis vtrumque ſimul ab homine non dicatur.*
Beda in illu.
Peritè quidem rem compoſuit Beda, & (vt opinor) litteraliſſimè. Sed inde litigium aliud, fortè maius exoritur. Quare inquam, Cælum ſublimioris naturæ quam Terra, priùs creatum non fuit ? Cur Dei manus creaturarum grauida, hos fœtus ita velut gemellos edidit ſingulari partione, quin alter alterum natiuitate anteuerteret ? Edatur priùs Cælum, & ſit creaturarum primogenitum, quod cæteris præit magnitudinis, venuſtatis, & incorruptibilitatis elogio. An Cælum ſimul cum Terra conſultiſſimè producitur, quia ſi Cælum priùs extitiſſet quàm Terra, vix Cælum poſſet auguſtum Cæli nomen, & Cæli prærogatiuam habere, quoadúſque illi ſubeſſet Terra, in quam beneficè influeret ? Sic eſt agnata Cælo in terram munificentia, vt Cælum, Cæli vocabulum reſpuat, dum non habet, cui munificè benefaciat ? Scilicet naturæ Cæli debebatur naſcendi prioritas, vtpote quæ Terræ longè antiſtat ; ſed Cælum, etſi naturâ præſtantius, vix impleret tanti vocabuli elogium, quouſque adeſſet Terra, quàm munificentiæ ſuæ donis fœcundaret. Inde Terra ſimul cum Cælo editur, ne Cælo deſit Cæli vocabulum, & Cæli elogium, dum eius vacaret beneficentia. Ecce tibi Terræ egeſtas Cælum ditat præluſtri Cæli vocabulo, & inde ſublimem perfectionis notam à Terræ egeſtate opulentiùs fœneratur. Quod de Cælo diximus, de Chriſto homine Deo ; imò de Deo incorporato, quodammodò oſtendere, mens eſt.

Matthæi 11. *Ioannes autem cùm audiſſet in* 3.
vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi : Tu es, qui venturus es, an alium Matth. 11. verſ. 2.
expectamus ? Et reſpondens Ieſus, ait illis : Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur, &c. Ioannes, Ioannes inquam, ille, qui de cælo præmaturè afflatus, adhuc paucorum dierum infantulus in materni carceris aluo, Chriſtum agnouit, & nuper digito deſignauit, nunc velut myſterij oblitus, dubitat, an ſit verè Meſſias, quem hominem Deum expectabant ? *Quærendum nobis eſt* (ait Gregorius) *Ioannes Propheta & pluſquam Propheta, qui venientem ad baptiſmum Dominum oſtendit, dicens : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, cur in carcere poſitus mittens diſcipulos requirit : Tu es qui venturus es, an alium expectamus ? tanquam ſi ignoraret, quem oſtenderat, & an ipſe ſit neſciat, quem ipſe prophetando, baptizando, oſtendendo, ipſum eſſe clamauerat.* Verum, ex Chriſti reſponſo, non linguâ, ſed miraculis, dato ; non aëri voce fugitiuâ permiſſo, ſed largitate beneficentiæ expreſſo,

S. Greg. homil. 6. in Euangel.
Chriſtus dum magis beneficus oſtenditur, Plenitudo diuinitatis appellatur.

preſſo, liquidò oſtenditur, quòd Ioannes, *non fide, ſed pietate dubitauit*, vti dixit Ambroſius. Scilicet ipſe Ioannes [illegible] proximus, ſuos ſubſtituit diſcipulos, vt Chriſtum poſtmodum annuncient, & ita priùs omnem eorum diffidentiam expellere, ſedulò ſategit, vt ex tot miraculis, coràm patratis, cognoſcerent Chriſti beneficam vim [illegible], & cæleſtem eius doctrinam, dum pauperes euangelizantur. Porrò, dum triginta annorum ſpatio, Chriſtus domi latebat, [illegible] Ioanni Chriſtus, quem eum [illegible] prophetice agnouerat, ſed nondum certè tis Chriſtus Domini; & promiſſus homo Deus videbatur. Ergo cognoſcant Chriſtum in omnes opulentiſſimè beneficum, & dubitatione depoſitâ, homo Deus patebitur. Ideò Chriſtus, dum beneficentiorem ſe oſtendit in omnes, appellatur à Paulino, *Plenitudo diuinitatis*. [illegible] de more Paulinus. Deerat [illegible] aliqua, quouſque diuinum Verbum corporatum largioris gratiæ beneficentiam exuberet in omnes? Quid perfectionis deeſſe poteſt Deo, cuius tanta eſt perfectio, vt vltra audaciam humanæ cogitationis immenſa ſit? Nihil profectò. At ea eſt [illegible] Chriſti, dum ad illius nutum, *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur*, vt tunc verè auguſtam, plenam, & Deo dignam perfectionem, ſi non faciat, ſaltem oſtentet. Vnde Chriſtus quando munificentior apparet, *plenitudo diuinitatis* nominatur. Quo ſublimi encomio vel Ioannis diſcipulis, tunc æmulis, opere exhibetur *plenitudo diuinitatis* in Chriſto cognoſcenda, ſuſpicienda, adoranda.

5\. Geneſ. 28. Iacobus nobiliter degenerans, cedit patrio ſolo, offenſi fratris ſæuas vt declinaret iras; & fugitiuus in Meſopotamiam contendit. In itinere pernoctans ſub dio, myſticæ illius ſcalæ viſione confortatus: *Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè in domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum*, &c. Nota hæc vltima verba: nam planè nugatoria videtur hæc Iacobi promiſſio, quâ dum ſe ob largiora quæ ſperat beneficia, Deo gratificari opulentiùs promittit; vouet, ſe Deum habiturum in Deum. Forte priùs atheos erat religioſiſſimus Iacob, qui, ſi cæleſtibus donis magnificè muneretur, exinceps promittit, ſe Dominum, quem antea colebat, habiturum in Deum? Nunquid antea Dominum non habebat in Deum? Olim verum Numen pro Deo non habebat? Atheuſne erat priùs, an idololatra? Magnum per diuina ridiculum! Enimuerò ſi verba voti attentiùs enucleentur, abſconſam in ro liberalitatis ſpirant eruditionem. Nempe, *ſi dederit mihi*, &c. id eſt, ſi naturæ & gratiæ donis [illegible] cumulauerit, tunc, tunc [illegible] planius & plenius *plenitudo diuinitatis*, ex eius beneficâ liberalitate mihi innoteſcet. *Erit* inquam *mihi Dominus in Deum*. cùm plenè ex largiori munificentiâ oſtentauerit *plenitudinem diuinitatis* ſuæ. Non quòd Se mendum antea putauerit, eius munificentiam [illegible] inexpertus; ſed quia copioſis [illegible] beneficentiæ muneribus, ſic ipſe oculabitur ad [illegible] notitiam, ac ſi tunc [illegible] eius hæreret notionem, diuinitatis cognitâ & [illegible] plenitudine, quæ ab opulentiori liberalitate auguſtius hominibus ad cultum & venerationem innoteſcit. Quaſi fidei obiecta a largitate [illegible] ſumſerit. *Si dederit*, &c. *erit mihi Dominus in Deum*.

Ambros. in Luc. 7.

4\.

S. Paulinus ep. 12.

Genes. 28. verſ. 20.

Deum non Iacobum munerans, in Deum habetur.

§ IV.

Deus ſi non vnus, ſed multiplex eſſet; & contemptibilis foret, & nullus?

1\. OMNIS rei, etiam pretioſiſſimæ, abundantia ſemper in ſe ipsâ contumelioſa eſt: quaſi pretium de raritate mutuet, & de ſingularitate fœneretur. Exinde diuinæ naturæ Vnitas deitatem ab omni imperfectionis contumeliâ præproperè defendit. Porrò ſi Deus multiplex eſſet, caſſa foret eius diuinitas, & Numen nullum; ac ſi elogium ſingularitatis, ſit prærogatiua diuinitatis. Deuteronomij 6. *Dominus Deus noſter Dominus vnus eſt*. Hæc vox idololatriam radicitùs conuellit, & à vario idolorum cultu protectam animam auertit. Vis noſſe, quare olim mortales plures ſibi fingere Deos, Deáſque populariter ambierint? Citò dicam: ne vllum adorarent, aut haberent Deum. Pluribus ſubdebantur Diis, ne vlli ſubeſſent; & dum Dei vnius iugum excutiebant, plures, quos adorabant Deos, diſſimulanter repudiabant: & quod cultu videbantur fateri, multiplicitate palam denegabant.

Qui plures Deos adorat, nullum colit. Deuteron. 6. verſ. 4.

2\. Exod. 5. Moyſes & Aaron ingreſſi ad Pharaonem Ægypti regem, ſic audacter loquuntur. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël*, &c. *At ille reſpondit. Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.* Hinc commentatores eruditè diſputant, an Pharao, atque Ægyptij Magi, & optimates, fuerint Athei, cui perſuaſioni ſuffragatur impia ad tot prodigia exinceps pertinacia. Quod ſatis veroſimile eſſe, nuper ibi adſtruebamus. Sed audiendus eſt hàc ſuper re Baſilius Seleucus: *Quæ*, inquit, *tam minuta res creata, quæ non ſit ab hominibus pro Deo culta? qui vel ad reptilia, & iumenta Dei cultum deiecere, & natura rationis expers apud rationis compotes fiat in veneratione. Quæ miſeria, immane quantum apud Ægyptios inualuit. Neque enim a continente duntaxat, ſed ab aquis quoque Deos mutuati ſunt, & apud eos, Omnia Deus.* Ecce tibi populus Ægyptius, cui *Omnia Deus*, Atheos iure cenſetur. Arrogantiſſima Ægyptiorum ſuperbia, dum per ſummam elationem nulli Deo parêre affectat, Deos numeroſè multiplicare gliſcit, vt quod deitatis

Exod. 5. v. 2. *Ægyptius populus, cui Omnia Deus, Atheus iure cenſetur.*

Seleu. Orat. 6.

tis adoratione adducit, multiplicitate derogat. Cui *Omnia Deus*, planè Atheus eſt: ô ingenium atheiſmi, ſubdolâ vafritie tectum! Quod alijs naturis competit, ſummum bonum non eſt: Deus autem niſi ſummum bonum ſit, Deus non eſt. Porrò, vt Vnitas diuinitati militat, ſic diuinitati Multiplicitas inſidiatur.

3. Lucæ 16. verſ. 19. Diues ille Euangelicus immiſericordiâ & elatione, potiùs quàm nomine notus, ardoribus gehennæ diuitiarum ſudans voluptates, ab Abrahamo petit, vt ad cognationem ſuam Lazarum mittat. Homo inquam, ille *diues, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.* Quam ſententiam ſic ad mores, & rem præſentem ingenioſè deriuat Ambroſius. *Ariani autem*, inquit, *qui ſocietatem potentiæ regalis affectant, vt impugnent Eccleſiæ veritatem, nonne tibi videntur in quadam purpura & byſſo iacere? qui cum pro veris fucata defendant, diuitibus abundant ſermonibus.* (Nota verba, quæ ſubdit) *Diues Hæreſis Euangelia multa compoſuit; & pauper Fides hoc ſolum Euangelium tenuit, quod accepit. Diues Philoſophia plures ſibi Deos fecit; pauper Eccleſia vnum Deum nouit. Nonne illa* [illegible] *egena diuitia, & redundare paupertas?* Verba planè digna melleo, id eſt, ambroſio ore. Scilicet antiquitate ſuperba Philoſophia, opũ & arrogantiæ diues, plures ſibi effinxit Deos: & vnum Deum repudians, (vtpote opulento ipſius faſtui non ſufficientem) plurimos colit Deos; quos pluralitate à Deitatis faſtigio haud dubiè depoſuit. Vnde ſuperbæ diuitiæ, quæ complura ſibi Numina inuenerunt, *egena*, dicuntur; nam quod adoratione defendunt, pluralitate negant: atque adeò diues Gentium faſtus, qui plura Numina arroganter fabricauit, ipſâ multiplicitate eadem demolitur, & Deos diuinitate egenos, numero demonſtrat. At pauper Eccleſia, quæ vno Deo contenta eſt, diuite & plenâ *redundat* diuinitate; de vnitate verâ; de ſingularitate opulentâ. Summum enim bonum eſſentiæ multiplicatione, in non bonum degeneraret, & in nullum bonum perſpicuè abiret. Multiplicitas naturæ, planè iniuria deitatis eſt, & contumelia propagationis nothæ.

Opulentæ Philoſophiæ ſuperbia plures Deos colit, ne vnum [illegible]

S. Ambr. [illegible]

4. 1.Reg.4.v.8. 1.Reg.4. A Philiſthæis malè conciſus Iſraël, Dei Arcam adduci iubet in caſtra, vt ſuo numine victores hoſtes facilè detriumphet. *Timueruntque Philiſthiim dicentes: Venit Deus in caſtra. Et ingemuerunt dicentes: Væ nobis,* &c. *Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto. Confortamini, & eſtote viri Philiſtiim,* &c. *Pugnauerunt ergo Philiſtiim, & cæſus eſt Iſraël.* Viderunt commentatores, quod vel lippus perſpicuè videret, nempè hæc Philiſtinorum verba, parùm ſibi cohærere. Aiũnt Philiſthæi: Iſraëlis *Deus venit in caſtra*, & mox ſubiungunt, *Hi ſunt Dij.* Qui nuper *Deus* erat, tam citò propagatur in plures, & plures *Dij* eſt? Quod attentus notauit inibi Strabus. Pergit Lyranus aliam verborum repugnantiam animaduertens. Dixerant enim Philiſthiim: *Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ*; & confeſtim, quaſi prætato ſermone, profligatæ Ægypti exemplis comprobato, non exanimaſſent Philiſthæos milites, ſed ſtrenuos ad repugnandum animos ſuggeſſiſſent, ſubdunt: *Confortamini, & eſtote viri Philiſtiim,* &c. *Pugnauerunt ergo Philiſthiim, & cæſus eſt Iſraël.* Quem etſi temerariè audacem, non terruerat Iſraëlitici præſentia Numinis, in paucis pugnaciſſimi, tot prodigiis conſpicui, tot victoriis formidandi? Inde reſumunt animos Philiſthæi, vnde animo cecidiſſe putarentur? Præclarè Strabus ad illud: *Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum?* ita fatur: *Iudæi vnum Deum colunt, ſed Gentes ſuo more loquuntur*, ſuo more ſentiunt, ſuo more contemnunt Deos, quos plures putant. Opportunè Lyra: *Iſti, vt excluderent timorem ab aliis, dicebant: Hi ſunt Dij,* &c. Obiectu peritum Philiſtinorum, ſtratagema bellicum. Perterritæ diffidebantur Philiſtæorum phalanges, etſi nuperrimâ victoriâ inſolentes, dum percrebruit rumor: *Venit Deus in caſtra*: At dum audiunt Numen Iſraël, non iam vnum Deum, ſed plures Deos dici, *Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ*, etſi tot victoriarum reſonent prodigia, ſic, quem vnitate appretiarunt, pluralitate depretiant, vt ſtrenuè confortati, vires reſumant ad repugnãdum Deo, quem non vnum, ſed multos ex rumore cognouerant. Adeo vt, vbi audiunt, plures Deos dici, Iſraëlis populo dominari, nuper exanimes, ita animantur ad prælium, vt vltrò ſigna conferant, hoſtes adoriantur, profligent, fugent, & valenter detriumphent. Nec tam de vno vero Iſraëlis numine, quàm de pluribus (vt exiſtimabant) Dijs trophæum erigere præſumunt: *Philiſtæi, vt excluderent timorem ab aliis, dicebant: Hi ſunt Dij,* &c. Sic pluralitas diuinitatem fruſtrat. Sic redditur numinis expers, multiplicata Diuinitas: Deum, quem Vnum formidabant, vnum plures contemnunt, & vincere audent? Sic diuinior Numinis vis, naturæ multiplicatione enacuatur? Deus non eſt, qui vnus Deus non eſt.

Philiſthæi qui vnum Deum formidant, plures vilipendunt.

Strabus ibi. [illegible] *Nam ex* [illegible] *verba, quia prolixa.*

5.

6. Exodi 32. Moram faciente Moyſe, peruicax ille populus, & ad idololatriam pronus, ex focalibus, & armillis Vitulum conflat; & ſtatim adorabundus, feſto plauſu & tripudio, Vitulo acclamat: *Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Mira equidem agreſtis populi vecordia, quâ Vitulo ab ipſis recens efformato adſcribant miraculoſa facinora tam diu ante ipſius efformationem patrata. *Quiça por ſe hechura ſuya, le attribuyen el bien que mi hizo, ni aun pudo hazer.* Sed quid tam ſtolidum ac barbaricum, quam vnum duntaxat Vitulum appellare plurali nomine, *Hi ſunt Dij tui?* Sic ſtulteſcit impietas? Sic cum ſuo bruto Vitulo idololatria obbruteſcit? Vnum Vitulum, Deos ſuos nũcupant? Vnúmne Deum, an plures, an vnum plures Deum adorant? ô inſipientis ſtultitiæ monſtrum! Imò ingenioſæ malitiæ argumentum. Scilicet Hebræus populus iam diu excutere affectabat vnius Dei iugum, quaſi pergraue, & tolleratu arduum (Ieremiæ 2. *A ſeculo confregiſti iugum*

Exod. 32. verſ. 4.

Cur Hebræi vnum vitulum plures Deos appellant?

Ierem. 2. verſ. 20.

Ierem. 2. 20. *iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſeruiam.* Vnum ergo conflat vitulum, non tamen vnius Dei vult illi nomen inſcribere, ſed plurali numero eum cenſet, & nominat, & inuidiâ vnitatis pluratiuo diſſimulat vocabulo; ne deinceps vnum Deum timeat, ſed plures Deos, atque adeò nihil timeat, (ſicut nuper de Philiſthæis notabamus.) Quod Chaldæus Paraphraſtes egregiè notauit. Nam vbi Vulgatus habet: *Hi ſunt Dij tui Iſrael.* &c. ipſe commentatur: *Hi ſunt timor tuus Iſrael.* Id eſt, quos deinceps timere debes. Quem Vnum formidabant, refingunt in plures, quò minus timeant multiplicatum Numen. Vnde in vno Vitulo plures Deos verſutè meditantur, vt impunè viuere liceat, excuſſo vnius Dei timore, cultu, reuerentiâ. Qui plures colit Deos, Atheiſmi gaudet priuilegio, id eſt liberiùs viuendi licentiâ, & laxitandi impunitate. Conſultiſſimè ergo in Scripturarum auſpicio Dei vnitas ſtabilitur:

Paraphraſtes Chaldaicus ibi.

Hîc v. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.*

§ V.

In re liberalitatis, opportunè Iuſtitiæ nomen auditur.

1. EODEM animo beneficium debetur, quo datur, exinde ſedulò cogitandum eſt quo modo detur. Qui malè dat, ipſâ datione muneris, accipientem facit non bonum accepti beneficij interpretem. Non eſt computandum beneficium, quod licet de ſe magnum bonum ſit, ſine iudicio datur: ipſâ enim donatione perit, quod ideò inidoneum eſt accipienti, quia ſupra eius captum eſt. Vide priùs cui des, vt poſteà quid daturus ſis, videas; ne ipſâ muneris donatione & dehoneſtetur qui accipit, & deuenuſtetur qui dedit. Præmeditato iudicio ad rationis bilancem priùs conſultandum eſt, quid ſtatui accipientis congruat; ne ipſâ incongrui doni magnitudine obrutus, incurrat tenuitatis ſuæ notam, quam etiam regerit in inconſultum inidonei muneris præbitorem. Compendio dicam: laudatior liberalitas quodammodò ſapiat iuſtitiæ æquitatem: neque enim munificentia æquitati renunciauit. pulchrè Seneca: Indiſcreta *nullius rei, minimè beneficiorum, honeſta largitio eſt, quibus ſi detraxeris iudicium, deſinent eſſe beneficia, in aliud quodlibet incidant nomen.* Itaque in re liberalitatis opportunè ſonat Iudicij nomen, & iuſtitiæ vocabulum. Sicut enim in diuinæ Iuſtitiæ ſeueriſſimis rigoribus, ſeſe ingerit Miſericordia, citra condignum puniens: ſic in negotio liberalitatis nomen iudicij & æquitatis congruè reſonat. Nec timendum inde eſt, vt arrodat beneficij gratiam, quod illam perfectæ liberalitatis elogio conſummat. Ex ſubſcribendis probationibus hæc theſis clarabitur.

Ad danda beneficia iudicio opus eſt

Seneca lib. 1. de Benef. c. 2.

2. In primæua rerum omnium molitione largitatis ſuæ opulentiam magnificè oſtentauit Deus, quod & res ipſa loquitur, & ora Patrum eleganter buccinant. Vnus Philo audiendus eſt. *Tum*, inquit, *Deus nemine monente (quis enim erat alius?) ſuopte conſilio decreuit diuitias gratiæ ſuæ copioſe largiterque profundere in naturam nullius bonæ rei per ſe capacem ſine diuinâ munificentiâ. Attamen non pro magnitudine gratiæ ſuæ beneficus eſt, nimirum infinitæ ac incomprehenſibilis: ſed attemperat ſe ad vires eorum, quos dignatur ſua beneficentia: nec enim ſicut Deus ad beneficiendum naturâ propenſus eſt, ita creatura ad accipienda beneficia: illius enim potentia longè ſuperat; at huius infirmitas impar eſt eorum magnitudini.* Pluſculum præter morem tranſcripſimus, ſed quod mirificè explicat, tum diuiniorem munificentiam in mundi conditione exhibitam, tum etiam quam ſit cohibenda donandi libido, vt cum iudicio, & congruo ad recipientis captum adſpectu, res liberalitatis ſit peragenda. Quod egregiè expreſſit Moyſes in totius opificij auſpicio, ſic fatus: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Illud, *In principio creauit Deus*, ſic habetur Hebraïcè בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים *Bereſcit bara elohim. Bereſcit*, non tantùm ſignificat, *in principio*, vt notat Cornelius, ſed etiam, *in principatu*, *in regiâ poteſtate*, quò regia omnipotentis beneficentiæ largitas hîc innuatur. τὸ *Bara*, non modò *creare* ſignificat, ſed etiam *obligare*, vt denotetur, quàm obligata maneat rerum natura munifico Deo ob primæuæ creationis beneficium. τὸ *Elohim*, qui eſt primus caſus numeri pluratiui, non ſignificat duntaxat *Deum*, ſed *Deos*, aut *iudices*, vt peritiores Hebrææ linguæ obſeruant magno conſenſu. Hinc oritur pulchella quæſtio, cur Deus dum in primâ rerum molitione regiam liberalitatem ſublimiùs oſtentat, vnus cùm ſit, plurali nomine *Dij* effertur? & quam ob cauſam *Iudex* tunc appellatur? Scilicet, tametſi Deus vniſſimus ſit, cùm naturâ polleat immultiplicabili; dum ſe liberaliorem oſtendit, ſententiosè *Dij* appellatur, & pluratiuo nomine effertur, quaſi à largiori Dei bonitate, vniſſima eius miſericordia velut amplietur in plures, vltra poſſibilitatis terminos innumerata. Quod alias feliciter expreſſit Tertullianus, aiens: *Deus miſericordia plurimus.* Hiſpanè diceres: *Es vno, y da por muchos.* Venio ad rem. Quare ergo cùm munificentiorem liberalitatem oſtentat Deus, *Iudicis* nomine ſignificatur? In principio, ſeu liberalitatis principatu, *creauit Elohim*, id eſt, *iudices*. Quorſum in re largioris beneficentiæ, *Iudicis* & iuſtitiæ nomen auditur? An quia liberalior Principum munificentia non debet eſſe iudicij ſeu iuſtitiæ expers? Iuſtè donet etiã liberalitas. Donum inquam, ſit conſentaneum ſtatui, & congruum perſonæ, cui donatur. Mechanicus ob artis argutias fiat laticlauius? Comicus ob ſcurriles facetias, Eccleſiaſtico donabitur beneficio? Mediocre ingenium eruditione indotatum, nobilitatis aut negotiationis arbitrio, ſublimioris cathedræ honore donabitur in litterato Lyceo? In re militię imperitus tyro, armatas primipilus ducat phalanges? Profectò magnificentiùs munerat, quiſquis congruentiùs & iuſtius donat, ne donum nobilius ſit locuples contumeliæ titulus. O abſconſam in liberalitate Iuſtitiam, quæ donantis liberalitatem generosè exaggerat! Hinc conſultiſſimè Deus dum opulentiores omnipotentis ſuæ munificentiæ gazas oſtentat, dicitur iudex: *In principio creauit Elohim*, id eſt, *Iudices*, *cælum*, & *terram*.

Deus in mundi creatione ſe in primum beneficum exhibuit.

Philo lib. de Mundi opif. nõ longè ab initio.

Hîc v. 1.

Cùm Deus mundum liberaliſſime creat, Iudex tunc opportune appellatur.

3.

Tertull. alibi latè expeſus.

Magna illa Theologiæ lumina, P. Vaſquez, & Cornelius Ianſenius, quorum pares illa non tulit ætas, celebrem Matthæi 20. parabolam, non de beatæ gloriæ, ſed de glorioſæ gratiæ largitione

gitione, ex magno Baſilio præclarè interpretantur: ſed eſto, de beatæ gloriæ remuneratione parabola intelligatur, eam ad rem præſentem expendamus. Exit primo manè bonus paterfamilias, Deus inquam, conducere operarios in vineam ſuam; obuios primum conuentione factâ conducit. Iterùm atque iterùm exit circa horam tertiam, & circa horam ſextam, & nonam, *Et dixit illis: Ite & vos in vineā meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis.* O idonei verbi nouitatem, audientium aures infeſtantem! In negotio gratiæ audiatur iuſtitiæ nomen? Mercedem vltra merita daturus eſt, & ait: *Et quod iuſtum fuerit dabo vobis?* Imò cum hiſce operarijs, qui circa tertiam, ſextam, & nonam horam, donatum ſit integrum denarium, vltra laboris meritū, & pactam mercedem remunerati ſunt. Paterfamilias ſpondet ſe daturum ſeris operariis quod æquum & *iuſtum eſt*, & integrum largitur denarium, quo munerati ſunt, qui totius diei & æſtus pondus ſuſtinuerunt. Verumque ſubruitur ex alterutro. Nam integri denarij vltra merita donatio iuſtitię equalitatem refutat; & gratia liberalitatis, vt auctarium donationis importat, ita iuſtitiæ & meriti rationem excludit. Pergit Euangeliſta in parabolæ relatione. *Cum vero autem factum eſſet, dixit Dominus vineæ procuratori: Voca operarios, & redde illis mercedē, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos... acceperunt ſingulos denarios.* Quid eſt. *Voca operarios.* Anſelmus Laudun. *Statue operarios ante tribunal tuum.* Tribunal erigit, vt vltra merita donet? Pro vnius horæ labore totum denarium liberaliſſimè donat, & tribunal erigit, vt opere impleat, quod ore prædixerat, *Et quod iuſtum fuerit, dabo vobis*? O præclaram Principibus eruditionem! Ad rem liberalioris gratiæ peragendam, *Statuatur ante tribunal*, vt ex liberalitate *detur quod iuſtum fuerit.* Hæc in liberalitate iuſtitia, perſonæ munerandæ non ambit merita, ſed idoneam dando beneficio perſonam quærit. Neque enim in vulgus beneficia effundenda ſunt: nam *indiſcreta nullius rei, minimè beneficiorum, honeſta largitio eſt, quibus ſi detraxeris iudicium, deſinent eſſe beneficia, & in aliud quodvis incidunt nomen.* Itaque opportuniſſimè in re liberalitatis, iuſtitiæ, æquitatis, & iudicij nomen auditur.

Matth. 20. 4.

Eximia liberalitas, quod iuſtum fuerit, donat!

Matth. 20. 8.

Anſelmus Laud. ibi.

Seneca ſupra

---

§ VI.

Sublimior potentia, inconſultis furoris ſuſpecta eſt, niſi aduocata Ratio hanc notam eluat.

1\. *Seneca vulgaris ſententia.*

NVLLI *nos vitio natura conciliat: nos illa integros & liberos genuit*, dixit Seneca. Verùm vt ſunt aliqua vitia, quę minorem fortunā ſequuntur, ſunt etiam alia, quæ ſceptra conciliant. Et, vt alia omittam, læſę magnæ Potentiæ, impetus, vis, iniuſtitia, velut quædam ſequela ſæpè eſt, ni Rationis fræno cohibeatur. Intelligat Princeps ſua vitia eſſe, quæ putat rerum; & ſceptra Ratione regi, non poteſtate. Qui nullius in terris ſubditus eſt, & reliquorum dominus, potiori iure Rationi ſubiectus naſcitur. Reliquos, ſi exerrent, Præfecti

Inconſulta ſæuitia, Potētia cognatū vitium eſt.

corrigunt; ipſe verò ne præceps exorbitet, ad Principum dominatricem Rationem ſpectat. Et quidem magna Potentia magnæ violentiæ affinis; & ſuſpecta eſt. Nil ergo tam ſoleriter procuret Princeps, quàm ſuperbum potentiæ collum Rationi ſubdere, ne ſola potentia videatur populos moderari. Quod tyranni elogium eſt. An non impiè inſoleſcentis Potentiæ vox eſt: *Sit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ?* id eſt, vires, [illegible], & potentia noſtra, ſit pro lege iuſtitiæ. Sic nequam Principes legitimum, licitúmque ducunt, quidquid valent? Deuenuſtat auguſtam magnæ Potentiæ ſublimitatem, qui acerbiùs faciendorum Rationem non ſequitur, & ſecutam non demonſtrat, vt auertat ſummæ potentiæ inuidiam. Sap. 2. 11.

Apoſtata ille Angelus, apoſtatarum & rebellium ab initio dux, & malitiæ ſtratēgus; cœlo deturbatus cum tota diabolorum cohorte, Princeps huius mundi, & harum tenebrarum Rector, Protoparentibus humani generis aſtu ſuperatis, ſuperbè nominatur. Superandus à Deo erat, & tota hominum gens à Tartarei ſeruitij iugo liberanda. Corporatum Dei Verbum in hominum Redemptorem, & Inferni deuaſtatorem, decernitur. Id adumbrarunt Hebræi populi ſacra, præfigurarunt Patriarchæ, Prophetæ buccinarunt. Res ſtatuto tempore & auſpicium in Incarnatione accepit, & complementum in Chriſti Paſſione. Sed oblatrant agreſtes homines, ſublimioris politiæ ignari, quare ad detriumphandos Tartarorum tyrannos, neceſſe fuit, vt Deus fieret homo, & tot tantaque velut Deo indigna pateretur? *Perorant ſpurcitias genitalium in vtero elementorum, humoris & ſanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alendæ per nouem menſes: deſcribunt vterum de die in diem inſoleſcentem, grauem, anxium, totum infertum libidinibus faſtidij & gulæ. Inueniuntur in ipſum mulieris enitentis pudorem, vel pro periculo honorandum, vel pro natura religioſum. Naſci te Deus in vtero patitur matris, & expectat, natus adoleſcere ſuſtinet, & adultus non geſtit agnoſci; ſed contumelioſus inſuper ſibi eſt, & a ſeruo ſuo tingitur, & tentatoris congreſſus ſolo verbo repellit. Ingratos curauit, inſidiatoribus ceſſit. Parùm hoc, ſi non etiam proditorem ſuum ſecum habuit, nec conſtanter denotauit. Cum verò traditur, adducitur, vt pecus ad victimam. Taceo quod figitur: in hoc enim venerat. Numquid tamen ſubeunda morti etiam contumeliis opus fuerat? Deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.* Eccur ergo Deus corporatur, & tot tormenta, atque probra ſuſtinet, vt tenebrarum Principem deuincat, & ſuum hominem captiuum redimat? Nonne Deo ſua ad nutum adeſt omnipotentia, quæ generoſiùs id præſtet? S. Leo hac ſuper re ita eleganter philoſophatur: *Sic redemptio eſt impenſa captiuis, vt condemnationis iuſta ſententia, iuſto liberatoris opere ſolueretur. Nam ſi pro peccatoribus ſola ſe opponeret Deitas, non tam ratio diabolum vinceret, quam poteſtas.* Quid elegantius? quid opportunius? ſcilicet corporetur Deus, vt peracerbâ, probroſâque morte hominum genrem de infernalis tyranni ſeruitute redimat: nam ſi ſola Deitas omnipotentię ope tantam rem peregiſſet, non tam Ratione, quàm potentia vicisse diabolum videretur. Quò maior & robuſtior ineſt Deo omnipotentia,

2\.

Tertull. de carne Chriſt. cap 4.

Idem de Pa[illegible]

S. Leo ſer. 5. de Paſſione.

tentia, eò, tot etiam ſumptuum impenſis, ſolertiùs ſatagit, ne id ſolius omnipotentiæ abſoluto iure, ſed illuſtri Rationis æquitate patrari videatur. *No parezca que obra tanto el poder, como la Raçon.*

3. Ioannis 1. ſic de cælo totus, in ſui Euange-
Ioā. 1. 1. & 3. lij auſpicio intonat Ioannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.... Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Pro τὸ *Verbum*, λόγος Græcè Ioannes ſcripſit, quæ vox multiplicem habet ſignificationem. Inde factum, vt loco *Verbi*, quidam *Rationem* legerint; ita Tertullianus, Origenes, Auguſtinus. Cauſa autem huius diuerſitatis eſt, quòd Græca vox λόγος ſignificat Verbum, ſermonem, orationem, *Rationem*, formam, definitionem, *Virtutem*, pactum, opus, & alia multa, vt eruditè notauit noſter Toletus. Non tracto cum Tertulliano, vtra ſit præſtantior exſcriptio; cùm Vulgato interpreti primas iure Catholici deferamus. Sed vetuſta tranſlatio Tertulliani, Origenis, & Auguſtini magno in pretio ſemper habenda eſt: præſertim cùm id originalis vox propriè etiam ſignificet. Hinc bella oritur quæſtio, cur Ioannes in ipſo Euangelij ſui veſtibulo tam altè exorſus ſit, ipſam Verbi abſtruſam generationem de repentè tradens. An non ſatius foret, tantiſper expectaſſe, quo in Ieſuanæ rei narratione opportunior arriperetur occaſio id ipſum prodendi? Quare confeſtim de cælo eructat: *In principio erat λόγος*, id eſt, *Verbum, ratio*, aut *Virtus?* Alij aliter ſentiant. Ego autem ſeriò exiſtimo, ideò præproperè diuinum Verbum, ſeu Dei filium appellari *Rationem*, quia ſtatim de illo dicendum erat: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Quod inſinuat Anſelm. Laud. inibi aiens, Omnia creata ortum habere *de ſpirituali Factoris Ratione.* Nempe priuſquā Ioannes inducat omnipotentiam Filij, quâ omnia facta ſunt, & ſine quâ factum eſt nihil, quod factum eſt; conſultiſſimè præmittit hunc Dei Filium, & verum Deum, per quem facta ſunt omnia; eſſe *Virtutem*, & *Rationem*: ne fortè tanta *Virtus* & potentia, niſi *Rationi* naturaliter indiuidua induceretur, non bene apud homines audiret. Ergo cùm omnipotentiam Filij Ioannes publicat, illum *Rationem* prænominat, vt omnia *de ſpirituali Factoris ratione* proceſſiſſe dicantur. O conſultiſſimam Euangeliſtæ cautelam! & digniſſimam, quæ Principum oculis perpetuò obuerſetur; vt diſcant, ſuſpectam eſſe potentiam, quæ Rationis non commendatur conſortio. Vnde hîc verſ. 1. cùm Dei omnipotentia publicatur his verbis: *In principio creauit Deus cælum & terram*, plures è Patribus exſcribunt & interpretantur; *In Filio*, qui eſt Dei ſapientia & Ratio; vt Omnipotentia Rationi cognata ſimul publicetur.

Tertull. Apolog. c. 21. & Adu. Prax. Orig. tom. 1. in Ioan. Aug. tractat. 118 in Ioan. Tolet. ibi Annot. 1.

Cur Verbum prius Ratio, quam Omnipotens dicitur.

Anſelmus Laud ibid.

Hic verſ. 1.

4. Sapientiæ 12. ita Salomon Dei omnipoten-
Sap. 12. 16. tiæ piè blanditur: Cùm ergo (Deum alloquitur) ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis: ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à tuâ Virtute. (Et addit) *Virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt; & ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.* Peritè notat Lorinus noſter, quòd τὸ *Virtus* hîc non pertinet ad rem moralem, ſed idem eſt, ac robur, vires, Omnipotentia. Item τὸ *initium*, Græcè ἀρχὴ ſignificare poteſt *principatum*, vt nempe Potentia ſuum principatum iuſtitiâ & Ratione moderetur: vel Virtus ſeu potentia tua ſit iuſtitiæ ita Rationis *principatus*. Quaſi Dei potentia, eo ipſo quòd omnipotentia ſit, & omnia pro nutu facere poteſt, ſit *principatus*, & velut prouincia ſubiecta iuſtitiæ & Rationi. Vide ergo ſequelem omnipotentiæ quaſi dominatrice Ratione inſtructæ: *Et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.* Id eſt, *Qui præeſt potentiâ, mitescit naturâ*, ait Gloſſa. Accinit Oſeas: *Non faciam furorem iræ meæ; non conuertam, vt diſperdam Ephraim: (aduerte ad cauſam ſedati furoris) quoniam Deus* (Hebraicè *El*, id eſt, fortis, robuſtus, omnipotens) *ego & non homo.* Parùm foret Prophetæ, Dei omnipotentiam miſericordiæ cognatam prædicare, niſi humanam potentiam de impotenti humani furoris impetu acerbiùs perſtringeret, neceſſaria Potentibus eruditione.

Lorin. ibi.

Omnipotentia eſt diuinæ Rationis principatus.

Gloſſ. interl. ibid.

Oſee 11. 9.

§ VII.

Ad oſtendendos iuſtitiæ rigores, cùm acerbiùs punit Deus, vnus plures nominatur.

1. HOMO non eſt æquus diuinitatis
Tertull. lib. 2. aduer. Marc. cap. 2. cenſor: tenuitas enim humana impar eſt Diuinitatis faſtigio. *Et ita Deus* (ait Tertullian.) *tunc maximè magnus, cùm homini puſillus; tunc maximè bonus, cùm homini non bonus; & tunc maximè vnus, cùm homini duo, aut plures.* Pro cæco arbitrij nutu homo Deos fingit: & dum fingit plures, vt plures ſibi beneficos adſtruat, infinitam Dei beneficentiam negat. Nam Deus, ſi vnus non eſt, infinitè beneficus non eſt. Beneficentiam multiplicatione tollis, & in te veri Dei iram armas. O infelix idololatriæ cæcitas, quæ vt multiplicem erga ſe beneficentiam, Deorum pluralitate adſtruat, veram negat beneficentiam, & ſeueros veræ iuſtitiæ rigores impetrare laceſſit: & dum de peruerſo ſibi auxiliari cupit, multiplici mentitâ beneficentiâ, veram veri Dei Iuſtitiam in ſe armatam malo ſuo ſentit. Plures Deos, vt plura benefica habeas numina, fingis: vnum velut plures Deos ſenties ad vindictæ rigores. Quaſi idololatria, non tam fingat plures Dei naturas, quàm vnius Dei plures vltrices potentias aduerſus ſe armet.

2. Exodi 7. ad frangendam Pharaonis obſtina-
Exod. 7. 1. tionem, & Ægyptiorum domandam peruicaciam, Deus Iſrael Moyſen mittit. *Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Valdè diſſident commentatores in explicandâ hâc Moyſis erga Pharaonem diuinitate, quæ humano faſtu ſublimior apparet. Nonnulli ex Hebræo legunt: *Ecce conſtitui te Magiſtrum Pharaonis*, quem durus Magiſter rudem diſcipulum Pharaonem, de cæli ſcholâ plagis erudias. Alij exſcribunt: *Conſtitui te Angelum Pharaonis*, quem duris calamitatibus cuſtodias, inſtruas, protegas. Et quidē Hebraicè pro *Deū*, pluratiuum *Elohim* ſcribitur; *Ecce conſtitui te Deos Pharaonis.* Vnius non boni hominis plures Deos conſtituit bonus Deus? An plures Deos Pharaoni conſtituens, nullū Atheo Pha-

Moyſes à Deo conſtituitur velut Dij Pharaonis idololatræ.

raoni Deum relinquit? Deus enim Diuinitatis pluralitate negatur: nam ſi vnus non eſt, Deus non eſt. An ſolus Moyſes conſtituitur Dij Pharaonis idololatræ, vt vnus Moyſes velut Ægyptij Dij ſit Pharaoni? Multa hic ſagaci lectoris induſtriæ relinquenda ſunt. Verum ſacramento non vacat, quòd cùm Deus vult oſtentare ſummos ſuæ Iuſtitiæ rigores aduerſus Pharaonem obſtinatiſſimum, non vnum Deum in ſingulari, ſed plures Deos, pluratiuo vocabulo Hebraicè expreſſos, aduerſus illum conſtituiſſe dicatur. Porrò ſicut rationabile & iucundum eſt, vnum Deum habere, & colere; ita irrationale, & peracerbum plures Deos pati. Quaſi Dei Iuſtitia, vna plures ſit aduerſus eos, qui plures ſibi Deos adoptant. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*. Quo plagæ, quibus à Moyſe feritur Pharao, & rebellis Ægyptus, non vnius Dei manu, ſed vt ut plurium Deorum fortiter inflictæ videntur. Sic eſt pergraue & acerbum plures Deos, vel potiùs Vicedeos, Superiores inquam, pati?

3. 1. Regum 4. Iſraëlis exercitus malè conciſus, & indecorè fugatus à Philiſthinorum phalangibus, auxiliatem aduocat Arcam Dei feſto plauſu, & lætis acclamationibus in Hebræorum caſtris excipitur. Et audierunt Philiſthiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? Et cognouerunt quod Arca Dei veniſſet in caſtra. Timueruntque Philiſthiim, dicentes:

1 Reg. 4. v. 7. *Deus Iſrael ad caſt[r]a (?) dum plures nominatur.* *Venit Deus in caſtra*. Et ingemuerunt dicentes: *Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiuſtertius: væ nobis. Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dij qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto*. Quid eſt, quòd Philiſthæi, qui ex diuturnâ cum Hebræis viciniâ bene nouerant, Iſraëlitas vnum duntaxat Deum colere, nunc ſemel & iterum, ingemiſcentes, Deos appellant Hebræorum Deum?

Strabus ibi. Strabus Fuldenſis ſic ait: *Iudæi vnum Deum colunt, ſed gentes ſuo more loquuntur*. Verùm ſi ideò gentes idololatræ, quia plures Deos adorant, non Deum, ſed Deos dicant, quo pacto aſſeuerant Hebræos vnum Deum appellare, aientes: *Venit Deus in caſtra*: & reſpectu ad ſuam perniciem, quaſi iam deſperaſſent, inquiunt:

Lyra ibi *Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dij qui percuſſerunt Ægyptum*. Audiendus eſt hâc ſuper re Lyra: *Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Quaſi dicant: Tanta eſt potentia, quòd non poterimus reſiſtere. Et ideò ſicut Pharao cum maximâ multitudine non potuit reſiſtere, ſic nec nos poterimus: & ſic per verba iſta videbantur omninò diffidere de victoria*. Nempè quem Deum in ſingulari dicunt aſpectu ad Hebræos, benefico numine defenſandos, & illuſtri victoriâ nobilitandos; eundemmet cum ſibi acerbiſſimè infenſum, ab eoque miſerè profligandos exiſtimant, non Deum, ſed Deos appellant: *Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Per iſta verba videbantur omninò diffidere de victoriâ*; & ſimilem ſubituros cladem, ac ſubijt Pharao, cùm maris Rubri ſæuientibus vndis, horrendum cum exercitu naufragium ſubijt, Iſraële prorſus incolumi, & ipſorum opulentiâ ditato. Scilicet ſicut vnus Moyſes, plures Dij Pharaonis dicitur, ad plagarum acerbitatem: ita Philiſthiim, quem vnum Deum nuper dixerunt; cum de victoriâ diffidunt, & certum exhorrent excidium, non vnum, ſed plures Deos nominant, quaſi ad infligenda ſupplicia vnus plures ſit. (Ex hoc loco aliam longè diuerſam theſim §. 4. comprobabimus) ô caue à Deo ad puniendum multiplicitèr vno! *In principio creauit Deus*, &c. Hebraicè *creauit Dij*, vel *Iudices*, Hic v. 1.
ſic multitudinis vocabulo ſe in rerum principio exhibet Deus, ne mundi dis opificij beneficentior miſericordia, rigoribus Iuſtitiæ detrahere videatur?

---

§. VIII.

Qui ſemel vni cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit.

QVo die iuſta cupiditatem facis, extra ſeruitutẽ eris. Nec vno modo, nec vni domino ſeruit, qui cupiditati ſeruit: nam qui vni ſeruit vitio, multorum ſeruitio mancipatur. Diuerſæ voluptates ſunt, ſed affines de placendi cognatione, & cupiditatis blandimento. *Si ay vn idolo en el coraçon, a buen ſeguro que no ſea ſolo.* 1.

Exodi 32. Moyſe moram faciente Hebræa gens fuſis mulierum monilibus, vitulinum excudit caput, cui feſto plauſu, & barbarino cultu cultum præſtat diuinum. Conuenit inter expoſitores, vnum tantùm idolum Hebræos fabricaſſe, quod perſpicuè liquet ex textu. Nam cùm populus furenter id expeteret, improbis minis coactus Aaron dixit ad eos: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron.

Vnum vituli caput, plures Dij verò dicitur?

Exod. 32. 4. *Quas cum ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* (Vide oculis vitulum conflatilem, & arrige aures ad verba, quibus illum populus adorat) *dixeruntque: Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti*: ô inſanos & vecordes! vnus duntaxat vitulus conflatus eſt: & exclamatis: *Hi ſunt Dij tui Iſrael*. Ecquis deitatem derepentè propagauit? Fortè eſt Deus ille vnus plures, & ſubitò idolũ idola parturit fœcunda propagine? Ita quidem; ſed in re morali. Opportunè Hieronymus: *Hanc dicunt Scriptura ſancta conſuetudinem, vt vnum Idolum appelletur pluraliter, vt eſt illud in Exodo de vitulo: Iſti ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Quid accommodatius? ô caue tibi vel ab vno duntaxat cordis idolo, idolorum ſtatim fœcundo! An huc alluditur, cùm hic verſ. 1. qui *Deus* in ſingulari dicitur; in Hebræo textu, *Dij* pluratiuo nomine moraliſſimè effertur?

S. Hieron in Dan. 3. 14.

Hic v. 1.

Adſimili expenſione illuſtrari poteſt illud Danielis 3. nam cùm tres in Babylone Hebræi pueri renuerent ſtatuam auream, quam Nabuchodonoſor erexerat, adorare, ſic ait eis: *Verène Sidrach, Miſach, & Abdenago, Deos meos non colitis, & ſtatuam auream quam conſtitui, non adoratis?* S. Hieron. in Abacuc. 1. & alij, quos ipſe ad ea verba refert, cenſet, idem ipſiſſimum eſſe, ſtatuam quam erexit, & Deos, quos coli 2.

Dan. 3. 14.

Cur vna Nabuchodonoſoris ſtatua, numẽ multiplex dicitur?

colitur et Nabuchodonoſor. Vnde ו erit exegeticum, vt alias perſæpe in Bibliis. Vnáne ſtatua ſunt Babyloniorum Dij? Ad hoc dubium explicandum aduocat Hieronymus verba nuper laudata, hîc etiam exſcribenda: *Veréne Deos meos non colitis, & ſtatuam auream*
Hieron. ſupr. *non adoratis? Alij* (ait Hieronymus) *hanc dicunt Scripturæ ſanctæ conſuetudinem, vt vnum idolum appellet pluraliter.* Proclíue eſt eiuſque ſimili ſchemate id ipſum ſplendidiùs illuſtrare ex præcedenti expenſione.

5. Geneſ. 45. auditum eſt, & celebri ſermone vulgatum in aulâ Regis: *Venerunt fratres Ioſeph: & gauiſus eſt Pharao, dixitque ad Ioſeph, vt imperaret fratribus ſuis, dicens: Onerantes iumenta, ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem veſtrum, & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti. Præcipe etiam vt tollant plauſtra de terra Ægypti, ad ſubuectionem*, &c. Sed notanda
Gen. 45. 20. ſunt quæ ſubiicit verba: *Nec dimittatis*, inquit, *quicquam de ſuppellectili veſtra: quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt.* Vide quàm non
Qui æſtimat Ægypti opes, non dimittit Chananæas. apte cohæreat ratio Pharaonis. Imò ſi omnes Ægypti opes Iſraelitis donandæ ſunt, quid neceſſe eſt, vt omnem ſuam ſuppellectilem è valdè diſſitâ regione deferant? Profectò humanæ cupiditatis genius hîc apprimè declaratur; quæ tametſi *omnia bona*, *omnéſque opes Ægypti* habeat, adhuc inhiat vel paſtoritiam Chananitidis ſuppellectilem; nec Ægyptiacæ gazæ idolo contenta, adorat etiam ſuppellectilem Chananææ.
Oſee 12. 7. 8. *Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit. Et dixit Ephraim: Verumtamen diues effectus ſum, inueni idolum mihi.* Pro *idolum* Hebraïcè eſt און *on*, quod propriè *iniquitatem* ſignificat. Vatablus & Arias vertunt, *robur*; LXX. *requiem*; Pagninus, *diuitias*; Chaldæus, *rapinam*. Ecce tibi diuitiarum idolum, vnum multiplex: & cupiditas opum Ægypti, non deſinit ſuppellectilem Chananææ concupiſcere. Cui opulentia pro idolo eſt, non exſatiatur Ægypti opibus; Chananæas etiam, etſi valdè tenues, & diſſitas, non negligit, ſed ardenter capit *rapinam* quoque ambit, ſi opus eſt ad eas aſſequendas: & in laborioſâ auaritiâ *requiem* inuenire præſumit. Credite humani cordis idolum, vnum duntaxat non eſt, ſed vnum plura, aut multipliciter vnum. Vni quippe vitulo occlamant Hebræi: *Hi ſunt Dij tui Iſraël. Hanc dicunt Scripturæ ſanctæ conſuetudinem, vt vnum idolum appellet multipliciter.*

---

§. IX.

Iudex meritò dicitur pius, quia iuſtus: & iuſtus, quia pius.

1. EST vitium puſilli animi inconſulta miſericordia ad ſpeciem alienorum malorum ſuccedentis. Itaque peſſimo cuique familiariſſima eſt, & indigna quæ
Inconſulta cõmiſeratio, mulierculis agnata eſt, & viros dedecet. in iudice reperiatur. Anus & mulierculæ ſunt, quæ lacrymis nocentiſſimorum nimis mouentur; quæ, ſi liceret, carcerem effringerent. Lecelada de *Benedict. Patriarch.*

Mulierculis commiſeratio non cauſam, ſed fortunam ſpectat; clementia rationi accedit. Hæc inconſulta miſericordia vicina eſt miſeriæ: habet enim aliquid, trahitque ex eâ. Imbecilles oculos eſſe ſcias, qui ad alienam lippitudinem & ipſi ſuffunduntur. Ad omnium lacrymas muliebriter illacrymari, leuiculum eſt, & viro indecorum; ſicut ſemper arridere ridentibus, & ad omnium oſcitationem ipſum quoque os diducere. Non ideo immiſericordem & agreſtem iudicem opto, & efformo. Non eſt molliscula Iuſtitia, ſed ſaxea non eſt. Humana Iuſtitia hominem ſuum ſapiat: & rigores reatu dignos, quos legum ſeueritas præcipit, conſulta humanitas temperet: *Noli eſſe iuſtus multùm*, Eccleſ. 7. 17.
nec amuſſi exactior. Aliquid humanæ imbecillitati, legum importunitati, & occaſionum illecebris conniuendum eſt. Immenſa Dei iuſtitia infra condignum punit, citra perfectionis infinitæ iniuriam. Sit ergo diuina Iuſtitia humanæ idea. Porrò ſæpè humanus Iudex, *Dum pietatem cogitat, crudelitate caruit: dum cauſam temperat, iudicium cuſtodiuit: dum vindictam differt, crimen euaſit: dum refugit damnatorem, fugit ſententiam*, dixit eleganter Chryſologus. Chryſolog. ſerm. 145.

Matthæi 1. Æſtuabat Ioſephi animus, vteri 2.
tumorem in ſponſâ cernens, & negotij nouitate perculſus: ſtabat ſponſa prægnans, ſed virgo: ſtabat plena pignore, ſed nòn vacua pudore: ſtabat de ſponſi ſuſpicione ſollicita, ſed de integritate ſecura: ſtabat veſtita materno munere, ſed non honore virginitatis excluſa. Sponſus quid faceret ad iſta? Accuſaret de crimine? ſed erat ipſe innocentiæ teſtis. Culpam diceret? ſed erat ipſe cuſtos pudoris. Vrgeret adulterium? ſed erat ipſe virginitatis aſſertor. *Ioſeph meritò dicitur iuſtus, quia pius: & pius, quia iuſtus.*
Hæret ambiguus, quid conſilij caperet neſcius. Sed zelotypiæ calore exæſtuans, hoc capeſſit conſilium. *Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam.* Math. 1. 19.
Sed dubium eſt, ad quod ex duobus membris eferatur, illud, *cum eſſet iuſtus*, an quia Ioſeph erat iuſtus, noluit ſponſam traducere; an quia erat iuſtus, voluit occultè dimittere eam? S. Chryſoſtomus, & Theophylactus, qui τὸ *iuſtum* de propriâ & ſtrictâ Iuſtitia interpretantur, ad prius membrum referunt; vt ſenſus ſit: Quia Ioſephus erat iuſtus, totam legem, aut ſeuerioris legis apices piè omiſit; noluitque ſponſam ex lege traducere; ſed clàm dimittere. Quod eleganter his verbis dixit Hilarius: *Et dictum hoc Ioſeph volenti eam abijcere: quia Iuſtus ipſe nollet in eam lege decerni.* S. Hilar. can. 1. in Math.
An quia Ioſeph erat iuſtus, ideo noluit in ſponſam lege decernere? Imò quia erat iuſtus, debuit legis apices ad amuſſim implere, & in eam lege decernere. Iuſtitiane legis rigorem impleri vetat? Minimè. Sed rigoroſam legis adimpletionem occultè moderatur: & quod pio magis conuenire videtur, quàm iuſto, ſæpè iuſtitiæ res eſt: quia aliquando legis minæ ad terrorem potiùs, quàm ad obſequium fulminantur: aut quia pietatis amore, nimius legis rigor opportunè temperandus eſt: adeò vt quodammodo ex iuſtitiâ, legis pœnaliſſimæ apices moderandi ſint, humaniori legis obſequio. Nam Ioſeph *quia iuſtus erat, noluit in eam lege decernere*, ac ſi pietas in mitigandâ pœnâ velut ex iuſtitiâ debeatur.

3. Ruffin in Iſaiæ 55. Pſal. 32. v. 5. Pſalmo 32. ſic occinit noſter Orpheus: *Rectum eſt verbum Domini, & omnia opera eius in fide*, id eſt fidelia. *Verbum rectum* Ruffinus interpretatur diuinas iuſſiones. Pergit Dauid: *Diligit miſericordiam & iudicium: miſericordia Domini plena eſt terra.* S. Hieronymus non hîc vertit, vt L X X. interpretes; ſed pro *miſericordiam & iudicium*, tranſtulit, *Iuſtitiam & iudicium* צְדָקָה וּמִשְׁפָּט *tſedachah vmiſchpat*. Et, vt notat ibi Lorinus noſter, Hebraïcè peritus, *primum nomen tſedachah non raro pro* חֶסֶד *cheſed ponitur: & vice versâ nomen in litte v, vſurpatur pro miſericordiâ, vt aliquoties obſeruamus.* Idémne nomen (in ſanctâ linguâ cælitùs Adamo afflatâ) & iuſtitiam & miſericordiam ſignificat? Idémne eſt, cùm de diuinis præceptionibus agitur, diligit *iuſtitiam & iudicium*, ac diligit *miſericordiam & iudicium?* Sic iuſtitia diuina vices cum miſericordiâ reciprocat? Sic Dei iuſtitia velut imbuta eſt miſericordiæ laude? Belliſſimè S. Chryſologus hanc theſin alioqui verſans: *Penes Deum neque pietas ſine iuſtitiâ eſt, neque ſine pietate iuſtitia: cœleſti ſenſu ſine bonitate æquitas, ſine æquitate bonitas non habetur. Virtutes ſi ſeparatæ fuerint, dilabûtur: æquitas ſine bonitate ſæuitia eſt, & iuſtitia ſine pietate crudelitas.... Ergo meritò iuſtus, quia pius: & pius, quia iuſtus.* Argutè ſanè de more Chryſologus. Et hîc verſ. 1. cùm in mundi opificio largior & benignior Dei beneficentia proponitur, opportunè iuſtitiæ nomen auditur; & iuſtitiæ cognata miſericordia proditur, dum dicitur: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Hebraïcè, *Creauit iudices. Cœleſti ſenſu ſine bonitate æquitas, ſine æquitate bonitas non habetur.*

Lorin. ibi.

Hebræo nomine, iuſtitia eodem vocabulo ac miſericordia deſignatur.

Chryſolog. ſerm. 145.

Hîc verſ. 1.

---

§. X.

Beneficium beneuolentiùs exhibitum, largitori perſæpè inſidiatur.

1. FERIENTEN referire, iniuriatæ naturæ lex eſt; vulneranti verò parcere, & beneficiis iniuriam metiri, diuinæ legis elogium ſingulare. Verùm quò magis hominem beneficâ indulgentiâ largè promeruiſti, eò diligentiore cautelâ opus eſt: nam praua ingenia beneficium laceſſit, & beneficentia opulentior igniculos ingerit ad inuidiam. Caue tibi diligenter ab hoſte, quem iniuriâ affeciſti; ſed diligentior & ſolertior cautela adhibenda eſt erga hominem, quem beneficiis arctiùs déuinxiſti. Hiſpanè nouâ parœmiâ perhibetur: *Haz bien, y guarte.* Hic eſt fructus beneficiorum, quæ in homines beneficè collocamus.

2. 1. Regum 24. Dauid pridem vicerat alienigenam inermis, cùm in acie contra Goliath conſtitiſſet: metu regem Saül liberauit, priùs quàm ſeruitij iugum contribules experirentur, repulit; & exitus victoriæ fuit inuidia, periculum, cædíſque meditatio. Saül ipſe victoriam haud ſecus ac belli offenſionem dolet, & trophæum luget, & communem lætitiam deplorat, ac inſtitutam victoriæ causâ celebritatem per inuidentiam reputabat calamitatem. At cum in talibus Saül eſſet, & cædem Dauidis moliretur, ipſum Regis iras fugitantem inimicè perſequitur. In montis intrat ſpeluncam Saül vt ventrem expurget. Dauid verò vltionis occaſionem nactus, ſæuo parcit hoſti, ſociis refragantibus; & conceſsâ inimico vitâ necis ſuæ meditationem piè rependit. Inhumanus Rex amicam Dauidis benignitatem demiratus, illum adoptat in filium, blandâ filij compellatione, perpetuum amicitiæ fœdus cum eo humaniſſimè init, ſoſpitatem exinceps ex animo pollicetur. *Abijt Saul in domum ſuam: & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.* Res planè admirabilitate plena. Cùm rex Saül hoſtilitatis furiis actus, ſæuiſſimè Dauidem ad cædem perſequitur, Dauid fugitiuus erat in montibus, vbi ſe ſatis tutum putauit: at poſtquam vitam Saüli benigniſſimè conceſſit, & amicitias cum eo iniit, tunc *aſcendit ad tutiora loca.* Inimici venia, & amicitior beneuolentia inimicum placat, an potiùs irritat? Plus timet Dauid ab inimico tot beneficiis placato, quam ab illo furiosâ hoſtilitate ſæuienti? Bellè inibi Pater Sanctius: *Dauid, & viri eius aſcenderunt in tutiora loca. Tutiora igitur quærit diuerticula; & relictâ terrâ, vbi laqueis eſt, & foueis opportunus locus, altiora conſcendit. Nunquam enim magis inimicus nocet, quam cùm blanditur, cum lætam oſtentat frontem, cùm de noſtris votis magis videtur eſſe ſollicitus.* Scilicet cùm hoſtis magnis obligatus beneficiis, nobis arridet & applaudit, tunc, tunc quidem oppidò diligentior cautela adhibenda eſt; quaſi noſtrâ beneuolentiâ exaſperetur, & noſtris beneficiis proritetur, & noſtrâ humanitate inhumaniùs deſæuiat. Quod luculenter docet Baſilius Seleucus: *Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca. Dauid*, inquit, *vel iniuriis appetitus, Saülis cuſtos erat. Pepercit & dormienti, & hoſtiliter ſe gerenti, & inuidentis curam habuit, & oſorem Gratia regimen ſecurus conſeruauit.* Et poſt pauca: *Dauid totus erat, vt oppugnantem conſeruaret: Saul, vt conſeruatorem perderet.* O hominum ingenium nefariè malitioſum, ſubdolum, implacabile; apud quos blandiora beneficia, dura ſæpè odia negotiantur inhumanæ hoſtilitatis arbitrio!

Dauid dum beneficentior eſt in Saülē, Saülem timidus fugit.

1. Reg. 24. v. 23.

Sanct. hîc.

Seleuc. orat. 16.

1. Regum 19. Goliath ſtrenuo ictu peremptus fuerat, & Saül ab inuidentiâ ſaucius periculosè ægrotat. Dauid autem adeptâ victoriâ, lenitatem immenſam, ac morum felicitatem præ ſe fert. Iterùm enim rege Saüle Dæmonis furiis percito, & mente alienatâ; Dauid lyram, quâ medicinam faceret, retractabat, cantione vice medicaminis malum leniens. Nec quidem Dauid ſegniter lyram prehendit, ſed tamquam benemerentem curaturus properabat, & contra Dæmonem pſalmum excitabat in auxilium; verùm Saülis nequitiam non ſuperauit comitas. Carnifici haſtæ Dauidem tradere ſatagit, mucronis tyrannide vſus. *Porro Dauid pſallebat manu ſuâ. Niſúſque eſt Saul configere Dauid lanceâ in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul*, &c. Nimirùm verba ſunt Baſilij ad rem præſentem egregiè philoſophantis: *Paululùm à Dæmonis exitu leuatus Saul, & aduerſorum derersâ caligine in Dauidem, quem præſentem cognouerat, haſtam eiaculatus, medicinæ pretium* 3.

Saul medicinæ pretium cædem obtulit Dauidi.

1. Reg. 19. v. 10.

Baſil. orat. 15.

pretium cædem obtulit. Quo pacto, ô Saül, audes talia? quid in te ipſum haſtam vocas? Si Dauidem ſuſtuleris, quomodo Dæmonem perſequeris? quid eum mori cogis, qui tibi vnicum ſalutis remedium ſupereſt? Totus eſt Dauid, vt Saülem ſæuum ſui oppugnatorem conſeruet; & totus eſt Saül, vt Dauidem pium ſui conſeruatorem perdat, dum *medicinæ pretium cædem obtulit.* Quaſi Saül Dauidis beneuolentiâ exaſperetur, & Dauid beneficiorum pretio periculum emerit.

4\. Non eſt ſilentio prætereundus Moyſes, qui fluuij beneficio ſeruatus, vitam cùm deberet aquis, virgæ iterato verbere aquas cruentauit.

Baſil. Seleu. Orat. 9.

Quod pereleganter expendit idem Baſilius. *Fertur,* inquit, *Moyſes expers periculi per fluenta contra inimici edictum ſeruatus. Deo verò iuſſu infanti, cuius virgâ futurum erat, vt non multò pòſt ſecaretur & mare, fluuius parcebat: infanti fluuius parcebat, cuius ipſe quoque virgâ percuſſus ſcaturigines in ſanguinem tranſmutauit.* Scilicet inſperata fluminis beneuolentia, contra ſe virgam atrociter armat; & aquarum fluenta reperito verberum vibice, ſpumant fluente ſanguine. *Haz bien, y guardate.*

Seruatrices aquas virga Moyſes cruentat.

Hîc verſ. 1.

Quot beneficia munificentior Dei largitas in homines erogauit, cælum & terram creando (quibus verbis omnia mundi alia bona compendio indicantur) tot velut armauit contra ſe tela, quæ hominum malitia aduerſus Deum ingratiſſimè vibrat. Heu, diuinæ bonitatis largitas, erit humanæ malitiæ expeditior occaſio?

---

§. XI.

Regum faſtus ſæpè naturam deſueſcit, & Dei potentiam æmulatur.

1\. SCEPTRA hominem dediſcunt: & humanus Rex vltra humanitatis faſtum tumens, Numen ipſum de potentiâ ſæpè æmulatur, ea factitare geſtiens, quæ cælo duntaxat reſeruantur Exodi 1.

Exod. 1. 22.

Præcepit Pharaò omni populo ſuo, dicens: Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite. Quod feral Regis edictum ſic expendit eleganter Baſilius Seleu.

Seleu. Orat. 9.

Quod Dei manus efformabant, Regis manus aquis obliterabant, fluuius natorum carnifex conſtituebatur. Lex ſeruabatur, & natura mulctabatur. Pariture damnabantur, & partus explorabantur; natura quoque libertas ſpoliabatur. Fluuius partum inſidiis excipiebat, & matris aluo fluminis alueus ſuccedebat. Infantium iugulator erat fluuius, pariter & ſepulchrum, ac genitus morti coæuus, ſtragesque cum generatione concurrebat; quæque matres ad partionis vſque moleſtiam proceſſerant, genitrices fieri deprecabantur. Partus illis ante partum luctum pariebat, & poſt conceptum partumque ventres fructu priuati reperiebantur. Talis erat hominum cum Deo contentio. Mox graphicè depingit Moyſen in ſcirpeâ fiſcellâ feliciter fluctuantem, quem Regis filia bellum infantem miſerata, adoptauit in filium; & ita ſubdit: *Pharao qui parientes non ſinebat eſſe matres, et quæ non pepererat, dat eſſe matri.* Planè ſuperat humanum faſtigium, parientes non ſinere eſſe matres, & eius filiam, quæ nunquam pepererat, matrem facere. Naturæ legem Regis edictum violare præſumit, quaſi Regis potentia naturæ non naſcatur obnoxia.

Pharao parientes non ſinebat eſſe matres, & filia quæ non pepererat, dat eſſe matri.

Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu-Chriſti filij David, filij Abraham.* Vetus quæſtiuncula eſt, quare iunior Dauid ſeniori præponatur Abrahæ. 2.

Matth. 1. 1.

Nam ſi ſanctitatis prærogatiua honoratiorem dat ordinis locum, quis cenſeat Abrahamum inferioris eſſe meriti reſpectu ad Dauidem? Ergo cum Hebrææ gentis radix & origo fuerit Abrahamus, non debuit filius poſtponi.

Regum faſtus naturam dediſcit.

Hugo Carenſis ſic dubium diſſoluit: *Dauid Abrahæ præponitur. Prior ponitur Dauid, quia regni dignitas eſt maior, quàm natura. Dauid enim rex eximius fuit.* Audis regiam dignitatem extolli ſupra ſublimitatem naturæ? Sic Reges dediſcunt naturam, & præſumunt ſupra naturæ faſtum? Quid ſuperbis terrula & cinis? Vna eſt omnium hominum natura, vnus mortalium omnium interitus. Sublimior generoſitas cadaueratur in nihilum, & coæuâ cum ignobili vulgo morte funeſtè tumulatur. Delicatior vermium eſca, principatus eſt. Regni dignitas non eſt maior quâm naturæ: ſed naturæ ſubiecta, & ignominioſè vectigalis. Sola virtus ſupra naturam attollitur: hanc generosè expete, & ob eam piè ſuperbire potes, diuinæ factus conſors naturæ.

Hugo ibi.

1\. Reg. 16. Reprobato Saüle, Dauid in Regem clanculùm inauguratur. Deſertum à Spiritu-ſancto domicilium nequam ſpiritus occupat; & inteſtinus Dæmon Saülem exagitat. Accerſitur Dauid, qui Dæmonem lyrâ excantet. 3.

1\. Reg. 16. v. 23.

Igitur quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſuâ, & refocillabatur Saül, & leniùs habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Quaſi pſalmus & lyra arma ſint in Dæmonem. Dauid tantùm loquebatur, & hoſtis vincebatur; & lyræ melos velut telum iaciebatur in Dæmonem. Quis audiuit trophæum cantibus excitatum? Perbellè ad rem præſentem reſpondet Baſilius. *Dauid loquebatur tantum, & hoſtis vincebatur .... Ne mireris ſi cum regno in Dæmonem quoque vires acceperit.* Vel contra infernales Tartarorum dynaſtas vires cum regno accipiuntur? ô pulchram hyperbolen! Sic ſuperbiunt ſceptra? ſic ſinuoſo ambitu Purpura tumet? ſic armatas Dæmonum phalangas Regis nomen velut numen exarmare præſumit?

Cum regno vires in Dæmonem accipiuntur?

Baſil. Seleu. Orat. 14.

Sextidui opificium, belliſſimum planè diuinæ omnipotentiæ monimentum, his paucis verbis velut quibuſdam notis amplexus eſt Moyſes, vt interpretum plures commentantur. 4.

Hîc verſ. 1.

In principio creauit Deus cælum & terram. Memini me legiſſe in Hugone notulam, quam fortaſſis ſupernacuâ putabis. *In principio creauit Deus (non Rex) cælum & terram.* Quid neceſſe fuit addere, *Non Rex creauit cælum & terram?* (quorum etiam nomine, reliqua creaturarum turba continetur.) Quis poteſt creare niſi ſolus Deus? Imò nec ante mundi creationem, præceſſerant Angeli, qui inſtrumentariam operam poſſent creationi nauare. Quis foret vſque adeò mentis inops, cui vel in mentem veniret, mundum ab aliquo Rege creatum

Non Rex aliquis, ſed ipſe Deus mundum produxit.

 fuiſſe?

fuiſſe? Idne timet Hugo ab aulico adulatorum grege? an à cognato Regum fauſtu? Saltem non inidoneum iudicauit Hugo, vt notanter aduerteretur, quòd Deus ipſe, *non Rex* aliquis mundum produxerit.

5. 1. Reg. 16. In domum Iſaï mittit Deus Samuelem, ignarum quem ex eius filiis vngeret in Regem. *Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele: & ait Samuel ad Iſai: Non elegit Dominus ex iſtis. Dixitque Samuel ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Et ait Samuel ad Iſai: Mitte, & adduc eum. Miſit ergo, & adduxit eum. Et ait Dominus: Surge, & vnge eum: ipſe eſt enim.* Quæ verba ſic enucleat nuper laudatus Baſilius: *Et Rex erat Dauid propheticâ manu ad regnum prouectus, & cæleſti approbatione dignitatem conſecutus; ſubitóque primus fratrum comperiebatur, qui poſtremus, ordoque naturæ cedebat gratiæ, & legis partus ſuccumbebat.* Audis Dauidem fratrum poſtremiſſimum, ſceptri priuilegio, violatâ naturæ lege, ſubitò primum omnium dici, & primogenitum acclamari? Fortè nuperrimæ coronæ præſtigiis ſeniores fratres repueraſcunt, & puer Dauid iuueneſcit, aut à ſceptro ſeneſcit: nam *ſubitò primus fratrum comperiebatur, qui poſtremus.* Supra ætatem ius habere Reges præſumunt? Regum potentia annos recurare, ætates augere, aut minuere exambit? Ætatum arbitrium erit penes Reges? Heu ſæpè hæc, non ſpeculatiua, ſed practica perſuaſio electionis infelicitat!

1. Reg. 16. v. 10. & 11.

Rex eſſe præſumit ætatū arbiter.

Baſil. Orat. 14.

§. XII.

Cæleſtis Beatorum gloria, adhuc poſt Thaboris viſionem, manet myſterium?

1. IN malis ſperare bonum, niſi innocens nemo ſolet. Qui autem temporalia bona facilè ſperat, multa mentitur ſibi: quod enim ſpe ſuſpicatur vigilans, ſomniat. Profectò mundialis boni ſpes, auara ſemper poſſeſſionis eſt; magnifica ſemper ſpondens; & minima, ipſaque ſordida largiens. E contrario autem ſpes diuina, adeò eſt voti ſui (vt ſic loquar) benè prodiga, vt munificentiora tribuat, quàm ſpondere videtur. Sic ſunt ſublimes res Dei! Sic eſt tenuis humanus captus ad percipienda diuina! ô homo, quid mundialibus bonis inhias, quorum mentitâ ſpe poſſeſſionem captas? Empyream cæli felicitatem ſpe ſuſpira, quæ humana vota amplitudine exuperat.

Spes humana multa mentitur ſibi.

2. Matthæi 17. Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, Apoſtolici collegij ſummates, & duxit illos in montem excelſum, vt montis faſtigium cælo vicinum, cæli gloriam feliciùs adumbraret. Confeſtim Chriſtus Deus co[illegible]lis transfiguratur, illuminatam [illegible], & ex humanâ formâ radij pro[illegible]mpiæque gloriæ imaginem in ſe [illegible] futuræ beatitudinis edidit ſpectaculum. *Erant Apoſtoli quidem* (ait Baſilius) *congruentes ſpectatores; oculi verò ut ſpes ſuas expandebantur, & animus cum reuerentiâ viſionis deſiderium producebat..... vt præmaturâ demeſiâ viſione, priora hæc in fidem futuri teneatis.* Ecce tibi Thaboris in Chriſto gloria, gloriam Beatorum in typo præmonſtrat. Verùm ſpectaculo exhibito, viſionem taciturnitate velare Apoſtoli iubentur: *Nemini*, inquit, *dixeritis viſionem.* Quare tantam gloriam mutuo diſſimulari ſilentio Chriſtus præcipit? An non è Chriſtianâ re foret, vt cæleſtis beatitudinis gloria in ſpecie præmonſtrata euulgaretur mortalibus, vt tanti boni cupiditas accenderetur? Belliſſimè Strabus Fuldenſis: *Nemini*, inquit, *dixeritis viſionem: ne gloria futuri regni præoſtenſa incredibilis eſſet.* Incredibilis foret empyrea Beatorum gloria in Chriſto Deo præoſtenſa? Tanta eſt fidei noſtræ ſpes, vt incredibilis videatur? Sic cælicolarum gloria humanum tranſcendit captum, vt humanis oculis propiùs ſpectata, *incredibilis* videatur? etiam poſtquam viſu quaſi cernitur cæli gloria, fidem ſuperat? Beatitudo cæleſtis, (quæ eſt præcipuum & maximum ſpei noſtræ obiectum) adeò auguſtè repræſentatur in imagine vt ſilentio diſſimulanda ſit, ne tanta gloria fidem ſuperans, *incredibilis* hominibus videatur? ô rem admirabilitate ineffabilem!

Cæli gloria in transfiguratione oſtenſa, non publicatur tunc, ne incredibilis videatur

Seleu. Orat. 43.

Matth. 17. verſ. 9.

Strab inibi.

3. Adhuc poſtquam beatæ gloriæ ſpeciem in gloriâ Thaboris expreſſam oculis diſcipulorum exhibuit Chriſtus, ſic de eâ fatur Paulus, 1. Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi cognouit. Sed ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Adeò eſt ſublimis & auguſta Olympia Beatorum gloria, vt nec oculus viſu, nec auris auditu, nec mens cogitatu, eam, quantumuis animosè audendo, aſſequi poſſit. Vnde Paulus etiam poſtquam in tertium cælum raptus eſt, & indubiè nouerat in Thabore præmonſtratam, cæli gloriam loquitur *in myſterio.* Sed quid eſt, de beatitudinis gloriâ in myſterio loqui? Porrò viſio myſterium clarat, nec myſterium eſſe ſinit poſt viſionem. Quod eò vſque myſterium erat, accedente perſpicuâ rei viſione, deſinit ſpectatori eſſe myſterium, quando eſſe occultum viſione deſinit, & in aliud quoduis nomen tranſit, reſpectu ad videntem. Adhuc Paulus, adhuc Apoſtoli gloriam loquuntur in myſterio? Luculenter Baſilius Seleucus exponens illud Matthæi 17. *Aſſumit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos*, vbi cæleſtis gloriæ ſpeciem in gloriâ ſui corporis præmonſtrauit: *Viſa res hæc* (ait Baſilius) *vel poſt viſionem maneat myſterium.* Quid exaggeratius? Nimirùm tanta eſt ſupernæ beatitatis æterna felicitas, vt etiam poſtquam in Chriſti Dei corpore præoſtenſa Apoſtolis eſt, adhuc manet arcanè *myſterium*; & aliæ, atque aliæ Beatorum dotes nondum viſuntur oſtenſæ; ſed adhuc ſupereſt poſt viſionem myſterium abſconſum, abſtruſum, arcanum. Tantum enim eſt, tamque immetatè bonum, vt illud nullus mortalium oculus adæquè videat,

1. Cor. 2. v. 7. 8. & 9.

Viſa in Thabore gloria, adhuc manet myſterium.

Matth. 17. v. 1. & 2.

Seleuc. Orat. 43.

4

deat, neque vlla auris dignè excipiat, nec mens vlla pro merito æſtimet, quouſque exutâ mortalitate, incomprehenſibili beatitudine fruamur æternùm perennaturâ. In hac vitâ, *Viſio res hæc*
Viuamus ſucco radicis æternæ, ne areſcamus. *vel poſt viſionem manet myſterium* : cùm immortalis mortalium animus impar ſit tantam
1. ad Tim. 6. v. 12. gloriam pro dignitate æſtimare. Ergo ſpei manibus, aut mentis audentiori cogitatu, *Appre-*
S. Paulinus ep. 2. & 27. *hende vitam æternam* : *non areſcamus viuentes ſucco radicis æternæ* ; *ſicque ambiamus Dei regnum, quo modo ambimus ſeculi dignitatem*, ait moraliſſimè Paulinus.

Hîc verſ. 1. Empyreum cælum, empyreæ gloriæ locus, nunc creatur, ſed quàm remotum, quàm vltra humanos oculos & captum! vt ſemper myſterium, quod etiam poſt viſionem in Thabore, *manet myſterium*.

---

§ XIII

Abſentia Iudæ, glorificationis Chriſti initium fuit: & nequam Angelorum è cælo eiectio, Beatitudinis compendium.

1. Seneca epiſt. 10. SOLITVDINEM quærit qui vult innocenter viuere. Sic eſt: fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum. Non inuenio cum quo te malim eſſe, quàm tecum. Fugiendum ergo, & in ſe recedendum eſt, imò etiam à ſe recedendum. Nam eſto, malignus conuictor rubiginem non affricet ſuam, intolerabilis eſt viro bono creber malitiæ aſpectus; quin & vnius vitioſi nomine totum deſcribitur contubernium, ſplendor infuſcatur, innocentia maculatur, virtus culpatur alienæ vitioſitatis elogio.

2. Ioannis 13. Chriſtus Deus ſcius inſidiar proditionis, quam Iudas clàculùm cum Scribis & Phariſæis moliebatur; poſt cœnam dixit ei: *Quod facis, fac citiùs*. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium ad quid dixerit ei. Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò.
Ioan. 13. v. 31. *Cùm ergo exiſſet, dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo.*
Initiū Chriſti glorificandi fuit Iudæ exitus. Quid eſt, quòd Iudæ abſceſſu clarificatur Chriſtus Deus? Annon etiam præſente Iudâ, & inter diſcipulos commorante, ſatis præclarus erat, qui erat ſplendor Patris, & ſplendidus eiuſdem nitor? An Iudæ contubernium Chriſti, & Apoſtolorum offuſcabat claritatem? Annon ſatis illuſtris erat Dei Filius ante abſentiam Iudæ? Fortaſſis abſcedente Iudâ, præluſtri aliquo honore, è cælo nobilitatur Chriſtus? Quodnam fuit hoc tantum, tàmque præ-
Orig. tom. 32. celſum decus? Peregregiè Origenes inibi ſic fatur, expendens præfata Ioannis verba: *Cùm ergo exiſſet Iudas, dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis. Poſt euenientia* (inquit) *ex prodigiis, necnon ex transfiguratione præconia, initium glorificandi filij hominis fuit exitus Iudæ à loco vbi morabatur Ieſus*: Profondè quidem Origenes! Nempe Chriſtus Deus tot vbique patratis prodigiis, & nouâ è cælis allatâ potitiâ, magnam ſui admirationem fecerat, celebri Hebreæ gentis plauſu: in Thaboris vertice Empyreis cæli veſtibus ſplenduit, & clarâ voce Patris Dei dilectus Filius palam renunciatur: quid Chriſto deeſt ad famæ auctarium, & gloriæ cumulum? *Imò poſt euenientia ex pro-*
digiis, necnon ex transfiguratione præconia, ini- 3.
tium glorificandi filij hominis fuit ab exitu Iudæ à loco vbi morabatur Ieſus. Glorioſa miracula patrat Chriſtus, ſed non ſatis glorificatus eſt Ieſus; quia adhuc eſt Iudas in eius contubernio. Cæleſtem Chriſti doctrinam admiratione celebrat mundus, ſed necdum ſatis clarificatus eſt Ieſus; quia in eius familia adhuc Iudas cenſetur. In Thabore & Iordane coram Prophetis & Apoſtolis, inſolenti cælorum rupturâ: Pater Deus diuinam Chriſti filiationem è nube intonat; ſed adhuc non ſatis clarificatus eſt Chriſtus; quia in eius collegio adhuc Iudas numeratur. Cùm autem abſcedit, & Ieſuanæ Societatis exlex fit, ſic Ieſus cum ſuis exinde glorioſus effulſit, vt *initium clarificandi filij hominis fuerit ab exitu Iudæ à loco vbi morabatur Ieſus*. Sic vel vnus nequam totam communitatem aut opinione deprauat, aut prauitate infuſcat? Sic reliquorum gloriis detrahit vnius malitia? Sic ex vno cenſentur omnes? *Initium glorificandi filij hominis fuit ab exitu Iudæ à loco vbi morabatur Ieſus*? Infamis proditoris Iudæ abſceſſio, fuit felix Ieſuanæ gloriæ inchoatio?

Hîc verſ. 1. Cælum Empyreum creatur, nec 4.
habitatoribus vacuum; Angeli enim in mun- Hîc v. 1.
di initio creati ſunt cum cælo & in cælo: & *Malorum abiectio, compendium beatitudinis eſt.*
eadem primâ die ſimul cum terrâ in eius viſceribus infernus effoſſus eſt. Nam poſt breuem ſuæ creationis morulam, factum eſt prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: *Et non valuerunt, neque locus in-* Apocal. 12.
uentus eſt eorum ampliùs in cælo. Et proiectus eſt v. 18.
draco ille magnus, qui vocatur Diabolus, & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt. Et quidem vſque adeò concitatâ præcipitatione, vt Angelos apoſtatas viderit Chriſtus quaſi fulgur è cælo cadentes. Eccur tàm citò è cælo eiiciuntur in tetras cauernas præpropere illis in terrâ præparatas? Sic feſtinatè à cælo excluduntur, & à beatorum eliminantur conſortio? Quid timet Deus, ne in reliquos Angelos, eiuſdem naturæ participes, etiamnum beatos, malitia ſerpat? An præcauet ne ſaltem Empyream cæli gloriam malorum præſentia deuenuſtet? Notanda ſunt pulchra 5.
S. Auguſtini verba, quibus illam Chriſti ſententiam expendit: Cùm ergo exiiſſet Iudas, di-
xit Ieſus: *Nunc clarificatus eſt filius hominis.* Auguſtin.
Auguſtinum audis: *Ecce in illa meâ glorifica-* Tract. 63.
tione quid erit, vbi malorum nullus erit? Quaſi in Ioann.
dicat: Vis noſſe compendio beatas cæli glorias, quibus Beati perpetuò perfruuntur? Imò Chriſti Dei glorias ſi cupis pernoſcere, & quâ-tâ corporis & animæ glorificatione in Olympio cæli ſolio ad Patris Dei dexteram Chriſtus ſedeat, agminibus Beatorum glorioſè ſtipatus: *Ecce in illâ meâ glorificatione quid erit, vbi malorum nullus erit?* Adeò vt ac ſi parùm foret, confeſtim malos inde eiectos, & fulguris ad inſtar cecidiſſe; *neque locus inuentus eſt eorum ampliùs in cælo.* Quaſi non tantùm Angelus quiſque nequam ſtatim è cælo excluſus ſit, ſed eorum etiam locus euanuerit, vt non

modò

modò in cælo non ſint, ſed ac ſi fieri poſſet, vt in cælo non fuiſſent, qui in cælo creati ſunt; *neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo.* Quid exaggeratius? Ecce in illâ cæli gloriâ quid mali non aberit, quid boni non erit, *vbi malorum nullus erit?* Vnde cùm è ſuo collegio exiſſet Iudas, dixit Ieſus: *Nunc clarificatus eſt filius hominis.*

§. XIV.

Niſi homo cælo, tanquam baſi nitatur, & niſi illuminetur cæli lumine, labaſcit, & caligat egregiè.

1\. VIVAT in quacumque terrarum parte cognata proximitas, etiam ſequeſtratione corporum neceſſitudinis catena non rumpitur. Hominis caro è terræ figulatur limo, exinde cognatam terram redolet, terram ſapit. Animus verò, quem Dei ora ſpirarunt, ex diuina reſpiratione velut ex generoſâ matrice extat. Hinc è cælo oriundus, cælum fragrat animus. Ecce homo, monſtrum prodit naturale, partim ſpiritus, partim caro: meliori ſui parte, è cælo; inferiore ſui portione, è terra procreatus. Indè paſſionum tumultus, affectionum rixæ, appetitionũ pugnæ in humani cordis palæſtra exhibentur; inde rationis lumen, natalis limi puluere infuſcatum, terrena videt, lippus ad cæleſtia, & cælum auerſatus, terrena ſectatur, terrena ſapit. At niſi cælum ſapiat, totus errat & perit homo, terræ obrutus naufragio. O citiùs emerge, & cælum ſpecta, cælo innitere, cælique rationibus vtere, ne terrenis affectibus humanitas tota depereat.

Homo è ſpiritu & corpore coagmentatus, naturale monſtrum eſt.

2\. Hic verſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Ambroſius ex Baſilio, Procopius ex Baſilio & Ambroſio, Cælum & Terram vocant, *Baſes quaſdam vniuerſi.* Ecquis huius ſententiæ nouitatem non valdè admiretur? Cælúmne dicetur *baſis*, an potiùs culmen, quod fornicato opere, mirâ fulgorum varietate diſtinctum, huic magnæ hominum domui Deus affabrè ſuperpoſuit? Microcoſmi, id eſt, hominis, *baſis*, erit cæli faſtigium? Profectò, ſicut humani corporis *baſis*, Terra eſt quàm pedibus calcamus; ſic humanæ mentis *baſis*, cælum eſt, per quod mentis veſtigiis ambulamus. Niſi humana mens cælo, tanquam *baſe* innitatur, nil eſt in homine firmum ac ſtabile. In cælo, in re cæli, in rationibus quæ cælum redoleant, quæ cælum ſpirent, quæ cælum ſapiant, fundatur humanitas tota. Cælum eſt animi *baſis*, & morum ſubſiſtentia. Pedes terrâ nituntur, & terrâ velut fulcro ſuſtentantur; cæleſtis animus, & mens è cælo oriunda, cælo, non tam pro culmine, quàm pro *baſi* vtatur. Humana ratio, quæ terram ſapit, & cæli fulcro deſtituitur, planè labaſcit, & in matricem puluerem vltrò ſoluitur. O friuolas hominum rationes! ô caducas ſpes quas cælum, tanquam animi *baſis* non fundat!

Hic v. 1. S. Ambroſ. Procopius ibidem.

Cælum, etſi culmen ſit, baſis eſt mentis humanæ.

3\. 1. Reg 3. Summus Hebræi populi Pontifex Heli, in Dei tabernaculo de more cubabat, pias agens diuini cultus excubias; ſacrario pro cubili vtens, vſurâ pietatis. *Factum eſt ergo in die quâdam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Ita hunc locum (nuper peritè correctum) Biblia antiqua exſcripſerunt, & ex iis Eucherius, Rabanus Maurus, Dionyſius Carthuſianus, & alij. Non leue faceſſit interpretibus negotium huius loci ſententia. Quid eſt, quòd Heli ſacerdos extinctam videt lucernam, quam fulgentem videre non poterat? ô malignum aſpectum, ad accenſam lucem cæcum, ad lucem extinctam peruersè oculatum! Angelomus Benedictinus, vetuſtus auctor, & acerrimi vir ingenij, ita præfatum locum commentatur. *Præ nimia* (verba ſunt Angelomi) *ſenectute oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, cum arderet in tabernaculo, antequam lux diurna fieret.* Scilicet Heli ſummus ſacerdos, nocturnam non videt lucernam, quouſque clarâ cæli luce eam valeat intueri. O rem in paucis inſolentem! Profectò cæli opulenta lux, lucis inopes lucernas noctium, non accendit, ſed extinguit, & vberioris claritatis iubare præclarè offuſcat. Lucerna noctis clarabitur diei luce, vt eam poſſit ſacerdos intueri? Fruſtrà lucernatur dies, perperàm dies iuuat noctis lucernas, quas peruerſo iuuamine potiùs interſtinguit. O boni Sacerdotis oculos de cæli lumine oculatos, de cæli ſcholâ piè eruditos, de cæli collyrio perſpicaces! Bonus Heli, ſubcæleſtem ſeu nocturnam non eualet videre lucernam, niſi cæleſti claratam lumine. Ad nocturnam lucem cæcus eſt, quouſque cæli luce inoculetur ad viſum: ô oculos de cælo eruditos, qui videre neſciunt, niſi quod cæli illuſtratur fulgore! Præclarè caligant ad noctium lucernas, donec de cæli ſplendoribus præclariùs accendantur. Non latuit Angelomum ex cap. 27. Exodi, lucernam totâ nocte in Tabernaculo accenſam, manè extingui, exorto Sole. Inde tamen non langueſcit huius expenſionis vigor. Porrò adſimili admiratione dignum eſt, Heli ſacerdotem, non eualuiſſe nocturnam videre lucernam, quouſque manè extinctam, lucis diurnæ beneficio eam cernere potuiſſet. Eccur enim nocturno ſplendore fulgentem non potuit videre lucernam, & ipſam iam extinctam, & cæli lumine accenſam, clarè videre poterat? Sed de hoc aliàs vberiùs.

1. Reg. 3. 2. & 3.

Eucher. Rabanus. Carthuſ.

Subcæleſtis lucerna, niſi de cæli lumine non videtur.

Angelomus ibi.

4\.

Exod. 27. 21.

§. XV.

Terra, réſque terrenæ, virium languorem aut inueniunt aut faciunt.

1\. NVLLVM habuit maius malum creatus homo, quàm quòd licèt flatu Dei conſtiterit, animam ſortitus Angelicæ naturæ æmulam, tamen de *limo terræ* figuratus & coagmentatus eſt. Exinde bonis ſuis obſeſſus naſcitur, limo gratiæ inſidiante, & imbecillitate clanculùm procurante. *An aliud prius vel magis audias ab hæretico quàm ab ethnico? & non protinùs, & non vbique conuitium carnis*

Caro à matrice terrâ imbellis naſcitur.

Tertul. l. de Reſur. carn. c. 4.

carnis, in originem, in materiam, in caſum, in omnem exitum eius, [illegible] ex [illegible] ſu bus terræ, [illegible] ex [illegible] ſu limo, friuola, infirma, criminoſa, oneroſa, moleſta? & poſt totum ignobilitatis elogium, caducæ in originem terram, & cadaueris nomen, & de iſto quoque nomine perituræ in nullum inde iam nomen in omnis iam vocabuli mortem? Hucuſque Tertullianus. Nec mirare, hominem è terrâ conflatum, cognatâ ſui limi imbecillitate infirmari. Aſt ea eſt terræ imbecillitas, vt robuſtiſſima quæque ſuo imbecillitatis attactu aut propinquitate potenter eneruet. Nimirum ipſa de ſuo imbellis & impotens, ad hoc vnum potentiſſima eſt, vt vel vicina quæque creata, quantumuis potentia & valida, potenter exanimet, infirmet, elumbet, ſuæ imbecillitatis ſerpente contagio: quæ huius paragraphi theſis erit.

1. Danielis 2. ſic ipſe præſaga mente ad Nabu-
Dan. 2. 31. chodonoſorem fatur: *Tu rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis: ſtatua illa magna, & ſtaturâ ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Quid robuſtius? Quid valentius hâc ſtatuâ ex adamantinis conflatâ metallis, & per quam quadruplex potentior Orbis Monarchia, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & tandem Romanorum, exprimitur? Audi quid Daniel ſubnectat: *Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter, ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nulluſque locus inuentus eſt eis.* Ecce tibi prævalidam ſtatuam, è ſolidioribus compactam metallis, exiguus quidam lapillus, ſine vi cuiuſpiam, aut artificio, lenis duntaxat auræ motu, velut vltrò abſciſſus aut ſolutus; dum in terreos vaſtæ & fortis illius molis digitos impingit, illam diſſoluit atque comminuit.

Teſtâ [illegible] pene terrea ſtatua, ſolidiora diſiiciuntur metalla, & rediguntur in pulverem.

Ibid. 41. Eſtò, (quia *ferrum [illegible] non poteſt teſtæ*) terreo calci, plantæque ferreæ annexi ſint fictiles pedum digiti, in quos exiguus ille ſcrupus impactus, pro fortem illam ſtatuam demolitus ſit; quo pacto, tantuli ſcrupi inualida vis potuit *conterere pariter ferrum, æs, argentum, & aurum, & redigere quaſi in fauillam æſtiuæ areæ?* ſic terræ affinitas vel ſolidiora metalla debilitat & frangit? ſic in vagum puluerem ſoluit, & in nihilum redigit? ſic langueſcunt validiora metalla à pulueris confinio? tam languidam imbecillitatem exhalat terræ vicinia? An aliud priùs aut magis audias; & non protinùs, & non vbique rei terrenæ conuicium, *in origi-*
Tertull. vbi ſuprà. *nem, in materiam, in caſum, in omnem exitum eius, friuola, infirma? & poſt totum ignobilitatis elogium, caducæ in cadaueris nomen, & de iſto quoque nomine perituræ in nullum inde iam nomen, in omnis iam vocabuli mortem?* Sic facilè quadruplex Orbis potentior Monarchia, velut adamantinis compacta metallis, ab exiguo terræ adhærentis puluere, nutat, ſubruitur, corruit, & vltrò perit in nullum iam inde nomen, & omnis iam vocabuli mortem? Tantam rei terrenæ vituperationem nulla laudatione depelles.

Hic verſ. 1. *In principio creauit Deus cælum* 3.
& terram. Pro verbo *creauit*, Hebraïcè habe- *Cælum non*
tur ברא *bara*, quod ibi Oleaſter vertit, *ſe-* *dicitur qua-*
parauit, aut diuiſit. Idemne eſt, *creare* cælum *m, quo a ter-*
& terram, ac cælum à terra *diuidere*? ſepara- *ra, paretur.* Hic v. 1.
tione à terrâ, cæli natura conſtat? Scilicet non tam dicitur creari cælum, cùm reapſe *creatur*, quàm dum ſeparatur à terra inani, vacuâ, ſordidâ, friuolâ, ſqualenti. Quaſi ſublimior cæli natura non tam mereatur prælustre cæli elogium, quando creatur, & cælum eſt, quàm dum *ſeparatur* à ſordidæ telluris ſocietate. Sic languet cæli vocabulum à terræ confinio? Ita ſeparatione à terrâ cæli conualeſcit elogium? ô quiſquis ambis eſſe cælum, fuge ſqualentis terræ contubernium, quod afficiat terrenæ imbecillitatis contagia.

Geneſ. 32. cum pauido & inermi Iacobo, 4.
humanâ ſpecie verè luctatur Dei Angelus: Geneſ. 32.
hinc inde ſtrenuè diu certatum eſt. Angelus 25.
autem, *cum videret quod eum ſuperare non poſſet,* *Angelus in-*
dixit ad eum. Dimitte me. Vnde Angelo in hu- *firmatur vi-*
manâ effigie collectanti, tanta adſtat (ſpecie *ribus, terreno*
tenus) imbecillitas, vt inducias petat, & ab im- *corpore appa-*
becilli homine *dimitti* expoſcat? Pulchrè Ter- *renter aſſum-*
tullianus: *Colluctatus [illegible] hominum Angelus* *pto!*
toto corporis pondere dimitti deſiderauit, ab eo à Tertull. de
quo [illegible]. Aſſuta potiùs quàm aſſumpta Carne Chri-
humana corpulentia, ſic Angelum velut de- ſti, cap. 3.
grauat, vt ipſe non adſuetus terreno amictui, *toto corporis pondere dimitti deſiderauerit, ab eo à quo detinebatur.* Sic vel ab apparenti terreno corpore velut degrauati dicitur ſpiritalis Angelus: ſic viribus languere videtur ſub humanâ ſpecie, cæleſtis militiæ nobilis ſtrategus? ſic terrena effigies præpotentem Angelum non adſuetum eam geſtare, quaſi infirmaſſe & debilitaſſe dicitur? Hac Tertulliani hyperbole eleganter hominibus intimatur, quàm ſit de ſe infirma & languida, terrena ſubſtantia.

Matthæi 9. *Ecce mulier, quæ ſanguinis flu-* 5.
xum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & *In Ieſuanæ*
tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim *veſtis fim-*
intra ſe: ſi tetigero tantum veſtimentum eius, ſal- *briâ impru-*
ua ero. O animoſa feminæ fides, ſpe maſculâ *denter vir-*
ſupra feminam audax! vel Chriſti fimbriam *tus quæritur.*
medicam putas diuturno languori curando? Matth. 9. 20.
Eleganter Baſilius Seleu. *Mulier proprio ſan-* Baſil. Seleuc.
guine [illegible], inteſtino fluctu mergebatur: at Orat. 35.
ſolo fimbriæ tactu ſiſtit imprudens naturæ tempeſtatem. Quare dicitur, quòd pia hæc mulier, confidens Ieſuanæ fimbriæ attactu fluxū ſanguinis cohibere, *ſiſtit imprudens naturæ tempeſtatem?* Nec veriſimile eſt, τὸ *imprudens* ſignificare, ſeu inſciam, inſperatam & inquæſitam ſanitatem adeptam fuiſſe, *Dicebat enim intra ſe: ſi tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero.* Cur ergo *imprudens* dicitur hæc femina, cuius animoſa fiducia in fimbriæ contactu ſolerter ſanitatem quæſiuit, & fidenter inuenit? An quia vim patrandi miraculum fore præſumpſit in eâ Ieſuanæ veſtis parte infimiſſimâ, quæ terræ vicinior eſt, quæ tangit terram, terramque verrit pulueruIento ſyrmate? ô elegantem exaggerationem! Scilicet, prudenter hæc mulier ex contactu Chriſti, aut eiuſdem veſtimentorum, ſanitatem expectaret; at dum ſalutem piâ fiduciâ quærit in fimbria, terræ attactu pulueruIentâ, ob animoſioris fidei piam

audaciam,

audaciam, dicitur, ſtitit velut *imprudens naturæ tempeſtatem?* Porrò quis quidpiam grande, & naturæ vires longè excedens, è terra, téque terræ proximâ, terram verrere aſſuetâ, prudenter expectaret? Putaret fortè quiſpiam, non eâ fiduciâ pollens, quod quantum Chriſti fimbria virtutis mutuauit, quia Chriſti res erat, tantundem perdidiſſet, quia terræ confinis eſt, & terrenis ſordibus inquinata. At mulier hæc pie velut *imprudens*, generoſâ quadam religioſæ quaſi temeritatis audaciâ, in fimbria vim miraculi quærit, in fimbria diu quæſita ſanitatem inuenit: & puluerulentæ Chriſti fimbriæ de auguſtiori virtute audacter gratulatur.

---

§. XVI.

Vltra perfectionem audet virtus, piâ ambitione merendi?

1\. Senec. ep 71. STOICORVM opinio eſt, (paradoxon potius dixeris) virtutem numeros ſuos non habere: *Vnum bonum* (aiunt) *quod honeſtum. Hoc nec remitti, nec intendi poſſe; non magis quàm regula, quâ rectum probari ſolet. Quam ſi flectas, quidquid ex illâ mutaueris, iniuria eſt recti. Idem ergò de virtute dicemus, & hæc recta eſt. Flexuram non recipit, rigida eſt, amplius intendi non poteſt.* Planè fallitur Philoſophorum diſertiſſimus & moraliſſimus; nam virtus numeris ſuis plena eſt. Quin & ſuperplena, cùm vltra perfectionis plenitudinem, neſcio quid noui incrementi recipere pie exambiat, velut exundanti perfectionis auctario. *Studio pietatis vel vltra vires audendum*, ait Philo. Philo l. de Mundi opifi.

2\. Geneſ. 2. 1. & 2. Geneſis 2. totius opificij diuini anacephalæoſim his verbis auſpicatur Moyſes: *Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat.* Bella hinc enaſcitur quæſtiuncula, quæ alterutrum ex altero redarguit. Porrò, ſi dixerat Moyſes, Deum perfeciſſe cælum & terram, & omnem eorum ornatum, quid poſtmodum addit verbum *Compleuit?* Si cælum & terra (non materiata duntaxat, ſed etiam myſtica) & omnis ornatus eorum *perfectus* erat die ſextâ, quid in hac ſeptima die perficit, & denuò *complet?* Num omnis humana & mundana perfectio vltra ſummam perfectionem adhuc capit vlteriorem ornatum, & nouæ inhiat perfectioni? Perfectior virtus, etſi numeris ſuis plena ſit, quaſi necdum exſatiata, adhuc celſiora expetit, & anhelat vlterioris perfectionis complementum? Nil perfectæ virtuti ſatis eſt? ô inexplebile quorumdam virtutis votum, vltra poſſibilia audax, nec ſatis impoſſibilibus metatum! Quiſquis inſtar cæli, perfectus eſt, etſi perfectus ſit omnis eius ornatus, quaſi vacuus virtute foret, adhuc nouam completionem ſuſpirat! ô virtus, quæ perfectæ humilitatis vacuitate plena, ac ſi inanis foret, nouum complementum pie præſumit! Matth. 5. 48. *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Studio pietatis vel vltra vires audendum.*

Poſt completionem cæleſtis ornatus, adhuc vlterior completio piè ambitur?

3\. Matthæi 18. Chriſtus Deus è cæli ſcholâ plura docuerat de iniuriarum veniâ: tunc Petrus non immemor, ſe, & reliquos Chriſti diſcipulos, Phariſaicâ inuidiâ ſæpiùs infeſtari, ſic diſcipulus Magiſtrum interrogat: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties? Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Non adducor vt ſubſcribam his, qui, *ſeptuagies ſepties* ad ſummam numerorum redigunt, & quadringentis nonaginta vicibus interpretantur. Quid ergo eſt, *ſeptuagies ſepties* offenſori parcendum eſſe? Sapienter de more Hieronymus ita comentatur hunc locum: *Intelligendum eſt ſeptuagies ſepties, id eſt, ... vt toties peccanti fratri dimitteret, quotiès ille peccare poſſet.* Ac ſi Chriſtus dicat, dum ſummam Chriſtianæ perfectionis edocet: O Petre, (quem mei ſucceſſorem, & Eccleſiæ meæ arbitrum conſtitui) ſatis tibi videtur ad perfectionem, *ſepties* offendenti offenſas remittere? imò nec ſatis eſt ſummæ perfectioni, tantùm offenſori remittere, quantum ille temerariâ audaciâ deliquerit, ne anguſtè Chriſtianiſmi mei virtutem metêris; toties dimittendum eſt, *quoties ille peccare poſſet.* Ne iis contentus inimicis condonare quicquid in te ſceleſtè delinquunt: ne anguſtioribus terminis virtutem circumſcribas; non tantùm reipsâ exhibitas, ſed poſſibiliter etiam exhibendas condona, ad virtutis redundantiam. Satis tibi videri poſſet, illatas iniurias omnes remittere, quod perfectæ virtutis eſt, & conſummatæ pietatis; ſed vltra perfectionem adhuc aude, & vltra perfectionem, vlteriùs perfectionis complementum piè præſume. Nam poſtquam perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum, adhuc *Compleuit Deus opus ſuum quod fecerat.* Itaque & tu dimitte quoties peccauerit, ſed etiam *quoties peccare poſſet*, quo Chriſtiana virtus quodammodò immetata oſtendatur.

Matth. 18. 21. *Chriſtiana virtus quodam modo immetata eſt.*

S. Hieron. in Comm. ibi

4\. Geneſ. 2. 3. Geneſeos 2. poſt abſolutum ſextidui opificium, ſic ſcribit de Deo Moyſes: *Et benedixit diei ſeptimo .... quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret.* Grande interpretibus negotium faceſſit huius ſententiæ clauſula. Pulchrè Rupertus: *Et notandus* (inquit) *loquendi modus, dum dicit, quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo; quod creauit Deus vt faceret. Ergone prius creauit quod poſtea faceret? Planè ita eſt.* Planè ita eſt? imò planum & apertum eſt, quòd ita eſſe non poteſt. Bonus aliàs Theologus Rupertus, non benè hîc philoſophari videtur. Priúſne Deus rem creat, & poſtea eandem facit? Quo modo poteſt denuò fieri, quod iam creatum præceſſit? Puto, qui ita operatur, actum agit. Quid ergo eſt, *Ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret?* Scio ad litteram, eſſe Hebrææ linguæ vulgatem idiotiſmum: ad mores verò non idoneè licet ad thema præſens inde vehi. Porrò dum omnes creaturæ (quæ cæli & terræ nomine continentur) perfectæ, & cum omni ſuo ornatu, creatæ ſint, completione, quæ ex propriâ virtute eſt, adhuc perficiendæ proſtant. Adhuc diuinioris gratiæ officioſitas vlteriorem perfectionem procurat. Nam etſi perfecti ſunt cæli, & omnis ornatus eorum, adhuc *compleuit Deus opus ſuum quod fecerat. Omnia creauit Deus vt faceret:* nã poſtquam perfecta,

Rupertus. ibidem.

Creaturas, quas creauit Deus, adhuc facit?

&

& cum omni ſuo ornatu creata ſunt, adhuc complementum quod faciat, ſupereſt. Nil perfectionis adeptæ piam ſiſtit ambitionem: quia nihil perfectæ Virtuti ſatis eſt; quæ quò perfectior eſt, eò actuoſiùs vota vltra poſſibilitatis metam piè iacit; merendi auaritiâ. Perfectas, & cum omni ſuo ornatu creaturas, adhuc perfectiores eaſdem facit Deus, qui eas hic
Hic v. 1. *creauit vt faceret. Studio pietatis vel vltra vires audendum.*

---

§. XVII.

Ante perſonam, perſonæ ſæpè auditur infamia; aut ingenio detractionis, aut caſtigationis arbitrio.

1. BONÆ opinionis cenſus ab alieno nutu dependet. Non æſtimatur res nuda, ſed opinione & ſermone aliorum veſtita: aut exculto beneuolentiæ ornatu ſplendens, aut ſordido detractionis ſqualore turpis.
Fama perſonæ, perſonam anteuertit. Quod fit aut ingenio ambitionis, aut inuidiæ arbitrio, aut maleuolentiæ ſtudio, manante famâ per linguarum & aurium ſæpè ſordidos & pertuſos canales. Nec valde miraret, cum perſonâ vitium perſonæ latè ſerpere; at mirûm eſt, ante hominem hominis audiri vitium, præproperâ dehoneſtamenti vſurâ, quæ homini præcurrens, priùs diffamiam intimat, quàm perſonam. Heu ante rem rei defectus auditur, increbreſcit, propagatur, & infamia perſonam præcurrit! Theſis hæc ſubiectis probationibus magis clarabitur.

2. Hic verſ. 2. poſtquam dictum eſt, in primo rerum exordio Deum creaſſe cælum & terram,
Hic v. 2. confeſtim ſubdit Moyſes: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem*
Ante abyſſi opificium, abyſſi auditur obſcuritas. *abyſſi.* Benè eſt, priùs creata terra dicitur, & poſteà eius vitium attexit; erat tunc, inquit, terra inanis, vacua, incompta, inuiſibilis, & incompoſita. Sed quid eſt, quòd cùm nulla præceſſerit creationis *abyſſi* mentio, addit: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*? Obſcura & tenebroſa dicitur abyſſus, antequam audiamus creationem abyſſi? Turpe obſcuritatis elogium rem ipſam præcucurrit, & accidentarium dehoneſtamentum abyſſum anteuertet? *Cum de aquarum opificio nihil dixiſſet, ait: Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, notat belliſſimè
S. Chryſoſt. inibi. Chryſoſtomus. Nimirùm hoc ſymbolo Moyſes humanos perſtringit mores, & in elemento inſenſili exprimit, quod peracerbum exprimit hominum ſenſum. Vel terra ipſa contemptui & tolerantiæ adſueta, priùs inducitur, poſteà eius inanitas culpatur. At quid antequam ſit abyſſus deliquit? Ante eius nomen, ſui nominis obſcuritas intimabitur? Rei ipſius notitiam, ipſius rei præibit defectus, præcoquâ famâ? Heu quot res, quot homines ex eorum vitiis prænoſcimus, humanâ maledicentiâ eorum aut notitiam aut ortum præcurrente!

3. Putauerim, hoc abiectiſſimæ humilitatis
Matthæus priùs ſe teloniarium inducit, quàm Matthæum nominat. dehoneſtamentum vltrò affectaſſe Matthæum, de teloniario Apoſtolum, de publicano Euangeliſtam, officioſitate merendi. Poſt ſanatum paralyticum ſtupendo miraculo, tranſit inde Ieſus, vt aliud verbo edat, & oculis videat ſublimioris gratiæ miraculum. *Et cùm tranſiret*
Matth. 9. *inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.* Stupeant alij occultam ſiderei vultus efficaciam, quæ Chriſti tranſeuntis adnutu Publicanum attraxit. Alij mirentur velut inconſultam conſultiſſimi obſequij ſequelam, quâ vel vno Chriſti verbulo ceſſit. Ego verò cum Hieronymo admirabor profundè excelſam Matthæi humilitatem. *Ceteri*, inquit, *Euangeliſtæ propter verecundiam &*
Hieron. in comment. huius loci. *honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, ſed dixerunt, Leui. Duplici enim vocabulo fuit. Ipſe autem Matthæus Matthæum ſe & publicanum nominat.* Teneo ex Hieronymi commentario, his verbis expreſſam altam Matthæi humilitatem, quâ ſe prodit & denenuſtat vulgato Matthæi nomine, exactione tributorum auaro, inuidioſo, infami; quod ceteri Euangeliſtæ honoris causâ erubuerunt. Sed ductu Hieronymi aliam etiam præceſſe abiectionis arcanam notam expendamus, in illis ſuis verbis inſculptam: *Vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Scilicet parùm foret Matthæi humilitati ſe non palàm prodere minùs noto *Leui* vocabulo, ſed notiori Matthæi appellatione; niſi etiam priùs ſe ex teloniarij nomine infeſto, infami, auaro, & criminoſo notaret, quàm vulgatiſſimum Matthæi nomen ſcriberet. Non dicit Matthæum in telonio ſedentem fuiſſe allectum Chriſti collegio, ſed *hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* O bonam humilitatis ambitionem! Hominis infamia hominem præcurrat: priùs audiatur perſonæ vitium, quàm nomenclatura perſonæ: antè putetur teloniarius, quàm Matthæus. Sicut ante abyſſum, abyſſi obſcuritas innoteſcit, exaggeratori dehoneſtatis elogio, quod eſt ſublimioris humilitatis cumulus, & abiectionis meta.

Matthæus de perfectionis ſchola eruditus, 4.
has humilitatis argutias expreſſit in primo ſui Matth. 1. 6.
Berſabea adulterium, in Vria commemoratione arguiè perſtringitur. Euangelij capite, ſic aiens: *David autem rex genuit Salomonem ex eâ, quæ fuit Vriæ.* Super quibus verbis pulchella in primis exoritur quæſtio, cur Berſabeam non proprio nomine, ſed circumlocutione, quæ delictum proderet, nominauit. *Quærendum eſt autem* (ait Remigius)
Remig. in c. 1. Matth. *quare Euangeliſta Berſabee proprio nomine non nominauit, ſicut ceteras mulieres.* Reliquas feminas proprio indigetat Euangeliſta vocabulo, & reginæ Berſabeæ nomen reticet? Eleganter Strabus: *Tacet nomen Berſabee, vt nominando* Strabus ibi.
Vriam, reducat ad memoriam illud maximum ſcelus, quod in eum fecit. Nempe Euangeliſtam Matthæum non latebat, Salomonis matrem Berſabeam appellari, ſed quia nec eum etiam latuit, turpe adulterij ſcelus, & cruentum mariti parricidium, ideò moraliſſimè vtrumque perſtringit flagitium; & commemoratione Vriæ, refricans infame delictum; ante perſonam, perſonæ publicat crimen, & præambulâ commemoratione auditur Berſabeæ turpitudo in Berſabeæ ſilentio, & Vriæ voce. Sic Berſabeam Euangeliſta caſtigat, dum præuiam perſonæ culpam inducit; quò priùs cognoſcatur Berſabee ex infamia delicti, quàm ex regiæ ſobolis gloriâ, aut ex regio nominis ſtemmate. Et quod aliàs ſæpè accidit audaciſſimæ detractionis licentiâ, ipſe Mat-

thæus faciat iuſtæ præſumptionis priuilegio. Vnde tametſi nó Vrias, ſed Berſabee ad lineam progenitorum Chriſti pertineat, Vriæ nomen auditur, nomen Berſabeæ tacetur, vt in Vriæ voce, & Berſabeæ vocali ſilentio, ante Berſabeæ notitiam, turpe audiatur ipſius flagitium, arguto Euangeliſtæ calamo caſtigatum. Nempe de ſcholâ obmurmurationis congruè eruditur artificium punitionis, quo ante perſonam, perſonæ reſonat vitium.

---

§. XVIII.

Apud iudicem cognatum reus innoxius eſt, cognationis merito.

1. *Magna ſeruitus eſt magna fortuna.*

MVLTA Poteſtatibus non licent, quæ humillimis in a. guloiacentibus licent. Magna ſeruitus eſt magna fortuna. Non licet illi quidquam voluntate ſuâ facere, nec ſomnum quidem extêdere in partem diei aut ex ſuo arbitrio diem diſponere. Quin & iudicis integritas, omnium cenſuræ expoſita, omnem cognationem dediſcat neceſſe eſt. Nullius ſpeciatim naſcitur, qui omnium vniuerſatim eſſe debet, vt æquabilem Iuſtitiam æquâ bilance libret, & in neutram partem inclinet. Imò niſi iuſtè inclinet, præuaricationis auctor, & amicitiæ aut cognationis reus dicitur. Nó licet Præfecti cognatos eſſe innoxios; & iniquo fauori imputatur, niſi ſeueriùs condemnentur. Tanta eſt cognationis vis ad flectinéſciam Iuſtitiam inclinandam?

2. *Beniaminus cũ fratribus, ante latam ſententiam Præf. ſibi cognatione abſoluitur.* *Gen. 45. 4.*

In Beniamini ſacculo argenteus Ioſephi ſcyphus inuenitur. Stat coram præfecto anxius, de turpi ſcelere conuictus, & necis, aut ſeruitutis reus. Iam Iudas Beniamini aduocatus, cauſæ merito diffiſus; caput ſuum pro ſuo Beniamino deuouerat. Et cùm acerbioris ſententiæ fulmen omnes pariter extimeſcerêt, aiês eouſq; ignotus Præfectus: *Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum*, litem prorſus dirimit: & nullâ inuenti ſcyphi exinceps mentione factâ, impunis, imò honoratior & auctior dimittitur. Eſto, publica Beniamini accuſatio, nullâ diluatur defenſione; eccur nec mentio vltrà fit, aut de Ægyptiacę explorationis, aut de fraternæ proditionis reatu? An defenſioni iuſtæ præcluditur aditus? an rei manifeſtationem, & cauſæ meritum præcucurrit fratris nomen in Præfecto, & fraternitatis titulo abſoluit? Opinor, affinitas cum Iudice, in Ioſepho iuſtè, etſi præproperè; in aliis ſæpe iniuſtè, etſi tardiùs, cognatorum impunitas & innocentia eſt. *Ego ſum Ioſeph frater veſter*, ait Ægypti Præfectus, quo vno verbo, & furti, & perduellionis iactatas ſuſpiciones eximit, & fraternæ proditionis crimen detergit: & quos manifeſtum crimen, vel manifeſta criminis fama ſeueriùs accuſat, arctior cum Præfecto cognatio, indulgentiùs excuſat. Serò Beniaminus doli manifeſtatione, à reatus famâ eximeretur, qui Præfecti fratris vocabulo ocyùs abſoluitur. Nec eſt cur reliqui fratres de fraternæ proditionis ſcelere timeant, cùm dicentem audiant Ægypti Præfectum: *Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum.* Piè fecit Ioſephus Ægypti Præfectus, proprias condonans iniurias; quod alij, non proprias, ſed alienas offenſas impiè condonando, ſæpe factitant.

Iſaac famis malo oppreſſus, coactus eſt pe- 3.
regrinari in Geratâ, Palæſtinorum metropoli. Et veritus ſalaces regiæ curiæ mores, Rebeccam, non vxorem, ſed ſororem vocitat; & viciſſim Rebecca, non maritum, ſed fratrem appellat Iſaacum. Et proſpiciens Abimelech rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebeccâ vxore ſuâ. Et accerſito eo, ait: Perſpicuum eſt quòd vxor tua ſit: cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe? *Quare impoſuiſti nobis? Potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tuâ, & induxeras ſuper nos grande peccatum.* *Gen. 26. 10.* L X X. Interpretes pro illis verbis: *Potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tuâ*, tranſtulerunt: *Fortè quis dormiret ex genere meo cum vxore tuâ.* Scilicet Rex ſibi timet à Cognatorum luxuriâ, ne ipſe regnúmque ſuum laſciuæ cognationis regiæ pœnas luat. Cognatorum libido Principibus imputatur? *Procerum libido Regi imputatur.* Vel aliter: *Potuit coire quiſpiam de populo.* L X X. Interpretes, *de genere meo.* Inde nonnulli interpretes ſerio ſuſpicantur, Regem diſſimulanter de ſe loqui. Alij exiſtimant, loqui de regni proceribus, ſiue cognatis. Nempe dum Rex, aut pa nobilis quiſque luxuriatur, *quiſpiam de populo* dicitur. *Luxuria nobilitatem deſcit.* Sic libido à regia nobilitate degeneres reddit? Laſciuiæ mores, aut plebeium inueniunt, aut plebeium faciunt; & in auguſtâ Regum maieſtate vulgi conditionem reſculpunt. Sic generoſitatem libido deluéſcit! Vel aliter ad rem præſentem. Sciſcitari lubet, quare rex Abimelech dicat: *Potuit quis dormire de genere meo cum vxore tuâ, & induceres ſuper nos grande peccatum?* Grandéne peccatum foret apud gentem idololatram & barbaram, coire aliquem de primoribus cum muliere, quæ ſuo, & mariti ſuffragio putabatur innupta? *Immunitate Procerũ regna periclitantur.* Peccatum ſanè foret, quis abnuat? Sed non adeò magnum, vt ſuper Regem, regnúmque totum reatum induceret. An timet Rex, ne ſi fortè aliquis procerum, regio ſanguine ſibi coniunctorum, cum alienâ concumberet, impunitus regiâ cognatione euaderet? ô quàm imbecilla, & penè nulla ſunt humanarum Poteſtatum iudicia aduersùs ſummates, regio ſanguine ortos! Heu! quàm grande peccatum inducitur ſuper regem & regnum, in quo optimates de more impunè delinquunt! Caueat Rex ne peccent: nam ſi peccauerint, innoxi peccabunt, regiæ cognationis priuilegio ſecuti. Id fortè timet bonus Rex Abimelech, quem multi laudant quaſi probitate illuſtrem; quippe qui familiare cum Deo colloquium promeruerit. *Recelaſe el Rey, que no a de haber valor para caſtigar los grandes; y que con eſſo pone a peligro el reino.* Sic iuuat accommodatiùs ad mores locum explicare.

Moyſes hîc verſ. 2. poſt cæli & terræ creationem, addit: *Terra autem erat inanis & vacua.* Super quibus verbis ita ſcribit S. Chryſoſtomus: *Terra autem inuiſibilis erat & inculta. Cuius gratiâ, dic quæſo, cælum clarum & abſolutum creauit, terram autem deformem effecit?* Reſpondet quo ſolet ingenij acumine. *Ad hæc* 4.

Hic vita Chryſoſtomi. *Quiſquis nobis profi non eſt, à recta habetur opinione.*

& aliâ ratione deformem terram creauit ; quoniam ipſa eſt nutrix , & mater noſtra, & ex ea facti ſumus,ac educamur , ipsáque patria noſtra eſt , & varijs per eam bonis fruimur. Ideò vt ne homines ob vsùs neceſſitatem pluſquam æquum eſt eam venerentur , oſtendit primum rudem & abſque formâ,& inexpolitam. Quaſi aliena erga nos beneficentia, aut noſtra potiùs vtilitas, ſit rei bonitas, aut alienæ bonitatis cenſus. Ex noſtrâ citiùs vtilitate,quàm ex rei perfectione rem magnificè æſtimamus & colimus. Quiſquis nobis proficuus eſt , confeſtim optimus eſt,& præcelſo honore digniſſimus , nec in eo apparent cognati defectus. Heuſti deſinit eſſe vtilis,deſinet eſſe optimus. Sed nota quàm ſit ſuſpectum humanum iudicium. Nimirum vt dignè cenſeamus de cęlo,clarum & abſolutum creatur à Deo. At verò licèt primò oſtendat terram,& *rudem*, & *indiuiſibilem* , & *incultam*, & *inexpolitam* ; non ideò tamen inde humano iudicio deuenuſtabitur : *quoniam ipſa eſt nutrix, & mater noſtra, & ex eà formati ſumus,ac educamur,ipsáque patria noſtra eſt.* Timeat cælum humanam cenſuram,à quâ inexpolita terra eſt ſatis tuta , cognationis humanæ priuilegio. Sordeat licèt ſqualidè , ſordium reatu immunis eſt : *quoniam ipſa eſt nutrix,& mater noſtra,ipsáque patria noſtra eſt.* Quam ſordidus ſqualor damnat,arctior cognatio abſoluit. Sic æquabile iuſtitię pondus,inter cognatos libramenta adulterat? Sic iniquitas æquitatem ſubornat & corrumpit cognationis lenocinio?

Squalida terra, humana cognationum titulo nitet.

---

§. XIX.

Vitium virtuti præit, ſumptuoſâ ambitione affectandæ virtutis.

1\. HOMINES inſigniori malitiâ turpes, ſicut virtuti infidi ſunt, ita nec vitiis ſatis tutidum plus ſub religionis titulo Deum dehoneſtant , & cùm putant ſtipendia vitij eſſe , oſtentare virtutem ; virtutis magis quàm vitij rei ſunt. Sic enim ambitiosè pietatem mentiuntur,vt vel piiſſimis hominibus præcurrant oſtentatione pietatis, ſtimulatæ ambitionis calcare ad nequiorem malitiam. Adamus & Eua primordialis delicti rei , paradiſo arcentur,extra paradiſum maritalibus vacant amplexibus,naſcitur primùm Cain,paternæ impietatis heres:ſuccedit pius Abel, velut piæ parentum pœnitentiæ ſoboles. *Et factũ eſt poſt multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui.* Horum verborum ſententiam ita expendit Baſilius Seleuc. *Infructuoſus animus fructus apportat Deo,carens anima fructus offert Deo..., Differ ſacrificium cum impietate coniunctum.* Infructuoſus animus mortalium primus , fructus cum impietate coniunctos Deo apportat ? Primum donum quod refert Scriptura,(& quod LXX. interpretes *ſacrificium* appellant)Deo oblatum , ab impiiſſimo Caino offerendum erat ? Et cur primum donum Deo oblatum non fuit à diu pœnitente patre,aut à fratre piiſſimo? Auſpicia humanæ pietatis profanus dedicabit Cainus ? Sic impietas Virtuti officioſa eſt , vt pietati præcurrere videatur ? In re quoque virtutis primas ferre ſatagit vitium , ingenio ambitionis, & falſatæ probitatis artificio ? Et honorem virtutis,& pariter vitij voluptatem vnà demetere præproperè feſtinat impietas ? *El impio Cain fue el que hiço los primeros agaſajos a la piedad.* O Caine , *Differ ſacrificium cum impietate coniunctum*, nec vitium virtuti præeat. Ad virtuoſi nominis faſtigium per vitij ſcalam citiùs aſcenditur? ô caue à nimis officioſis virtutum obſequiis.

Geneſ. 4.3. Baſil orat. 4. *Impius Cain cæteros præcurrit officioſitate virtutis.*

2\. Matth.8. *Cum veniſſet Ieſus in regionem Geraſenorum,occurrerunt ei duo habentes dæmonia, & exeuntes de monumentis ſæui nimis , ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam. Et ecce clamauerunt dicentes* : (Attentiùs auſcultemus quid diabolorum ſæuiſſimi loquātur.) *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei ?* ô nimis blanda ſæuiſſimorum dæmonum vox ! ô vocem , quæ Petrum non abſimili confeſſione vocabulo tenus , ad ſummum Eccleſiæ faſtigium euexit ! Nonne Petrus dixit : *Tu es Chriſtus filius Dei viui* ; & hi dæmonum nequiſſimi : *Ieſu fili Dei ?* Illuſtriſſimæ & laudatiſſimæ Petri confeſſioni,dæmonum adſimilis confeſſio præcurrat? Arcanæ confeſſionis auſpicium diabolus dedicabit ? Non ſum immemor me legiſſe in Hugone : *Primò diabolus Ieſum nominat filiũ Dei*,(quem locum alibi ad aliud thema expẽdebamus) Vides quàm feſtinet impietas ad pietatis oſtentationem? Impia diabolorum gens , Apoſtolorum præcurret Collegio in tantæ confeſſionis elogio? Non verentur mali dæmones, Ieſum fateri filium Dei,vt in re pietatis Apoſtolis ipſis primas ferre videantur? Sic vitium virtutis fructus præcoci confeſſione demetere geſtit ? Sic impietas pietatem anteit mentitæ virtutis lenocinio?

Matth 8. 19. *Diabolus præcurrit Apoſtolos in confeſſione diuinitatis Chriſti.*

Matt. 16.16.

3\. Lucæ 16. Villicus ille aſtutè clanculariâ furacitate ſibi in poſterum prouidus,qui ſubdoli furti ingenio, argutæ rapacitatis laudes æquè furatur ; hoc Euangelij elogium rapinæ artificio emit : *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis , quia prudenter feciſſet : quia filij huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſuâ ſunt.* Sententia planè ænigmati ſimilis, & quæ in parabolis deſcriberetur digniſſima,quam ſic enucleare intentat Hugo Carenſis : *Filij ſeculi, amatores ſeculi : Filij lucis , ſunt amatores cæli. Illi ſunt prudentiores in generatione ſuà carnali, quàm iſti in ſuà ſpirituali.* (ne te prætereant quæ ſubdit verba.) *Sed quomodo vident clariùs filij tenebrarum,quàm filij lucis,cùm nihil videri poſſit niſi luce ?* Pluſne in negotio vitij cæca obſcuri ſeculi malitia videt,quàm pietas in re virtutis,de cælo oculata ? Plus ſeculi tenebræ accendunt malitiæ lumina , quàm præclarum iubar latebras virtutis claret ? Nequam homines plus vidẽt in nequitiæ caligine,quàm homines frugi in virtutis luce? Sic ſeculi tenebræ impiorum perſpicaciæ lenocinantur? Sic virtutis oculi imperſpicaces ſũt ad pietatis fulgores? *Quomodo vidẽt clariùs filij tenebrarũ,quam filij lucis,cùm nihil videri poſſit niſi in luce?* In ſeculi obſcura caligine præproperè oculatior eſt ad impietatẽ impietas,quàm in clara cęli luce virtus ad virtutem? Vel in ipſo mundi primordio præclariori luci obſcuræ tenebræ præcurrunt?

Lucæ 16.8.

Plus videt vitiũ in tenebris, quàm virtus in luce ?

Hugo ibi.

Sit homo Deo Peripateticus , mundo Pythagoricus.

raoni Deum relinquit? Deus enim Diuinitatis pluralitate negatur: nam ſi vnus non eſt, Deus non eſt. An ſolus Moyſes conſtituitur Dij Pharaonis idololatræ, vt vnus Moyſes veluti Ægyptij Dij ſit Pharaoni? Multa hîc ſagaci lectoris induſtriæ relinquenda ſunt. Verùm ſacramento non vacat, quòd cùm Deus vult oſtendere ſummos ſuæ Iuſtitiæ rigores aduerſus Pharaonem obſtinatiſſimum, non vnum Deum in ſingulari, ſed plures Deos, plurariuo vocabulo Hebraicè expreſſos, aduerſus illum conſtituiſſe dicatur. Porro ſicut rationabile & iucundum eſt, vnum Deum habere, & colere; ita irrationale, & peracerbum plures Deos pati. Quaſi Dei Iuſtitia, vna plures ſit aduerſus eos, qui plures ſibi Deos adoptant. *Ecce constitui te Deos Pharaonis.* Quò plagæ, quibus à Moyſe feriſiit Pharao, & rebellis Ægyptus, non vnius Dei manu, ſed veluti plurium Deorum ſæuæ inflictæ videntur. Sic eſt peregrinæ & ... eum plures Deos, vel potius Vicedeos, Superiores inquam, pati?

3\. 1\. Regum 4. Iſraëlis exercitus malè conciſus, & indecorè fugatus à Philiſthinorum phalangibus, auxiliatem aduocat Arcam Dei. Feſto plauſu, & lætis acclamationibus in Hebræorum caſtris excipitur. Et audierunt Philiſthijm vocem clamoris, dixeruntque: Quænam eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? Et cognouerunt quod Arca Dei veniſſet in caſtra. Timueruntque Philiſtiim, dicentes: *venit Deus in castra.* Et ingemuerunt dicentes: *Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri & nudiuſtertius: væ nobis. Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dy qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ in deſerto.* Quid eſt, quòd Philiſthæi, qui ex diuturnâ cum Hebræis vicinia bene nouerant, Iſraëlitas vnum duntaxat Deum colere, nunc ſemel & iterum, ingemiſcentes, Deos appellant Hebræorum Deum? Strabus Fuldenſis ſic ait: *Iudæi vnum Deum colunt, ſed gentes ſuo more loquuntur.* Verùm ſi ideò gentes idololatræ, quia plures Deos adorant, non Deum, ſed Deos dicunt, quo recto reſpectu ad Hebræos vnum Deum appellant, aientes: *Venit Deus in castra:* & reſpectu ad ſuam perniciem, quaſi iam deſperaſſent, inquiunt: *Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dy qui percuſſerunt Ægyptum.* Audiendus eſt hâc ſuper re Lyra: *Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Quaſi dicant: Tanta eſt potentia, quod non poterimus reſiſtere. Et ideo ſicut Pharao cum maxima multitudine non potuit reſiſtere, ſic nec nos poterimus: & ſic per verba iſta videbantur omninò diffidere de victoriâ.* Nempè quem Deum in ſingulari dicunt aſpectu ad Hebræos, benefico numine defenſandos, & illuſtri victoriâ nobilitandos; eundemmet cùm ſibi acerbiſſimè infenſum, ab eoque miſerè profligandos exiſtimant, non Deum, ſed Deos appellant: *Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Per iſta verba videbantur omninò diffidere de victoriâ;* & ſimilem ſubituros cladem, ac ſubiit Pharao, cùm maris Rubri ſæuientibus vndis, horrendum cum exercitu naufragium ſubiit, Iſraële prorſus incolumi, & ſpoliorum opulentiâ ditato. Scilicet ſicut vnus Moyſes, plures Dij Pharaonis dicitur, ad plagarum acerbitatem: ita Philiſthiim, quem vnum Deum nuper dixerunt, cum *de victoria diffidunt*, & certum exhorrent excidium, non vnum, ſed plures Deos nominant, quaſi ad infligenda ſupplicia vnus plures ſit. (Ex hoc loco aliam longe diuerſam theſim §. 4. comprobabimus) ô caue à Deo ad puniendum multiplicitet vno! *In principio creauit Deus, &c.* Hebraïcè, *creauit Dij*, vel *Iudices*, ſic multitudinis vocabulo ſe in rerum principio exhibet Deus, ne mundi ſui opificij beneficentior miſericordia, rigoribus Iuſtitiæ detrahere videatur? Hic v. 1.

Margin notes (left column): 1 Reg. 4. v. 8. *Deus Iſrael ad caſtra eundum plures nominatur.* — Strabus ibi. — Lyra ibi.

---

§. VIII.

Qui ſemel vni cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit.

QVo dic infra cupiditatem ſiceris extra ſeruitutem eris. Nec vno modo, nec vni domino ſeruit, qui cupiditati ſeruit: nam qui vni ſeruit vitio, multorum ſeruitio mancipatur. Diuerſæ voluptates ſunt, ſed affines de placendi cognatione, & cupiditatis blandimento. *Si ay vn idolo en el coraçon, a buen ſeguro que no ſea ſolo.* 1.

Exodi 32. Moyſe moram faciente Hebræa gens ſuſis mulierum monilibus, vitulinum excudit caput, cui feſto plauſu, & barbarino cultu cultum præſtat diuinum. Conuenit inter expoſitores, vnum tantùm idolum Hebræos fabricaſſe, quod perſpicuè liquet ex textu. Nam cùm populus furenter id expeteret, improbis minis coactus Aaron dixit ad eos: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Feciteque populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron. *Quas cùm ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* (Vide oculis vitulum conflatilem, & arrige aures ad verba, quibus illum populus adorat) *dixeruntque: Hi ſunt Dy tui Iſrael, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti:* ô inſanos & vecordes! vnus duntaxat vitulus conflatus eſt: & exclamatis: *Hi ſunt Dy tui Iſraël.* Ecquis deitatem derepentè propagauit? Forte eſt Deus ille vnus plures, & ſubitò idolû idola parturit fœcunda propagine? Ita quidem; ſed in re morali. Opportunè Hieronymus: *Hanc dicunt Scripturæ ſanctæ conſuetudinem, vt vnum Idolum appelletur pluraliter, vt eſt illud in Exodo de vitulo: Iſti ſunt Dy tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quid accommodatius? ô caue tibi vel ab vno duntaxat cordis idolo, idolorum ſtatim fœcundo! An huc adluditur, cùm hîc verſ. 1. qui *Deus* in ſingulari dicitur; in Hebræo textu, *Dy* pluratiuo nomine moraliſſimè effertur? Hic v. 1.

Adſimili expenſione illuſtrari poteſt illud Danielis 3. nam cùm tres in Babylone Hebræi pueri renuerent ſtatuam auream, quam Nabuchodonoſor erexerat, adorare, ſic ait eis: *Verène Sidrach, Miſach, & Abdenago, Deos meos non colitis, & ſtatuam aureã quam conſtitui, non adoratis?* S. Hieron. in Abacuc. 1. & alij, quos ipſe ad ea verba refert, cenſet, idem ipſiſſimum eſſe, ſtatuam quam erexit, & Deos, quos coli 2.

Margin notes (right column): *Vnum vituli caput, plures Dy verè dicitur?* — Exod. 32. 4. — S. Hieron in Dan. 3. 14. — Dan. 3. 14. — *Cur vna Nabuchodonoſoris ſtatua, namè multiplex dicitur?*

coli iuſſit Nabuchodonoſor. Vnde [illegible] erit exegeticum, vt alias perſæpe in Bibliis. Vnáne ſtatua ſunt Babyloniorum Dij? Ad hoc dubium explicandum aduocat Hieronymus verba nuper laudata, hîc etiam exſcribenda: *Veréne Deos meos non colitis, & ſtatuam auream non adoratis?* Hieron. ſupr. *Alij* (ait Hieronymus) *hanc dicunt Scriptura ſancta conſuetudinem, vt vnum idolum appellet pluraliter.* Procliue eſt eoque ſimili ſchemate id ipſum ſplendidiùs illuſtrare ex præcedenti expenſione.

3. Geneſ. 45. auditum eſt, & celebri ſermone vulgatum in aulâ Regis: *Venerunt fratres Ioſeph: & gauiſus eſt Pharao, dixitque ad Ioſeph, vt imperaret fratribus ſuis, dicens: Onerantes iumenta, ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem veſtrum, & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti. Præcipe etiam vt tollant plauſtra de terra Ægypti, ad ſubuectionem,* &c. Sed notanda Gen. 45. 20. ſunt quæ ſubiicit verba: *Nec dimittatis*, inquit, *quicquam de ſuppellectili veſtra: quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt.* Vide quàm non aptè cohæreat ratio Pharaonis. Imò ſi omnes Ægypti opes Iſraëlitis donandæ ſunt, quid neceſſe eſt, vt omnem ſuam ſuppellectilem è valdè diſſitâ regione deferant? Profectò humanæ cupiditatis genius hîc apprimè declaratur, quæ tameſi *omnia bona, omneſque opes Ægypti* habeat, adhuc ſitiat vel paſtoritiam Chananitidis ſuppellectilem; nec Ægyptiacæ gazæ idolo contenta, adorat etiam ſuppellectilem Chananææ.

Qui æſtimat Ægypti opes, non dimittit Chananæas.

Oseæ 12. 7. 8. *Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit. Et dixit Ephraim: Verumtamen diues effectus ſum, inueni idolum mihi.* Pro *idolum* Hebraïcè eſt [illegible] *on*, quod propriè *iniquitatem* ſignificat. Vatablus & Arias vertunt, *robur*; LXX. *requiem*; Pagninus, *diuitias*; Chaldæus, *rapinam.* Ecce tibi diuitiarum idolum, vnum multiplex: & cupiditas opum Ægypti, non deſinit ſuppellectilem Chananææ concupiſcere. Cui opulentia pro idolo eſt, non exſatiatur Ægypti opibus; Chananæas etiam, etſi valdè tenues, & diſſitas, non negligit, ſed ardenter cupit *rapinam* quoque ambit, ſi opus eſt ad eas aſſequendas: & in laborioſâ auaritiâ *requiem* inuenire præſumit. Credite humani cordis idolum, vnum duntaxat non eſt, ſed vnum plura, aut multipliciter vnum. Vni quippe vitulo acclamant Hebræi: *Hi ſunt Dij tui Iſraël. Hanc dicunt Scriptura ſancta conſuetudinem, vt vnum idolum appellet multipliciter.*

§. IX.

Iudex meritò dicitur pius, quia iuſtus: & iuſtus, quia pius.

1. EST vitium puſilli animi inconſulta miſericordia ad ſpeciem alienorum malorum ſuccedentis. Itaque peſſimo cuique familiariſſima eſt, & indigna quæ in iudice reperiatur. Anus & mulierculæ ſunt, quæ lacrymis nocentiſſimorum nimis mouentur; quæ, ſi liceret, carcerem effringerent. Le-

Inconſulta commiſeratio, muliercularum agnata eſt, & viros dedecet.

Celada de Benedict. Patriarch.

mucula commiſeratio non cauſam, ſed fortunam ſpectat; clementia rationi accedit. Hæc inconſulta miſericordia vicina eſt miſeriæ. habet enim aliquid, trahitque ex eâ. Imbecilles oculos eſſe ſcias, qui ad alienam lippitudinem & ipſi ſuffunduntur. Ad omnium lacrymas muliebriter illacrymari, leuiculum eſt, & viro indecorum; ſicut ſemper arridere ridentibus, & ad omnium oſcitationem ipſum quoque os diducere. Non ergo immiſericordem idem & agreſtem iudicem opto, & efformo. Non eſt mollicula Iuſtitia, ſed ſaxea non eſt. Humana Iuſtitia hominem ſuum ſapiat: & rigores etiam dignós, quos legum ſeueritas præcipit, conſulta humanitas temperet: *Noli eſſe iuſtus multum*, Eccleſ. 7. 17. nec amuſſi exactior. Aliquid humanæ imbecillitati, legum importunitati, & occaſionum illecebris conniuendum eſt. Immerata Dei iuſtitia infra condignum punit, citra perfectionis infinitæ iniuriam. Sit ergo diuina Iuſtitia humanæ idea. Porrò ſæpè humanus Iudex, *Dum pietatem cogitat, crudelitate caruit: dum cauſam temperat, iudicium cuſtodiuit: dum vindictam differt, crimen euaſit: dum refugit damnatorem, fugit ſententiam*, dixit eleganter Chryſologus. Chryſolog. ſerm. 145.

Matthæi 1. Æſtuabat Ioſephi animus, vteri tumorem in ſponsâ cernens, & negotij nouitate percellitus: ſtabat ſponſa prægnans, ſed virgo: 2.
ſtabat plena pignore, ſed nòn vacua pudore: ſtabat de ſponſi ſuſpicione ſollicita, ſed de integritate ſecura: ſtabat veſtita materno munere, ſed non honore virginitatis excluſa. Sponſus quid faceret ad iſta? Accuſaret de crimine? ſed erat ipſe innocentiæ teſtis. Culpam diceret? ſed erat ipſe cuſtos pudoris. Vrgeret adulterium? ſed erat ipſe virginitatis aſſertor. Hæret ambiguus, quid conſilij caperet neſcius. Sed zelotypiæ calore exæſtuans, hoc capeſſit conſilium. *Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam.* Math. 1. 19. Sed dubium eſt, ad quod ex duobus membris refertur, illud, *cum eſſet iuſtus*, an quia Ioſeph erat iuſtus, noluit ſponſam traducere; an quia erat iuſtus, voluit occultè dimittere eam? S. Chryſoſtomus, & Theophylactus, qui τὸ *iuſtum* de propriâ & ſtrictâ Iuſtitia interpretantur, ad prius membrum referunt; vt ſenſus ſit: Quia Ioſephus erat iuſtus, totam legem, aut ſeuerioris legis apices piè omiſit; noluitque ſponſam ex lege traducere, ſed clàm dimittere. Quod eleganter his verbis dixit Hilarius: *Et actum hoc Ioſeph volentis eam abijcere? quia Iuſtus ipſe nollet in eam lege decerni.* S. Hilar. can. 1. in Matth. An quia Ioſeph erat iuſtus, ideò noluit in ſponſam lege decernere? Imò quia erat iuſtus, debuit legis apices ad amuſſim implere, & in eam lege decernere. Iuſtitiane legis rigorem impleri vetat? Minimè. Sed rigoroſam legis adimpletionem occultè moderatur: & quod pio magis conuenire videtur, quàm iuſto, ſæpè iuſtitiæ res eſt: quia aliquando legis minæ ad terrorem potiùs, quàm ad obſequium fulminantur: aut quia pietatis amore, nimius legis rigor opportunè temperandus eſt: adeò vt quodammodo ex iuſtitiâ, legis pœnaliſſimæ apices moderandi ſint, humaniori legis obſequio. Nam Ioſeph *quia iuſtus erat, noluit in eam lege decernere*, ac ſi pietas in mitigandâ pœnâ velut ex iuſtitiâ debeatur.

Ioſeph meritò dicitur iuſtus, quia pius: & pius, quia iuſtus.

3\. Pſalmo 32. ſic occinit noſter Orpheus: *Rectum eſt verbum Domini, & omnia opera eius in fide*, id eſt fidelia. *Verbum rectum* Ruffinus interpretatur diuinas iuſſiones. Pergit Dauid: *Diligit miſericordiam & iudicium: miſericordiâ Domini plena eſt terra.* S. Hieronymus non hîc vertit, vt LXX. interpretes; ſed pro *miſericordiam & iudicium*, tranſtulit, *Iuſtitiam & iudicium* צְדָקָה וּמִשְׁפָּט *tſedachah vmiſchpat.* Et, vt notat ibi Lorinus noſter, Hebraïcè peritus, *primum nomen tſedachah non raro pro* חֶסֶד *cheſed ponitur: & vice verſâ nomen iuſtitiæ v,urpatur pro miſericordiâ, vt aliquoties obſeruamus.* Idémne nomen (in ſanctâ linguâ cælitùs Adamo afflatâ) & iuſtitiam & miſericordiam ſignificat? Idémne eſt, cùm de diuinis præceptionibus agitur, diligit *iuſtitiam & iudicium*, ac diligit *miſericordiam & iudicium*? Sic iuſtitia diuina vices cum miſericordiâ reciprocat? Sic Dei iuſtitia velut imbuta eſt miſericordiæ laude? Belliſſimè S. Chryſologus hanc theſin alioqui verſans: *Penes Deum neque pietas ſine iuſtitiâ eſt, neque ſine pietate iuſtitia: cæleſti ſenſu ſine bonitate æquitas, ſine æquitate bonitas non habetur. Virtutes ſi ſeparatæ fuerint, dilabuntur: æquitas ſine bonitate ſæuitia eſt, & iuſtitia ſine pietate crudelitas.... Ergo meritò iuſtus, quia pius: & pius, quia iuſtus.* Argutè planè de more Chryſologus. Et hîc verſ. 1. cùm in mundi opificio largior & benignior Dei beneficentia proponitur, opportunè iuſtitiæ nomen auditur; & iuſtitiæ cognata miſericordia proditur, dum dicitur: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Hebraïcè, *Creauit iudices. Cæleſti ſenſu ſine bonitate æquitas, ſine æquitate bonitas non habetur.*

Ruffin. in Iſaiæ 55.
Pſal. 32. v. 5.
Lorin. ibi.
Hebræo nomine, iuſtitia eodem vocabulo ac miſericordia deſignatur.
Chryſolog. ſerm. 145.
Hic verſ. 1.

---

§. X.

Beneficium beneuolentiùs exhibitum, largitori perſæpè inſidiatur.

1\. FERIENTEN referire, initiatæ naturæ lex eſt; vulneranti verò parcere, & beneficiis iniuriam metiri, diuinæ legis elogium ſingulare. Verùm quò magis hominem beneficâ indulgentiâ largè promeruiſti, eò diligentiore cautelâ opus eſt: nam praua ingenia beneficium laceſſit, & beneficentia opulentior igniculos ingerit ad inuidiam. Caue tibi diligenter ab hoſte, quem iniuriâ affeciſti; ſed diligentior & ſolertior cautela adhibenda eſt erga hominem, quem beneficiis arctiùs deuinxiſti. Hiſpanè nouâ parœmiâ perhibetur: *Haz bien, y guarte.* Hic eſt fructus beneficiorum, quæ in homines beneficè collocamus.

2\. 1. Regum 24. Dauid pridèm vicerat alienigenam inermis, cùm in acie contra Goliath conſtitiſſet: metu regem Saül liberauit, priùs quàm ſeruitij iugum contribules experirentur, repulit; & exitus victoriæ fuit inuidia, periculum, cædiſque meditatio. Saül ipſe victoriam haud ſecus ac belli offenſionem dolet, & trophæum luget, & communem lætitiam deplorat, ac inſtitutam victoriæ causâ celebritatem per inuidentiam reputabat calamitatem. At cum in talibus Saul eſſet, & cædem Dauidis moliretur, ipſum Regis iras fugitantem inimicè perſequitur. In montis intrat ſpeluncam Saül vt ventrem expurget. Dauid verò vltionis occaſionem nactus, ſæuo parcit hoſti, ſociis refragantibus; & conceſſâ inimico vitâ necis ſuæ meditationem piè rependit. Inhumanus Rex amicam Dauidis benignitatem demiratus, illum adoptat in filium, blandâ filij compellatione, perpetuum amicitiæ fœdus cum eo humaniſſimè init, ſoſpitatem exinceps ex animo pollicetur. *Abijt Saul in domum ſuam: & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.* Res planè admirabilitate plena. Cùm rex Saül hoſtilitatis furiis actus, ſæuiſſimè Dauidem ad cædem perſequitur, Dauid fugitiuus errat in montibus, vbi ſe ſatis tutum putauit: at poſtquam vitam Saüli benigniſſimè conceſſit, & amicitias cum eo iniit, tunc *aſcendit ad tutiora loca.* Inimici venia, & amicitior beneuolentia inimicum placat, an potiùs irritat? Plus timet Dauid ab inimico tot beneficiis placato, quàm ab illo furioſâ hoſtilitate ſæuienti? Bellè mihi Pater Sanctus: *Dauid, & viri eius aſcenderunt in tutiora loca. Tutiora igitur quærit diuerticula; & relictâ terrâ, vbi laqueis eſt, & foueis opportunus locus, altiora conſcendit. Nunquam enim magis inimicus nocet, quàm cùm blanditur, cùm lætam oſtentat frontem, cùm de noſtris votis magis videtur eſſe ſollicitus.* Scilicet cùm hoſtis magnis obligatus beneficiis, nobis arridet & applaudit, tunc, tunc quidem oppidò diligentior cautela adhibenda eſt; quaſi noſtrâ beneuolentiâ exaſperetur, & noſtris beneficiis proritetur, & noſtrâ humanitate inhumaniùs deſæuiat. Quod luculenter docet Baſilius Seleucus: *Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca. Dauid*, inquit, *vel iniuriis appetitus, Saülis cuſtos erat. Pepercit & dormienti, & hoſtiliter ſe gerenti, & inuidentis curam habuit, & oſorem Gratiæ regimen ſecurus conſeruauit.* Et poſt pauca: *Dauid totus erat, vt oppugnantem conſeruaret: Saül, vt conſeruatorem perderet.* O hominum ingenium nefariè malitioſum, ſubdolum, implacabile; apud quos blandiora beneficia, dura ſæpè odia negotiantur inhumanæ hoſtilitatis arbitrio!

Dauid dum beneficentior eſt in Saülē, Saülem timidus fugit.
1. Reg. 24. v. 23.
Sanct. ibi.
Seleuc. orat. 16.

1\. Regum 19. Goliath ſtrenuo ictu peremptus fuerat, & Saül ab inuidentiâ ſaucius periculosè ægrotat. Dauid autem adeptâ victoriâ, lenitatem immenſam, ac morum felicitatem præ ſe fert. Iterùm enim rege Saüle Dæmonis furiis percito, & mente alienatâ; Dauid lyram, quâ medicinam faceret, retractabat, cantione vice medicaminis malum leniens. Nec quidem Dauid ſegniter lyram prehendit, ſed tamquam benemerentem curaturus properabat, & contra Dæmonem pſalmum excitabat in auxilium; verùm Saülis nequitiam non ſuperauit comitas. Carnifici haſtæ Dauidem tradere ſatagit, mucronis tyrannide vſus. *Porro Dauid pſallebat manu ſuâ. Niſúſque eſt Saul configere Dauid lanceâ in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul*, &c. Nimirùm verba ſunt Baſilij ad rem præſentem egregiè philoſophantis: *Paululùm à Dæmonis exitu leuatus Saul, & aduerſorum detersâ caligine in Dauidem, quem præſentem cognouerat, haſtam iaculatus, medicinæ* 3.

Saül medicinæ pretium cædem obtulit Dauidi.
1. Reg. 19. v. 10.
Baſil. orat. 15.

pretium

pretium cadem obtulit. Quo pacto, ô Saül, audes talia ? quid in te ipſum haſtam vocas ? Si Dauidem ſuſtuleris, quomodo Dæmonem perſequeris ? quid eum mori cogis, qui tibi vnicum ſalutis remedium ſupereſt ? Totus eſt Dauid, vt Saülem ſæuum ſui oppugnatorem conſeruet, & totus eſt Saül, vt Dauidem pium ſui conſeruatorem perdat, dum *medicinæ pretium cædem obtulit.* Quaſi Saul Dauidis beneuolentiâ exaſperetur, & Dauid beneficiorum pretio periculum emerit.

4\. Non eſt ſilentio prætereundus Moyſes, qui fluuij beneficio ſeruatus, vitam cùm deberet aquis, virgæ iterato verbere aquas cruentauit.

Baſil. Seleu. Orat. 9. Quod pereleganter expendit idem Baſilius. *Fertur,* inquit, *Moyſes expers periculi per fluenta contra inimici edictum ſeruatus. Dei verò*

Seruatrices aquæ verbere Moyſis tinchitat. *iuſſu infanti, cuius virgâ futurum erat, vt non multò pòſt ſecaretur & mare, flumius parcebat: infanti fluuius parcebat, cuius ipſe quoque virgâ percuſſus ſcaturigines in ſanguinem tranſmutauit.* Scilicet inſperata fluminis beneuolentia, contra ſe virgam atrociter armat; & aquarum fluenta repetito verberum vibice, ſpumant fluente ſanguine. *Haz bien, y guardate.*

Quot beneficia munificentior Dei largitas

Hic verſ.1. in homines erogauit, cælum & terram creando (quibus verbis omnia mundi alia bona compendio indicantur) tot velut armauit contra ſe tela, quæ hominum malitia aduerſus Deum ingratiſſimè vibrat. Heu, diuinæ bonitatis largitas, cur humanæ malitiæ expeditior occaſio ?

---

§. XI.

Regum faſtus ſæpè naturam deſueſcit, & Dei potentiam æmulatur.

1\. SCEPTRA hominem dediſcunt: & humanus Rex vltra humanitatis faſtum tumens, Numen ipſum de potentiâ ſæpè æmulatur, ea factitare

Exod.1.22. geſtiens, quæ cælo dūtaxat reſeruantur. Exodi 1. *Præcepit Pharaò omni populo ſuo, dicens: Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proijcite.* Quod ferale Regis edictum ſic expendit

Seleu. Orat. 9. eleganter Baſilius Seleu. *Quod Dei manus efformabant, Regis manus aquis oblitterabant, fluuius natorum ca*[illegible] *nifex conſtituebatur. Lex ſeruabatur, & natura mulctabatur. Paritura damnabantur, & partus explorabantur, natura quoque libertas ſpoliabatur. Fluuius partum inſidiis excipiebat, & matris aluo fluminis alueus ſuccedebat. Infantium iugulator erat fluuius, pariter & ſepulchrum, ac genitus morti tradebatur, ſtrageſque cum generatione concurrebat; quæque matres ad partionis vſque moleſtiam proceſſerant, genitrices fieri deprecabantur. Partus illis ante partum luctum pariebat, & poſt conceptum partumque ventres fructu priuari reperiebantur. Talis erat hominum cum Deo contentio.* Mox graphicè depingit Moyſen in ſcirpeà fiſcellâ feliciter fluctuantem, quem Regis filia bellum infantem miſerata, adoptauit in filium; & ita ſubdit: *Pharao qui parientes non ſinebat eſſe matres,*

Pharao parientes non ſinebat eſſe matres, & filia quæ non pepererat, dat eſſe matri.

ei quæ non pepererat, dat eſſe matri. Planè ſuperat humanum faſtigium, parientes non ſinere eſſe matres, & eius filiam, quæ nunquam pepererat, matrem facere. Naturæ legem Regis edictum violare præſumit, quaſi Regis potentia naturæ non naſcatur obnoxia.

Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu-Chriſti* 2.
Matth.1.1. *filij David, filij Abraham,* Vetus quæſtiuncula eſt, quare iunior Dauid ſeniori præponatur Abrahæ. Nam ſi ſanctitatis prærogatiua honoratiorem dat ordinis locum, quis cenſeat Abrahamum inferiorus eſſe meriti reſpectu ad Dauidem ? Ergo cum Hebrææ gentis radix & origo fuerit Abrahamus, non debuit filius poſtponi. Hugo Carenſis ſic dubium diſſoluit: *Dauid Abrahæ præponitur. Prior ponitur Dauid, quia regni dignitas eſt maior, quàm naturæ. Dauid enim rex eximius fuit.* Audis regiam dignitatem extolli ſupra ſublimitatem naturæ? Sic Reges dediſcunt naturam, & præſumunt ſupra naturæ faſtum ? Quid ſuperbis terrula & cinis ? Vna eſt omnium hominum natura, vnus mortalium omnium interitus. Sublimior generoſitas cadaueratur in nihilum, & cōtuâ cum ignobili vulgo morte funeſtè tumulatur. Delicatior vermium eſca, principatus eſt. Regni dignitas non eſt maior quàm naturæ: ſed naturæ ſubiecta, & ignominioſè vectigalis. Sola virtus ſupra naturam attollitur: hanc generoſè expete, & ob eam piè ſuperbire potes, diuinæ factus conſors naturæ.

Regum faſtus naturam dedoces. · Hugo ibi.

1\. Reg. 16. Reprobato Saüle, Dauid in Regem clanculùm inauguratur. Deſertum à Spiritu-ſancto domicilium, nequam ſpiritus occupat, & inteſtinus Dæmon Saülem exagitat. Acceſſitur Dauid, qui Dæmonem lyrâ excantet. *Igitur quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saül, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſuâ, & refocillabatur Saül, & leniùs habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Quaſi pſalmus & lyra arma ſint in Dæmonem. Dauid tantùm loquebatur, & hoſtis vincebatur; & lyræ melos velut telum iaciebatur in Dæmonem. Quis audiuit trophæum cantibus excitatum ? Perbellè ad rem præſentem reſpondet Baſilius. *Dauid loquebatur tantùm, & hoſtis vincebatur... Ne mireris ſi cum regno in Dæmonem quoque vires acceperit.* Vel contra infernales Tartarorum dynaſtas vires cum regno accipiuntur ? ô pulchram hyperbolen ! Sic ſuperbiunt ſceptra ? ſic ſinuoſo ambitu Purpura tumet · ſic armatas Dæmonum phalangas Regis nomen velut numen exanimare præſumit ?

3\. · 1. Reg. 16. v. 23. · *Cum regno vires in Dæmonem accipiuntur ?* · Baſil. Seleu. Orat. 14.

Sextidui opificium, belliſſimum planè diuinæ omnipotentiæ monimentum, his paucis verbis velut quibuſdam notis amplexus eſt Moyſes, vt interpretum plures commentantur. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Memini me legiſſe in Hugone notulam, quam fortaſſis ſupernacuā putabis. *In principio creauit Deus (non Rex) cælum & terram.* Quid neceſſe fuit addere, *Non Rex creauit cælum & terram?* (quorum etiam nomine, reliqua creaturarum turba continetur.) Quis poteſt creare niſi ſolus Deus ? Imò nec ante mundi creationem, præceſſerant Angeli, qui inſtrumentariam operam poſſent creationi nauare. Quis foret vſque adeò mentis inops, cui vel in mentem veniret, mundum ab aliquo Rege creatum

4\. · Hic verſ.1. · *Non Rex aliquis, ſed ipſe Deus mundum produxit.*

C 4 · fuiſſe ?

fuiſſe? Idne timet Hugo ab aulico adulatorum grege? an à cognato Regum fauſtu? Saltem non inidoneum iudicauit Hugo, vt notanter aduerteretur, quòd Deus ipſe, *non Rex* aliquis mundum produxerit.

5. 1.Reg.16. v.10.& 11. 1. Reg. 16. In domum Iſaï mittit Deus Samuelem, ignarum quem ex eius filiis vngeret in Regem. *Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele: & ait Samuel ad Iſai: Non elegit Dominus ex iſtis. Dixitque Samuel ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Et ait Samuel ad Iſai: Mitte, & adhuc eum. Miſit ergo, & adduxit eum. Et ait Dominus: Surge, & vnge eum: ipſe eſt enim.* Quæ verba ſic enucleat nuper laudatus Baſilius: *Et Rex erat Dauid prophetica manu ad regnum prouectus, & cæleſti approbatione dignitatem conſecutus; ſubitóque primus fratrum comperiebatur, qui poſtremus, ordoque naturæ cedebat gratiæ, & legis partus ſuccumbebat.* Audis Dauidem fratrum poſtremiſſimum, ſceptri priuilegio, violatâ naturæ lege, ſubitò primum omnium dici, & primogenitum acclamari? Fortè nupertimæ coronæ præſtigiis ſeniores fratres repueraſcunt, & puer Dauid iuueneſcit, aut à ſceptro ſeneſcit: nam *ſubitò primus fratrum comperiebatur, qui poſtremus.* Supra ætatem ius habere Reges præſumunt? Regum potentia annos ſecurare, ætates augere, aut minuere exambit? Ætatum arbitrium erit penes Reges? Heu ſæpè hæc, non ſpeculatiua, ſed practica perſuaſio electionis infelicitat!

Rex eſſe præſumis ætatū arbiter.

Baſil. Orat. 14.

---

§. XII.

Cæleſtis Beatorum gloria, adhuc poſt Thaboris viſionem, manet myſterium?

1. IN malis ſperare bonum, niſi innocens nemo ſolet. Qui autem temporalia bona facilè ſperat, multa mentitur ſibi: quod enim ſpe ſuſpicatur vigilans, ſomniat. Profectò mundialis boni ſpes, auara ſemper poſſeſſionis eſt; magnifica ſemper ſpondens; & minima; ipſaque ſordida largiens. E contrario autem ſpes diuina; adeò eſt voti ſui (vt ſic loquar) benè prodiga, vt munificentiora tribuat, quàm ſpondere videtur. Sic ſunt ſublimes res Dei! Sic eſt tenuis humanus captus ad percipienda diuina! ô homo, quid mundialibus bonis inhias, quorum mentitâ ſpe poſſeſſionem captas? Empyream cæli felicitatem ſpe ſuſpira, quæ humana vota amplitudine exuperat.

Spes humana multa mentitur ſibi.

2. Matthæi 17. Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, Apoſtolici collegij ſummates, & duxit illos in montem excelſum, vt montis faſtigium cælo vicinum, cæli gloriam feliciùs adumbraret. Confeſtim Chriſtus Deus coram diſcipulis transfiguratur, illuminatam induit veſtem, & ex humanâ formâ radij promicant, Olympiæque gloriæ imaginem in ſe præmonſtrans futuræ beatitudinis edidit ſpectaculum. *Erant Apoſtoli quidem* (ait Baſilius) *congruentes ſpectatores; oculi verò ut ſpes ſuas expandebantur, & animus cum reuerentia viſionis deſiderium producebat..... vt præmaturâ demeſsâ viſione, priora hæc in fidem futuri teneatis.* Ecce tibi Thaboris in Chriſto gloria, gloriam Beatorum in typo præmonſtrat. Verùm ſpectaculo exhibito, viſionem taciturnitate velare Apoſtoli iubentur: *Nemini*, inquit, *dixeritis viſionem.* Quare tantam gloriam mutuo diſſimulari ſilentio Chriſtus præcipit? An non è Chriſtianâ re foret, vt cæleſtis beatitudinis gloria in ſpecie præmonſtrata euulgaretur mortalibus, vt tanti boni cupiditas accenderetur? Belliſſimè Strabus Fuldenſis: *Nemini*, inquit, *dixeritis viſionem: ne gloria futuri regni præoſtenſa incredibilis eſſet.* Incredibilis foret empyrea Beatorum gloria in Chriſto Deo præoſtenſa? Tanta eſt fidei noſtræ ſpes, vt incredibilis videatur? Sic cælicolarum gloria humanum tranſcendit captum, vt humanis oculis propiùs ſpectata, *incredibilis* videatur? etiam poſtquam viſu quaſi cernitur cæli gloria, fidem ſuperat? Beatitudo cæleſtis, (quæ eſt præcipuum & maximum ſpei noſtræ obiectum) adeò auguſtè repræſentatur in imagine vt ſilentio diſſimulanda ſit, ne tanta gloria fidem ſuperans, *incredibilis* hominibus videatur? ô rem admirabilitate ineffabilem!

Cæli gloria in transfiguratione oſtenſa, non publicatur tunc, ne incredibilis videatur.

Seleu. Orat. 43.

Matth. 17. vers. 9.

Strab inibi.

3. Adhuc poſtquam beatæ gloriæ ſpeciem in gloriâ Thaboris ex reſſans oculis diſcipulorum exhibuit Chriſtus, ſic de eâ fatur Paulus, 1. Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi cognouit. Sed ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Adeò eſt ſublimis & auguſta Olympia Beatorum gloria, vt nec oculus viſu, nec auris auditu, nec mens cogitatu, eam, quantumuis animosè audendo, aſſequi poſſit. Vnde Paulus etiam poſtquam in tertium cælum raptus eſt, & indubiè nouerat in Thabore præmonſtratam, cæli gloriam loquitur *in myſterio.* Sed quid eſt, de beatitudinis gloriâ in myſterio loqui? Porrò viſio myſterium clarat; nec myſterium eſſe ſinit poſt viſionem. Quod eò vſque myſterium erat, accedente perſpicuâ rei viſione, deſinit ſpectatori eſſe myſterium, quando eſſe occultum viſione deſinit, & in aliud quoduis nomen tranſit, reſpectu ad videntem. Adhuc Paulus, adhuc Apoſtoli gloriam loquuntur in myſterio? Luculenter Baſilius Seleucus exponens illud Matthæi 17. *Aſſumit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos,* vbi cæleſtis gloriæ ſpeciem in gloriâ ſui corporis præmonſtrauit: *Viſa res hæc* (ait Baſilius) *vel poſt viſionem maneat myſterium.* Quid exaggeratius? Nimirùm tanta eſt ſupernæ beatitatis æterna felicitas, vt etiam poſtquam in Chriſti Dei corpore præoſtenſa Apoſtolis eſt, adhuc manet arcanè *myſterium*; & aliæ, atque aliæ Beatorum dotes nondum viſuntur oſtenſæ; ſed adhuc ſupereſt poſt viſionem myſterium abſconſum, abſtruſum, arcanum. Tantum enim eſt, tamque immetatè bonum, vt illud nullus mortalium oculus adæquè videat,

1. Cor. 2. v.7.8. & 9.

Viſa in Thabore gloria, adhuc manet myſterium.

Matth 17. v.1. & 2. Seleuc. Orat. 43.

4

deat, neque vlla auris dignè excipiat, nec mens vlla pro merito æſtimet, quousque è vita immortalitate, incomprehenſibili beatitudine ſinatur æternum perennaturâ. In hac vita, *Vtique res hæc vel poſt viſionem manet myſterium*: cùm immortalis mortalium animus impar ſit tantam gloriam pro dignitate æſtimare. Ergo ſpei manibus, aut mentis audentiori cogitatu, *Apprehende vitam æternam*: *non areſcamus viuentes ſucco radicis æternæ; ſicque ambiamus Dei regnum, quo modo ambiuimus ſeculi dignitatem*, ait moraliſſimè Paulinus.

Viuamus ſucco radicis æternæ, ne areſcamus. 1. ad Tim. 6. v. 12. S. Paulinus ep. 2. & 27.

Hic verſ. 1. Empyreum cælum, empyreæ gloriæ locus, nunc creatur, ſed quàm remotum, quàm vltra humanos oculos & captum! vt ſemper myſterium, quod etiam poſt viſionem in Thabore, *manet myſterium*.

---

§ XIII

Abſentia Iudæ, glorificationis Chriſti initium fuit: & nequam Angelorum è cælo eiectio, Beatitudinis compendium.

1\. Seneca ep. 10.

SOLITVDINEM quærit qui vult innocenter viuere. Sic eſt: fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum. Non inuenio cum quo te malim eſſe, quàm tecum. Fugiendum ergo, & in ſe recedendum eſt, imò etiam à ſe recedendum. Nam eſto, malignus conuictor rubiginem non affricet ſuam, intolerabilis eſt viro bono creber malitiæ aſpectus; quin & vnius vitioſi nomine totum deſcribitur contubernium, ſplendor infuſcatur, innocentia maculatur, virtus culpatur alienæ vitioſitatis elogio.

2\. Ioannis 13. Chriſtus Deus ſcius inſidiæ proditionis, quam Iudas clãculùm cum Scribis & Phariſæis moliebatur; poſt cœnam dixit ei: *Quod facis, fac citiùs.* Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium ad quid dixerit ei. Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuo. *Cum ergo exiſſet, dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo.* Quid eſt, quòd Iudæ abſceſſu clarificatur Chriſtus Deus? Annon etiam præſente Iudâ, & inter diſcipulos commorante, ſatis præclarus erat, qui erat ſplendor Patris, & ſplendidus eiuſdem nitor? An Iudæ contubernium Chriſti, & Apoſtolorum offuſcabat claritatem? Annon ſatis illuſtris erat Dei Filius ante abſentiam Iudæ? Fortaſſis abſcedente Iudâ, præluſtri aliquo honore, è cælo nobilitatur Chriſtus? Quodnam fuit hoc tantum, tàmque præcelſum decus? Peregregiè Origenes inibi ſic fatur, expendens præfata Ioannis verba: *Cum ergo exiſſet Iudas; dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis. Poſt euenientia* (inquit) *ex prodigiis, necnon ex transfiguratione præconia, initium glorificandi filii hominis fuit exitus Iudæ à loco vbi morabatur Ieſus*: Profondè quidem Origenes! Nempe Chriſtus Deus tot vbique patratis prodigiis, & nouâ è cælis allatâ poritiâ, magnam ſui admirationem fecerat, celebri Hebrææ gentis plauſu: in Thaboris vertice Empyreis cæli veſtibus ſplenduit, & clarâ voce Patris Dei dilectus Filius palàm renunciatur: quid Chriſto deeſt ad famæ auctarium, & gloriæ cumulum? *Imo poſt euenientia ex prodigiis, necnon ex transfiguratione præconia, initium glorificandi filii hominis fuit ab exitu Iudæ à loco vbi morabatur Ieſus.* Glorioſa miracula patrat Chriſtus, ſed non ſatis glorificatus eſt Ieſus; quia adhuc eſt Iudas in eius contubernio. Cæleſtem Chriſti doctrinam admiratione celebrat mundus, ſed necdum ſatis clarificatus eſt Ieſus; quia in eius familia adhuc Iudas cenſetur. In Thabore & Iordane coram Prophetis & Apoſtolis, inſolenti cælorum rupturâ Pater Deus diuinam Chriſti filiationem è nube intonat; ſed adhuc non ſatis clarificatus eſt Chriſtus; quia in eius collegio adhuc Iudas numeratur. Cum autem abſcedit, & Ieſuanæ Societatis exgrex fit, ſic Ieſus cum ſuis exinde glorioſus extulſit, vt *initium clarificandi filii hominis fuerit ab exitu Iudæ à loco vbi morabatur Ieſus.* Sic vel vnus nequam totam communitatem aut opinione deprauat, aut prauitate infuſcat? Sic reliquorum gloriis detrahit vnius malitia? Sic ex vno cenſentur omnes? *Initium glorificandi filii hominis fuit ab exitu Iudæ à loco vbi morabatur Ieſus?* Infamis proditoris Iudæ abſceſſio, fuit felix Ieſuanæ gloriæ inchoatio?

Origenes ſeſe de Origene. 3. — Ioan. 13. v. 31. *Initiũ Chriſti glorificandi fuit Iudæ exitus.* — Orig. tom. 32.

Hic verſ. 1. Cælum Empyreum creatur, nec habitatoribus vacuum; Angeli enim in mundi initio creati ſunt cum cælo & in cælo: & eadem primâ die ſimul cum terrâ in eius viſceribus infernus effoſſus eſt. Nam poſt breuem ſuæ creationis morulam, factum eſt prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: *Et non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum ampliùs in cælo.* Et proiectus eſt draco ille magnus, qui vocatur Diabolus, & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt. Et quidem vſque adeò concitatâ præcipitatione, vt Angelos apoſtatas viderit Chriſtus quaſi fulgur è cælo cadentes. Eccur tàm citò è cælo eiiciuntur in terras cauernas præpropere illis in terrâ preparatas? Sic feſtinatè à cælo excluduntur, & à beatorum eliminantur conſortio? Quid timet Deus, ne in reliquos Angelos, eiuſdem naturæ participes, etiamnum beatos, malitia ſerpat? An præcauet ne ſaltem Empyream cæli gloriam malorum præſentia deuenuſtet? Notanda ſunt pulchra S. Auguſtini verba, quibus illam Chriſti ſententiam expendit: Cùm ergo exiſſet Iudas, dixit Ieſus: *Nunc clarificatus eſt filius hominis.* Auguſtinum audis: *Ecce in illâ meâ glorificatione quid erit, vbi malorum nullus erit?* Quaſi dicat: Vis noſſe compendio beatas cæli glorias, quibus Beati perpetuò perfruuntur? Imò Chriſti Dei glorias ſi cupis pernoſcere, & quãtâ corporis & animæ glorificatione in Olympio cæli ſolio ad Patris Dei dexteram Chriſtus ſedeat, agminibus Beatorum glorioſè ſtipatus: *Ecce in illâ meâ glorificatione quid erit, vbi malorum nullus erit?* Adeò vt ac ſi parùm foret, confeſtim malos inde eiectos, & fulguris ad inſtar cecidiſſe; *neque locus inuentus eſt eorum ampliùs in cælo.* Quaſi non tantùm Angelus quiſque nequam ſtatim è cælo excluſus ſit, ſed eorum etiam locus euanuerit, vt non modò

4\. *Hic v. 1. Malorum abſentia, compendium Beatitudinis eſt.* — Apocal. 12. v. 18. — 5. — Auguſt. tract. 63. in Ioann.

modò in cælo non ſint, ſed ac ſi fieri poſſet, vt in cælo non fuiſſent, qui in cælo creati ſunt; *neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo.* Quid exaggeratius? Ecce in illâ cæli gloriâ quid mali non aberit, quid boni non erit, *vbi malorum nullus erit?* Vnde cùm è ſuo collegio exiſſet Iudas, dixit Ieſus: *Nunc clarificatus eſt filius hominis.*

§. XIV.

Niſi homo cælo, tanquam baſi nitatur; & niſi illuminetur cæli lumine, labaſcit, & caligat egregiè.

1. VIVAT in quacumque terrarum parte cognata proximitas, etiam ſequeſtratione corporum neceſſitudinis catena non rumpitur. Hominis caro è terræ figulatur, limo, exinde cognatam terram redolet, terram ſapit. Animus verò, quem Dei ora ſpirarunt, ex diuina reſpiratione velut ex generosâ matrice extat. Hinc è cælo oriundus, cælum fragrat animus. Ecce homo, monſtrum prodit naturale, partim ſpiritus, partim caro: meliori ſui parte, è cælo; inferiore ſui portione, è terra procreatus. Inde paſſionum tumultus, affectionum rixæ, appetitionū pugnæ in humani cordis palæſtra exhibentur; inde rationis lumen, natalis limi puluere infuſcatum, terrena videt, lippus ad cæleſtia, & cælum auerſatus, terrena ſectatur, terrena ſapit. At niſi cælum ſapiat, totus errat & perit homo, terræ obrutus naufragio. O citiùs emerge, & cælum ſpecta, cælo innitere, cæliique rationibus vtere, ne terrenis affectibus humanitas tota depereat.

Homo è ſpiritu & corpore coagmentatus, naturale monſtrum eſt.

2. Hic verſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Ambroſius ex Baſilio, Procopius ex Baſilio & Ambroſio, Cælum & Terram vocant, *Baſes quaſdam vniuerſi.* Ecquis huius ſententiæ nouitatem non valdè admiretur? Cælúmne dicetur *baſis*, an potius culmen, quod fornicato opere, mirâ fulgorum varietate diſtinctum, huic magnæ hominum domui Deus affabrè ſuperpoſuit? Microcoſmi, id eſt, hominis, *baſis*, erit cæli faſtigium? Profectò, ſicut humani corporis *baſis*, Terra eſt quàm pedibus calcamus; ſic humanæ mentis *baſis*, cælum eſt, per quod mentis veſtigiis ambulamus. Niſi humana mens cælo, tanquam *baſe* innitatur, nil eſt in homine firmum ac ſtabile. In cælo, in re cæli, in rationibus quæ cælum redoleant, quæ cælum ſpirent, quæ cælum ſapiant, fundatur humanitas tota. Cælum eſt animi *baſis*, & morum ſubſiſtentia. Pedes terrâ nituntur, & terrâ velut fulcro ſuſtentantur; cæleſtis animus, & mens è cælo oriunda, cælo non tam pro culmine, quàm pro *baſi* vtatur. Humana ratio, quæ terram ſapit, & cæli fulcro deſtituitur, planè labaſcit, & in matricem puluerem vltrò ſoluitur. O friuolas hominum rationes! ô caducas ſpes quas cælum, tanquam animi *baſis* non fundat!

Hic v. 1. S. Ambroſ. Procopius. ibidem.

Cælum, etſi culmen ſit, baſis eſt mentis humanæ.

3. 1. Reg 3. Summus Hebræi populi Pontifex Heli, in Dei tabernaculo de more cubabat, pias agens diuini cultus excubias; ſacratio pro cubili vtens, vſurâ pietatis. *Factum eſt ergo in die quadam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Ita hunc locum (nuper petitè correctum) Biblia antiqua excripſerunt, & ex iis Eucherius, Rabanus Maurus, Dionyſius Carthuſianus, & alij. Non leue faceſſit interpretibus negotium huius loci ſententia. Quid eſt, quòd Heli ſacerdos, extinctam videt lucernam, quam fulgentem videre non poterat? ô malignum aſpectum, ad accenſam lucem cæcum, ad lucem extinctam peruersè oculatum! Angelomus Benedictinus, vetuſtus auctor, & acerrimi vir ingenij, ita præfatum locum commentatur. *Præ nimia* (verba ſunt Angelomi) *ſenectute oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, cùm arderet in tabernaculo, antequam lux diurna fieret.* Scilicet Heli ſummus ſacerdos, nocturnam non videt lucernam, quouſque clarâ cæli luce eam valeat intueri. O rem in paucis inſolentem! Profectò cæli opulenta lux, lucis inopes lucernas noctium, non accendit, ſed extinguit, & vberioris claritatis iubare præclarè offuſcat. Lucerna noctis clarabitur diei luce, vt eam poſſit ſacerdos intueri? Fruſtrà lucernatur dies, perperàm dies iuuat noctis lucernas, quas peruerſo iuuamine potiùs interſtinguit. O boni Sacerdotis oculos de cæli lumine oculatos, de cæli ſchola piè eruditos, de cæli collyrio perſpicaces! Bonus Heli, ſub- 4.
cæleſtem ſeu nocturnam non eualet videre lucernam, niſi cæleſti claratam lumine. Ad nocturnam lucem cæcus eſt, quouſque cæli luce inoculetur ad viſum: ô oculos de cælo eruditos, qui videre neſciunt, niſi quod cæli illuſtratur fulgore! Præclarè caligant ad noctium lucernas, donec de cæli ſplendoribus præclariùs accendantur. Non latuit Angelomum ex cap. 27. Exodi, lucernam totâ nocte in Tabernaculo accenſam, manè extingui, exorto Sole. Inde tamen non langueſcit huius expenſionis vigor. Porrò adſimili admiratione dignum eſt, Heli ſacerdotem, non eualuiſſe nocturnam videre lucernam, quouſque manè extinctam, lucis diurnæ beneficio eam cernere potuiſſet. Eccur enim nocturno ſplendore fulgentem non potuit videre lucernam, & ipſam iam extinctam, & cæli lumine accenſam, clarè videre poterat? Sed de hoc aliàs vberius.

1. Reg. 3. 2. & 3.

Eucher. Rabanus. Carthuſ.

Subcæleſtis lucerna, niſi de cæli lumine non videtur.

Angelomus ibi.

Exod. 27. 21.

§. XV.

Terra, réſque terrenæ, virium languorem aut inueniunt aut faciunt.

1. NVLLVM habuit maius malum creatus homo, quàm quòd licet flatu Dei conſtiterit, animam ſortitus Angelicæ naturæ æmulam, tamen de *limo terræ* figuratus & coagmentatus eſt. Exinde bonis ſuis obſeſſus naſcitur, limo gratiæ inſidiante, & imbecillitaté clanculùm procurante. *An aliud prius vel magis audias ab hæretico quàm ab ethnico? & non protinus, & non vbique conuitium carnis*

Caro à matrice terrâ imbellis naſcitur.

Tertull. l. de Reſur. carn. c. 4.

carnis, in originem, in materiam, in caſum, in omnem exitum eius; immunda à primordiis ex fecibus terræ, immundior deinceps ex ſeminis ſui limo, friuola, infirma, criminoſa, oneroſa, moleſta? & poſt totum ignobilitatis elogium, caduca in originem terram, & cadaueris nomen, & de iſto quoque nomine peritura in nullum inde iam nomen in omnis iam vocabuli mortem? Hucvſque Tertullianus. Nec mirarer, hominem è terrâ conflatum, cognatâ ſui limi imbecillitate infirmari. Aſt ea eſt terræ imbecillitas, vt robuſtiſſima quæque ſuo imbecillitatis attactu aut propinquitate potenter eneruet. Nimirum ipſa de ſuo imbellis & impotens, ad hoc vnum potentiſſima eſt, vt vel vicina quæque creata, quantumuis potentia & valida, potenter exanimet, infirmet, elumbet, ſuæ imbecillitatis ſerpente contagio: quæ huius paragraphi theſis erit.

1\. Dan. 2. 31. Danielis 2. ſic ipſe præſagâ mente ad Nabuchodonoſorem fatur: *Tu rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis: ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Quid robuſtius? Quid valentius hâc ſtatuâ ex adamantinis conflatâ metallis, & per quam quadruplex potentior Orbis Monarchia, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & tandem Romanorum, exprimitur? Audi quid Daniel ſubnectat: *Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter, ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nulluſque locus inuentus eſt eis.* Ecce tibi prævalidam ſtatuam, è ſolidioribus compactam metallis, exiguus quidam lapillus, ſine vi cuiuſpiam, aut artificio, lenis duntaxat auræ motu, velut vltrò abſciſſus aut ſolutus; dum in terreos vaſtæ & ferreæ illius molis digitos impingit, illam diſſoluit atque comminuit. Eſtò, (quia *ferrum miſceri non poteſt teſtæ*) terreo cedit,

[Margin: Teſtacei pedes ferreæ ſtatuæ, ſolidiora à ſe ipſis metalla, & redigunt in pulverem.]

Ibid. 41. plantæque ferreæ annexi ſint fictiles pedum digiti; in quos exiguus ille ſcrupus impactus, priorem illam ſtatuam demolitus ſit; quo pactò, tantuli ſcrupi inualida vis potuit conterere pariter *ferrum, æs, argentum, & aurum, & redigere quaſi in fauillam æſtiuæ areæ?* ſic terræ affinitas vel ſolidiora metalla debilitat & frangit? ſic in vagum puluerem ſoluit, & in nihilum redigit? ſic languent validiora metalla à pulueris confinio? tam languidam imbecillitatem exhalat terræ vicinia? An aliud priùs aut magis audias, & non protinùs, & non vbique rei terrenæ conuicium, *in originem, in materiam, in caſum, in omnem exitum eius, friuola, infirma? & poſt totum ignobilitatis elogium, caduca in cadaueris nomen, & de iſto quoque nomine peritura in nullum inde iam nomen, in omnis iam vocabuli mortem?* Sic facilè quadruplex Orbis potentior Monarchia, velut adamantinis compacta metallis, ab exiguo terræ adhærentis puluere, nutat, ſubruitur, corruit, & vltrò perit in nullum iam inde nomen, & omnis iam vocabuli mortem? Tantam rei terrenæ vituperationem nulla laudatione depelles.

[Margin: Tertull. vbi ſuprà.]

Hic verſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Pro verbo *creauit*, Hebraïcè habetur בָּרָא *bara*, quod inibi Oleaſter vertit, *ſeparauit*, aut *diuiſit*. Idemne eſt, *creare* cælum & terram, ac cælum à terra *diuidere*? ſeparatione à terrâ, cæli natura conſtat? Scilicet non tam dicitur creari cælum, cùm reapſe *creatur*, quàm dum ſeparatur à terra inani, vacuâ, ſordidâ, friuolâ, ſqualenti. Quaſi ſublimior cæli natura non tam mereatur præluſtre cæli elogium, quando creatur, & cælum eſt, quam dum *ſeparatur* à ſordidæ telluris ſocietate. Sic languet cæli vocabulum à terræ confinio? Ita ſeparatione à terrâ cæli conualeſcit elogium? ô quiſquis ambis eſſe cælum, fuge ſqualentis terræ contubernium, quod afficiat terrenæ imbecillitatis contagia. 3.

[Margin: Cælum non dicitur quouſque à terra, paretur. Hic v. 1.]

Geneſ. 32. cum pauido & inermi Iacobo, humanâ ſpecie verè luctatur Dei Angelus: hinc inde ſtrenuè diu certatum eſt. Angelus autem, *cùm videret quod eum ſuperare non poſſet, dixit ad eum: Dimitte me.* Vnde Angelo in humanâ effigie colluctanti, tanta adiunt ſpeciei terreni imbecillitas, vt inducias petat, & ab imbecilli homine *dimitti* expoſcat? Pulchrè Tertullianus: *Colluctatus quoque homini Angelus toto corporis pondere dimitti deſiderauit, ab eo à quo detinebatur.* Aſſuta potiùs quàm aſſumpta humanæ corpulentia, ſic Angelum velut degrauat, vt ipſe non adſuetus terreno amictui, *toto corporis pondere dimitti deſiderauerit, ab eo à quo detinebatur?* Sic vel ab apparenti terreno corpore velut degrauari dicitur ſpiritalis Angelus? ſic viribus languere videtur ſub humanâ ſpecie, cæleſtis militiæ nobilis ſtrategus? ſic terrena effigies præpotentem Angelum non adſuetum eam geſtare, quaſi infirmaſſe & debilitaſſe dicitur? Hac Tertulliani hyperbole eleganter hominibus intimatur, quàm ſit de ſe infirma & languida, terrena ſubſtantia. 4. Geneſ. 32. 25

[Margin: Angelus infirmatur ſimul terreno corpore apparenter aſſumpto. Tertull. de Carne Chriſti, cap. 3.]

Matthæi 9. *Ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero.* O animoſæ fœminæ fides, ſpe maſculâ ſupra fœminam audax! vel Chriſti fimbriam medicam putas diuturno languori curando? Eleganter Baſilius Seleu. *Mulier proprio ſanguine inundans, inteſtino fluctu mergebatur: at ſolo fimbriæ tactu ſiſtit imprudens naturæ tempeſtatem.* Quare dicitur, quòd pia hæc mulier, confidens Ieſuanæ fimbriæ attactu fluxū ſanguinis cohibere, *ſiſtit imprudens naturæ tempeſtatem?* Nec veriſimile eſt, τὸ *imprudens* ſignificare, ſe inſciam, inſperatam & inquæſitam ſanitatem adeptam fuiſſe; *Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero.* Cur ergo *imprudens* dicitur hæc femina, cuius animoſa fiducia in fimbriæ tactu ſolerter ſanitatem quæſiuit, & fidenter inuenit? An quia vim patrandi miraculum fore præſumpſit in eâ Ieſuanæ veſtis parte infimiſſimâ, quæ terræ vicinior eſt; quæ tangit terram, terramque verrit puluerulento ſyrmate? ô elegantem exaggerationem! Scilicet, prudenter hæc mulier ex contactu Chriſti, aut eiuſdem veſtimentorum, ſanitatem expectaret; at dum ſalutem piâ fiduciâ quærit in fimbria, terræ attactu puluerulentâ, ob animoſioris fidei piam 5.

[Margin: In Ieſuana veſte fimbria imprudenter virtus quæritur. Matth. 9. 20. Baſil. Seleuc. Orat. 35.]

andaciam,

audaciam, dicitur, ſtitit velut *imprudens naturæ tempeſtatem?* Porrò quis quidpiam grande, & naturæ vires longè excedens, è terra, téque terræ proximâ, terram verrere aſſuetâ, prudenter expectaret? Putaret fortè quiſpiam, non eâ fiduciâ pollens, quod quantum Chriſti fimbria virtutis mutuauit, quia Chriſti res erat, tantundem perdidiſſet, quia terræ confinis eſt, & terrenis ſordibus inquinata. At mulier hæc pie velut *imprudens*, generoſâ quadam religioſæ quaſi temeritatis audaciâ, in fimbria vim miraculi quærit; in fimbria diu quæſitam ſanitatem inuenit: & pulueruIentæ Chriſti fimbriæ de auguſtiori virtute audacter gratulatur.

---

§. XVI.

Vltra perfectionem audet virtus, piâ ambitione merendi?

1. Senec. ep. 71.

STOICORVM opinio eſt, (paradoxon potius dixeris) virtutem numeros ſuos non habere: *Vnum bonum* (aiunt) *quod honeſtum. Hoc nec remitti, nec intendi poſſe; non magis quam regula, quâ rectum probari ſolet. Quam ſi flectes, quidquid ex illâ mutaueris, iniuria eſt recti. Idem ergò de virtute dicemus, & nec recta eſt. Flexuram non recipit, rigida eſt, amplius intendi non poteſt.* Planè fallitur Philoſophorum diſertiſſimus & moraliſſimus; nam virtus numeris ſuis plena eſt. Quin & ſuperplena, cùm vltra perfectionis plenitudinem, neſcio quid noui incrementi recipere piè exambiat, velut exundanti perfectionis auctario. *Studio pietatis vel vltra vires audendum*, ait Philo.

Philo l. de Mundi opifi.

2. Geneſ. 2. 1. & 2. *Poſt completionem cæli & ſui ornatus, adhuc vlterior completio piè ambitur?*

Geneſis 2. totius opificij diuini anacephalæoſim his verbis auſpicatur Moyſes: *Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorũ. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat.* Bella hinc naſcitur quæſtiuncula, quæ alterutrum ex altero redarguit: Porrò, ſi dixerat Moyſes, Deum perfeciſſe cælum & terram, & omnem eorum ornatum, quid poſtmodum addit verbum *Compleuit?* Si cælum & terra, (non materiata duntaxat, ſed etiam myſtica) & omnis ornatus eorum *perfectus* erat die ſextâ, quid in hac ſeptima die perficit, & denuò *complet?* Num omnis humana & mundana perfectio vltra ſummam perfectionem adhuc capit vlteriorem ornatum, & nouæ inhiat perfectioni? Perfectior virtus, etſi numeris ſuis plena ſit, quaſi necdum exſatiata, adhuc celſiora expetit, & anhelat vlterioris perfectionis complementum? Nil perfectæ virtuti ſatis eſt? ô inexplebile quorumdam virtutis votum, vltra poſſibilia audax, nec ſatis impoſſibilibus metatum! Quiſquis inſtar cæli, perfectus eſt, etſi perfectus ſit omnis eius ornatus, quaſi vacuus virtute foret, adhuc nouam completionem ſuſpirat! ô virtus, quæ perfectæ humilitatis vacuitate plena, ac ſi inanis foret, nouum complementum piè præſumit!

Math. 5. 48.

Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Studio pietatis vel vltra vires audendum.

Matthæi 18. Chriſtus Deus è cæli ſcholâ plura docuerat de iniuriarum veniâ: tunc Petrus non immemor, ſe, & reliquos Chriſti diſcipulos, Phariſaicâ inuidiâ ſæpiùs infeſtari, ſic diſcipulus Magiſtrum interroget: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties? Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Non adducar vt ſubſcribam his, qui, *ſeptuagies ſepties* ad ſummam numerorum redigunt, & quadringentis nonaginta vicibus interpretantur. Quid ergo eſt, *ſeptuagies ſepties* offenſori parcendum eſſe? Sapienter de more Hieronymus ita cõmentatur hunc locum: *Intelligendum eſt ſeptuagies ſepties, id eſt, ... vt toties peccanti fratri dimitteret, quoties ille peccare poſſet.* Ac ſi Chriſtus dicat, dum ſummam Chriſtianæ perfectionis edocet, O Petre, (quem mei ſucceſſorem, & Eccleſiæ meæ arbitrum conſtitui) ſatis tibi videtur ad perfectionem, *ſepties* offendenti offenſas remittere? imò nec ſatis eſt ſummæ perfectioni, tantum offenſori remittere, quantum ille temerariâ audaciâ deliquerit, ne anguſtè Chriſtianiſmi mei virtutem metêris; toties dimittendum eſt, *quoties ille peccare poſſet.* Ne his contentus inimicis condonare quicquid in te ſcelestè delinquunt: ne anguſtioribus terminis virtutem circumſcribas; non tantùm reipsâ exhibitas, ſed poſſibiliter etiam exhibendas condona, ad virtutis redundantiam. Satis tibi videri poſſet, illatas iniurias omnes remittere, quod perfectæ virtutis eſt, & conſummatæ pietatis; ſed vltra perfectionem adhuc aude, & vltra perfectionem, vlteriùs perfectionis complementum piè præſume. Nam poſtquam perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum, adhuc *Compleuit Deus opus ſuum quod fecerat.* Itaque & tu dimitte quoties peccauerit, ſed etiam *quoties peccare poſſet*, quò Chriſtiana virtus quodammodo immetata oſtendatur. 3.

Math. 18. 21. *Chriſtiana virtus quodammodo immetata eſt.*

S. Hieron. in Comment.

Geneſeos 2. poſt abſolutum ſexidui opificium, ſic ſcribit de Deo Moyſes: *Et benedixit diei ſeptimo .... quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret.* Grande interpretibus negotium faceſſit huius ſententiæ clauſula. Pulchrè Rupertus: *Et notandus* (inquit) *loquendi modus, dum dicit, quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret. Ergone priùs creauit quod poſtea faceret? Planè ita eſt.* Planè ita eſt: imò planum & apertum eſt, quòd ita eſſe non poteſt. Bonus aliàs Theologus Rupertus, non benè hìc philoſophari videtur. Priúſne Deus rem creat, & poſtea eandem facit? Quo modo poteſt denuò fieri, quod iam creatum præceſſit? Puto, qui ita operatur, actum agit. Quid ergo eſt, *Ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret?* Scio ad litteram, eſſe Hebrææ linguæ vulgarem idiotiſmum: ad mores verò non idoneè licet ad thema præſens inde velitari. Porrò dum omnes creaturæ (quæ cæli & terræ nomine continentur) perfectæ, & cum omni ſuo ornatu, creatæ ſint completione, quæ ex propriâ virtute eſt; adhuc perficiendæ proſtant. Adhuc diuinioris gratiæ officioſitas vlteriorem perfectionem procurat. Nam etſi perfecti ſunt cæli, & omnis ornatus eorum, adhuc *compleuit Deus opus ſuum quod fecerat. Omnia creauit Deus vt faceret:* nã poſtquam perfecta, 4.

Geneſ. 2. 3.

Rupertus. ibidem.

Creaturas, quas creauit Deus, adhuc facit?

& cum omni ſuo ornatu creata ſunt, adhuc complementum quod faciat, ſupereſt. Nil perfectionis adeptæ piam ſiſtit ambitionem: quia nihil perfectæ Virtuti ſatis eſt; quæ quò perfectior eſt, eò actuoſiùs vota vltra poſſibilitatis metam piè iacit, merendi auaritiâ. Perfectas, & cum omni ſuo ornatu creaturas, adhuc perfectiores eaſdem facit Deus, qui eas hîc *creauit vt faceret. Studio pietatis vel vltra vires audendum.*

Hîc v. 1.

---

§. XVII.

Ante perſonam, perſonæ ſæpè auditur infamia; aut ingenio detractionis, aut caſtigationis arbitrio.

1. BONÆ opinionis cenſus ab alieno nutu dependet. Non æſtimatur res nuda, ſed opinione & ſermone aliorum veſtita: aut exculto beneuolentiæ ornatu ſplendens, aut ſordido detractionis ſqualore turpis. Quod fit aut ingenio ambitionis, aut inuidiæ arbitrio, aut maleuolentiæ ſtudio, manante famâ per linguarum & aurium ſæpè ſordidos & pertuſos canales. Nec valde miraret, cum perſonâ vitium perſonæ latè ſerpere; at miriſſimum eſt, ante hominem hominis audiri vitium, præproperâ dehoneſtamenti vſurâ, quæ homini præcurrens, priùs diffamiam intimat, quàm perſonam. Heu ante rem rei defectus auditur, increbreſcit, propagatur, & infamia perſonam præcurrit! Theſis hæc ſubiectis probationibus magis clarabitur.

Fama perſona, perſonam anteuertit.

2. Hic verſ. 2. poſtquam dictum eſt, in primo rerum exordio Deum creaſſe cælum & terram, confeſtim ſubdit Moyſes: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Benè eſt, priùs creata terra dicitur, & poſteà eius vitium attexit; erat tunc, inquit, terra inanis, vacua, incompta, inuiſibilis, & incompoſita. Sed quid eſt, quòd cùm nulla præceſſerit creationis *abyſſi* mentio, addit: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*? Obſcura & tenebroſa dicitur abyſſus, antequam audiamus creationem abyſſi? Turpe obſcuritatis elogium rem ipſam præcucurrit, & accidentarium dehoneſtamentum abyſſum anteuertet? *Cùm de aquarum opificio nihil dixiſſet, ait: Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, notat belliſſimè Chryſoſtomus. Nimirùm hoc ſymbolo Moyſes humanos perſtringit mores, & in elemento inſenſili exprimit, quod peracerbum exprimit hominum ſenſum. Vel terra ipſa contemptui & tolerantiæ adſueta, priùs inducitur, poſteà eius inanitas culpatur. At quid antequam ſit abyſſus deliquit? Ante eius nomen, ſui nominis obſcuritas intimabitur? Rei ipſius notitiam, ipſius rei prætibit defectus, præcoquâ famâ? Heu quot res, quot homines ex eorum vitiis prænoſcimus, humanâ maledicentiâ eorum aut notitiam aut ortum præcurrente!

Hîc v. 2.

Ante abyſſi opificium, abyſſi auditur obſcuritas.

S. Chryſoſt. ibi.

3. Putauerim, hoc abiectiſſimæ humilitatis dehoneſtamentum vltrò affectaſſe Matthæum, de teloniario Apoſtolum, de publicano Euangeliſtam, officioſitate merendi. Poſt ſanatum paralyticum ſtupendo miraculo, tranſit inde Ieſus, vt aliud verbo edat, & oculis videat ſublimioris gratiæ miraculum. *Et cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.* Stupeant alij occultam ſiderei vultus efficaciam, quæ Chriſti tranſeuntis adnutu Publicanum attraxit. Alij mirentur velut inconſultam conſultiſſimi obſequij ſequelam, quâ vel vno Chriſti verbulo ceſſit. Ego verò cum Hieronymo admirabor profundè excelſam Matthæi humilitatem. *Cæteri,* inquit, *Euangeliſtæ propter verecundiam & honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, ſed dixerunt, Leui. Duplici enim vocabulo fuit. Ipſe autem Matthæus Matthæum ſe & publicanum nominat.* Teneo ex Hieronymi commentario, his verbis expreſſam altam Matthæi humilitatem, quâ ſe prodit & dehoneſtat vulgato Matthæi nomine, exactione tributorum auaro, inuidioſo, infami; quod ceteri Euangeliſtæ honoris causâ erubuerunt. Sed ductu Hieronymi aliam etiam præceſſe abiectionis arcanam notam expendamus, in illis ſuis verbis inſculptam: *Vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Scilicet parùm foret Matthæi humilitati ſe non palàm prodere minùs noto *Leui* vocabulo, ſed notiori Matthæi appellatione; niſi etiam priùs ſe ex teloniarij nomine infeſto, infami, auaro, & crimenoſo notaret, quàm vulgatiſſimum Matthæi nomen ſcriberet. Non dicit Matthæum in telonio ſedentem fuiſſe allectum Chriſti collegio, ſed *hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* O bonam humilitatis ambitionem! Hominis infamia hominem præcurrat: priùs audiatur perſonæ vitium, quàm nomenclatura perſonæ: antè pateat teloniarius, quàm Matthæus. Sicut ante abyſſum, abyſſi obſcuritas innoteſcit, exaggeratiori dehoneſtatis elogio, quod eſt ſublimioris humilitatis cumulus, & abiectionis meta.

Matthæus priùs ſe teloniarium inducit, quàm Matthæum nominet.

Matth. 9.

Hieron. in comment. huius loci.

4. Matthæus de perfectionis ſchola eruditus, has humilitatis argutias expreſſit in primo ſui Euangelij capite, ſic aiens: *Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Super quibus verbis pulchella in primis exoritur quæſtio, cur Berſabeam non proprio nomine, ſed circumlocutione, quæ delictum proderet, nominauit. *Quærendum eſt autem* (ait Remigius) *quare Euangeliſta Berſabee proprio nomine non nominauit, ſicut ceteras mulieres.* Reliquas feminas proprio indigetat Euangeliſta vocabulo, & reginæ Berſabeæ nomen reticet? Eleganter Strabus: *Tacet nomen Berſabee, vt nominando Vriam, reducat ad memoriam illud maximum ſcelus, quod in eum fecit.* Nempe Euangeliſtam Matthæum non latebat, Salomonis matrem Berſabeam appellari, ſed quia nec eum etiam latuit, turpe adulterij ſcelus, & cruentum mariti parricidium, ideò moraliſſimè vtrumque perſtringit flagitium; & commemoratione Vriæ, refricans infame delictum; ante perſonam, perſonæ publicat crimen, & præambulâ commemoratione auditur Berſabeæ turpitudo in Berſabeæ ſilentio, & Vriæ voce. Sic Berſabeam Euangeliſta caſtigat, dum præuiam perſonæ culpam inducit, quò priùs cognoſcatur Berſabee ex infamia delicti, quàm ex regiæ ſobolis gloriâ, aut ex regio nominis ſtemmate. Et quod aliàs ſæpè accidit audaciſſimæ detractionis licentiâ, ipſe Matthæus

Matth. 1. 6

Berſabea adulterium, in Vria commemoratione arguitè perſtringitur.

Remig. in c. 1. Matth.

Strabus ibi.

thæus faciat iuſtæ præſumptionis priuilegio. Vnde tametſi nó Vrias, ſed Berſabee ad lineam progenitorum Chriſti pertineat, Vriæ nomen auditur, nomen Berſabeæ tacetur, vt in Vriæ voce, & Berſabeæ vocali ſilentio, ante Berſabeæ notitiam, turpe audiatur ipſius flagitium, arguto Euangeliſtæ calamo caſtigatum. Nempe de ſcholâ obmurmurationis congruè eruditur artificium punitionis, quo ante perſonam, perſonæ reſonat vitium.

---

§. XVIII.

Apud iudicem cognatum reus innoxius eſt, cognationis merito.

Magna ſeruitus eſt magna fortuna.

1. MVLTA Poteſtatibus non licent, quæ humillimis in angulo iacentibus licent. Magna ſeruitus eſt magna fortuna. Non licet illi quidquam voluntate ſuâ facere, nec ſomnum quidem extẽdere in partem diei aut ex ſuo arbitrio diem diſponere. Quin & iudicis integritas, omnium cenſuræ expoſita, omnem cognationem dediſcat neceſſe eſt. Nullius ſpeciatim naſcitur, qui omnium vniuerſatim eſſe debet, vt æquabilem Iuſtitiam æquâ bilance libret, & in neutram partem inclinet. Imò niſi iuſtè inclinet, præuaricationis auctor, & amicitiæ aut cognationis reus dicitur. Nó licet Præfecti cognatos eſſe innoxios; & iniquo fauori imputatur, niſi ſeueriùs condemnentur. Tanta eſt cognationis vis ad flecti-neſciam Iuſtitiam inclinandam?

Beniaminus cũ fratribus, ante latam ſententiam Præfecti cognatione abſoluitur. Gen. 45. 4.

2. In Beniamini ſacculo argenteus Ioſephi ſcyphus inuenitur. Stat coram præfecto anxius, de turpi ſcelere conuictus, & necis, aut ſeruitutis reus. Iam Iudas Beniamini aduocatus, cauſæ merito diffiſus, caput ſuum pro ſuo Beniamino deuouerat. Et cùm acerbioris ſententiæ fulmen omnes pariter extimeſcerẽt, aiẽs eouſq; ignotus Præfectus: *Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum,* litem prorſus dirimit: & nullâ inuenti ſcyphi exinceps mentione factâ, impunis, imò honoratior & auctior dimittitur. Eſto, publica Beniamini accuſatio, nullâ diluatur defenſione; eccur nec mentio vltrà fit, aut de Ægyptiacę explorationis, aut de fraternæ proditionis reatu? An defenſioni iuſtæ præcluditur aditus? an rei manifeſtationem, & cauſæ meritum præcucurrit fratris nomen in Præfecto, & fraternitatis titulo abſoluit? Opinor, affinitas cum Iudice, in Ioſepho iuſtè, etſi præproperè; in aliis ſæpe iniuſtè, etſi tardiùs, cognatorum impunitas & innocentia eſt. *Ego ſum Ioſeph frater veſter*, ait Ægypti Præfectus, quo vno verbo, & furti, & perduellionis iactatas ſuſpiciones eximit, & fraternæ proditionis crimen detergit: & quos manifeſtum crimen, vel manifeſta criminis fama ſeueriùs accuſat, arctior cum Præfecto cognatio, indulgentiùs excuſat. Serò Beniaminus doli manifeſtatione, à reatus famâ eximeretur, qui Præfecti fratris vocabulo ocyùs abſoluitur. Nec eſt cur reliqui fratres de fraternæ proditionis ſcelere timeant, cùm dicentem audiant Ægypti Præfectum: *Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum.* Piè fecit Ioſephus Ægypti Præfectus, proprias condonans iniurias; quod alij, non proprias, ſed alienas offenſas impiè condonando, ſæpe factitant.

Iſaac famis malo oppreſſus, coactus eſt pe- 3.
regrinari in Gerarâ, Palæſtinorum metropoli. Et veritus ſalaces regiæ curiæ mores, Rebeccam, non vxorem, ſed ſororem vocitat; & viciſſim Rebecca, non maritum, ſed fratrem appellat Iſaacum. Et proſpiciens Abimelech rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebeccâ vxore ſuâ. Et accerſito eo, ait: Perſpicuum eſt quòd vxor tua ſit: cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe? *Quare impoſuiſti nobis? Potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tuâ, & induxeras ſuper nos grande peccatum.* L X X. Interpretes pro illis verbis: *Potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tuâ*, tranſtulerunt: *Fortè quis dormiret ex genere meo cum vxore tuâ.* Scilicet Rex ſibi timet à Cognatorum luxuriâ, ne ipſe regnúmque ſuum laſciuiæ cognationis regiæ pœnas luat. Cognatorum libido Principibus imputatur? Vel aliter: *Potuit coire quiſpiam de populo.* L X X. Interpretes, *de genere meo.* Inde nonnulli interpretes ſenio ſuſpicantur, Regem diſſimulanter de ſe loqui. Alij exiſtimant, loqui de regni proceribus, ſibi cognatis. Nempe dum Rex, aut pro nobilis quiſque luxuriatur, *quiſpiam de populo* dicitur. Sic libido à regia nobilitate degeneres reddit? Laſciuiæ mores, aut plebeium inueniunt, aut plebeium faciunt; & in auguſtâ Regum maieſtate vulgi conditionem reſculpunt. Sic generoſitatem libido deſueſcit! Vel aliter ad rem præſentem. Sciſcitari lubet, quare rex Abimelech dicat: *Potuit quis dormire de genere meo cum vxore tuâ, & induceres ſuper nos grande peccatum?* Grandéne peccatum foret apud gentem idololatram & barbaram, coire aliquem de primoribus cum muliere, quæ ſuo, & mariti ſuffragio putabatur innupta? Peccatum ſanè foret, quis abnuat? Sed non adeò magnum, vt ſuper Regem, regnúmque totum reatum induceret. An timet Rex, ne ſi fortè aliquis procerum, regio ſanguine ſibi coniunctorum, cum alienâ concumberet, impunitus regiâ cognatione euaderet? ô quàm imbecilla, & penè nulla ſunt humanarum Poteſtatum iudicia aduerſùs ſummates, regio ſanguine ortos! Heu! quàm grande peccatum inducitur ſuper regem & regnum, in quo optimates de more impunè delinquunt! Caueat Rex ne peccent: nam ſi peccauerint, innoxi· peccabunt, regiæ cognationis priuilegio ſecuri. Id fortè timet bonus Rex Abimelech, quem multi laudant quaſi probitate illuſtrem; quippe qui familiare cum Deo colloquium promeruerit. *Recelaſe el Rey, que no a de haber valor para caſtigar los grandes; y que con eſſo pone a peligro el reino.* Sic iuuat accommodatitiè ad mores locum explicare.

Gen 26. 10.

Procerum libido Regi imputatur.

Luxuria nobilitatem deſeſcit.

Impunitate Procerũ regna periclitantur.

Moyſes hîc verſ. 2. poſt cæli & terræ crea- 4.
tionem, addit: *Terra autem erat inanis & vacua.* Super quibus verbis ita ſcribit S. Chryſoſtomus: *Terra autem inuiſibilis erat & inculta. Cuius gratiâ, dic quaſo, cælum clarum & abſolutum creauit, terram autem deformem effecit?* Reſpondet quo ſolet ingenij acumine. *Ad hæc &*

Hîc v. 2. Chryſoſt. ibi.

Quiſquis nobis proſimus eſt, à nobis habetur optimus.

& aliâ ratione deformem terram creauit ; quoniam ipſa eſt nutrix, & mater noſtra, & ex ea facti ſumus, ac educamur, ipsáque patria noſtra eſt, & variis per eam bonis fruimur. Ideò vt ne homines ob vsùs neceſſitatem pluſquam dignum eſt eam venerentur, oſtendit primum rudem & abſque formâ, & inexpolitam. Quaſi aliena erga nos beneficentia, aut noſtra potiùs vtilitas, ſit rei bonitas, aut alienæ bonitatis cenſus. Ex noſtrâ citiùs vtilitate, quàm ex rei perfectione rem magnificè æſtimamus & colimus. Quiſquis nobis proficuus eſt, confeſtim optimus eſt, & præcelſo honore digniſſimus, nec in eo apparent cognati defectus. Heu!!i deſinit eſſe vtilis, deſinet eſſe optimus. Sed nota quàm ſit ſuſpectum humanum iudicium. Nimirum vt dignè cenſeamus de cęlo, clarum & abſolutum creatur à Deo. At verò licèt primò oſtendat terram, & *rudem*, & *indiuiſibilem*, & *incultam*, & *inexpolitam* ; non ideò tamen inde humano iudicio deuenuſtabitur : *quoniam ipſa eſt nutrix, & mater noſtra, & ex eâ formati ſumus, ac educamur, ipsáque patria noſtra eſt.* Timeat cælum humanam cenſuram, à quâ inexpolita terra eſt ſatis tuta, cognationis humanæ priuilegio. Sordeat licèt ſqualidè, ſordium reatu immunis eſt : *quoniam ipſa eſt nutrix, & mater noſtra, ipsáque patria noſtra eſt.* Quam ſordidus ſqualor damnat, arctior cognatio abſoluit. Sic æquabile iuſtitię pondus, inter cognatos libramenta adulterat? Sic iniquitas æquitatem ſubornat & corrumpit cognationis lenocinio?

Squalida terra, humanæ cognationis titulo vitet.

§. XIX.

Vitium virtuti præit, ſumptuoſâ ambitione affectandæ virtutis.

1. HOMINES inſigniori malitiâ turpes, ſicut virtuti infidi ſunt, ita nec vitiis ſatis tuti: dum plus ſub religionis titulo Deum dehoneſtant, & cùm putant ſtipendia vitij eſſe, oſtentare virtutem ; virtutis magis quàm vitij rei ſunt. Sic enim ambitioſè pietatem mentiuntur, vt vel piiſſimis hominibus præcurrant oſtentatione pietatis, ſtimulatæ ambitionis calcare ad nequiorem malitiam. Adamus & Eua primordialis delicti rei, paradiſo arcentur, extra paradiſum maritalibus vacant amplexibus, naſcitur primùm Cain, paternæ impietatis heres: ſuccedit pius Abel, velut piæ parentum pœnitentiæ ſoboles. *Et factũ eſt poſt multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui.* Horum verborum ſententiam ita expendit Baſilius Seleuc. *Infructuoſus animus fructus apportat Deo, carens anima fructus offert Deo..., Differ ſacrificium cum impietate coniunctum.* Infructuoſus animus mortalium primus, fructus cum impietate coniunctos Deo apportat? Primum donum quod refert Scriptura, (& quod LXX. interpretes *ſacrificium* appellant) Deo oblatum, ab impiiſſimo Caino offerendum erat? Et cur primum donum Deo oblatum non fuit à diu pœnitente patre, aut à fratre piiſſimo? Auſpicia humanæ pietatis profanus dedicabit Cainus? Sic impietas Virtuti officioſa eſt, vt pietati præcurrere videatur? In re quoque virtutis primas ferre ſatagit vitium, ingenio ambitionis, & falſatæ probitatis artificio? Et honorem virtutis, & pariter vitij voluptatem vnà demetere præproperè feſtinat impietas? *El impio Cain fue el que hiço los primeros agaſajos a la piedad.* O Caine, *Differ ſacrificium cum impietate coniunctum*, nec vitium virtuti præeat. Ad virtuoſi nominis faſtigium per vitij ſcalam citiùs aſcenditur? ô caue à nimis officioſis virtutum obſequiis.

Geneſ. 4. 3.
Baſi. orat. 4.
Impius Cain cæteris præcurrit officioſitate virtutis.

2. Matth. 8. *Cum veniſſet Ieſus in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, & exeuntes de monumentis ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam. Et ecce clamauerunt dicentes* : (Attentiùs auſcultemus quid diabolorum ſæuiſſimi loquãtur.) *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei?* ô nimis blanda ſæuiſſimorum dæmonum vox! ô vocem, quæ Petrum non abſimili confeſſione vocabulo tenus, ad ſummum Eccleſiæ faſtigium euexit! Nonne Petrus dixit : *Tu es Chriſtus filius Dei viui* ; & hi dæmonum nequiſſimi : *Ieſu fili Dei?* Illuſtriſſimæ & laudatiſſimæ Petri confeſſioni, dæmonum adſimilis confeſſio præcurrat? Arcanæ confeſſionis auſpicium diabolus dedicabit? Non ſum immemor me legiſſe in Hugone: *Primò diabolus Ieſum nominat filiũ Dei*, (quem locum alibi ad aliud thema expẽdebamus) Vides quàm feſtinet impietas ad pietatis oſtentationem? Impia diabolorum gens, Apoſtolorum præcurret Collegio in tantæ confeſſionis elogio? Non verentur mali dæmones, Ieſum fateri filium Dei, vt in re pietatis Apoſtolis ipſis primas ferre videantur? Sic vitium virtutis fructus præcoci confeſſione demetere geſtit? Sic impietas pietatem anteit mentitæ virtutis lenocinio?

Matth. 8. 19.
Diabolus præcucurrit Apoſtolis in confeſſione diuinitatis Chriſti.
Matt. 16. 16.

3. Lucæ 16. Villicus ille aſtutè clanculariâ furacitate ſibi in poſterum prouidus, qui ſubdoli furti ingenio, argutæ rapacitatis laudes æquè furatur ; hoc Euangelij elogium rapinæ artificio emit : *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet : quia filij huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſuâ ſunt.* Sententia planè ænigmati ſimilis, & quæ in parabolis deſcriberetur digniſſima, quam ſic enucleare intentat Hugo Carenſis : *Filij ſeculi, amatores ſeculi : Filij lucis, ſunt amatores cæli. Illi ſunt prudentiores in generatione ſuâ carnali, quàm iſti in ſuâ ſpirituali.* (ne te prætereant quæ ſubdit verba.) *Sed quomodo vident clariùs filij tenebrarum, quàm filij lucis, cùm nihil videri poſſit niſi luce?* Plúſne in negotiò vitij cæca obſcuri ſeculi malitia videt, quàm pietas in re virtutis, de cælo oculata? Plus ſeculi tenebræ accendunt malitiæ lumina, quàm præclarum iubar latebras virtutis claret? Nequam homines plus vidẽt in nequitiæ caligine, quàm homines frugi in virtutis luce? Sic ſeculi tenebræ impiorum perſpicaciæ lenocinantur? Sic virtutis oculi imperſpicaces ſũt ad pietatis fulgores? *Quomodo vidẽt clariùs filij tenebrarũ, quam filij lucis, cùm nihil videri poſſit niſi in luce?* In ſeculi obſcura caligine præproperè oculatior eſt ad impietatẽ impietas, quàm in clara cęli luce virtus ad virtutem? Vel in ipſo mundi primordio præclariori luci obſcuræ tenebræ præcurrunt?

Lucæ 16. 8.
Plus videt vitiũ in tenebris, quàm virtus in luce?
Hugo ibi.
Sit homo Deo Peripateticus, mundo Pythagoricus.

ô ſeculi malitia oculatiſſimè cæca in vitiorum tenebris! ô quorundam virtus non adeò perſpicax in fidei meridie! Sat erit virtuti ſi tantum in luce videat, quantum vitium in tenebris intuetur? *Eſto Peripateticus Deo, Pythagoras mundo*, profundè dixit Paulinus. Peripatetici de ingenij laude, & mentis perſpicacitate celebrantur. De Pythagoræorum diſciplinâ, quæ numeris conſtat, agemus alibi, cùm de vrbanitate ſermo inſtituetur.

(Hic v. 2. — S. Paulin. Epiſt. 35.)

§. XX.

Semper ſubdito licet meliorem eſſe, quàm ſit eius Superior: nunquam meliorem videri impunè licet?

1. SVPERIOR, perfectionis meta non eſt, quam nunquam valeat ſubditus tranſgredi. Semper ſubiecto licet meliorem eſſe quàm ſit eius Rector, nunquam meliorem videri licet, ſi bonâ fide ſumus. Qui in faſtigio dignitatis eſt, ſupra reliquos eminet: & ſicut nulli inferior eſt, nullo inferiorem videri oportet, in nullòque ab inferioribus ſuperari: qui præcelſæ dignitatis cognatus quidam faſtus eſt, nec gubernationis auctoritati ſæpe inidoneus. Videant ſupra omnes eminentem, quem ſuſpiciunt præeminentem: ne fortè ſub dici ſubiectionis faſtidio, quem infra ſe vident, quaſi inferiorem detrectent, & nauſeent ad obſequium.

2. Matth. 20. verſ. 22. Matthæi 20. Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. *Reſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis.* Duriuſculum planè reſponſum, & quod fortè aures exaſperaret. Mater erat quæ petit, ætate grandæua, validæ prolis obſequio deſtituta, & quæ excelſas filiis ſedes, velut cognationis ſtipendia ſupplicaret. Et ſi credimus Imperfecto: *Et ſi non dicimus quod rectè peteret hæc mulier, ſed hoc dicimus, quia non terrena, ſed cæleſtia filiis ſuis optabat.* Et quidem S. Hilarius tam illis promiſſum exiſtimat, quod Mater illis promitti poſtulabat. Sed eſto, negare oporteret; abnutu petitores intempeſtiuos dimittat, quos petitionis repulſa ſatis ſolet exacerbare: quid neceſſe fuit, diſcipulos aſperiori inſcitiæ ſcommate denotare? *Neſcitis quid petatis*, inquit. Matris ſuæ ſororem triſti verbo caſtigare, & eiuſdem filios palàm deuenuſtare oportebat? Multa hîc ſuper hâc re multi, quæ ſi recenſuiſſem, longum facerem. Exſcribam tantùm S. Hieronymi verba, qui in huius capitis commentatio ita fatur: *Reſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis. Nec mirum ſi iſti arguantur imperitiæ, cùm de Petro dicatur: Neſciens quid diceret.* Nempe Petrus & Collegij vertex, & Apoſtolorum Princeps deſignatus erat. Hic, inquam, aliquando audiuit duriuſculum verbum: *Neſciebat quid diceret.* Exinde oportet, vt non prorſus inidoneâ occaſione oblatâ, ad-

(*Petro inſcitia notato, notãtur etiã Iacobus & Ioannes.* — Imperfect. homil. 35. in Matth. — Hieron. ibi. — Luc. 9. 33.)

ſimuli inſcitiæ elogio ſublimiores diſcipuli, Petro inferiores, pariter deuenuſtentur; ne Petro inſcitiæ alicubi denotato, rudes tunc diſcipuli, nec è cælo adhuc plenè eruditi, fortè arrogantes tumeſcerent, & ſe in re ſapientiæ putarent præferri Petro, qui Apoſtolorum Princeps renunciatur. Audiant Iacobus & Ioannes: *Neſcitis quid petatis*, ſiquidem Petrus audiuit: *Neſciebat quid diceret.* Litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè Hieronymus.

3. Hic verſ. 2. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Et cur terra duntaxat dicitur inanis & vacua, hoc eſt, adhuc rudis & inornata? annon etiam cælum adæquè inornatum erat? *Eadem propè* (ait Baſilius) *de cælo dixerimus. Et ipſum enim nondum expolitum erat, neque ſuum proprium obtinuit firmamentum: quippe quod nondum à Luna Soleque illuſtratur.* Scilicet cælum necdum expolitum & ornatum erat, ſed adhuc impolitum & incomptum, ergo explicatiùs publicetur, ſubiectam cælo terram rudem adhuc eſſe, impolitam, inanem & vacuam, & pariter viduatam ornatu ſuo, quo ſuperiores cæli carent. Quod ſtatim luculentius traditur in illis verbis: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Solane abyſſus erat tenebroſa, & cæcâ caligine ſqualida? Necdum effulſerat lux, & inde omnia pariter tenebroſa erant. Quam ob rem hæc inferiora eſſe tenebroſa dicuntur? Tempeſtiuè, opinor, Theodoretus: *Tenebræ huius mundi propter cæleſtis corporis vmbram prouenêre.* Nimirùm non oportebat, vt mundus inferior aliquâ luce ſplenderet, ſed obſcuris ſqualere tenebris explicatiùs diceretur, quando ſuperior mundus necdum luce præclarus apparet. Cælum necdum ſidereis faculis nitet; ergo ſubiecta cælo terra tenebris obſita dicatur; & quandiu cælum obſcurum eſt, terra pariter tenebris obumbretur: *Tenebræ huius mundi propter cæleſtis corporis vmbram prouenêre.* Dedecet vt antequam in ſuperiori mundi parte accendantur luces, ſubiecta terra non tenebroſa dicatur, ne aliquando de fulgoribus, quos nondum habet cælum, ſubiecta terra ſibi blandiatur, & de elogio, quo cæli carent, ſibi blandiùs aduletur. Dicatur Iacobo & Ioanni? *Neſcitis quid petatis*, quandoquidem Petro dictum eſt: *Neſciebat quid diceret.* Dicatur etiam inferior mundus obſcurè tenebroſus, ſiquidem adhuc ſiderea lux nondum clarabat cælos. Non licet inferioribus vltra Superiorum mundiale faſtigium palàm eminere.

(Hic v. 2. — S. Baſilius in Hexaëm. ibi. — *Obſcurũ cælum tenebras retorſerat in inferiorem terram.* — Theod. ibi.)

§. XXI.

Procerum defectus garrula inferiorum inuidia non ſinit occultos latere.

1. ILLI dignè ad vitia ſui generis redeunt, qui contemptibili ſtirpe naſcuntur. Generis autem obſcuritas, eſto, vitia non defendat, ſaltem contegit obſcurâ ignobilitatis vmbrâ. At præclarus Magnatum honos, ſæpe illis opprobrium eſt: nam quem opulenta nobilitas, virtutum inops, tantùm

tùm commendat, deſpicabilior eſt, ſi vitium inquietat: faſtigium enim dum vitia perſpicuè clarat, manifeſtè prodit: & ſublimitatis inuidia garrulam facit maledicentiæ linguam. Sublimior nobilitas ſæpe eſt tutum vitiorum effugium; ſed eorum publicandorum ſemper lenocinium eſt. Exinde pauper famæ eſt ei, cuius origo theſauris nobilitatis locuples inuenitur.

2. Hic verſ. 2. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Abyſſi duntaxat publicatur obſcuritas, & cur non

Hic v. 2. cæli tunc obſcuritas pariter publicatur? Porrò needum lux effulſerat, & ideò omnia adæquè obſcuris ſqualere tenebris, neceſſe fuit. Eleganter S. Baſilius (præcedenti §. ad aliam diuerſiſſimam theſim aliter expenſus, & infrà adhuc emedullandus.) *Eadem propè de cælo dixerimus. Et ipſum enim nondum expolitum erat, neque ſuum proprium obtinuit firmamentum: quippe quod nondum à Lunâ, Soléque illuſtratur.* Quare ergo terræ & abyſſi duntaxat inulgatur inanitas & caligo, & cæli incompta tacetur obſcuritas? Scilicet ſuperuacaneus foret labor ſublimiſſimi & nobiliſſimi cæli publicare defectus. Vnde non cælum, ſed terra & abyſſus tantùm dicitur inanis & obſcura, tametſi cælum etiam erat obſcurum & inornatum. Profectò naturæ nobilitas, & celſum muneris faſtigium, quo cælum eminet, ſatis expoſita ſunt oculis & cenſuræ inferiorum. Ipſa ſui eminentia latius euulgabit, & citius publicabit Superiorum & Nobilium defectus. Cæli næuum tacet Moyſis calamus, quem vulgaris maledicentia loquetur vberiùs. Siquidem excelſâ ſublimitas garrulas vituperonum linguas nimis incitat, acuit, & obarmat ad maledicam procerum detractionem. Itaque conſultiſſimè Hiſtoriographus ſacer terræ & abyſſi, rei infimiſſimæ, inquam, defectus prodit; nec rei ſubllimiſſimæ parcendo, ſatis pepercit. Non enim deerunt, qui Excelſorum defectus altè buccinent inuidiæ voce, & æmulationis genio.

Baſil. in Hexaem.

Cæli defectus ipſi produnt nobilitatis inuidiâ: unde tacetur à Moyſe.

3. Auctor operis imperfecti exponens illud

Matth. 1. 4. Matthæi 1. *Aram autem genuit Aminadab*, ſic ex horum nominum etymologia ludit ad mores. *Conuenienter autem Aram; qui erat irritatio Ægyptiorum, vel viſitatio eorum, vel lux eorum,* (hæc omnia *Aram* ſignificat) *genuit filium Aminadab, qui interpretatur, vel gens deſiderata, vel populi mei voluntarij. Neque enim facta fuiſſet viſitatio Dei, niſi gens deſiderata fuiſſet, & populus voluntarius. Neque fuiſſet irritatio Ægyptiorum, niſi deſiderabiles & voluntarij Deo fuiſſent.* (Expende attentiùs verba quæ ſubiicit.) *Et vſque nunc qui deſiderabiles ſunt, & voluntarij Deo, illi ſunt zelabiles; & irritant ad inuidiam ſui tenebrarum viros.* O nimis verè! olim quidem & nunc princeps Aminadab, id eſt, quiſquis principe & excelſâ virtute eminet, acceptabilis Deo eſt; & eſt etiam impiorum *irritatio*, & ab improbis curioſè *Zelabilis*, ad prodendos quos explorant defectus. Excelſorum virtus, & ſæpè inculpata vita, ſubiectos irritat impios: nec ferre poſſunt vitia tacitam virtutum reprehenſionem; nec abiecta ignobilitas nobilium celſitudinem. *Irritatio* zelum parturit, puto, non bonum; mali patris nequior ſoboles. Vnde *zelabilis* exponitur generosè ſublimium vita, quam ad calumniam zelat peruerſa curioſitas improborum. Hinc omnis princeps virtus deuenuſtatur: nam *vſque nunc qui*, ob eminentiæ ſublimitatem (ſicut princeps Aminadab) *deſiderabiles ſunt, & voluntarij Deo, illi ſunt zelabiles.* O! potiùs abiecta iniquitas debuiſſet eſſe *zelabilis*. At hodie excelſa pietas viciſſitudine peruerſâ patitur impotentium iniurias. Caueant Principum aures ab impietatis abiectæ zelo, malè pio, & impiè malitioſo. Ecquis de vitio ſperet virtutem demetere?

Imperf. homil. 1 in Matth.

Excelſa probitas nimis zelabilis eſt ab improbis.

Magnus ille vir Ionas, prophetiâ illuſtris, 4.
Dei familiaritate conſpicuus, Aſſyriorum de vaticinio terror, in quo zelum ſimul cum vitâ ſuſcitauit Elias, vt docet Epiphanius, quandoquidem nulla eſt ſine næuo pulchritudo, aliquid fortè humanum paſſus eſt, & clementiæ diuinæ diu gnarus, fugit in Tharſis, ne ipſe apud Aſſyrios falſidicus inueniretur Propheta. Latens magni Prophetæ defectus in eiuſdem conſcientiæ latebris celabatur occultus, & omnis penè creatura ad illum publicandum linguata fuit. Quod comptè ſatis eloquitur Baſilius Seleucus: *Fugitans enim (inquit) maris fluctibus impeditus eſt, cum fugæ adminiſtram nauiculam circumplexum mare conſeruum quærebat latentem, & occultam fugam procellæ ortu mare accuſabat, & quid occultè conſilij coqueret Propheta tempeſtas publicauit; fuitque ipſi nauigium audaciæ theatrum, & tribunal in naui conſtituebatur, nec non ſortitio reum redarguebat, & Prophetam nauta iudicio condemnabat. Dic nobis: Quis ſis? vnde? quod eſt opus tuum? quæ terra tua? quo vadis?* Singula penè verba thema præſens eructant: eorum expenſio facilè parabilis eſt, etiam inerudito. Sat eſt digitum intendiſſe.

Epiph. lib. de vit. & morte Proph.

Magni Propheta defectū vel inanimis creatura produnt.

Baſil Seleuc. orat. 13

Ionæ 1. 8.

---

§ XXII.

Auctoritatem conciliare delictis, magnum ſcelus eſt, magno luendum.

VELLE omnia delicta declinare, aliquis poteſt; omnia vitare nemo poteſt. Claudicat natura humana; primæui delicti ruinâ malè ſaucia, & paſſim impingit. Sed frequens lapſus, crebrâ animi erectione reparatur. Pœnitenda, quæ identidem patramus flagitia, pœnitentia repetita abolet; & vita gratiæ, mortem perimit ſumptuosè. Porrò hominis eſt, labi, errare, delinquere; ſed delicti non pœnitere, & ſceleris non ſuffundi pudore, obſtinationis elogium eſt. Quæ adeò progreditur impudenter, vt non tantùm non deteſtetur vitia; ſed illa honorare; & ſuſpicere petulanter præſumat. Quod eſſe ſolet procerum vitium, & principum priuilegium, ſeu principalis arrogantiæ faſtus, magnò luendus. *Quien autoriza la maldad; nó ſe yra alabando.* 1.

2\. *Supra caput habere rem ſui flagitij magna calamitatis omen eſt.*

Geneſeos 40. Bini Pincernarum, & Piſtorum principes, familiaritate Pharaonis ſublimes, in miniſteriali Regis officio (vt volunt Hebræi) ſceleſtè deliquerunt. In tetricum detruduntur carcerem: mœrore, & tenebris ſopori adulantibus, in vtramque autem vterque dormit; vidétque in ſomnis adumbratum ſuæ cauſæ præſagium. Quibus opportunus adeſt Ioſephus, ſolers ſomniorum interpres. Narrauit prior Præpoſitus pincernarum ſomnium ſuum: *Videbam*, inquit, *coram me vitem*, in quâ erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vuas matureſcere; & expreſſi in calicem, & tradidi poculum Pharaoni. Quod felici augurio interpretatur Ioſephus, reſtitutionem in priſtinum miniſterium pollicitus. Piſtorum etiam princeps videns quòd prudenter ſomnium diſſoluiſſet, ait: *Et ego vidi ſomnium, Quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum: & in vno caniſtro quod erat excelſius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, auéſque comedere ex eo. Reſpondit Ioſeph: Hæc eſt interpretatio ſomnij: Tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt: poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce.* Eheu quàm diuerſa adſimilis ſomnij interpretatio! Alter priſtino ſublimatur faſtigio; alter miſerè patibulandus prædicitur. Ecquid diſcriminis Ioſephus agnouit in re ſomnij, quod vtrique obuerſatur? Vterque in ſuo deliquit miniſterio, vterque in ſomnis ſui miniſterij negotium tractat; & alter ſuam portendit ſublimitatem; infimiſſimam alter ominatur ruinam, & cædem atrociſſimam? Scilicet pincernarum Princeps videre ſibi viſus eſt *coram ſe vitem*, è quâ expreſſum eſt vinum, quod propinandum obtulit Regi: at piſtorum Princeps, non coram ſe vidit rem miniſterij, & delicti ſui; ſed *tria caniſtra farinæ habere ſuper caput ſuum*. O infauſtum in primis augurium! ô atrociorem pœnam ſomnij reatu infauſtè ominatam! Supra caput adhuc habet rem ſui delicti, nec timet acerbiſſima quæque ſupplicia? In capite, principe hominis parte, & mentis throno, ſolium delicto tuo erigis, & de calamitate ambigis? Hominis eſt deliquiſſe; at pœnitenda delicta non modo non deteſtari, ſed ſupra caput habere, & in celſo faſtigio ſublimare, creando malitiæ auctoritatem; ſcelus eſt, atroci & infami morte luendum. Proh! quid non timeat, qui flagitiis auctoritatem conciliat, & execranda delicta, ſupra caput habet, & ſuſpicienda proponit? ô, ſi non caues de turpi, time ſaltem de infauſto! Porrò qui rem ſui delicti *ſuper caput habet*, confeſtim audit: *Tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt: poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Vnde hîc verſ. 2. tenebras delictorum ſuper faciem abyſſi, ſic execratur Deus, vt eas lucis ſpiculo confeſtim perimat, aiens: *Fiat lux*, &c. ne principem locum tenebrarum malitia diu occupet.

Gen. 40. v. 16. 17. 18. & 19.

Hic verſ. 2.

3\. Adulterium homicidio Dauid exaggerauerat. Sceleſtum planè facinus, immeritum Vriam, & de Rege benemeritum, violati proprij tori dedecus, crudeli morte expiaſſe! ô Principum ſæpè inſolentiam! Adeſt confeſtim Deus tanti ſceleris vindex, Regum 12. mittitque Nathan prophetam, qui obiculæ parabolam in Regis malè conſcij caput diſertiſſimè vertat. *Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſrael & Iuda: & ſi parua ſunt iſta, adijciam tibi multo maiora. Quare ergo contempſiſti verbum Domini; vt faceres malum in conſpectu meo:* Notum eſt geminum Dauidis ſcelus. Sed notanda ſunt verba, quibus illud Propheta à Deo inſtinctus, Dauidi refert. *Vriam*, inquit, *Hethæum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi; & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua in ſempiternum.* Eſto Vrianæ cædis flagitium recenſeatur ad punitionem: aſt adulterij ſcelus minimè recenſetur: & tamen adulterium fuit origo totius tragœdiæ. Nota verba, & ſigna ſacramenta: *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi. Quam ob rem non recedet gladius de domo tuâ vſque in ſempiternum.* Nuptias cum Bethſabeâ nuper viduâ obiicit, & adulterium præterit? Adulterium, ſceleſtum fuit; connubium, permiſſum & licitum: & tamen nuptias exprobrat, & adulterium omittit? Quod acutè notauit Procopius Gazæus, ſic aiens: *Vxorem illius accepiſti in vxorem tibi. Obſcurè ſignificatur, Deum plus hoc coniugio offenſum eſſe, quàm adulterio.* Porrò in adulterio Dauid allectus Bethſabeæ venuſtate, ceſſit libidini, quod humanum eſt. At dum alteram accepit in coniugem, & ad regium euexit ſolium; honorauit priſtinam libidinem & adulterio auctoritatem adſciuit, & (vt ſic loquar) inthronizauit flagitium. Vnde, etſi ſubobſcurè, *ſignificatur, Deum plus hoc coniugio offenſum eſſe, quàm adulterio.* Opportunè Tertullianus in lib. de Idololatriâ, plus malitiæ Idolorum ſculptoribus, quàm cultoribus imputat: quaſi magis exorbitet, qui Idolum expolit & adornat, quàm qui illud adorat. *Maior eſt*, inquit, *eiuſmodi opera, quæ non effigiem conferet, ſed auctoritatem*; Nec enim differt, an extruas vel exornes, ſi templum, ſi aram, ſi ædiculam eius extruxeris; ſi bracteam expreſſeris, aut inſignia. Scilicet *auctoritatem* Idolo adſciſcere, exaggeratio idololatriæ eſt, & malitiæ hyperbole. Vnde Deus quodammodo magis dicitur offenſus eiuſmodi permiſſo cōiugio, quàm flagitioſo priùs adulterio. Porrò Dauid adulterio communiter deliquit, coniugio autem *auctoritatem* adulterio fecit, dum ad regni ſolium adulteram ſublimauit. *Quam ob rem non recedet gladius de domo* Dauidis *vſque in æternum.* O time patrare delicta; ſed plus time *auctoritatem* conciliare delictis.

2\. Reg. 12. 9. & 10.

Plus de coniugio Dauidis cum Berſabee, quàm de adulterio Deus offenditur.

Procop apud Gloſſ. ibi.

4\.

Tertull. de Idolol. c. 8.

§. XXIII.

§. XXIII.

Cùm vitia arrident & proſunt, peccat qui rectè facit?

1\. NEMO aut rarus, eorum etiam qui ad omnem ſanctitatem ingenium maximè expoliunt & erudiunt, ferre impetum vitiorum, frequenti & nobili comitatu venientium, poteſt, dum conuictorum mores vitium aliquod commendant, & virtutem quaſi inutilem aut reiectaneam negligunt. Sententioſè dixit Seneca: *Cùm vitia proſunt, peccat qui rectè facit.* Qui vitia ſuſpicit, pietatem impietatis loco habet: apud quem vitia bene mereri putantur, vt videatur peccare virtus neceſſe eſt: faciliúſque putat virtutem non eſſe bonam, quàm vitium malum. Hinc vitium, quaſi rem ordinariam, & plurimorum moribus commendatam, præterit; & virtute, quaſi re inuiſâ & inſolente offenditur, quin & ſæpè ſcandalizatur, quæ eſt prauitatis meta.

Seneca ex Publ. Mim.

2\. Matthæi 11. Ad Ioannem in carcere vinctum; miraculorum & virtutis Chriſti Dei, fama peruenit. Tunc ad eum mittit diſcipulos ſuos, apud quos Chriſti doctrina & virtus ſuſpecta erat. Confeſtim Chriſtus virtutes exhibet expectato Meſſiâ dignas, & miracula Prophetarum oraculis prædicta, vbertim eis coram glorioſè patrat. Sed nota quæ ſubiecit verba; *Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant; leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Addit ad rem opportuniſſimè: *Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Puto, vitium, res eſt ſcandali, non virtus. Acutè ibi Chryſoſtomus: *Internuncios percutit, quia enim ſcandalizabantur in ipſo, dubitationem eorum non diuulgans; & ſoli eorum conſcientiæ derelinquens, redargutionem eorũ latenter induxit.* Scilicet internuncios qui de Chriſti virtute ſcandalizantur, vniuerſatim reprehendit, non eos palam denotando, ſed reprehenſionem eorum conſcientiæ latenter permittens, ne tanto ſcelere publicato, adſtantes hominum turbæ potiùs ſcandalizentur, dum vident homines æmulatione inſtigatos, eximiâ virtute contumaciter ſcandalizari. Quem virtus ſcandalizat, puto, vitia ædificant: & quidem ad ruinam. *Cùm vitia proſunt, peccat qui rectè facit.* O caue ab hâc mente, vitiorum matrice, virtutis nouercâ!

Eximia Chriſti virtus nocentiſſimos ſcandalizat.

Matth. 11. 6. Chryſoſt. ibidem.

3\. Primâ Dei voce adeſt vocatum cęlum, adeſt & terra: & necdum alterius creaturæ formatione explicatâ, ſubdit hîc ſacer Hiſtoricus: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Magna hinc lis inter doctiores vnde hæ obſcuriores tenebræ extiterint. Moyſes alto ſilentio Deum vindicat à tenebrarum creatione, ne turpis & ſqualidæ caliginis auctor putaretur. Terra cum abyſſo tenebras non efficit, ſed patitur: nec tam ſibi inuidioſa & iniuria cenſenda erit, vt tenebrarum ſqualorem ſibi afflare videatur. Cæli fulgor ab vmbrarum faciendarum maculâ tutus eſt in ſuæ claritatis aſylo. Imo inde, opinor, de tenebrarum oppanſione magis ſuſpectum cælum eſt. Audiendus eſt Theodoretus ad illud: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, inquiens: *Tenebræ huius mundi propter cæleſtis corporis vmbram prouenère.* Splendidumne cælum, nullius opaci corporis obiectu tenebras offundit? De tenebrarum reatu accuſatur cælum? Siderea lux inſipientes duntaxat præſtringit & offendit, ſanos oculos recreat & accendit. Cùm tenebræ proſunt, peccat qui lumen habet? Vel cæli fulgor de tenebrarum lenocinio reus ſiſtitur apud homines? Qui cæleſtes ſplendores quaſi obſcuritatis auctores infamat, mundiales tenebras proculdubio ſuſpicit. Quis cæli fulgoribus offenditur, niſi cui tenebrarũ ſqualor in deliciis & pretio eſt? *Cùm vitia proſunt, peccat qui rectè facit.*

Hic v. 2. 3.

Lux infamatur de tenebrarũ obſcuritate.

Theod q. 6.

4\. Ad Niniuem ciuitatem magnam, æquè & ſceleſtam, Ionas Dei præco mittitur. At ille in ipſis Dei minis diuinam clementiam prænoſcens; attendens Deum verbo minari, teipſâ vero ſaluare cupientem, non lubens humanitatis præminiſter, fugam init. Fugitans autem maris fluctibus impeditus eſt, cùm fugæ adminiſtram nauiculam complexum mare conſeruum quærebat latentem, & occultam fugam procellæ ortu mare accuſabat, & quid occulti conſilij Propheta coqueret tempeſtas publicauit. Interea nautæ pariter & vectores, impietate & idololatriâ ſacrilegi, & Niniuæi ſceleris non exortes, anxiè ab eo quæritant. *Indica nobis, quod eſt opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu? Et dixit ad eos: Hebræus ego ſum, & Dominum Deum cæli ego timeo.* Quæ verba ſic exſcribit, & explicat Baſilius: *Dic nobis quis ſis? vnde? quod eſt opus tuum? quæ terra tua? quò vadis? Quid ergo Ionas? Domini ſeruus ſum ego: Ipſe ſuimet accuſator fuit, Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam. Pro fugâ reſpondens euaſit Dei cognoſcendi præco, & religionis ſcholam nauem fecit.* Et confeſtim in ſæuientes maris vndas præceps mittitur. Vide mihi quòd vbi veram veri Numinis religionem profeſſus Ionas eſt, ſeque Dei ſeruum palam nominauit, *Ipſe ſuimet accuſator fuit.* Veræ religionis reus eſt Ionas? ſemetipſum accuſat, dum Dei ſeruum ſe nominat. O malum! *Cùm vitia proſunt, peccat qui rectè facit:* & eximia pietas impios ſcandalizat, qui vel lucis ſplendorem de tenebrarum reatu impudenter accuſant. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras!*

Ionas dum Dei ſeruum ſe appellat, ipſe ſuimet accuſator fuit.

Ionæ 1. 8. 9. Baſil. Seleuc. Orat. 12. Iſaiæ 5. 20.

§ XXIV.

Occulta virtutis miracula latiùs buccinant patratoris famam.

1\. QVA veræ virtuti ſolertiùs ſtudet, non conturbabit publicos mores, nec populum ad ſe vitæ nouitate, aut virtutis publicitate conuertet. Tutior eſt in ſecreto virtus; ſi fortè vnquam in ſecreto virtus latet; quam ipſe ſuus nitor de abſconſione ſplendidior, magis prodit, & auguſtiùs

publicat. Non eget publicatione virtus, nec publicationem timet, quæ occultâ vi, de ſuo latibulo glorioſiùs ſcintillat, bonitatis gloriâ, & publicationis vſurâ: dum abſque oſtentationis næuo, & vanæ gloriæ lenocinio de ſecreti adytis & gratior procedit, & glorioſior propalatur.

2. Exodi 4. conſtanter recuſat Moyſes in deſerto Madian, Hebræi populi principatum, illius educendi difficultate permotus; & peruicacis populi incredulitate perterritus. Nō credent mihi, ait, neque audient vocem meam, ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus, Dixit ergo ad eum Dominus: Quid eſt, quod tenes in manu tuâ? Reſpondit; Virga. Dixitque Dominus: Proiice eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, verſaq; eſt in Virgam. *Vt credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Mirandũ planè eſt, quod hîc Moyſes de hoc ad Deum colloquio denarrat. Dixerat Moyſes, *Non credent mihi, neque audient vocem meam*; Hebræi inquam, qui erant in Ægypto. Et tamen hoc miraculum factum eſt in deſerto Madian propè montem Horeb. Nempe prodigium Virgæ in ſerpentem conuerſæ, patratum eſt nemine illud ſpectante. Perſpicuum hoc eſt, ex ſacrâ hiſtoriâ, & interpretum conſenſu. Adhuc enim ſolus Moyſes cum ſolo Deo agebat prope rubum in eremi ſeceſſu. Quo modo ergo Deus dicit Moyſi cauſanti ſui populi incredulitatem, hoc prodigiũ factum eſſe, *Vt credant, quod apparuerit tibi Dominus Deus Patrum tuorum?* Et vt alij ad rem explicatiùs ex Hebræo vertunt: *Ob eam rem, ſiue propterea credent.* Profectò ſi ideo Hebræi diſcredent Moyſi dicenti, Apparuit mihi Dominus, quia nullo teſte Dei apparitionem poterat comprobare; cur, quæſo, credant æquè occulto miraculo? vtrumque ex alterutro facilè redarguitur, aut occultæ apparitioni credituros, ſi credunt occulto miraculo; aut non credituros miraculo, qui æquè occultæ apparitioni non credũt. Verùm enimuerò putauerim, plus ſæpè homines credere miraculis factis abſque arbitris, & ſecreto virtutis; quàm miraculis & virtuti, quæ foras prodit, & publicè patratur. Neſcio quâ occultâ cælitus vi, ſecreta miracula, & abſconſa virtus, & certiùs publicat, & præclariùs buccinat patratoris famam. Quid publicare ſatagis, quod ſæpè publicatione deuenuſtas? Satis rimoſum eſt humanum cor, & ſubitis ſenſuum motibus, & occaſionum experimentis, ſui notionem facit. O quoties occultæ virtutis coniectura, certiùs eximiam ſanctitatem comprobat, quàm probant miracula, & præluſtria opera ſpectatorum oculis exhibita! Qui in eremi ſecreto patrat diuinæ virtutis prodigia, mitior & prodigioſior habetur à populo. Occulta virtus compendium famæ eſt. Abſconſa in deſerto Madian miracula patrat Moyſes, vt illi credant Hebræi in Ægypto verſantes.

Exod 4. 5. *Inuiſa & occulta virtutis miracula latius buccinant patratoris famam*

3. Matthæi 2. in frequenti Hieroſolymarum vrbe clamant Magi: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Super quibus verbis ita fatur S. Auguſtinus: *In his terris de longinquo Magi peregrini puerum Chriſtum nondum verba promentem adorauerunt, vbi ciues illi iuuenem miracula facientem crucifixerũt. Quaſi plus fuerit videre nouam ſtellam in eius natiuitate fulgentem, quam Solem eius in morte lugentem.* Ego quidem cum Auguſtino cenſuerim, illuſtrius fuiſſe teſtimonium Solis in Domini morte tabeſcentis, quàm ſtellæ in eiuſdem natiuitate prælucentis. Porrò ſtella totâ fulgorum ambitione glorioſiùs ſplendens, Chriſti natiuitatem teſtata eſt: Sol verò agnato iubare viduatus, & ſpoliatus vltro fulgorum gloriâ, Deum morientem loquitur. Plus autem eſt, cum ſui dedecore & ignominiâ aliquid atteſtari, quàm gloriæ cumulum præclaro teſtimonio mercari. Sibi etiam fauet, & adulatur Stella quando inſolito nouæ lucis ornatu clamat Chriſti natiuitatẽ: ſibi detrahit Sol, quandoquidem vt Chriſti morti blandiretur cæleſti etiam teſtimonio, ſuos radios contrahens, atque cum obſcuro ſui dedecore tenebras vice lucis offundit. Aſt ſublimius Chriſti Dei opus, mors inquã redemptionis clauſula, & merendi meta: tenebris venuſtatur, ſuffragio tenebrarum & illuſtrius redditur, & auguſtius promulgatur. Non caligo infuſcauit crucem, ſed tenebris lenocinantibus Paſſionem clarauit; quæ de Solis obſcuritate ſplendidius rutilat, & publicationis vſuram è tenebris fœneratur. Prææmaturæ tenebræ, quæ mundum præoccuparunt, an ſuccedanea lux, mundi opificium reddit illuſtrius? In tenebris Dei Spiritus rebus ſuperfertur; an ſuperferatur in clarâ luce, non dicitur.

Matth. 2. 2. Auguſt. ſer. 30. de temp.

Tenebræ illuſtrarunt magis Chriſti mortē, quàm Stella eius natiuitatem.

Hic v. 2. [illegible]

---

§. XXV.

Vſque eò eſt ſublimis Dei natura, vt aliquâ ignoratione meliùs cognoſcatur.

1. FALSA ſuperſtitio, olim & nunc veræ religionis æmula, nil magis curat, quàm occultare quod prædicat; ſi tamē prædicat quod occultat. Stuporem ſuum ſuſpēdio cogitationis ædificat; atque tantam ei maieſtatem exhibere videtur, quantam abſtruſione præſtruxit cupiditatem. Ecce ſuperſtitionis Sancta ſolo ſilentio magna, ſolâ taciturnitate cæleſtiâ; de ignorantiæ arcano, & tenebrarum adytis ſacroſancta. At vera Religio, ſicut obſcuriorem non amat caliginem; ſic nec clarum lucem nunc affectat. Porrò quod ſupra humanæ rationis faſtum eſt, humanæ rationis luce non claratur. Credenda ſunt abſtruſiora myſteria, non curioſiùs ſcrutanda, ne diuinæ naturæ & prouidentiæ empyreus fulgor, in temerarios ſcrutatores reuerberet cæcitatem. Vnde promiſcuum vulgus quædam ſapienter ignorare, quàm ignoranter ſapere, tutiſſimum eſt: præſtat per Deum neſcire, quàm per hominis curioſitatem ſcire, quod neſcias. Sublimiora Dei ſacramenta vulgi incurioſitate, & intellectus captiuatione, potiùs quàm mentis libertate decorantur. *Olim*, ait Nazianzenus, *apud*

Homines inexplebiles, & ambitioſi arcendi ſunt à penitiori Dei exploratione.

Naz. orat. 22.

apud ſapientes Hebræos à quibuſdam Scripturæ ſacræ libris iuuenes arcebantur, vtpotè tenuioribus adhuc & infirmioribus animis obiiciuntur. Eodem quoque modo non quibuſlibet, nec ſemper, nec certo tempore, ac certis hominibus, de fide adiutandis poteſtas fieret: iis nimirum qui nec animo ſunt omnino tardo & ignauo, nec itidem nimium inexplebiles, & ambitioſi. Nempè ſaltem homines *inexplebiles*, & nimium ambitioſi, arcendi ſunt à penitiori rerum cæleſtium exploratione.

2. Luc. 23. 45. Funeſta Chriſti Dei mortis viuas exequias ruptione Veli celebrat Synagoga. *Et Velum templi ſciſſum eſt medium. Et clamans voce magna Ieſus.... expirauit.* Chriſti Dei, an Synagogæ veteris, *ſciſſione Veli*, exequiæ celebrantur? Recenti Saluatoris morte expirauit vetuſtæ Synagogæ religio: nam Veritas vmbram diſpulit, antitypus typum exterminauit, & naſcens noua Eccleſia emortuam ſenectute Synagogam funerauit. Eſto moriente Domino funeſtas tunc faces gerat cælum, elementa fragore concutiantur, mundus inſolenter attactus lugeat, cur Velum templi vltrò reſcinditur? quid mors Chriſti ad Velum templi attinet? Opportuniſſimè ad rem S. Leo ſermone quodam de Domini Paſſione: *Velum*, inquit, *cuius obiectu ſecludebantur ſancta ſanctorum, à ſummo vſque ad ima diſruptum eſt, & ſacrum illud myſticumque ſecretum, quod ſolus ſummus Pontifex ingredi licitum habebat, reſeratum eſt, vt nihil iam eſſet diſcretionis vbi nihil reſederat ſanctitatis.* Quaſi dicat Magnus Leo: Mons Domini auſpicium fuit nouæ Legis, & Legis antiquæ interitus? ergo moriente Chriſto, Velum templi rumpitur, ex Veli ruptione omnibus reuelantur Moſaicæ legis myſteria, ac ſi ſacramentorum vulgaris reuelatio exequias celebret antiquæ Religionis. Nempe cùm ſancta ſanctorum omnium oculis peruia ſunt, & in templi adytis nihil abditum non patet peruiè omnibus, procul dubio illa Religio interiit. Vnde moriente Chriſto, & de eius morte naſcente nouâ Lege, emortuæ & abrogatæ Legis veteris Velum rumpitur; nam dum omnium oculis illius Religionis adyta, ſciſſo Velo propalantur, eiuſmodi propalatione dum ſemel tota cunctis apparent, palam abrogantur, obliterantur, tumulantur. *Velum ergo à ſummo vſque ad ima diſruptum eſt, vt nihil iam eſſet diſcretionis, vbi nihil reſederat ſanctitatis.*

Sciſſione veli Synagoga funeratur dum eius patent myſteria.

S. Leo Serm. 10. de Paſſio.

3. *Cur ſcientia boni vetatur.* Sobrietas, ſicut in rebus aliis, ſic etiam in ſcientiæ ſapore, inueniri expedit: nec plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Geneſ. 2. Adamo recens creato præcepit Deus dicés: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ad quæ verba ſic fatur Seuerianus: *Non deſunt qui dicant, quânam de cauſa vetauit Deus cognitionem boni & mali. Eſto, malum vetauit, vt quid bonum?* Luculenta plane quæſtiuncula: quam verſat etiam Ambroſius. Deuſne Boni cognitionem prohibeat? An faſtuoſam ſapientiæ electionem idoneâ inſcitiâ præpropere ingulat? An quia præſtat vel Bonum ipſum per Deum agnoſcere, quàm per hominem ſcire? An retunditur nimis curioſa de diuinis rebus ſpeculatio? Et quidem eſus arboris ſcientiæ boni & mali ſub pœnâ mortis interdicitur: *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Eritne ſcientia etiam Boni, mortis meritum, & lethalis languor? *Atque etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori*, dixit eleganter naturalis philoſophiæ Princeps. Mitto inexpenſa profani hominis ſententioſa verba, ne quis imperitè ſcrupuloſus nauſeet ad Gentilium ſententias. Saltem indubium eſt, aliquam Boni ſciétiam ſub pœna mortis vel Adamo interdictam, & in generis protoparente cunctæ ſoboli. Attentiùs & curioſiùs res Dei ſcrutari, & pernoſcere ſupra hominum faſtigium eſt. Hinc forte Deus in rerum primordio tenebras mundo offundit, vt ipſe rerum patrator eximius, ſub caliginis velo arcanè deliteſcat.

Geneſ. 2. 12.

Seuer. in Catena ibi.

Ambr. l. de Parad.

Morbus eſt aliquis, per ſapientiam mori.

Plin. lib. 7. cap. 50.

Hic v. 2.

Deum vis magnitudinis, & notum hominibus obiecit, & ignotum. Noctuæ oculi ad Solem cæci ſunt, ſub maligna luce aliquid vident; ſic humanæ rationis lumen ad ſupernaturalia Diuinitatis ſacramenta cæcum eſt, ſed obſcura fidei notione myſteria, vt poteſt, percipit. Videmus nunc in ænigmate: puto, ænigma de obſcuritate ſubſiſtit; quod ſi claretur, ænigma eſſe deſinit. Subtiliter Zeno Veronenſis verſans illud Geneſeos 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſic addubitat: Cùm de ſe dixerit Deus: *Ego ſum qui ſum, & non demutor, quid eſt, quòd ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram? Et fecit, inquit, Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Cum hoc ita ſit, homo quemadmodum Dei imaginem portas? cuius vultus paſſibilis, omni conuerſioni ſubiectus, momentis omnibus demutatur, labore, ætate, languore, irâ, gaudio, triſtitudine; tótque induat vultus, quot animi fuerint motus, nullúſque prorſus dies, qui integrè ſimilis eſſe videatur. Cùm hæc aliter non ſint, ergo nec Dei imaginem nos habemus. Habemus planè; & quidem manifeſtam,* (attentiùs aduerte, quæ ad rem præſentem ſubdit) *ex eo ipſo quod non eſt nobis portantibus nota. Incomprehenſibilis enim Dei imago, inuiſibilis ſit, neceſſe eſt.* Scilicet cum Deus incomprehenſibilis ſit, hominem elegit, qui idonea ſui foret imago, quæ Dei imago in homine inſculpta, eò incomprehenſibilem & inuiſibilem Deum perfectiùs repræſentat, quò tot viciſſitudinibus varia, *non eſt nobis portantibus nota.* Quaſi ſublimiſſima Dei natura, in hâc vitâ à nobis in ænigmate cognoſcenda, non tantùm aliquâ ſubobſcurâ Dei notione, ſed ſapienti aliquâ ignoratione meliùs agnoſcatur.

4.

Hic v. 26.

Malach. 3. 6.

Zeno ſerm. 2. in Geneſ.

Deus aliquâ ignoratione meliùs cognoſcitur.

---

§. XXVI.

Vſque adeò Deus noſter ſublimis eſt, vt videri niſi inuiſibiliter non poſſit?

SOL *lippientibus oculis non lucem tribuit, ſed tenebras.* Superna diuinitatis lux propiùs & curioſiùs inſpecta, humani intellectus oculos perſtringit & obcæcat; remotiùs & cautiùs, mentem ad Dei cognitionem 1.

Chryſol. ſerm. 60.

Deus in hac vitâ curioſè ab hominibus ſcrutandus non eſt.

nem inoculat: Dum quippe vis magnitudinis,& notum hominibus obiecit,& ignotum. In rebus enim quæ humanum captum excedunt, ſæpè deſipuiſſe, prudentia eſt; eſt infirmitas, virtus; & aliqua ignoratio, ſapientiæ cumulus. Sobria nunc de Deo notitia, ſublimior cognitio eſt, de incurioſæ alicuius ignorationis gymnaſio erudita.

2. Exodi 3. Moyſes Ægypti exul, paſcit in deſerto ſoceri ſui greges; & cernens procul ardentem & incombuſtam rubum ait: Vadam,& videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum.* Vbi primùm conſpexit Moyſes cæleſtem ignem, propiùs accedere feſtinat, quò diuinum myſterium ſenſu coram exploret, & intimiùs intellectu percipiat, aiens: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*: ſed vix ad incombuſtam rubum acceſſit, *& abſcondit Moyſes faciem ſuam.* Quid eſt, quòd Propheta propiùs accedit, vt myſterium videat, & vbi acceſſit, oculos velat? An carnis oculos abſcondit, vt præclarioris ignis cæleſte myſterium perſpicacius cernat? Subtiliter S. Auguſtinus agens de diuino Spiritus ſancti igne, ſic fatur: *Non enim habet inuiſibiles oculos humana dilectio, per quos videri Spiritus ſanctus poteſt, qui videri niſi inuiſibiliter non poteſt.* Quid accommodatius? Conſultò ergo Moyſes dum propius accedit, faciem ſuam abſcondit, velatque oculos, dum cernere cupit ineffabilem rubi incombuſtæ ignem, *qui videri niſi inuiſibiliter non poteſt.* O abſtruſum diuinioris notitiæ ſacramentum! Propiùs accedit, vt claudat oculos? oculos claudit, vt penitiùs videat? Res Dei niſi inuiſibiliter videri nô poteſt? Negat viſionem, qui rem eſſe dicit inuiſibilem. O pulchrum humanæ de Deo ſapientię ænigma! Bene propiùs accedit, vt velet & abſcondat oculos, qui præſumit rem cernere, quæ videri niſi inuiſibiliter non poteſt.

Exod. 3. 6.

Spiritus ſanctus videri niſi inuiſibiliter non poteſt

Auguſtin. Tract. 74. in Ioan.

3. Ioannis 1. Alterâ die vidit Iõannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: qui prior me erat & ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtetur in Iſraël propterea veni ego in aquâ baptizans. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum.* &c. Ad quæ Euãgeliſtæ verba, ſic addubitat Auguſtinus attentiùs hâc ſuper re legendus: *Ecce* inquit, *venit Dominus adhuc baptizandus, nondum baptizatus: audi vocem Ioannis: Tu ad me venis, ego à te debeo baptizari. Ecce iam agnoſcit Dominum, à quo vult baptizari. Baptizatus Dominus aſcendit ab aquâ, aperiuntur cæli, deſcendit Spiritus: modo illum agnoſcit Ioannes. Si modo illum agnoſcit, cur dixit anteà, Ego à te debeo baptizari? Si autem non eum modò agnouit, quia iam nouerat eum, quid eſt, quòd dixit, Non noueram eum, ſed qui me miſit baptizare in aquâ, ille mihi dixit: ſuper quem videris,* &c. *ipſe eſt qui baptizat in Spiritu ſancto?* Argutè quidem quo ſolet ingenij acumine addubitat Auguſtinus aut Ioannem non debuiſſe ignorare, quem agnoſcit; aut antea non agnouiſſe, quem modò fatetur ignorare. O abſtruſam Ioannis Baptiſtæ velut de Chriſto Deo ignorationẽ! Quo modo quod ſcit, ignorat, ſi aliqua ignoratio non facit ad notitiam? Num Ioannes Baptiſta Moyſen imitatus, dum propiùs ad myſterium accedit, vt illud cernat, oculos abſcondit, vt Incarnationis Dominicæ ſacramentũ illuſtriùs peruideat? Ignoratione ſe cognoſcere dicit eum, *qui videri niſi inuiſibiliter non poteſt?* Scilicet Deum, Deique ſublimiora ſacramenta, vis magnitudinis, & nota hominibus obiecit, & ignota: dum non modò obſcurè noſcendo, ſed etiam ſapienter ignorãdo Deus in hâc vitâ pro humano modulo hominibus innoteſcit, *qui videri niſi inuiſibiliter non poteſt.* Hâc eruditâ ignoratione ſubtilius hominũ perdomatur ingenium: ne audeat homo humanâ mente Diuina metiri, & Trinitatem humanæ rationis librâ penſitare. Operi ſuo ante lucem tenebras Deus præmittit. Hic v. 2.

Ioan. 1. 32. & 33.

Ignorat Ioãnes quẽ prædicat Chriſtum?

S. Auguſt. Tract. 4. in Ioan.

---

§. XXVII.

Vel cælum ipſum ſubcæleſtium rerum obſcuritate ſplendores ſuos adornat.

SVBLIMIVM ſæpè fortuna pro culpa eſt: facit quidem auidos nimia felicitas; nec tam temperatæ cupiditates ſunt vnquam, vt in eo quod contigit, deſinant. Gradus à magnis ad maiora fit, & ſpes improbiſſimas amplectuntur, inſperata feliciter aſſecuti, dum alto faſtigio ſublimes, vel puſillos quoſque de ſuo gradu deiicere procurant, & lucis ſuæ ſplendore reliquos obſcurare exambiant, improbâ ambitionis ſpe, Proceribus cognatâ. 1.

Sublimes deprimere reliquos ſatagũt.

Hic verſ. 1. Deus de arcanis omnipotentiæ ſuæ theſauris creat cælos, naturâ præluſtres, faſtigio ſublimes, virtute conſpicuos. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Pergit ſacer hiſtoricus: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Vndenam hæc vmbra, quæ ſubcæleſtium creaturarum nitorem ſic præproperè infuſcat? Conſultò Moyſes Deum vindicat ab hâc inuidioſâ obumbratione, dum non ait, Deum feciſſe tenebras, ſed, *Tenebræ erant.* Hinc ſancti Patres, & politiores Geneſeos interpretes diligentiùs inquirunt, quænam fuerit, quæ ſic feſtinauit ſubcæleſtes creaturas obſcuriſſimè obumbrare. Theodoretus aliorsùm nuper expenſus, ita hâc ſuper re ſingulariter philoſophatur. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Tenebræ* (inquam) *huius mundi propter cæleſtis corporis vmbram prouenêre.* Res profectò & admiratione & expenſione digniſſima. Primâne rerũ ſublunarium obſcuritas proueniat à cæli eminentiâ? Vel cælum ipſum neſcit eminere, lucere neſcit cælum, quin alios obtenebret? A reliquorum tenebris prælucere cælum procurat? Primus ſplendorum fons, tenebras manando dedicatur? Sed curſim ad mores etiam nota,

Hic v. 1. & 2.

2.

Prima terrarum vmbra & obſcuritas à cælo eſt.

Theod q. 6. in Geneſ.

Vel ab aduerſario felicitas expectanda eſt.

nota, illudmet cælum, quod te nunc obſcurauit, illudmet te poſteà illuminaturum. Sic omnis res mundialis mutat vices! Vel ab aduerſario felicitas expectanda eſt.

3. Geneſ. 2. Hugo ibi.

Geneſ. 2. *Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Non conuenit inter expoſitores, qualis fuerit hic cæli & terræ ornatus, qui ſic eximiè vtriuſque naturam venuſtauit ad gratiam. Hugo Carenſis ibi haud vulgariter rem expoſuit, aiens: *Et omnis ornatus eorum & ornatus communiter accipitur ad ornatum & diſtinctionem.* Paradoxo ſimile eſt, ornatum omnem cæli & terræ, eſſe ab inuicem ſeparari. Quid? omnis cæli ornatus erit à ſordidæ telluris cõtubernio ſeparari? Sed eſto, ſeparatio cæli à terrâ ſit omnis cœli ornatus, at quo pacto Terra eximiè ornatur, dum ſeparatur à cælo? An quia illuſtris cæli pulchritudo, propinquæ telluris fœditatem prodit & amplificat? Nemo minor niſi inter magnos. Magna alioqui venuſtas à maiori aliorũ pulchritudine deuenuſtatur egregiè. An terra ornatur ſeparatione à cælo, quia primus & potiſſimus rerum vniuerſitatis ornatus fuit diuiſio, & diſtinctio pro cuiuſque dignitate? *El primero y mayor ornato de qualquier coſa, es que eſte en el lugar y pueſto que merece, y no en menor.* An potiùs, quia ſublimibus agnatum eſt, reliquos viliùs deprimere, quaſi neſciant, niſi de aliorum exiguitate eminere? Infirma magnitudo eſt, quæ de alterius exiguitate fulcitur. Maligna planè lux eſt, quæ de aliorum offuſcatione prælucet. O fuge Magnatum contubernium! terra erat inanis & vacua, ex mente Hugonis, dum cælo vicinabatur: at cùm longo interuallo à cælo ſeiungitur, tunc, tunc quidem, ſeparatio à cælo *omnis eius ornatus* moraliſſimè appellatur. Sat erat omnium infimiſſimo terræ elemento propriæ humilitatis ignominia, niſi etiam à ſublimiſsimi cæli propinquitate depreſsiùs vileſceret, faſtidioſo affectatæ contumeliæ incremento. Scilicet cælum, quod lucere neſcit, niſi alios obſcuret; neſcit etiam eminere, niſi terram contumelioſiùs dehoneſtet. Vnde diſtinctio ſeu ſegregatio cæli à terrâ, dicitur, omnis terræ ornatus. O ſublimium ambitio nunquam exſatiata! Vel puſillis detrahit, quod ſibi adiiciat, quò vel de aliorum exiguitate ſublimiùs emineat.

Ordo pro cuiuſuis dignitate, eſt cæli & terræ omnis ornatus?

Separatio cæli à terrâ eſt omnis terræ ornatus?

---

§ XXVIII.

Nil putatur illuſtre, quod nitorem non mutuat lucis ſuffragio?

1. S. Chryſol. ſerm. 120.

Perſarũ arrogãtia luce ſidereâ ambitioſiùs veſtitur.

PERSARVM *Reges* (ait Chryſologus) *ſubiectâ nunc pedibus ſphærâ, vt polum ſe calcare viuos mentiantur: nunc radiato capite, ne ſint homines, Solis reſident in figurâ: nunc impoſitis ſibi cornibus, quaſi viros ſe eſſe doleant, effeminantur in Lunam: nunc varias velut ſiderum ſumunt formas, vt hominis perdant figuram, & nihil ſupernæ claritatis acquirant.* Ecce tibi, quàm arroganter de cælo lucere humana ſuperbia præſumat. Nec putauerim, tam claritatis lucem Perſarum Reges expetere, vt illuſtriùs decorentur, quàm lucis claritatem, quâ ſe, ſuáque omnia, (quæ auguſtiſſima putabant) ambitioſiùs ſpectatorum oculis venditarent. Nil putatur magnum, quod à lucis commendatione non mutuet faſtigium, amplitudinem, decorem: quaſi tenebræ ſuum ſqualorem rebus affricent, & rerum cognata pulchritudo luce accendatur, quæ in cæcis tenebris interſtincta ſqualebat. Vnde bonus mundi, & mundialium rerum opifex, caligantem primò mundum infuſo lumine aperuit, vt eius ſpeciem eximiè venuſtaret.

Hîc v. 2. & 3. ita ſcribit Moyſes: *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux.* Quæ verba his illuſtrat Ambroſ. *Meritò*, inquit, *præmiſſus eſt Spiritus Dei, vbi diuina incipere habebat operatio, Fiat*, inquit, *lux. Vnde vox Dei in Scripturâ diuinâ debuit inchoare, niſi à lumine? Vnde mũdi ornatus, niſi à luce exordium ſumere. Fruſtrà enim eſſet, ſi non videatur.* Non dimittam inexpenſum, quod alîus thematis fortè materiam ſuggeret, quòd antequam Deus inchoet primam & præclariſſimam operationem, *meritò præmiſſus eſt Spiritus Dei*, vt opus ſuum egregiè commendet. Annon ſatis eſt, eſſe Dei opus? Annon ſatis creatio de re ſpirituali s eſt? *Meritò* tamen *præmiſſus eſt Spiritus Dei, vbi diuina incipit operatio*, quò hominibus innoteſcat, hoc opus non tantùm bonum eſſe, benèque factum; ſed etiam cum ſpiritu fieri, quæ eſt illuſtris quædam operis excellentia. *Es obra hecha con ſpiritu*, quod omne tulit perfectionis punctum. Sic etiam in Chriſto Deo, antequam operari Meſſiæ opera palam inciperet, *vidit* Ioannes *ſpiritum deſcendentem de cælo, & manentem ſuper eum.* Neſcio quam recognoſcimus & veneramur eminentiam, præter operis communem bonitatem, in his operibus; quæ ſpeciatim ſpiritu fiunt, ſpiritum redolent, & ſpiritum ſapiunt; & operantem eſſe ſpiritu afflatum perſpicuè denotant. *Vnde meritò præmiſſus eſt ſpiritus Dei, vbi diuina incipere habebat operatio.* Pergit ad rem Ambroſius: *Vnde vox Dei in Scripturâ diuina debuit inchoare, niſi à lumine? Vnde mundi ornatus, niſi à luce exordium ſumere? Fruſtrà enim eſſet, ſi non videretur.* Quaſi tenebræ rerum fruſtrentur venuſtatem. Cogita cæli latitudinem, magnitudinem, pulchritudinem, quod mẽtis vim propè admirabilitate ſuâ ſuperat; abſque fulcimentis infernè iactis, & ſine vllo ſuperno vinculo vertici iniecto, ſursùm perpetuò ſtare, ſponte cogi. Terræ verò pondus, cùm interminata ſint eius ſpatia, vbi appenſum eſt? Supernatat aqueum elementum, cuius circumfusâ mole oppreſſa terra latuit. Aëris vaſtior tranſparentia immenſum exſpatiatur, mirâ rerum concordiâ. Quin & reliquas creaturas iamiam parturit Dei manus, creaturarum genitrix, & alma nutrix. Sed hactenus nulla lux, & fruſtrà (vt ſic loquar) opificis labor: *Fruſtrà enim mundus eſſet, ſi non videretur.* Prima iam vox à Deo mittebatur, & mundo lucis flores ſpargebantur. Squalet pulchritudo inuiſa, & tantùm floret lumine opificium. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus: vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis.* Quaſi ſterilis ſit virtus, quæ lucis beneficio, alios bono exemplo, velut quodam virtutis

2. Hic v. 2. & 3. S. Ambr. l. 1. Hexaëm. c. 9.

Ante præclaram creandæ lucis operationẽ, meritò præmittitur Spiritus Dei mentio.

Ioan. 1. 32.

3. *Fruſtrà eſſet mundi pulchritudo, ſi luce viduata non videretur.*

Matth. 5. 16.

tutis ſemine, ad omnes ſanctitates non fœcundat.

4. Iob 38. Sic Deus ad Iobum loquitur, ſuam oſtentans ſapientiam, & potentiam in argutà mundi fabricâ. Vbi eras, inquit, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes eius ſolidatæ ſunt? aut

Iob 38.7. quis demiſit lapidem angularem eius, *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent*

Cur electi dicuntur aſtra veſpertina. *omnes filij Dei?* Magnum eſt inter commentatores diſſidium, quæ ſint hæc aſtra matutina, quæ etiam veſpertina, quorum hîc obliqua fit mentio; & quinam fuerint hi filij Dei, quorum panegyricus concentus diuinas aures

Anſ. l. in ibi. in rerum exordio ſic demulcebat: de aſtris veſpertinis ſic fatur Anſelmus Laudunenſis: *Vbi eras cum me laudaret ſimul aſtra matutina cum veſpertinis, id eſt, electis hominibus?* Electi à Deo homines aſtra veſpertina dicuntur? Puto, aſtra veſpertina totâ die interſtincta marcent, nec vſpiam inuiſa apparent. Aſtra quidem ſũt etiam interdiu; ſed quæ expectant veſperam, vt ſplendeant. *Electi homines* velut aſtra veſpertina ſunt, quæ in die huius vitæ inuiſa latent; ſed quæ mortis veſperam expectant ad lucendum in perpetuas æternitates. Hęc aliud agens, perſtrinxerim. Itaque præfatis verbis Anſelmus Laudunenſis, ſecutus plures Iobi interpretes, cenſuit, *aſtra matutina* ſignificare Angelos, qui etiam *filij Dei* mox appellantur. Alij verò complures meritò exiſtimant, *aſtra matutina* ſignificare quod ſonant, & ſiderea aſtra innui, quæ præclarâ ſplendorum voce, ſimul cum Angelis diuinas occinunt laudes. Aſt obſtat vocula *ſimul*, quæ ſen-

5. S. Greg. l. 28. Moral. c. 14. ſum impedire, & interturbare videtur. *Nec negligenter audiendum eſt, quòd additur, ſimul,* vt profundè inibi notauit Gregorius. Porrò

Angeli non ante lucem, ſed cũ Aſtrorum luce, opificis laudes decantant! aſtra die mundi quartâ producta a Deo ſunt: Angeli verò vel paulò ante primam diem, vel in primæ diei exordio, vt in commentario litterali ibidem notabamus. Quid? toto triduo Angeli ceſſarunt, quin diuinarum laudum acclamationes auſpicarentur? an tunc aſtra, antequam creata fuiſſent, hymnum ſimul cum Angelis concinnè modulabantur? o altũ Moyſis ſilentium, in re in paucis abſtruſa, & pariter

Baſil. orat. 1. ſcitu digniſſimâ! ſed *diſcamus & ſcripturam, dum tacet audire, & dum loquitur, erudiri*, ait ibi Baſilius Seleuciæ præſul, ſcilicet Angeli tunc arcanum rumpunt ſilentium, & *ſimul* cum *Aſtris* laudes Dei modulatè concinunt, cùm in die mundi quartâ Deus lucem loquitur, & clarat vniuerſum: atque aſtrorum in cælo figit lumina, & firmamentum luminoſis floribus conſerit, quò explicatiùs mundum illuſtret? *Nec negligenter audiendum eſt, quod additur ſimul.* Quaſi Angeli, qui filij Dei appellantur, ſilentio præterierint auguſtam cæli fabricam, immenſam terræ molem, aquæ fluctuantis abyſſum, & interminatam aeris vaſtitatem, dum in tenebris abſconſa iacent. At dum aſtris micat cælum; & lucis floribus venuſtatur orbis, tunc, tunc quidem, *Aſtra matutina*, id eſt, prælucentia; & omnes filij Dei, Angeli inquã, feſto plauſu modulatas & Deo dignas tanti opificij acclamationes Opifici ſuo *ſimul* concinunt. Silent Angelorum ora, vt *ſimul* cum ſidereâ Aſtrorũ linguâ illuſtriùs clara Dei opera celebrẽt, quaſi in tenebris adhuc, obſcura forent? *Vnde non negligenter audiendum eſt, quòd additur, ſimul: fruſtrà enim mundus eſſet, ſi non videretur.* Planè luculenter.

---

§. XXIX.

Diſtrictior delictorum inueſtigatio, ſæpè medicinam non facit, ſed occultum vulnus exulcerat.

EXSOMNIS Gubernatorũ perſpicacia, felicitas regiminis eſt. 1.
Quiſquis peritè regere cupit, quaſi per anatomiæ artem exploratas habeat res, indolem, ſtudia, virtutes, & vitia ſubditorum. Peritior medicus nemo eſt ignoto vulneri. At quemadmodum qui viua exſecat corpora, nõ eſt medicus, ſed lanius; ita qui exactiùs quàm par eſt, defectus ſcrutatur, non medicinam, ſed lanienam facit. Nam delicta dum nimis diſcutit, perſpicuè prodit; & ſerpente diſquiſitionis infamiâ, hominem perdit, vt noſcat.

Hugo Victorinus ad illa verba Geneſis 1. 2.
Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux, ſic Hic v. 3.
præclarè fatur. *Et ipſa* (inquit) *lux tres illos pri-* Hugo vict.
mos dies faciebat antequam Sol fieret, & illumi- inibi.
naret mundum. Sed quid ſignificat quod non ſta- *Inordinatæ*
tim factus eſt Sol, ex quo lucem fieri oportuit, ſed *confuſioni,*
vt quaſi lux eſſet, prius quàm clara lux? Et for- *non plena*
taſſis confuſio, plenâ luce digna non erat, aliquam *ſed maligna*
tamen lucem accepit. Moraliſſima planè Gu- *lux primùm*
bernatoribus eruditio! Scilicet vbi rerum in- *accenditur.*
ordinatio, & confuſaneus earum tumultus præceſſit, lenocinantibus tenebris; tunc, tunc quidem *quaſi lux* accenditur, non luminaria magna, quæ plenâ niterent lampade, nimiſque clararent abyſſum. Non omnia clarâ luce publicanda & arguenda ſunt: plura occurrunt flagitia perſpicaciæ diſſimulatione corrigenda. Plena lux ſæpè perſtringit, non acuit ſpectatores. Heu quoties nimis attenta Gubernatorum perſpicacia delinquẽtes faſcinat! Superior plures defectus (ſi quot occaſio prudentiæ ſuggeſſerit) vidiſſe diſſimulans, ſicut adulatur reorum famæ, ſic non ſemel emendationem negotiatur. Culpatæ conſcientiæ permittenda eſt ſpes recuperãdi, quam putat dubiam de ſe opinionem. Sæpè claræ lucis naufragio periclitatur ſpes, amiſsâ emergendi fiduciâ. Oportuit *vt quaſi lux eſſet, priùs quàm clara lux: & fortaſſis confuſio plenâ luce digna non erat, aliquam tamen lucem accepit.* Tenebroſæne abyſſo clara lux de repentè emicaret? Tenuis & maligna lux prius abyſſo accendatur; poſtea, ſi opus fuerit, totius Solis ſpiculis expugnetur abyſſus. Itaque abyſſo priùs *quaſi lux*, poſteà *plena lux* accenditur.

Matthæi 18. *Ideo aſſimilatum eſt regnum cæ-* 3.
lorum homini regi, qui voluit rationem ponere Matth. 18.
cum ſeruis ſuis. Et cum cœpiſſet rationem pone- 24.
re, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia Remigius
talenta. Remigius exponens horum verborum ibi.
ſententiam, ita fatur: *Per ſeruos huius hominis* *Sæpè ſat eſt*
regis deſignat omnes homines... Cum quibus ra- *cepiſſe diſcu-*
tionem *tere crimina.*

tionem ponit, quando vitam & mores, & actus ſingulorum diſcutit. Sed expenſione digniſſimum eſt, quòd cùm diſcutit vitam & mores, & actus hominis flagitioſiſſimi, quippe qui decem millia talenta furaciſſimè vſurpatat, tantum dicatur, *Cœpiſſe rationem ponere.* Cœpit duntaxat? & cur non diutiùs perſeuerauit in exigendâ ratiône, ſi fortè ampliorem clancularij furti ſummam deprehenderet? *Era la vez que tomaua cuentas, vio luego la llaga muy honda y encancerada; diſimulo, y tapola como como pudo.* O moraliſſimam Gubernatoris eruditionem! In poſtremâ finalis iudicij die, ratio vſque ad vltimum quadrantem exigitur, quia nullus reſtat pœnitentiæ locus, at in primaris iudiciis, vbi exulceratum nequitiæ vulnus offenditur, non ſemel conſultius eſt, *cœpiſſe* rationem ponere, & diſſimulare vlteriorem flagitiorum diſquiſitionem, quò pateat reſipiſcentiæ aditus: ne reo totâ delictorum infamiâ obruto, emergendi præcludatur facultas.

2. *Hic v. 3.* Hic verſ. 3. *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Super quibus verbis ita eleganter philoſophatur Oleaſter. *Animaduerte, & conſidera diligenter, qualiter non ſat fuerit Deo, lucem pulcherrimam creare; niſi etiam poſtquam condita, examinaret. Numquid opus tuum, Domine, malum eſſe poteſt, aut in eo defectus aliquis contingere, vt examine opus ſit? Etſi alia opera tua examine indigerent, non tamen lux, quam puriſſimam & ſpecioſiſſimam facere dignatus es; & ad quam omnia alia opera examinantur. Quid quaſo me docere vis in hoc examine?* An in hoc examine intendit homines erudire, quod ſi puriſſima & ſpecioſiſſima lux ſubit exacti cenſuram examinis, quid non timeant tenebræ, omnium ſcelerum ſuſpicione obſcuræ, & de flagitiorum lenocinio ſuſpectæ? Ceterùm putauerim, Oleaſtrum in ipſâ dubitandi ratione, dubij ſolutionem diſſimulanter ſuggeſſiſſe. Nempe, etſi puriſſima & defæcatiſſima ſit, lux in præproperam tamen ſubit ſcrupuloſi examinis cenſuram; quippe *ad quam omnia alia opera examinantur.* Porro lux ſcrupuloſior rerum examinatrix eſt, vel leuiſſimorum defectuum omnia redarguit, limpidiſſimi aëris cognatos næuos, atomos inquam, curioſè explorat, & perſpicuè prodit. Ergo lux, quæ curioſiùs reliqua ad amuſſim examinat, & exploratos defectus manifeſtè publicat; priùs ipſa ſcrupuloſè examinetur. Patiatur ipſa, quod ab ipſâ res aliæ patiuntur. Ediſcat in proprio examine, quàm ſit moleſtum, ſuſtinere adeò exactum defectuum examen, vt nihil diſſimulet, nihil non arguat, nihil non prodat. Fortè præmaturo ſui examine eruditur lux, vel potiùs eius vis curioſa aliorum examinatrix quodammodo compeſcitur.

Olaſter ibi Si puriſſima lux examinatur, quid non timeant tenebræ?

4. *Lux, quæ curioſa eſt aliorum examinatrix, ſcrupuloſè examinatur.*

***

Celada *de Benedict. Patriarch.*

§ XXX.

Vera ſapientia eſt, Splendor lucis æternæ, & emanatio omnipotentis gloriæ.

Quàm contempta res eſt homo niſi ſupra humana ſe erexerit! Deſipit, cùm humana ſapit, & ipſarum rerum ſordes mête bibulâ haurit, dum in rem quam mente verſat, occultâ metamorphoſi animus transformatur. Cùm verò homo diuina contemplatur, alitur, adipatur, & creſcit; ac velut primæui delicti liberatus vinculis, felicitatem paradiſeæ originis æmulatur. Ad veram ſapientiam, quæ & diuina fide indubiâ percipit, & humana pio virtutis faſtu contemnit, non perducent te aptè verba contexta, & oratio fluens leniter. Eant & volent Dialecticorum captiunculæ, & nuperrimæ Theologorum argutiæ, ingenioſè fabricatæ; in re neſcio an falsâ, certè inutili ſubtilitate graues; dum animo & congrua cæleſtium notio, & compoſitio ſua conſtet; dum ſit magnus, & rerum fidei ſecurus, & ob ipſa quæ aliis diſplicent, ſibi placens: qui profectum ſuum vitâ æſtimet, & tantùm ſcire ſe iudicet, quantùm non cupit, quantùm non timet, quantùm notione ſobriâ, quæ cæleſtem erudiant vitam, de diuinis agnoſcit. Profectò hoc tunc habet homo argumentum diuinæ cognationis, quod illum diuina delectant. 1

Quæ ſit vera ſapientia.

2. *Geneſ. 2. 9.* Geneſeos 2. Plantauit Deus in denſo paradiſi nemore, vitæ arborem, *lignùmque ſcientiæ boni & mali.* Sed confeſtim vetat edulis & ſapidiſſimæ arboris eſum. Eccur *ſcientiæ* arborem Deus plantat, ſi ab illa arcendus homo erat? Imò ſi iam plantauerat, quare à bonâ arbore hominem arcet? Quid foret incommodi, quòd homo ſcientiæ boni & mali fructum guſtaret? Et quidem tartareus ſerpens de inferni latebris erumpens, totas cum ſinu ſuo, ſuæ malitiæ artes explicat, vt guſtui blandiendo, ad eius eſum homines alliciat. Heu quàm imperitè, & fatuè, & malitioſè Adamus è terrâ veram ſapientiam quærit! nam vera ſapientia à Deo eſt: eſt enim (vt luculenter inibi tradit Ambroſius, myſticè agens de his paradiſi arboribus:) *Splendor lucis æternæ, & emanatio omnipotentis gloriæ.* Quaſi parùm foret, quod vera ſapientia diceretur *æternæ lucis ſplendor*; appellatur etiam *emanatio omnipotentis gloriæ*: ac ſi omnipotenter glorioſus ſit, qui ſapit de cæli ſcholâ. Qui eſt pius glorioſæ ſapientiæ faſtus! Terrena namque ſapientia, infirma eſt, dubia eſt, veritatis auara, & mendaciorum prodiga eſt; quæ ab humani ingenij imbecillitate, & arbitrij malitiâ ortum habens, ſæpè allucinatur, cæcutit, errat. At vera ſapientia ſic præcelſa & auguſta eſt, vt ſit tota empyrea: eſt enim, *Splendor lucis æternæ, & emanatio omnipotentis gloriæ.* O felices veræ ſapientiæ natales! Malè Adamus in ligno ſcientiæ boni & mali quærit imbecillæ ſapientiæ gloriam, quæ iugis omnipotentis gloriæ emanatio eſt. O agnoſce veræ ſapientiæ natales auguſtè generoſos!

Sapientia eſt emanatio omnipotentis gloriæ.

S. Ambr. lib de Parad. quod ferè mutuauit ex Sap. 7. v. 25.

3\. Sidonius Appollinaris ſic litteratiſſimo ſuo Ioanni ſcribit: *Iam remotis gradibus dignitatum, per quas ſolebas vltimo à quo ſummus quiſque diſcerni: ſolum erit poſthac nobilitatis indicium, litteras noſſe.* Illuſtris ſanè ſapientiæ commendatio, quæ ſola aditum ad honores præſtet, & ad ſublimitates expromptior gradus ſit. Regiam dignitatem olim ſapientioribus tradi, notius eſt, quàm vt probatione egeat; quaſi purpura exambiat ſapientiam. An cælorum regnum mundialia regna æmulatur, & ſapientes expetit? Profectò Chriſtus Deus ſic hominum vota inſtituit, aiens: *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter qui es in cœlis; ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum.* Quid eſt, *adueniat regnum tuum*? Olympium cœlorum regnum, ſedibus ſuis relictis, ad terras deſcendere poteſt. Sic inertes ſunt homines, vt cùm laſſi pigreſcant, dum ad regnum cælorum poſſidendum pergunt, i. ſi deſides deſiderāt, vt cælorum regnum adueniat ad ipſos, quò ipſi cælorum Reges ſine itineris labore fiant. Bellè Hugo Cardinalis: *Adueniat regnum tuum, id eſt, da nobis ſpiritum intelligentiæ.* Idemne eſt, Induc nos in poſſeſſionem regni cæleſtis, ac, Da nobis ſpiritum ſapientiæ & intelligentiæ? Spiritus ſapientiæ Reges cælorum facit? Patum eſt, vt poſthac cæleſtis ſapientia, ſit *nobilitatis indicium*, niſi etiam foret cæleſtis regni præclara poſſeſſio, aut hereditarium poſſeſſionis ius? Sic ſapientia glorioſè beat? *Splendor eſt lucis æternæ, & emanatio omnipotentis gloriæ.*

Sidon. epiſt. ad Ioannem.

Regnum cælorum dicitur ſpiritus intelligentia.

Matth 6. 9.

Hugo ibi.

4\. Reſcribam iterum eadem Matthæi verba, vt ſpicilegium faciam vberis ſententiæ, quam alias demetens, omiſi: *Sic ergo orabitis: Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum.* Ad quæ verba ſic fatur Auguſtinus: *Non ſic petitur, Sanctificetur nomen tuum, quaſi non ſit ſanctum nomen Dei.* Quid ergo petimus, vt ſanctificetur nomen Dei, quod ſanctiſſimum & glorioſiſſimum eſt? Num niſi id ego humanis impetrauero precibus, nomen Dei ſanctum exinceps non erit? Eleganter Hugo ibi: *Sanctificetur nomen tuum, id eſt, detur nobis ſapientia.* Bone Deus, quàm grande ſapientiæ elogium! Vera hominum ſapientia, Dei *ſanctificatio* dicatur? Deúſne is eſt, qui ſanctificetur humanâ Doctorum ſapientia? Tanto elogio piè ſuperbit ſapientia. Nil tamen æquè dignum dici poſſe videtur de eâ, quæ ab Ambroſio appellatur; *Splendor lucis æternæ, & emanatio omnipotentis gloriæ.* Scit peritus quid *ſanctificandi* nomine in Scripturis ſignificetur, præſertim cum de Deo dicitur. Imperitus diſcat à Maldonato, cuius acceptio & optima eſt, & quam alibi latiùs expendemus.

Matth. 6. 9.

S Auguſt. l. 2. de ſer. Dom.

Hominū verâ ſapientiâ ſanctificatur Deus?

Hugo inibi.

5\. Putauerim, humani generis protoparentes, non tam eſuriſſe pulchros & ſapidiſſimos arboris ſcientiæ boni & mali fructus, quàm ſapientiam, quæ inibi latêre aſtu mali Dæmonis opinantur; fortè putantes id vnum deeſſe ad perfectum paradiſiacæ beatitatis cumulum. Profectò veræ ſapientiæ fames, inter Chriſtianæ perfectionis beatitudines computatur, quaſi euangelicam perfectionem, vera ſapientia beet. Matthæi 5. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Quænam eſt hæc *iuſtitia*; cuius famem, & ſitim beat Chriſtus? An *iuſtitiam*, vnam è quatuor cardinalium virtutum numero? an *iuſtitiæ* vocabulo, omnes vniuerſatim virtutes, & vitæ Chriſtianæ perfectio (vt aliàs ſæpè in Bibliis) deſignatur? S. Hilarius, quo pollebat ingenij acumine, ſic hunc locum eleganter exponit: *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, &c. Significans extenſam in Dei doctrinam ſanctorum auiditatem, bonis perfectæ in cælo ſatietatis expleri.* Sanctorum auiditas doctrinæ cæleſtis, in hâc mortali vitâ, fame & ſiti beat; in empyreâ gloriâ perfectè eſuries exſatiatur. Olympiâ felicitate. Quid mirum ſi in hac vita beet, quæ in futura vita, iam conſummatè perfecta, æternùm plenè felicitabit. Iure nunc beat vera ſapientia, quæ & regnum cælorum, & Deum ſanctificare, atque *ſplendor lucis æternæ, & emanatio omnipotentis gloriæ* dicitur: & cuius præclara vmbra nunc è cælo mortalibus fulget: *Dixitque Deus fiat lux: Et facta eſt lux.*

Matth. 5. 6.

Fames & ſitis vera ſapientia beat.

Hilar. Can. 4. in Matth.

Hic v. 3.

---

§. XXXI.

De ſcholâ pacis & concordiæ erudienda eſt Chriſtiana Doctorum ſapientia

IN his etiam qui ingenium pariter & mores ad virtutem concinnant, res eſt inquieta ſapientia humana, ipſa ſe exagitat, & mouet cerebrum non vno modo. Alios in aliud irritat, hos in potentiam, illos in ambitionem; hos inflat, illos mollit, alios in ſeditiones ſoluit totos. De ſe & Baſilio ſic fatur Nazianzenus: *Par ſpes doctrinæ, hoc eſt, rei omnium inuidioſiſſimæ, nos ducebat; & tamen aberat inuidia: æmulatio autem ſtudio erat.* Eſto, diſſentiat intellectus, non diſcordet voluntas; quæ pari voto ad veritatem & virtutem contendit; diſpari viâ. Sit intellectus diſputationum palæſtra, non voluntas. Deſcribantur ratiocinationum argutiæ in charta ſua, mente inquam; non commeent ad voluntatem diſcordantis doctrinæ characteres. Puto, voluntas non bene diſcordiarum bibula eſt; ne diuerſiſſimis affectibus impreſſa, factiones pro libidine armet contentionum tumultu, & concordiæ ſtrage. Quin & exgtex diſcordia, vt pacis, ſic & doctrinæ abortus eſt, & diſciplinarum nouerca. 1.

Naz Orat. de laudib. Baſil.

Sapientia eſt rei omniū inuidioſiſſima.

S. Petrus Chryſologus toto ſermone 53. multa ſparſim Pacis elogia condenſat & exaggerat: *Pax fratrum, inquit, eſt voluntas Dei, iucunditas Chriſti. Pax ſuffragium precum eſt. Pax eſt, quæ ſibi exigit à Deo quod velit, quæ quicquid voluerit petit, quicquid petierit ſumit. Pax deſideriorum omnium plenitudo eſt.* Pergit ad rem Chryſologus: *Pax perfectio eſt ſanctitatis, iuſtitiæ regula, magiſtra doctrinæ, morum cuſtodia, atque in rebus omnibus laudabilis diſciplina.* Audis Pacem eſſe doctrinæ magiſtram. Quis reſpuat Empyreæ Pacis cæleſte magiſterium? Qui de Pacis ſcholâ eruditur, ſidheream doctrinam eructat, cælum fragrat, diuina ſapit, non humana. 2.

Chryſol. ſerm. 53.

Pax magiſtra eſt Chriſtianæ doctrinæ.

Pax,

3. Pax, quæ iuſtitiæ regula, magiſtra doctrinæ, atque in rebus omnibus laudabilis diſciplina dicitur à Chryſologo. *Perfectio ſanctitatis* etiam appellatur, ne quis inter Catholicos virtutis obtentu pacem violet. Perbella quæſtio eſt, quàm alibi alioſùm expendebam. Quare Deus ſecundam naſcentis mundi diem non laudauit, ſicut reliquas dilaudauit. *Intuendum*, ait Hieronymus, *quòd Scriptura in primo, & tertio, & quarto, & quinto, & ſexto die expletis operibus ſingulorum, dixerit: Et vidit Deus quia bonum eſt, in ſecundo die hoc omnino ſubtraxit.* Quid deliquit hæc ſecunda dies, in quâ Firmamentum conditum eſt, vt ipſa ſola Dei approbatione & laudatione viduetur? Imò etſi reliquæ naſcentis mundi dies benedictione caruiſſent, ſola hæc dies, in quâ cæleſtes orbes dicuntur producti, Dei approbatione decorari meruiſſet. Sed attentiùs aduerte ad munus, quod cælum ſeu firmamentum obiit, cùm primò productum eſt: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum; diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita.* Profectò *aquarum* nomine ſapientes aut ſapientiam intelligi, tradit eruditè Laurętus Ceruatienſis, & perſpicuum eſt ex illo Eccleſiaſtici, *Aquâ ſapientiæ ſalutaris potauit illum.* Audis cælum vix enatum feciſſe inter ſapientes diuiſionem, & expetis approbationem? Vel diuiſionem ſapientum à cælo, & per cælum factam, non approbat Deus? *No alaua, ni aprueua Dios diuiſion aun hecha por vn cielo.* Sic Deus diuortium inter eruditos factum faſtidit? Sic ſapientiæ concordiam amat? ſic ſtudet vnioni?

Diuiſi nominatur ſapientes, etiā per cælum facta, non approbat Deus.
Hieron. lib. 1. contra Iouin.
Hic v. 6 & 7
Laur. in Syluâ alleg.
Eccli 15. 3.

4. Cantic. 2. Cæleſtis ſponſa, Eccleſia inquam, eximiâ venuſtate amabilis, diuini ſponſi ſauciauit amorem, pariter & ipſa amore ſauciata, introducta eſt in cellam vinariá, & in eâ ſponſus eius *ordinauit charitatem.* Ipſa vero amore languens, in ſponſi charo ſinu dulces carpit ſomnos: *Laua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Confeſtim ſponſus ſponſam in ſinu ſuo dormientem cernens, his verbis ſubmiſſit: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit.* Quænam ſunt illæ filiæ Ieruſalem, à quibus tantummodò ſollicitus præcauet, & velut anxius timet ſponſus, ne dilectam ſponſam à quiete interturbent, & ſomnum inquietent? Iuſtus Orgelitanus per ſponſam intelligit Eccleſiam, & ſic fatur: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas. Filias Ieruſalem ſanctas & pacificas Doctorum animas dicit; quas per munda & velocia animalia, quæ ruminare non deſinunt, & in campis ſanctarum Scripturarum aluntur; coniurat, ne ſuſcitare faciant, donec ipſa velit.* Nullus alius rerum tumultus, confuſaneus fragor nullus, cæleſti ſponſo occurrit; qui placidam ſponſæ ſeu Eccleſiæ quietem ſic perturbare poſſit, ac diſſenſio, ſeu diſcordiæ confuſus ſtrepitus inter filias Ieruſalem, (quæ vrbs pacis eſt,) hoc eſt, *ſanctas & pacificas Doctorum animas?* Non tam dicitur excitari ſeu interturbari ſponſa, id eſt, Eccleſia, cùm Hæreticorum temeritas aperto Marte aduerſùs fidem bellaturit; quàm cùm filiæ Ieruſalem, id eſt, pacificæ, nempe *ſancta & pacifica Doctorum animæ* inter ſeſe tumultuant, & contentioſo dictionæ diuortio pacem turbant, concordiam inquietant, & contumelioſos excitant tumultus. Id vnum timet diuinus Spôſus? ab hoc vno malo ſic ſolerter præcauet? ô bonam eruditionem, de Scripturarum ſcholâ!

Cant. c. 7.
Iuſt Orgel. in Cāt. n. 33.

5. Non ſolùm Doctorum pax eſt volútas Dei, iucunditas Chriſti, quies Eccleſiæ, perfectio ſanctitatis, & magiſtra doctrinæ; ſed, *Pax dat nomen ingenuum*, vt pulchrè Chryſologus ſupra notauit. Nam nimis contentioſum inter Doctores Catholicos diſſidium, indecora ciet iurgia, & contumelias parturit; dum vtrinque pro ſuâ doctrinæ factione acriùs quam par eſt, dimicatur. Matthæi 5. *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Et vt aduertit Chryſologus nuper laudatus: *Nec peruenitur ad vocabulum filij Dei, niſi per nomen Pacifici.* Sed qui ſunt iſti Pacifici, quibus ingenua & præluſtris diuinæ filiationis appellatio promittitur? Hilarius putat eos eſſe *Pacificos*, qui iniurias facilè condonant. Chryſoſtomus, Theophylactus & Euthymius, qui & ipſi quieti & pacati ſunt, & alios quantùm in ſe eſt reconciliant, id eſt, qui paci ſtudent. Sed plerique per *Pacificos* intelligunt, *Qui diſſenſionum auctores non ſunt.* Sed pulchra exinde ſuboritur quæſtio, quare *Pacificis*, id eſt, his qui diſſenſionum auctores non ſunt: ſed paci ſtudent, non promittatur, eſſe filios Dei, ſed vocari: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Reliquis Beatitudinum meritis res præmij promittitur, & ſolis Pacificis, nomen duntaxat Chriſtus pollicetur? litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè noſter Maldonatus, huic dubio ſic reſpondet: *Plus etiam quiddam mihi videtur, vocari, quàm eſſe, ſignificari; nempe ita aliquid eſſe, vt appareat, & omnium ore celebretur. Itaque Beati pacifici, quia non ſolùm filij Dei erunt, ſed ita erunt, vt mundus ipſe filios Dei confiteri cogatur.* Nempe fortè aliquando, bono (vt putat) zelo quis perſuaſus, paci non ſtudens, re ipſâ erit Dei filius? at quiſquis *Pacificus* non eſt, nec paci ſtudet, ſed diſſenſionum eſt auctor; nec putabitur filius Dei: *nec peruenitur ad vocabulum filij Dei; niſi per nomen Pacifici: nam Pax dat nomen ingenuum.* Diſcordia contumeliarum eſt matrix, ſcommatum officina, & iuge contumeliarum conceptaculum. Qui paci ſtudet, ingenuum pariter nomen ſibi negotiatur, concordiæ arbitrio.

Matth. 5. 9.
Chryſologus ſerm. 53.
S. Hilar. in Comment.
Chryſoſt.
Theophyl.
Euthym. ibi.
Mald. ibid.
Mald. in. In Matth. 5. 9.

6. Ioannes Euangeliſta ſic de Ioanne Baptiſtâ ſcribit in primo ſui Euangelij capite: *Hic venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine*, de Chriſto, inquam, quem de cælo altè doctus, magnificè verbis prædicauit; adeò vt meruerit quòd à Ruperto appellaretur: *Præcentor veritatis.* Meditatur Rupertus Euangelicam veritatem ſeu doctrinam, velut harmonicum chorum, in quo variæ reſonát voces ad melodiam concinnè temperatæ. Quædam altè modulatæ, ſublimiùs perſonant, aliquæ profundum muſices gradum infimiùs tenent, aliæ medianum ſeruant tenorem. Nec vocum diuerſitas perdit abſurdè harmoniam, ſed mirè ſeruat, & eleganter concinnat. Nec gracilis & altior vox, medianâ, aut infimâ voce offenditur; imò ex vocum varietate diſcordia cōcors modulatè conflatur: nam ſi eundem omnes ſer-

Ioan. 1. 7.
Rupertus in Ioan. 1.
Doctrina Catholica velut quidam cantorum chorus eſt.

uaſſent tenorem, Muſicæ concentus nõ ſeruaretur. Adſimiliter Rupertus putat de Euangelij doctrinâ, & Christianâ veritate, cuius pòſt Christum Coryphæus, Ioannes eſt, & *Præcentor veritatis.* Sat eſto digitum ad allegoriam intendiſſe, quæ rem præſentem non inidoneè oſtendit.

Vide hîc pacatam lucem (doctrinæ ſymbolum) qualitatem, inquam, aduerſarij expertem: & quæ non aliam qualitatem, ſed meras tenebras contrarias præſentit. *Et vidit Deus lucem*
Hic v. 4. Matth. 5. 14. *quod eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris. Vos eſtis lux mundi.*

§ XXXII.

Euariatio regiminis, & Gubernatorem diuenuſtat, & ſubditos inquietat.

1\. Exod. 1. 6. VNDE tam multiplex populi Dei in Ægypto calamitas? vnde Ægyptiorum deplorandum excidium? nonne inde? *Surrexit interea Rex nouus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph.* Ad quæ verba ita
Lipom. in Catena ibi. *Nouus Gubernator nouam Reipublicæ faciem inducit.* ſcribit Lipomanus: *Nouus Rex* (nouus etiam Magiſtratus, aut populorum Rector) *nouam inducit faciem regno legibus nouis.* ô malum! quot ſunt nouelli Gubernatores, tot ſunt reipublicæ aut communitatis facies. Puto, antiqua politia, vetuſta maiorum inſtituta, & aui priſcorum mores, præ nuperis & recentibus ſemper laudantur. Infelix reſpublica, in quâ quiuis ad nutum Præfectus *nouam inducit faciem*, nouam diſciplinam ſancit, nouos exigit mores, nouam politiam communitati recudit. Profectò euariandi regiminis libido, tyronis Præfecti elogium eſt, imminuta gubernationis auctoritas, & inobedientiæ fomes.

2\. Exodi 19. *Menſe tertio egreſſionis Iſrael de*
Exod. 19. 1. *terra Ægypti, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinai.* vbi confeſtim Deus apparuit, eductis ex Ægypto populi Legiſlator. *Si quis igitur*
Philo lib. de Decalogo. *Quare ſuo populo leges in ſolitudine dederit Deus.* *quærat* (ait Philo) *cur non in ciuitatibus, ſed in vaſtâ ſolitudine hæ leges prolatæ ſint, reſpondendum*, &c. Pulchra ſanè quæſtio, cur Deus leges nõ dederit in Ægypto, vbi populus grauiora ferre adſuetus, tot calamitatibus mitigatus, faciliùs ferendis legibus ceruicem ſupponeret. Aut ſaltem cùm illum Deus debellatis habitatoribus in Terram promiſſionis feliciter induxit; tunc enim opulento beneficio grati, promptiùs diuinæ legi ſubderentur, & in recèns occupatis ſedibus ſuam rempublicam conſtituerent. Reſpondet Philo: *Quod ad ſacras leges recipiendas animus purificatus requiritur, elutis maculis quæ hærent ex miſcellanea turba in ciuitatibus degentis contagione. Id verò non eſt poſſibile aliter quam in receſſu efficere, & longo temporis ſpatio, donec exoleſcant & euaneſcant veterum erratorum ſpecies ex animo.* Nempe aptiſſimè non in Ægypto, ſed in eremo ſcribendæ erant leges Dei populo, vt exoleſcerent & euaneſcerent ex animo veterum Ægypti legum ſpecies; ne fortè vel barbaricæ & exoſæ Ægypti leges placuiſſent ex diuturnâ conſuetudine Hebræis, & inimici populi inſtituta obſeruantiæ diuturnitate ſic (aliqua ſaltem) arriderent, vt durè ferrent nouas præceptiones amico Dei ore prolatas. Pergit Philo: *Ad eundem modum decebat, vt accepturi agros & nouas colonias; non vna cum eis leges acciperent, ſed iam antè præparata haberent inſtituta & vitæ regulas, ne rudes ac inexercitati admouerentur ad rempublicam, cùm ſatius ſit iam ante recepto iure conſociatos ſua quemque obire negotia.* Neue, ſi ſemel deuincendæ ſtatim Palæſtinæ vel noxia inſtituta, etſi ad breue tempus Iſraelitæ ſuſciperent, grauatè admodum ab illis auerti poſſent, & fortaſſe neceſſaria eſſet commutatio diuina in nonnullis Palæſtinæ legibus permittendis; ne peracerbum foret, populum ad noua inſtituta cogere, aut Legiſlatori inſtituta euariare, quod rarò fit citra obedituri populi violentam repugnantiam, & imperaturi inconſtantiæ notam. Scilicet dentur populo Dei leges in ſolitudine, vbi exoleſcant & euaneſcant veterum Ægypti legum ſpecies: ne Palæſtinorum inſtitutis tantiſper aſſueſcant, ne pergraue ſit populo politiam euariare, & Legiſlatori indecorum iura mutare. Inde non in *Ægypti ciuitatibus, ſed in vaſtâ ſolitudine hæ leges prolatæ ſunt: ad eundem modum decebat, vt accepturi agros & nouas colonias, non vna cum eis leges acciperent.*

Hîc verſ. 3. & 4. Dixitque Deus: Fiat lux.
Et facta eſt lux. *Et vidit Deus quod eſſet bona:* Hic v. 4.
& diuiſit lucem à tenebris. Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem: factúmque eſt veſpere & mane, dies vnus. Cùm dies naturalis ex die ac nocte, ſiue ex tenebris & luce coaleſcat, quare noua vocabula *veſperæ* & *mane* inducuntur, & non potius vtitur Moyſes nuper vſurpatis vocabulis lucis ac tenebrarum, vel diei ac noctis, ſed *veſperæ* ac *mane*? An non vocabulorum recèns vſurpatorum diuerſa ſignificatio, & narrationem interturbat, & ambiguas reddit lectorum mentes? Acutè quidem ad rem præſentem ſic ſcribit Rupertus, ad il- Rupert. ibi.
lud: *Factum eſt veſpere & mane; dies vnus. Notandum eſt*, inquit, *quòd non dixit: Factæ ſunt tenebræ & lux, dies vnus. Hoc enim bene & prudenter à Scriptore ſacro obſeruatum eſt. Quæ enim Deus diuiſit, quo modo coniungi, vel vnum quid efficere poſſunt? Diuiſit autem lucem & tenebras.* Quid ſubtilius? Nimirùm paulò antè dixerat Moyſes, Deum creaturarum omnium opificem & rectorem, diuiſiſſe lucem à tenebris, lucémque appellare diem; & tenebras noctem: & nunc rectrix eius Prouidentia decreuit, tenebras ſeu noctem nuper diuiſas, cum die coniungere ad conſtituendum integrum naturalem diem; ergò conſultiſſimè diuerſa vſurpat vocabula, nec dicit diem coniunxiſſe cum nocte, ſed veſperem cum mane: (etſi ipſiſſimæ res ſint) vt quod ſub nomine lucis & tenebrarum, ſeu diei ac noctis, nuper diuiſerat, non eadem ſub iiſdem vocabulis coniungeret ad conflandum ex eis naturalem diem. *Hoc enim bene ac prudenter à Scriptore ſacro obſeruatum eſt*, ad Gubernatorum prudentem eruditionem: vt cùm humanus Rector diuerſa ab iis quæ ſtatuerat, vel ſtatuta fuerant, decernere æquum iudicauerit, ne maneat pertinaciter flectineſcius; & ne videatur mutare conſilium,

Superior, ſi expedit, mutet conſilium ſub diuerſis reuocanda ſanctionis vocabulis.

lium, & antiquum ius nouâ ſanctione aut permiſſione condemnare; mutet vocabula, & nouo nomine aut colore vtatur, ne palàm aut ſententiam mutaſſe, aut euariaſſe regimen videatur (*De ſe otro nombre o color a ſu reſolucion, paraque no parezca que el mudo de parecer; ni la mudança ſe haga peſſada a los ſubditos.*) Erudiantur Præfecti de cæli ſcholâ: nam etſi nuper ſummus rerum Præfectus Deus, diuiſit lucem à tenebris, diem à nocte; modò volens eadem coniungere, vt integrum diem naturalem conſtituant, (ſic enim expediebat) mutat vocabula, nec dicit: Factum eſt ex luce & tenebris dies vnus, ſed: *Factum eſt veſpere & mane dies vnus*, ſub diuerſis vocabulis coniungens, quæ paulò antè diuiſerat.

4. Hic v. 16. *Præpoſiti affectus hodie eſt ſubditorū cenſus.*

Hic v. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti.* Quare quod priùs dictum eſt, luminare magnum, vbi primùm præſidentiæ munere ſublimatur, dicitur *luminare minus*? Num à præfecturæ faſtigio decreſcit Luna? Decreſcit planè, & iure quidem optimo: nam iiſdem permanentibus Lunæ ſubditis, ipſa perpetim ſuopte ingenio euariatur, nunquámque eadem perſiſtens: *Nunc tota inſinuata in orbem, nunc accreſcens aut decreſcens, haud tota conſpicitur, id alterâ ſui parte quo deeſt, offerens ſemper*, quæ ſunt Magni Baſilij verba. (Baſil. ibi.) Obſeruabat quiſpiam gubernandi ſolertiâ magnus, (vt alias eius dotes omittam) Deum totius vniuerſi ſummum Rectorem, ſpecie tenus mutari, mutationem autem non Deo, ſed rebus imputandam. Scilicet nunc hominem amare; nunc odiſſe dicitur, &c. non quia euarietur immutabile Numen, ſed quia homines demutantur, nunc digni amore, confeſtim diuino odio digniſſimi. Heu quoſdam Præfectos è contrario rem publicam adminiſtrare, & videmus, & dolemus: qui ſubditis immotis, ipſi à proprio affectu inſtigati euariantur. O præſidentiam Lunæ de obſcuritate & mutatione æmulam! Ille ipſe qui placens heri; doctus, peritus, benemoratus, & magnus erat; ille, ille inquam, ipſe hodie diſplicens, aut alio magis placente, derepentè euaſit indoctus, imperitus, paruulus, & malemoratus. O non bonum Præpoſitum, Lunæ de noctis præſidentia imitatorem! ô quoties mutatus Superioris animus, ſubditi cudit merita! Heu Præpoſiti affectus, ſæpe eſt ſubditorum cenſus!

---

§. XXXIII.

Fauori imputandum eſt, quòd perſpectum aliorum bonum nobis placeat.

1. Senec. ep. 52.

SAPIENTIS cuiuſpiam peruulgata vox eſt: *Velle non diſcitur*; & tamen homo arte voluntatis nimis eget, qui primæui delicti vitio, cæcus (ſaltem luſcus) naſcitur ad bonum. Bona ſua, vt magnificè æſtimat, ſic amat ſumptuosè, & quidem perſæpè ſine riuali. Aliena bona ita depreciat, (aut in-

Boni alieni cenſus à noſtrâ benignitate eſt.

genio propriæ æſtimationis, aut alienæ æmulationis arbitrio, aut artificio inuidiæ, aut ambitionis lenocinio) vt perinde ſit, eſſe alienum bonum, ac bonum non eſſe, aut ſaltem mutilum, infuſcatum, diminutum, inuitiatum. Ac ſi bonum alienum fauore egeat, vt bonum eſſe cenſeatur; & alieni boni cenſus à noſtrâ benignitate ſit.

In primordiali mundi opificio ineffabilis Dei lingua primò fulgores loquitur de omnipotentiæ promptuario, & beneficentiæ ſacrario. Splendidè micat primogenita lux, oris diuini præclara ſoboles: *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux.* Lucem recèns creatam, pulchro ſui iubaris ornatu ſplendidam, opifex ſtatim contemplatur, & nouæ lucis encomiaſtes, eius bonitatem ſic mirificè commendat: *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Præclara lucis bonitas non potuit non placere Deo; vnde non tam diuini oris officioſitate, quàm oculorum euidentiâ laudatur. Et tamen ita ſuper hâc re ſubtilis fatur Auguſtinus, exponens præfata verba; *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona. Quid enim*, inquit, *conuenientiùs de Deo dicitur, quantùm inter homines dici poteſt, quàm cùm ita ponitur; Dixit, Factum eſt, Placuit? Ita vt in eo quod Dixit, imperium eius intelligatur: in eo quod Factum eſt potentia: in eo quòd Placuit, benignitas.* Diligentiùs expende hæc vltima verba, in quibus tota ſententiæ vis ſita eſt. Nempe, *Vidit lucem quòd eſſet bona*; & quòd bona in ſe lux, oculis placuerit, videntis *Benignitati* imputetur. (Auguſtinus Moyſen imitatus, de Deo loquitur more humano.) Quid? *Benignitate* opus eſt, vt alienum bonum, quod oculis cernimus, nobis placeat? Res gratiæ, an potiùs negotium iuſtitiæ eſt, quod placeat perſpectum aliorum bonum? *Al bien le hacen gracia de que le tengan por tal.* O auara hominum de aliorum bonitate iudicia! Beneficij loco ponitur, quod aliena bonitas talis cenſeatur? Cenſus ſeu æſtimatio explorati boni, negotium fauoris erit? Benignitati imputabitur, quòd litteratus, quòd probus, quòd ingenioſus, quòd nobilis, quòd bellicoſus, quòd eruditus, talis ab hominibus habeatur? O non bona hominum gratia, quam corrumpit debitum perſpectæ bonitatis! Perſpecta bonitas iure ſuo complacentiam ſpectatorum exigit: voluntas enim vectigalis naſcitur bonitati: ergo non fauoris nomine, ſed debiti titulo, bonitati cognitæ amor penditur. Itaque non placeat ex priuilegio, quod ex naturâ ſuâ bonum eſt.

2. Hic v. 4. *Benignitati noſtræ imputatur, quòd alienum bonum, bonum eſſe cēſeatur.*

S. Auguſt. de Geneſ. ad lit. imperf.

Hác Dei luce velut collyrio, intendam humanos clarare oculos, ne cæcutiant ad lucem, Dei oculis commendatam. Fortè admirationem faciet, *Clementiæ* imputari, quòd lux oculis perſpecta placuerit: ſed maiorem excitabit admirabilitatem, quod refertur 1. Regum 3. vbi Heli ſummus Hebrææ gentis ſacerdos, in ſe pius, filiorum autem impietate notus, ſic caligabat ad Dei lucem. *Heli* (inquit Samuel) *iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant; nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Sic in antiquis Biblijs legerunt Eucherius, Angelomus, Rabanus, Dionyſius. Extinctam videt lucernam, qui fulgentem non videt? ô peruerſè perſpicacem aſpectum, cæcum ad lucem accenſam, oculatum ad extin-

3. *Heli nequit lucē aſpicere, quouſque extinguatur.*

1. Reg. 3. 2. & 3.

Eucher. Angelom. Raban. Dion. ibi.

ctam lucem! Parùm eſt *Clementia* nuper adtribui, quòd lucis perſpecta bonitas placeat videnti; niſi eſſent aliqui, qui lucem non vident, antequam extinguatur. Lynceis oculis fauillæ cernunt fuliginem, & lippi ſunt ad lucernæ fulgores. Heu ſic quorundam caligant oculi, ad malum cæcè perſpicaces, vt nec lucis bonum queant perſpicere! Fauori imputabitur, quod hi lucernam videant, antequam extinguatur? Oculis videre nequeunt lucis bonitatem, ne eam perſpectam vel inuiti cogantur adprobare. Præcucurrit bonæ lucis complacentiam iugulare, qui eam quouſque extinguatur, perſpicere tardat. Nequit laudare, quiſquis tardat videre.

4. Philo lib. de Migr. Abra.

Expendendus iterùm atque iterùm redeat Philo, ad alias confirmandas theſes alias locupletatus, nouâ hac expenſione emedullandus. *Eſt quidem*, inquit, *Veritas opinione melior: vtramque tamen ſua bona fortuna ſequitur.* Non valdè miraret, opinionem dependere ex Fortunæ alicuius fauore: quippe opinio in ipsâ ſui probatione nutat, nullâ conuincenti ratiocinatione fulta: vnde Fortunæ gratiâ opinio indiga menti proponitur, quò placeat ad aſſenſum. At Veritas de ſe aſſenſum adlicit, & ſui complacentiam conciliat, quin egeat aut artis lenocinio, aut Fortunæ fauore, vt ſpectatoris mentem impleat, & voluntati arrideat. Verùm enimverò vſqueadeò perſpicaciæ inops eſt humana natura, vt bonæ Veritatis fortunæ tribuatur; quòd debitum ſibi adſenſum extorqueat: quòd arrideat menti, quòd affectibus nó diſpliceat, quòd æquos ſui cenſores inueniat. *Eſt quidem Veritas opinione melior: vtramque tamen ſua bona fortuna ſequitur.* Heu fortunæ debeat Veritas, quod homini arrideat! Sic lippus naſcitur homo ad Veritatem, & luſcus ad Bonum? *Fortunæ*, & *Benignitati* adſcribetur, quòd *Veritas* adſenſum, quòd *Bonitas* complacentiam extorqueat?

Bona Veritatis fortunæ adſcribitur, quod viſa placeat.

§. XXXIV.

Meræ & abſolutæ aliorum bonitati gratitudo noſtra debetur.

1.

INTER multos ac varios errores temerè inconſulteque viuentium, nihil propemodùm dixerim nocentius, quàm *quòd beneficia nec dare ſcimus, nec accipere.* Beneficia ſine vllo delectu magis proiicimus, quàm damus. Quin & homines, mali beneficiorum interpretes, tantùm computant beneficia, quæ ipſi acceperunt: beneficia autem aliis donata, aut noſtrâ inuidentiâ aut inertiâ noſtrâ non computa minuuntur, aut ſiertiâ noſtrâ non computantur: ea verò quaſi nobis donarentur computare, ingenium gratitudinis eſt; & huius §. theſis, quam hoc vnum Geneſeos caput primum vbertim comprobabit.

Senec lib. 1. de Benef. c. 1.

Hic verſ. 4. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Eccur ſic feſtinat Deus recèns creatæ lucis pulchram bonitatem tam magnificè dilaudare? *Hoc ait* (reſpondet Theodoretus) *vt ingrati animi homines induceret, vt reprehenſioni non darent ea, quæ diuino ſuffragio bona nominantur.* Scilicet qui cognitum & approbatum bonum, tametſi alienum, reprehendit, *ingratus* dicitur. Cuinam, rogo, beneficio accepto *ingratus* eſt, qui alienum bonum non dignè æſtimat? Alienum bonum, etſi mihi non proficuum, quaſi beneficium imputabitur mihi? Sic pro merâ aliorum bonitate gratias rependere debeo? Abſolutâ, & mihi extraneâ bonitate muneror ego? *Ingratus* erit, qui aliorum depretiat bonitatem? ô arcana vel immunificæ, & alienæ bonitatis mihi collata beneficia, gratitudine immortali digna! Gratitudinem meræ aliorum bonitati debere, prælustre gratitudinis elogium eſt. Hinc ſolemnis illa Eccleſiæ vox: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.*

Theodor. ibi apud Lip. paulò aliter habet q. c.

Meræ & abſolutæ aliorum bonitati debetur gratitudo?

2. Magnus Baſilius exponens illud Geneſeos 1. *Factum eſt veſpere & mane dies vnus*, meritò addubitat, quo pacto tempus viginti quatuor horarum conflatum ex die ac nocte, *Dies* potiùs appelletur. *Facta eſt igitur* (inquit) *veſpera, factum eſt mane, quibus diem noctémque ſignificat; non tamen diem & noctem hac nuncupauit, ſed præſtabiliori totam tribuit appellationem.* Scilicet Deus diurnam lucem (diem inquam, artificialem) appellauit *Diem*, & tenebras vocauit *Noctem*: temporis autem ſpatium, noctem & diem complectens, non nuncupatur vno vocabulo *Nychthimeras*, (vt apud Græcos) ſed ſimpliciter *Dies*. Rectène *Dies* nominabitur temporis ſpatium, quod diem noctémque complectitur? Quod nox pariter eſt, *Dies* etiam dicetur? Sic claritate diei nox quoque claratur? Noctis caligo debet diurnæ luci tanti vocabuli elogium, quò æquè *Dies* nominatur, & *Diei* fulgoribus inſignitur. Nox ergo de ſe obſcura, diurnæ luci gratuletur de ſuâ claritate, cuius beneficio illuſtri *Diei* nuncupatur vocabulo. Rectè computabit ſibi impenſum, quod alij donatur.

Diurnæ luci debet nox, quòd Dies pariter appelletur. S. Baſil.

3. In eodem primo cap. Geneſeos, ita ſcribit Moyſes: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignúmque faciens fructum.* Per lignum faciens fructum, frugiferas arbores intelligi, in comperto omnibus eſt. Numquid terra tunc infrugiferas arbores non protulit? Protulit quidem, vt omnes fatentur interpretes: qui addunt, ſub nomine frugiferarum arborum, arbores quoque infrugiferas comprehendi. Putaſne arborem ſterilem, & quæ nullos facit fructus, ſub vocabulo *ligni facientis fructum*, aptè comprehendi? Alienâ fœcunditate ſteriles arbores, frugiferæ nominantur? Infructuoſum lignum fœcundis debet arboribus prælustris tituli elogium. Infœcundæ arbores alienâ fœcunditate adornantur. Quod frugiferis datur, infructuoſis etiam impenditur. Sic ſterilis infœcunditas obærata naſcitur alienæ fœcunditatis bono? bono debet alieno fœcunditatis gratiam? Rectè computabunt ſibi impenſum, quod aliis donatur.

Hic v. 12. *Steriles arbores fœcundis debent, quod fœcundæ dicuntur.*

4. Sacer Hiſtoricus ſextidui opificium hac clauſula adornat: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quæ verba ſic exſcribit, & exponit Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur: Et vidit Elohim omne illud quod fecit,*

Hic v. 31. Caietanus ibi.

&

Cuiuſuis creatura bonitas alienâ bonitate incrementatur? *& ecce bonum valde. Iudicium diuinum circa totum vniuerſum deſcribitur, & cum ſingula res facta ut fuerint à Deo bona, ipſum vniuerſum non bonum, ſed bonum valde, vniuerſi deſcribitur à Deo. Et apponitur aduerbium Ecce, ad demonſtrandum non futuram, non expectandam, ſed præſentem haberi bonitatem ſummam ipſius vniuerſi.* Ecce in Scripturâ, vt notant Biblicè periti, rem admirabilitate dignam innuit. Quænam eſt hæc res tantâ admiratione digniſſima? Scilicet quod cum res quælibet in ſe ipsâ ſpectata, bona tantùm viſa ſit, quaſi ex aliarum rerum bonitate, magnum bonitatis mutuatur incrementum, iam non *bona* duntaxat, vt eò vſque; ſed *valde bona, & ſummam bonitatem* habere dicatur: ac ſi aliena bonitas aliquid perfectionis illi affricet. Ecce quid ſingulæ creaturæ aliarum debeant bonitati. Nonne res quælibet ſibi iure computabit impenſum, quod alij donatur? ô nouam à charitate gratitudinem! Sic alienâ bonitate muneramur? Sic aliorum bonitati gratus naſcitur homo? Quod in nequam hominibus inuidiam ciet, in piis gratitudinem excitat, dum bonum alterius, velut magnum ſibi impenſum beneficium computant. Quæ eſt ſummæ gratitudinis & humanæ charitatis exaggeratio.

---

§ XXXV.

Lux auribus etiam loquitur: vox oculos quoque illuminat: quod oculus non videt, videt tactus?

1. Tertull. lib. de Animâ. INGENIA *ſenſuum* Tertullianus alicubi prædicat. Sed qui ſagaces & ingenioſi ſunt ad mundialia voluptatis negotia, ad rem Dei, pigri ſunt, & inurbanè hebetes, adeò vt ſenſus alterius ſenſus iuuamen prodigioſè expetat, & quodammodo cogat obiecta vnius potentiæ per ſenſus extraneos mirè peregrinari, vt ſuum obiectum, cui ipſa non ſatis credit, degustandum aliis propinet: ſuperuacaneâ cautelâ, malè philoſophicâ, ſed benè morali.

2. Exod. 3. 2. & 3. Exodi 3. Moyſes paſcebat oues Ietro ſoceri ſui: cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Magna planè viſio, quam vicinus inquiſitor peruestigare Moyſes feſtinat. *Viſio magna* appellatur à Moyſe, & de prodigio arcanè ſpectabilis. Sed ſciſcitandum eſt, cur magna viſio appelletur? Præter vulgarem rationem de ardentis & incombuſtæ rubi prodigio, aliam S. Gregorius Nyſſenus excogitauit, nec inidoneam, nec vulgarem. Nyſſen. in Catenâ. *Lux è rubo ſplēdens auditum illuminaſſe dicitur.* *Vadam*, inquit, *& videbo viſionem hanc magnam. Cùm igitur in medio claroque die alia præſtantior, quàm ſolaris lux, circa oculos ſuos effulſiſſet, cuius rei inſolentiâ cum reſpexiſſet ad montem, arbuſtum ardens ſcribitur aſpexiſſe, cuius rami cum ardere nt, quaſi continua irrigatione vireſcebant: admiratus ſecum, dixit Moyſes: Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* (Attentiùs nota quæ ſubdit verba Nyſſenus.) *Ne videlicet oculos ſolùm, verum etiam (quod mirabilius eſt) auditum radiis eius lucis illuminaret. Natura enim lucis illius, velut in duorum obiecta ſenſuum diuiſa, vt in oculos ſplendore radiorum, ſic in auditum immortale dogmatum intonabat.* Cæli lux è rubo fulgens, auditū illuminat? O linguatam lucem à Philoſophiæ ſcholis peregrinantem! de cæli gymnaſio fulget vocalis lux, cognata (vt opinor) æternæ lucis, quæ Dei Verbum eſt, & ſimul lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. O ineffabilem lucem, Verbi diuini interpretem, & de eminentiâ æmulā! Quis non ſtupeat, Moyſen ad lucis radios arcanè auritum, ad ſolis ſplendores perſpicuè cæcum? Lucem hîc Deus videt: *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona:* Hic v. 4. Moyſes autem lucem quoque audit: *Ne videlicet oculos ſolum, verum etiam quod mirabilius eſt auditum radiis eius lucis illuminaret.* O prodigium! Auditus luce illuminatur? Sed *ne in tenebris quidem aurium cæci* ſint homines, eorum *auditus radiis eius lucis illuminatur.* Tertul. de anima c. 10. O bona lux, quæ aures illuminat, & auditum accendit! ô agreſtes hominum ſenſus, acutè ingenioſos ad res mundiales, ad diuinas verò malè hebetes & obtuſos, ita vt neceſſe fuerit ad percipiendam illius ſupernæ lucis naturam, vt ipſa lux *velut in duorum obiecta ſenſuum diuiſa, in oculos ſplendore radiorum fulgeret, & in auditum immortale dogmatum intonaret.* Ecce tibi lux aures illuminat, & clarè auditur. Quid ſi vox etiam oculis cernitur, mutuò æmulâ ſenſuum inurbanitate, aut prætereà incredulitate?

4. Exodi 20. In Sinâ monte Deus ſuo populo leges condit, per Moyſen promulgat. *Altiſſimo Moyſis ingenio, vox Dei videri dicitur.* *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem.* Eſto, populus videat lampades, & fumantem Sinaï montem, quo pacto videre potuit voces, & buccinæ ſonitum? *Non congruit hæc locutio*, ait Ambroſius, *vt magis vox viſa, quàm audita credatur. Neque enim videtur vox, ſed auditur. Vox enim quid eſt; niſi ſonus, qui non oculis cernitur, ſed aure percipitur? Verum altiſſimo ingenio volēs declarare Moyſes, quia vox videtur Dei*, &c. S. Ambr. in Procem. ad Lucam. Altiſſimo planè ingenio inurbanam humanorum ſenſuum ruditatem prodit Moyſes, cùm Dei vocem, non audiri tantùm, ſed & videri oculis neceſſe ſit: vt quòd de Deo auris auſcultat, adſociato viſionis fœdere percipiatur, geminato peregrini teſtis ſuffragio, ad faciendæ fidei ſuffragium. Quod perſæpè in Bibliis fieri eruditè tradit Hieronymus: *Cunctus*, inquit, *populus videbat voces*, &c. *de Deuteronomio ſumimus exemplum, in quo non res, ſed verba cernuntur. Attende*, inquit, *tibi, & conſerua animam tuam vehementer, ne fortè obliuiſcaris ſermonum, quos viderunt oculi tui.* S. Hieron. in Abdiæ c. 1. Deut. 4. 9. *Et Ioannes in Epiſtola: Quod vidimus, inquit, oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ palpauerunt de verbo vitæ.* 1. Ioan. 1. 1. *Et Moyſes vocem Domini, quæ ad eum loquebatur, vidiſſe ſe dicit.* Scilicet ſicut in rubo lux illa & oculos accendit, & aures illuminauit; ita in monte Sinaï, Dei vox non tantùm auditu excipitur, ſed velut oculis ad viſionem præſentatur, vt ruſticanæ hominum aures credant, Dei eſſe vocem, quæ ſide-

reâ luce oculis etiam loquitur. Legant pariter oculi illam ipſam vocem, quam aures modulatè audiunt, vt eiuſdem rei geminato peregrinantis teſtimonij ſuffragio faciliùs acquieſcant.

5. Lucæ 24. Chriſtus Deus è funeſto tumulo
post triduum glorioſè rediuiuus, Diſcipulis coram præſentatur. Sed vix oculi rei viſæ credunt: ſtetit Ieſus in medio Diſcipulorum, & dicit eis: Pax vobis: ego ſum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Citiùs putant Diſcipuli corporeis oculis ſe ſpiritū videre, quàm ſibi perſuadeant, eſſe Chriſti Dei corpus, quod cernunt oculis? Sed nota oculorum collyrium, quo illos Chriſtus illuminat. Et dixit eis: Quid

Lucæ 24. 39.

turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum, palpate, & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

Quod oculus non videt, videt tactus.

O mirisſimè ænigmatica ſenſuum adulteria! Diſcipuli exiſtimant ſe corporis oculis cernere ſpiritum; & Chriſtus præcipit, vt tactu palpent & videant? Belliſſimè de more Chryſologus: *Palpate*, inquit, *& videte. Videte carnis vulnera, qui Dei opera non videtis: conſiderate inimicorum titulos, quia Dei adhuc non conſideratis inſignia. Palpate, vt vel manus fidem faciat, quia videns oculus ſic cæcatur. Oculus non videt, videat tactus: digiti veſtri intrent veſtigia clauorum, manus veſtra alta vulneris exquirant, aperite manuum foramina, ſulcate latus, renouate vulnera, quia negare non poſſum diſcipulis ad fidem, quod inimicis in pœnam ſæuientibus non negaui. Palpate, palpate, & vſque ad oſſa inquiſitores ardui peruenite.* Scilicet Moyſis aures radiis illuminatæ, lucem vidiſſe dicuntur: oculi Hebræorum Dei voces audiiſſe narrantur: ergo, ait Chriſtus Deus ad Diſcipulos: *Palpate, & videte. Oculus non videt, videat tactus.* Obiecta ſenſuum in extraneâ peregrinētur potentiâ, vt alij credat, quod ſibi vix credit, Videant lucem aures, vt oculi videre non dubitent: Voces videant oculi, vt aures ſentiant eaſdem audiiſſe: *Quod oculus non videt, videat tactus*; vt qui de perſpicuitate non credit, de peregrinitate non diſcredat, conſortis ſuffragio ad fidem fultus.

Chryſol. ſerm. 81.

---

§. XXXVI.

Eximius amor, exaggerator rei amatæ encomiaſtes eſt.

1. IVCVNDIVS eſt amicos facere, quàm habere; ſed vtilius eſt amicos habere, quàm facere: amicitia enim obſequiis paratur, amore & æſtimatione fit & conſeruatur. Niſi malis, amorem & æſtimationem eſſe ſynonyma. Saltem magnifica æſtimatio, magni amoris ſequela eſt. Bellè, opinor, dictum: *Dilige, & æſtimabis*, quaſi præcipuus humanæ æſtimationis cenſus ab amore ſit, qui beneuolentiæ præſtigiis bona rei amatæ feliciter incrementat, perfectionum vſurâ. Quod in humano amore ſæpe non caret vitij næuo; ſi ad amorem diuinum transferatur, vix eius immetaram perfectionem aſſequi valet.

Amor ingenium æſtimandi eſt.

Rupertus Tuitienſis, politus olim auctor, 2.
exponens illud Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, ſic fatur elegāter. *Quod habuit exemplar faciens hæc, niſi ſeipſum Deus vnus, qui eſt Trinitas? Planè non ideas, quas Philoſophi ſeculares effinxerunt, ſed ſe ipſum Pater Deus, ſe ipſum inquam, attendit Deus, vnus Pater, & Filius cum eo, quo pariter vterque naturaliter ornatus eſt ſancto Spiritu.* Eccur Pater non ſic appellatur *ornatus* Filij, & Spiritus ſancti, aut Filius, Patris, & Spiritus ſancti *ornatus* non dicitur? Adæquè perfectæ ſunt tres perſonæ diuinæ: (ſi perſonarum infinitas æqualitatem patitur) æquè quælibet è perſonis circumſidet aliis: æquè etiam vna Triados eſſentia eſt, & æqua perſonarum diſtinctio. Vnde ergo nuncupatim Spiritus ſanctus hoc ſpeciali *ornatus* elogio auguſtè decoratur? Argutè quidem Spiritus ſanctus, qui ex proprio charactere amor eſt, ſpeciatim dicitur Patris & Filij *naturalis ornatus*: Amore nitet Paternitas diuina, amore adornatur diuina Filiatio. Verbum diuinum à diuino amore gloriosiùs pulchreſcit, auguſtiùs venuſtatur? Æternus Pater, ideale perfectionum conceptaculum, Spiritu ſancto (characteriſtico inquam, amore) perfectiùs inornatur? Scilicet, vt in creaturis amor rei amatæ perfectionem exaggerat: puta id quo fieri poteſt modo in diuinis accidere; nec ſatis ita Dei perfectiones ad laudem explicaſti. Profundè itaque dixit Rupertus: *Vnus Pater, & Filius cum eo, quo pariter vterque ornatus eſt, Spiritu ſancto.* Tanta enim eſt Patris & Filij perfectio, vt amoris fauor, aut beneuolentiæ exaggeratio videatur. Neque humana tenuitas eam aliter digniùs aſſequi eualet.

Hic v. 1. Rupert. ibid.

Spiritus ſanctus (id eſt amor) Patris & Filij ornatus Dicitur, quare?

Hebræa gens autem retrò maiorum ſuper- 3.
ſtitionem ſapiens, ad idololatriam nimis prona fuit; quod propè ſingulæ Bibliorum paginæ inuulgant. Cum verò Moyſes diutiùs ab Hebræis elongaretur, quò propiùs vicinaretur Deo, ex aureis & argenteis focalibus, armillis, & monilibus, fuſili opere vitulum fabricarunt, & recens Numen veteratoriè adorauerunt feſto plauſu & tripudio, *Dixeruntque. Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te adduxerunt de terrâ Ægypti.* Non infamabo nunc Gentem de vecordiâ, quâ nupero Deo, antiqua adſcribunt fac nota; ſed innotatum non dimittam; quod nemo interpretum non notat; cur vnum duntaxat vitulum, pluratiuo vocabulo, Deos appellent. Lippientibus ſingularis lucerna, multiplex apparet. Planè lippiunt Hebræi, qui vnum Deum, multiplicem putant. Niſi fortè vnum plures exiſtiment, quod monſtrum eſſet cæcitatis: nam vnitas pluralitate caret, pluralitas vnitatem ſuperando, eam excludit. Quare ergo vnus Deus, (Idolum inquam, ſingulare) plures Dij ab Hebræis dicuntur. Multas rationes ibi adaggerant commentatores, illa moraliſſima eſt, & ad rem præſentem accommodatiſſima, quam adducit Lipomanus: *Quæ*, inquit, *maior iniquitas & ſtultitia fieri potuit, quam ſtatim acclamare diuinis vocibus: Hi ſunt Dij tui Iſraël: Vbi honoris gratiâ plurali numero explicant vnum Deum, nouum illum ſuum aureum vitulum.* Numnùm Hebræa gens ſuperſtitione

Exod. 32. 4.

Vel Diuinitatem ipſam nimiùs amor multiplicem præſumit?

Lipom. ibi.

ſitione amens, amans idolorum, percupitum & peramatum futilem Deum, amore multiplicat, & vnum idolum, plura putat, amore vel deitatem impudenter multiplicante. O cæca amantium iudicia! vel Diuinitatem ipſam nimius amor multiplicare præſumit? Quid exaggeratius.

4. Hic v. 4.

Hic verſ. 4. *Dixitque Deus: Fiat lux, Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Recens nata lux ſic placet, vt Deum habeat laudatorem? ſed quam ob cauſam non ore, ſed viſu Lucis laudes prædicantur? Oculi linguæ officium cur vſurpant? Nouus planè panegyriſta, aſpectus eſt. Perbellè vt aſſolet Ambroſius rem meditatur. *Vidit Deus lucem quod eſſet bona. Propriis itaque (ait) ſermonibus naturam lucis expreſſit, quæ videndo complacet.* Scilicet lux explicati ſui iubaris ſplendore, intuentium aſpectibus, quibus eximiè complacet, pergrata eſt: ergo quò ſublimiùs eius præclara elogia, & æſtimatione cenſeantur, & laudatione prædicentur; laudatricis aliàs linguæ officium obeant oculi, gratâ complacentiâ velut ſubornati ad laudes. Complacentia enim rei dilectæ laudes mirificè ad gloriã amplificat. Quaſi dignæ laudationis auara foret humanæ linguæ diſertior facundia ad laudandam lucem; aſpectus aſſumitur nouus pulchræ lucis encomiaſtes: nam vt exaggeratius dilaudetur Lux, *quæ videndo complacet*, non oris, ſed oculorum linguâ prædicanda eſt: *Viditque Deus lucem quod eſſet bona.* Oculis laudetur, quæ oculis videndo complacet, ad amplioris gloriæ cumulum.

S. Ambr. ibi.
Lux, quia videndo cõplacet, non ore, ſed viſu dignè laudatur.

XXXVII.

Ille eſt verè Iſraëlita in quo dolus non eſt, qui neque ad odium aliquid loquitur, neque ad gratiam

5. Ennod. in Synod. Rom. ſub Symma.
Humanus animus, alienæ laudis, benè auarus, eſt.

ENNODIVS Ticinenſis his verbis auſpicatur libellum aduerſùs eos qui contra Synodũ ſcribere præſumpſerunt: *Solet,* inquit, *dicendi affectum multarum rerum ardor exigere: ſi auarus laudis eſt animus, & fauorem deſiderat ſudore mercari,* &c. Pulchrè hominis animus *auarus laudis* dicitur: aut quia laudem propriam ambitioſiùs procurat, aut quia alienam contentioſius negligit. Et quidem conſultiſſimè genio humanæ naturæ inſtigante, nobis inſita eſt alienæ laudis auaritia, ne laudatoris lingua à via veritatis exerret, ambitione dicendi. Qui laudandi ardore, & facundiâ eloquendi, in aliorum effunditur laudes, perſæpè non veridicus encomiaſtes eſt, nec ſincerus rerum æſtimator; affectuum lenocinio, aut linguæ garrulitate virginem veritatem non ſemel conſtuprante.

2. Ioannis 1. Philippus, Chriſti nuper adlectus collegio, inuenit Nathanaël, & dixit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: veni, & vide. *Vidit Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dixit de eo: Ecce verè Iſraëlita in quo dolus nõ eſt.* Biblicè in primis peritus Nathanaël, probè ex Michæa notat, Chriſtum non in Nazareth, ſed in Bethlehem naſciturum. Vnde Philippo prudens aſſentire non potuit; nec tamen Philippi ſermonem ſupercilioſè refutauit: ſed confeſtim cum Philippo venit, vt oculis & verbis rem exploraret. Dum autem exploraturus venturet Nathanaël, appellatur à Chriſto, *Verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.* Ardua planè oritur quæſtio, quare in hoc præſertim rerum articulo, de Nathanaële dicatur, quod erat verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Quid eſt, *In quo dolus non eſt?* Mitto plura; vt citiùs deſcribam expoſitionem, quam opportunè & eleganter meditatur Chryſoſtomus: *Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt: quippe cuius incorruptum iudicium, nec ad gratiam, neque ad odium quicquam loquitur.* Ille nè duntaxat eſt verè Iſraëlita in quo dolus non eſt, qui tametſi fandi occaſio ſe offerat opportuna, nihil ad odium loquitur, neque ad gratiam? quod hic præſtitit Nathanaël. Quaſi doli expers non ſit, qui ad gratiam aliquid loquitur, aut ad odium? Sic humana laudatio dolo & fraude eſſe ſolet imbuta? Sic eſt difficile veridicum panegyriſtam agere? ſic laudatoris affectus, potiùs quàm rei meritum, laudes aut vituperia garrire ſolitat? Heu quodammodo ex alienis affectibus æſtimamur!

Ioan. 1. 47.
Mich. 5. 2.

Dolo caret quiſquis nec laudat, nec vituperat quempiam.

S. Chryſ. homil. 19 in Ioann.

Hic verſ. 4. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Auctor lucis Deus, lucem loquitur. Sed bonus auctor ita lucem dilexit, vt mundum ipſum infuſo aperiret lumine, atque eius ſpeciem venuſtaret. Reſplenduit ſubitò aër, & expauerunt tenebræ noui luminis claritatem. Pulchrè itaque reſonat Dei vox, quaſi pulchræ lucis laudatoria ſequela: *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Putaſne his verbis Deum laudaſſe lucem? Audiendus eſt Ambroſius: *Et vidit Deus, inquit, lucem quod eſſet bona. Nec quod ignorabat vidit, nec id quod neſciebat ante aut non viderat, comprobauit: ſed bonorum operum proprium eſt, vt externo commendatore non egeant, ſed gratiam ſuam, cum videntur, ipſa teſtetur. Plus eſt quod probatur aſpectu, quàm quod ſermone laudatur: ſuo enim vtitur teſtimonio, non alieno ſuffragio.* Maior laus eſt, placere oculis, quàm ore prædicari. Mitto hæc, nec diſcedam à communi interpretum conſenſu, præfatis verbis lucem tunc a Deo laudatam aſſerentes, ſicut & reliquas exinceps creaturas. Verùm quia in laudatore homine rerum laus ab affectu potiùs quàm ab ore, prodire ſæpe ſolet, attentiùs conſideranda ſunt arguta eiuſdem Ambroſij verba, quæ ſic de Deo anthropopathôs loquitur. *Fiat lux, &c. Plena vox luminis, non diſpoſitionis apparatum ſignificat, ſed operationis reſplendet effectu. Naturæ opifex lucem locutus eſt, & creauit.* (Emedulla quæ ſubijcit verba) *ſermo Dei voluntas eſt, opus Dei natura eſt .... Vt voluntatis ſuæ cognitionem* (aliàs cogitationem) *proderet operationis effectu.* Operatorius ſeu laudatorius ſermo Dei; voluntas eſt? laudatio à voluntate citiùs, quàm ab intellectu prodit? Voluntatis, potiùs quàm mentis cogitatio, dicetur laudatoria vox? Bonus alioqui Theologus Ambroſius, non bonum hic Philoſophum agere videtur. An de Deo loquitur Ambroſius more humano? (ſic pœnitere, iraſci, &c. dicitur, qui affectus propriè

3. Hic v. 4.

S. Ambr. l. 1. exa. c. 9.

Humana laus à voluntate potiùs quàm ab intellectu oritur?

4. Ambr. ſup.

priè in Deum non cadunt.) Porrò homines affectu laudant,potiùs quàm ſermone: & voluntas citiùs quàm mens prædicanda ſuggerit encomia: & inde voluntati laudatio adſcribitur, quaſi voluntas ſit humanæ laudis officina,& prædicationis ſeminarium! ô ſpurias, & ſæpè ſubdolas hominum laudes!

5. Poſt mortem Baſilij, Baſilium laudat Nazianzenus. Magnum, inquam, Baſilium, ſapientiæ metam,ſanctitatis ideam, & præluſtre

Nazian. orat. pro Baſil. *Hominis laudator purget prius affectū.* virtutis ſimulacrum. Et quidem Nazianzenus non impar Baſilio, ſic eius laudes in laudatoriæ Orationis exordio, diu poſt funus auſpicatur: *Sed primum,inquit,vt verum fatear,ſermonem habere detrectabam, quemadmodum qui ad ſacra accedunt, priuſquàm vocem, animúmque perpurgaſſem.* Scilicet Nazianzenus, encomiaſtes Baſilij futurus, panegyrim procraſtinat, vt vocem & animum perpurgaret à naturalium affectuum fæcibus; ſicut qui ad ſacra accedunt, priùs conſcientiam ſacramento emaculant & perpurgant? ô quàm multa breui Nazianzenus compendiauit! quæ hîc omitto, quoniam præfata verba pro laudandâ dignè Deiparâ,alibi fuſiùs expendebamus.

---

§ XXXVIII.

Nonnulli ſic ſuis ſe credunt coniecturis, vt quod ob leuia ſæpe indicia credunt, reputent Euangelium.

1. *Imaginationi dubia fides habenda eſt.* DEVS bone, in quantas rerum formas, nimis credula ſe imaginatio diſpergit! Iá pro leuiú indiciorum nutu in hunc ſæuit vt beſtia, in illum miteſcit vt homo: iam ſublimem de aliquo mentem combibit, de alio ſiniſtram opinionem exprimit: & pro affectuum libidine quamcumque fucatis indiciorum imaginibus pingit ſpeciem,veri adſtipulatione repræſentat: adeò vt malè ſuſpicax quorundam ingenium,citius & tenaciùs indiciis credat quàm ipſi Euangelio.

2. Celebris ſuper Euangeliorum titulis ventilatur quæſtio, vnde Euangeliſtæ hauſerint

S. Aug lib. 1. de côſ. Euág. cap. 1. quæ in ſuis eructarunt Euangeliis. Non effugit Auguſtini eruditionem & acumen præfata difficultas, cui ita reſpondet: Euangeliſtæ *non ſolùm ea quæ ex ore Chriſti audita, vel ab illo ſub oculis operata,dicta, aut facta meminerant;verùm etiam quæ priùs quàm illi per diſcipulatum adhæſerant, in eius natiuitate, vel infantiâ, vel pueritiâ diuinitus geſta, & digna memoriâ,ſiue ab ipſo,ſiue à parentibus eius, ſiue à quibuſlibet aliis certiſſimis indiciis,& fideliſſimis teſtimoniis requirere, & cognoſcere potuerunt.* Nimirùm vulgus hominum,quibus arduum erat indubiâ fide credere ea omnia, quæ in Euangeliis traduntur; curioſiùs ſciſcitabantur, vndenam Euangeliſtæ eiuſmodi notitiis

D. Ioſephus dicitur Euangeliſtarum magiſter. inſtructi forent. Quibus reſpondet Auguſtinus, plura ipſos Euangeliſtas oculis vidiſſe, alia didiciſſe à *parentibus eius*,à Maria & Ioſepho inquam, (quæ eximia Ioſephi laus eſt, Euangeliſtarum fuiſſe præceptorem atque magiſtrum.) Addit ad rem præſentem Auguſtinus, plura etiam Euangeliſtas cognouiſſe, *ex certiſſimis indiciis.* Sic indiciis credunt homi- *Nonnulli humana indicia quaſi Euangelium reputant.*
nes,vt Euangeliſta humanam Euangelij notitiam ex indiciis hauſiſſe dicantur? Sic apud quoſdam homines indicia eualent ad fidem faciendam, vt ad fidem faciendam Euangelio, dixerit Auguſtinus, Euangelij notionem *ex indiciis* partam. Euangelium non crederetur ab aliquibus eſſe Euangelium; niſi ab indiciis eius credibilitas adſtrueretur ad fidem? Mihi quidem haud ſatis firma eſſent ſola indicia, niſi diuina auctoritas acceſſiſſet rem ab humanis indiciis Euangeliſtæ notam. Vir ſapiens non credit meris rei indiciis, ſed de re ambigit propter indicia. Quis tutò ſe credat indiciis, niſi quibus diuina auctoritas palàm ſubſcripſit? Aliqui verò ita ſunt tenaciter ſuſpicionibus creduli:vt vel Euangelio credant, quia humana Euangelij notitia non ſemel indiciis innititur. Apud quos indicia tanti habentur,vt,puto, nihil ducetur rei euidentia. Non inidonea planè eruditio ad caſtigandam leuiculam credendi libidinem eorum, qui ſuſpicionibus & indiciis nimis tribuunt.

Ioannis 4. Chriſtus Deus ſub Samaritide 3.
ſitit, frigidæ hauſtum expetit, & plus ſitit Sà- Ioan. 4. 49.
maritidis fidem. In ſatis prolixo ſermone ad *Samaritana*
garrulam fœminam habito, & ſublimiora fidei *cur ex indi-*
myſteria pandit Chriſtus, & profuſam & altè *ciis propoſue-*
tectam conſcientiæ libidinem propalat. E veſ- *rit Chriſtum*
tigio Samaritana, è ſcorto Euangeliſta Chri- *ſuis creden-*
ſti verbis facta,feſtinat ad vrbem: Abiit in ci- *dum.*
uitatem, & dicit illis hominibus: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: Numquid ipſe eſt Chriſtus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. ..Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis.* O ferè inconſultos Samaritas, ex meretricio ore Euangelium ſuſpicitis, & ſuſcipitis? Prætereà Samaritana non dixit: Ipſe palàm eſt Chriſtus;ſed ſuſpicionem ſuam publicat, & de re tanta indiciis addubitat, aiens: *Numquid ipſe eſt Chriſtus?* Eleganter Chryſoſtomus: *Vide etiam,*inquit, *neque manifeſtè annunciauit Chriſtum,neque tamen totaliter ſiluit,ſed dixit: Numquid ipſe eſt Chriſtus?* S. Chryſoſt. hom. l. 33. in Ioan.
(Suſpicando inquam,& ex indiciis coniectando) *& ideò ſermonem eius acceperunt: vnde ſequitur: Exierunt de ciuitate, & veniebant ad eum,* &c. Scilicet multi Samaritanorum *ideò ſermonem mulieris acceperunt*, quia non manifeſtè annunciauit Chriſtum, ſed quoniam ex coniecturis & indiciis tantùm dixit; *Numquid ipſe eſt Chriſtus?* Res profectò admirabilitate plena,quod hæc mulier præproperè Euangeliſta, & Euangeliſtarum æmula, *non manifeſtè annunciauit* Samaritanis Chriſtum, ſed *ex certiſſimis indiciis* detectæ conſcientiæ, illum publicauit, *& ideò* paratam illorum fidem reperiſſe.Sic apud quoſdam eualent ad extorquendam fidem indicia, & coniecturæ, vt ne id Euangelio credendo deeſſet, humanam Euangelij fidem, ex indiciis Auguſtinus & Samaritana conſultiſſimè fecerint? Deus verò ex viſionis cenſu rem æſtimat: *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Vide quod laudas, qui vitupe- Hîc v. 4.
ras quod non vides.

§. XXXIX.

§ XXXIX.

Scelera, quæ curioſè ſuſpicioſa æmulatio in alio fingit, prophetiæ oculis inſpexiſſe ſibi videtur.

1. QVIS ſis intereſt, non quis habearis: nam ad triſtem, atrem ſtrenua ſuſpicio communiter fertur: ſed odij, aut æmulationis, aut tetri alicuius affectûs priuilegio.

Maleuolentia nimis oculata est ad alienæ æmuli [illegible].

Maleuolentia nimis oculata eſt, & atrociter curioſa: peruerſâ ſagacitate quod reprehendat auidiùs perueſtigat; ſempérque inueniſſe ſibi putat, quod malitioſe perquirit; videt oculus, quod affectus fingit, & animus non tam mente, quàm voluntate ſiniſtrè iudicat, maleuolentiæ libidine, & æmulationis ingenio, perpetuò videns vltra quàm habet oculos. O inſanos vates, bene æmulos, & malè oculatos!

2. 1. Regum 18. Cùm reuerteretur percuſſo Philiſthæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael, cantantes, chorósque ducentes in occurſum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia. Iratus eſt autem Saül nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo iſte.

1.Reg. 18 9.

Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps. Iſraelitidum cantilena inuidiam Saüli fecit, inuidia odium creauit; odium verò foràs exiit ad oculos.

Saul æmuli Dauidi. Oculator dicitur.

Sed ſollerter perueſtigandum eſt, quid ſit non rectis oculis à Saüle Dauidem aſpici. An toruo aſpectu, & oculis atrocia quæque minantibus, caperatâ fronte, & vultu feroci? Putauerim, hoc mitius fore malum, nam apertæ inimicitiæ, vt ſunt familiaritatis finis, ita & cautelæ principium.

Caiet. ibi.

Acutiſſimè & moraliſſimè Caietanus his verbis locum præfatum exponit. *Non rectis ergo oculis Saül aſpiciebat Dauid, &c. Et fuit* (ſic vertit ex Hebræo textu) *Saul oculatòr Dauidis à die illo.* Scilicet inteſtinum odium, & malignum rancorem contra Dauidem, Saül in eo oſtendit, quòd à die illo & exinceps, *Oculator erat Dauidis*, illius curioſè facta ſciſcitans, & dicta explorans, & mentem diuinans, ad calumniæ machinationes malitioſas: & quod ingenio odij fingebat, non putabat ambiguum, ſed adeo certum, ac ſi oculis perſpectum foret: *Fuit Saül Oculatòr Dauidis à die illo.* Nempe Phariſaico intuitu aſpiciebat Dauidem: *Et ipſi obſeruabant eum.*

Lucæ 14.1.

Inſidioſas maleuolentiæ ſuſpiciones, quas æmulatio inſanè mentitur falſatâ fide, velut *Oculator* perſpicit, & perſpicuè oculis videt. ô caue à maleuolentiæ curioſâ perſpicaciâ, quæ quod affectu ſiniſtrè fingit, velut *Oculator* cernit!

3. Pergit ſacer Hiſtoricus, eodem Caietano comite, in-primis eleganti commentatio, ad thema præſens peridoneo. Non rectis ergo oculis Saül aſpiciebat Dauid a die illâ, & deinceps

1.Reg 18 10

Poſt diem autem alterum, inuaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ. Multa mouent interpretes ſuper hâc Saülis prophetiâ: nec facilè ſe expediunt, cùm *ſpiritu Dei* prophetaſſe dicatur. Mitto plura, vt citiùs exſcribam quam promiſimus Caietani commentationem: *Inuaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ. Hoc eſt, inſaniuit ad ſimilitudinem prophetantium aliena à communi ratione agentium, & dicentium. Et hoc erat primum nocumentum conſequens commotionem ſpiritus.*

Caiet ibi.

Nuper inuidus, & maleuolus Saül, odij aſpectu, *Oculator* dictus eſt ſuſpicionum, quæ maleuolentiæ ingenio in aliis mentitur; nunc *propheta* dicitur, qui *Videns* Hebræo idiomate nuncupatur.

Saul prophetat aliena à communi ratione agentium, & dicentium.

Sed videamus quidnam Videns hîc, ſeu *Oculator* prophetet: *Prophetabat, hoc eſt, inſaniuit ad ſimilitudinem prophetantium aliena à communi ratione agentium, & dicentium.* O pernicioſum vatem! ô aures tuas obtura ab his prophetis! Odij, & æmulationis inſaniâ, animo ſuſpicatur, & ore effutit aliena à communi ratione agentium, & dicentium, & in ſimilitudinem Prophetarum illa publicat? Quod malitioſus *Oculator* in alienis factis & dictis ſuſpicatur inſanè, aliena prorsùs à communi ratione & intentione agentium & dicentium, velut prophetiam venditat, & quaſi *Oculator* Propheta pandit? Bonis dictis & factis alienis, alienam 4.
(id eſt, tuam) mentem malitioſè inſeris; & eâ veritatis certitudine, quâ Videntes loquuntur, prophetare audes? *Prophetabat, hoc eſt inſaniuit ad ſimilitudinem prophetantium aliena à communi ratione agentium, & dicentium.* Sed non dimittam innotatum, Saülem, & Saüli ſimiles Vates, quod prauitatis in aliis ſuſpicantur, quantumuis alienum illud ſit à communi ratione agentium, & dicentium, & à veritate ipsâ; *ſpiritu Dei*, illa prophetare, plerumque garrire, & bono pietatis zelo, quo prætexunt malitiam. Saül etiam *ſpiritu Dei* inuaſus dicitur. Et puto, non bono ſpiritu Saülem tunc agi. De quo alibi. Malus *Oculator* homo ad aliorum vituperium: bonus Oculator Deus ad alienas laudes: *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.*

Hîc v. 4.

§ XL.

Regiminis negotium, non fallaci aurium relatione, ſed exploratoriâ oculorum viſione, ritè peragitur.

1. SOLON ille Athenienſium legiſlator, argutiſſimè dixit, mali Principis amicos, quin & ſubditos, *Calculis ſupputatoriis eſſe ſimillimos: qui vt arbitrio ſupputantis ponuntur, interdum valent multa millia, interdum minimum, interdum nihil.*

Laert. lib. 1. cap. 3.

Sic eorum honores, & fortunas inconſtans gubernatoris libido variat! Idem propè dixeris de Principe aut Rectore minimè alioqui malo, ſed malè deſidioſo; apud quem omnia munera per vicarios adminiſtrantur, interdum alteros, ac tertios: nilque per ſe videt, examinat, & oculis ſuis explorat; ſed cuiuſque merita ex quorundam relatione metitur, pro relatoris arbitrio.

Subditi apud ignauũ Principem, ſimiles ſunt ſupputatoriis calculis.

Apud

Apud huiuſcemodi ignauum Principem, ille ipſe qui nuper erat optimus, poſtmodum mediocris eſt, deinde nullus: & (ſi Deo placet) ex optimo peſſimus, ad referentis nutum. O quoties probus quiſque, relationis, non facinoris reus eſt; & quem inculpata vita defendit, delatio arguit, & gubernatoris aures condemnant! ô cæcè auritam politiam! ô aurium adulteria, quæ totam conſtuprant politiam!

2\. Geneſeos 18. dixit Dominus ad Abraham: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: *Deſcendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam.* (Sudatus planè locus, ſed dabo operam, vt illum ad rem præſentem fortè non vulgariter emedullem) Deuſne is eſt, qui deſcendat in terras, vt hominum flagitia, quæ in aures ſuas clamant, videat oculis; & viſa, mente exploret, vt ſciat? S. Hilarius ita hunc locum ſubtiliter verſat. *Habemus ergo,* inquit, *neſcientem Deum. quod tamen non neſciat; nam cum peccata magna valdè ſciat eſſe, & rurſum deſcendit vt videat an conſummati ſint, etſi nondum conſummati ſint, vt ſciat, intelligimus eum non ea tunc ſcire, quia prius neſciat; ſed ea tunc ſcire, quia tempus ad agendum ſit.* O Dei omnium Rectoris ſcientiam opportuniſſimam! Tunc, tunc quidem hic ſcire dicitur, non cùm ſcit, ſed cùm agendi tempus eſt: quaſi rem agendam ignoraret, quouſque adſit agendi opportunitas. Profectò ſapientiſſima ignoratio eſt, quæ velut dediſcit notitiam, quouſque agendi occaſio opportunè ſcientiam expoſcat. Subtiliſſimè pariter ac moraliſſimè aliorſum Hilarius. Sed tempeſtiuè ad rem præſentem Philo Hebræus: qui ad ſimilem Dei deſcenſionem in terras, & extructorum turris Babelicæ audaciam pertractans, ac ſi commentaretur præfata verba: *Deſcendam, & videbo vtrùm clamorem qui venit ad me, operè compleuerint,* &c. ita fatur: *Propius introſpecto negotio diligenter cuncta perluſtrat: viſus enim certus, potius quàm fallax auditus, teſtis adhibendus eſt.*

Gen. 18. 21. Sapientiſſima ignorantia eſt, quæ ſcire diſſimulat, quouſque id ſit operanti ſi ſeruiens.

Hilarius 9. de Trin.

Philo de cõfuſ. ling.

3\. O bonum Gubernatoribus documentum! Scilicet anthropopathos de Deo incorporato, ſub ſpecie corporati hominis apparente, Moyſes loquitur. *Deſcendam,* inquit, *& videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint.* Non ait, Auribus excepi clamorem, deſcendam, vt intelligam; ſed, *Deſcendam, & videbo, & propius introſpecto negotio diligenter cuncta perluſtrabo: viſus enim* (apud homines) *certus, potius quàm fallax auditus, teſtis adhibendus eſt.* An non ſæpe auditus, & delatorum clamor, in falſo teſtimonio deprehenſus eſt? inde humanæ rationis tribunal, aurium informatione falli poteſt. Oculorum autem perſpicua eſt notitia; & inde incorruptum eſt iudicium, quod oculorum nititur teſtimonio. *Deſcendam ergo, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam.* Sic lubricum eſt aurium teſtimonium? ſic nutat clamorum fides? Aures diſquiſitionem excitent: oculi (ſi fieri poteſt) teſtimonium exhibeant, & negotium abſoluant. *Viſus enim certus, potius quam fallax auditus, teſtis adhibendus eſt: quapropter in optimè conſtitutâ republicâ, lege cautum eſt, ne quis audita dicat pro teſtimonio, quia iudicium auditus naturaliter facilè eſt corruptoribus. Apud Moyſem quoque inter vetita legitur: Non admittes auditionem vanam vbi non tantum interdicit ne quis falſum ſermonem aut ſtultum accipiat auribus, ſed docet, quod ad manifeſtam veritatis perceptionem longe minus quam viſus idoneus habeatur auditus, cùm ſit refertus vanitatibus. Hanc cenſemus eſſe cauſſam, cur deſcendiſſe dicatur Deus.* Hucvſque Philo.

Viſus potiùs, quàm fallax, auditus, teſtis adhibendus eſt.

1\. Regum 2. Inter optimos Hebrææ gentis ſacerdotes & iudices, Heli meritò cenſetur. At filij Heli, filij Belial, neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum, ſacrilegi, fures, ſcortatores. Sed audienda eſt mitiſſima Heli reprehenſio, quâ filiorum ſcelera corripit: *Nolite filij mei: non enim eſt bona fama, quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini.* Lenis planè, & blandior quàm par erat, correptio, cùm eſſet peccatum eorum *grande nimis coram Domino.* Quare pius, & religioſus pater tam remiſsè corripit impios, & ſacrilegos filios? P. Sanctius ſanctitate & eruditione vir noſtro æuo magnus, ſic reſpondet: *Caligauerunt oculi, nec poterat videre lucernam Dei, & conſequenter vitia non cognoſcit.* Nimirùm bonus & pius ſenex præ nimiâ ſenectute caligabat, neque oculis explorare poterat filiorum enormiſſima ſcelera: vnde ex relatione duntaxat illi innotuerunt; & conſequenter vitia eorum non cognouit, & venialia reputauit. Ecquis enim eſſet tam temerariè audax, vt tanta flagitia hominum, magni ſacerdotij iam officio fungentium, ad eorum patrem & Iudicem & Pontificem, niſi imminuta deferret? Porrò ſuperioribus niſi blanda verba, & quæ eorum demulceant aures, minimè congruunt, non quæ illos exaſperent, ipſóſque amarulentiùs irritent, quò & patris Principis odium, & filiorum (quorum flagitia deferunt) inuidiam conflent. Itaque tandem aliquando ſcelera filiorum Heli parenti denunciata ſunt, ſed tectiùs delata, & ſic imminuta aut diſſimulata, vt bonus pater venialia fortè putaret, neque ſeueriori increpatione digna: *Caligauerunt oculi, & conſequenter vitia non cognouit,* oculis inquam, ſed auribus excepit, ſic prauitate extenuata, vt *peccatum grande nimis coram Domino,* leue & veniale reputaret, nec acriori increpatione mulctandum. Vide qualiter enormia charorum delicta ad Iudices denuntientur, ſi tamen denuntiantur. Niſi ſuperioris oculus propiùs introſpecto negotio cuncta perluſtret, impunita inſultant flagitia, & bona merita ocioſè vacant, ex communi aurium adulterio. *Viſus enim certus, potiùs quam fallax auditus, teſtis adhibendus eſt.* Heu quoties fallax Principum auditus, dum referentium inſidias patitur, lubricâ credulitate lenocinatur erroribus! Si bonus alioqui Pontifex Heli, ſic deluſus eſt, quid non timeat ſuperiorum conſcientia, de inferiori merito ſibi bene conſcia, & malè rea? ô cæcas quorundam aures, quæ inſanè ſibi de clarâ viſione gratulantur!

4\.

1. Reg. 2. 24. Heli ſcelus graue filiorum, veniale cenſet.

Sanct. in 1. Reg. 2.

Philo ſuprà.

Hîc verſ. 19. ita Moyſes denarrat: *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* Quid corporali intuitu opus fuit Adamo, qui animantia ſibi ſubiecta bene nouerat! Nam vt dilucidè notauit Caietanus: *Non ex corporali viſu*

5\.

Hîc v. 19. Non tã mente quàm viſus ſuperioris ſubditorum explorat ingenia

Caiet. ibi.

viſu poſſe poterat proprietates animalium, ſed intellectuali opus erat viſione. Mentis oculi inſtinctuali erant, intercipatâ omnium ſcientiâ, quâ Adamus, omnium Præſes, à Deo infuſus eſt: vacat ergo corporalis ſingulorum aſpectus. Quorſum ergo tot concurrentium animalium ſubitus in paradiſo tumultus? Lucu-
Lipoman. in Caten. bi. lente. Lipomanus, *Vt exploret ingenia & ſtudia eorum.* Videlicet Adamus omnium animantium Præſes, non ex lubricâ & fallaci aliorum relatione, neque ex referentium notitiâ quantumuis veraci, ſed ex præſentiâ, quandoquidem id fieri poteſt, & corporali intuitu, ſubiectorum *ingenia & ſtudia exploret.* Probè Adam nouerat omnium naturas, & ſingulorum proprietates: ſed neſcio quid arcani ineſt corporali ſuperioris viſioni, præſentiæ, & conuerſationi, vt ſubditorum ingenia, & ſtudia, quæ mens cogitando non aſſequitur, citiùs, & certiùs videndo penetret. Nomen & famam ſubditis dare, res eſt corporalis viſionis, & præſentiæ. Vnde ad omnium Præſidem Adamum inſtinctu quodam adducuntur, vt *exploraret ingenia, & ſtudia eorum.* O perneceſſarium Gubernatoribus eruditionem, de paradiſi gymnaſio ediſcendam!

Non ex relatione aliorum, ſed ex propriâ
Ibi. v. 4. viſione rem hic Deus texat: *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona*, vt notat Caietanus.

---

§. XLI.

Veritas, per bonos etiam traduces linguarum, & aurium malignè ſerpit.

1. ENSVS veritatis à linguâ eſt, & cum odio ſui cœpit. Tot ſunt hoſtes eius, quot in nobis affectus. Inde virgo veritas ab amore, ab odio, ab inuidiâ, ab irâ, à concupiſcentiâ, ab ambitione, quin etiam à
Rara hominũ fides eſt. deſidiâ conſtupratur. Apud ſapientes viros experientiæ attentos, rara fides rerum eſt, niſi quæ venerit de ſchola cæli. Porrò humana, neque tunc quidem cùm aliquid veri affert, ſinè
Tertul. Apolog. c. 7. mendacij vitio ſæpè eſt, *detrahens, adijciens, demutans de veritate.* An verò vulgari famæ credat niſi inconſideratus? quia ſapiens non credit incerto.
Iuuen. Sat. 2.
Nec pueri credunt, niſi qui nondũ ære lauãtur:
Sed tu vera puta, Curius quod ſentit, & ambo
Scipiadæ, quod Fabricius, manéſque Camilli.
Omnium ſit æſtimare, quandoquidem omnium eſt videre, quantâ cum ambitione fama rei incertæ diffundatur: & quod ab vno duntaxat, aut percontando, aut dubitãdo dictum eſt, exinde modici ſermonis vitium, tumoris licentiâ latè propagatur. Quod ſæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio ſuſpicionis, aut ingenitâ quibuſdam mentiendi voluptate. Inde aduertitas licet, ex quàm incerto rumuſculo fama,
Tertul. Apolog. c. 7. *In traduces linguarum & aurium ſerpat.* Neque duntaxat apud homines è triuio vulgares ſic infeſtatur veritas, ſed apud homines etiam ſapientiâ & virtute magnos.
2. Ioannis 21. Dixit Ieſus Petro. *Sequere me.*
Ioan. 21.19. *Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus ſequentem.... Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dixit Ieſu. Domine hic autem quid? Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere. Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Ieſus: Non moritur, ſed. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Inter viro. et. à magnis ex leui rumore conſtãt fama propagatur.
Nempe, dum vel dubium verbum de immortalitate auditum ſit, cùm Chriſtus loqueretur de Ioanne cum Petro: inter ipſos Chriſti Dei Apoſtolos, Eccleſiæ pariter ac virtutis proceres, *exijt ſermo iſte inter fratres, quod diſcipulus ille non moritur*, dum aliquid de Chriſti verbis detrahitur, adijcitur, demutatur, aut ſiniſtrè interpretatur. *Et tamen non dixit ei Ieſus: Non moritur, ſed Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Super quibus verbis ſic fatur eleganter Auguſtinus. *Quis facilè aliud eſſe crederet, quàm quod fratres crediderunt, qui tunc erant? Sed hanc opinionem Ioannes ipſe abſtulit, ſubdens: Et non dixit ei Ieſus: Non moritur, ſed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* August. tracta. 124. in Ioan.
Sic *in traduces linguarum & aurium ſerpit* tumuſculus, etiam in viros magnos? Sic ex dubio ſæpè verbulo fama propagatur? Sic indubiè homines credũt huic famæ, ex leuibus principijs exortæ, vt licet Ioãnis cadauer apud Epheſios ſepultum videant, dormientem enim potiùs, quàm emortuum putent, & neſcio quo inuiſo anhelitu ſub humo reſpirantem? Ecce quàm certò, etiam aduerſus experientias, credatur vel à magnis viris, quod ex ambiguo increbruit rumore. August. ibi, tract. illo 124. & ſeqq.

Perſæpè ſe Moyſes ab Ægyptiaca legatione 3.
excuſauerat, cauſatus ineloquentiam, & linguæ balbutiem ad tractandam rem Dei cum pertinaci Ægypti rege, & ſuæ gẽtis proceribus. Tũc *Dixit Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te* Exod. 7.1.
Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loquèris ei omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem. Prophetâne opus eſt Moyſi, an interprete, qui copioſiùs & comptiùs eloquatur, quod ipſe gracili voce, & balbutie moleſtè verba conante, dicendum ſuggeſſerit? Sat eſt Moyſi, ſi fideli interprete donetur, qui illud met, quod ipſe ſuccinctiùs & incomptius ad interpretis ſuggeſſerit aurem, facundus interpres copioſè & eleganter ediſſerat. Plan- hîc vacat prophetiæ miniſterium, vbi munus fidi interpretis tantum requiritur, & planè ſufficit. Verùm enimverò vſque adeò infidè, quod aliquis dixit, referri apud homines ſolitat; tam diuerſus eſt ſermo in ore dicentis, & in linguâ illud met referentis, vt prophetiæ ſpiritus videatur requiri ad hoc, vt quod quis aure excepit, fideliter ore referat. Sic auditus ſermo: *In traduces linguarum & aurium ſerpit.* Tolerabilia forent aurium adulteria, à malignè excepto ſermone. Mente etiam audientis, & deinde referentis infeliciùs adulteratur ſermo, detrahẽs, adijciens, demutans de veritate. Quin & amor, inuidia, & odiũ, obſcœnè conſtuprant virginem veritatem. Vnde ſæpè veritas repetitis relationibus, ita degenerat à ſincerâ primò rem verè dicentis origine, vt tot appareant diuerſiſſimi ſermones, quot auriti relatores exiſtũt. Quiſque enim audita alterius verba, aut de ſuo affectu colorat, aut de alieno mẽdacio infeſtat. Conſultiſſimè ergo, nõ tã interpres, quã *Propheta* Moyſis Aarõ deſignatur,

ne aliquando agnato hominis vitio, infidè referat, quæ illi Moyſes fideliter ſuggeſſit, & vt auguſtum *Prophetæ* vocabulum, Aaroniani miniſterij fidelitatem reſonet.

---

§. XLII.

Res factitia, diuerſiſſima eſt in ſeipsâ, ac in humani factoris ideâ.

1. QVEMADMODVM Coloſſorum ſimilitudines vel exiguo exprimuntur annulo; & ingens moles ſuperbo ſtructuræ genere architectanda, perbreui notâ ad animum adumbratur: ſic homo res magnas, quas exequi animo molitur, anguſto mentis concepru priùs exactè depingit: quem animi conceptum appellamus rei ideam, id eſt, rei factitiæ archetypum ſigillum menti inſculptum, quod ſit rei exemplar opere exprimendum. Verùm cùm homo imbecillitati & errori obnoxius naſcitur, ſæpè, præſertim in rebus politicis, mendace vtitur ideâ, quam aut ambitio, aut libido, aut auaritia, aut imperitia fingit; & inde opus ab archetypo exemplari quàm longiſſimè exerrat, *En los hombres es muy diferente la traça, y el arbitrio en la idea ò penſamiento, y en la execucion.*

2. Hîc verſ. 4. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta
Hîc v. 4. eſt lux: *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Quid opus fuit, vt Deus limpidiſſimam & perfectiſſimam lucem, recèns è ſuâ manu, velut è matrice emicantem, confeſtim & attentè exploraret, & curioſè examinaret? Pulchrè Anſel-
Anſel. Laud. ibi. mus Laudun. in interlineari gloſsâ, *Vidit*, inquit, *Deus lucem quod eſſet bona. Id eſt, placuit in ſuâ eſſentiâ, quod prius placuerat in præſcientiâ.* Scilicet vt hominibus intimetur, vnius Dei
Diuerſiſſima eſt res ipſiſſima in humanâ ideâ, ac in opere ipſo. eſſe elogium, ſic rem executioni mandare, ac in exemplari depicta præceſſit: nec minùs rem exercitam ſibi de bonitate placere, quàm placuit in ideà. Profectò apud homines res à ſe longiſſimè diſtat, quæ in mentis latebat exemplari, & quæ foris exercita apparet. O neceſſarium Gubernatoribus magiſterium! Humana ſæpè idea rem faciendam mentitur, & vel attentior executio falſatum arguit exemplar. Plura incommoda rei politicæ machinatius arbiter non vidit, in quæ opus exercendum egregiè incurrit; plura vidiſſe diſſimulat, aut ambitionis arbitrio, aut auaritiæ ingenio. Heu non ſincera otioſorum hominum arbitria! Heu tot hinc apud homines mônſtra! Totâ Dei omniſcientiâ, & omnipotenti prouidentiâ opus eſt, vt res in opere eadem ac in mête ſit. Exinde conſultiſſimè ait Moyſes: *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona,* id eſt, *placuit in ſuâ eſſentiâ, quod prius placuit in præſcientiâ.* Planè luculenter: *Salio la obra ajuſtada à ſu exemplar.*

3. Eodem 1. Geneſeos cap. velut inito conſi-
Hîc v. 26. & 27. lio, ſic cogitat Deus de creando homine: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem*
Suam ideam in homine faciendo vindicat Deus. *noſtram.* Et confeſtim ſubdit: *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum,* &c. Quare poſtquàm mente concepit Deus hominem ad imaginê ſuam efformare, ſtatim ſemel & iterum addit, ad imaginem ſuam creatum fuiſſe. Iunilius. *Quod prius* Iunil. ibi.
dixerat, ad imaginem ſuam, conformationis gratiâ geminauit, addendo ad imaginem Dei creauit illum, vt diligentius inculcaret nobis, quales à Deo facti ſumus. Nimirùm Deus *hominem tanquam* Baſil. Seleuc. orat. 2.
animatum ſtatuæ ſuæ ſignum ambitioſè tornatum intuetur, & vt publicet diuino exemplari conformatum prodiiſſe, ſubdit: *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum;* quod conformationis gratiâ geminauit. Quam ob rem Deus diligentius inculcat nobis hominem primò prodiiſſe ſuo exemplari conformatum? Nonne ſatis fuiſſet, id ſemel intimaſſe? Neque enim potuit res facienda à diuinâ ideâ aberrare. Nempe cùm poſtea *Dia-* Seleuc. ſup.
bolus cum dedecore Dei conſpurcaſſet imaginem, illam diligentiùs vindicat Deus, & in primâ productione quàm ſimillimam diuino exemplari prodiiſſe, ſemel & iterum atteſtatur repetitâ inculcatione. Quaſi dicat: Vides nunc hominem ideæ meæ diſſimilem: culpa eius liberrimum arbitrium: nec culpam reiicias in meam potentiam, quaſi humano more imbecillam ad opere explendum, quod in mentis exemplari priùs concepit. Apage ab omnipotenti Deo tam infirma & degener operandi vis. Non meâ impotentiâ, ſed humanæ voluntatis licentiâ homo ab exemplari deſciſcit. Exerrare ab ideâ animo conceptâ, hominis vitium eſt, procul à Deo tam propudioſa impotentia. Itaque conſultò inculcat Deus, ſe hominem ſuæ ideæ ſimillimum primò produxiſſe, & tuendæ conformationis gratiâ vocem ingeminat: *ad imaginem Dei creauit illum,* quò ſuum exemplar ſincerum defendat: ne vt humanum, conſpurcatum, falſatum, & adulteratum putetur. Sic præproperè feſtinat Deus ſuum archetypum rerum exemplar vindicare, ne humanis exemplaribus ſimilis de prauitate eſſe cenſeatur? O pernéceſſarium hominibus otioſè politicis documentum!

---

§. XLIII.

Occaſio quondam delinquendi, etſi nuper honeſtata, ſtudioſè adhuc fugienda eſt.

VIX mundo affulſit lux, (*id eſt, filij lucis,* ait Anſelmus) cùm diui- 1. Hîc v. 2. Anſel. Laud.
nas laudes cognatâ ſibi bonitate mercatur: & confeſtim attentior Dei prouidentia *diuiſit lucem à tenebris.* Nempe filios lucis à tenebrarum ſqualore. *Diuiſit enim* (ait inibi Strabus) *non* Strab. Fuld.
ſolùm qualitate, ſed & locorum diſtantiâ: diffundendo lucem in ſuperiori parte, inferiori in tenebris remanente. Benè quidem & optimè factum eſt, vt delictorum tenebræ, infra *filios lucis* ſint, nec ſublimiorem obtineant locum; vt ſic proculcent, & arceant obſcurioris malitiæ lenocinium, quod placidè ad delinquendum oblectat, voluptatis præſtigiis. Iaceat infimiſſimè malitiæ incentiuum, nè delinquendi occaſio ſublimitate gratiùs blandiatur.

Geneſeos 40. Pincernarum Princeps, & piſtorum Præpoſitus, in poculento, & eſculento 2.
munere,

miniſtri, quod apud Pharaonem ob moram, flagitioſè peccarunt. Iratus Rex utriuſque in cuſtodiam eos detrudi imperat. Dormiunt vterque, & in ſomni gymnaſio, cauſæ ſuæ præſagium cernit, arcano aſpectu. Tunc Ioſephus, eiuſdem ergaſtuli innoxius reus, ſomnia ſciſcitatur, ſi fortè ea fortunatè diuinet. Pincernarum Præpoſitus ſic denarrat ſomnium. *Videbam, ait, coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vuas maturèſcere, & expreſſi in calicem, & tradidi poculum Pharaoni.* Extemplo bonum augurium exclamat Ioſephus, & de reſtitutione in priſtinum faſtigium Præpoſito pincernarum gratulatur. Videns autem piſtorum Princeps, quod feliciter ſomnium fuiſſet interpretatus; ipſe quoque ſomnium ſuum his verbis Ioſepho interpretandum proponit. *Et ego, inquit, vidi ſomnium. Quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum: & in vno caniſtro quod erat excelſius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, aueſque comedere ex eo. Reſpondit Ioſeph: Hæc eſt interpretatio ſomnij: Tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt: poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* O quam eſt diuerſum conſimilis ſomnij vaticinium! Alter ad priſtinam euehitur ſublimitatem, & alter peracerbè excruciandus profliquitur? Quid diſcriminis in re ſomnij obſeruauit Ioſephus, ob quam, hic leccandus, ille ſublimandus prædicitur? Conſimile fuit ſomnium, res ſomnij conſimilis, par vtriuſque delictum in re proprij miniſterij commiſſum: vnde ergo tam diuerſum vtriuſque exitum augurатur Ioſephus? Nempe Præpoſitus pincernarum rem ſui officij, & delicti *coram ſe* videt: at piſtorum Princeps, non coram ſe, ſed ſupra caput ſuum, rem ſui delicti perſpexit. Scilicet *tria caniſtra ſuper caput ſuum*. O infelicißimum omen, & periculoſißimum terrorem! Amittere ſcelus materiam, & malitiæ occaſionem licet ſomniantem, ſupra caput; ecquid calamitatum non poſſit timere? Amittenda eſt procul occaſio, deponenda, & proculcanda eſt; & adhuc honorantur, ſuſcipitur, & ſupra caput ſublimis habetur? Hæc excelſa malitia, blandiente crimine, atrocioris calamitatis augurium eſt, & delinquendi me-ta. Porrò, ſic Deus lucem (id eſt, filios lucis) diuidit à delictorum tenebris: *Diffundendo lucem in ſuperiori parte, inferiori in tenebris remanente.* Qui rem ſui delicti *habet ſuper caput ſuum*, iure audit: *Tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt: poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.*

Occaſio delinquendi procul.anda eſt, non ſuper caput habenda.

Gen 40. v. 16. 17. 18. & 19

3.

4. 2. Regum 12. David ille probitatis ſuper idea, illico venuſtatis Berſabeæ adulterium perpetrat; nec ſine crudelitate (libidinis appendice) hoſtili Ammonitarum gladio immeritum perimit Vriam. Tunc Deus Nathan prophetam mittit; qui poſt recenſita Numinis beneficia, his verbis geminatum Dauidis ſcelus denarrat: *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum.* Nemo mediocriter attentus non videat, non ſatis idoneè flagitia Dauidis (quantum apparet) recenſeri. Porrò, etſi Vriæ cædes fideliter referatur, tamen adulterium ſiletur; & turpiſſimi adulterij loco recenſetur connubium cum iam viduâ Berſabeâ; quod culpâ vacat. Flagitioſum tacetur adulterium, & permiſſum connubium acerbè ad vindictam culpatur? Repetam Prophetæ verba: *Vriam, inquit, Hethæum percuſſiſti, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi. Quam ob rem,* &c. Nota pulchrum ad rem Procopij commentarium. *Obſcure, ait, ſignificatur, Deum plus hoc coniugio offenſum eſſe, quàm adulterio. Adulterium enim cupiditate victus commiſit: coniugium autem deliberationis aſſenſum habet. Cùmque propter adulterium & homicidium plangere deberet, ipſe matrimonio contracto, cum ea vita conſuetudinem habuit.* Scilicet non recenſet Propheta adulterium, quod libidinis impatientia commiſit: at exinceps *cum ea vita conſuetudinem habere*, quæ fuerat delinquendi occaſio; tametſi eiuſmodi conſuetudo erat nuptiis cohoneſtata; hoc acerbiùs Propheta exprobrat. Profectò tam exoſam quiſque debet habere occaſionem quondam peccati, vt eandem, etſi iam honeſtatam, exhorreſcere animitus debeat. *A de quedar vn hombre con tanta ojeriça a lo que le fue occaſion de flaquear; que aunque ya no ſea flaqueça, le a de durar la averſion.* Hinc non tam adulterium, quàm nuptias cum Berſabeâ exprobrat Propheta: quia conſuetudinem habet cum eâ, quæ illi quondam fuit adulterij illecebra. Nuptiæ eiuſmodi conſuetudinem honeſtant, ſed quodammodo auerſari debuiſſet honeſtatē quondam velut inhoneſtam. Vnde adulterium præterit Propheta, & connubium ad vindictam recenſet, aiens: *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum.* Quid exaggeratius?

2. Reg. 12. 9. & 10. Occaſio quondam delinquendi, etſi nunc honeſtata, adhuc fugienda eſt.

Procop. ibi.

§ XLIV.

Arrogantior honoris ambitio, eſſe ſolet inhonoratæ abiectionis ſequela.

Bene, ſicut ait Paulinus: *Eſt autem & ſancta ſuperbia, & humilitas iniqua.* Nam excelſa virtus in honoris faſtigio collocata, grata quòd *creſcere ſumma non recipit*, piè velut ſuperbiens, creſcere ambit humilitatis incremento. At abiecta humilitas in imo ſedens, ſicut vnde cadat non habet, ita habet vnde conſurgat, & vanæ gloriæ lenocinio inflata impotentiùs tumet ambitione ſublimitatis. Exinde hominibus abiectis cognata ſuperbia eſt, abiectionis fomite arrogantiùs turgens ad ambitionem. 1. Paulin. epiſt. 29. Idem epiſt. 3.

Lucæ 9. Ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum, quia vnicus eſt mihi: & ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubitò clamat, & elidit, & diſſipat eum cum ſpumâ, & vix diſcedit dilanians eum: *& rogaui diſcipulos tuos vt eiicerent illum, & non potuerunt.* Chriſtus verò vicem hominis miſeratus, omnipotenti verbo ſæuum Dæmonem confeſtim excantat. Patet exultat, 2.

Diſcipuli dæ impotentiores ſe vident, de ſublimitate contendunt.

turbæ ſtupent;Chriſtus agnoſcitur:& tunc *Intrauit cogitatio in diſcipulos, quis eorum maior eſſet.* O tunc importunam valde quæſtionem! Tunc diſcipulos ſublimitatis cogitatio ſubit? Quænam occaſio illis ambitioſam hanc cogitationem de repentè ingeſſit? Dum diſcipulorum ad miraculum impotentia palam proditur,tunc *intrauit cogitatio in eos,quis eorum maior eſſet.* Præclarè Theophylactus: *Videtur autem hanc paſſionem ex eo ortam fuiſſe, quod dæmoniacum curare non voluerunt,eis de hoc altercantibus: vno dicente quòd non propter meam impotentiam, ſed alterius curare non valuit; vt ex hoc accenſa contentio fuerit,quis eorum maior eſſet.* En virtutis impotentia, & poteſtatis inopia,fuit Apoſtolicæ tunc ambitionis fax. Non inter ſe contendunt, ecquis maior eſſet, cùm ſupra infernales legiones dæmonum excantandorum poteſtatem accipiunt:non cùm Eccleſiæ Præſules ſublimius deſignantur; non cum illis orbis iudicandi deſtinantur ſubſellia: ſed dum impotentiam experiuntur ſuam,túc, tunc quidem ambitionis igniculo accenſi, arrogantius de ſublimitate contendunt; tuncque faſtigia dignitatum aperto ambitu ſuſpirant, dum ſe abiectiùs impotentes agnoſcunt. Quaſi ambitio ſit abiectionis ſequela.

Luc.9 46.

Theoph.ib.

3\. Genesis 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Ecce rationalis animi ſuperbos natales. Ex ore, inquam, Dei,& diuinis præcordiis genus ducit anima. Quid illuſtrius? Vide etiam carnis cenſum, ex vili terræ limo, ſqualido,infimiſſimo,propudioſo, conculcando,ortum habere. Anima, quæ velut ſcintilla quædam diuinitatis effulget,ſublimia appetat, neceſſe eſt: corpus verò è luto ſordido figulatum, neceſſarium eſt etiam vt ſuæ materiæ ignominiam præferat, vt ſui ortus vilitatem agnoſcens, infimiſſima ſapiat. Sed audiendus eſt Damaſcenus: *Fecit igitur Deus hominem purum bonis omnibus ornatum, veluti quendam ſecundum mundum, in magno quidem mundo paruum, Angelum alterum, adoratorem mixtum, terrenum ſimul & cæleſtem, temporalem & immortalem, medium magnitudine & humilitate, eundem ſpiritum & carnē, ſpiritum propter gratiam, carnem propter elationem.* Expende hæc vltima verba, Damaſceni ingenio & eloquio digniſſima. Non tam è terræ formatricis limo, quàm è ſuperbæ elationis arrogantiâ carnatur & corporatur homo? Noſtræ carnis officina, noſtra ſuperbia eſt? Fictrice manu ambitioſæ elationis humana caro figulatur? Heu, carnis noſtræ natales,non tam ab humili terræ limo, quàm ab arroganti ſuperbiæ typhō ſunt? Ambitioſior elatio, carnis parturit vilitatem; an carnis vilitas, ambitionis parturit elationem? Planè ſententioſè homo dicitur Spiritus propter generoſi animi gratiam, & Caro propter contumelioſæ carnis elationem cognatam. O intolerabilem arrogantiam, quam vilitas inflat,& ob ignominiam vilitatis, ceruicem ſupra naturam attollit! Ignobilis, ſublimitatis procurat faſtigia; indoctus, litteratorum affectat inſignia, ignauus ſtemmata exambit militaria: & omnis imperitus magnificos expetit titulos, quò & ſuam protegat contumeliam, & dum ſublimium dignitatum appetet candi-

Eſtne elatio noſtra carnis officina, an noſtra caro officina elationis?

Damaſcen.in Catena ad præſſatū Geneſis locum.

data, in ſublimium curriculo verſari videatur. Hinc omnis ambitio ſuſpecta de indignitate eſt;& dum properat ſuam defendere vilitatem,illam prodit ambitionis arbitrio.

4\. 3.Regum 17 Magnus ille Propheta Elias, miſeratus viduæ matris orbitatem, aſcendit in cœnaculum, puerulum recèns mortuum excitaturus ad vitam. *Et expandit ſe,atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus.* Mirentur licet alij Eliæ compaſſionem,alij orationis vires,alij prodigij nouitatem, mihi admirabilitatem facit perquam maximam,quo modo Elias grandæuus vir ſe ipſum *expanderit*,vt cum puerulo poſſet adaptari defuncto. Eſto,incubuerit Elias ſuper puerum; at vt cū pueri membris mēbra componeret, & os ori, oculis oculos, manus manibus,pedibus pedes adaptaret, non ſe *expandere*, ſed contrahere debuiſſet. Niſi velis, giganteum puerum, & homunculum Eliam meditari. Si hiſtoriam ſpectes,res eſt perobſcura,& inter difficillima Scripturarum loca computanda, ſi myſterium requiras,adeſt præclarè moraliſſimum. Porro myſticè, vt communiter notant interpretes, in exigui pueri typo genus humanum deſignatur, exiguitate deſpicabile,limi ſui ſqualore viliſſimum, maliti æ ſordibus contumelioſum. Quod agnatæ vilitatis cognata ambitione ita ſublimiter exeruit, vt magnus ſtatura vir, & prophetarum ſui æui maximus,& de magnitudine Chriſtum adumbrans,ſe longè lateque amplitudine *expanderit*, vt poſſet adaptari cum puero,te puſillo,elatione typicè maximo. Sic arroganter tumet puſillorum ambitio ſuperbiæ ventoſiſſimo incremento, vt ambitæ eorum amplitudini non ſufficiat procerum ſtatura,& magnatum ſublimitas? Neceſſe eſt,vt ſummates faſtigium magnitudinis ſuæ deponant & ſe ſui animus *expandant*,vt præſumptam puſillorum magnitudinem adæquent? Sic exiguitatis ſuæ priuilegio,apud ſe incrementantur exigui. Quod Puſillis inconſulta addidit elatio, Magnis generoſa detrahit humilitas. Quin & exinde neceſſe eſt, vt vel magnus propheta Elias arcanè *expandat ſe*,vt ſeipſum poſſit cum puero metiri,quò aptiùs myſterium adumbret.

3.Reg.17 21. *Magnus propheta Elias ſe expandit, vt ſe ipſum cum puero metiatur.*

Vix præclara lux mundo affulſit, cùm ſordidæ tenebræ, eius præſtantiam contentioſè æmulantur. Adeò vt neceſſe fuerit, quòd Deus tenebrarum ambitionem verbo compeſceret, & exilio mulctaret: *Et diuiſit lucem a tenebris*, Hic vel,vt alij exſcribunt: *Diuiſit inter lucem & tenebras.*

[illegible] XLV.

Indubia eſt veritas, cui militat infenſioris inimici ſuffragium.

SAPIENS nūquam inimicorum iras prouocabit,imò declinabit, non aliter quàm in nauigando procellam. Temerarius gubernator contemnit Auſtri minas; at ille cautior peritos locorum rogat,quis æſtus ſit, quæ ſigna dent nubes, & longè ab illâ regione verticibus infami curſum tenet, ne temeritate naufragium emat. Aſt in æquore 1.

tranquillo

tranquillo & placido vacat nautæ peritia: per inimicos vortices æſtuante pelago optatum legere portum, gubernatoris elogium eſt; dum de periculo ſalutem mercatur, & ab irato & ſibi infenſo mari ſuæ peritiæ ſuffragium expetit. Lucæ 1. 71. *Habere ſalutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos*, ad amplioris gloriæ auctarium pertinet. Securus victoriæ ad ſeuerius tribunal accedit, qui in ferenda in lite ſuffragia, linguam prouocat inimici. *Tomeſe primero el dicho, al teſtigo mas ſoſpechoſo.* Porrò ad inimicitiæ cotem acuminatur ſuffragium, & rei veritas prænitet, ouat, triumphat; & aduerſus ſuſpiciones palàm detriumphat inimicæ linguæ ſuffragio irrecuſabili. Hinc Chriſtus Deus ad propriæ diuinitatis probandam veritatem, hoſtilitate armatum ſiſtit ſuffragium. Quæ huius paragraphi theſis eſto.

2\. Dum Chriſtus Deus in cruce patibulatus occubuit, inſolenti quodam prodigio, *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Quid lapidibus cum Chriſti morte? Cur petrinæ aduocantur linguæ, quæ vocali inſolitæ ſciſſionis fragore, teſtentur, Deum indubiè eſſe, qui ſic acerbè patitur? Putauerim, Chriſtum ruptorum lapidum optaſſe teſtimonium, quo ſuæ cauſæ è periculo auxiliaretur. Quis enim ignorat, perſæpe Iudæos contra Chriſtum ſæuiſſe, *tulerunt lapides, vt iacerent in eum*; quibus, & ipſum, & ſuam ipſius doctrinam cruentarent maleuolentiæ liuore? lapides armantur in Chriſtum; contra Chriſtum Hebræâ rabie lapides immaniſſimè ſæuiunt: ergo iidem lapides, qui nuper inhumaniùs ignominiæ militarunt, nunc linguatæ ſciſſionis voce Ieſuanæ gloriæ auguſtiùs militent. Vnde S. Hieronymus explicans præfata verba, *Petræ ſciſſæ ſunt*, earum pro Chriſto ſuffragium, non appellat teſtimonium, ſed *demonſtrationem*; nam honoratum teſtimonium ab inimico ore extortum, non tam ſuffragium, quàm rei demonſtratio eſt. *Non eſt Deus noſter, vt Dij eorum: & inimici noſtri ſunt iudices.* Dei cauſa inimico ſuffragio euincenda erat, ad veritatis euidentiam.

Mat. 27. 51. Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, ſciſſionis ſuæ ſtrepitu diuinitatem Domini teſtantes:

Ioan. 10. 31.

Hieron. ibi.

Deut. 32. 31.

3\. Matthæi 28. bonæ illæ mulieres ſub auroræ lucem, Chriſti ſepulchrum videre feſtinant: *Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum... Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: ſcio enim quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis: non eſt hic: ſurrexit enim ſicut dixit.* Quare Angelus de cælo deſcendit, & ſedet ſuper lapidem ſepulchri, in quo Chriſtus Deus fuerat humatus? Eleganter ad rem præſentem Seuerianus. *Et ſedebat ſuper eum. Sedebat inquam, cui nulla inerat laſſitudo, vt pacis doctor, vt reſurrectionis magiſter.* Scilicet in ſepulchrali lapide ſedet Angelus, cùm *Reſurrectionis magiſter* inauguratur, quò efficaciùs demonſtret Chriſti reſurrectionem ſepulchri teſtimonio. Quaſi apud homines non ſufficeret Empyrei Angeli auctoritas, & Angelica facundia ad ſuadelã myſterij, ſedet in ſepulchri lapide *Reſurrectionis magiſter*, & ſepulchrũ aduocat auxiliarem teſtem; quippe qui nuper ſe viderat toto Chriſti cadauere plenum, vacuitate teſtetur reſurrectionis fidem. Teſtem indubiæ mortis ſiſtit, vt Chriſtum verè rediuiuum demonſtret. Conſultiſſimè Angelus reſurrectionem è ſepulchro prædicat, vt fides, quæ forsã derogaretur Angelo, non denegetur ſepulchro? Siſtitur ſepulchrũ, mortis teſtis, vitæ hoſtis; vt inimico ore vita à mortuis fideliter aſſeratur, & à mortalibus credatur fideliùs? Vnde in ſepulchrali lapide Angelus arcanè *ſedet reſurrectionis magiſter*, vt mortis teſtimonium ſit vitæ ſuffragium. Non tantùm Dei teſtimonio, ſed etiam inimico tenebrarum ſuffragio nobilitatur lux, quæ in tenebris ſplendidiùs lucet. Hic v. 4.

Matth. 28. 2. Cõſultò Angelus reſurrectionis magiſter, ſedet in ſepulchrali lapide.

Seuerianus in Catena

4\. Centurio ille fide potiùs, quam arte Medicâ aduerſus ſui ſerui morbum armatus, ſupplex Chriſtum Deum rogat, vt ſanitatem ægroto faciat omnipotenti verbo. *Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael,* &c. Super quibus verbis ſic argutè philoſophatur Baſilius Seleuc. alibi rſum exprimitur. *Quid tibi, Iſraël, lucri ex miraculis in Ægypto editis?.... Vnicus Gentilis ſupra totam Iudæorum multitudinem fide ſeſe extulit. Eſto Gentilis* (hominis) *diſcipulus incredulos, vt credas, ſequere.* Scilicet Gentiles, vt promiſſionũ Abrahæ ſic etiam fidei erant exortes: præputio infideles, idololatriâ increduli. Iudæi verò de bibliothecâ Scripturarum eruditi, de hereditariâ religione fideles, ſuper negotio religionis à Gentilibus erudiendi dicuntur. O *Iſraël, incredulos, vt credas, ſequere.* Eſto, Iſraël hominis Gentilis diſcipulus, incredulum magiſtrum ad credendum audi, tuam fidem inſtrue hominis increduli magiſterio; vt dum homo incredulus fidem docet, fideliùs credatur, quod docetur, & de infideli, atque aduerſario Gentili inſperata fides, fidem Iudæorum inueniat. Quaſi dicat Iſraëli Chriſtus Deus! Qui non creditis Patriarcharum promiſſionibus, neque Prophetarum oraculis, neque meæ doctrinæ tot confirmatæ prodigiis; credite ergo hominis increduli teſtimonio. *Incredulos, vt credas, ſequere.* Suffragium increduli, quem nulla ſubornat fides, teſtimonium ad credibilitatem ſubornat, incredulitatis titulo. Matth. 8. 10. Seleuc. orat. 19.

5\. Grande in orbe miraculum, Virgo parturit, vt Deus glorioſius corporetur. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, præſagâ mente prophetat Iſaias. Et velut quædam prophetiæ Echo reſpondet Euangelium. *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad virginem deſponſatam.... Ecce concipies, & paries filium.* Quid citius extorqueat myſterij fidem, quàm Euangelij cum Prophetarum oraculis conſonantia? Adſunt quoque diuina miracula, quæ hoc ineffabile fidei noſtræ ſacramentum haud dubiè confirment. At, quaſi permagna hæc veritatis argumenta non ſufficerent, Ioſephi Virginis ſponſi inducitur teſtimonium. Qui oculis cernens caſtæ ſponſæ vterum de die in diem intumeſcentem, inſcius arcani genitoris, zelotypiæ angitur tormento, & permoleſtâ ſuſpicionum agoniâ. Adeſt opportunè de cælo Angelus, qui in ſomni receſſu Ioſephum erudit de illibatâ almæ ſponſæ virginitate, quam palàm prædicans, rei veritatem indubiè euicit. Et qui increduli fuerant prædictionibus Prophetarum, Euangeliſtarum teſtimonio, & miraculorum ſuffragio, expromptè credunt marito vxoriam pudicitiam atteſtanti. Porrò, *Omnis maritus caſtitatis Exactor eſt*, ait concinnè Tertullianus. Nimirum ſiſtitur teſtis ſuſpectus, maritus inquam, ſiniſtris ſuſpi- Tertull. de cultu fem. c. 4

Lucæ 1. 26. Ioſephi ſuſpiciones Mariana virginitati militant.

ſuſpicionibus anxius, agnato maritorum officio *exactor*, quò euidentiùs teſtata ſit Deiparæ virginitas, cuius appendix fuit Verbi incarnatio. Planè de diuinioris prouidentiæ aditis conſultiſſimè venit, vt præluſtre Chriſtianæ fidei ſacramentum, non familiares ſolùm Prophetæ, non domeſtici duntaxat Euangeliſtæ vno ore teſtarentur, ſed & irrecuſabili ſuſpecti mariti ſuffragio; quod tanta res exigebat: nam *omnis maritus caſtitatis exactor eſt.* Qui Euangeliſtę non credit de pudore Deiparæ; marito, caſtitatis exactori facilè credet? Suſpectus alioqui teſtis, fidem vltra Euangeliſtarum faſtigium promeretur? Fidem ſupra Prophetarum oracula faciet? Faciet, faciet quidem; ſed humanam, & quæ manuducat ad diuinam.

---

§. XLVI.

Præcedentem depuliſſe moleſtiam, eſt humanæ voluptatis gratia.

1. SATIVS eſt infelicitatem, quæ aduocat ad virtutem, ſuſtinere, quàm infinitis ac immodicis bonis deliciari. Quid voluptatem ambitioſè ſuſpiras, quæ de luctuoſis nuper ſuſpiriis, nunc voluptuoſè placet? De moleſtiæ depulſione potius voluptas arridet, quàm de iucunditatis guſtu adulatur, & de abſentiâ tormenti gaudium conſtruit: quaſi totam placendi vim de vigentis tunc mali depulſione fœneretur. Fatuus eſt pretioſi vini, & delicatioris cibi ſapor, quem dira fuganda ſitis aut fames, non erudit ad ſaporem. Quid proficit opulētia, niſi egeſtatis mala abſentare? ærumnarum exilium, chara voluptatis patria eſt. O quale eſt bonum, quam exile, caducum, falſatum, quod abſentia mali duntaxat commendat!

2. Hîc verſ. 5. Creatâ luce, & à tenebris confeſtim diuiſâ, adeſt dies & nox, quibus integer dies conſtat: *Factum eſt veſpere & mane, dies vnus.* In ſex deinceps diebus adſimiliter factum & dictum eſt. At in ſeptimâ mundi die ſtylum Moyſes mutat, nec vllam veſpere aut manè mentionem inducit. Quod acutam Ruperti in re Biblicâ ſagacitatem, minimè effugit. Hæc dies ſeptima, inquit, *Primùm hoc à ceteris diebus differt, quod veſpere & mane non habet: neque enim dixit Scriptura: Factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus, ſicut dixerat: Factum eſt veſpere & mane, dies ſextus,* &c. Quam ob cauſam in ſeptimâ tantùm die, nulla veſpere & manè mentio inuenitur? cur à reliquis diebus ſic diſſimilis denotatur? Caſûne id accidit, an arcano myſterio? Magno, inquam, ſacramento, & quidem moraliſſimo. Porrò dies ſeptima, & diuinæ & humanę quieti deſtinata, quæ empyream & beatam cæli gloriam adumbrat, *veſpere*, id eſt, laborum tenebris caret, tota dies eſt, tota meridies, beato diuinitatis iubare delicioſè perfuſa: at reliquæ mundi dies, veſpere & manè conſtant: nec conſtabit iucundum *mane*, niſi ærumnoſum *veſpere* præceſſit. Præcedat ingratum *veſpere*, vt gratum illuceſcat manè, non tam de ſe, quàm de tenebrarum expulſione iucundum. Belliſſimè, ſi vnquam, Chryſologus: *Factum eſt veſpere & mane dies vnus. Hinc factum eſt,* inquit, *quod dies ac noctis copula ſic diuiſa eſt, vt ex quiete labor, requies ex labore conſtaret.* Requiéſne ex labore conſtat? Veſpere & manè, id eſt, diei ac noctis copula, ſic diuiſa eſt, vt gratia lucis ex tenebrarum horrore conſtaret? Grata requies ex ingrato conſtat labore? Non eſſet pulchrum manè, niſi fœdum veſpere præceſſiſſet? Septima tãtùm dies, empyreæ beatitudinis ſymbolum, per ſe bona & iucunda eſt: non eget veſpere, vt illuceſcat manè: vt ſit vera requies, præuio non eget labore, à quo placendi gratiam mutuetur: *Neque enim, dixit Scriptura: Factum eſt veſpere & mane, dies ſeptimus.* At humani *dies ac noctis copula, ſic diuiſa eſt, vt requies ex labore conſtaret.* Sic lux, de tenebrarum depulſione placet; ſalus, de ægritudinis abſentiâ; diuitiæ, de carentiâ egeſtatis; menſarum deliciæ, de famis & ſitis expulſione: alioqui non mouent guſtum, ſed ſui tædium faſtidioſè faciunt: adeò vt præcedens moleſtia, ſit placendi gratia, & officioſitas humanæ voluptatis: *Mas tiene de deleite, por la moleſtia que quita, que por el guſto que dà.*

Hîc v. 5. *Præuia tenebra, ſunt lucis gratia.*

Rupert. li. 2. cap. 15.

S. Chryſol. ſerm. 103.

Geneſeos 27. acerbiſſimè (vt par erat) tulit Eſaü, Iacobum minorem natu, fraudulenter illi Benedictionem præripuiſſe: anxiè infuſus lachrymis à Patre etiam ſe benedici ſupplicat. 3.
Cùmque eiulatu magno fleret, motus Iſaac, dixit ad eum: *In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua.* (Pergit benedicendo) *Viues in gladio, & fratri tuo ſerues: tempúſque veniet, cum excutias, & ſoluas iugum de ceruicibus tuis.* Pulchra hinc oritur quæſtio, quæ expoſitorum ſolertiam non effugit; quare Iſaacus dum primogenito Eſaü benedicit, nullam facit ſceptri mentionem, quod totis octingentis annis glorioſè Eſauitæ in Idumæâ obtinuerunt; & ſoluendæ ſeruitutis, & excutiendi iugi de ceruicibus ſuis, duntaxat meminit? Quid tam illuſtre, quàm tot annis glorioſè regnare? Id Iſaacus dum filio benedicit, tacitus præterit, & ſoluendæ ſeruitutis mentionem facit? imò hoc foret omittendum, illud in Benedictione prædicandum. O quam profundè pernoſcit Iſaacus de cæli ſcholâ, mundialium bonorum gloriam! Scilicet, *Requies ex labore conſtat*; voluptas ex præuiâ moleſtiâ, quam depulit; regnandi auguſtior gloria, de miſeræ ſeruitutis excuſſione fulget. Porrò, vt opportunè aduertit Gloſſa, idem eſt, *Excutias iugum, ac præualebis, ſiue dominaberis.* Itaque conſultiſſimè Iſaacus cum benedicit Eſau, regnum tacitus præterit, & depulſam præuiam ſeruitutem, quæ eſt regnandi gloria, purpuræ ſplendor, & ſolij ſublimitas, conſultiſſimè recenſuit. Non omittit regnum, ſed præuiâ ſeruitutis mentione, gloriam regiæ felicitatis publicat, & glorioſiùs exaggerat. *No eſtar ſujeto a nadie, es la mayor gloria del reinar.* Quod diſertè Iſaacus pandit, benedicens Eſau, dum ait: *Tempúſque veniet, cum excutias, & ſoluas iugum de ceruicibus tuis. Vel præualebis, ſiue dominaberis,* vt Gloſſa ſplendidè adnotauit.

Gen. 27. 40. *Nulli ſubeſſe, eſt regnandi gloria.*

Gloſſa in margine ibi.

§. XLVII.

§. XLVII.

Non fauſtum operis auſpicium, ſed illius conſummatio, illi de perfectione gratulatur.

1. NON ſentire mala ſua, non eſt hominis: & non ferre, non eſt viri. Oportet vt feras, quod lædit, vt quod prodeſt, perferas. Æquè neceſſaria eſt patiētia, & in proſperis, & in aduerſis. Hæc exercitatio labore modico alitur, ſed diuturno, quin & perpetuo: etiam ſi à pueritiâ vſque ad longiſſimos humani æui terminos vita protendatur. Non multùm refert, vt ſtudium virtutis aliquantulum intermittas: (dandum eſt aliquod interuallum animo) ſed nimis intereſt, vt illud non omittas, cum poſtremâ enim vitæ clauſulâ terminari debet: nam operis perſeuerantia totum vitæ curriculum feliciter conſummat.

Seneca epiſt. 15. *Illud bonum verè, quod vetuſtate fit melius.*

2. Exod. 4. 26. Exodi 4. E Madianitide Moyſes in Ægyptum reuertitur cum Sephorâ vxore, & filiolis Eliezer & Gerſap. Cumque eſſet in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, & ait: Spōſus ſanguinum tu mihi es. *Et dimiſit eum poſtquam dixerat: Sponſus ſanguinum ob circumciſionem*: Locus in paucis explicatu arduus, & quem interpretes multiplici tranſlatione & commentatione fatigant. S. Auguſtinus ſic præfatum locum, & eruditè, & acutè verſat:

Aug. q. 11 in Exod. *Placatur Angelus, non dum fluit ſanguis circumciſionis, ſed dum ſtetit.*

Et dimiſit eum poſtquam dixerat: Sponſus ſanguinum ob circumciſionem. Alia littera. Et receſſit ab eo, propter quod dixit: Stetit ſanguis circumciſionis. Intelligatur ergo hoc, ſi fieri poteſt, quid ſibi velit, ideo receſſiſſe Angelum ab interfectione cuiuſlibet eorum, quia dixit mulier: Stetit ſanguis circumciſionis infantis. Non enim ait, receſſit ab eo propter quod circumcidit infantem, ſed quia ſtetit ſanguis circumciſionis; non quia cucurrit, ſed quia ſtetit; magno (ni fallor) ſacramento. Quodnam eſt hoc ſacramentum ſenſu Auguſtini magnum? Quid eſt, quod non placatur Angelus dum puer circumciditur, & adhuc currit circumciſionis ſanguis, ſed cum ſtetit? Statione ſanguinis, potius quam effuſione delinitur Angelus? An hic alluditur ad Chriſti in cruce mortem? An ad ipſius Chriſti circumciſionem, in quâ antiquatæ circumciſionis fluxus ſiſtitur, ne vlteriùs profluat? An verba flectere licet ad ſpiritualē hominis circumciſionem, quæ fit mortificatione paſſionum? Verùm enimuerò non dicitur Dominus placari, quando puer circumciditur, vel profluit circumciſionis ſanguis, ſed cum iam profluxit, & ſtetit. Operis conſummatio, Domino de perfectione gratulatur, & in conſummatæ bonitatis aſylo eſt. Boni operis auſpicium adhuc in felicitate periculi ſui timet: progreſſus operis adhuc celeri feſtinatione impingere poteſt in curriculo. Dum metam attigit, gratulatione excipitur, periculum auertit, Dominum placat, & rem feliciter conſummat. Vnde Dominus intentans Moyſis necem ob non circumciſum filium, non *receſſit ab eo propter quod circumcidit infantem, ſed quia ſtetit ſanguis circumciſionis, non quia currit, ſed quia ſtetit.* Hoc eſt, niſi fallor, magnum conſummati operis ſacramentum.

3. Hic v. 5. Hîc verſ. 5. recens creatam lucem commendat Deus, atque eam diſpeſcit à tenebris. *Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem: factumque eſt veſpere & mane, dies vnus.* Magna olim, & nunc quæſtio, ecur auſpicium primæ diei, & reliquarum exinceps, inchoetur à tenebrarum horrore, & non potiùs à ſplendore lucis? Subiiciam diſertiſſima Ambroſij verba, quæ rem totam elucident.

S. Ambroſ. in Exa.

Quærunt, inquit, aliqui, cùm priùs veſperum, poſteà mane Scriptura nominauerit, ne fortè noctem priuſquàm diem ſignificare videatur. Nec aduertunt, quòd Veſper finis diei ſit, & mane finis noctis. Vt ergo prærogatiuam & primatum natiuitatis diei deferret, prius finem diei ſignificauit.

Finis lucendi, cenſus diei eſt.

Scilicet à fine, non ab ortu, rei nomen & cenſus eſt? Vt Deus *prærogatiuam & primatum* daret diei, non albicantem eius ortum, ridente aurorâ; non præclaram ſtatim lucem, plenâ micantem lampade; ſed veſperum, crepuſculum inquam, id eſt, lucendi finem deſignat? Ab occaſu potiùs prærogatiuam & primatum fœneratur, an ab Orientis fulgoribus? Magnum planè diei inchoandæ ſacramentum! An viuēdi finis, ſeu ſpectata mors, eſt meritum & prærogatiua ad primatum? an hominum regendorum præfectura, in ſcholâ mediatæ mortis, & lucendi fine ſumptuoſiùs eruditur? An potiùs præclarior dies à lucendi fine cenſetur? Non albicans mane, non ſplendidior meridies, ſed mitior lucendi finis, & mera fulgendi prærogatiuam, & lucendi primatum Diei fœnerat. O mirabiliſſimam eruditionem de ſcholâ cæli! Non ſplendendi auſpicium, ſed fulgendi finis, etſi nocti confinis, cenſus Diei eſt, qui lucendi primatum illi tribuit, conſummatâ perfectione fulgorum. *Factum eſt veſpere & mane, dies vnus.*

4. *Deus non dicitur eſſe, qui fuit, ſed qui erit.* Exodi 3. Deus Moyſen mittit in Ægyptum, vt Hebræum populum è ſeruitute educat, in Terram promiſſionis. Ait Moyſes ad Deū: Ecce ego vadam ad filios Iſraël, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos: ſi dixerint

Exod. 3. 14.

mihi; Quod eſt nomē eius? quid dicam eis? *Dixit Dominus ad Moyſen: Ego ſum qui ſum.* Lipomanus ibi:

Lipom. in Catenâ.

Hebraicè ita legitur locus iſte: Ero qui Ero. Et ita etiam habet Chaldaica: ac ſi dicat: Is ſum qui ero. Non dicit de ſe Deus, cùm nominis ſui auguſtam maieſtatem pandit: Ego ſum qui fui, ſed, *Sum qui ero.* Tot infinitè retroacta ſecula velut omittens, duntaxat gloriatur Deus de quaſi futurâ nouitate? *Ego ſum qui ero*, inquit. Ne ergo tanta ſit vetuſtæ antiquitatis ambitio, & ambitioſum nouitatis tædium. Et ad mores ratum ſit, quòd magnum Dei nomen, (Tetragrammaton vocant) non tam deprædicat velut præteritas ab æterno glorias, quàm glorias in æternum futuras, & immetatam gloriæ metam. *Ego ſum qui ero.* Hic eſt diuinæ gloriæ cenſus, quem humano more, & idiomate magnum Dei nomen magnificentiùs buccinat.

§. XLVIII.

Nomen Primi & Secundi, pacatam concordiam ſeditioſe inquietat.

1. Seneca epiſt. 10[illegible]. Tertull. l. ad vxor. c. [illegible] P. Cerda. [illegible] *Primus, id eſt, victor; Secundus, id eſt, victus.*

SCio Senecam dixiſſe: *In re tantâ eminere eſt, & poſt duos eſſe.* Sed hoc certè ille excuſans dixit & amico prouidens; non ex vero: nam poſt vnum nemo eminet, quidni poſt duos? *Ad primum enim locum certamen omne contendit: Secundus ſolatium habet, victoriam non habet.* Dixit Tertullianus. Et, vt eruditè ibi adnotauit Commentator, ſicut *Primi* nomine victor intelligitur, ita vocabulo *Secundi* victus denotatur, quaſi nomen Primi & Secundi, bellorum, ſimultatis, & diſcordiæ vocabulum ſit, & diſſidij nota. Profectò quiſquis ſummum re ipsâ nō æquat, infra illum eſt, etſi reliquos excellat. Faſces ſummo ſummittat in conſcientiâ, quæ vel inuita Primo cedit. Quid neceſſe eſt, Primi elogio alium illuſtrare, & Secundi, id eſt, victi probro hunc deuenuſtare? Quantum fieri poſſit, res ipſa loquatur, non vocabulorum ambitio: ne ille Primi, id eſt, victoris titulo inſultet; & hic Secundi, hoc eſt, victi charactere denotatus, tumultuet, contumeliæ impatiens. *Sin mucha neceſſidad, graduar talentos, nunca ayudo à la paz.*

2. In rerum primordio, & hàc primâ mundi die, Dixit Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris. Appellauítque lucem Diem, & tenebras Noctem: *Factumque eſt veſpere & mane dies vnus.*

Hic v. 5.

Nonnulli interpretes, primææ lucis nomine bonos Angelos intelligunt, (quo lucis elogio perſæpè in Biblijs honorantur) indéque peracutè rationē aſſignant, quare de hoc primo mundi die dictum non ſit, Factum eſt veſperè & manè, dies primus; ſed *Factum eſt veſpere & mane, dies vnus*: in qua reddendâ olim & nunc deſudat Commentatorum ſolertia. Audiendus eſt Eucherius, qui ſubtiliter ad rem philoſophatur.

Eucher. hic. *Minus vnus eſt, qui Primus, quàm qui vnicus eſt.*

In hac luce, inquit, *hiſtorialiter recapitulatur creatio Angelorum; qui pro participatione æterna lucis, lux & dies nuncupati ſunt. Quorum vnitas vt oſtenderetur, in ſequentibus non eſt dictum, dies primus, ſed dies vnus.* Quaſi minus vnus ſit, qui Primus eſt, & ideò habet Secundum; quàm qui vnicus eſt, & ita neminem habet in illâ ſerie, qui illi vel ſuccedere præſumat.

Nomen Primi, & Secundi, Angelorū inquietaret concordiam.

Sed accommodatiùs ad rem, aduerte quòd *Angelorum vnitas* oſtenditur, dum de eorum naturâ; (explicatâ lucis & diei nomine) non dicitur, dies Primus; ſed *dies vnus.* Quid? ſi inter Angelos receptus eſſet Primus & Secundus; & alter alteri palam prælatus, aut poſthabitus foret, Angelorum *vnitas* & concordiæ detrahi videretur? Heu ſic Primi, ſeu antelati faſtus; & Secundi, ſiue poſthabiti humilitas, *vnitatem* ſcinderet, & inquietaret concordiam: de Angelis adhuc viatoribus loqui videtur Eucherius, & quidem moraliſſimè. Nempè Angelus Angelo antiſtat, & naturæ bonitate, & gratiæ priuilegio; quòd Angelos perſpicuè cognoſcere neceſſe eſt: & tamen, vt *Angelorum vnitas oſtenderetur, non eſt dictum, dies Primus, ſed dies vnus.* Sciunt Angeli, quinam eorum ſuperiores, quinam inferiores ſint; ſed in primâ ſui molitione, id ſolemni charactere non euulgatur, ne fortè eorum concordia turbaretur. Exprómptius eſt vltrò potiori cedere, quàm ſtigmate poſteriotitatis impreſſo, eidem faſces ſubmittere. Hoc contumeliæ eſt, illud vrbanitatis. Præſtat erga alterum eſſe vrbanum, quàm palam ſibi contumelioſum. Sic vel Angeli dum viatores erant, tractari debuerunt. Quid ſi adſimilis politia, eodem die, cum cælo & Terrâ obſeruata eſt?

3. Hic v. 1. *Cælum non producitur ante terram, ob ſtuarum concordiam.*

In principio creauit Deus cælum & terram. Magna profectò cæli & terræ dignitas, principem locum in rerum omnium creatione diuinitus præoccupare, & cunctis ſedis recenſitione præire. Sed curioſiùs peruestigare adhuc oportet; cælumne, an terra priùs creata ſit? Conſtat vtrumque ante alia omnia fuiſſe creata *in principio*; ſed an cælum creatione prætierit, an terræ natiuitas cæli formationem anteuerterit, an ſimul creata fuerint, indubiè non conſtat.

Hic v. 1.

Moyſes, magnus planè auctor, inſinuare videtur, cælum priùs creatum fuiſſe, aiens: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Sed rex & propheta Dauid, primas videtur terræ detuliſſe, ſic pangens: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.*

Pſal. 101. 26.

Beda hic.

Cæterùm venerabilis Beda, litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè, ita ſcribit. *In principio creauit Deus cælum & terram. Vtrumque ſcilicet ſimul, quamuis vtrumque ſimul ab homine non dicatur.* Scilicet cælum ſublimioris naturæ eſt, quàm terra; ſed magnâ inter vtrumque concordiâ opus eſt, & influxuum harmoniâ: ergo etſi creentur in principio, neutrum tamen ante alterum producatur, nec Primum in creatione locum obtineat cælum; nec terra Secundum locum occupet; ſed vtrumque ſimul fiat: tametſi quod ſimul factum eſt, ſimul dici non poſſit. Nempe terra, ſuæ naturæ ſiue grauitate, ſiue vrbanitate, inferiorem vltrò tenebit locum; cælum verò propriæ ſublimitatis eminentiâ, extenſiorem occupabit ſedem. Id ſponte peragat vtriuſque natura, non vero nominationis priuilegium: ne cælum antelationis charactere inſignitum, terram deprimet, & neceſſariam vtriuſque concordiam forſitan inquietet.

§. XLIX.

Deus à præſtabiliori parte; mundus à deteriori, rebus nomina facit.

1. IN rebus creatis, nil tam bonum, quod non habeat aliquid admixtum mali: nil tam malum, quod aliquid boni admixtum non habeat. Nonnulli omnia vniuerſatim laudant, ne quid vituperent: alij omnia vituperant, ne quid laudent. Neutrum faciendum eſt: vtrumque enim vitium eſt.

eſt, & omnis laudatur, & nihil. Sed alterum velut honeſtius dixerim vitium, alterum ſtequentius. Nemo verè vitium laudet, nemo honeſtè bonum vituperet. Rem totam ab aliquo bono lauda; nec rem ab aliquo malo vituperes, & linguæ officium adimpleſti.

2. Hic v. 4. 5. *Deus à nobiliori parte tribuit appellationem.*

In hac primâ mūdi die Dixit Deus fiat lux; (nuper autem præceſſerat tenebrarum mētio) Et facta eſt lux, Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona, & diuiſit lucem a tenebris (puto, non bonis) *Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem: Factumque eſt veſpere & mane, dies vnus.* Quis non miretur hanc appellationem, quam Deus ipſe fecit, & quā nominum imponendorum inchoauit auſpicium? Paulò ante Deus lucem appellauerat *Diem*, & tenebras *Noctem* nuncupauerat, & quod nunc ex noctis caligine, & diei luce conſtatur, *Diem* appellat? Eleganter S. Baſilius in Hexaëmeron, ita hæc ſuper re philoſophatur.

Baſilius hic.

Factum eſt, inquit, veſpera, & factum eſt mane, quibus diem noctemque ſignificat. Non tamen diem ac noctem hæc nuncupauit, ſed præſtabiliori totam tribuit appellationem. Scilicet Deus lucem nuper appellauerat diem, artificialem inquam; & tenebras nuncupauerat noctem: temporis autem ſpatium noctem diemque cōplectentis, nō appellatur vno vocabulo *nuctihimeras*; vt apud Græcos, ſed abſolutè Dies, à *præſtabiliori* inquam parte nuncupatur. Nempè quod nox quoque pariter eſt, Dies etiam dicitur. Nōn partitur vocabuli elogium, ne cum laude coniungat ignominiam, ſed omiſſo tenebrarum ſeu noctis ſqualore, qui etiam diem integrum conſtat; à *præſtabiliori* & illuſtriori parte totum moraliſſimè nominat. Bonus Deus, qui quaſi oblitus ignobilitatis tenebrarum, *à præſtabiliori totam tribuit appellationem*, aiens: *Factum eſt veſpere & mane, dies vnus!*

3. Hic v. 1. S. Auguſt. de Geneſi ad literam. *Future Cæli materia, Cælum tenmatiuè dicitur.*

Quid cæli, & Terræ vocabulo ſignificauerit Moyſes, cùm inquit, *In principio creauit Deus cælum & terram*, ex Auguſtino ad verſ. 1. aliorſum notabamus. Sed non piget expoſitionem aliam perſtringere ad præſens thema nō ita idoneam. Nimirum Auguſtinus Cæli & Terræ nomine interpretatur materiam informem, ex quâ Cælum & Terra efformata ſunt. Ita ſcribit Auguſtinus: *Ipſa materies cælum & terra, veluti ſemen cæli appellata eſt, quaſi confuſum atque permixtum, ad accipiendas Deo accipiendis formis idoneum.* Quia materia idonea eſt ad cælum, Cælum dicitur? Vel à potentiâ boni, bonum nomen mutuatur? Saneſto, Auguſtini perſtrinxiſſe acumen, quò de eius ſcholâ erudiatur humana lingua, quæ à vilitate, & ignominiâ nomen facere ſolitas, maledicentiæ cognato priuilegio. Vnum duntaxat ſubiiciam exemplum, vt ab oppoſitis Dei nomenclatura prænitĕat.

4. Lucæ 11. 14. *A Dæmone, quarum dicitur a illius, Mutus, vulgi idiomate.*

Lucæ 11. *Erat Ieſus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.* Nempè Dæmon erat Mutus, non homo: quare ergo non dæmon, ſed homo, Mutus nominatur? Quin & minus idoneè ex turbarum ſeu vulgi idiomate Mutus dici videtur. An nō parum ſibi hæc ſententia cohæret; *locutus eſt Mutus?* Erat quidem nuper Mutus, ſed iam linguatus eſt; ſecus loqui non potuiſſet. Etiam cùm loquitur, Mutus dicitur? *Admiratæ ſunt turbæ, ſimplici corde facta penſantes*, ait Caietanus. Caietan.

Imò non admodum ſimplici corde, ſed vulgi linguâ, ille, qui tunc loquitur, Mutus dici videtur à turbâ. Cur Mutum appellas, quem loquentem audis? A deteriori nomen facis, non à præſtabiliori, de Dei exemplo? Tempus ex nocte diéque conflatum, à *præſtabiliori* parte, dies nominatur à Deo: & hic homo, quia aliquando mutus fuit, etiam quando expeditè loquitur, Mutus nominatur? Non ab eo, quod à Deo eſt, exinceṕſque erit; ſed ab eo, quod Dæmonis vitio olim fuit, appellandus erit? Itaque vulgare mundi idioma, de gymnaſio Dei erudiendum eſt, quò probè nomina rebus faciat! Deus diem ſimpliciter vocat tempus illud, quod die & nocte conſtat, à præſtabiliori nomen faciens; ne ergo mundus deteriorem partem in appellatione ſequatur. Scio ex linguæ idiotiſmo, Mutum dici, qui nuper Mutus erat, etſi iam linguatus: ſed iuuat ex idiotiſmo ad mores velitari.

---

§ L.

Bonum opus; integritas diei eſt, eiúſque redemptio, benedictio, & ſanctitas.

TEMPORIS iactura, vt frequens, ſic & turpiſſima eſt. Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt: & ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. 1.

Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? Longiorem vitam auariſſimè cupis, & præſentis tam prodigus es? Ergo te collige, te tibi vendica, & ſic viue, vt omnes horas complectaris, & bene operando totam viues vitam, ne velut puer, pauculos vitæ dies in cana etiam ſenectute poſſis computare. *Tempus magni in pretio habendū eſt.*

Geneſeos 7. Noëmus ingruentem iam iam mundo procellam diuino nutu præſentiſcens; cum totâ familiâ, & omnium ſpecierum animantibus, vndique diligenter conquiſitis, & diuinitùs cicuratis, in Arcam includit ſeſe. Ergo cùm propè centum annorum laborioſum conſummat obſequium, in quo diu multúmque ſudauerat, (*Fecit itaque Noe omnia, quæ mandauerat ei Dominus*) hæc ſubduntur Moyſis, id eſt, Dei calamo deſcripta: *In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, & Sem, & Cham, & Iapheth filii eius*, &c. 2.

Impropria Deo dies eſt, in quâ non bene facit? Geneſ. 7. 13.

Quæ verba ita ex Hebræo tranſtulit Caietanus: *In articulo diei illius. Iuxta Hebræum habetur: In proprietate diei iſtius.* Caiet. ibi.

Quare hæc dies propria dicitur, quaſi dies aliæ impropriè eſſe dies videantur? An (aſpectu ad Deum) propria eſt dies, in quâ erga ſuos, eximiè ſe munificum oſtentat, in Arcæ tutamento eos ſoſpitans à communi naufragio? quaſi impropria dies foret, in quâ rigores duntaxat exercet. Sic eſt agnata diebus ſingulis diuina beneficentia? Vel ſi mauis, ad rem præſentem *Propria dies eſt, in quo homo bene operatur, reliqui impropriè dies ſunt.*

tem, hæc verba reſpectu ad Noëmum accipe. Videlicèt, cùm *Facit Noë omnia, quæ mandauerat ei Dominus*, tunc, tunc quidem propria dies apprimè dicitur, & Noëmus operatur, *In proprietate diei illius*. Propriè dies illa eſt, in quâ Dei voluntatem exequeris; reliquæ impropriè dies tibi ſunt. Cùm bona agis, *In proprietate diei* operaris; ſi ſecùs facias, improprium diem viuis, ac ſi bonum, quod patras opus, diem reddat propriam, & tuâ pietate, diei proprietas ſubſiſtat, naturam & proprietatem temporis à bono opere mutuandi! Vide qualiter hi naſcentis mūdi dies diuinâ operatione diſtinguntur, honeſtantur, & plenè integri redduntur.

Hic v. 5.

3. Ad Epheſios 5. ita Paulus ſcribit: Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes: *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*: Quaſi dicat: turpis & fatua eſt temporis iactura, quæ per malitiam, aut negligentiam fit: ergo tempus magno in pretio apud vos ſit, &, *Vt ſapientes, redimite tempus, quoniam dies mali ſunt.* Quid eſt, *Tempus Redimere*, Plura plures in re difficili. S. Auguſtinus: *Redimere tempus*, pro *emere* accipit. *Quid eſt ait redimere tempus, niſi cum opus eſt etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda & capeſſenda ſpatia temporis comparare?* Nempe, quandoquidem quos viuimus *dies, mali* ſunt, id eſt, auari temporis, (*viuimos dias eſcaſos de tiempo*) quod occupatiſſima aut voluptatis, aut auaritiæ, aut ambitionis negotia ſiue otia abſumūt; emite tempus ab ipſis negotioſis vitæ temporalis Occupationibus, quæ veſtrum tempus ſibi quaſi iure ſuo vſurparunt. Profectò omnia aliena ſunt, tempus tantùm noſtrum eſt. In huius rei nimis fugacis & lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit; ſed tanta ſtultitia mortalium eſt, vt quæ minima & viliſſima ſunt, imputari ſibi cùm impetrauêre patiuntur; nemo autem ſe iudicet quicquam debere, qui tempus accepit, nec quicquam amittere, cùm ſuum tempus illi Occupationes ſurripiunt; & quaſi foret ipſarum, ſic propemodum effecerunt, vt noſtrum tempus, non recuperandum, ſed emendum nobis ſit, ac ſi foret alienum. Verùm S. Hieronymus *Redimere*, propriè accipit, quaſi ſit rurſum emere id quod venditum erat. *Quando tempus* (inquit) *in bono conſumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat; ſicque dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præſentis ſeculi, ſed futuri.* Itaque Hieronymus cenſet tempus cùm à Deo datum ſit, vt hominibus in bonis operibus deſeruiat, quaſi captiuum teneri, quando in malis operibus inſumitur; ideoque per bona opera *redimendum*, & ex captiuitate quaſi in libertatem nobis vindicandum.

Ad Epheſ. 5. 16

Aug. Homil. 1 inter. 50

Bono opere noſtro noſtrū tempus quaſi captiuum redimitur.

Hieron. ibi.

4. Sed prætereundum non eſt in verbis Hieronymi, nos bonis operibus dies præſentis ſeculi, facere futuri ſeculi felices dies, ex malis diebus dies apprimè bonos & ſanctos, quaſi dies à bonis operibus bonitatem & ſanctitatem mutuentur. Geneſeos 2. poſt ſex dies in mundi opificio inſumptos, ſeptimus ſuccedit mundi dies. *Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo.* Quia Deus die ſeptimo ab omni opere ſuo ceſſauit, ideò illi benedixit, illúmque ſanctificauit. Dies velut diuini otij benedicitur, & ſanctificatur; & ſex reliqui dies, in quibus Deus mirificè operatus eſt, velut profani habentur, & imbenedicti, & inſanctificati dimittuntur? Quare non potiùs benedicitur & ſanctificatur dies in quâ aut cælum, aut homo, aut Angelus efformatur? Dies otij diei glorioſæ operationis antiſtabit? Eleganter Chryſoſtomus: *Nihil, inquit, aliud die ſeptimo Deus producere voluit, eo quòd omnia, quæ facere voluerat, iam perfecta erant. Et vt habeat etiam dies ille aliquid ad verbum & nomen ſuum, & ne videatur minus aliquid habere, eo quòd in eo nihil factum ſit, benedictione ipſum dignatus eſt. Et benedixit, inquit, Deus diem ſeptimum, & ſanctificauit illum. Quid igitur? non erant & cæteri dies benedicti?* (expende verba quæ ſubiicit, ad rem præſentem in primis opportuna) *Erant profectò. ſed ſufficiebat illis pro omni benedictione, quòd in ſingulis illis creaturæ productæ fuerunt; & ideo de illis non inquit, Et benedixit; in ſolo autem hoc ſeptimo die hoc dixit.* Pulchra quidem adnotatio, etſi longiuſculè ſparſa. Scilicet ſolus dies ſeptimus quieti deſtinatus, opus habuit benedictione & conſecratione diuinâ: nam reliquæ ſex dies, tametſi ore diuino benedictæ & conſecratæ non ſint; tamen operatio in illis perfecta, *pro omni benedictione ſufficiebat.* Quaſi ſuperuacanea foret benedictio & ſanctificatio ſex primis diebus, qui ſanctiùs bono operè benedicuntur, & auguſtiùs ſanctificantur. Ac ſi bonum opus ſit illius, quo patratur diei, & diuina benedictio, & ſublimior ſanctificatio. Ecce tibi, à bono operè malus dies à nobis emitur, & velut captiuus redimitur, & integer redditur; & ſublimem benedictionem, & arcanam combibit ſanctitatem.

Geneſ. 2. 3.

Bonum opus, benedictum, & ſanctum reddit diem.

S. Chryſ. ibid.

§. LI.

Toto diuinioris omnipotentiæ adniſu opus eſt, vt homo ad Terram promiſſionis per viam Philiſthinorum pergere deſiſtat?

1. VEtus proverbium eſt: *Hercules in bimo*: auguſto enim (Herculis nomine vt putabant) & magnanima eius fortitudine opus eſt, ne quis per ſpecioſam & amœnam peccatorum viam incedat. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit.* Hebræa vox עמד hhamad, pro quâ, *ſtetit* vulgatus tranſtulit, ſignificat non tantùm præſentem eſſe, ſed *firmiter & perſeueranter*, vt eruditè mihi Lorinus noſter obſeruauit. O quàm eſt hominibus procliue & arripere peccatorum viam, & per illam *firmiter, perſeueranter*, imò & pertinaciter excitare!

Pſal. 1.

Lorinus.

2. Exodi 3. hæc mandat Deus Moyſi: Ingrederis tu, & ſeniores Iſrael ad regem Ægypti, & dices ad eum: *Dominus Deus Hebræorum vocauit nos; ibimus viam trium dierum in* ſolitu-

Exod. 3 18. 19. & 20.

ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo noſtro. Sed ego ſcio, quòd non dimittet vos rex Ægypti vt eatis; niſi per manum validam. Extendam enim manum meam, &c. Qui tribus digitis terrarum molem ſuſpenſam detinet, opus habet manuum extendere, vt eius populus viam trium dierum conficiat? Quorſum tantas vires apparat Deus? An vt Pharaonis frangat pertinaciam? An vt per deſertum totis quadraginta annis ducat, alat, & protegat? An vt Chananæos reges valenter expugnet? Acute Rupertus: *Extendam manum meam. Ad hoc autem & manum validam erexit Deus, ad hoc utique, vt Iſraelitæ irent non per viam terræ Philiſthiim, ſed per ſolitudinem.* Scilicet manum validam erexit Deus, vt eius populus non eat per viam Philiſthinorum, viam ſecularem, profanam, ſceleſtam, & erroneam; ſed per ſolitudinem pacatam, & à ſeculari tumultu remotam. Sic populus Dei percupit vel ad terram promiſſionis ire per ſeculare ac profanum iter? *Ad hoc manum validam erexit Deus, vt Iſraelitæ non irent per viam Philiſthiim*, ſed per pacatam ſolitudinis viam? Facilius domatur Pharaonis obſtinatio, regia tyrannide armata; nec tam eſt arduum Chananæorum phalanges profligare, quam populum Dei auertere à via trita & ſeculari, cui *firmiter* & *perſeueranter* inſiſtere ſatagit, toto ſtudiorum adnixu.

Pœnam Dei ſeruenſe ire ad terrã promiſſionis per viam ſecularem, non per ſolitudinem.

Rupert. ibid.

3.
Pſalmo 118. Dauid ſic ad Deum fatur: Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis. Pergit propius ad rem Regius Pſaltes humano faſtidio nauſeans aduerſitatem, quam animi votis ardenter expetebat. (*Viam*, inquit, *iniquitatis amoue à me, & de lege tua miſerere mei.* locus alibi aliorſum enucleatus) Sed nec illud omittendum eſt, quòd in Hebræo, pro *amoue à me*, ſcribitur, *aufer, remoue, recedere facito me*. Locus ex noſtri vulgari locutione arduus. Inſolens planè videtur poſtulatio, ne dicam, inidonea, vt viam iniquitatis à ſe amoueat. Quod peracutè notauit P. Claudius Aquauiua, Venerandæ Societatis Generalis Præpoſitus, vir & virtutis laude, & regendi peritiâ, & ingenij acumine notiſſimus: is in Meditationibus ad Pſalm. 118. ita ſcribit: *Viam inquit, iniquitatis amoue à me. Sed cur potius ait, remoue à me viam, quam me à via? Ea enim potius remouenda, quæ mouentur, quam quæ fixa ſunt. Neque dicimus vſitato modo loquendi: Recedere facito me viam illam, aut moueri viam: ſed me potius ab illa.* Mirabile ſanè eſt, id Dauidem expetere, & quidem à Deo inſtinctum: An non faciliùs eſſet, vt Dauid ipſe ſe amoueret à viâ iniquitatis, quàm vt via iniquitatis à ſe amoueretur? O Dauid. ſpatioſam & amœnam iniquitatis viam tu tibi deſere, aliorſum perge, arbitrij nutu pedem effer, vt per aliam viam incedas; & poſtulare deſine, rem inſolitam, & ab humano vſu nimis peregrinantem. Verùm enimuerò ſic eſt hominibus volupe per viam iniquitatis incedere, ſic *primitus* & *perſeueranter* per illam imus, illique adhæreſcimus, vt faciliùs eſſe putet Dauid, vt via iniquitatis à ſe amoueatur, quàm vt ipſe, etſi libero arbitrio, & motrice facultate præditus, viam deſerat, & aliò greſſus ſuos dirigat. Quaſi dicat Dauid ad Deum: Manum olim erexiſti validam, valido tuæ omnipotentiæ adnixu, ne populus tuus per viam terræ Philiſthiim ad Terram promiſſionis contenderet: maiora poſtulo, ô Domine: Viam Philiſthiim, id eſt, viam iniquitatis amoue à me, ne vltrò per illam exertem. Quid illuſtrius?

Pſalm. 118. 29
Viã iniquitatis à ſe amoueri Dauid poſtulat.

P. Claud. Aquauiua.

Sed iuuat præſtrictim exponere, quæ ſit hæc *via trium dierum*, per quam, deſertâ Philiſthinorum ſeu iniquitatis viâ itur ad Terram promiſſionis. S. Auguſtinus: *Ibimus viam trium dierum. Tres enim dies non incongrue poſſumus dicere, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; quia & Pater dies eſt, & Filius dies eſt, & Spiritus ſanctus dies eſt; & hi tres, vnus dies.* Et quidem ſine veſpere: nulla enim eſt *viciſſitudinis obumbratio* in hâc ter vnâ Trinitatis die, ſicut fuit in mundialium dierum auſpicio, vbi dicitur: *Factum eſt veſpere & mane, dies vnus.* Aliter hoc triduum exponit Origenes: *Tridui iter proficiſcimur de Ægypto, ſi rationalem, naturalem, moralem ſapientiam de rebus mundanis auferentes, ad ſtatuta diuina conuertimus.* Quæ eſt hæc *rationalis*, & *moralis* ſapientia, quâ à viâ Terræ promiſſionis exerramus? *Naturalis* rationis, & *Moralis* ſapientiæ ductu, non ſæpè imus, ſed erramus? Sic in aliquibus cæca eſt *naturalis* ratio: ſic *moralis* ſapientia crebrò allucinatur? Nec *rationali*, nec *morali* ſapientiæ de rebus mundanis tutò te credas? Sat hæc ex occaſione leuiter adnotaſſe, tu latiùs expende ſententiam conceptuum grauidam. Heu quoties rei moralis laxior ſapientia à verâ terræ promiſſionis viâ exerrat! Viderint caſuum conſcientiæ scioli.

4.
Auguſt. ſer. 40 de Tempore.
Dies Trinitatis ternum eſt, & ſine veſpere nitet.

Hic v. 5.
Origen. C. t. ad c. 5. Exod.
Ductu naturali, & moralis ſapientia mundana, nõ imus ad cælum, ſed erramus.

§. LII.

Qui ſemel à Chriſtiana perfectione deſciſcit, ferè ineptus ad illam recuperandam habetur?

1.
EXCELSA virtus numeros ſuos habet, plena eſt: ſed ſi ab hac plenitudine deſciſcat, humanæ imbecillitatis languore, haud facilè ad priſtinum emergit faſtigium. Quiſquis diu ceſſauit & remiſit aliquid ex intentione mentis, laxiori vitæ iam adſuetus, nauſeat ad opera pietatis. Pigro ſupplicij loco labor eſt, deſidioſo ſtudere torquere eſt; delicatus miſeretur induſtrij, & ad religioſam diſciplinam eneruis eſt. Errant qui ſeriò ſibi perſuadent, cum Religioſo habitu, aut Ordine ſacro characterem virtutis imprimi, *Quaſi fatum conſecratione mutantes*, quod de Gentilium Dijs ridet Tertullianus. Nemo conſecratione inuariabile virtutis fatum emit, ſed piâ velut obſtinatione virtutis; à qua, ſi humanâ mutabilitate degenerat, difficilè admodum eam recuperare eualet: quæ huius §. theſis eſt.

Fatum Conſecratione nõ mutatur.
Tertull. Apol. c. 12.

2.
Hic verſ. 6. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum*, &c. Quæ verba ſic ſubtiliter diſcutit magnus Baſilius: *Nec hoc haud animaduerſum hoc loco nos quæſo prætereat. Poſt hoc enim imperium Dei, Fiat firmamentum, non dictum eſt ſimplici modo, Et factum eſt firmamentum, ſed, Fecit Deus firmamentum.*

Hic v. 6. & 7.
Baſil. in Hexaem. ad ea verba.
Quare firmamentum velut geminatâ voce produci dicitur.

mentum. Eccur vbi primum hucuſque dicitur: Dixit Deus, fiat hoc, aut illud, confeſtim (vt ſolemne verbum) ſubditur, *Et factum eſt*: cùm autem dicitur: *Fiat firmamentum*, non additur, *Et factum eſt firmamentum*; ſed *Fecit Deus firmamentum*? Quid? bis firmamentum producitur? Fortè actum agit Deus? An Deus firmamentum ſeu cælum velut geminatâ effectione creaſſe dicitur, ad laudis cumulum, quaſi res ſublimiſſimè auguſta non ſimplici verbo, ſed duplici, & totius Omnipotentiæ velut adnixu producenda foret? An fortè ideo non laudatur à Deo opus huius ſecundæ diei, (etſi reliquorum dierum opera laudentur) quia poſtquam dictum eſt: *Fiat firmamentum*, non ſtatim eius obſequium auditur; ſed ac ſi diuinæ voci quodammodo renitteretur, additum eſt: *Et fecit Deus firmamentum? Haſta que Dios pareçe que lo mando dos veces, no ſe dio el cielo por entendido?* Scilicet infimiſſimæ creaturæ è veſtigio primæ voci obſequentes, magnificè laudantur, Cælum verò, quod ſpecie tenus expectaſſe videtur ſecundam Dei perceptionem, illaudatum & inglorium negligitur: quaſi non excellior Cæli natura, ſed expromptior rerum obedientia ſit meritum laudationis diuinæ. Mitto hæc ad alia illuſtranda themata fortè non inidonea.

Non cæli naturam, ſed creaturarum obſequium Deus laudat?

3\. Et quidem quoad rē præſentem attinet, (vt mihi copioſe adſtruebam) veroſimiliùs eſt, ex communi Patrum & interpretum ſententiâ, *Firmamentum* in primâ mundi die creatum fuiſſe, cùm dictum fuit: *In principio creauit Deus cælum & terram*: cùm verò in hâc ſecundâ die ſcribitur: *Fiat firmamentum*, non producitur, ſed ornatur cælum. Et tamen eiuſmodi cæli ornatus non ſimplici, ſed velut geminata productione denotatur, dicendo: *Fiat firmamentum*, & mox, *Et fecit Deus firmamentum*. Tam eſt difficile vel ſemel factum Cælum ſeu Firmamentum, poſtmodum exornare? (*Firmamenti* nomine virtutes rationales, hoc eſt pios ac cæleſtes homines myſticè interpretatur Hieronymus) ſic eſt operoſum viros olim cæleſtes ac ſpirituales, ſidereis moribus iterum expolire, & ad cæleſtem reformare ſplendorem, vt qui ſimplici verbo eos fecit Eccleſiæ Cælos, vocem velut geminaſſe dicatur, ad eos reformandos, expoliendos, & ornandos? Iterato omnipotentiæ velut adnixu cæleſtis virtus exornatur? Sic eſt arduum viros iterum ſpirituales refingere cæleſtibus virtutis moribus? Ad exornandum eos qui fuerant Eccleſiæ Firmamentum, ſatis non fuit, dixiſſe: *Fiat firmamentum*, niſi poſtmodum adderetur, *Et fecit Deus firmamentum*?

Facilè eſt cælum creare, difficile eſt cælum reformare, & expolire.

Hieron. in Ezech. c. 1.

4\. Lucæ 9. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Hæc verba dicta à Chriſto ſunt cuipiam, qui Chriſti diſcipulatum inchoarat, & iam Chriſtum annunciare inceperat, vt aduertit ſapientiſſimus Cardinalis Toletus. Per regnum autem Dei intelligi poteſt, aut cælorum regnum, aut Eccleſia Chriſti, aut perfectio Euangelica, vt ibi notat P. Maldonatus. Audiendus ergo eſt S. Gregorius, ſic ad rem locum exponens: *Manum*, inquit, *mittere ad aratrum, eſt per quemdam quaſi compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram ſui cordis aperire: ſed retro poſt aratrum reſpicit, qui poſt exordium boni operis ad mala reuertitur, quæ reliquit.* Qui poſt inchoatam perfectionem, & felix boni operis exordium, *ad mala reuertitur, quæ reliquit*, ille, inquam, *aptus non eſt regno Dei*. Idoneus non eſt, vt in Diſcipulorum numero cenſeatur, & inter Eccleſiæ fideles numeretur? ineptus eſt, qui cæli capiat æternaturam gloriam? o ſeueriſſimam Chriſti Dei ſententiam! Sic deſerta olim perfectio, recuperandæ officit perfectioni? Sic eſt arduum eos qui ſemel illuminati ſunt, iterum vberioris gratiæ fulgoribus illuſtrari? Valentiori (vt ſic loquar) Omnipotentiæ conatu, & velut iterato eiuſdem adnixu, qui ſemel cælum erat, indiget, vt comptius exornetur? *Fiat firmamentum*, nec ſtatim ſubditur, *Factum eſt*, dum cæleſti expolitur ornatu; ſed iterato auditur, *Et fecit Deus firmamentum*. Porro qui cæleſtibus & ſidereis moribus vixit, & ſemel degenerauit, ineptus dicitur qui priſtinum recuperet perfectionis gradum, niſi extraordinariæ gratiæ officioſitate ad virtutem excitetur.

Lucæ 9. 62. Tolet. Annot. 12. Maldon. ibi. S. Greg. hom. 3. in Ezech.

Qui ſemel inchoatam perfectionem deſeruit, ineptus erit ad virtutem.

5\. Paulus ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti.... & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Impoſſibile dicitur per epitheſim, id eſt, difficillimè, & quod rarò accidit, vt Anſelmus, Lyra, Hugo, Carthuſianus, Vazquez, Ribera, Titelmanus, & Cornelius ibi exponunt. Qui opportunè notat, hæc vltima verba, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*, minimè referenda eſſe ad τὸ *renouari*, ſed ad τὸ *prolapſi*? Itaque ſenſus eſt, *Impoſſibile*, id eſt, valdè difficile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, *& prolapſi ſunt*, (*rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*) *rurſum renouari*. Aſt quare qui ab excelſo perfectionis faſtigio ruit, dicitur iterum ſibi ineptè crucifigere Filium Dei, & oſtentui habere? An quia *impoſſibile* (id eſt, nimis difficile) eſt, illum ad meliorem vitæ frugem renouari, & ita Chriſti gratia, Paſſione empta, non parum deuenuſtari videtur? An quia opulentia gratiarum, qua nuper ante lapſum florebat, notari poſſet, quaſi admoniſſet ad perſeuerantiam in lapſu? nam qui antequam cælitus eximiè illuminaretur, erat idoneus ad gratiæ vbertatem, poſtquam è tanto ruit perfectionis culmine, iam habetur velut ineptus. Idem dicitur: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati.... rurſus renouari, &c.* Opulentiorne ante lapſum gratia, ſic Chriſtum Deum quaſi dehoneſtat? ſic cæleſtem gratiam velut deuenuſtat? Luculenter dixit alioſum Tertullianus: *Sugillatio eſt in cælo iniuſtitia veſtra*; id eſt, veſtra virtus & ſanctitas, probroſa & contumelioſa cælo eſt, dum illam iniquitati, & velut obſtinationi in delictis, veſtrâ malitiâ facitis deſeruire.

ad Hebr. 6. 4. & 6.

Iuſtitia eorum qui à perfectione degenerarunt, ſugillatio eſt in cælum.

Tertull. Apol. c. 11.

Heu quàm eſt arduum, priſtinam
recudere virtutis perfectionem!
b *Qui ſtat, videat ne*
cadat.

§. LIII.

§ LIII.

Non benè laudat, qui laudat quod exorbitat?

1\. VSQVE adeò imbecilla ac penè nulla ſunt hominum iudicia, ut non tam conſummatam rei perfectionem, quàm extraordinaria quædam, intempeſtiua, & quæ ad rem non ſpectant, elogia; & magis æſtiment, & magnificentiùs dilaudent: illaudatum prætereunt, quod rem conſummat, & quod extra rei ordinem eſt, ambitioſiùs extollunt, laudem potiùs ex intempeſtiuâ inſolentiâ, quàm è rei merito rebus fœnerantes. Caducos licèt, mallet in mediâ Hyeme flores, quàm maturos in Autumno fructus, qui in excelſo Principe ſtudium Theologiæ; in cucullatis, militaris peritiæ ſolertiam admiratur. Hæc & his ſimilia, peregrina ſunt, exotica ſunt, inſolentia ſunt; & quæ veniam potiùs quàm laudem de intempeſtiuitate merentur. Cognatam & natiuam quære laudis materiam, non inquilinam, & in alieno ſolo inſolenter peregrinantem.

Laus vera, natiua potiùs, quàm inquilina eſt.

2\. Lucæ 2. Duodennem Ieſum parentum pietas comitem defert in Ieruſalem: peracto feſto domum repetunt; & puer Ieſus inconſultis parentibus, Ieroſolymis manet, Patris cæleſtis negotia præproperè acturus. Non adeſſe in itinere deprehenditur. Quæritur inter *Cognatos*, nec ibi inuenitur; non enim inter cognatos & carnis propinquos inuenitur Ieſus: neque poterat humana cognatio Dei filium continere. Non inuenitur inter *Notos*, quia maior eſt humanâ notitiâ, qui vera Dei ſapientia eſt. *Et factum eſt, poſt triduum inuenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ſuper prudentiâ & reſponſis eius.* Quid eſt quod hi Scribæ, legis Doctores, & ſapientiæ antiſtites, non potiùs de pueri interrogationibus, quàm de eiuſdem reſponſis ſignatè admirantur? Fortè eius interrogationibus non plenè ſatisfecerant? Taceht quod illis indecorum eſt; prædicant id ex quo laudem fœnerari poſſent: ſubtilis enim & acuta reſponſio, non ineruditam interrogationem importat. Quin & rarum eſt, & maximi æſtimandum, quòd hi legis Doctores, ſapientiæ faſtu arrogantes, aliquid in alienâ ſapientiâ laudent, neque omnia faſtidioſi deprecient. Vel vnius rei ſingularis laudatio, reliquorum egregia commendatio eſt. Si quid, quod culparent, inueniſſent, nihil forſitan laudauiſſent. Sed adhuc ſubtilius aliquid in hâc reſponſionum duntaxat laudatione ſubinſinuat Græcus auctor apud auream S. Thomæ catenam. *Quærit, inquit, rationabiliter, audit prudenter, reſpondétque prudentius, quod ſtuporem faciebat. Unde ſequitur: Et videntes, admirati ſunt.* Scilicet puer duodennis *prudenter audit* & auſcultat canam

Puer potiùs de interrogationibus, quàm de reſponſis laudandus eſt.

Lucæ 2.47.

3\. Græcus in Catena ibi.

Doctorum ſapientiam; *rationabiliter quærit*, quod ſcire ſupra ætatem eſt. Hoc autem quod puerili congruit ætati, non admirantur in puero; ſed quod ſupra ætatis ordinem eſt, ſtuporem faciebat: *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ſuper reſponſis eius.* Non admirantur, quòd *prudenter audit*, quod pueri eſt; nec quod *rationabiliter quærit*, quod puerilem decet ætatem; ſed quod *reſpondet prudentiùs*, quod pueri captum & ætatis ordinem tranſcendit; & in alio poſſet arrogantiæ notari, hoc admirantur, hoc laudant, hoc ſtupent: *Stupebant autem omnes ſuper reſponſis eius.* Nota arrogantium Scribarum inconſultam cenſuram. Non laudant quæ puero congruunt; & quæ extra ordinem & ultra ætatem pueri ſunt, hoc arroganter prædicant, & ambitioſiùs ſtupent.

Iudicum 5. illuſtri victoriâ ab Iſraële aduerſus Siſaram partâ, hoc ſacrum Pæana Deo modulatè occinit Debbora; cuius ductu & auſpiciis Chananæorum principes profligati ſunt: *De cælo dimicatum eſt contra eos: Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Nouum bellum noua planè condecet laus. Sed quid eſt, quòd Debbora quaſi quid magnificum prædicat, quòd cælorum *ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo*, hoſtes profligarint; & prælustrem reportarint victoriam? An non, ſi cæli ſidera ab ordine & curſu ſuo inſolenter exorbitarent, ambitioſa foret victoria, de cæli inſolito plauſu glorioſior? Tempeſtiuè Lyranus: *Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, &c. Hoc dicitur ad differentiam illius victoriæ, quæ facta eſt à Deo per Ioſue: quia tunc Sol & Luna ſteterunt per ſpatium vnius diei; in hâc autem victoriâ non ſteterunt, ſed processerunt in curſu ſuo.* O conſultiſſimum laudandi ingenium, quod laudes de inſolentiâ non mutuat, ſed de rei ſtato ordine, & ordinario curſu cumulatiùs exaggerat! Quaſi dicat Debbora: Stet Sol ſub Ioſue, repedet curſu retrogrado ſub Ezechia: ego non nimis admiror rem ab ordine & curſu ſuo exorbitantem: ſed noua bella noua laudatrix ſtupeo: *Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo contra Siſaram pugnauerunt.* Quod ordini ſuo, & ordinario curſui congruit, hoc noua Encomiaſtes exaggero, hoc apud me ſummo in pretio eſt; hoc de ordine & curſu ſuo ſumptuoſiores laudes mercatur. Laudent alij, quæ à curſu & ordine ſuo exorbitant, ego autem perfectionem in ordine ſuo conſummatam glorioſiùs prædicabo.

4\. Iudic. 5.20.

Res in ordine & curſu ſuo ſumptuoſiùs laudatur, quàm quæ exorbitat.

Lyra ibi.

Ioſue 10.

Vnde verſ. 6. tametſi Deus omnia opera reliquarum dierum dilaudet; opus autem huius ſecundæ diei illaudatum dimittit: fortè quia aquæ vltra infimi elementi faſtum ſupra cælos collocantur. Quod adeò inſolenter exorbitat à communi rerum curſu, diuinâ laude viduatum dimittitur.

Hîc v. 6. 7.

***

Nempe, tametſi poſt ſtuprum Continentia, virginitatem prorſus excludat adeò vt nec ſeuerior exinceps caſtitas eam valeat reſtaurare, at operoſior & cautior poſt ſcortationem caſtitas, ita virginitatem æmulatur, virginitatiſque priuilegia exambit, vt animam quondam putidè *fornicariam, virginem facere* præſumat, *virgine continentia*, vt ſententiosè dixit Tertullianus. Vides oculis, quod continentia olim conſtuprata, virginitatem, quam palam excludit, æmulatur; & eiuſdem priuilegiis gaudere præſumit? Planè res intentatur impoſſibilis, vt aliena priuilegia ad ſe deriuentur. Sic putatur facilè, alienis vti priuilegiis, vt ipſa priuilegij exceptio eiuſmodi æmulationem non retardet? Spe recuperandæ virginitatis, ſuam continentia conſolatur calamitatem? Nil inconceſſum ſibi putat, ſi aliis conceſſum conſiderat?

Hic v. 8 Illaudata dimittitur hæc ſecunda dies, cùm reliquæ laudentur: ſed de alienæ laudis priuilegio, quâ cæteræ dies laudatæ ſunt, propriam laudem mutuaſſe putatur.

---

§ LV

Subditos ad concupita præcepto cogi, gratiæ officioſitas eſt, & regendi peritia.

1. SVPERIORVM nemo ſubditis debet obſequium: verùm ſubditus quod non libenter accipit, violenter expreſſit. Eodem animo quo præceptum datur, obſequium debetur. Sibi quiſque debet, quod à negligente accipit, quod à faſtidioſo obtinuit, quod à nolente extorſit. Hinc parendi nauſea, & tarditas obediendi. Et quidem cùm in omni officio magni æſtimetur operantis voluntas, tardè qui fecit, diu noluit: neque nunc forſan, niſi coactus faceret. Verùm cùm perſæpè ſubditus, ipſo ſubiectionis malo inſtigatus, Superiori in re exequendâ diſſentiat; periti Rectoris artificium eſt, antè pernoſcere ſubditorum propenſionem, vt rem illi conſonam mandet; aut ad rem præcipiendam priùs allicere, vt ſponte faciat, quod facere vel inuitus debet. Sic vltrò eunt ſubditi, quò raptarentur inuiti.

Subditus male paret coactus.

2. Antequam Chriſtus Deus nouæ legis præcepta verbo euulgaret, euangelica præmittit conſilia; & poſtmodum ſic Chriſtianos orare docet: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra*, Matthæi 6. Quid humanæ orationi cum eiuſmodi petitione? Quid à Deo petimus, quod neceſſe eſt euenire? An non etiam reluctante homine, omnis Dei voluntas fiet? Scilicet dum animitus expoſcimus, vt omnis Dei voluntas in nobis fiat, noſter animus ad præcepta excipienda præſtruitur, & conformatione cum præcipiente Deo, humana mens ad obſequium præparatur: *Obſequij enim ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt*, profundè dixit Tertullianus. Ecce tibi obſequij perfectio, non tam in rei executione, quàm in animorum conformatione conſtituta eſt. Ru-

Matth. 6. 10.

Obſequij ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt.

Tertull. l. de Pœnit. c. 4.

Celada de Benedict. Patriarch.

dis (vt ſic loquar) & incondita obedientia eſt, quæ tantùm executionem ſpectat, & mente diſſimili rem præceptam factitat, cæco parendi ſtudio, ſed diſcordi animo. Tunc, tunc inquam, obſequij perfectio adimpletur, cùm inter præcipientem, & præceptis parentem conformatio animorum inuenitur: *La perfeccion de la obediencia, mas conſiſte en conformidad de animos, que en execution de obras.* Nam vt ex Tertulliano præmiſimus: *Obſequij ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt.* Ergo aut Superior priùs inclinet ſubditum ad id, quod præcipere vult: aut quærat ex ſubditis, qui ex proprio ſtudio, aut naturæ inclinatione, vel propenſione virtutis ad id vltrò inclinetur. Quæ peritia Rectoris eſt, & miniſterialis politiæ arbitrium.

3. Exodi 2. curioſa filiæ Pharaonis pietas, infantulum Moyſen in ſcirpeâ fiſcellâ periculosè fluctuantem, & tenerè vagientem inuenit; & bellum infantem, dira innoxiè patientem miſerata, principali clementiâ illum ſoſpitare deſiderat. Præſto adeſt infantis ignota ſororcula, & opportunâ ſagacitate, non vocata ſe ingerit, aiens: Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poſſit infantulum? Reſpondit: Vade. Perrexit puella, & vocauit matrem ſuam. *Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier, & nutriuit puerum: adultúmque tradidit filiæ Pharaonis.* Quid tam poſſet deſiderare peramans filij ſui mater, quam vt ipſi iuberetur, quòd ipſa auidiùs exoptabat? Venuſtè aliorsùm Ennodius: *Felix neceſſitas quæ votis præſtat obſequium: libera Præminentis iuſſio, quæ ſeruit affectui. Debet mihi coactor, quod meæ præſtitit voluntati.* Merces debetur matri, vt iuſſa obſequendo præſtet, pro quo præſtando, ſe totam erogaret in pretium? O bona iubentis neceſſitas, quæ ſubditorum adulatur arbitrio, & obſequentis voluntati de coactione blanditur! Ad concupita præcepto cogi, gratiæ officioſitas eſt, & iubendi peritia. Inſcia id mandat Pharaonis filia; ſed illius inſcitia eſto conſultiſſima peritorum eruditio. Quid enim tam expetendum Gubernatori eſt, quam vt ſubditorum vota, præcipientis præcurrant obſequio; dum ſuperioris iuſſio, ſubiectorum ſeruit affectui, debétque petitus coactor, quod obſequentis præſtitit voluntati; & inde promeretur fauoris gratiam, vnde coactionis inuidiam contrahere debuit. Cùm *obſequij ratio in ſimilitudine animorum conſtituta ſit*; peritia Rectoris ſolerter procuret, vt conſimilem ſubditorum animum aut inueniat, aut faciat. Non vi, ſed arte laudatior conſtat politia.

Ad concupita præcepto cogi, gratiæ officioſitas eſt.

Exod. 2. 9.

Ennod. lib. 4. epiſt. 2.

4. Hic verſ. 9. miramur omnes aquarum obſequium, dum in Oceani alueis carcerantur leuiculæ arenæ clauſtris: aſt effoſſis iam terræ cauernis, naturæ toto impetu aqua illuc confluit, & terras exundare vltrò negligit. Suæ naturæ res eſt, quod videtur obſequij negotium. Iubentur aquæ locum deſerere ſuperiorem, & in inferiorem ocyſſimè defluere: ſed inclinationi attemperatur præceptio: idque iuſſione præcipientis intimatur, quod erat in votis parituro. *Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita.* Hanc theſim §. ſequenti locupletare iuuat.

Hic v. 9.

§. LVI.

Lex obedituro cognata, obſequium ſubornat.

1. DESINANT Præfecti ſubditos ſuos, tanquam ad obſequium difficiles & immorigeros infamare: ſæpè Gubernatoribus imperandi ſciẽtia, potiùs quam voluntas deeſt; ſubditis verò parendi non deeſt ſcientia, deeſt voluntas: ſed, *Velle non diſcitur.* Sapiens Gubernator priùs intra ſe mandatum cum obedituro comparat, ne præceptionem inidoneam iubens, aut inerti oſcitantiâ, aut auſterâ nimis ſeueritate, aut poteſtatis ambitioſâ oſtentatione ex ſubditis inobedientes & refractarios faciat, ingenti politiæ iacturâ. Congrua rebus & perſonis mandata obedientiam facilè extorquent. Lex obedituro cognata, ſubditorum obſequia ſubornat.

Seneca ep. 81.

2. Sanctus Iob, etſi ad miraculum vſque patientiſſimus, cap. 6. obiectis ſibi ab Eliphaz reſpondet, & aſperitatem ſuarum lamentationum excuſat ex doloris magnitudine, quæ illum ad gemendum acerbiùs impulit: *Ecce (ait) non eſt auxilium mihi in me; & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me.* Mirabiliter diſſentiunt in hoc loco, Hebræa, Græca, Latina, neque ſolùm in ipſis verbis, ſed etiam in ſententiâ. Et ſanè deſeritur à pleriſque Vulgatus, quod Hebræam vocem תושיה *Tuuſchiyah*, *Neceſſarios* verterit, cùm potiùs *Subſiſtentiam* & *Legem* ſignificet. Vnde pro, *Neceſſarij quoque mei receſſerunt à me*, Pagninus tranſtulit: *Et lex expulſa eſt à me.* Iſidorus Clarius: *Vires ſubſiſtendi receſſerunt à me.* Quaſi idem ſint *Neceſſarij*, ſeu cognati, ac *Subſiſtentia*, ſeu *Lex*, aut præceptum. Notent alij ad alia themata illuſtranda, *Neceſſarios*, cognatos, & amicos, dici hominis *Subſiſtentiam*; eum etiam *Legem* appellari ſubditorum *Subſiſtentiam*: ego verò non notare hîc non poſſum, *Neceſſarios*, & *Legem*, quaſi ſynonyma exſcribi: ac ſi *Lex*, & *Neceſſarij* aut cognati, idem ſit. O bonam de Iobi ſcholâ Præſidentibus eruditionem! Vſque adeò debet eſſe lex obedituris cognata, vt *Legis* nomine cognatio aut *Neceſſitudo* ſignificetur; & *Neceſſitudinis* vocabulo *Lex* innuatur. Scilicet peritus Gubernator velut per anatomiæ artem debet habere exploratam ſubditorum indolem, vt valeat cuiuſque ingenio congrua præcepta peritè diſpenſare: vt ſic expromptè præceptiones ad facile obſequium arripiantur, quâdam ad parendum velut naturæ ipſius propenſione. O quàm eſt volupe ea exequi, ad quæ natura propendet! Ergo apta indoles, & procliue ingenium, quod quandam cum re præcepta affinitatem habeat, attentus Gubernator perquirit. Vellem etiam, ſi fieri potuiſſet, vt ſubditi laborent ad hanc cognationem cum lege & præceptis vltrò habẽdam. Serio aduertant obedientiam eſſe ſubditis neceſſariam & cognatam; & obſequium eſſe ſubiectionis appendicem. Quid magis affine & connaturale ſubditis, quàm parere? O vtinam virtutis amor neceſſariam cum præceptis conſanguinitatem exprimeret!

Iob 6. 13.

Tranſlationes variæ.

Eodem vocabulo Lex, & Neceſſitudo, ſeu cognatio ſignificatur.

Cõſanguinei, dicũtur ſuorum ſubſiſtentia.

3. Geneſeos 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Animo rationali, ſpirituali, immortali, quem velut ſuo halitu efformat Deus, ad originis generoſitatem; corpus è terræ limo materiatum ſternitur? ô inter ſe nimis diſtantia extrema! Eccur non è nobiliori alio elemento nobiliſſimæ animæ corpus aptatur? Hugo Victorinus aſpectu ad illud, quod paulò inferiùs ſubditur: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum*, ſic vetuſtè præpoſitæ quæſtioni reſpondet: *Formauit Deus hominem de limo terræ, Quia homo non erat, qui terram coleret, (dicitur enim ſuprà: Et homo non erat qui operaretur terram) ideò Deus hominem formauit, id eſt, corpus eius de limo qui eſt terra tenax.* Scilicet, quia homo tunc non erat, qui terram coleret, & diuino nutu deſtinandus erat homo, ante lapſum, vt operaretur paradiſum, & poſt lapſum, vt coleret terram, ideo hominem Deus formauit de limo terræ, vt homo ſimul cum nutu diuino, terræ cultionem præcepturo, obſequij affinitatem agnoſceret. Vide mihi Adami cum re ſibi iniungenda cognationem, conſanguinitatem potius dixeris: dum conſultiſſimè è terra formatur, qui diuini nutus vrbanâ præceptione, terræ cultioni mancipandus erat. Quid luculentius?

Geneſ. 2. 7.

Homo è terra productus, quia terræ cultura illi iniungenda erat.

Geneſ. 2. 15. Hugo Vict. ibi

Geneſ. 2. 6.

4. Ieremiæ 5. ſic Deus ad homines loquitur: *Qui poſui arenam terminum Mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud.* Scilicet ſummus rerum opifex Deus ſecundâ primordialis opificij die, *Nudat aquis terræ dorſa, quibuſdam velut in cellis maria concludens, dum Imperio in abyſſum vtitur pro clauſtro, & arenâ, quaſi habenâ formidabili maria continet, terram liberam ſeruans à pelagi eluuione: eſto, ventorum impetu ad terram mare propellatur. Fertur illud quidem fluctibus altè illatum; vbi verò terminus attigerit, reuertit, refugitque, & Domini Vocem littoribus ſcriptam cum intuitum fuerit, curuatis fluctibus terminum poſitorem adorat; cùmque terram violentè feriat, refertur, ac diuini Imperij memor refertur in fugam. Quare placidè purpuraſcens adulatur vicina continenti, quaſi mollibus vlnis terram complecti cuperet, ſemper Domini Præcepto cohibitum, & tantum non ſingulis momentis audire ratum. Et manet Præcepti memor arenâ vinctum, nec pro Vinctoris reuerentiâ vincula violat, vocẽmque Prophetæ ratam facit: Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur.* Hucuſque Baſilius Seleucus, qui in paucis cothurnata dictione, hoc Domini Præceptum mari impoſitum, graphicè deſcribit. Non ibo inficias, locupletes olim auctores, qui marinas aquas terrâ ſublimiores faciunt, hoc Præcepto miraculosè contineri putaſſe intra vaſtum littoris alueum, ne ſuper continentem exundent, & iterùm terras obruant naturali naufragio. Verùm recentes Bibliorum expoſitores, ab Auguſtino, Damaſceno, & Aſtrologorum demonſtrationibus edocti, magno doctiorum conſenſu tradunt, Præceptum hoc aquis impoſitum, eſſe ipſiſſimam aquarum naturam: quod & nos olim in lib. Ariſtotelis de Cælo & Mundo, & hîc in Commentario litterali copiosè

Ierem. 5. 22.

Hic v. 9. Baſil. Seleuc. orat. 1.

Mari præcipitur obſequium, ad quod vi naturali propendet

Pſal. 103. 9.

Conſule Pinedã noſtrũ in c. 36. Iob ad verſ. 10.

compro

comprobauimus. Nemo iam miretur, ſi, vt rem mitiſſimam iteratis Bibliorum vocibus, hoc Præceptum commendetur, & tantâ illud verborum ambitione Seleucianus Baſilius dilaudarit; dum ipſa aquarum agnata inclinatio, Præcepti nomine denotatur. Laudatiſſimum Scripturarum Præceptum, ſic eſt ipſi rei parituræ cognatum, vt ipsâ propenſionis vi vrgeatur ad obſequium. Diſcant hinc periti Gubernatores, ſubditorum indolem & ingenia attentiùs explorare, vt dum connaturale mandant obſequium, obedientiam ad miraculum vſque perfectam peritè extorqueant. Miraculoſum putatur Maris obſequium, & ipſiſſima eius natura eſt.

---

§. LVII.

Præproperè terra ſiccatur, & Arida *dicitur, ne vnquam non ſit vomeris patiens.*

1. BONA mens non commodatur, nec emitur: & puto ſi venalis eſſet, non haberet emptorem. Suum cuiuſque eſt, etſi nô à ſe, bonum eſſe. Nô dat natura virtutem. Bonum fieri, ars gratiæ eſt, naturæ auxiliatrix. Virtus non contingit animo, niſi inſtituto, & edocto, & ad ſummum aſſiduâ exercitatione perducto. Ad hoc quidem, ſed ſine hoc naſcitur; & in optimis quoque, antequam animus de cælo & de induſtriâ erudiatur, virtutis materia, non virtus eſt. Itaque quiſquis optat vberes virtutis ferre fructus, paratus debet eſſe ſemper erudiri, ſemper excoli; nam ſpontiua herba, vt plurimùm noxia eſt, & ſæpe inutilis. Ager, etſi pingui glebâ de ſe fertilis, niſi culturæ patiatur induſtriam, fructibus negatur, & ſqualidè horret ſenticeto ſimilis.

2. Hic v. 9. Hic verſ. 9. in tertiâ mundi naſcentis die, dixit Deus: *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, & appareat Arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam Terram, congregationêſque aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus quod eſſet bonum.* Et ait: Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum, &c. Scilicet Terra in primâ ſui conditione aquis immerſa, vago fluctu & profundo gurgite inundabatur. Omnipotenti Dei verbo, aquæ quamocyſſimè recedunt, & partim in amnibus fluunt, partim in maribus ſtagnant, & partim in alijs terræ voraginibus iacent. Subitò apparet vaſtum terræ dorſum, non de præcedenti inundatione lutulentum, aut de primo naufragio limoſum; ſed congruâ temperatum ſiccitate, adeò vt Terra nuper aquis merſa, derepentè ſicca appareret, *Arida* nomen ſortita. Quare tam maturè exſiccatur Terra? Quid referret, vt aliquo breui ſpatio limoſa & lutulenta maderet, donec naturaliter areſceret? An non etiam limo ſuo oblitâ poſſet ſtatim herbas, plantas, arbores germinare? Ita quidem, ſed excoli, tunc minimè potuiſſet. Summè floridâ oratione S. Ambroſius, ſubtili (vt aſſolet) expenſione ita fatur: *Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt, & appareat Arida. Conſidera quia etiam tunc paluſtri vligine Terra inhorrere conſueuit, nec patiens eſt vomeris, vbi infuſus terris humor exundat.* Profectò homo tunc creatus non erat, qui Terram poſſet excolere; necdum effulgebant aſtra, quæ illam fotu ſuo fœcundarent: diuino iuſſu herbas, plantas, & arbores iubetur germinare. Et tamen vbi primùm aquis Terra nudatur, *Arida* dicitur; quia Terra *non patiens eſt vomeris, vbi infuſus terris humor exundat.* Tametſi homo tunc non eſt, qui Terram vomeris opere valeat proſcindere, dum *germinare* iubetur, ſaltem pati poſſe vomerem & agricolationem neceſſe eſt. Dum in eo exundationis ſtatu Terra eſt, qui eam excoli non permittat, nec diuinitùs *germinat.* Sed antequam germinet, etſi nemo ſit qui eam excolere poſſit, ſaltem ea tunc habilis ſit, quæ vomerem pati poſſit, exſiccato limo, qui cultionem vetaret. *Appareat Arida*, dum dicitur *germinare*; quia *non eſt patiens vomeris, vbi infuſus terris humor exundat.* Scilicet humani cordis agellus dum excoli idoneus non eſt, nec vomeris patiens, de cælo germinare non ſperet. Etſi non ſit qui illum excolat & erudiat, ſit culturæ paratus, & vomeris patiens, & confeſtim de cælo *germinat.* Moraliſſimè quidem Ambroſius!

Præproperè Terra ſiccatur, & Arida audit, vt ſtatim ſit vomeris patiens.

S. Ambr. l. 2. Hexaëm. c. 8.

3.

4. Geneſis 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Non paruam profectò admirationem mouet, quòd cùm paradiſus indubiè tertiâ mundi die creatus ſit, vbi primùm ſit eius mentio, confeſtim animaduertitur, hominem recèns creatum, quamocyſſimè adductum fuiſſe in paradiſum, vt *operaretur* & cuſtodiret illum. An incultus ſqualeret, & ſenticoſis horreret paradiſus, niſi homo ſtatim creatus, ad eius cultionem deſtinaretur? Quin & nobilitatem principis Adami, in tanto dignitatis faſtigio creati, dedecere videtur, vt non ingenuum agricolationis opus exerceret. *Videamus itaque* (ait S. Auguſtinus) *quid ſit, quod dictum eſt, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Numquid fortè agriculturam Dominus voluit operari primum hominem? An non eſt credibile, quod eum ante peccatum damnauerit ad laborem?* Homo ne in felici innocentiæ ſtatu indigebat labore? an paradiſus Dei manu conſitus, agricolationem expetebat? Exiguam ſanè operam, vnus homo, ipſéque ingenuus & princeps paradiſo excolendo impenderet. Et tamen vbi primum paradiſi ſit mentio, ſtatim quamcitiſſimè in illum defertur Adam nuper creatus, vt illum excolat, vt nunquam audiatur paradiſus *non patiens vomeris.* Paradiſus non eſt, qui agricolationem neſcit. Nuſquam audiatur vel paradiſi nomen, quin illi deſtinatus audiatur ſuus cultor. Agriculturæ primò deſtinetur Adamus, (etſi inidoneus ſtatui innocentiæ labor alicui fortaſſis videbitur) ne vnquam paradiſus voluptatis, *non patiens vomeris*, ſine cultore ſit. Quaſi paradiſi generoſitatem dediſceret, & ſentibus ſqualidè horreret, niſi cultoris pateretur induſtriam. O quiſquis paradiſus eſſe cupis, & topiariis virtutum deliciis, læto flore, & maturo fructu vernare; eſto *vomeris patiens*, nunquam morum deſit cultor, ne ſpontiuis herbis, & cognatis vitiorum ſentibus inhorteſcas.

Gen. 2. 15. *Vbi auditur paradiſi nomē, confeſtim ſuus illi cultor deſtinatur.*

Auguſt. ibi.

§. LVIII.

Res iam munda, antiquo ſqualoris nomine exinceps denuo ſtanda non eſt.

1\. MARCET ſine aduerſario Virtus. Tunc apparet quãta ſit, quantúmque valeat, polleátque, cùm quid poſſit patientia, oſtendit. Sed aduerſus Virtutẽ poſt turpem lapſum ſtrenuè reſtauratam, plures armantur aduerſarij: nec tantùm rebus aduerſis, quę crebrò occurrunt, ſed etiam antiqui vitij nomine impugnatur; quaſi cum re virtutis, adhuc antiqui nomen vitij retineat, & delictorum ſtigma olim nomini inuſtum, indelebili impreſſione notetur, neque illud inſigniter recuperata Virtus oblitterare valeat. O obſtinatiſſimum Nominis prælium, quo virtus conſtantior ſæpè labefactatur, dum boni nominis recuperandi ſpe deſtituitur! Animi & corporis vitia delere Virtus poteſt, vitij autem characterem abolere non poteſt. Res vitij vacat, & æternabit vitij nomen? Irrecuperabilis erit boni nominis iactura? Huic humano Nominis vitio medicinam facit diuina Scriptura, ſi fortè diuturnos vocabulorum morbos ſanare poſſit eruditione cæleſti.

Virtus detergat antiquũ vitij nomen.

2\. Hic verſ. 9. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum: & appareat Arida. Et factum eſt ita.* Haud dubium eſt inter antiquos, & recentes expoſitores, *Arida* vocabulo Terram ſignificari: ſed æquè dubium eſt, quare Moyſes quam nuper *Terram* appellauit, nunc diuerſiſſimâ appellatione *Aridam* nominarit? Non boni hiſtoriographi eſt, rerum nomina in tam breui ſpatio euariare, quò lectorum mentes æquiuocatione reddat ambiguas, tenebráſque offundat narrationi. Profundè S. Baſilius inibi ad rem præſentem ſic rem meditatur. *Aduertendum etiam quod non dixit: Et appareat Terra, ſed appareat Arida: ne rurſum ipſam inextructam & incompoſitam oſtendat, luto refertam, atque aquis immixtam.* Nimirum Terra nomen *Terra* ſortita fuerat, lutulenta, ſordida, & turbidis aquis diu obruta; cùm dicta eſt, inanis & vacua, ſiue inuiſibilis & incompoſita: at nunc, nunc quidem, cùm è cœno emerſit, & deterſo luto ſicca nitet, non antiquum ſqualoris nomen, ſed recens nitoris vocabulum aſſumit. Si vel infimo elemento licuit è cœno mergere, liceat quoque cœnulentum nomen amittere, & à recenti nitore nomen ſibi debitum & cognatum aut recuperare, aut denuò facere. Emergat nomen cum re. Re incolumi, debitum rei nomen patietur naufragium? Heu ſæpè irrecuperabilem boni nominis ruinam, aut inuidiæ arbitrio, aut malitiæ ingenio! Heu nominum immortalia pericula! Heu periculoſam vocabulorum cauſam! Heu reſuſcitatâ re, tot appellationum mortes, & nominum adhuc cadauera! Itaque moraliſſimè, quæ nuper naufraga, & cœnoſa appellabatur *Terra*, poſt naufragium, luti ſqualore deterſo, de ſiccitate nitens, non vt eò vſque *Terra*, ſed mundiori vocabulo *Arida* nominatur.

Hic v. 9

Si Terra emerſit, cur Terra nomen patietur naufragium?

Baſil. in Hexaëm. ad ea verba.

3\. Lucæ 8. iter fecit Ieſus, vt euulget Euangelium per ciuitates, & caſtella. Magiſtrum comitantur diſcipuli, *et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de quâ ſeptem dæmonia exierant.* Vulgaris ſententia eſt, magno plauſu ab interpretibus recepta, Mariam Magdalenę, illam ipſam fuiſſe, quæ præcedenti capite dicta fuit, *Mulier in ciuitate peccatrix*, ſed valdè ambiguũ, quam ob cauſam, quæ paulò antè dicta eſt, Mulier peccatrix, nunc proprio nomine, *Maria Magdalene*, non vulgari *Peccatricis* vocabulo nominetur. Beda inibi hanc quæſtionem mouet, & his verbis concinnè reſpondet: *Maria Magdalena ipſa eſt, cuius tacito nomine proxima lectio pœnitentiam nominat. Nam pulchrè euangeliſta vbi eam cum Domino iter facere commemorat, noto hanc vocabulo manifeſtat. Vbi verò peccatricem, ſed pœnitentem deſcribit, mulierem generaliter dicit, ne Nomen tantæ famæ priſci erroris notâ fuſcaret, de quâ dæmonia ſeptem exiſſe referuntur.* Ecce tibi, dum hæc mulier, multorum criminum fœdè rea, coram Chriſto ſiſtitur, veniam poſtulans pœnitentiæ merito, proprio vocabulo Euangeliſta abſtinet, quaſi illud delicta oblitterarint; ſed nomine, quod fecerant illi peccata, *Mulier*, inquam, *in ciuitate peccatrix* dicitur. At poſtquam per pœnitentiam cognata deleuit flagitia, cognatum illi nomen reſtituit, & emortuum Mariæ Magdalenæ vocabulum reſtituit: ne boni nominis cadauer, amiſſione funeſtâ æternùm tumuletur. Redeat nomen, cùm res nominis ad ſe per pœnitentiam rediit, vt non priſtina delicta priſtinum nomen deleſſe putentur. Antiquus reatus appellationem dedit, ſed delebilem recuperatione virtutis. Nec commiſſa olim delicta, delictorum ſtigma inurunt in nomine, quod nuperrima virtus abolere non valeat. Imò cùm hæc mulier, non proprio nomine inducitur, ſed appellatione, quam illi fecit culpa, ideo fit, *Ne nomen tantæ famæ priſci erroris nota fuſcaret, de quâ dæmonia ſeptem exiſſe referuntur.* Quaſi delicta non tam deleant antiquum nomen, quàm honoris causâ illud interſtinguant, quoadvſque pœnitentia, priſtinæ appellationis reſtauret elogium.

Lucæ 8. 2.

Lucæ 7. 37.

Beda ibi.

Mulier peccatrix, per pœnitentiam recuperat Magdalenæ nomen.

4\. Redeat iterùm locus aliàs alìorſum expendendus ex Geneſis 14. vbi quatuor reges Aſſyriæ & Perſidis, exeunt in aciem contra quinque Pentapolis regulos: contra regem inquam, Sodomæ, contra regem Gomorrhæ, contra Regem Adamæ, contra regem Seboim, *Contráque regem Balæ: ipſa eſt Segor.* Nemo Biblice peritus neſcit, vrbem *Balam* hîc per anticipationem appellari *Segor*. Nam cùm poſteà cap. 19. Lot Sodomitici incendij iam iam è cælo ruentis, minas fugeret, enixè ab aſſertore Angelo petiit, vt ſibi permitteret ſaluari in propinquâ vrbe Bala, quam Paruulam appellauit. Annuit Loti precibus Dei Angelus: *Idcircò vocatum eſt nomen vrbis illius Segor*, id eſt, parua: quæ priùs appellabatur *Bala*, id eſt, *Abſorpta*, vt interpretatur Hieronymus; vel *Deuoratio*, aut *Vorago*, aut vrbs *Deuoratorum*, vt mauult Gloſſa. Et ſanè mirabile eſt, vrbem *Balam*, quæ ſententiam communis

Gen. 14. 2.

Vbi parcitum eſt vrbi Balæ, nomen illi mutatur.

Gen. 19. 22.

S. Hieron. de locis Hebr.

Gloſſa ibi.

Penta

Pentapoleos incendij in ſe etiam fulminatam, in nomine præferebat, (*Bala* enim *deuorationem*, aut *Voraginem*, aut vrbem *Deuoratorum*, ſonat) & propudioſi reatus characterem deſcriptum portabat in *Bala* appellatione; vbi primùm Loti interuétu immunis redditur à pœnâ flagitij, confeſtim appellationem mutaſſe; nec exinceps, vt eouſque, *Balam*, id eſt, vrbem *Deuoratorum*; ſed *Segor*, adſpectu ad Loti preces & merita, nominari. Scilicet paſſus non eſt Scriptor ſacer, vt condonato iam antiquo reatu, reatus eiuſdem vocabulum in vrbe *Bala* ad ignominiam perduceret. O, cùm morte delicti, reatus nomen commoriatur! Non appelletur in poſterum Vrbs *deuoratorum*, quandoquidem ei deuorationis pœna condonata eſt; ne rei, cui parcitum eſt, nomen deinceps crudeliter deuoretur. O morabiliſſimum documentum!

---

§. LIX.

Impiorum iter peruium & tritum; & ſimul inuium, deſertum, & inacceſſum dicitur.

1\. *Chryſ. apud Caten in c. 4. Ioan.* SENTENTIOSE dixit Chryſoſtomus: *Nihil liuore & inuidia deterius, nihil inani gloriâ difficilius.* Imò quid tam pronum & facile, quàm quod ſic agnatum eſt, vt cum naturâ ex humanâ generatione, pariter cum moribus ex paradiſeâ præuaricatione, hominibus impreſſum videatur? Naſcitur homo, vt Adami naturâ filius, ſic & paternæ ſuperbiæ ex aſſe heres. *Nil inani gloriâ, & impietate difficilius.* Hinc procliue mortalibus eſt inani gloriâ arrogantiùs turgere, & honores ac delicias auidiùs aucupari, dignitatúmque faſtigia, ac gloriæ vſuram appetentiùs ſuſpirare. Verùm nil tam difficile, quàm ad hæc, in quæ procliues ſumus, impenſiùs conari; nil tam arduum quàm ea conſequi. Quin & felicitas adepta, ſtomachũ ſæpe mouet: nauſeamus ad poſſeſſa, & mentitas mundialium bonorum ſpes in ipsâ adhuc fruitionis poſſeſſione, de mendacio arguimus. Vitium procliue eſt, non facile, ſed in primis difficile, ærumnoſum & arduum, ſi attentiùs expendas auaritiæ, libidinis, & ſuperbiæ labores. Floridas ſpondet vias, ſed inuias ſemitas, carduis & ſentibus ſpinoſas inuenies. Hinc ſucciſa eſt illa quondam celebris Bionis ſententia: *Facilis eſt,* inquit, *deſcenſus in infernum, illuc enim clauſis oculis itur.* *Bió apud Rodigin.* Facilis inquam, id eſt, expromptus, malignitatis humanæ impetu propiùs impellente, itur per vitiorum ardua; quaſi per errorem. Rem exemplis, & quidem Biblicis, ſubiiciam oculis.

2\. *Sapiént. 2. à verſ. 5.* Annon impiorum atheiſmo notiſſimorum, repetita vox eſt; *Venite, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creaturâ tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc fors. Opprimamus pauperem*, &c. Audiſti infrenis voluptatis, & arrogantis ſuperbiæ voces? ſiſte gradum, & arrecto animo auſculta tantiſper, quid non multo poſt inter ſe confabulantes ſeriò dixerint. *Laſſati ſumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* *Sapient. 5. 7.* Ad quæ verba adludens Chryſoſtomus, ita loquitur: *Putas quòd peccatores huius mundi non laborent, bene enim maiores labores & ſolicitudines habent, quàm ſerui Dei.* *S. Chryſ. in Pſalm. 13.* Verùm enucleandus eſt locus, vt perſpicaciùs appareat, quàm ſit aſcenſu arduum ambitionis faſtigium, quàm ſint malè dulces luxuriæ voluptates, quamque difficile & aſperum ſit impiorum iter. *Iter impiorum tritum eſt, & ſimul deſertum, imperuium, & inacceſſum.* Vbi vulgatus legit: *Ambulauimus vias difficiles*, in quibus ambulandis impij laſſati ſunt, Græci codices exſcribunt, *Fatigati ſumus in viis, callibus, itineribus tritis.* *Apud Cetnam mal.* At S. Cyprianus, Auguſtinus, Gaudentius, Chryſoſtomus, Lucifer, & Ephrem tranſtulêre, *Perambulauimus ſolitudines difficiles, vel deſertas.* 3.
Alij, *Deſerta imperuia, vel inacceſſibilia, vel ſolitudines inacceſſas.* Mirifſimum planè eſt, has impiorum vias perdifficiles, & dici *itinera trita*, & ſimul *deſerta imperuia*, vel *ſolitudines inacceſſas*, hoc eſt itinera deſerta, inuia; inacceſſa, imperuia, quaſi pedibus minimè mitigata & domita; ſed ſyluoſa, carduis & ſpinis ardua, multo impedita lapide, & quæ errores citiùs, quàm ductum offerant. Iter tritum, deſertum imperuium, inacceſſum, & mera ſolitudo eſt? Vtrumque ex alterutro redarguitur, aut itinera trita non eſſe, ſi imperuia ſolitudo ſunt, aut imperuia & deſerta non eſſe, ſi trita & calcata ſunt. O viam impiorum labyrinthoſam! Profectò hæc perdifficilis impiorum via dicitur trita, *quia ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam.* *Matth. 7. 13.* Dicitur ſimul inuia, inacceſſa, & deſerta; quia impij per eam incedentes, charitate coniuncti non ſunt, ſed amore proprio diſiuncti & quaſi per vaſtam ſolitudinem exerrant, dum vnuſquiſque ſua priuata commoda duntaxat ſectatur. An etiam imperuia & ſolitudo appellatur, trita nimis impiorum via; quia iis incommodis afficiuntur impij in via aliàs tritâ, quæ in locis confragoſis, & imperuiis ſentiri ſolent? quam ob rem, ea vox *imperuia* reſpicere videtur ad incommoditatem eorum illis etiam in rebus, vnde maxima commoda ſibi percipienda pollicebantur. Niſi fortè difficilis impiorum via, etſi trita ſit, inuia, inacceſſa, & ſolitudo appellatur; quia impiorum quiſque de ſingularitate præſumit, & neminem ſibi æquari patitur, ſuperbiæ arrogantiâ turgens. Aues rapaces non ſunt gregariles; ambitio, auaritia, libido exgreges ſunt, & riuales deteſtantur, vaniſſimâ ſingularitatis præſumptione. Vides quàm ſit inuia, difficilis, & ardua impiorum via, quæ per varios errores rectâ ad perditionem ducit? Spes honoris & voluptatis nimis palpat, ſed poſſeſſione multò magis excruciat.

Regius pſaltes his verbis pſalterij ſui melodiam auſpicatur. 4.
Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit. Et poſt multas felicitates, quibus pios proſperari decantat, hæc de impiis prædicit. *Non ſic impij, non ſic: ſed tanquàm puluis,* *Pſal. 1. 4.*

quem proijcit ventus à facie terræ. Puluetis vocabulo egregiè impij deſignantur. Inſigniter Euthymius & locum exponit, & præſens thema confirmat his verbis. *Quemadmodum,* inquit, *irruentes venti, facile puluerem transferunt & diſpergunt: ita & aduerſarij Dæmones, impios quoſque facile diſſipabunt. Per faciem vero terræ eius ſuperficiem intellige: quam terræ humeros etiam appellant: eo quod ferat ac ſuſtineat omnia corpora, quæ in ea ſunt.* Vides puluiſculum delicatulum & molliculū, qui lenis etiam auræ flatum non ſuſtinet, quin imbecillè illi cedat, & longè latéque quoquouerſum diſſipetur; ille ipſe puluis aliàs mollis, delicatus, & facilè mobilis, qui in ſuperficie terræ leuis ſpargitur, *terræ humerus* appellatur; quia omnia ſupra ſe ſuſtinet, omnia grauiſſima corporum onera ſuffert. Planè digniſſimum admiratione eſt, impium vitiis enutritum, & flagitiis obduratum, eſſe leuem puluerem, & ad rem pietatis delicatum, atque ad tentationis flatum facilè diſſipabilem: & hunc eundem puluerem, ad cæleſtia molliculum & tenerrimum; ad rerum terrenarum obeundos pro honore & voluptate labores, ſic eſſe robuſtum & vegetum, vt *terræ humerus* veriſſimè nuncupetur. Ille ipſe puluiſculus, qui tentationis leuiſſimæ vento tam facilè diſpergitur & diſſipatur, ſic ad rem impietatis robuſtus eſt, vt velut *terræ humerus* grauiſſima mundi pondera conſtanter ſuſtineat. Ô nimis verè! Delicatulus & eneruis ad rem pietatis, ad pergraues vitiorum ſarcinas perferendas, durus, robuſtus, quin & oſſeus eſſe ſolitat. Quid illuſtrius?

Leuis terra puluiſculus, terra humerus ſententiosè appellatur. Hic v. 9. & 10.

§. LX.

Boni Gubernatoris idea in aquis apparet: quæ vnum corpus conflat, æquale habet dorſum, ipſa ſe præcedit, vrget, & ſequitur.

1. Eccleſ. 32. 1. *Perfectus ille ipſe eſt, qui & priuatus.*

MORALISSIME Siracides: *Rectorem te poſuerunt? noli extolli: ſed eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.* Sudatiſſimus planè aphoriſmus, & quē aut celebritas ſententiæ, aut neceſſitas experientiæ, è Bibliorum adytis, vulgarem fecit: Pro *rectorem*, Græcè eſt *ἡγούμενον*, id eſt, præſidem, ducem, doctorem magnum, magiſtrum, principem, regem, imperatorem. Horum omnium agnato tumori medicinam facit huius ſententiæ pharmaco. Hugo Carenſis ſubtiliter expendit voculam *te*, in quâ huius loci energia viget: *Rectorem;* inquit; *te poſuerunt, non dominatorem: paſtorem, non mercenarium, non carnificem, ſed tutorem: non tyrannum, ſed diſpenſatorem: non dominum, ſed miniſtrum. Te, non tuas diuitias, non tuam nobilitatem, non tuam progeniem, ſed te, id eſt, tuam perſonam.* Sic in faſtigio dignitatis aliqui turgent, vt vel ſuam dedifcant naturam; & neceſſe ſit admoneri, ſe eoſdem eſſe, non alios euaſiſſe prærogatiuâ dignitatis. Vnde S. Gregorius in Paſtor. capite 6. hunc

Hugo h. l.

2. Greg. p. 1. Paſt. c. 6.

præfigit titulum: *Vt ſit Rector benè agentibus per humilitatem ſocius.* Cauſſam dat. *quod omnes homines natura æquales genuit.* Hæccine ratio Magno Gregorio digna? quis hoc ignorat? Speculatiuè quidem nemo; practicè plures, plures quidem: immò omnes, quos neceſſe fuit admonere, ſe eoſdem eſſe, ac erant priuati: *Rectorem te conſtituerunt: Te, non tuas diuitias,* (aut negotiationem, aut fortunam, aut gratiam, aut fauorem) *ſed te, id eſt, tuam perſonam;* Non otiosè ſic vertit Syrus: *Magnum te conſtituerunt? ne extollaris: eſto tibi ſicut vnus ex illis.* Ecce tibi geminatur pronomen, vt Magnum iterum admoneat, ſe illum ipſum adhuc eſſe, qui erat priuatus; *& quod omnes homines natura æquales genuit.* Ergo quiſquis præſidentiæ ſublimitate eminet, ne extollatur & turgeat: *Sed eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.* Conſultò ait, *in illis*, quia ſuperior eſſe debet in ſubditis; & quidem, *quaſi vnus ex ipſis.*

3. Hîc verſ. 9. & 10. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationéſque aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus quòd eſſet bonum.* S. Ambroſius Maris nomine Eccleſiam, in varios ordines & inæqualia dignitatis miniſteria diſtributam, intelligit, & ita eloquenter hâc ſuper re ſcribit: *Congregentur aquæ in locum vnum. Ex illo,* inquit, *currunt aquæ, fontes labuntur in flumina, in freta concurrunt flumina, lacus deriuantur in maria* (attentiùs excipe, quæ ſubdit verba) *ipſa ſe aqua præcedit, vrget, & ſequitur. Vnus eſt ductus, vnum eſt corpus. Et cùm ſit altitudo diuerſa, indiſcreta tamen dorſi eius æqualitas.* Vide mihi in his verbis bonæ congregationis ſeu communitatis ideam: & ad præſens thema expende penè ſingula verba, plena eruditionis, plena ingenij. Præſertim illud: *Ipſa ſe aqua præcedit, vrget, & ſequitur: Vnus eſt ductus, vnum eſt corpus. Et cùm ſit altitudo diuerſa, indiſcreta tamen dorſi eius æqualitas.* Potuitne viuaciori commento illuſtrari antelaudatus Eccleſiaſtici locus. *Rectorem te poſuerunt? noli extolli. Sed eſto in illis quaſi vnus ex ipſis?* ô bonum boni Superioris emblema, imo hodie ænigma!

Hic v. 9. & 10 *Boni ſuperioris idea, in aquis expreſſa.* Ambr. l. 3. exaem. c. 2.

4. Sed iuuat eiuſdem loci aliud eiuſdem Ambroſij commentum ſubnectere, in Dauide expreſſum: *Quid, inquit, ſanctus Dauid, electus ex omnibus ad plebem regendam? quàm mitis & blandus, humilis ſpiritu, ſedulus corde, facilis affatu? Ante regnum ſe pro omnibus offerebat, rex cum omnibus æquabat ſuam militiam, & participabat laborem, fortis in prælio, manſuetus in imperio, patiens in conuitio, ferre magis promptus, quàm referre iniurias.... Ita ſibi gratis officiis plebem obligauerat. Primum vt in diſcordiis populi exulare in Hebron mallet, quàm in Hieruſalem regnare.* (ne te prætereant ſubiecta verba Gubernatoribus perneceſſaria.) *Deinde vt etiam in hoſte poſitam virtutem diligeret: iuſtitiam etiam his qui arma contra ſe tulerant, æquè ac ſuis praſtandam putaret. Denique fortiſſimum aduerſæ partis propugnatorem Abner ducem, & inferentem prælia, miratus eſt, & orantem pacis gratiam, non aſpernatus honorauit conuiuio.... Non reſpondebat conuitiis, cùm ſibi derogaretur, orabat. Meritò ſic* expetitus

Ambr. l. 2. offic. c. 7. *Sit Dauid Gubernatoris norma.*

Virtus, quia in inimico eſt, depretiāda non eſt.

expetitus eſt ab vniuerſo populo, vt venirent ad eum omnes tribus Iſraël, dicentes: Ecce nos oſſa tua, & caro tua ſumus. Annon Dauid præproperè impleuit illud Siracidis: *Magnum te conſtituerunt? ne extollaris: ſed eſto tibi quaſi vnus ex illis?*

---

§ LXI.

Cæleſtes Solis radij humanis oculis inuident lachrymas & ſidereo furto eas rapiunt?

1. QVID tu exiſtimas ea tantùm optabilia eſſe, quæ per hilarem voluptatem, & deliciarũ otium veniunt; quæ excipiuntur amicorum gratulatione, & feſto plauſu foribus ornatis? ſunt quædam triſtes voluptates, & benè dulces gemitus, & lachrymæ cælum fragrantes. Miſereris triſtem illachrymantium vicem? Indue magni viri animũ, ab opinionibus vulgi ſecede paulisper, & cape quantam debes virtutis pulcherrimæ & magnificentiſſimæ ſpeciem: quæ nobis non ſertis, ſed ærumnis; non pœnitendâ hilaritate & riſu, ſed mœſtitudine & fletu apparet. Lachrymæ terram tangunt, & cælos irrorant, genæ fletu ſqualent, ſed gemmant oculi lachrymis: lachrymæ piam hominum miſerationem cient, ſed cælitum velut inuidiam piè excitant.

2. Hîc verſ. 9. & 10. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in locum vnum; & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationéſque aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus quòd eſſet bonum* (Aquarum ſeu Maris nomine lachrymas myſticè ſignificari, adeò vulgare eſt, vt probare pigeat & pudeat.) Ad hæc ergo Geneſeos verba ſic fatur floridè diſſertus Ambroſius: *Bonum mare tanquam hoſpitium fluuiorum, fons imbrium, deriuatio alluuionum, inuectio commeatuum, quo ſibi diſtantes populi copulantur, quo prœliorum remouentur pericula, quo barbaricus furor clauditur, ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, ſalubritas valetudinis, ſeparatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, ſubſidium vectigalium, ſterilitatis alimentum.* Dies me deficerent, ſi verba ſingula ſigillatim, vt par eſt, emedullare contenderem: paucula quæ ſubijcit Ambroſius ad rem præſentem expendam. *Ex Mari*, inquit, *pluuia in terras transfunditur. Siquidem de Mari aqua radiis Solis hauritur, & quod ſubtile eius eſt, rapitur.* Quid accommodatius ad lachrymas, quas cæleſtis gratiæ radius elicit? Nimirum cæleſti Solis iubare, velut pleno cantharo haurit ur Maris aqua. Solis radios puta ſidereos lixas, qui ad Mare eunt aquatum, vt nitidum liquorem, quem (ex oculis inquam, lachrymarum vdore madidis) ſugunt, è cælo in terras ſpargant. Scilicet ſolares radij, purioris & ſplendidioris aquæ dicuntur furaces, & chryſtallini furti nitentes baiuli. Sidereo furtæ Maria ſuperbiunt; & chryſtallinas vndarum gazas vltrò ſidereis latronibus permittunt, vt innoteſcat, cælum ipſum inſidiari Maris theſauro; quò locupletius terras diuitet: *ſiquidem de Mari aqua radiis Solis hauritur, & quod ſubtile eius eſt, rapitur.* An non ſponſæ illachrymantes *Oculi, ſicut piſcina in Heſebon, quæ ſunt in portâ filiæ multitudinis*? an potiùs vt Ioſuë excurſus, *dum tranſit aquas, quæ vocantur Fons ſolis*? Profectò ſi *de Mari aqua radiis Solis hauritur, & quod ſubtile eius eſt, rapitur*; conſultiſſimè apud Iobum dicitur: *Et nubes ſpargunt lumen ſuum*, quaſi oculi, velut nubes, non tam aquæ guttas, quàm ſidereos ſpargant radios.

Hîc v. 9. & 6.
Maris pulchrum elogium.
S. Ambr. l. 1. Hexaem. c. 5.
Cæleſtes Solis radij furari dicuntur oculorum vndas arcano cæli furto.
Cant. 7. 4.
Ioſuë 15. 7.
Iob 37. 11.

3. Ioſue 15. Axa magni Calebi filia, in præmium ſtrenui facinoris Othonieli in coniugium datur: quæ ſuaſa eſt à viro ſuo vt peteret à patre ſuo agrum, ſuſpirauitque vt ſedebat in aſino. Cui Caleb: Quid habes, inquit? At illa reſpondit: Da mihi benedictionem. Terram auſtralem & arentem dediſti mihi, iunge & irriguam. *Dedit itaque ei Caleb irriguum ſuperius & inferius.* Super quibus verbis ita myſticè philoſophatur Gregorius. *Dat itaque ei pater irriguum ſuperius, cùm ſe in lachrymis cæleſtis regni deſiderio affligit. Irriguum verò inferius accipit, cùm inferni ſupplicia flendo pertimeſcit. Prius autem inferius, & pòſt irriguum ſuperius datur. Sed quia compunctio amore dignitatis præeminet, neceſſe fuit, vt priùs irriguum ſuperius, & pòſt inferius poneretur.* Pulchrè quidem Gregorius. Verùm cum ex ipſo edocemur, per illa *irriguum* ſignificari etiam lachrymas, nõ inidoneè per irriguũ inferius, pluuiam quâ cælum hæc inferiora, id eſt, terras rigat interpretari licet: irriguum verò ſuperius, lachrymarum imbrem, quo terra cælos rigat; iuxta illud Chryſologi, ſic fantis de Mariâ Magdalenâ, Chriſti pedes lachrymis vbertim rigante. *Lachrymis rigabat pedes eius. En*, inquit, *mutatur ordo rerum, pluuiam terra cælum dat ſemper: ecce nunc rigat terra cælum: imò ſuper cælos, & vſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilit lachrymarũ: vt iuxta Pſalmiſtam & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. O quanta vis in lachrymis peccatorum! rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam.* O quam aptè lachrymarum imber, qui è terrâ cælum rigat, irriguum ſuperius nominatur! E cælo defluens in terras pluuia, irriguum inferius facit: at lachrymarum imber, è terrâ in cælos proſiliens cælum facit irriguum ſuperius.

Ioſuë 15. 19.
Greg. 3. Dial. c. 34. & l. 9. epiſt. 187.
Irriguum ſuperius dicitur cælum lachrymis rigatum.
Lucæ 7. 38.
Chryſ. ſer. 93.
Pſal. 148. 4.

4. Matthæi 16. Chriſtus Deus *accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Verùm quandoquidem vini calix modicâ ſaltem aquâ permixtus erat, argutè ſic addubitat Ambroſius: *Si autem*, inquit, *Melchiſedech panem & vinum obtulit, quid ſibi vult aqua mixtio? Accipe rationem: Tetigit Moyſes petram & petra vndam maximam fudit, petra autem erat Chriſtus; & vnus de militibus lanceâ tetigit latus Chriſti, & de latere eius aqua fluxit & ſanguis.* (ſigna quæ ſubdit verba, Ambroſio digna, & ad rem præſentem in paucis idonea.) *Aqua vt mundaret, ſanguis vt redimeret.* Scilicet tametſi euchariſtici

Mat. c. 26. 27. & 28.
S. Ambr. l. 5. de Sacram. cap. 1.
Gen. 14. 18.
De Chriſti latere aqua fluxit vt mundaret, ſanguis vt redimeret.
Ioan. 19. 34.

ſtici conuiuij typus in Melchiſedechi epulo & ſacrificio præceſſit in pane duntaxat & vino, quo figurabatur Chriſti ſanguis & caro; tamen ineffabili conſilio factum eſt, vt calicis vino paucula admiſceretur aqua, & de Chriſti latere lancinato aqua exiret & ſanguis; *Aqua vt mundaret, ſanguis vt redimeret.* Profectò Chriſti ſanguine redimimur, lachrymarum aquâ mundamur. Redemptionis typo, qui in Melchiſedecho præceſſit, ſuperadditur lachrymarum, in aquâ expreſſum, mundationis ſacramentum: ſiquidem Dei corporati effuſo in cruce ſanguine, redemptio conſtat; ac peccatoris exercita mundatio, euntibus per genas lachrymarum guttulis, peragitur. An oculorum expreſſa aquula, quæ deſunt Chriſti paſſionibus, adimplet? An effuſa ex oculis aqua, effuſi ſanguinis opus conſummat? Heu tot reprobos, Chriſti ſanguine vbertim redemptos, & tamen æternùm damnatos, quia mundationis ſacramento, quod oculorum vndâ peragitur, ablui recuſarunt! Hinc vel maximè lachrymas æſtimare debemus, quod eucharisticâ & laterali aquâ myſticè adumbrantur: quin & *de Chriſti latere aqua fluxit & ſanguis: aqua vt mundaret, ſanguis vt redimeret.*

---

§. LXII.

Largior erga offenſorem beneficentia, acceptæ iniuriæ ſtipendium eſt.

1. Paulin. epiſtol. 13.

TANTO *magis chariſſimum Dei metuas offendere, quantò promptiùs dignatur ignoſcere: quia maiori impietate læditur, qui neſcit offendi: & grauiùs vindicatur à Domino, qui non expetit vindicari*, venuſtè dixit S. Paulinus. Sed quid eſt, quòd qui offenſis promptiùs dignatur ignoſcere, *neſcit offendi*; & ideò maiori impietate læditur? Imò quia offenſus eſt, poteſt ignoſcere: offenſæ enim ignoſcimus, non beneficio. Niſi forte chariſſimus Dei offenſam quaſi beneficium reputat: & inde *neſcit offendi*, qui offenſam, quaſi opulentum & glorioſum munus accipit; pro quâ ſe putat, non tam extimulatum ad vindictam, quam obæratum ad rependendam gratitudinem pro offenſæ merito.

Pietas Chriſtiana iniuriis neſcit offendi.

2. Geneſ. 45. Ioſephi fratrès barbaricâ inuidiâ impuras manus fraterno & innoxio ſanguine cruentare moliuntur. Mitiùs cum illo actum eſt, & agreſtibus Iſmaelitis venditur infidâ proditione. Tandem è ſeruitute, & carcere ad Ægypti præfecturam ſublimatus, fratres ruſticanos agnoſcit, & diu ſui agnitionem cunctatus, ſe palam cognoſcendum amicis verbis obtulit. *Oſculatúſque eſt Ioſeph omnes fratres ſuos, & plorauit ſuper ſingulos.* S. Auguſtinus manſuetudinem & beneuolentiam Ioſephi demiratus, hàc ſuper re ita fatur: *Odium fratrum charitatis lachrymis abluebat.... Non cogitauit addictam pretio germanitatem; ſed pro malis bona reſtituens, iam tunc necdum data Apoſtolica præcepta complebat.* Amantiſſima in offenſores beneuolentia, charitatis lachrymis effuſa, fraternam inuidiam & maleuolentiam abluit, & ſuis oculis vndam Ioſephus euaporat, quâ alieni odij maculas abſtergat. Sed diligentiùs expende mihi ad rem præſentem, illud quod ſubtiliter aſſerit Auguſtinus: *Malis bona reſtituens*: ac ſi pro tot acceptis *malis* velut ex præproperè Chriſtianâ iuſtitiâ, teneretur ſic *bona* reddere; vt debitum, quod ex acceptâ iniuriâ contraxit, debitâ benignitate *reſtituat*. Reſtituere tenetur *bonum*, quia *malum* recepit? Qui *neſcit offendi*, ſic offensâ obligatur, vt *pro malis bona reſtituat*? O licitum pietatis fœnus! ô nimis opulentas Chriſtianæ benignitatis vſuras! Sed aduertat impiorum temeritas, quòd *grauiùs vindicatur à Domino, qui non expetit vindicari, ſed neſcit offendi.*

Gen. 45. 15.
Aug. ſer. 83. de Temp.

Pro malis bona reſtituere debemus.

3. Itaque Ioſephus & ſe præbuit fratribus offenſoribus humanum, & opulentiùs eos muneranit ad reditum. *Quibus dedit Ioſeph plauſtra, & cibaria in itinere. Singulis quoque proferri iuſſit binas ſtolas: Beniamin verò dedit trecentos argenteos*, &c. Quare Ioſephus annonam & veſtes tam prouidè & ſplendidè dat fratribus? & quare vni Beniamino duntaxat pecunias dedit? In promptu adeſt expedita reſponſio, niſi rem aliò diuertiſſet Rupertus, ad rem præſentem acutè opportunus: *Ioſeph, inquit, inimicis ſuis, qui inter comedendum vendiderant eum (dictum eſt enim ſuprà: Quia ſedentes vt comederent panem, viderunt viatores Iſmaëlitas venientes de Galaad, & dixerunt: Melius eſt vt venundetur Iſmaelitis) inimicis inquam, ſuis. Qui manducando eſurientem vendiderant, cibum dedit & potum; etenim cum eo inebriati ſunt: & eis à quibus tunicâ talari & polymita nudatus eſt, ecce binas ſingulis dedit ſtolas.* Argutè quidem & eleganter Rupertus. Cibaria pro fame, ſtolas pro ſtolæ polymitæ nudatione pendit ſuis fratribus Ioſephus. Vni autem Beniamino argenteos dedit: quia reliqui proditores fratres iam olim viginti illos fraternæ venditionis argenteos præſumpſerant. Vides pro iniuriarum merito, ſingulis beneficiis, offenſæ congruis, munificè auctos. Scilicet Ioſephus Euangelicæ doctrinæ præcucurrit in typo, *pro malis bona reſtituens*, vt nuper de ipſo dixit Auguſtinus.

Gen. 45. 21. & 22.

Ioſephus dona, quæ reſpondeant offenſis largitur proditoribus fratribus.

Rupert ibi.
Gen. 37. 25.

4. Iſaias toto cap. 53. indubiè de Chriſti Dei morte, & humani generis redemptione copioſè agit, & tandem concludit: *Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & pro tranſgreſſoribus rogauit.* Moroſus ero, ſi totum locum prophetico nubilo obſcurum, paucis clarare contendero; dabo tantùm exſcriptionem & expoſitionem Tertulliani, nihilo clariorem, & quidem ad præſens thema præclaram: *Propterea ipſe, inquit, multos hæreditati habebit, & multorum diuidet ſpolia, pro eo quod tradita eſt anima eius in mortem.* (Nota attentiùs verba quæ ſubdit:) *Oſtenſa eſt enim cauſa gratiæ huius, pro iniuriâ ſcilicet mortis repenſandâ.* Commentatio planè luculenta, & ingenio Tertulliani digniſſima. Quaſi dicat, quia Chriſtus Deus pro peccatorum redemptione animam ſuam tradidit, & crudelem mortem à ſæuiſſimis tortoribus inflictam patibulatus oppetiit; ideò præclariſſimæ victoriæ gazâ opulentus, multos hæreditate diuitabit, & ditiſſima ſpolia diuidet.

Iſaiæ 53. 12.

Cauſa gratiæ donandæ eſt, recompenſare mortis iniuriam?

Tertull. l. 3. contra Marc. cap. 19.

Et

Et quidem oſtenſa eſt cauſa tantæ gratiæ huius, quâ tot gratiæ ſpolia diuidet, *Pro iniuriâ ſcilicet mortis repenſandâ.* O rem mitiſſimam! atrocem ſæuæ mortis iniuriam, prædiuite gratiâ repenſat Chriſtus? Menſura Dominicæ gratiæ, erit tormentorum & iniuriarum immanitas? Sic obligatur Chriſtus cruciamentorum offenſâ, vt quod vindictam expetebat, ſit largior gratiæ menſura. *Et pro tranſgreſſoribus rogauit: oſtenſa eſt enim cauſa gratiæ huius, pro iniuriâ ſcilicet mortis repenſandâ.* Nempè, vt aiebat nuper Auguſtinus, *Pro malis bona reſtituens*, quaſi deberet homo cæleſtis, Chriſtus Deus, pro ſæuiſſimis iniuriis vberiorem gratiam rependiſſe. *Vicem iniuriæ reddere*, ait Paulinus, *humana vltio eſt; at inimicum etiam diligere (& pro malis bona reſtituere) ſanctitas cæleſtis eſt. Ita ſi malos vincas, victor victus es.* Vide, ſi placet, ad hanc rem, expenſionem pſalmi 40. ad illa verba *Reſuſcita me, & retribuam eis*, (quam tradidimus ad Iudith cap. 1. n. 173. ex Didymo) *retributionem* inquam *) quæ illis ornamento, & vtilitati futura ſit.* vbi reſurrectionem ſuam Chriſtus à Patre Deo poſtulat, vt pro ſuæ Paſſionis tormentis, retribuat immaniſſimis tortoribus, *retributionem, quæ illis ornamento & vtilitati futura ſit.* De quo ibi, vberiùs.

5. (margin, beside "largior gratiæ menſura")

S. Paullin. epiſt. 2.

Pſalm 40. 11.

Hic v. 10. & 11. Vide hîc Terram, à terendo ſic dictam, humilem, proculcatam, & proſciſſam, vberes inde fructus germinantem. Sit vile elementum nobilioris virtutis exemplar.

---

§ · LXIII.

Qui de ſuo, etſi modicè ornatur, adſcititios cæli fulgores æmulari poteſt, de ornamenti præſtantiâ

1. MAGNI æſtimandum tibi non eſt, quod cùm alienum ſit, fortuna fecit tuum. Maiorum nobilitas per generationum tradúcem ad te profluit, in te peregrinatur gloria, quam rebus præclare geſtis ſibi ipſis illi pepererunt. Natiuus progenitoribus honos, in quibus poſteris eſt. Idem puta de ſuperbis mole palatiis, de ſumptuoſo reditibus cenſu, de amplâ cui domi naris prouinciâ, & de reliquis honorum & opum titulis, quos iners deſidia inuenit, nec propria virtus fecit ſuos. *Hoc ſit negotium tuum, hoc otium: hic labor, hæc quies: in his vigila, in his etiam ſomnus reponatur: Effinge aliquid, & excude, quod ſit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum poſt te alium atque alium dominum ſortientur: hoc nunquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel cœperit.* Reliqua velut adiacentia ſiue aſſuta Sapiens contemnit; hæc quaſi ſibi cognata, & verè ſua, magnificè æſtimat: qui mallet modica, ſi tamen ſua; quàm perampla, ſi forent aliena. Arrogantius incedit tolutim equus ſumptuoſiùs phaleratus, bellinus tamen faſtus hic eſt. Homo de ſuo gaudeat, aliena laus falſatam mentitur gloriam, dum titulos reuerberat alienos.

Suum cuiuſque eſt, quod quiſque ipſum illum facit.

Plinius lib. 1. epiſt.

2. Hîc verſ. 11. in hâc tertia mundi die, Terra nuper aquis merſa, de limoſo ſui naufragio, Dei verbo Arida emerſit. Cófeſtim dixit Deus. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum*, &c. Nunc terra ornatur arboribus, plantis, floribus, fructibus, & frondeo ac herbaceo virore venuſtè decoratur, & vernat. Sequenti verò die cælum expolitur, & aſtrorum ſidereis faculis, & ſplendorum floribus venuſtatur. *Cur Deus*, (ait Ambroſius) *ſicut dixit, & facta ſunt: non ſimul ornatus congruos rebus aſſurgentibus donauit; quaſi non potuerit cælum inſignitum ſtellis ſubito vt creatum eſt fulgere, & floribus ac fructibus terra veſtiri?* Et cur etiam (quærit Oleaſter) cælum ambitioſiùs ornatum eſt, immortalium aſtrorum ſidereis fulgoribus, & opulentis ſiderum influentiis; Terra autẽ vt plurimum humili gramine, & vaſte glabra, arboribus infrugiferis, & noxiis etiam herbis veſtitur? Annon ſat erat cælo ſublimior natura, quin immenſo ornatus diſcrimine dotaretur? Verùm enimuerò exiſtimo: eſt terræ ornatus, ſed ſuus. Audi Dei voces: Fiant luminaria in firmamento cæli. Feceitque Deus duo luminaria magna, &c. *Et ſtellas: & poſuit eas in firmamento cæli.* Scilicet cæli ornatus ambitioſo fulgorum ſplendore nitens, extrinſecùs aduenit, *poſitus* dicitur, non innatus, non ſuus: alienâ pulchritudine cælum irradiat. At Terra ornatum ſuum, non aliundè aduentitium accipit; ſed illum de ſe *germinat* & producit. Quod ſubtiliter aduertit Oleaſter, aiens: *Licèt enim aſtra cæli perfectiones eſſe dignoſcantur, quia tamen nobiliora valdè ſunt, non permiſit à firmamento produci, quemadmodum herbas & arbores à terra.* Nempè cælum ambitioſiùs ornatur, quàm terra; ſed terra *germinat* ſuam perfectionem, & de ſuo adornatur; cœlum verò à ſe alienam accipit ſiderum perfectionem, deforis aſſutam, & de alieno ſplendet. Nec mirùs glorioſè terra nitet herbaceo ornatu, quia de ſuo ornatur, (*germinet terra herbam virentem*,) quàm cælum totâ ſiderum ambitione, quia de alieno ſplendet. (*Fecitque Deus duo luminaria magna... & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli.*) Profectò non eſt minor gloria, parùm ornari de ſuo, quàm ſumptuoſiùs de alieno fulgere. *Aunque es tan inferior el adorno de la tierra; por ſer ſuyo proprio, compite con el del cielo, por ſer ageno.*

Hic v. 11. *Ornatior eſt terra herbis ſui, quàm cælum fulgoribus alienis.*

S. Ambroſ. 1. hexaëm. cap. 7.

Hic v. 17.

Oleaſter ibi.

Ioannis 11. Mortuo iam Lazaro, in Bethaniam properat Chriſtus; obuiam illi occurrunt Martha & Maria, plenæ lachrymis, plenæ luctu. Illachrymat etiam Ieſus. *Et venit ad monumentum: erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Ieſus: Tollite lapidem.... Tulerunt ergo lapidem: & voce magnâ clamauit: Lazare veni foràs. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis. Dixit eis Ieſus: Soluite eum, & ſinite abire.* Multi ergò ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Marthã, confeſtim crediderunt. Adeò vt exindè palam acclamaretur Meſſias; & verè dicere potuerunt Pharisæi in Concilio: *Totus mundus poſt eum vadit.* An non paſſim innumera Ieſus edebat miracula? Cæcos illuminauit, claudis pedes, ſurdis aures, paralyticis membra perſæpè dederat, quin & mortuis vitam reſtituerat. Vnde tanta Lazari reſuſcitati fama? Cur 3.

Ioan. 11. v. 41.

Quare Chriſtus non tollit ipſe lapidem, & vinculis ſoluit Lazarum?

poſt

poſt hoc miraculum de ſui Meſſiæ aduentu ſibi Iudæi gratulantur? Profectò notare oportet cum Ambroſio: an Iudæi aliquid ad hoc miraculum contulerint, vt quaſi de re quodammodo ſuâ glorientur. Sic fatur Ambro-
S.Ambr.l.1. Hexaëm.c.7. ſius: *Suſcitaturus Lazarum Dominus, iuſſit vt Iudæi remouerent lapidem de ſepulchro. Deinde vocauit Lazarum, & reſurrexit, & ligatus manibus & pedibus exiit foras. Nónne poterat remouere lapidem, qui poterat mortuum ſuſcitare? Et qui potuit defuncto vitam reddere, non potuit nexus ſoluere vinculorum? Cui vinctis pedibus greſſum dedit, huic non potuit ruptis vin-*
4. *culis inceſſum reddere?* Potuit quidem, quis tam bardus qui neget? quis tam truncus, qui non videat? Non egebat iuuamine ad miraculum, qui Deus erat: ſed conſultiſſimè, quaſi foret adiumenti indigus, Iudæos voluit ad miraculi circunſtantias quadantenus adiuuare, vt quodammodo ſuum eſſe miraculum reputarent, & ſic de illo, quaſi de re velut ſuâ ſumptuoſius gloriarentur. Meſſiæ nuper miracula pro dignitate non æſtimant, nec ſe illis valdè decorari cenſent: at vbi quodammodo ſua putant, quia vel tantillùm cooperati ſunt, remouendo lapidem, & diſſoluendo cadaueris vincula; quodammodo ipſi cum Meſſiâ, Meſſiæ patraſſe miracula gloriantur. Tunc, tunc quidem, *Hoſanna filio Dauid*, popularitet inclamatur; tunc *Totus mundus poſt eum vadit*; tunc de aduentu Meſſiæ ſibi gratulantur; tunc ſoluiſſe ſe putant Herodis ac Romanorum iugum; tunc ſe toto orbe claros exiſtimant; tunc ſe cenſent dignos, qui expectatiſſimum Saluatorem ſuum vidiſſe mereantur. Sic humano cenſu, quę ſua cuiuſque ſunt, magni ducuntur; quæ prorsùs aliena, vilia æſtimantur. *Eſtan tan vfanos de hauer tenido alguna (aunque tan poca) parte en el milagro, que yà ſe tienen por tan fauorecidos de Dios, que merecieron tocar con ſus manos los milagros del Meſſias, y verle con ſus ojos.* O, tantus eſt rei propriæ cenſus?

---

§. LXIV.

De honorariis benemeriti ſtipendiis, homo inferioris meriti honeſtandus eſt; ne ille arroganter turgeat, hic tabeſcat ſqualidè.

1. Seneca ex Publ. Mim. NVLLA *eſt tam bona fortuna, de quâ nihil queri poſſis.* Leuis fingitur; & inde citò repoſcit, quod tardè dedit: & quia vitrea eſt, cùm ſplendet, frangitur. Nemini diu arridet, & quorundam faſtidio ad alios tranſit. Et vt nullum perdiu ſinit eſſe felicem, ita & in quondam infelices ſua quoque munera ſpargit. Nemo eſt tam ærumnosè miſer, cui non aliquando blandiatur, quò de gloriâ & opulentiâ fortunati, temperet miſeri infortunium; felicibus ſæpè detrahit, quod erogat infelicibus; ne omnia in vnum duntaxat diu conferat, néve miſer, miſeriæ ſuæ priuilegio extra fortunæ ius ſit.

Hic verſ. 11. vaſtum terræ dorſum aquarum mole exoneratum, inolito cœno exemptum, 2. Hic v.11.
congruóque humore temperatum; herbas, plantas, & arbores ſubito exortu germinat. *Germinet, ait, terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, &c. Et factum eſt ita.* (Locus præcedenti §. expenſus, ſed nunc aliter expendendus.) *Et protulit terra herbam virentem, lignúmque faciens fructum, &c.* Hinc acutè ſciſcitatur Ambroſius, quare ante cælum terra ornatur. Porro in tertia mundi die terra veſtitur herbaceo virore, nitore florido, & vberi fructuum maturitate. Sequenti autem die cælum inſignitur ſiderum floribus, & immortali fulgorum varietate. Eſto, opificem deceat, cælum & terram abſq; illo ornatu priùs creaſſe, ne rudes homines pluſ æquo æſtiment, quod ſemper nouiſſent ſummâ venuſtate perfectum. Aſt cur non priùs inſignitur primogenitum cælum aſtrorum ſplendore, quàm frondeo floridóque amictu ſuccidanea terra vernaret? Cælum ſublimius naturâ ſuâ eſt, & longè nobilius, quam terra, quod infimiſſimum & abiectiſſimum eſt elementorum omnium, omnium pedibus tritum, & veſtigiis proculcatum. Quin & ante terram productum cælum eſt, & inter ſpectabiles creaturas primogeniti gaudet priuilegio: (*In principio creauit Deus cælum & terram.*) Dedecet ergo auguſtiorem naturam, & quæ primogeniti iure gaudet, inueſtem & inornatam videre inferioris & poſterioris naturæ ornatum; & ſic ſqualidam, expectare ornatum ſuum, terrâ nitente. Sic Ambroſius dubium proponit, & ſoluit: *Antequam Solis fiat luminare, herba naſcatur: antiquior eius ſit prærogatiua, quam Solis. Ne error hominum conualeſcat, germinet priùs terra, quàm fotus Solis accipiat. Sciant omnes Solem auctorem non eſſe naſcentium.* Comptè quidem Ambroſius. Sed liceat tanti Doctoris dubio aliter ad rem præſentem ſatisfacere. Nempe cælum naturâ ſuâ oppido ſublimius quam terra eſt, primogenitum decorem ſibi vendicat: & ſumptuoſiùs quam terra, vt cælum decet, exornandum erat. Omnéſne prærogatiuæ in vnum cælum conferendæ ſunt? Vni cælo euigilat Dei prouidentia, & omnipotentia eualet? Nulla ſpecialis prærogatiua humili & tenui terreæ naturæ ſupereſt? Nil de quo glorietur terræ erogabitur? Inferior cælo prodit, poſt cælum naſcitur, infra cælos ornatur: ſaltem ante cælos ornetur: vt quæ in reliquis inferior eſt, habeat prærogatiuam aliquam, ob quam animoſiùs adſurgat, quò expromptiùs operi ſuo incumbat. *Bien que lo merece; pero no es bien que el cielo ſe alçe con todas las prerogatiuas. Haganle algun fauor à la tierra con que alienen ſu humildad.* Nil non ſublime in ſe videat cælum: planè ſuperbiet. Nil non humile patietur terra? planè ſemper ſqualida præ abiectione tabeſcet. De mendicitatibus cæli, glorioſiùs terra decoretur. Nec cælum deuenuſtabitur aliquali prærogatiuâ carens: nec terra ſordeſcet, dum tantillo ſupra cælum elogio glorioſè nitet. Sic, ſic res mundiales diuinior Prouidentia librat! ô Matth.4.9.
moraliſſimam eruditionem! Omnia in vnum conferre, Diaboli munificentia eſt: *Hæc omnia*, inquit, *tibi dabo.* Omnibus donis vnum cumulat, vt reliquos dimittat muneribus vacuos.

Marginalia (right column): Quare ante cælum terra exornatur. — S.Ambr. l.1. Hexaëm.c.6. — 3.

cuos. *Darlo todo, y à vno, es liberalidad del Diablo.*

4. Matth. 1. & 2. Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu-Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob, &c.* Valde hìc laborat interpretum erudita ſolertia, quare Dauid iunior Abrahamo ſeniori in honoratiâ Chriſti Dei genealogiâ præponatur? Grandi quidem elogio, defraudatur Patriarcha Abrahamus, dum in tam auguſto progenitorum cenſu primas ipſe non tulit, ſed vnus Dauid, eiuſdem Abrahami præclara ſoboles. Mitto hæc, quæ alicrsùm expendimus. Et ſanè Dauidis prælationem conſultiſſimè ab Euangeliſtâ factum, nemo eſt tam benè Hæreticus, aut malè Catholicus, qui ambigere audeat. Itaque id nutu Dei factum fuit, aut Sceptri priuilegio, aut idte ſanctitatis, aut vtriuſque prærogatiuæ titulo, quem nunc examinare ſuperuacaneum foret. Verùm etſi rex Dauid hac prærogatiua glorioſè decoretur; non tamen diuinæ Prouidentiæ aliud deſuit elogium, quo illicò vltra Dauidem, Abrahamum ſublimaret. Quod per ciutè ad rem notauit Ambroſius. *Filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac, &c. Vt Dauidi propriètas generationis, principatus Abrahamo deferatur; Illi delatum eſt, vt Ieſus eius filius diceretur, huic quaſi principi familiæ, gentiùmque prærogatiua ſeruatur, vt ab Abraham generationis Dominicæ manaret exordium.* Nempe rex Dauid in capite Dominicæ proſapiæ eminet, & primo throno ſoliòque eminentiſſimè (vt patet) ſublimatur. Sed ne omnes in vnum Dauidem prærogatiuæ confluant, non inglorius dimittitur Abraham: ſed confeſtim orditur genealogiæ Dominicæ ſeriem, & Abrahamus, omnium primus recenſetur, quaſi totius genealogiæ radix, & Patriarcharum Primas, è cuius faſtigio deſcendit tota Chriſti progenitorum ſeries. Vix enim Euangeliſta ſcripſerat: *Liber generationis Ieſu-Chriſti filij, Dauid, filij Abraham*, Dauidem primâ recenſitionis gloriâ excelſiùs ſublimans, & Abrahamum quodammodo inglorium omittens; cùm ſtatim primum in Genealogiæ ſerie Abrahamum collocat, & auguſtioris proſapiæ Patriarcham & protoparentem conſtituit: *Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob, &c.* Eſto, Dauidem præcelsè decorauit; ſed quaſi de Abrahami decore ſollicitus, confeſtim nobili patriarchatu eundem inſignit, Dominicæ genealogiæ ſeriem, non à Dauide exorſus, ſed ab Abrahamo auſpicatus. Præcedat Dauid rex; ſed ſuus ſeruetur honos Abrahamo, ne prærogatiuæ omnes in vnum duntaxat exundent. Præcedat, qui Dei nutu præcedere dignus eſt; ſed qui huius prærogatiuæ exors abiicitur, non prorsùs abiiciatur, ſed quàm primum congruo ſibi honore decoretur. O conſultiſſimam Dei prouidentiam, & conſultioris politiæ ideam! *Acuerdenſe del que mereçe mas, pero no ſe oluiden del que mereçe menos.*

Præmineat Dauid, ſed ſuus honor Abrahamo ſeruetur.

S. Ambr. l. 3. in Lucam.

Colada de *Benedict. Patriarch.*

§. LXV.

Qui perfectionem ſumptuoſiùs exambit, non tantum ſuo, ſed omni etiam tempore fructificat.

1. *Homo eleganter arbori comparatur.* HOMO inuerſa arbor eſt, radices altè figens in cælis, patulos in terras ramos latè ſpargens. Hugo Victor. eleganter partes omnes arboris fructiferæ applicat ad hominem iuſtum *Radicem* ait eſſe fidem: *ſtipitem*, ſpem: *ramos*, charitatem: *medullā*, intentionem bonam: *corticem*, conuerſationis ſpeciem: *folia*, iuſtam actionem: *flores*, bonam famam: (ò quàm multa paucis!) *fructum*, intùs per conſcientiam; foris, per doctrinam; ſuprà, per gloriam. Sic explicat illud, quod de homine iuſto pangit Pſalmographus: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum,* (addit, *quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Et obſeruat Bernardus, quod homo iuſtus *Fructum ſuum* fert: non ſicut nonnulli, qui *edunt fructum non ſuum*, ſed alienum. Cuiuſmodi ſunt in te virtutis, hypocritæ; & in re litteraria, clancularij cortaſores furaciſſimi, qui aſſutam aliorum ſapientiam inaniſſimè tanquam ſuam venditant. Illud autem *in tempore ſuo*, Aretas exponit de tempeſtiuâ virtute. Nimirùm, arbores in Vere frondibus vernant, floribus gemmant; in Æſtate Solis ardoribus cruda adhuc poma erudiunt ad ſaporem; in Autumno fructificant, in Hyeme ſqualidè areſcunt, donec repente vere vita arboris incaleſcat ad gratiam.

Pſalm. 1. 3. Hugo Vict. ibi. S. Bern. ſerm. de S. Bened.

Aretas in Cant.

2. *Aliqu. auctores apud Lorin. ibi.* Vnde aliqui verbis Hebraicis adhærentes, per *lignum* interpretantur ramum ſemiaridum atque præciſum, quod ſecus decurſus aquarum plantatum, rurſùs vireſcere, florere, & ferre fructum poteſt. Porro arbor myſtica, quæ in irriguo ſolo plantatur, non tantùm ſuo tempore fructificare debet, ſed in omni tempore tempeſtiua virtute ſemper fructificat, iuxta Paulum, *In omni opere bono fructificantes.* Et Ioannes Apocal. 22. *Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ.... in medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum.* Felicior hæc feracitas quàm hortorum Alcinoï, de quibus ſic canit Homerus:

Parùm eſt tempore ſuo ferre fructū. ad Coloſſ. 1. 10. Apoc. 22. 1. & 2.

Τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται, οὐδ' ἐπιλείπει
Χείματος, οὐδὲ θέρευς ἐπετήσιος· ἀλλὰ μάλ' αἰεὶ
Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει.
Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Homerus Odyſſ. 7.

Ex his fructus nunquam perit, neque deficit
Hyeme, neque æſtate, toto anno durans; ſed
planè ſemper
Zephyrus ſpirans hæc quidem creſcere facit,
alia autem matureſcere.
Pyrus poſt pyrum ſeneſcit, malúmque poſt
malum,
Porrò poſt vuam vua, ficus autem poſt ficum.

Adſimilem fertilitatem virtus habet, nec minorem expetit Chriſtus in Euangelij frutecto: non enim tantùm ſuo, id eſt, opportuno tempore fructificat virtus: nam *Virtus caret tempore*, vt aliàs ex Philone notabamus.

Philo lib. de Sacrif. Abel.

3. Marci 11. Et aliâ die cùm exirent à Bethaniâ, eſuriit Ieſus. *Cùmque vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inueniret in eâ. Et cùm veniſſet ad eam, nihil inuenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et reſpondens dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te fructum quiſpiam manducet.* Omnem excedit admirabilitatem, quod Chriſtus omnium ſcius, expetierit fructum à ficulneâ, eo potiſſimùm tempore, quo ficus fructum non fert, & eam acerbâ maledictione, & perpetuâ ariditate mulctauerit, eò quòd importuno tempore caruerit fructu. *Quâ enim pœnâ erat digna, ficum fructum non habere ante tempus?* ait ibi Chryſoſtomus. Vnde ferè conuenit inter expoſitores, in hâc ficulneæ maledictione, non tam hiſtoriæ corticem, quàm myſterij medullam explorandam eſſe. *Myſticè*, ait Hugo Carenſis, *ficus eſt clauſtrum*, (id eſt, Religioſorum conuentus) *quia ſicut ficus ſub vno cortice multa grana continet, ſic clauſtrum ſub vno iure viuendi multos homines habet. Sed folia ſine fructu, ſunt verba ſine operibus. Ficus vbi bona eſt, optima eſt: vbi mala, peſſima eſt: ſic de viris Eccleſiaſticis, & maximè Clauſtralibus.* Hieremiæ 24. *Quid tu vides, Ieremia? Et dixit: Ficus bonas, bonas valdè; & malas, malas valdè.* Michææ 7. *Ficus præcoquas deſiderauit anima mea.* Scilicet ficus tota quanta eſt, fertilis eſt, & propè ſemper fructificat. Flores ficulneæ, præcoces ficus ſunt; fructus verò in arbore perennat, & ficus poſt ficus perpetim enaſcuntur. Putauerim de Iuſto ſeculari, ſub metaphorâ fruticis dici, *Dabit fructum ſuum in tempore ſuo*, id eſt, tempeſtiuâ virtute, vt expoſuit Aretas: at Religioſi homines, qui in clauſtris degunt, & perfectionem arctioris vitæ inſtituto vouent, ficulneæ comparantur, quæ perpetuò fructificat: nam eximia virtus *caret tempore*. Vnde, tametſi *non erat tempus ficorum, præcoquas deſiderans ficus*, feſtinat Chriſtus ad hanc ficulneam, *ſi quid fortè inueniret in eâ.* Quia in omni tempore fructificare debet virtus: omne tempus, opportunum fructificandi tempus virtuti eſt: *virtus* enim *caret tempore*. Ergo ſi non vis damnari à Chriſto in iudicio, ficus ſterilis eſſe caueto: quæ etſi ficorum tempus non erat, quia tamen tunc fructum non habebat, æternùm damnatur. Omne tempus opportunum virtuti eſt. Religioſus omni tempore fructificare debet: nam ſublimior quam profitetur, *virtus, caret tempore.* Annon vides hîc verſ. 11. & 12. quàm auidè terra vbertim germinet herbas, arbores, flores, fructus, tempore etiam non ſuo?

Marc. 11. 13. & 14.

Ficus fructificare debet, etſi non ſit tempus ficorum.

Chryſoſt. ibi.

Hugo ibid.

Ierem. 24. 3.

Mich. 7. 1.

Hic v. 11. & 12.

4. Iob 38. Dum rerum omnium opifex Deus, munificas ſuæ omnipotentiæ glorias ſumptuoſiùs oſtentat; ſic ad Iobum loquitur: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi ſi habes intelligentiam.... Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Hunc locum ad alias theſes aliter enucleandum, ad præſens thema expendere iuuat, vel ſaltem expenſionem perſtringere. Eccur potiùs matutinas ſtellas, quàm nocturnas prædicat, ad diuinarum laudum panegyrim recitandam? Annon, cùm aſtra totâ lampade micant in ſerenâ & obſcurâ nocte, & micantiùs ſplendent, & ſplendidiùs ſcintillant, cùm *cœlum luminibus floret*, (vt loquitur Tertullianus) tanti opificis laudes fulgorum linguâ, auguſtiùs & explicatiùs celebrantur? Quare cùm in auroræ exortu ſtellæ albicant, & fulgores remittunt, tunc maximè dilaudantur, quaſi diuinas laudes modulatiùs decantent? An quia aſtra non tantùm noctu *flores lucis huius ſpargunt*, quod illis opportunum lucendi tempus eſt, ſed etiam interdiu luminibus florere exambiunt, ne in vllo tempore non floreant; & lucem, fructum ſuum, non ferant? *Flores mei, fructus honoris.* Scilicet *aſtra matutina*, quo tempore vacare debuiſſent, quaſi importuno luces fructificandi tempore, tunc lucere obnixè conantur, ne vllo tempore luminibus non floreant, & luces non fructificent: tunc, tunc demùm, ſublimiùs diuinas laudes decantare dicuntur. *Vbi eras cùm me laudarent ſimul aſtra matutina?* Id eſt, cæli aſtra, quæ & opportuno fulgendi tempore, noctu lucent; nec in diei diluculo à lucendo deſiſtunt; ne vllo tempore, lucis huius flores, qui diuini honoris fructus ſunt, non ſpargant: *Virtus enim caret tempore.* Hos encomiaſtes expetit Deus, & eorum laudes glorioſiùs oſtentat.

Iob 38. 4. 7.

Aſtra matutina ſumptuoſius laudant Deum, quia etiam diluculo lucere ambiunt.

Tertull. l. 4. cõtra Marc. cap. 24.

Eccli. 24. 23.

§. LXVI.

Deſint ſeditionum fautores; & altâ pace turbulentior Reſpublica æternùm florebit.

1. INCERTVM & imperitum vulgus, vt ex leui occaſione facilè tumultuat; ſic & facilè feruor ſeditionis detumeſcit, & in concordiam venit, diſcordiarum oblitus. At ô malum, ſi ſeditionum aſſurgunt fautores, & factionum capita, perennaturo diuortio ſimultates æternant. Ab his enim ſic diſcordia fouetur, animatur, & adoleſcit, vt irremediabili æmulatione perduret. Non ſperes concordiam, niſi huius hydræ præcideris capita.

2. Hîc verſ. 14. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem.* Solem inquam, & Lunam, quos confeſtim diei ac noctis præſides appellat. Hæret hîc Rupertus, dum hæc verba otioſè dicta, & actum agere videntur: nuper enim Deus *diuiſit lucem à tenebris*: quare ergo denuò creat duo luminaria in firmamento cæli, vt diuidant diem ac noctem, iam diuiſam? & quidem tametſi vox Dei abeſſet, naturâ ſuâ neceſſariò diuidendam? Quis, quæſo, in vnum coire faciat lucem & tenebras, res inquam, naturæ impetu prorſus repugnantes? Sic fatur Rupertus ad illud: *Fiant luminaria.... & diuidant diem ac noctem. Si iam antè*, inquit, *per ſe ipſum diuiſerat Deus lucem & tenebras, quid neceſſe erat, vt luminaria diuiderent diem ac noctem,*

Hic v. 14.

Principes ſeditionum diſſenſiones faciũt æternas.

Rupert. ibi.

ſine lucem & tenebras? Imò quo modo diuiderent, quod iam Deus diuiſerat, & nemo rurſus confuderat? Scilicet percupit Deus lucem à tenebris, diem à nocte prorsùs disiungi, inamicabilique diuortio bonos à reprobis æternùm diuidere; & quaſi parùm fores ad perennem mutuò diſcordiam, & reciproca vtriuſque oppoſitio; & ſemel prolatum Dei verbum, duo creat Luminaria, Solem inquam, & Lunam, vtriuſque Præſides, ſeu Principes, qui *diuidant diem ac noctem.* Hiſpane diceres: *Hiço cabeças de vando, paraque la diſcordia fueſſe eterna.* Sic diſcordia à factionum Principibus fouetur, animatur, & creſcit, vt quò diei ac noctis diſſidium æternet, Principes aut Præſides diei ac noctis deſignentur, qui *diuidant diem ac noctem?* Num vltra vtriuſque naturæ cognatas inimicitias, & exertam Dei iuſſionem, ſeditionum fautores eualent ad diſcordiam? An præcauet Deus, ne lux & tenebræ abſque ſeditionum Principibus, amico fœdere in vnum tandem aliquando coïrent? Pulchra quidem, & moraliſſima hyperbole!

9. Idoneè ad myſticos ſenſus nuper prouidit Deus Principes mutuæ ſeditionis inter lucem & tenebras: cumque reciprocam inter homines concordiam ſolletter procuret, factionum capita apud Matthæum magnificis promiſſionibus ſedulò præſcindit, & præproperè amputat.
Matth. 5.9. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Plus quiddam mihi videtur
Opulēto muneratur præmio ij, qui nō ſunt diſſenſionum auctores. vocari, quam, eſſe, ſignificare; nempe ita aliquid eſſe, vt appareat, vt omnium ore celebretur. Itaque *Beati pacifici*, quia non ſolum filij Dei erunt, ſed etiam ita erunt, vt mundus
Sap. 5.4. ipſe filios Dei confiteri cogatur: *Ecce quo modo computati ſunt inter filios Dei.* Et quidem perapta eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, & Euthymij interpretatio, propterea Pacificos Dei filios appellari, quòd Chriſtum eius filium naturalem imitentur, cuius officium eſt homines Deo reconciliare, quique pacem in terram attulit, quam mundus dare non poterat. Præluſtre ſanè & opulentum Pacificis promittitur præmium. Sed quinam ſunt, qui Pacifici nuncupantur? Hâc ſuper re alia eſt ſententia Chryſoſtomi, alia S. Leonis, Hilarij alia, alia Auguſtini, quas lubens mitto, vt citò dicam cum P. Maldonato: *Pacificos pleri-*
P. Maldonat. ad eū Matth. locum. *que intelligunt, qui diſſenſionum auctores non ſunt.* Porrò ſi nemo diſcordias foueat, ſi diſſenſiones nemo nutriat, ſi nullus ſit factionum Princeps & auctor, citò languet ſeditio, & turbulentior ſedatur tumultus. Alta in Eccleſia florebit pax, in vrbe, in orbe, ſi nulla ſit diſcordiarum fax. Conſultò tam auguſto & munifico præmio munerantur communitatis proceres, qui plebeculam non inquietant ad factiones, qui inquietam, aut ſedant, aut negligunt, pacis ſtudio: illis enim pacis bonum adſcribitur: illis, illis inquam, tota reipublicæ tranquillitas, concordia, & felicitas tota debetur: nam vbi abſunt diſſenſionum auctores, bonum pacis ſubſiſtit, perdurat, perennat. Hi non modò auguſtâ Dei filiatione digni ſunt, quia naturalem Dei filium de pacificatione æmulantur; ſed omnium oculis Dei filij apparent, & omnium ore & plauſu, quaſi generoſa Dei ſoboles celebrantur: *Beati pacifici*, (id eſt, *qui diſſenſionum auctores non ſunt*) *quoniam filij Dei vocabuntur.*

Celada de Benedict. Patriarch.

---

§. LXVII.

Mundialia bona, dum falſato ſemper aſpectu cernuntur in ſe ipſis, conſpicua apparent. Cælum ſuſpice, vt terram deſpicias.

CÆci ducem quærunt, nos ſine duce & luce erramus cæci: & quia magiſterio neceſſitatis, in experientiæ gymnaſio necdum didicimus, quàm ſint inania & 1.
ſordida huius mundi bona, quærimus lucem, *Sordet terra,*
quæ mentes noſtras claret, vt oculis videre *cum cælum*
poſſimus, quam ſordeant mundialia bona, *aſpicitur.*
quæ hic humanis oculis nitere videntur. Vis res mundi quales in ſe ſint penitiùs intueri? oculos ab eis auerte. Certiſſime te fallent blandiendo voluptati, ſi eas in ſe ipſis aſpicias. Suſpice attentius cælum, & terram (vt in ſe eſt) aſpexiſti, quin & (vt par eſt) deſpexiſti. Audi præclaram illam Ignatij protoparentis
noſtri vocem; *Quàm ſordet terra, cum cælum* Præclara
aſpicio. Nempe res mundi in ſe ſpectatæ, S. Ignat. vox.
mentem adulterant voluptatis lenocinio, & fallacâ fide mentitas delicias repromittunt. Suſpice cælum, réſque cæli contemplare, & perſpicaciùs quàm ſordeat terra, & quam ſint inania eius bona, perdidiſti, dum tibi contigit de fallaciâ non iuuari.

Geneſeos 8. Poſt commune illud mundi 2.
naufragium, etſi aderat Noemo diuinioris prouidentiæ ſecuritas, non deerat illi cautela
metuentis. Fugitiuum emiſerat coruum per *Noë ſuſpicit*
arcæ feneſtram, qui exploraret, an adhuc ter- *cælum cernit*
ra ſtagnaret aquis, aut alto ſuperfuſa limo, in- *terra ſqualo-*
tida hominibus exhiberet veſtigia, cœno pro- *rem.*
fundè oblita. Semel, & iterum exploratricem demiſerat columbam. Tandem, ne res tanta
brutæ volucris peragatur indicijs, *Aperiens* Gen. 8.13.
Noë tectum arcæ, aſpexit, viditque, quod exſiccata eſſet ſuperficies terræ. Videre cupit Noëmus, an exſiccata eſſet ſuperficies terræ, & arcæ tectum aperit? Ecur non potiùs feneſtram, aut ianuam terræ vicinam, & peruiam? Per tecti rupturam ſumma cæli aſpiciet, non explorabit ima terræ, quod tunc ſolletter prætendit. O bonam eruditionem! Cupis idoneè explorare, & medulliciùs noſſe res terræ? Auerſis oculis intuendæ ſunt cæcâ perſpicaciâ aliorsùm intenta. Eas in cælo intuere, & eaſdem perfectè nouiſti. *O quam ſordet terra, cum cælum aſpicio.* In nitido cælo, terræ ſqualor meliùs apparet. O cæcas mortalium mentes, quibus terræ ſordes in ſe ipſis ſpectatæ nitent; in nitido cælo viſæ, verè ſqualent agnatis ſordibus turpes, dum mundialem ſqualorem cæli nitor reuerberat. Hîc verſ. 15. cæli Hîc v. 15.
aſtra creat Deus, quæ non tam cælum clarent, quàm *illuminent terram*, quò nihil niſi per cæli lumen, & in cæli lumine perſpiciatur.

H 2 Numer.

3. Numer. 23. & 24. Balac Moabitarum Rex, timens reducis Iſraëlitici populi armatas phalanges, Balaamum è Meſopotamiâ accerſit, qui prophetică maledictione pugnacem & victorem populum exarmet. Ducit prophetam in verticem montis Phaſga, & Phogor, vt è ſublimi loco Iſraëlem intuens, eidem dirè maledicat. Sed Propheta, *Irruente in ſe ſpiritu Dei, aſſumptâ parabolâ ſuâ, ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cui obturatus eſt oculus, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius*, &c. Grande hinc litigium inter commentatores oboritur, quo modo hîc Balaami oculi obturati & clauſi dicantur, quò penitiùs videat terrenam, quam prædicit felicitatem Hebræi populi. Dixerat enim: *Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob?* & id genus alia, quæ mundialem & temporariam populi proſperitatem denotant. Frigidè (opinor) ad litteram & ad mores, quidam, pro *obturatus eſt oculus*, ex Hebræo, *Cui apertus eſt oculus*, vertunt. Alij mendum putant, & negationem præponunt, exſcribentes, *Cui non obturatus eſt oculus*. Frigidè inquam ad litteram, vt ſummates interpretum hîc arguunt; & frigidiùs ad ſenſum moralem. Porrò, vt *puluerem Iacob*, id eſt, eius numeroſam progeniem, & terrenam felicitatem perſpicaciùs videat, montis verticem, cælo proximiorem ſcandit: & à terreno populo aſpectum auertens, *obturatis oculis viſionem omnipotentis intuitus eſt*, & idoneè magis explorat in cælo rem terreni populi. Scilicet cupiebat Rex, vt ex ardui montis ſupercilio Iſraelem intueretur, vt illum penitiùs contemplatus, deſpiceret, & maledictione mulctaret. At Balaam *Videntis* elogium re & nomine implens, vt *puluerem* Iacob meliùs intueatur, auerſis ab eo oculis, & in cælum ſublatis, terrenam illius felicitatem contuetur. Claudit Propheta lumina, ne aut gratiâ Regis, aut fucatâ mundialium rerum apparentiâ, & mentitis earum coloribus perſtringantur.

Num. 24. 3. & 4. — Num. 23. 10.

4. Ioannis 6. Chriſtus Deus aſcendit cum Diſcipulis in mõtem, & ibi cum eis ſedebat, copioſâ hominum turbâ ad radicem montis relictâ. *Cùm ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes*, &c. Chriſtus ſtat in montis vertice, & vt videat frequẽtem turbam in valle iacentem, *oculos ſubleuat?* Demittendi erant oculi, vt ex loco edito homines infernè verſantes videret. Notanter Theophylactus hîc: *Quare dixit: Cùm ſuſtuliſſet oculos ſuos?* Potiùs enim oculi demittendi erant, quàm ſubleuandi, quò è ſublimi ſede infra ſe iacentem videret turbam, eiuſque pæ indigentiæ prouideret. Vnde conſultò Chryſoſtomus ſuper hoc loco, non dixit, *Cùm ſubleuaſſet oculos*; ſed, *Reſpiciens vidit turbam*. Verùm enimverò conſultiſſimè dixit Euangeliſta, Chriſtum Deum *ſubleuaſſe* ſursùm oculos, vt turbam infra ſe verſantem videret, quò homines erudiret, terram, réſque terræ, non tam in ſeipſis, quàm in cælo cognoſci. Tunc, tunc quidem Chriſtus oculis exploraſſe dicitur infernæ turbæ indigentiam, cùm oculos ab eis auerſans, supernè eas in cælis fideliùs expreſſas, attentiùs contemplatur.

Ioan. 6. 5. — Theophyl. ibidem. — S. Chryſoſt. ad illa verba.

---

§ LXVIII.

Donatio vltra neceſſitatem, diuinioris gloriæ procurat auctarium.

MAGNA poteſtas al enæ egeſtati vectigalis naſcitur: quod miſerorum neceſſitati impenditur principale tributum eſt. Qui miſero vel ſuperuacua donat, ſicut alienæ miſeriæ non ſeruit, ita gloriæ ſuæ militat. Munificentiæ ſuæ dat, quiſquis vltra neceſſitatem donat. Matthæi 14. copioſa hominum multitudo, cæleſtem cæleſtis doctrinæ cibum eſuriens, Chriſtum vſque ad deſertum ſecuta eſt. Mente ſaturâ fameſcit venter: deeſt panarium, ſed non deeſt Ieſuanæ prouidentiæ promptuarium. Alimento extemporario menſæ refertæ ſunt, & quinque hominum millia ad ſatietatem vſque copioſè paſti. *Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Sat fuiſſet, opinor, tot hominum millia in deſerto pauliſſe cibis cæliciùs multiplicatis: quorſùm ergo vel ad ſuperuacua miraculum amplitur? Baſilius aliàs aliorsùm expenſus, ſic arguitè fatur. *Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Nam* (inquit) *ſi pro modo neceſſitatis dationem commenſus fuiſſet, decoris illius gratia adulterata eſſet: nec id qui feciſſet, ſatis euidenter Dominus agnoſceretur: quippe qui neceſſitati ſeruiſſet.* Nempe profuſior quàm neceſſitas exigebat, ſuppeditatio, auctoris liberalitatem teſtatiorem facit. Quod ſuperfluum videtur turbarum alimento, neceſſarium eſt miraculo ad teſtandam vberem largitoris beneficentiam. Quaſi omnipotens Chriſti Dei prouidentia tributaria ſit humanæ neceſſitati, & quod miſeriæ impenditur, ſit velut cæleſte tributum: quod verò vltra neceſſitatem tanquam ſuperuacuum donatur, ſuperfluum non eſt decori largitoris, ſed totum munificæ illius gloriæ glorioſiùs militat. Superfluant conuiuis epulæ, ne beneficentiæ gloria conuiuatori deficiat. De cælo manna quondam Iſraelitis dabatur, ſed quia adteſtandæ potentiæ ſeruiebat, euaneſcebat quoque reſiduum. At in lege gratiæ, quia opulentior eſt donorum largitio, nõn euaneſcat donorum reſiduum, ſed diligentiùs ſeruetur ad opulentioris beneficentiæ defenſionem, quæ non tantùm pendit humanæ neceſſitati tributum, ſed ex ſuperuacuis ſublimioris munificentiæ gloriã mercatur. 1.

Qui vltra neceſſitatem dat, gloriæ ad ſua donat, beneficentiæ probatione. — Matt. 14. 20. — Baſil. Seleuc. orat. 33.

Naſcentis mundi die primâ cæleſtes orbes, aſtra, elementaque omnia de nihilo creat Deus: ſecundâ die aqueum elementum terris ſupernatans, diſpeſcitur in ſupercæleſtes aquas, & aquas inferas, quæ in terræ cauernis abſconſæ iacent, in mari ſtagnant, in amnibus fluunt, ſcaturiunt in fontibus. Die tertiâ terra apparet, vt aquis nudata, ita congruo humore fœcunda; herbaceo virore vltrò nitet, adultarum arborum floribus præmaturè vernat, & ſponte maturis fructibus præpropere autumnat, cæleſtium tunc influxuum minimè indiga. Die mundi quartâ, rudis illa primæuæ lucis maſſa in aſtra tribuitur, quæ nunc honoratio præſidẽtiæ 2.

Aſtra dum præter terræ neceſſitatem influunt, angelioribus titulis honorantur.

vocabu

vocabulo decorantur: *Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præeſſet diei; & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas.* Superbo planè cæli & terræ præſidentiæ titulo aſtra donantur, Sol regis vocabulo & ſolio paret: Luna reginæ cæli elogio decoratur. Eccur tunc, die inquam quarta, his prælustribus titulis Sol, & Luna, & aſtra reliqua donantur, cùm tunc beneficii aſtrorum influxus ſint terræ ſuperuacui? terra enim tunc iam vltrò germinabat abſque cælorum influxu? Sublimiores hi tituli donentur cælo, cùm poſt ſextidui opificium nomina animantibus imponuntur: beneficiis enim aſtrorum influentiis terra indigeret, vt exinde ex cælorum beneficio veniret ad fructus. Verùm enimverò confuſanea nuper aſtra, conſultiſſimè nunc primò luminaria magna dicuntur, & auguſtiſſimis præfecturæ vocabulis honorantur, cùm terrenorum neceſſitati influxibus non deſeruiunt, ſed ſuperuacuè tunc affluunt ad beneficentiæ redundantiam. Non expectat Deus totius opificij finem, vt cælo nomina faciat præluſtria; tunc enim cælum, etiam beneficentiſſimè, terræ & animantium ſeruit neceſſitati: tunc, tunc quidem, cùm vltra neceſſitatem influxuum munificentiam terris exhibet, illuſtrius indigitatur, & regalibus ſublimioris beneficentiæ titulis & ſoliis decoratur. Nam cùm pro modo neceſſitatis dationem metitur, donandi deuenuſtatur gratia: neque ſatis euidenter eſſe Reges cæli cognoſcerentur; *quippe qui neceſſitati ſeruiſſent*, & principale pendere tributum aſtra viderentur. Nunc autem profuſior influxuum ſuppeditatio, cæli largitatem teſtatiorem facit, dum præter rerum ſubiectarum neceſſitatem largè influentias demittunt, ad beneficentiæ defenſionem, vnde auguſtiora nomina feliciùs promerentur.

Ibi v. 16.

3. Iſaiæ 49. præſagâ mente videt Iſaias felicitatem Hebræi populi ſub Cyro, (quam etiam ad Chriſti tempora litteraliſſimè deflectit Paulus 2. Corinth. 6.) & gratabundus exclamat. *Reges videbunt, & conſurgent principes, &c. Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui.* Quæ verba ſic effert Paulus iuxta LXX. interpretum tranſlationem. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te.* Nomine *ſalutis* bonorum omnium affluentiam in ſacris Bibliis denotari, perſpicuum eſt, & notat S. Gregorius, vt adnotabamus ſuper Iudith (aliter ad aliud thema, hæc eadem verba expendentes.) Mente ergo attendamus ad abſtruſam & elegantem huius loci ſententiam. Scilicet, ô vos diu in Babylone verâ aut typicâ, olim captiui, iam felices & triumphales viri; cùm principes vobis adſurgunt, reges applaudunt, & Tartarorum duces proculcati ſilent; ne quæſo, *In vacuum gratiam Dei recipiatis*, ne euacueris illam, ſed potius eandem ſublimiùs, vt par eſt, magnificate. Quænam Dei gratia, & illuſtrior Dei munificentia & ſuſpicienda, & prædicanda proponitur? *In die*, inquit, *ſalutis adiuui te.* O nouam vberioris gratiæ commendationem! Adiutorium præſtatur *in die ſalutis*, hoc eſt, cùm omnia affluunt bona, cùm adridet proſperior fortuna, & tunc opulentior gratia commendatur. Opinor opportuniùs ad gratiam ferret auxilium, ſi non tempore ſalutis aut felicitatis; ſed calamitatis & miſeriæ tempore exhiberetur, dum humana tenuitas, magis illius indiga videtur. O cæleſtem Pauli ſapientiam, de cæleſti eruditam gymnaſio! Scilicet nunc Paulus diuinioris gratiæ & beneficentiæ encomiaſtes, humanam erudit ruditatem. Quaſi dicat: Ne in vanum gratiam Dei recipiatis, quia in die ſalutis & proſperitatis adiuuit vos Deus. Imò inde non modo nón euacuandus, ſed pluris habendus eſt diuinæ gratiæ & munificentiæ cenſus, dum præter hominum neceſſitatem, largius illi benefacit. Nam qui miſerum ſubleuat, neceſſitati quodammodo ſeruit, & principale quaſi pendit tributum. Qui verò vel ad ſuperuacaneam beneficentiam ampliat, & in die etiam ſalutis ſeu felicitatis auxiliator beneficus adeſt, gloriæ ſuæ militat, & opulentiam ſuæ largitatis oſtentat. Dicam luculentiùs: Cum Deus vos eruit è captiuitate Babylonicâ, aut Tartaricâ, benignitatis ſuę velut generoſum vectigal dependit; at cùm in *die ſalutis* vobis auxiliatur, & felices vberiùs felicitat, ad gloriæ id ſuæ facit auctarium, & in largioris beneficentiæ defenſionem. *Ne ergo in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

2. Cor. 6. 2. Iſaiæ 49. 8. *Ad auctarium diuinioris munificentiæ pertinet, dum Deus felices felicitat vberiùs.* Gregor. Moral. 10. c. 2. In Iudith cap. 13. §. 16. n. 73.

4. Adſimili expenſione locupletari poteſt illud Geneſ. 15. cùm Deus poſt illuſtrem illam partam victoriam de quatuor regibus, tot ſpoliorum gazis locupleti Abrahamo, & glorioſo triumpho felici, ſic loquitur: *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum.* Hebraice; *Clypeus tuus ego ſum.* Quod quidem ante periculoſum cùm quatuor regibus congreſſum, opportuniùs dicendum videretur. Nempe Deus gloriæ ſuæ militat, cùm felicem proſperiùs felicitat, cùm diuitem copioſiùs opulentat, cùm glorioſum auguſtiùs ſublimat. Nam dum miſero & calamitoſo auxiliatur, velut humanæ neceſſitati deſeruit. At cùm ab ærumna erutum, feliciùs prouehit ſublimitatis incremento, ſuæ beneficentiæ gloriam ſumptuoſius procurat.

Gloriæ ſuæ dat Deus, quod victori Abrahamo tribuit. Gen. 15. 1.

§. LXIX.

Populorum Rector ne diſtrictiorem remittat diſciplinam, ob vituperonum cenſuram.

1. MAGNORVM eſt liberiores populi voces contemnere, vtporè dignas indignatione ſuâ. Quis prudens, & faſtigio dignitatis ſublimis, omnium ore & calamis, dicta factaque ſua probanda ſperet? ſtultitiæ hoc extremæ eſt. Eſto, nihil reprehenſione dignum admittat, quod miriſſimum eſſet, & ſupra humanum faſtum; ipſa præſidentiæ ſublimitas odia popularium concitat, & communis inuidia eſt, conceptaculum maledicentiæ. Quin & ſubditorum arbitrium eſt, conſultæ detractionis ingenio cohibere ſtrictiorem inculpati Præfecti diſciplinam; vt formidabilis linguæ cognato hominibus metu, tepeſcat zeli ardor, dum offendi liberiori locutione timet. Verùm ferre linguas, Magno-

Populorum Rector ne diſtrictã remittat diſciplinã, ob detractorum cenſuram.

tum eſt, & ſolo ſe contemptu in illas armare, nec vlla certior victoria, nulla generoſior, & quæ virum ſuum loquitur. Nihil ergo ab inchoatâ inſtituti obſeruantiâ remittendum eſt, ob maledicentiæ liberiorem cenſuram, ne vituperonum gremium ſumat animos, & pro maledicentiæ ſuæ nutu Præpoſiti diſciplinam moderari præſumat. Id enim foret regiminis habenas permittere populari detractioni, non bonæ aurigæ. Imò piâ quadam velut obſtinatione conſtantiæ, contemptus obmurmurantium condemnandus eſt, ne detractoribus tantiſper ceſſiſſe videatur, quæ eſſet regiminis euerſio, & politiæ ruina.

2. Ioannis 13. Chriſtus Deus Paſſioni ſuæ proximus, balneum præparat Diſcipulorum pedibus abluendis. Tunicam exuit, qui totâ diuinitate corporaliter erat indutus: lintei præcinctione ſe more ſeruorum ſtringitur, qui ingenuâ deitatis libertate fulgebat: puri latices nitent in amplâ pelui, qui diuini miniſterij officio, puriora reddant Apoſtolorum veſtigia. Humillimum è genu auſpicatur Chriſtus ablutionis obſequium: & Petrum Apoſtolici collegij verticem, nutu & ore inuitat ad balneum. Ille verò Dominicæ diuinitatis bene de cœlo conſcius, reuerentiâ velut obſtinatâ, officioſitatem gratiæ humilis refutat; & tandem minis obſequentior factus: *Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput. Dicit ei Ieſus: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet.* Hinc perbella oritur quæſtiuncula, quam commentatores ſubtilius pertractant, quare Chriſtus renuerit Petri lauare manus, quarum ablutionem tam auido pietatis voto Diſcipulus expetebat? Qui ſqualentes abluit pedes, manus lauare dedignabitur? Aqua vbertim exundat in pelui, Chriſti manus, quæ ſordidos diſcipulorum lauant pedes, annuant deuotioni Petri, eius manus non magno laboris impendio pariter abluant, quò mundiores præfulgeant Petri manus. Quare ergo Dominus ablutionem manuum Diſcipuli tam conſtanter recuſat, flecti neſciâ ſeueritate? Acutè Origenes ad præfata verba: *Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput,* ſic fatur: *Manus autem lauare nolebat Ieſus, contemnens ea quæ dicebantur: Quoniam Diſcipuli tui non lauant manus cum panem manducant.* Quid accommodatius? Nempe facile erat parabile abluendarum manuum obſequium, quod auidè Petrus expetebat, nec qui lauabat pedes, manus abluere refutaret. At quia poſtmodum cænandum illis erat; & detractorum olim vox fuit: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant;* ideò conſtanter abnuit Chriſtus Deus Diſcipuli lauare manus, ne videretur detractioni cedere, & de diſciplinâ ob vituperationem tantiſper mutari. Planè abnuit piæ Petri petitioni, ne oblocutioni adnuere videatur. O bonam Præfectis eruditionem, de Chriſti ſcholâ euulgatam! Flectenda non eſt regiminis diſciplina ad nutum vituperonum: eorum contemptus contemnendus eſt. Laxioris vitæ ambitione maledicentiæ canino ore ſubditi morſicabunt Rectorum famam, non lacerabunt. Imo præſtaret, Gubernatorem, quam gubernationem lacerari. Maledicas ferat linguas, qui regiminis palmam ferre cupit. Et quidem iniuſtę ſubditorum oblocutioni cedendo, non compeſcuntur detrahentium linguæ, ſed de victoriæ ſpoliis animoſiùs armantur.

Chriſtus non lauat Petri manus, ne obmurmurationi cedere videatur.

Ioann. 13. 9. & 10.

Origen. tom. 32. in Ioan.

Matth 15. 2.

Mirum fortaſſis alicui videbitur, in Chriſtianâ eccleſiâ, & quadrageſimale carnis priuium, & tot ſolemnitatum profeſta ieiunio peragi: neque vſquam legi Diſcipulorum collegium, (in quo Eccleſiæ auſpicium dedicatum eſt) aliquando ieiunaſſe. Adeò vt non modo Phariſæi, ſed Diſcipuli quoque Ioannis non leuiter eam ob cauſam obmurmurauerunt. *Tunc acceſſerunt ad Ieſum diſcipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?* At conſtantia Dominicæ diſciplinæ eiuſmodi oblocutionibus non ceſſit; ſed ob arcanam diſpenſationem, quam inſigniter explicat Chryſoſtomus, in propoſito perſtitit tenaciſſimè: ſicut & Ioannes, qui ob ſtrictiorem ieiunij diſciplinam, obtrectatorum linguas in ſe armauit. Scilicet Chriſtus ob communem victum cum Diſcipulis vituperatur; & Ioannes propter ieiunium detrahentium linguas incurrit, neutérque euariauit vitæ inſtitutum, ſed in eo conſtantiſſimè perſeuerauit. Puto, non multum intererat, ſi Ioannes aliquando de inediâ remitteret, Chriſtum imitatus; aut Chriſtus cum Diſcipulis aliquando ſolemniter ieiunaſſet, quò detractionis amputaretur occaſio. Verùm Chriſtus quâ pollebat diuinâ ſapientiâ, vtrumque ex alterutro acutè redarguit: & vituperonum ingenium prodens, nos docet, quàm non ſit eorum detractioni cedendum. Sic enim fatur Matth. 11. *Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Attende ad ſententiam quam ſubdit. *Et iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.* Quæ verba ſic expendens Hieronymus, obloquentium linguas obturat. *Si ergo* (ait in perſonâ Chriſti reprehenſi) *ieiunium vobis placet, cur Ioannes diſplicuit? ſi ſaturitas, cur filius hominis? Quorum alterum, Dæmonium habentem, alterum voracem, & ebrium nuncupaſtis. Iuſtificata eſt ergo ſapientia à filiis ſuis: Id eſt, Dei diſpenſatio atque doctrina.... iuſtè feciſſe, ab Apoſtolis ſuis filiis comprobata eſt.* Et Strabus explicatiùs ad rem ita ſcribit: *In quibuſdam libris habetur: Iuſtificata eſt ſapientia in operibus ſuis: quia ſapientia non quærit vocis teſtimonium, ſed operum.* Vide mihi qualiter nec Ioannes ob detractionem, vitæ auſteritatem mitigauit; neque Chriſtus propter oblocutionem, omiſit communem vitam & victum. Porrò Dei Sapientia, id eſt, *Dei diſpenſatio, atque doctrina,* quâ alumnos inſtituit ſuos, *non quærit vocis teſtimonium,* nec formidat vituperatorum maledicentiam. Ipſa eorum inconſtantia, quæ & Ioannem abſtemium, & Ieſum communi victu vtentem carpit, perſpicuè approbat conſtantiam *diſpenſationis,* id eſt, diſciplinæ ſeruandæ. Leuiculi homines, quibus libidine detrahendi, nec Ioannis inedia, nec Chriſti alimonia placet, non flectent inſtituti diſpenſationem, nec regiminis diſciplinam, quæ nec tantillum illis cedat, in primis oportet. O nimis verè!

3.

Matth 9. 14.

Chryſoſt. in Matth. c. 11.

Chriſtus communi victu non abſtinet, propter hominum detractionem.

Matth. 11. 18. 19. 20.

4.

Hieron. ibid.

Strab. ibid.

Vide

Gen. v. 16. Vide hic verſ. 16. ſidereos cæli Præſides, qui quantumuis ſubiectum hominum temeraria maledicentia ponat in cælo ſos ſuum, nihil de regiminis ſui conſtantiâ vnquam remittunt.

---

§. LXX.

Quiſquis vltrò ſe potentioribus ingerit, latentis vitij ſuſpectus eſt.

1\. VIlis videtur quicquid patet. Vilißimus eris ſi pateas omnibus. Non te ſequuntur, ſed tuam fortunam. Si deſinis eſſe felix, deſinent tua limina ſalutare, tuum cingere latus, tuam vmbram ſequi, tuam familiaritatem vltroneo obſequio ſollicitare. Si ſapis, difficilem te præbe his præſertim qui ſponte ſeſe ingerunt tibi: ambitione circa te captantur, nullà tui æſtimatione, aut beneuolentiâ trahuntur. Conſultiſſima tui electio ad *Vltroneus amicus ſuſpectus eſt ſapienti.* rationis trutinam quærat amicum; non aliena ambitio vltronei obſequij, & garrulæ adulationis artificio fucata, te in curioſius amicitiam aſciſcat. Suſpectus tibi ſit, quiſquis nunquam vocatus, tibi ſemper adeſt. Sed, (ô malum!) non benemeritus, qui in ſeceſſu ſuo ſilet, & meritis loquitur, ad tuam familiaritatem vocatur; ſed imperitorum grex, qui inquieſtus Potentioribus adeſt: & vnde repulſæ meritum contrahere debuit, dignitatis characterem inſculpit. Nil magnum & ſublime oculos hominum quærit; ſed hominum oculi magna & ſublimia exambiunt. Quicquid ſponte ſe ingerit, latentis vitij ſuſpectum eſt.

2\. Exodi 7. dixit Dominus ad Moyſen: Ecce
Exod. 7. 9. conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater
Vltro oblata miracula demum ſtantur. tuus erit propheta tuus, & addit. *Cumque dixerit vobis Pharao: oſtendite ſigna, dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proijce eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.* Nonne magis è re foret, vt Moyſes nuper conſtitutus Pharaonis Deus, non rogatus illa patraret prodigia, quibus Ægyptium regem perterreret? Eccur rogari expectet, quod ſponte oblatum magnificentiùs videretur? *Et conſiderandum,*
Caiet. ibi. ait Caietanus, *quod vult Deus, vt non incipiant facere miracula, niſi rogati. Ait enim, Cum dixerit vobis Pharao, oſtendite ſigna, dices ad Aaron, Tolle virgam tuam,* &c. Nempe vltronea, & non petita miracula non offert Moyſes, ſed expetita, & rogata. Quæ fortè, non vacua, ſed completa miracula Anſelmus Laudun. appellauit, ſic explicans illud verſ. 2.
Anſelm. Laud. in Exod. 7. & 2. *Multiplicabo ſigna & oſtenta mea*, id eſt, *implebo ſigna & oſtenta mea.* Quaſi vacua & inania videantur vel vera miracula, quæ non expetita, ſed vltronea ſunt. *El lleno del milagro, para que ſe tenga por tal, es entremeterſe à hacerle. Pidan le para que le eſtimen.* Qui ſe ſponte vel patrandis veris miraculis ingerit, ſæpè præſtigiatoris ſuſpectus eſt, & fumos venditare elationis vſurà creditur. Vltroneæ merces viloſcunt: abſconſæ, magno etiam pretio requiruntur. Miracula nō rogata, à digno æſtimationis cenſu deſciſcūt, quæſita obſtupeſcimus.

Hic verſ. 16. cælos nuper creatos Deus ſideribus adornat: *Fecitque Deus duo luminaria* 3.
magna; luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas. Locus planè ſudatus, ſed ad præſens thema adhuc non importunè enucleandus. Nemo hîc non quærit, quam ob cauſſam Luna, *Luminare magnum* etiam dicatur comparatione factâ ad ſtellas, quæ longè illam magnitudine ſuperāt? *Hic v. 16 Luna quia ſe hominibus propiùs inſinuat luminare magnum dicitur*
Audiendus eſt ibidem Caietanus aliorsùm expertus: *Terra ſupputatur centeſima octogeſima* Caiet. ibi.
pars verè grandis luminaris, quod eſt Sol; Luna verò vigeſima octaua pars terræ ſupputatur, quælibet autem ſtellarum fixarum viſu notabilium, maior terrâ dicitur. Vnde patet quod paruum luminare ſecundum veritatem ſit Luna: quæ quia propinquiſſima eſt nobis, apparet maior quâlibet ſtella. Scilicet Luna propè minimū cæleſtium ſiderum aſtrum eſt: at quia propinquiſſimum terris eſt, & humanis rebus ſeſe propiùs loco, luce, influxu, & aſpectu offert, ideò apud homines nacta eſt *magni luminaris elogium.* Reliqua cæli ſidera, Lunam amplitudine & claritate excellunt; ſed quia diſtantiora ſunt, nec ſeſe ſponte terris ingerūt, ſicut Luna; ideò minora & obſcuriora putantur, etſi maiora & lucidiora ſint. Vel ſidera ambitione æſtuant, & de *propinquitate*, qua ſe hominibus inſinuāt, amplitudinis elogium mercari præſumunt? ô inconſtantiæ & ambitionis ſymbolum! ô inſana & propè nulla hominum iudicia, quæ de *propinquitate* magnitudinis faſtigium attribuunt!

Iob 4. Eliphaz ille Themanorum Princeps, 4.
ita ad Iobum fatur: Porrò ad me dictum eſt *Vel Angelum qui ſe in familiaritatem inſinuat, timet Eliphaz.*
verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt. Vnde tantus timor & horror ſapienti, magnanimo, & principi viro? *Cum ſpiritus*, inquit, *me præſente* Iob 4. 15. &
tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit 16.
quidam cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quaſi auræ lenis audiui. Non hîc definio, quiſnam principi Eliphazi apparuerit, etſi Angelus communiter cenſeatur, ſed tantum admiror, in virū fortem & ſtrenuum tantum pauorem cadere potuiſſe. Oculis nil metuendum apparet, auribus auræ lenis auditur, menti diuina loquitur, & ſic expaleſcit & expaueſcit Eliphaz. Putauerim, moraliſſimam timoris cauſſam, ipſum Eliphazem expoſuiſſe, dum ait: *Stetit quidam, cuius non* Lyra ibid.
agnoſcebam vultum, cùm ſpiritus me præſente tranſiret, id eſt, ad me accederet, vt commentatur ibi Lyranus. Nempe apud principem Eliphazem, vel Angelus ſuſpectus eſt, cùm anteà ignotus, vltrò ſe illi inſinuet, & ad ſe accedit, cuius ignorat faciem, amicè loquens, & familiariter conuerſans. Viro ſapienti & ſtrenuo iure ſuſpectus eſt, quiſquis ad illum blandè appropinquat, & propiùs accedit, cuius ignorabat vultum, & voce quaſi auræ lenis aures demulcet. Quiſquis priùs ignotus, & modò non quæſitus, ſeſe blandè in familiaritatem inſinuat, ſuſpectus ſapienti eſt, timendus potenti eſt, formidandus principi eſt. O moraliſſimam omnibus eruditionē: Vltroneos amicos amicitiæ peſtem puta; non te, ſed fortunam

tunam tuam ſequuntur, & fucatâ ambitione dignitates perſequuntur. Cùm de ſuis meritis deſperent, de tuâ familiaritate & propinquitate, vt Luna, *magni* haberi cupiunt, cùm ſint minimi. Nec miraculis vltrò oblatis credunt ſapientes. O documentum omnibus notum; à paucis obſeruatum! *Los entremetidos ſon el mayor tropieço del gobierno: y con todo eſſo ſon ciertas ſus medras.*

---

§. LXXI.

Sic grauatè ferunt homines in præfecturâ conſortem, vt ira Dei, eiuſdem regiminis participem deſignare dicatur?

1. ÆSTIMANDA ſunt ipſa quæ aggredimur, & vires noſtras cum rebus quas tentaturi ſumus, comparandæ: debet enim ſemper plus eſſe viriū in actore, quàm in pondere. Neceſſe eſt vt opprimant Dignitatum onera, quæ ferente maiora ſunt. Quædam præterea reipublicæ adminiſtrandæ non tam magna ſunt negotia, quàm fœcunda, multumque negotiorum ferunt. Et hæc fugienda ſunt ex quibus noua occupatio, multiplexque naſcitur. Nec accedendum eò vnde liber regreſſus non ſit. His admouenda manus eſt, quorum finem aut facere, aut ſperare poſſis. Sed neſcio quo philtro ad has ſupra vires occupationes negotioſas reipublicæ adminiſtrandæ alliciuntur homines, vt quantumuis negotiis obruti, nec Munus detrectare audeant, nec ſaltem negotiorum adminiſtros, & in regimine conſortes habere patiantur. *Stulto ſe co ſumi labore*, priùs audit Moyſes à prudenti ſocero, quàm vel ſubpræfectos, & imperij coadiutores malit, cum quibus gubernandi negotia partiatur: quaſi multò grauius ſit in regimine coadiutores habere, quàm ſi ſolus totam reipublicæ molem humeris ſuis incumbentem, ſuſtineat. Sic Præfecti grauatè ferunt præfecturæ conſortem!

Graue eſt præfectis conſortes habere in præfecturâ.

Exod. 18. 18.

2. Exodi 4. ſummus Hebrææ gentis Præfectus inauguratur Moyſes: diu multúmque Dignitatem recuſat; contentiosè, & ferè inurbanè cum Deo agens hâc ſuper re. Sed tandem cogitur præfecturam accipere; ſimulque propè obſtinatæ contentionis pœnas cum Dignitate luit. Vix enim dixerat: Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es, cùm *Iratus Dominus in Moyſen, ait: Aaron frater tuus Leuites, ſcio quòd eloquens ſit: ecce ipſe egredietur in occurſum tuum, videnſque te lætabitur corde: loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in ore illius.* In quonam hîc hæc ira Dei in Moyſen apparet? Summum ſuæ gentis principatum illi tribuit Deus, & fratrem ſuum imperij conſortem facit, & ab irâ Dei hæc prouenire dicuntur? Imò à largiori Dei munificentiâ. Acutè Auguſtinus ita ſuper hâc re philoſophatur: *Merito quæritur, cur hic iratus Deus de fratre Moyſi dixerit, quòd illi ipſe loqueretur ad populum: videtur enim tanquam diffidenti non dediſſe facultatem, quam daturus erat; & per duos agi voluiſſe, quod etiam per vnum poſſet, ſi credidiſſet.* Vide iram Dei ſeueriori vindictâ publicatam, in pœnam alicuius diffidentiæ, & contumaciæ, quâ Moyſes contentiosè cum Deo egerat. Scilicet dat illi Dignitatis participem, in regimine conſortē, & coadiutorem in gubernatione. Quod in Præfecturâ conſortium, eleganter ſacer Hiſtoricus, *iram Domini* nominauit. *Tener acompañado, ò conſorte en el gobierno, es vna ira de Dios.* Sic moleſtum, ſic pergraue eſt, in præfecturâ coadiutorem habere, vt in recuſati honoris vltionem, non eiuſdem honoris depoſitione, ſed Muneris conſorte Moyſes mulctetur? *Iratus Dominus in Moyſen, ait: Aaron frater tuus. &c.*

Exod. 4. 14. & 15.

Ira Dei præbet in præfecturâ conſortem?

S. Aug. q. 10. ſuper Exod.

3. 3. Regum 19. per deſerti auia Iezabelis iras Elias fugit: ſedet laſſus, & vitæ nauſeâ mortem expetit, cæleſtique cibo confortatus longiùs abſcedit. Et ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia? At ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſraël; altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, *derelictus ſum ego ſolus.* Adeò negotioſum & pergraue eſt, ſe *ſolum* obire excelſum Prophetæ munus, vt ſic querulè de ſolitudine in officio Elias cum Deo expoſtulet. Sed nota quid reſpondeat illi Deus: Vade, & reuertere in viam tuam per deſertū: *Eliſeum autem filium Saphat, vnges Prophetam pro te.* Profectus ergo inde Elias reperit Eliſeum filium Saphat: cùmque veniſſet ad eum miſit pallium ſuum ſuper illū. Qui ſtatim cucurrit poſt Eliam, & ait: Oſculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te. *Dixitque ei: Vade, & reuertere: quod enim meum, erat feci tibi.* Ecquis non denotet inſuaue Eliæ reſponſum ad Eliſeum, ex tūc Prophetici muneris conſortem? Humaniùs & vrbaniùs fortè agendum videretur cum recèns eiuſdem Muneris participe, & prophetiæ coadiutore. Nuper anxiè Elias conqueritur, quòd relictus ſit ipſe *ſolus*; & cùm Muneris adminiſter illi datur, ſic inſuauis ad illum eſt? Concinnè S. Auguſtinus ad aliam theſim aliorsùm enucleatus: *Hæc doctrina ad illum pertinet, qui cum profecerit, putat, quòd ipſe ſolus ſit bonus. Et hæc cogitatio, fratres, Eliam tentauit.* Cùm *ſolus* eſt in Munere, de ærumnoſo Muneris labore queritur; cùm verò illi coadiutor in Munere deſignatur, ægrè illud fert, inſuauiter, & asperè Muneris conſortem alloquitur, dum ſolitudinis in Munere cogitatione tentatur, & ſibi de peritiâ vnicè gratulatur. Cùm *ſolus* erat, ſolum ſe dignum Dignitate fortè cenſebat, *ſolus* rem Dei adminiſtrabat: conſorte accepto, velut exaſperatus loquitur, abire conſortem permittit, abſentiam negligit. Nam vix pallium poſuit ſuper Eliſeum, quo illum in Prophetam, & prophetiæ participem inaugurauit, cùm ait: *Vade, & reuertere: quod enim meum eſt feci tibi. Hæc cogitatio, fratres, etiam Eliam tentauit.* Sic homo Muneris conſortem faſtidit, & ſibi de Dignitatis ſolitudine gratulatur? *El ſacudimiento con que Elias hablo à Eliſeo, quando le dio la enueſtidura de Propheta, inſinua, que no ſintiera Elias demaſiado, de que Eliſeo ſe quedara en ſu caſa.* Sic pergraue eſt, (fortè

Ægrè tulit Elias, in prophetiâ cōſortem Eliſeum?

3. Reg. 19. 20.

Auguſt. ſer. 221.

abſque

abſque morum vitio, ſed de inclinatione naturæ cognatâ) in honorario Munere conſortem pati?

Vnde dum hic verſ. 16. Sol in diei præſidentiam, & Luna in præfecturam noctis deſignatur: nec alteruter in alterius ſeſe ingerit præſidentiam, non adiuuat Luna ad præfecturam diei, nec Sol præſidentiam noctis moderatur. Sidereus aſtrorum faſtus conſortem in præſidentiâ non fert, ne regiminis conſors Rectorem deuenuſtet. Quod ſiquando Luna in partem diei ſeſe infert, confeſtim radiis Solis velut ſpiculis feritur, & tabeſcit.

§. LXXII.

Sublimior felicitas, dehoneſtamentis tributaria eminet.

1. INVIDIA aliena, infelix felicitatis appendix eſt, & faſtigij ſequela. Inuidia loquitur, non quod eſt, ſed quod ſubeſt;
Seneca ex Publ. Mi. imò & quia ſubeſt. *Si non inuidias, maior eris: nam qui inuidet, minor eſt.* Profectò inuidiæ linguas ferre, aut fortis, aut felix poteſt. Puſillorum vitium, Magnos eſſe, aut videri, non ſinit, quin eorum virtutem ac gloriam ſenium arrodat. Excelſior ſublimitas, vulgari infamiæ tributaria, & dehoneſtamentis eminet vectigalis.

2. *Zabulonis tribum victoria dehoneſtat.* Iudicum 5. hoſtiles in Iſraëlem acies ductabat Siſara, ſtrenuus dux regis Iabim Chananæi. Tunc ſurrexit Debbora, & perrexit cum Barac in Cedes. Qui accitis Zabulon & Nephthali, aſcendit cum decem millibus pugnatorum, à quibus malè conciſæ ſunt Chananæorum phalanges. Partâ victoriâ ouat, triumphat Debbora, & prælutiri hymno ſic modulate occinit Zabulonis & Nephthali laudes, reliquas tribus omittens, quæ prælio defuerunt:
Iudic. 5. 18. *Zabulon*, inquit, *& Nephthali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome.* Quid tam auguſtè glorioſum, quàm duas duntaxat tribus, exiguâ decem millium manu, Chananæorum principes debellaſſe, opima ſpolia tuliſſe, victoriam reportaſſe? Sed nota mihi, quod argutè inibi notauit Caietanus, qui illa
Caiet. ibi. Vulgati verba: *Zabulon & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti*, ſic exſcribit, & exponit: *Zabulon populus dehoneſtauit animam ſuam ad moriendum.* Quid eſt, *Dehoneſtauit*: Imò venuſtarunt egregiè, & ſumptuoſiùs decorarunt. Pauculi milites irrumpere animoſiùs audent per medios numeroſi & validi hoſtis cuneos, obuios valenter proſternũt, fugant, trucidant; victoriam reportant, ſpolia detrahunt, trophæa erigunt, triumphos agunt; & *dehoneſtaſſe animas ſuas* dicuntur? Citiùs decus dehoneſtat, lux obtenebrat, & gloria deuenuſtat; quàm *Zabulon populus animam ſuam dehoneſtauit.* Annon victoria eſt humanarum felicitatum maxima, honorum officina, & gloriæ cumulus? Hæcne *dehoneſtat*, an illuſtrat? Putauerim, quòd illuſtrando dehoneſtat; & nimis decorando, non parum deuenuſtat: nam auguſtior felicitas, & ſublimius faſtigium, inuidiæ fomitem accendit, & linguas ad obmurmurandum exacuit, ſi quo modo fortunato detrahant, gloriam minorent, & virtutem dehoneſtent. Victor Zabulonis populus, exteros non timet hoſtes, quos bello deiecit; proprios verò fratres, quorum periculum redemit ſuo, magis timet; à quorum dehoneſtamentis tutus non eſt in victoriæ aſylo: imò victoriæ aſylum, facta eſt infamiæ periculum: indeque dehoneſtamenta præcauet, vnde gloriam ſibi comparauit. Quod eleganter Debbora pingit, dum illuſtri parta victoria, ſic victorem Zabulonem inducit: *Zabulon populus dehoneſtauit animam ſuam.* O dehoneſtamenta in primis inuidiæ! Non forte ſtrenuè victor Zabulon, ſatis à Propheteide laudatus, niſi æmulorum maledicentia ad eius laudes dehoneſtamenta adiiceret.

3. Hic v. 16. Hic verſ. 16. dixerat Deus die quartâ mundialis opificij: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem: vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum eſt ita. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti.* Vbi primùm fecit Deus Solem & Lunam, ſtatim dicuntur, *luminaria magna*; & vix Luna deſignatur in præſidentiam noctis, atque nocturnas tenebras, lucis ſui radiis illuminare iuſſa eſt; &
Luna dignitatis ſplendore infelix eſt illicò, *Luminare minus* vocatur? Quid Lunæ amplitudinem tam citò minorauit? Quid eius faſtigio detrahit? Ecquid præclaram Lunæ gloriam dehoneſtat, infuſcat, obſcurat? Poſt cæli præſidentiam minor eſt, quæ ante dignitatem *luminare magnum* dicebatur? Scilicet nec cælorum aſtra tuta ſunt in ſiderei orbis arce, à curioſâ inferiorum inuidiâ, & inuidâ defectuum obſcuratione. Iam deliquium pati, & tabeſcere dicitur, mortalium defectus immortalibus aſtris deputantes: iam de crebris mutationibus inconſtantiæ arguitur, dum nunc tota inſinuata in orbem, nunc accreſcens aut decreſcens haud tota cõſpicitur: quaſi id quod deeſſe videtur, alterâ ſui parte non offerat ſemper. Maculas etiam ſibi videntur in Lunâ videre, quaſi ſidereæ venuſtatis nævos; & meræ ac veræ luces ſunt. Scilicet Luna præſidentiæ deputata, vt terram illuminet, ſublimitate minoratur, faſtigio decreſcit, honore dehoneſtatur, & (vt alias dixit Nazianzenus)
Dignitatis ſplendore infelix eſt. Nemo iam mirabitur, Lunam præſidentiæ ſublimitate minorari, qui nuper aduerterit Zabulonis tribum victoriâ dehoneſtari. O nimis hodie verum! § Nazian. orat. 1.

§. LXXIII.

Superior quod ſingulari fauore alicui impendit, cæteris detrahit.

1. *Solis præſidentia, æqui Præſidis idea proponitur.* BONVS & magnus Sol, boni & magni Præfecti typus, qui totũ terrarũ orbem ſuo calore fouet, & ſuo lumine complet: nec ſolùm terras, ſed etiam aërem hunc, & mare, cælique faciem lætus illuſtrat. Qui in quacumque cæli parte fuerit, ſic tunc ſubiecta illuminat, vt quantocyùs adæquè

quæ illuminet omnia, quæ ſpectantur à cunctis: ſicque vniuerſa lumine ſuo perfundit, vt ſuis duntaxat regionibus immorari, & ſibi tantùm adeſſe atque lucere, ſinguli populi credant, cùm ſimiliter luceat vniuerſis; vt nemo his propiorem alium quàm ipſe eſt, arbitretur. Similis Sol & Indis & Germanis, Europæis & Americanis, diluculo oritur, meridie æſtuat, veſpere occidit: à nullo diſtat, nulli præſentior, nulli abſentior eſt. Ideò inter ſidereas cæli faces prudentiæ primatum iure obtinet.

2.
Hic v. 16
Hic verſ. 16. prælustri & numeroſo ſiderum ſplendore ornatur cælum; *Fecitque Deus duo luminaria magna. Luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas.* Vulgaris quæſtiuncula eſt, (nec opinor, adhuc nouorum conceptuum infœcunda) quare Luna, quæ nuper grandiori elogio dicta eſt, *Luminare magnum*, quaſi confeſtim decreuerit, *Luminare minus*, nuncupata ſit? An Luna ſublimi appellatione *Luminaris magni*, arroganter ſuperbiit, & decretione condignè caſtigatur: Tam citò ſuperbiæ ſublimitas faſtigium deponit? An Luna ex ambitioſo cum Sole conſortio, ignobile *Minoris* elogium fœneratur? Ignominiam ſibi affricat, qui maiori ſe communicat. An fortè ex noctis, non boni ſubditi, præſidentiâ, vel clara Luna infuſcatur? Quando malignis & obſcuris ſubditis quis præeſt, præſidentiæ nitor in obſcuritatem degenerat. Verùm S. Baſilius ſic ad rem præſentem eleganter ſcribit: *Fecit Deus duo Luminaria magna; Luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: Eſt enim*, inquit, *corpus Lunæ magnum, & ſplendidiſſimum ſanè poſt Solem. Non tamen ſemper eius conſpicitur magnitudo. Sed nunc tota inſinuata in orbem, nunc accreſcens aut decreſcens, haud tota conſpicitur, id alterâ parte quò deeſt, offerens ſemper.* Nimirùm Luna ante præſidentiam, *Luminare magnum* dicitur; at vbi inæqualiter lucem moderari, & mundo præeſſe dicitur, *Id alterâ parte quò deeſt, offerens ſemper*; confeſtim *Luminare minus* meritò nuncupatur. O nimis verum! quod Præſes alterâ parte deeſt, alteri offert ſemper. Quod quibuſdam detrahit, aliis largiùs impendit, & plurium obſcuritate pauculos illuſtrat. *Los augmentos de vnos, no ſe hacen ſin detrimento de los demas.* Superior à nullo diſtat, qui ab omnibus æquè diſtat; omnibus præſentior, qui nulli abſentior eſt; quod aliquâ ex parte reliquis deeſt, aliquibus offertur ſemper; & horum faſtigia cæterorum detrimentis fulciuntur. Iure ſuo *Luminare maius* Sol nuncupatur, quê *ſibi tantum adeſſe atque lucere, ſinguli populi credunt, cùm ſimiliter luceat vniuerſis.* Meritò *Luminare minus* Luna cenſetur, quæ *nunc tota inſinuata in orbem, nunc accreſcens aut decreſcens, haud tota conſpicitur; id alterâ parte quò deeſt, offerens ſemper.*

Luna, dum conſtatur præſidentia, quia quod alterâ parte deeſt, ſemper aliis offert.

S. Baſilius Magnus in Exaëm. ibi.

S. Ambr. in Exaëm ibi.

Callidus ille ſerpens, hominum ingenium quaſi per viuam anatomiam pernoſcens, ſic feminam adoritur, quâ parte faciliùs ſubrui poſſe putauit: & Deum, ſummum omnium Rectorem, his verbis ad ſubditi hominis inuidiam trahere pertentat. *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Beneuolentiam ſimulat, & humanitatis ſpecie, inhumanas contegit iras. Nimirùm Diabolus inuidia excitus, in ſuo homine Deum hominis auctorem ſauciare, & ferientem refeſire connititur; dum mentem Dei auerſatricem præfatis verbis ingerere ſatagit. Quæ ſerpentis verba plura ſignificare, quàm ſpecie tenus auribus offerant, acutè vidit Seleucus, & ſic luculenter ediſſerit: *Cur præcepit vobis Deus*; &c. *Vide vos*, inquit, *in omni bonorum affluentiâ non auſos frui, & condolens veni: videbam in medio paradiſi eſurientes, & in partem triſtitiæ veni. Nam quo conſilio, dic mihi, cibo Deus interdixit? quid ſpectabili re commonſtratâ vſu priuauit? cui oblectationem hanc recondit? cui vobis oblata dona reſeruat? ſatius erat non dediſſe, quàm dato interdixiſſe.* Vide primum Diaboli telum ex Inferni pharetrâ depromptum, & inuidiæ veneno meditatum. Præſtaret, inquit, pulchræ arboris fructus ſapidiſſimos & in paucis proficuos, non dediſſe, quàm datis interdixiſſe: nam quod vobis auarè negat, aliis proculdubio indulgent & conceſſit: de veſtrâ mediâ alios opiparè exſatiat. *Ai tuos ſolos cata fauorece ſingularmente à otros.* Inæquabilis diſpenſator eſt, qui paradiſum dedit, & ſpectabilem cibum, quem aliis mauult, vobis interdixit. *Quid ſpectabili re commonſtratâ vſu priuauit? cui oblectationem hanc recondit? cui vobis oblata dona reſeruat?* Ecce tibi, dum his argutiis malus Dæmon ſophiſticatur, non æquæ in omnes benignitatis Dominum arguit, quò omnium Rectorem inuidioſum reddat, & ſubditorum animos aduerſus ipſum concitet, & ad præcepti tranſgreſſionem faciliùs impellat. Sic Rectorem inæqualis fauor apud ſubditos denenuilat? Sic ad præuaricationem inſtigat: Tantulus hic rumor à Diabolo ſparſus, primordialis incendij fomitem miniſtrauit.

Geneſ. 3. 2.

Alicui reſeruari ſinulat ſibi interdictos, vajeremè Eua ſuggerit Serpens.

Baſil. Seleuc. Orat. 3.

4.
Ioannis 11. Sorores Lazari, Christi Dei ſeruitio nobiles, lethalem fratris languorem ei renuntiant. Biduo Ieſus cunctatur rei, e diam, vt non irremediabilem morbum, ſed ipſam mortem exuperet. Re poſt luctuoſam funus deſperata, tempeſtiuus medicus adeſt. Sciſcitatur vbi repoſitum ſit demortui fratris cadauer, iam voto rediuiuum. Vnà ad commonſtratum tumulum pergunt omnes, illachrymante pompâ viuis exequias defuncto corpori celebrantes. *Ieſus ergo, vt vidit eam* (Mariam inquam) *plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum, & dixit: Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, veni & vide. Et lachrymatus eſt Ieſus.* Quid Christi Dei lachrymas extorſit? An oculi cordis dolorem lachrymis euaporant? An aliquæ lachrymæ commiſerationis lachrymas cient? An amori erga defunctum, vectigales debentur lachrymæ? Subtiliſſimè S. Chryſologus ita ad theſim præſentem fatur: *Fremit ſpiritu Ieſus, & totâ ſe viſcerũ commotione conturbat, quia adhuc ſolum Lazarum, & non iam omnes mortuos ſuſcitabat.* Scilicet Chriſtus viuorũ & mortuorum Dominus, & reſurrectionis arbiter, cùm relictis omnibus, ſolum Lazarum ad vitam inte̅tat

Illachrymat Christus quia ſolum Lazarum, & non omnes mortuos ſuſcitat

Ioan. 11. 33. & 35.

Chryſ. ſerm. 64.

è tu

è tumulo reuocare; illacrymat; ſeipſum turbat, & infremit ſpiritu, quia adſpectu ad ſuam gloriam, & benemeritas defuncti ſorores, efficaciter mouetur ad eum ſingulariter in vitã ſuſcitandũ. Moraliſſimè ergo viuorum & mortuorũ Rector opplorat, an quia in omnes indifferentem benignitatem, in vnum duntaxat exhibens, quodammodo veretur, ne dum in vnum ſolum ſpecialiter beneuolentiam confert, & non indifferenter in omnes, & æqualis non putetur in omnes, & cæterorum conflet inuidiam? *Fremit ſpiritu Ieſus, quia adhuc ſolum Lazarum, & non tam omnes mortuos ſuſcitabat.* Sic eſt inuidioſus fauor in vnum collatus, vt vel mortuorum zelum exſuſcitet? Pulchra quidem hyperbole.

§ LXXIV.

Gubernator peritus, ob commune ſubditorum commodum, glorioſæ ſui nominis commoditati cedit.

1\. PRINCIPANDI laus, eſt ſubditorum vtilitas, non dignitas imperantium. Parùm eſt, agere Gubernatorem totius erroris expertem, æquitatis peramantem, iuſtitiæ vindicem; qui nec inuidiâ quenquam deprimit, nec gratiâ blandiente ſublimat; niſi ſui nominis glorioſa commoditas communi bono, & priuatæ ſubditorum vtilitati cedere ſciat. Porrò ſubiecti populi commoda, non priuata Regentis gloria, ſunt regiminis ſtipendia. Macte, vir felicitate laudabili, quiſquis, etiam honoris proprij iacturâ, æquitatis ſtudio, Iuſtitiæ militas, & commoda ſubiectorum mercatis meritorum vſurâ.

2\. Ionas à Deo eligitur Niniuæ Propheta, diuini verbi adminiſter, Niniuitarum aut pœnitentiæ, aut ſupplicij ſequeſter: *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia aſcendit malitia eius coram me. Et ſurrexit Ionas vt fugeret in Tharſis à facie Domini.* Imprudens Propheta, zelo vehementiùs contra impios impulſus, verſabat animo cogitationes, quibus Dei beneuolentiam in comminatione latẽtem perquireret. Si ſupplicia, inquit, de Niniuitis eſſent ſumenda, gaudens vtique obſequerer imperio, adminiſter eſſem pœnæ impiorum: odi enim ciuitatem impiorum, ſedes impiorum exector, ciuitatem criminum officinam; odi populi in luxus opificem, à temperantiâ alienum, cupiditati obſequentem. Nam eiuſmodi populus armatam in Deum linguam gerit, vrbs eſt idolorum amans, dæmonum ſerua, ignara creatoris. Verùm eam nunc Dominus punire, vt arbitror, minatur; ſed pœnam terrore commutabit. Suſpicor equidem comminationem in clementiæ matrem euaſuram. Nam cur euerſionem prænuntiat, ſi veram vult animaduerſionem? Si punire vult, cur admonet percuſſi? cur oraculo plagam anteuertit? O præproperum, & male acutum vaticinium? O Iona, quid ſic affectas diuinæ Iuſtitiæ rigores? quorsùm Dei times, & auerſaris Clementiam? Tuum duntaxat eſt iniunctum tibi cælitus munus obire. Si diuinæ gloriæ militas, cur Iuſtitiam votis aduocas? quare Miſericordiam fugâ cohibes? Belliſſimè ad rem præſentem Baſilius Seleucus. *Nouit Dei hominum amantiſſimi artes, iram ſimulat, ſtudet eos ante exſoluere pœnâ, quàm experiantur. Ego verò euerſionem proclamans, mendax vates inueniar. Ex duobus hiſce malis alterum conficiar, & mendax videbor, & inimicam vrbem ab infortunio ſeruatam videbo.* O Ionæ voces & atrociori procellâ, & ſæuiori naufragio dignas! In tanto Munere obeundo, ſic propriæ gloriolæ ſtudes, vt Veridici famam communi vtilitati, & voluntati diuinæ præponas? Moraliſſimè æquiſſimus Deus, malè adminiſtrati Muneris vindex acerrimus, neque Prophetæ parcit veniam flagitioſis dare nolenti; neque eius reueretur Iuſtitiam, qui à nimio Iuſtitiæ zelo laborat, ne tantiſper eius fama deuenuſtetur. Tanti populi incolumitas, aut euerſio poſtponenda erit vnius hominis inani gloriolæ: *Por el pundonor de vn Miniſtro ſe ha de atropellar con tantos?* O hunc diſpereant Gubernatores, qui ſuæ famæ compendio, ſubditorum diſpendia ſæpè negligunt, & quandoque procurant politiæ ingenij iacturâ!

Seleuc. orat. 18.

3\. Si attentiùs legatur caput 19. Ioannis, cui reliqua concinunt Euangelia, perſpicuè apparet, Pilatum multâ alioqui gubernandi peritiâ præditum fuiſſe, ſolerterque procuraſſe, Chriſtum, quem innocentem nouerat, liberare. In comperto illi erat inuidioſus Phariſæorum rancor, innoxij Chriſti mores perſpecti erant, fama miraculorum, & opulentioris virtutis percrebuerat, improbata crimina illi impingebant aduerſarij; rumor iactatæ à ſe diuinitatis hominem idololatram terrebat: *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* Quod vt aduertunt Scribæ & Phariſæi, nouam admouent machinam de vitiatæ politiæ ſcholâ, quâ Præſidis conſtantem peritiam labefactent. *Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.* O ridiculariam, & improbabilem accuſationem! *Vnde habetis hoc demonſtrare?* (inquit Chryſoſtomus) *a purpurâ, a diademate, a curru, a militibus? Nonne ſolus ſemper cum duodecim Diſcipulis incedebat, per omnia vilia tranſiens, & cibum, & ſtolam, & habitationem?* Vides quàm ſit friuola hæc accuſatio? Nihilominus, *Tunc ergo tradidit eis Ieſum, vt crucifigeretur.* ô Præfecti inexpiabile ſcelus! ô Præſes, vides oculis inteſtinum accuſatorum odium, Phariſæorum inuidiam, falſata teſtimonia, probationes caſſas, tantam Chriſti rei innocentiam, quam diuinam ſuſpicaris, & ne leuiſſimum famæ detrimentum apud tuos Romanos patereris, Deum ipſum, quaſi omnium ſcelerum reum, temerariè condemnas? Scilicet Chriſti Dei inculpata innocentia damnari non poterat, niſi, vt non tantillùm Præſidentis fama deuenuſtaretur. Sciebant Iudæorum Principes, proprio ſui regiminis experimento, quàm ſit validum hoc inaniſſimæ gloriolæ telum, ad ſubruendam Gubernatorum conſtantiam; & dum illud

Ionæ 1. 2. 3.

Ionas ne falſidicus habeatur: Niniuæ euerſionẽ negligit.

Ioan. 19. 12.

Pilatus, ne tantiſper ipſe diu nuſtetur, Chriſtum Deum condemnat.

S. Chryſoſt. homil. 83.

Ioan. 19. 16.

mentito

August. tractat. 116. mentito ore vibrant, *Pilatus timore mox vincitur*, vt inſigniter notat Auguſtinus: *Tunc ergo tradidit eis Ieſum, vt crucifigeretur.* O, olim & nunc nimis multos, de ſcholâ Pilati eruditos! Nimis blandus propriæ excellentiæ amor, an valdè ſeuera Iuſtitia, erit iudiciorum norma?

Hic v. 6. 16. Non timet Luna, cæli Præſes, inconſtantiæ notari, maculis apparenter infici, nunc plenam, nunc ſemiplenam, & ſæpè nullam apparere, vt plenè præſidentiæ ſuæ munus adimpleat.

---

§ LXXV.

Siderea præfectura non tam Præfectum, quàm ſubditos, claros & illuſtres reddit.

1. OMNIA ſanè incommoda excluſerit opulenta felicitas, & auguſtior principatus, monſtrabo tibi cuius rei inopiâ laborãt magna faſtigia; & quid omnia poſſidentibus deſit. Scilicet ipſe ſibi. Totus alijs naſcitur, alijs viuit, alijs ex officio impenditur, ſublimior Poteſtas omnibus vectigalis eminet, eminentiæ exemptione obærata. Subditis benefacere, ſublimioris faſtigij ſtipendia ſunt. Ex omni curâ & labore, omnium curas eximere, & ſubleuare tenetur labores: propriâ opulentiâ & honore, omnium dedecori & inopiæ ſubuenire; & de ſuâ felicitate felicitare cunctos, perenni beneficentiæ largitate. Cunctorum Dominum, coronatum omnium ſeruum potiùs dixeris, ſi rem vocabuli adimplet.

2. Hic v. 16. Hic verſ. 16. quartâ mundi die, quæ fuit reliquarum ſplendidiſſima: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti.* Magna inde lis oritur inter expoſitores, in quonam hæc Solis & Lunæ præſidentia ſita ſit. Quo pacto Sol diu præſidet? quomodo Luna præſidentiæ munus erga noctem adimplet? Quodnam eſt hoc cæleſte regimen terrigenis ignotum? S. Chryſoſtomus (vt alios interim omittam) ſubtiliter hâc ſuper re mihi ſcribit: *Quid eſt*, inquit, *in præfecturas diei, & in præfecturas noctis? Hoc eſt, vt Sol diem ſuis radijs clariorem reddat: Luna autem vt diſpellat tenebras; & hominum generi lumine ſuo præbeat commoditates vtendi ſuis ſtudijs.* Scilicet præfecturæ faſtigium, non eſt inſtitutum, vt Præfectum ſublimioris eminentiæ fulgoribus illuſtriorem reddat, (ridicularium planè communitatis emolumentum) ſed vt clariorem reddat ſubditum, cui fulgoribus præeſt. Cæli præſidentia non infuſcat & obſcurat ſubiectos, ſed clariores & illuſtriores facit præfecturæ radijs. Fulgeat Præfectus, ſed de cæli ſcholâ fulgeat, quæ lucis linguâ docet, non ſibi, ſed alijs fulgere. Superior qui ſubiectorum non diſpellit vmbras, ſed eiſdem offundit tenebras, non de ſidereâ præſidentiâ nitet, ſed de fuligine tartarea præſidet. De cælo præſidet, cæleſtémque in terris æmulatur præſidentiam; qui de lucis floribus facit fructus opimos, & cum ſuæ præfecturæ fulgoribus commoditates ſubditis copioſè ſpargit, vberi erga omnes beneficentiâ.

Chryſ. ibid. *Præfectura ſublimitas nõ tam præfectum, quàm ſubditũ, clariorem reddat.*

Præſidentia vtriuſque luminaris præfixum probauit thema, nunc luminare minus eandem theſim ſpeciatim comprobat. *Luminare*, 3. Hic v. 16.
inquit, *minus, vt præeſſet nocti.* Opportunè quærit Iunilius, quare Luna non diei, ſed nocti præeſſe dicatur, & his verbis dubium acutè proponit, & eleganter diſſoluit. *Quia*, ait, *etſi Lunam omni menſe in die videri contingat, nequaquam tamen eam diei, ſed nocti ſolummodo lucis ſolatium aliquod afferre, certiſſimum eſt.* Nimirum etſi Luna ſæpe etiam appareat in die, non tamen diei dicitur præeſſe, ſed nocti: quia eius in die præſentia nullum affert diei *ſolatium.* Quaſi ſolatium, & leuamen, quod Præfectus ſubditis tribuit, ſit præfecturæ poteſtas; & præſidentiæ vigor. Scilicet non bonus Præſes, Luna, quæ non contenta ſuæ noctis principatu; principandi ambitione pluries ſeſe diei latè infert & in non ſuum ſe inſinuat territorium; atque in die, Solis regno apparet. Sic præſumit cum diei Præſide, & principe fulgorum Sole, de claritate contendere? Sed ô quàm languidâ, & cadaureſcente luce! quò ſuperbiæ interdiu etiam fulgendi, pœnas luat, interſtinctione fulgorum. *Siempre entra uno deſlucido en Iuriſdicion agena.* Et ſanè etſi in die appareat Luna, non diei, ſed noctis ſuæ Præſes nominatur; quia nocti duntaxat proficua eſt, nocti fulgores ſpargit, nocti totam ſuam munificentiam exhibet, *& nocti ſolummodo lucis ſolatium affert.* Tunc, tunc quidem principatur, cùm ſolatium ſubditis affert, cùm commoditates offert, & lucis ſuæ gazas fœneratur. Subditis benefacere, definitio Superioris eſt: beneficentiâ principatus conſtat; non faſtu ſublimitatis, non fallacibus ſubiectorum, non exactorum rapinis. Cæli præſidentia, ſit terrenæ præfecturæ norma, & regiminis idea.

Iunil. in Hexaem.

Subditorum ſolatium, eſt præfecturæ eſſentia, & elogium præſidentiæ.

---

§ LXXVI.

Velis, & ſenties, quod ſentire velis.

NON quàm multis placeas, ſed quibus, ſtude: quibuſdam enim diſplicere, laudari eſt. Inde non tam eius qui vituperatur, quàm eius qui vituperat, mores & elogia diſquirenda ſunt. Profectò perſæpè nocet indiſcretis vulgi rumoribus aures applicare, ne animus nimium credulus, falſis præoccupetur. Inſipiens mauult de alijs credere, quàm iudicare: vnde nemo ſibi tantùm errat, ſed alieni erroris cauſa & auctor eſt. Verſat itaque & præcipitat etiam alioqui ſapientes, traditus per manus rumor & error, alienîſque perſtringuntur relationibus. Eſto, aliquis ſupra ceteros attollat humeros, & præcelſo ſit munere digniſſimus. Nulla eſt tam perfecta pulchritudo, quæ ſuos non habeat næuos.

4. *Inſipiens mauult de alijs credere quàm iudicare.*

Vitu

Vituperones, & æmuli fautores audis? Pulchritudinem ingenio æmulationis extenuant, næuos exaggerant. Et contrario, finge tibi aliquem imperitum, & ineptum: nemo tamen vſque adeò imperitus & ineptus eſt, in quo aliquid boni non eluceat. Id eius fautores ambitioſiùs garriunt, & glorioſiùs prædicant, & auditorum iudicia perturbant. Imò ineptior quiſque, inſufficientiæ ſuæ conſcius aures electorum per amicorum ſuſurrum præoccupare, & animos ſubornare ſolertiùs ſatagit; & ſic vulgi vitium in incautos etiam ſapientes latè ſerpit. Hinc vſu venit, vt apud cenſores quilibet promiſcuè, calculis ſupputatoriis ſit ſimillimus, quorum æſtimatio ſicut ex arbitrio ſupputantis pendet, interdùm valet multa millia, interdùm minimum, interdùm nihil.

2. Exodi 7. prædurum Pharaonis cor ſignis
Exod. 7. v. 10. & 11. edomandus erat. Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam ſimiliter. Proiecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Quænam ſunt iſtiuſmodi incantationes Ægyptiacæ, per quas baculus quem innoxiè manu geſtas, & quo inniti ſimiliter poteris, vertitur in ſerpentem, quem horreas, quem auerſeris, & fugias? Chaldæus pro τὸ *incantationes*, peritè vertit, *muſſitationes*, vel *inſuſurrationes*. Vide quas metamorphoſes faciat ſuſurro, præſtigio maledicæ *muſſitationis*, vel clancularìæ, & ſæpè publicæ *inſuſurrationis*, velut per *incantationes Ægyptiacas*. Sic audientium aures toxicat, ſic oculos faſcinat, & mentem euertit, vt res innoxia, proficua, & in primis vtilis, velut ſerpens venenatus, horrificus, &
Rupert. ibi. exitialis appareat. *Virga Magorum* (ait ibi Rupertus) *erant quod fuerant, ſed per incantationes (muſſitationes, inſuſurrationes) Ægyptiacas faſcinauerunt Magi oculos hominum, vt virgæ viderentur eis ſpeciem habere draconum.* Verùm S. Auguſtinus opportuniſſimè ad rem præſentem ſubtiliter examinat verba illa, *Verſæ ſunt in dracones*, quæ ſimiliter dicuntur de Aaronis
3. virgâ. Sic fatur Auguſtinus: *Quid dicendum de*
S. Aug. q. 21. in Exod. *virgis Magorum, vtrùm & ipſæ veri dracones factæ fuerint, an potiùs videbantur eſſe quod non erant, ludificatione veneficâ? Cur ego ex vtraque parte & virga dicuntur & dracones, vt de figmentis illis nihil differat loquendi modus?* Quot ſunt interpretes, tot hâc ſuper re ſententiæ ſunt. Et quidem ſicut Aaronis virga in ſerpentem conuerſa dicitur, ita dicitur *de figmentis illis Magorum, vt nihil differat loquendi modus.* Heu, ita de re verâ, ac de figmento; de vero miraculo, ac de falſato præſtigio, & communiter loqui audimus, & vniuerſatim cenſeri videmus! Falſitas non ſemel mentitur veritatem, veritas ſæpè arguitur falſitatis. Garrula inſipientia & imperitia negotiationis arbitrio, peritiæ titulos mercatur; & vera ſapientia ignorantiæ ſuſpecta eſt, affectu merita ad nutum colorante. Falſatum miraculum Ægyptiacâ inſuſurratione, & præſtigiatrice muſſitatione mentitum, pro vero & Moſayco reputatur: *Ex vtràque parte & virga dicuntur & dracones, vt de figmentis illis differat loquendi modus*, vt proCelada *de Benedict. Patriarch.*

Ægyptiacæ incantationes, moraliſſimè inſuſurrationes dicuntur.

De virgâ Aaronis, & de Magorum figmentis, nil differt loquendi modus.

fundè aduertit Auguſtinus præſagâ mente moraliſſimus. O incerta, ac penè nulla hominum iudicia! Fauoris ingenio ſufficientiæ conſtat, inuſſitatio merita cudit, inſuſurratio miracula patrat, affectus abſurda quæque colorat. *A nadie faltan ni patrones, ni fautores, ni votos, horà lo merezca, hora lo deſmerezca.* O confuſaneum merendi & demerendi tumultum! *Todo ſe hace bulla.*

Hîc v. 16. die mundi quartâ aſtris Deus cæ- 4.
los ornat. *Fecitque Deus duo luminaria magna.* Hic v. 16.
luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti; & ſtellas. Quare Luna luminare magnum etiam dicitur comparatione ad ſtellas, quæ illam magnitudine longè excellunt? Mole magnitudinis, & claritatis elogio, valde à ſtellis firmamenti Luna ſuperatur, & tamen adſpectu ad ſtellas, luminare magnum Luna nuncupatur? Pulchrè inibi Caietanus Caiet. ibi.
vulgarem hanc quæſtiunculam verſat, & ſic ad rem ſoluit: *Terra ſiquidem ſupputatur centeſima octogeſima pars vere grandis luminaris, quod eſt Sol; Luna verò vigeſima octaua pars terræ ſupputatur: quælibet autem ſtellarum fixarum viſu notabilium, maior terrâ dicitur* (nota verba quæ ſubdit, *Vnde patet quam paruum luminare ſecundùm veritatem ſit Luna; quæ quia propinquiſſima eſt nobis, apparet maior quâlibet ſtellâ.* O nimis verè! Nimirùm propinquiſſima nobis aut viciniâ, aut familiaritate, aut affectu, &c. etſi minora & obſcuriora ſint, apparent & æſtimantur maiora & lucidiora. Sicut lippientibus ſingularis lucerna multiplex videtur, ſic ab aliquâ propinquitate, quæ oculos peruersè infuſcat, res grandeſcit magis, magiſque niteſcit. Quia imperitum hominum vulgus oculorum fallaci cenſu, Lunam cenſet maiorem, contra Philoſophiæ & Aſtrologiæ exploratam peritiam, quæ neminem ſapientum hâc in re fugit, Luna amplitudinis elogio ſtellis præfertur. Caue ne te propinquitas fallat, ne te decipiat affectus, vt beneficentiæ præſtigium, vt cum vulgo ſentias, Lunam reliqua ſidera magnitudine ſuperare. Verè prope reliquis aſtris minor eſt, & vulgò maior cenſetur. O incerta vulgi iudicia! *No ay mayoria tan conocida, que no ſe meta abarrate.* Nil eſt ratum & inconcuſſum, quod libidine opinandi non nutet. Velis, & ſenties, quod ſentire velis.

A propinquitate res grandeſcit magis, magiſque ſplendeſcit.

---

§. LXXVII.

Diuites & potentes delicati ſunt ad iniuriæ ſenſum; & pauperculos & inualidos velut inſenſiles tractant.

NIl infelicius habet ærumnoſa infelicitas, quàm quòd homines facit ridiculos, vilipendendos, deſpiciendos, culpandos, lacerandos, 1.
quaſi vitâ & ſenſu prorsùs carerent. Hinc
Chriſtiani aſpectu ad Tyrannos, *Viui martyres* In cap. 8. Iu-
appellantur à Nazianzeno; vel *Viuum cadauer* dith §. 10.
à Zenone Veronenſi, vel *Spirantes columnæ* ab eodem Gregorio, vt aliàs vbertim expendebamus. Scilicet pauperculi & inualidi, velut emortua tractantur cadauera, ſed viuunt ad doloris ſenſum. Quaſi mortuus & inſenſilis

ab aliis patitur; quaſi viuus & ſenſibilis in ſe dolet Miſer. Malum!

2\. Hic verſ. 20. poſtquam ſummus opifex Deus aqueum elementum diſpeſcuit, & aquas ſuperas è cælo ſuſpendit, inferas verò in vaſto Oceano fecit ſtagnare: *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram.* Quam ob cauſam; poſtquam Moyſes dixit, Producant aquæ *reptile*, addidit, *Animæ viuentis?* Numquid poteſt *reptile, animam viuentem* non habere? Quod his verbis argutè notauit Rupertus? *Cùm dicit: Producant aquæ Reptilia, quid opus eſt addi, Animæ viuentis, cùm ipſum nomen Reptilium, viuentem animam ſatis exprimere poſſit? Etenim viuit & ſentit omne quod repit.* Fateor, omne quod humi repit, viuit, & ſentit, ſed viuere & ſentire non cenſetur. Viuit inquam, & ſentit philoſophicè, moraliter verò, viuere & ſentire neutiquam putatur. Sic enim tractatur humilis, pauperculus, inualidus, & qui inter procerum veſtigia abiectus humi repit, ac ſi vitâ & ſenſu careret. Exinde Moyſes cùm dixiſſet, *Reptile*, conſultiſſimè ſtatim addidit, *Animæ viuentis. Etenim* (vt notabat Rupertus) *viuit & ſentit omne quod repit*, tametſi vt inſenſilis tractetur, tametſi ſenſum doloris exprimere, nec ſæpè mutire audeat. Heu inualidis inſenſili patientiâ opus eſt, & Stoico ſtupore! O procerum tyrannidem! Quid exaggeratis imbecillium calamitatem? Nonne ſatis eſt ad abiectionem, humi repere; niſi etiam, quaſi humanitatis eſſent exortes, cenſeatis ſenſu doloris caruiſſe? Sat non eſt miſero humi repenti, abiectè proculcari, niſi etiam, quaſi ſaxeæ foret naturæ, velut inſenſibilem tractari? Deum pariter & hominem, violatæ humanitatis vindicem & aſſertorem appello. Sẽſu doloris veſtri peracerbo lueris, quòd alios ad dolorem inſenſiles acerbè reputaſtis.

Hic v. 20. Inualidus & pauperculus putatur inſenſilis.

Rupert ibid.

3\. Iobus quondam perilluſtre patientiæ ſimulacrum, tolerando velut defeſſus immitem tot acerbitatum nymbum; vndique ærumnoſis obſeſſus calamitatibus, hanc lugubrem vocem edidit; intimo doloris ſenſu expreſſam. *Nec fortitudo*, inquit, *lapidum fortitudo mea; nec caro mea ænea eſt.* Quid, ô vos Huſitidis Dynaſtæ, inhumanis verbis in hominem calamitoſiſſimum durius agitis? *Non ſum ſaxeus, non ferreus, & ſine ſenſu.* Me, quem nuper ſublimem putabatis hominem, nunc quia dura calamitas me in fimo proſtrauit, quia vix humi repo, viuente animâ me putatis carere? Non ſum ſaxeus, non ſum ferreus, ſine ſenſu non ſum. Lyranus ad præfata Iobi verba: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt*, ſic in Poſtillâ ſcribit: *Fortitudo enim lapidum eſt ſine ſenſu: & ideò non dolent, ſi comerantur & ſcinduntur: & ſimiliter eſt de ære. Fortitudo autem humana, & caro ſunt in naturâ ſenſitiuâ; quæ de neceſſitate percipit læſionem, & dolet.* Quid accommodatius? Nempe Idumææ Proceres videntes Iobum diuitiis depauperatum, honore ſpoliatum, & calamitate in fimo proſtratum; quod ſpeculatiuè probè norunt, practicè ignorare videntur: & quem vt hominem inſectantur, humano carere ſenſu ſibi mentiuntur. Adeò vt neceſſe fuerit, quòd Iobus infortunio æger, pauper, inualidus, ſeriò ſe probet hominem, vitâ & ſenſu præditum, flebiliter ſucclamans: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt.* Quaſi dicat: Homo non dediſcit à calamitate naturam, nec dira calamitas me inſenſilem reddidit, ne me putetis brutum ſaxum aut inanime metallum, repetitis ictibus inſenſibile. Vox ad querelas inualido auferri poteſt; ſenſus tamen doloris eripi non poteſt. Imo ex hoc veſtro cenſu ærumnæ ſenſus viuaciùs exſtimulatur ad dolorem. Quid enim miſero accidere poteſt calamitoſius, quàm inſenſilem haberi ad diræ tribulationis & oppreſſionis acerba cruciamenta? ô diuitum & potentium delicatum ad leues cruciatus ſenſum! ô miſeros & inualidos, quos velut ſaxeos, æneos, & ſenſu carentes, diri Proceres tundunt repetitis iniuriarum ictibus!

Iob 6.12.

Pineda ibi. Sic Idumæorum proceres deſpiciunt, vt putent calamitoſum Iobum ſenſu carere?

Lyranus ad illum locũ.

§. LXXVIII.

Brutæ animantes, arcano ſenſuum ingenio, Dei iuſſa percipiunt?

NIl præſtabilius videtur in Gubernatorum poteſtate, quàm poſſe iubendo tenere hominum mentes, ſtudia implere, voluntates allicere, & arbitrium impellere quò vellet; vnde autem velit deducere, & aliò flectere. In hoc omnis Rectorum peritia incumbit, & pia ſubditorum vota inuigilant. Et quidem perfectior obedientia non tantùm ſe præbet facilem expertæ iuſſioni, ſed & mutis Præfecti nutibus de obſequio adulatur. Neque duntaxat cæca eſt ad diſquirendam præceptionem, ſed etiam perſpicaciſſimè oculata ad executionem. Non quærit præcipiendi cauſas, ſed ſolam præcepti notitiam exquirit: nam abſque mandati notitiâ vacat obſequendi peritia. Inde vel leuis imperij notio, velut obedientiæ character imprimitur ad obſequium. Verùm menti notificanda præceptio eſt: nam brutus ſenſus, vt impos rationis, ſic & exlex habetur, crudo cognatæ ruditatis priuilegio. Quid ſi vel rudes creaturarum ſenſus non ſunt prorsùs immunes, ſed quodammodo præceptionibus vectigales? quæ eſſet cæcè oculatiſſimi obſequij exaggeratior hyperbole? 1.

Perfectior obedientia adumbratur.

Hîc verſ. 22. Dei verbo ex aquis numeroſa piſcium examina ebulliunt; ex eâdem matrice innumeræ ſcaturiunt volucrum ſpecies. Benedixitque eis Deus, & ait: *Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auéſque multiplicentur ſuper terram.* Ad hebetes piſces, & volucres fatuas verba facit Deus? brutis animantium ſenſibus imperium intimat? *Quare autem* (inquit Rupertus) *qui multiplicationes horum in benedictione fieri mandauit, herbam quoque virentem & afferentem ſemen, lignúmque pomiferum, & habens vnumquodque ſemen ſuum in ſemetipſo, cùm iuſſiſſet produci è terrâ, non benedixit, idem dicendo: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram?* Et ſanè ratio Ruperti valde vrget: nam quoad multiplicationem attinet, non minùs ſtirpes & plantæ ſoboleſcunt; quoad præcepti intelligentiam ſpectat, adæquè terræ ſtirpes, & aquæ piſcẽs obbruteſcunt: cur ergo his, non illis mandatum intimat? Opportuniſſimè reſpondet Auguſtin. *An quia ſtirpes & plantæ ſenſu carent, qui rationi vicinior eſt?* Quaſi dicat Auguſtinus, tametſi inſenſiles plantæ, 2.

Hîc v. 22.

Rupert ibid. Brutis piſcibus, quia ſenſuum ingenio rationi vicinantur, imperat Deus.

Aug. de Gen. ad lit. imp.

plantæ, & brutæ animantes mente & ratione careant, quâ opus eſt, vt percipiant Dei præceptiones, at quoniam animalia pollent ſenſu, qui vicinior eſt rationi, quam plantarum vita, ideò irrationabilibus brutis, non ſtirpibus & plantis loquitur Deus. An hîc edocemur, quod non tantùm mens & intellectus, ſed etiam brutus & animalis ſenſus, quia tantillùm menti de intelligentiâ vicinatur, ideò cæcè perſpicaci obſequendi impetu aut voto, debet quodammodo præceptum percipere, illud auide arripere, & exprompte executioni mandare? *Non enim membra ſunt ſubſtantiæ animalis, ſed ingenia, vt motorium, actorium, cogitatorium..... viſus, auditus, guſtus, tactus, odoratus*, dixit profundè Tertullianus, quaſi quod viuidum eſt, ſapiat etiam ad arcanam diuini præcepti intelligentiam: & irrationales ſenſus occultâ mentis vi ingenioſi reddantur ad obſequium, ac ſi ... mendi perſpicaciam ad obſequium duntaxat ... tur. *O ingenium* brutorum ſenſi ... ad diuina præcepta percipienda! ô tardas, hebetes, brutas rationalium hominum mentes, ad Dei præceptiones exequendas! Beſtialis brutorum ſenſus, ingenioſus fit ad rem obedientiæ, quandoquidem rationalis hominis mens, brutè beſtialis ſæpè ad obſequium eſt, paſſionis tempore.

Tertull. l. de anim. c. 14.

3. Ezechielis 1. Attonito calitus Prophetæ myſtica illa quattuor animalia de cælo apparent, perfectioris obedientiæ ſymbolum, vt inter expoſitores conuenit, & textus ipſe manifeſtiùs expreſſit. Et quidem, vt alia oppidò difficilia in hac Ezechielis viſione intermittam, illud ænigmati ſimile eſt, quod ferè brutis animalibus conſtet exactioris obedientiæ ſymbolum. *Similitudo autem* (inquit) *vultus eorum: facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quattuor: facies autem bouis, à ſiniſtris ipſorum quattuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quattuor. Facies eorum, & pennæ eorum extentæ deſuper.* Profectò obſequium perfectum, mentis negotium eſt, voluntatem aut allicientis aut impellentis ad rei imperatæ executionem. Eſto, rationalis homo impleat perfectioris obedientiæ ideam; at agreſtis leo, bos fatuus, ingregatilis & rudis aquila, vt irrationalis, ſic & exlex erit. Exleges animantes in exactioris obedientiæ ſymbolum è cælo adducentur? Quid? hebetes eorum ſenſus mandata percipient? Altè de more dixit Tertullianus, *Se ſibus quoque intimandum Dominum*. Senſuum ingenijs intimandus eſt Dominus? Diuina lex rudibus animantium ſenſibus intimanda eſt: In ſenſu irrationali non benè inſculpitur notitia, aut intimatio voluntatis Domini. Peritè ibi Beatus Rhenanus: *Intimare eſt, penetrare, incorporare.* O acuta *ſenſuum ingenia*, quibus diuina præceptio arcanè quaſi *intimatur, penetratur, incorporatur!* Nimirùm rationalis natura liberi arbitrij licentiâ ſæpè imperij obaudientiam excutit; at irrationales ſenſus, abſtruſæ intelligentiæ *ingenio*, ſic à Deo intimatam arripiunt iuſſionem, & in ipſo ſenſuum ingenio incorporant; vt piſces, leo, aquila, bos, expromptioris obſequij ſymbolum habeantur, occultâ præceptionis notitiâ; ad quæuis alia cæcè ſopita, ad rem obedientiæ oculatiſſimè ingenioſa.

Ezech. 1. 10. *Bruta ſenſibus intimanda eſt lex diuina.*

Tertull. l. de Reſurr. carn. cap. 40.

Rhenan ibi.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

§. LXXIX.

Ad voluptabilia vel bruti ſenſus quaſi intellectu inoculantur Voluptatis veneficio.

NATVRA ipſa rerum mater, muta animantia intellectu viduauit, viduauit adæquè brutos eorum ſenſus, mentis inopes: ſed nouerca Voluptas quodammodo brutis ſenſibus mentem indidit, Voluptati ſequacem. Tertullianus ſic interpretatur Philoſophos, qui animam rationalem in partes diuiſibilem olim cenſuerunt. *Non enim*, inquit, *membra ſunt ſubſtantiæ animalis*, (id eſt, hominis) *ſed ingenia: vt puta motorium, actorium, cogitatorium.... viſus, auditus, guſtus, tactus, odoratus.* Ingenióne pollent agreſtes animantium ſenſus? Pollent quidem quodammodo, præſtigiatrici Voluptatis veneficio. Mentis elogio brutum ... Sic ad rem ſecularis gaudij acutè ingenioſa eſt Voluptas? 1.

Tertull. l. de anim. cap. 4.

Senſuum ingenia.

Hîc verſ. 22. recens creatis piſcibus, & volucribus, *benedixit Deus dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auéſque multiplicentur ſuper terram.* Quod iiſdem vocibus paulò inferiùs intimat homini: *Creſcite*, inquit, *& multiplicamini, & replete terram.* Deúſne piſcibus maris, & terræ volucribus loquitur? *Quare autem* (inquit Rupertus) *qui multiplicationes horum in benedictione fieri mandauit, herbam quoque virentem & afferentem ſemen, lignúmque pomiferum, & habens vnumquodque ſemen ſuum in ſemetipſo, cùm iuſſiſſet produci è terrâ, non benedixit idem dicendo: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram?* Splendida planè quæſtiuncula, & digna Ruperti acumine: quare (inquam) brutis irrationabilibus dixerit Deus: *Creſcite, & multiplicamini*, non verò idem dixerit plantis & arboribus: nam animalia pariter ac plantæ, adæquè rationis & intelligentiæ inopes ſunt. Niſi velis irrationales animalium ſenſus, illam Dei vocem intellexiſſe: *Creſcite, & multiplicamini.* Huic Ruperti dubio, quod nuper aliter verſabamus, olim reſponderat Auguſtinus, ſic addubitans: *An quia ſtirpes & plantæ ſenſu carent?* Fateor, ſenſu carent plantæ, quo non carent animalia; at ab animantibus mutis ſenſu non percipitur præceptio hæc; ſed mente & intellectu debet percipi; quid igitur refert ſenſu duntaxat pollere ad intelligendas Dei voces? An rudis animalium ſenſus, ad reliqua hebes, dum res Voluptatis, & negotium libidinis proponitur, velut ſuam naturam deſueſcens, ingenioſus eſt ad illud percipiendum? Voluptabilia vel bruti ſenſus percipiunt? Ad rem moleſtam exequendam rudis eſt acutior hominis intellectus; ad rem verò voluptatis vel rudes mutorum animantium ſenſus ſupra ſe ſapiunt, & intellectui quadamtenùs vicinantur, vt negotium voluptatis percipiant, arcanâ rudium ſenſuum elatione, humanæ mentis æmulâ. Vnde ad alias brutas animantium facultates, ſenſuum *ingenia* Tertullianus appellat. Et Deus non plantis, ſed animalibus dixit: *Creſcite, & multiplicamini.* Voluptabilia enim hebe-

2.

Hîc v. 22.

Verſ. 28.

Rupert. ibi.

Vel brutus ſenſus ad rē Voluptatis intellectualis videtur.

Aug. de Gen. ad lit. imp.

 tiores

tiores brutorum ſenſus, aut perſpicaces inueniunt, aut faciũt, occultis voluptatũ præſtigiis.

3. Gene. 3. 6. *Eua videt pomi ſaporem concupiſcentia oculis.*

Eua magnificis ſpebus allecta, & palati inleſcata libidine, vetitæ arboris decerpit fructum. *Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectûque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit.* O mulier, ſi ex interdicti pomi ſapore prætendis, quòd apetiantur oculi tui, puto, oculis clauſis illud antè vidiſti? Quomodo ante pomi collyrium vides? Videt inquam, oculis, ſed ſaporem videt. Vidit quòd bonum erat lignum ad veſcendum. Vidit quod oculis videri non poterat, ſed quod concupierat. Videt *Concupiſcentiæ oculus*, ait Hugo Carenſis. Vidit quod viſorio oculorum ſenſu percipi non poterat, ſed concupiſcentiæ, & voluptatis ingenio. Belliſſimè Baſilius Seleuc. *Prius quidem videbat, ſed aſpectum purgauerat affectibus.* Nempe antea viderat edules arbuſculæ fructus, & id non videbat; at vbi affectus concupiſcentiæ, voluptatis veneficio inoculauit aſpectum, iam non tantùm videt quouſque habet oculos, ſed concupiſcentiæ ingenio, mentem de perſpicaciâ æmulatur, & quod eſt ſolius intellectus proprium, oculorum ſenſu percipere præſumit. Quaſi humani ſenſus non ſint hominis membra, ſed ingenia. O humanos ſenſus ad voluptabilia bene rudes, & malè ingenioſos! *Quam aptè ex argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana, præſertim cùm aliquid eiuſmodi de gaudiis & fructibus ſeculi metuit amittere!*

Hugo ibi.

Seleuc. Orat. 3.

Ignorantia humana ſapiens argumentatrix ſibi videtur.

Tertull. l. de Spect. cap. 2.

§. LXXX.

Non affectus, ſed Ratio, in conſilium aduocanda eſt.

1\. NEMO æquus ſibi iudex, conſiliariúſve eſt. Placent homini deformia, quia propria; non tam rationis ductu, quàm paſſionis, non bono (opinor) conſiliario. *Via ſtulti recta in oculis eius: qui autem ſapiens eſt, audiet conſilia.* Scilicet inſipiens, dum alios non conſulit, ſed apud ſe agenda decernit; etiam cùm ſibi videtur recta ſequi, planè ſtulteſcit, & errat: quia non tam rationem, quàm paſſionem conſulit. *Con la razon habemos de conſultar nueſtras reſoluciones, no con el affecto.* Affectus proprius præſtigiarum ſuſpectus eſt, & erroris compendium. Errare vult qui cum affectione conſilium init. *Quid faciam?* (aiebat Diues ille ſtatim damnandus.) *Sed ſtulto conſiliario vſus eſt ſeipſo*, dixit eloquenter S. Zeno.

Prou. 12. 15.

Zeno ſerm. de Euangel. ſecundum Lucam.

2\. Eccli. 39. 10. Eccleſiaſtici 39. ita ſcribitur de viro iuſto & prudenti: In oratione confitebitur Domino: *Et ipſe diriget conſilium eius, & diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur.* Non eſt explicatu facile, quid per hæc verba innuatur: *In abſconditis ſuis conſiliabitur.* Quænam ſunt hęc abſcondita: & cur in abſconditis myſterium ſui conſilij celebrat Iuſtus? & cuius ſunt hæc abſcondita, in quibus conſulit? ſua ne, an Dei? In Dei abſconditis Iuſtus conſilium accipit, an in occultis ſuis conſilium capeſſit? P. Stephanus Menochius, velut hereditario iure eruditus, voculam Græcam αὐτοῦ, pro quâ Vulgatus reddit *ſuis*, ita explicat: *In abſconditis ſuis conſiliabitur. Vox, ſuis, poſitum eſt pro Eius ſcilicet Dei.* Nempe vir iuſtus & prudens in abſconditis Dei conſilium capit; non de abſconditis ſuis, non de præcordiis, quæ ſuſpecta illi ſunt: non de proprio iudicio, aut mente propriâ propriorum ſenſuum matrice: non de proprio corde humanorum affectuum, & cogitationum promptuario. *Adeò autem* (bellè dicit Tertullianus) *non ſola anima tranſigit vitam, vt nec cogitatus licet ſolos auferamus à collegio carnis. Siquidem in carne, & cum carne, & per carnem agitur ab animâ, quod agitur in corde.* Planè eleganter. Scilicet homo iuſtus & ſapiens, in abſconditis, non ſuis, ſed Dei, conſiliatur; ſcius quòd illa, quæ etiam ratione duce geruntur in humano corde, de carnis affinitate, & paſſionis confinio, ſuſpecta ſunt de præſtigio deceptionis, *Adeò vt nec cogitatus licet ſolos auferamus à collegio carnis.* Ecquod conſilium vel in arce mentis de ratione armatum, à carnis contagio, à fæcibus affectuum, & paſſionis præſtigiis prorsùs immune eſt? Inde vir iuſtus, non in ſuis, ſed in Dei abſconditis arcanè conſiliatur, ne proprium conſilium de propriâ affectione, fallaciæ & deceptionis ſuſpectum ſit.

Homo non eſt bonus ſui conſiliarius.

P. Menoch. ibi.

Tertull. l. de Reſurr. carn. cap. 15.

Hîc verſ. 26. ſeriò agit Deus de hominis creatione, & ſpeciem quandam Conſilij repræ- 3. Hîc v. 26.
ſentat, quod ſit noſtrorum idea: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Solerter commentatores perquirunt, quocum Deus Pater his verbis loquatur, quem hominis creandi conſiliarium aduocat? Seduli ſunt Rabbini vt adſtruant, Deum tunc cum Angelis loqui: quod inſigniter refutat Chryſoſtomus. Et ſanè vt pereruditè adſtruit, & ſubtiliter arguit P. Doctor Ambroſius de Peñaloſa Ferdinandi Imperatoris Magiſter, & Catholici regis Concionator, in præluſtri Opere, quod nuper in Germaniâ edidit contra nouos Arianos; Angeli in eiuſmodi conſilium adſciti non ſunt: ait enim Deus velut conſulendo: *Faciamus hominem*; ergo conſultores, & ſimul operis effectores aduocat in conſilium: ergo Pater Deus non Angelos, à propriâ natura ſteriles; ſed aliquam è diuinis perſonis anthropopathôs alloquitur. (Vide, ſi lubet, quàm egregiè ibi vapulet Eniedinus à ſuo Hæreticomaſtyge. Itaque S. Chryſoſtomus, cui paſſim ſubſcribunt interpretes, litteraliſſimè docet, Patrem æternum hæc Verbo Filio Deo dixiſſe. Audi Chryſoſtomum: *Quis igitur hic ad quem inquit: Faciamus hominem? Quis autem alius, quam ille magni conſilij Angelus, ille admirabilis Conſiliarius, potens, princeps pacis, pater futuri ſeculi, vnigenitus Dei Filius?* Sed eſto, æternus Pater conſultat æternum Verbum; cur Spiritus ſanctus non dicitur à Patre conſultus, ſed ſolum Verbum? Annon Spiritus ſanctus eadem quâ, Verbum pollet ſapientiâ? an non etiam foret *admirabilis Conſiliarius*? Profectò Dei Filius, Verbum, & Ratio eſt ex proprio charactere; Spiritus ſanctus non ratio, ſed amor eſt, & reciprocus affectus, ergo moraliſſimè adſpectu ad humanam eruditionem, non dicit Spiritum ſanctum fuiſſe ad conſultationem adſcitũ, (more humano de Deo loquimur cum Scripturâ, & Patribus) ſed Dei Verbum & Rationem, quem

S. Chryſoſt. homil. 7. in Geneſ.

P. Ambroſ. de Peñalo. cõtra nouos Arianos, opuſc. 7. cap. 1.

Cur Verbum diuinum potiùs quam Spiritus ſanctus conſului dicitur?

Chryſoſt. homil. 8. in Geneſ.

quem *admirabilem Conſiliarium* ſignatè appellat. Scilicet Dei Verbum & Ratio dicitur à Patre Deo conſuli, non amor; vt homines ediſcāt, non amorem aut affectum ab illis conſulendum eſſe, ſed Rationem & Verbum, bonum ſemper conſultorem. O, diſcamus de gymnaſio Dei non conſulere affectum, ſed Rationem! Quod in Deo periculo vacat Deitatis priuilegio, periculis plenum in homine eſt. *Nunca fue tenido el affecto por buen conſejero; la Raçon ſi.* Quid ad hanc rem illuſtrius?

---

§. LXXXI.

Sit Deus nobis velut noſtra Mens, quò exactius in nobis Dei voluntas fiat.

1\. Tertul. de Anim. c. 17. & 1.

PLATO in Timæo irrationalem pronūciat ſenſualitatem, & opinioni implicatam. Itaque mendacium viſui obiicitur, quòd remos in aquâ inflexos vel infractos adſeuerat aduersùs conſcientiam integritatis, quod turrem quadrangulantem de longinquo rotundam pertimpeat, quod æquiſſimam porticum anguſtiorem in vltimo infamet, quod cælum tantâ ſublimitate ſuſpenſum mari iungat. Perinde auditus fallaciæ arguitur reus, adæquè guſtus, odoratus, & tactus. Ergo ſi ſenſus mendacia mentem præeunt, adſimili fallaciâ ratio periclitatur humana: neque enim aliter mens intelligit, quàm ſenſus renunciant. Tanta mentis humanæ in cognoſcendo tenuitas fidem poſtulat, & quidem diuinam, ad plenam certitudinem. Certè nullum aliũm potiorem mentis inſtructorem, quam mentis auctorem nanciſci poteſt. A Deo ediſcat, quod per Deum poteſt: aut nec ab alio, ſi nec à Deo. Quis enim reuelabit quod Deus texit? Vnde ſuſcitandum eſt? Vnde & ignorare tutiſſimum eſt, præſtat per Deum neſcire, quia non reuelauerit, quàm per hominem ſcire quod ipſe præſumpſerit. Hæc ferè Tertullianus: quibus tenuitas humanæ mentis publicatur ad res naturales cognoſcendas. Quidni ad ſupernaturales & diuinas mens noſtra ſupernè clareturs, quò perfectè in nobis Dei voluntas fiat.

Senſus omnis, quin & humana mens fallaciæ infamatur.

2\. Gen. 2. 7. Hic v. 26. Caietan. ibi.

Geneſis 1. de hominis formatione ſic fatur Moyſes: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Pro τὸ *Vitæ*, Caietanus cum pluribus ex Hebraïcâ origine exſcribit, *Vitarum. Vitarum autem dixit*, (ait Caietan.) *quia anima intellectiua dat homini omnes vitas, videlicet rationalem, ſenſitiuam, & vegetatiuam.* Ceterùm mirtiſſimum eſt, quòd cùm infuderit Deus homini *ſpiraculum vitarum*, animam inquam, rationalem, amplectentem vim vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi; confeſtim cùm homo recèns factus recognoſcitur, viuens duntaxat nominatur: *Et factus eſt* (inquit) *homo in animam viuentem.* An non aptiùs & explicatiùs dixiſſet: Et factus eſt homo in animam rationalem, aut mente præditam, vt à parte præcipuâ totum hominis titularetur elogium? *Viuens* tantummodo dicitur homo, qui etiam ſenſu præditus eſt, & mente quoque Angelis cognata? Quare duntaxat viuens appellatur, qui ſenſu & intellectu pollet? An ligantur illi ſenſus, & rationis officium præpeditur? *No le dicen, mas que eres racional, ſino que eres viuiente.* Sic vel in Adamo ſuſpecta ſunt opera ſenſuum? humanus mentis vſus, velut rationis abuſus præmaturè timetur? Belliſſimè Chryſologus: (mox iterùm expendendus) *In hominibus Deus Mens eſt.* O quanta paucis compēdiauit Chryſologus, ſagaci & profundo ingenio vir! *Nueſtro entendimiento a de ſer Dios.* Sic dum homine aliquo ad frequens miniſterium feliciter vtimur, Hiſpanè dicimus: *Fulano es mis pies y mis manos.* Scilicet Adamus, etſi in animam rationalem factus indubiè eſt, & rationalis homo creatus; tamen *factus in animam viuentem*, duntaxat dicitur, vt illi intimetur, quòd licet mente humanâ ſit præditus, tamen Deum, Deique conſilia, directiones, notitias debet habere pro mente: *In hominibus Deus Mens eſt.* O auguſtam & generoſam hominis Mentem! O peroptimam luſcæ humanitatis reductricem! Qui diuiniora per Deum non videt, cæcus eſt, allucinatur, cæcutit, errat.

Adamo ſit Deus pro mente, ne circa diuina allucinetur.

S. Chryſol. ſerm. 67.

Planè arcana eſt potentiarum inter ſe concatenatio, & noſtrorum nobis actuum expromptum obſequium, quam Philoſophi ſympathiā vocant. Conſulta ratio viuaciùs proponit aliquid? vltrò voluntas illud appetit, illud certatim ſubiectæ facultates exequuntur, pro imperatricis voluntatis nutu. Aſt quàm difficulter voluntas cum ſuarum potentiarum ſeruitio ſubditur alieno imperio, extraneæ rationi, & voluntati! Mens ſæpiùs aliorum iudicio diſſentit, voluntas reſilit, & renutu ſuam libertatem vindicans ſibi, alienæ renuit voluntati parēre, & mens mentem refutat alienam. Ad hanc difficultatem euincendam, (quia maximè noſtra intereſt conformari cum diuinâ voluntate, nec ab illâ latum vnguem excedere, ſed explere ad amuſſim) quotidie ex Chriſti Dei præſcripto inculcamus orando: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.* Ad quæ verba ſic peracutè ſcribit nuper laudatus Chryſologus: *Hoc eſt regnum Dei, quando in cælo & in terra Dei eſt voluntas ſola, quando in omnibus hominibus Deus Mens eſt, Deus viuit, Deus agit, Deus regnat, Deus eſt totum, vt iuxta illud Apoſtoli: Sit Deus omnia in omnibus vobis.* Scilicet, quò exactiùs fiat Dei voluntas in nobis, Deus ſit velut Mēs noſtra, quæ noſtræ voluntati res appetendas denunciet: non ſenſus fallax, & falſatus ſæpè intellectus rerum fallaciâ. Præeat Mens diuina voluntates, & actiones humanas, vt ad diuinam voluntatem homo exactiùs conformetur. Sit vice noſtri intellectûs & iudicij, Dei Mens & iudicium nos dirigens: tunc enim Dei voluntas perfectè fiet in nobis, quando *hominibus Deus Mens eſt.* Tunc, tunc quidem, in nobis *Deus viuit, Deus agit, Deus regnat, Deus eſt totum, vt iuxta illud Apoſtoli: Sit Deus omnia in omnibus nobis.* Quid exaggeratius?

3\. *Sit Deus velut noſtra mens, vt perfectè in nobis diuina voluntas fiat.*

Matth. 6. 10. Chryſolog. ſerm. 67.

1\. Cor. 12. 6.

§. LXXXII.

Scientia principandi, in parendi eruditur gymnaſio.

1. DISCIPLINA parendi, eſt imperandi magiſterium: obſequendo diſcitur, quod principando iubetur. Nemo qui malè obedit, bene imperat: iubendi peritia in obſequij ſcholà erudienda eſt. Non neſciat obedire, vt ſciat imperare. Nam diu imperitari adſuetus, naturam humanam deſueſcit, & ſubditos quaſi ſtigmaticos ſeruos, aut belluinos homines barbaricè tractat, inſolentis imperij faſtu. Bina duntaxat adducam exempla, ex Bibliorum adytis exprompta, quæ theſim hanc diuertent ad Superiorum mores informandos.

2. Ioannis 21. Cùm olim Chriſtus promiſiſſet Petro, ſe illi daturum Eccleſiæ principatum; hîc fidem ſuam ſoluit, & ſummum Eccleſiæ principem illum conſtituit, vnáque totum orbem eiuſdem clauibus & imperio ſubiicit. Cùm ergo electioni vicinaretur Petrus: *Dixit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis plus me his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce Agnos meos.* (locus §. ſequenti aliorsùm verſandus) En Petrum conſtitutum Dominici gregis ſummum Paſtorem. Sed pulchram hinc quæſtionem excitant interpretes, quare hîc *Simon Ioannis* appelletur, qui à quo tempore in Apoſtolicum collegium adſcitus fuit, *Simon Petrus* nominatur? Quondam illi dixerat Chriſtus, fore, vt vocaretur exinceps Simon Petrus, quo nomine ſemper ab Euangeliſtis nominatur; & nunc antiquatum nomen, vel potiùs antiqui nominis cadauer exſuſcitat Chriſtus, quo eum appellet? Quid ſacramenti in hâc nouâ antiqui nominis appellatione deliteſcit? Eruditè Alcuinus ſic ſcribit, & difficultatis nodum acutè ad rem præſentem extricat. *Dicitur autem Simon Ioannis, id eſt, filius Ioannis. Myſticè autem Simon Obediens, Ioannes Gratia, meritò hoc nomine vocatur, id eſt, Obediens Gratia Dei.* Scilicet cùm Petrus, totius Eccleſiæ caput, Chriſti Dei ſucceſſor, & Orbis princeps eligitur; tunc, tunc quidem, non adſueto *Petri* vocabulo, ſed deſueto, antiquo, & abrogato nomine, *Simon Ioannis* indigitatur, vt ſuæ Obedientiæ memoriam in nomine ſuo inſcriptam legat. Res planè admiratione digniſſima. Dum Petrus à Chriſto Deo conſtituitur orbis totius princeps, & qui Imperatorum nemini ſubditur, & cui Imperatores ſubduntur omnes, tunc cõſueto nomine omiſſo, inſuetum reſumpſit vocabulum, quò Petro, ſupremo omnium principi, Obedientiæ characterem in nomine inſculperet. Quaſi dicat; Deinceps tu nemini ſubderis, omnes ſubdentur tibi; ſed vide, non imperiali, ſed obedientiali nomine nunc à me appellari, ne obſequiũ nomini inſcriptum tuo deſueſcas. Sint tibi regni cæleſtis claues, ſupremæ poteſtatis inſigne; ſit nomen, obſequij memoriale. Nomen rem erudiat, de ſcholâ Obedientiæ diſce gubernandi peritiam. Conſultiſſimè ergo cùm Petrus eligitur ſummus Eccleſiæ Pontifex, non vt eò vſque *Simon Petrus*; ſed antiquo & deſueto vocabulo, *Simon Ioannis*, id eſt, *Obediens gratia Dei*, oportuit nuncupari.

Ioan.21.15.

Dum Petrus ſummus orbis Pontifex eligitur, Obedientiæ nomine nuncupatur.

Alcuinus in Catena.

3. Summo Eccleſiæ Principi, ſummus orbis ſuccedat Princeps, de ſuâ obedientiâ ad principandum alijs erudiendus. Geneſeos 1. ſic fatur Deus Adamum formaturus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ.* Vide quàm longè latéque pateat Adami imperium; qui non tantùm numeroſæ familiæ ſuæ, generis inquam, humani à ſe propagandi; ſed etiam piſcium dominus, volatilium rector, & animantium princeps creatione inauguratur. At mox vt creatus eſt, & ad topiarias paradiſi delicias tranſlatus, confeſtim Deus, *Præcepit ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Mitiori vocabulo hanc præceptionem expreſſit Hieronymus, aiens: *Præcepit ei dicens*, &c. Alij autem Bibliorum exſcriptores voce magis imperatiuâ intimatum eſſe præceptum tradunt, quod notauit Gregorius Nyſſenus his verbis: *Obſeruare dignum eſt, in totâ mundi conditione dictum eſſe, Dixit Deus: Fecit Deus, quæ quidem vox Deus, propriè opificem ſignat. Domini autem appellatio, propriè principis ac regis poteſtatem ſignificare videtur. Meritò igitur cùm Deus Adæ iniungeret, ſcriptum eſt iuxtà aliam litteram: Et mandauit Dominus Adæ.* Eccur ſic feſtinat Deus Adamo recèns creato præceptum imponere? & quidem dominâ & imperiali voce, vt obſeruat Nyſſen. Quare nec vnius dieculæ ſpatium illi concedit Deus, vt plenâ libertate fruatur? Paradiſeas improſperat delicias, & felicem innocentiæ ſtatum tam feſtinatâ præceptione infelicitat? Scilicet quem terrarum *Præſidem*, & orbis Monarcham creat, ſtatim obſequiis aſſueſcere feſtinat, vt ſimul cum principandi poteſtate, iugum parendi obſequenter ſubeat. Non multùm referebat, quod de vnâ arbuſculâ Adamus ederet, ſiue abſtineret Adamus; at magni intererat, vt cum imperandi orbis Monarchiâ, parendi eruditionem ediſceret de ſchola obedientiæ. Malè imperabit omnibus, qui vel vni bene parere neſcit. Qui creatus eſt vt *Præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ*, erudiat regendi peritiam in obſequendi gymnaſio. Non ſatis gubernandi peritus naſcitur, qui tot naturæ & gratiæ dotibus imbutus naſcitur, niſi imperandi ſcientiam inſtruat ſubiectione parendi? O arcanam Præpoſitis eruditionem!

Hic verſ.16 *Subeat iugũ præcepti Adamus, quò ipſe omnium imperare diſcat.*

Gen.2.16.

Nyſſen.ibi.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Eligendus Antiſtes, ætatis, eruditionis, & meritorum indiget ſuffragio.

1. NI 1 æquè fatuum eſt, ac ſenex qui nihil aliud afferre poteſt ad probandam ætatem, quàm quod diu vixerit: & canos meritorum ſuffragio auctoratos Dignitas quærit, quæ iuuenes, aut ſanguinis claritate, aut cognationis patrocinio, aut negotiationis veneficio, aut munerum præſtigiis, aut fauoris lenocinio, ſubitò idoneos, non recuſat. *Non enim* (ait Nazianzenus) *virtute magis, quàm maleficio Sacerdotium paratur; et dignorum, ſed potentiorum throni ſunt. Cùmque nemo medici, nec pictoris nomen vnquam obtineat, niſi prius morborum naturas conſiderauerit, aut multos colores miſcuerit; Antiſtes contra facile inuenitur non elaboratus, ſed recens quantum ad dignitatem, ſimul ſatus & editus; quemadmodum poëtæ gigantes finxerunt, vno die ſanctos fingimus, eoſque ſapientes & eruditos eſſe iubemus; qui nil didicerunt, nec ad ſacerdotium quicquam prius contulerunt, præter Velle.* Verba planè Nazianzeni ingenio & eloquio digniſſima.

Naz. Orat. 20. 16. *Antiſtes vnâ die creatus ad dignitatem elaboratam.*

2. Chriſtus Deus electurus Petrum in Eccleſiæ Antiſtitem; ſic ipſum alloquitur, Ioannis 21. *Dixit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dixit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.* Attentiores interpretes meritò addubitant, quare hunc, quem Euangeliſta *Simonem Petrum* appellat, & ipſemet Chriſtus à vocatione in quâ illi *Petri* nomen indidit, ſic cum nũcupauerat, modò præter conſuetudinem, non vt euſque, ſed antiquo, & deſuetudine velut obſoleto nomine, nõn Simon Petrus, ſed *Simon Ioannis*, aut Ionæ nominetur. Imo quando ſummus Eccleſiæ vertex renuntiatur, Petrus potiùs appellandus foret: nam ad id, antiquo nomine oblitterato, nouum ei *Petri* vocabulum fecit, aiens: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Eccur quando Eccleſia ſuper hanc petram ædificatur, omiſſo ad rem aptiori *Petri* nomine, *Simon Ioannis*, quod eſt antiquũ minùs idoneum, & ſeculare vocabulum, ſuſcitatur? Cùm Petro res vocabuli impletur, tunc rei apto vocabulo defraudatur? Ecquid myſterij in hâc conſultiſſimâ nominis nunc mutatione deliteſcit? Alcuinus dubium hoc tetigit, & pauculis hiſce verbis plura ſignificauit, quàm dixit. *Dicitur autem* (ait) *Simon Ioannis, id eſt, filius carnalis patris.* Scilicet cùm Chriſtus Petro tribuit præcelſam Eccleſiæ dignitatem, non eum nuperrimo appellat nomine *Simon Petrus*, ſed antiquo, quo olim vtebatur, vt teſtetur, non hominem nuper elaboratum, & recens eruditum, & vnâ dieculâ, velut gigantes, effictum, elegiſſe; ſed virum diu quæſitum, & diuturnâ elaboratione idoneum, ad dignitatem adſciſci. Non quem derepentè iubet eſſet benemeritum; ſed quem, ex quo tempore *Simon Ioannis* nominabatur, diuinioris gratiæ limâ expoliuit, & multâ diu eruditione elaborauit. Secularis vocabuli cadauer reſuſcitat, vt ſimul memoriam ſuſcitet antiquæ olim vocationis, & vberioris adeptæ diu doctrinæ meritum. Quo etiam nomine illum nuncupauit, Matth. 16. 17.
quandò diuinioris ſapientiæ merito, audiuit: *Beatus es Simon Barjona; quia caro & ſanguis non reuelauit tibi.* Mauult enim Chriſtus, dum Petrum, ſummum Eccleſiæ Antiſtitem conſtituit, illum ſeculari, & inde minus idoneo nominare vocabulo, vt rem maximè idoneam ad Dignitatem obtinendam præferat, nempè antiquitatem merendi. Vnde non appellatur *Petrus*, quando ſuper hanc petram ædificat Eccleſiam; ſed *Simon Ioannis*, importuno quidem vocabulo; ſed opportuniſſimo ad merendi antiquitatem explicatiùs demonſtrandam. Ne exinceps in Eccleſia, *Antiſtes facile inueniatur non elaboratus, ſed recens quantum ad dignitatem, ſimul ſatus & editus; quemadmodum poëtæ gigantes finxerunt, vno die ſanctos fingimus, eoſque ſapientes & eruditos eſſe iubemus.* O Adami recens nati imperium infeliciter adminiſtratum! Paulus ad Hebræos 7. Melchiſedechum inducit, ſacerdotij Chriſti Dei, & eius ſucceſſorum typum. *Hic, ait, Melchiſedech rex Salem, ſacerdos Dei ſummi..... Sine patre, ſine matre, ſine genealogiâ.* Paucis multa Paulus complexus eſt. Hunc Melchiſedechum, qui dicitur ſacerdos dei ſummi, fuiſſe Semum, Noëmi filium natu maximum, locupletes tradunt Doctores. Abulenſis & Lyra. Scilicet vbi primùm Melchiſedech inducitur, Chriſtiani ſacerdotij figura, inducitur homo reliquis tunc mortalibus annoſior; eo enim tempore, ſi Hebræis credimus, agebat Sem, ſeu Melchiſedech quadringentos ſexaginta quinque annos. Putaſne tam grandæuum ſenem, Noëmi patris ſcholâ perdiu eruditum, idoneè de ſacerdotio adumbrare inelaboratos iuuenes, quos electorum fauor *vno die ſanctos finxit, eoſque ſapientes & eruditos eſſe iuſſit?* Addit Apoſtolus: *Sine patre, ſine matre*, id eſt, vt Anſelmus Laudunenſis vno vocabulo vbertim compendiauit, *Ens*. Quaſi vocula duntaxat *Ens*, ſit explicatio prædicti ſermonis: *Sacerdos Dei ſummi, ſine patre, ſine matre, ſine genealogiâ.* Porrò *Ens*, vt in Metaphyſicis olim ludebamus, eſt conceptus metaphyſicus à rebus omnibus abſtractus, & quâdam tranſcendentiæ vagatione in rebus omnibus imbibitus. O quàm multa paucis ſub analogiâ *Entis* perſtringit Anſelmus! Præterea ſacerdos Dei ſummi dicitur, *ſine patre, ſine matre*, non quòd patrem aut matrem non habuerit Melchiſedechus, aut Semus; ſed quia *Scriptura de patre eius, aut matre non loquitur ſub hoc nomine Melchiſedech*, ſub quo inducitur Sacerdos Dei ſummi, ſed ſub Semi vocabulo, vt reſpondet Lyranus. Sacerdos enim caret in terris *patre, & matre, & genealogiâ.* Sacerdotium quod peperit affinitas, aut cognatio, non partus, ſed aborſus ſæpè ſacerdotij eſt. Porrò *ſine genealogiâ*, non ſignificat, ſine progenitoribus; nam dictum iam erat, *ſine patre, ſine matre*; ſed vt ibi peritè aduertit Interlinearis Gloſſa, *ſine genealogiâ, id eſt, non habens prolem.* Improlem corpore Antiſtitem Inſulæ exigunt, quo fœcundum ſpiritu inueniant.

Legatur Maldonatus hic hac ſuper re. Seculare olim Petri nomen ſuſcitatur, cùm illi Prælatio conceditur. Matth. 16. 18. Alcuin. ibi.

Hic verſ. 26. 3. ad Heb. 7. 3. Geneſ. 14. 18. *…acerdos ſummus Dei ſit ſine patre, & matre, quod eſt* Ens. Lyra ibi. Gloſſa interl. ibid.

§. LXXXIIII

Reges geminato & naturæ, & dignitatis velut ſomite inſtigantur ad malum.

1. SVPERBIA Regum arroganter putat vitæ licentiam, & flagitiorum impunitatem eſſe purpuræ ſtipendia. Niſi fortè, (ac ſi naturam humanam cum ſceptro deſue'cerent) velint ſibi id quaſi priuilegium vendicare, vt iure ſuo crimina committant. Inde ſubiecti populi popularis peruerſitas; qui in veſtigiis Domini ſui ambulans, potentiora quodammodò, & expreſſiora pedibus ſuis facit Domini ſui eſſe veſtigia. Indiuidua videtur improbi Regis malitia, ſed quæ primordialis delicti de contagione æmula, vniuerſatim omnium mores faſcinat, inficit, conſtuprat, initiat, deprauat, peſtilentiſſimá corruptelá.

Princ'pū mal... in ſubiectos populos ſerpit.

2. Matthæus in ſui Euangelij auſpicio, totus eſt in texendá progenitorum Chriſti Dei ſerie, quá oſtendat, ipſum eſſe verum Meſſiam priſcis Patriarchis promiſſum, & à Prophetis olim prædictum, mundi Redemptorem. Sed non leuis quæſtio hinc oritur, eccur cùm Euágeliſta intendit demonſtrare Chriſtum eſſe verè Meſſiam, tot peccatores abſque neceſſitate (vt apparet) in lineâ eius genealogiæ interſerat. Eſto, Dauidem recenſeat in ſerie Dominicæ proſapiæ, quid neceſſe fuit meminiſſe Berſabææ, nec proprio quidem nomine, ſed adulterij & homicidij titulo: *Dauid autem rex genuit Salomonem ex eâ, quæ fuit Vriæ.* Quid attinet ad Chriſti progeniem, & ad Incarnationis ſacramentum, (quod demonſtrare intendit) quòd Rex Dauid Salomonem genuerit ex Berſabee, Vriæ quondam vxore, regij adulterij conſorte, & parricidij conſciâ, & forſan impultrice? P. Magiſter Alfonſus Salmeron, vnus è primis noſtræ Societatis Patriarchis, morum probitate, & exquiſitâ eruditione notiſſimus, qui quaſi noua de cælo facula totius noui Teſtamenti mundo attulit, ita ſuper hàc quæſtiuncula philoſophatur, ad illa verba: *Dauid autem rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Vriæ. Non dixit* (inquit) *ex Berſabee, ſed periphraſi deſcripſit illam, vt flagitium Dauidis notaretur, ac mundi Redemptionis indigentia detegatur.* Scilicet in totâ progenitorum Chriſti ſerie ſolus Dauid ab Euangeliſtâ Rex nominatur, & cùm generationis lineam ad eius filium deducit, non intermittit tacitus Berſabæam, neque eam proprio nomine indigitat, ſed vocabulo, quo regis Dauidis enorme flagitium prodat. Et quidem conſultiſſimè cùm de Redemptoris mundi probando aduentu agitur, Regis Dauidis flagitium denotatur. *Vt mundi Redemptionis indigentia detegatur.* Quid luculentius? Vſque adeò eſt difficile enormia Regum flagitia corrigere, & Principum delictis mederi, vt ex Regis crimine ſpecialis *Indigentia Redemptionis* arguatur. Num alia non ſuppetebat facilior medicina, quæ remedium faceret Regum flagitiis? Sic eſt arduum regios ſanare mores, vt Principum crimina ſingulariter expetant Deum medicum, & ſignatè egeant Chriſti Dei Redemptione? Sic ſunt immedicabiles deprauati Regum mores, vt niſi exquiſito Redemptionis pharmaco, curari non poſſint? Popularium enormiſſima crimina, non tam expetunt Chriſti Redemptionem, & ex Principum flagitiis ſtrictior Redemptionis *indigentia* cóprobatur? Dei Verbum corporatum eſt, vt Deus medicus præcipuè curaret Regum flagitioſos mores, proprij cruoris medicina? ò quam bellè hinc arguitur, quàm ſint enormes Procerum culpæ, poteſtatis lenocinio temerariè audaces, & quàm ſint curatu difficiles, cùm Redemptionis indigentiam ſingulariter arguant.

Matth. 1. 6.

Regum crimina indigentiam Redemptionis ſingulariter probant.

P. Alfonſus Salm. ibi.

3. Ioannes Redemptoris Præcurſor, prædicatione redemptionem præcurrit, illique viam ex munere opportunè ſternit: & Verbi vox, deſerti accola, has intonat in deſerto voces: *Ego vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini*, &c. Item: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Scilicet totus fuit in eremo Ioannes, vt Redemptorem, eius Præcurſor vel digito hominibus demonſtraret. Verùm veſanâ Regis Herodis inuulgatâ libidine, quâ populorum mores nefario inceſtu iniquiſſimè conſtuprabat; ſolitudinem deſerens, ad regiam vrbem, vitiorum metropolim properat, & ſic Rege coram buccinat: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Notiora ſunt hæc, quàm vt relatu indigeant. At ſuper hâc re, non poſſunt non peregrinari aures in eo quod locuples, antiquus, & in paucis ſubtilis Baſilius Seleuciæ præſul ſcribit. *Videns* (inquit) *hæc Baptiſta Prophetarum apex, legis perfectio, veteris ſimul ac noui Teſtamenti ſequeſter, eremi ciuis, temperantiæ opifex, reginam libidinis adminiſtram, contra dignitatis & naturæ rationem debacchantem, confuſos iuſtitiæ terminos, naturam in theatrum iniquitatis verſam*; attende ad verba quæ ſubiicit Baſilius, *hæc, inquam, videns, quas olim voces in eremo fecerat, repetebat.* Verùm enimuerò ſi attentiùs Euangeliſtæ legantur, nuſquam in eremi concionibus vlla reperietur mentio regiæ libidinis à Ioanne reprehenſæ. In regni metropoli, & in ipſo Regis palatio, hanc vocem propheticâ licentia animoſè vibrat: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*; non in olim à ſe habitatâ eremo, vbi totus erat, vtpotè Præcurſor, in Chriſto prædicando, annuntiando, demonſtrando, moribus, verbis, digito. At ſeriò nos docet Baſilius, quòd Ioannes in Regis palatio, *Quas olim voces in eremo fecerat, repetebat.* An qui Præcurſor Redemptoris aduenerat, in eremo etiam has in Regem iactabat voces: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, quò verum ſe probaret Redemptoris Præcurſorem, ex enormi Regum prauitate, *mundi Redemptionis indigentiam detegens?* Profectò ſi Euangeliſtæ ideò in Redemptoris genealogiâ progenitorum regum flagitia produnt, *vt redemptionis indigentiam detegant*: quid mirum ſi Præcurſor Ioannes, etiam in eremo, vbi Præcurſoris officium auſpicatur, humanæ redemptionis propinquitates, ex veſanis Regum flagitiis demonſtret. In deſerto etiam Rege procul intonat Redemptionis Præcurſor infanda Regum crimina, quò inſtantiùs vrgere *redemptionis indigentiam detegat*, & inde Redemptori indigitando

Marci. 1. 3.

Ioan. 1. 29.

Ioannes Redemptionis Præcurſorem ſe probat, obiurgans veſana Regum flagitia.

Matth. 19. 3.

Seleucus Orat. 18.

Ioannis Baptiſtæ elogiū.

In oppidis etiã procul à Regiâ curia obiurganda ſunt Regum enormiora flagitia.

gitando viam expeditiùs ſternat. Ecce tibi Pręcurſor, *quas olim voces in eremo iecerat, repetębat in palatio: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Erudiatur hinc quoque Euangelici concionatoris zelus, non tantùm publicæ Regum prauitatis reprehendendæ negotium incumbere in regios Eccleſiaſtes; quorum ora ſæpè aut corãm metus, aut ambitio, aut auaritia oppilat; ſed in oppidorum, & vel in eremi verbi Dei præcones. Totum regnum principalem perſonat prauitatem, ad enormioris malitię emendationem. Publica morum peſtis, multorum ſiſtatur medicamine. Quâ autem rerum occaſione, & verborum vrbanitate id præſtandum ſit, alibi vberius dabo.

5. Locum ex Matthæi 1. nuper à P. Salmerone enucleatum, emedullet adhuc Ambroſius, ſi fortè ſucci aliquid ad mores exprimere valeamus. *Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* An Ambroſius ergo in Apologiâ,

Matth. 1. 6.
Ambr. Apologiæ cap. 4.

quam pro Dauide ſcripſit, ingenuè fatetur inter regem Dauid ab Euangeliſtâ hîc enormium criminum veriſſimè culpari, & his illum vindicat verbis. *Peccauit Dauid, quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam geſſit, fleuit, ingemuit, quod non ſolent Reges. Quod crimen ſunt facere priuati, Rex non erubuit confiteri..... Ergo & Dauid, qui ſciret hominem ſe eſſe natum lapſui, etiam poſtulauit, Domini autem non deſperauit miſericordiam.*

Reges lapſui nati dicuntur, dignitate ad ruinam impellente?

Nota quaſi quid magnum & de ſingularitate famoſum de Rege Dauid dici, pœnitentiam egiſſe, *quod non ſolent Reges.* O quàm multa paucis breuiauit Ambroſius! Nimirùm, *Peccauit Dauid, quòd ſolent Reges; ſed pœnitentiam geſſit, quod non ſolent Reges, qui ſciret ſe eſſe natum lapſui.* Ac ſi delicta ſint agnata Regibus, & peccare ſit Regibus maximè procliue, quaſi præter hominibus communem delinquendi fomitem purpuræ faſtus, licentia, & impunitas, ſit alter, velut peccati fomes, & incentiuum malitiæ. Itaque Principes geminato velut aguntur fomite ad delicta; & humani appetitûs illecebris, & dignitatis quaſi incentiuo. Probè id nouerat Dauid rex, publicans ſe in regio ſolio, *eſſe natum lapſui.* Princeps lapſui naſcitur? ô pulchram licentiæ Principum exaggerationem! Sæpè enim impunis ad delinquendum licentia, eſt arcana quædam ad delictum inſtigatio. Ergo rex Dauid, qui fuit Regibus olim peccandi exemplar, ſit eiſdem pœnitentiæ idea. *Peccauit Dauid, quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam egit, quod non ſolent Reges.* Quaſi pœnitentia ſit Regibus quodammodò extranea, & Principes ſint à pœnitentiæ bono velut extorres! Non negauerim Reges aliquos fuiſſe probitate illuſtres, alios non valdè improbos eſſe; ſed id gratiæ faſtus eſt, & pietatis diuinæ exaggeratio.

Pœnitẽtia in Regibus peregrinatur?

Hîc v. 26. Vide hîc v. 26. Adamum eâdem die quâ Princeps creatur, eâdem enormiter deliquiſſe. Deerat illi peccati fomes, & alter quaſi dignitatis fomes illi non deerat.

* * *

§. LXXXV.

Laudatior Subpræfectorum peritia, in regiminis adminiſtratione, Præfecti ideam fideliter exprimit.

FERE ita compertum eſt, vt quot ſunt hominum capita, tot ſint iudiciorum ſententiæ: plures autem & diuerſæ Gubernatorum ſententiæ regimen interturbant, magno Reipublicæ impendio. Et quidem neſcio quâ iudiciorum ſcabie aguntur ſubpræfecti, vt Præfecto non aſſentiant in regiminis formâ. Si Præfectus aſpectu ad rem & perſonas, nonnihil fellis temperat; tunc ſubpræfecti mellis plurimum aſpergunt: ſi tantiſper imbecillis conniuet, ipſi ad faſtidium religioſi inuigilant: ſi in ſceleſtos Præfectus ardens, mordens, inſurgens animaduertat; ipſi frigent, languent, ceſſant; quò rei inuidiam in ſummum gubernatorem dirigant. Quaſi iudiciorum prurigine in hoc vnum conſpirauerint, vt ab eo diſſentiant. Quæ palàm regiminis peſtis eſt, cui medicinam facit Scriptura, vt morbum hunc perniciosè ſerpentem præproperè ſiſtat. 1.

Prurigo diſſentiendi in gubernatoribus caſtigatur.

Poſt creaturas omnes formatur Adam, earum Princeps, conditorum animantium, & condendorum hominum *Præſes* à Deo deſignatus. Paulò ante mulieris formationem, arcanam quandam in bruta animantia Deus immiſit teſſeram, quâ vltrò omnes ad Adamum irent, vt nomen cuiuſque naturæ congruum acciperent. *Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius.* Explicatiùs Hebraïca veritas, & Chaldaica paraphraſis rem tradunt. *Adæ non inuenit* (ſupple, Deus) *adiutorium quaſi eum.* Moroſus ero, ſi ex Patribus, & expoſitoribus, & ratione petitâ è Bibliorum arcanis, probarem Euam, pro ſuo modo, creaturarum rectricem cum Rectore marito fuiſſe creatam. Saltem indubium eſt, rei domeſticæ heram & dominam eſſe primariam coniugem, vt in hoc miniſteriali officio rerum omnium Præſidem Adamum adiuuaret. Vides quàm ſolerter Rectori Adamo quæratur *adiutor ſimilis eius?* Et tamen, *Adæ non inuenit* Deus *adiutorium quaſi eum:* Adamo creaturarum Rectori, nec Deus inuenit domeſtici regiminis adiutorẽ ſeu miniſtrum, *quaſi eum?* Hiſpanè diceres: *de ſu humor, de ſu condicion, de ſus dictamenes.* Quod maximè ſubpræfectis neceſſarium eſt; nam ſubpræfectus eſſe debet alter ipſe Præfectus; *quaſi eum, de ſu humor.* Porrò omnis ſubditorum malitia impunitatis candidata eſt, & inde in correctores tota conſpirat, quos niſi vniſſimos inuenerit, diſſipabit, exarmabit, omnemque euertet regiminis politiam. Dum hîc verſic. 26. Adamus & Eua Præſides mundi creantur; tametſi multiplicentur ſexu, quaſi vna foret perſona, Præſides deſignantur, *Et præſit piſcibus maris*, &c. 2.

Rectori dat Deus miniſtrum, quaſi eum.

Geneſ. 2. 20.

Hîc v. 26.

Num. 11. Moyſi intolerabile viſum eſt, tantam numeroſi & pertinacis populi regere multitudi 3.

titudinem : *Non poſſum*, inquit, *ſolus ſuſtinere*
De Moyſis ſpiritu ornat Deus futuros populi ſubpræfectos.
omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi. Annuit Deus iuſtæ degrauati Gubernatoris petitioni : & illi præcipit, vt ſeligat ſeptuaginta viros obeundo muneri idoneos, & ducat eos ad oſtium tabernaculi fœderis, vt deſcen-
Num. 11. 17. dam, & loquar tibi, ait Deus : *Et auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.* Non quaſi Moyſis ſpiritum diminuerit Deus, & partem aliquam abſtulerit, quam in hoſce ſeptuaginta
Auguſt. ibi. quæſt. 18. & Theodor. q. etiam 18. ta ſubpræfectos transferret, vt docent Auguſtinus, & Theodoretus : ſed *auferam*, id eſt, accipiam, & nouiter producam aliquid *de ſpiritu tuo*, id eſt, de ſpiritu qui eſt in te, vt habent Hebræa & Septuaginta : aliquid inquam, ſpiritui tuo ſimile illis communicabo, vt te in regimine adiuuent. Ita tamen vt tuus ſpiritus tibi integer maneat : quia æquè vt priùs, totius populi cura tibi deinceps incumbet, etiam ſi hos tibi dem gubernationis adiutores. Quibus vſque adeò tibi ſimilem gubernandi ſpiritum impertiam, vt portio aliqua tui ſpiritus, aut tuæ animæ illis nouiter indita videatur.
Hugo Card. ibi. Quod his verbis acutè aduertit Hugo : *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, &c. Ablatio,* inquit, *ſpiritus Moyſis, & traditio alijs, non intelligitur diuiſio aut diminutio ſpiritus; ſed illuminatio aliorum ad regendum populum per eandem ſpiritualem gratiam.* Ecce tibi Miniſtrorum pulchram ideam. Vſque eò enim debent adſentiri & adſimilari Præpoſito, vt portio aliqua ſpiritus, abſque eiuſdem diminutione, ablata videatur, quæ in illis ſimillimè vigeat. Adiutorem enim regiminis, *quaſi eum*, tribuit Deus præſidenti Adamo; & Moyſi ſeptuaginta ſubpræfectos, qui ſic politiam adminiſtrent, vt non tam Moyſi ſimiles, quàm *eadem ſpiritualis gratia* illis collata videatur, eadem mens, idem animus, ipſiſſimus Moyſis ſpiritus. *Auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis.* Vel vt Chaldæus Paraphraſtes vertit, & exponit : *Augebo de ſpiritu, qui eſt ſuper te, & ponam ſuper eos.* Auctior enim, eminentior, & illuſtrior eſt gubernatio Præfecti, quo ſubpræfectos eodem ſpiritu actos, feliciter ſortitus eſt.

4\. Geneſeos 3. Adamus nuper paradiſi incola,
Geneſ. 3. 24. primæui flagitij reus, mundo in exilium datur. *Eiecitque Adam : & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.*
Cur pluribus Cherubinis Paradiſi Præfectis vnus duntaxat gladius datur.
Cùm τὸ *Cherubim* ſit nomen pluratiui numeri, vt vel ſacræ linguæ tyronibus in comperto eſt, & vulgò notant interpretes; meritò hinc quæritur, cur vnus tantùm *gladius* Cherubinis pluribus porrigatur? Porrò vnicus gladius vnum duntaxat armabit Cherubinum, reliquos dimittet inermes. Si hi Cherubini, paradiſeæ regionis Præfecti, armis indigent, eccur vnus tantùm enſe cingitur? ſi verò in Cherubinis vacat opera gladij, quare vnus armatur gladio, & reliqui dimittuntur inermes?
Rupert. l. 3. in Geneſ. c. 32. Rupertus hunc locum verſans, per *gladium* (vt alibi ſæpè in Scripturis) iudiciariam poteſtatem intelligit, ex quâ doctrinâ procliue erat rem dirimere.
Hugo ibi. Hugo autem ſuper iiſdem verbis, ita opportunè fatur : *Et collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium. Hoc*, inquit, *per cæleſtes Poteſtates etiam in paradiſo viſibili factum eſſe credendum eſt : vt per Angelicum miniſterium ibi eſſet quædam cuſtodia, non tamen fruſtrà, ſed quia aliquid de paradiſo ſignificatur ſpirituali.* Vides oculis, quod quia aliquid de paradiſo ſpirituali ſignificatur, dum Cherubico aut *Angelico miniſterio* regitur, plures præficiuntur Cherubim, ſed eorum omnium vnus eſt *gladius*, vna iuriſdictionis poteſtas, vna gubernationis idea, vna regiminis adminiſtratio. Hi Præfecti Cherubini quaſi vnus plures, aut plures multipliciter vnus eſſent, vnicum duntaxat gubernationis gladium vibrant, ac ſi illorum omnium vnâ manu regiminis gladius ad politiam ageretur. O bonum *ſpiritualis paradiſi* gubernandi exemplar! Vel leuis inter gubernatores diſſenſio, non leue politiæ detrimentum eſt.

---

§. LXXXVI.

Spontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat.

TARDVM eſt & varium quod vſus docet. Quicquid natura tradit, & æquale eſt omnibus, & ſtatim. Nil eſt tam arduum, 1.
quod ſi à naturæ impetu ſit, aut inclinatione voluntatis, difficile videatur. Velis, & audebis. Imò velis, & poteris. Dulceſcunt labores vltrò ſuſcepti; & voluntas audentis, dura quæque emollit, aſpera mitigat, & arduas edomat difficultates. Vbi adeſt voluntas, planè euaneſcit difficultas.

Lucæ 8. occurrit Christo Deo vir quidam, 2.
Dæmones aſſicere expetunt, quod alieno imperio coacti facere exhorreſcunt.
qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis. Interrogauit autem illum Ieſus : Quod tibi nomen eſt? At ille dixit : Legio : quia intrauerant dæmonia multa in eum. *Et rogabant illum ne imperaret illis, vt in abyſſum irent.* Erat autem ibi Lucæ 8. 33.
grex porcorum multorum paſcentium in monte : & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi : Et permiſit illis. *Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos : & impetu abijt grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.* Tota huius loci difficultas in eo
Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. c. 11. Caiet. ibi.
vertitur, vt exponatur, quid *abyſſus* ſignificet. Sanctus Auguſtinus affirmat abyſſum eſſe inæſtimabilem aquarum profunditatem. Auguſtinum videtur hîc ſequi Caietanus, ita locum commentans : *Et rogabant illum ne imperaret illis, vt in abyſſum irent. Non quòd timerent dæmonia ſubmergi, aut ſuffocari in aquis : ſed ne in locum carceris, vbi omninò ligata eſſet eorum potentia, mitterentur.* Omitto nunc quòd in aquis dicitur ligata Dæmonum potentia, quo grande alioqui elogium ſiue Baptiſmi, ſiue lacrymarum myſticè videtur deſignari. Mitto inquam, hæc, & ad rem obſeruare oportet, quòd id Dæmones nunc expetunt, quod nuper precatiè auerſabantur. Paulò antea enixè rogant, ne mittantur in abyſſum, id eſt, in aquas; & vbi id illis benigniſſime à Chriſto conceditur, & in porcos fœdè intrant; confeſtim ſe in vndas præcipites agunt. Profectò niſi ſuperbiſſimi dæmones valdè exhorreſcerent mitti in aquas,

non

non à genu Chriſtum adorarent, & arrogantiæ ceruices flecterent, vt id anxiè ſupplicarent. *Et rogabant*, inquit, *illum ne imperaret illis, vt in abyſſum irent.* Aſt vbi primùm nullâ Chriſti Dei præceptione compulſi, liberum quò vellēt ire relinquitur, quam primum in porcos irruūt, & velut anhelâ ſiti ſe ſe aquis ingurgitant. Magnum planè humanæ Voluntatis ſacramentum! Horrent mitti in aquas; & non miſſi, vltrò ire præcipites inhiant. Timent alienâ voluntate mitti. *Et rogabant illum ne imperaret illis, vt in abyſſum irent.* At cùm iam ſponte, non miſſi, ire poſſunt, id quò ire iuſſi ſeu coacti perhorreſcunt, vltrò anhelant. Precibus indicant quàm timeant alienâ volūtate ire, facto autem demonſtrant, quod maior rei difficultas à coactione ſit, dùm vel ſuperbiſſimè Dæmones precibus redimunt coactionē, & libertatem emūt humili ſupplicatione: malúntque eſſe ſupplicites humiles, quàm coactè ad id quod exoptant, addicti. *Y a appeteçen lo que mas temian, entrando en ello per ſu voluntad.*

3. Ionæ 1. Altè intumeſcit mare Prophetæ profugi vectatione, atroces perflant venti, ſæuis vorticibus nauis tunditur vſque ad compaginis diſſolutionem. Subitæ procellæ inopinato exortu ſtupent nautæ conſilij inopes, & re deſperatâ ad commune orationis aſylum confugiunt. Sortes demùm mittunt, & ſortilegio Ionas calamitatis auctor deprehenditur. Nec audent præcipitare conſilium, & vnius periculo omniū diſcrimen redimere: ſed argutis interrogatiunculis ipſi perſuadent, ſui causâ naufragium omnibus imminere. Et dixerunt ad eum. *Quid faciemus tibi, & ceſſabit mare à nobis? Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare.* O animoſas Prophetæ voces! Nautæ non audent te in ſæuientes pelagi vndas mittere, & tu illis ſuades tuum in mare præcipitium? Dum ceteri dubium naufragium in naui expalleſcunt, tu certum expetis in ſpumanti ſalo? Acutè pariter & tempeſtiuè Chryſologus: *Quòd autem* inquit, *Ionas auctor ſuæ demerſionis extiterit, cùm dicit: Tollite me, & mittite me in mare, voluntariam Domini indicat paſſionem, &c. ſic hic vbi totum Domini geritur in figuram, expectatur morientis auctoritas, vt mors non ſit neceſſitas, ſed poteſtas.* Planè luculenter Chryſologus! Miráris viri audaciam? Stupes quàm ſtrenuè alacri magnanimitate ſubeat periculum, & quàm certo ſe tradat naufragio? aduerte attentiùs, quod non cogitur; ſed ipſe *Ionas auctor ſuæ demerſionis extitit. Expectatur morientis auctoritas, vt mors non ſit neceſſitas, ſed poteſtas.* Spontaneæ voluntatis poteſtas difficultatem fugat, periculum exarmat, naufragium deuorat. Nihil volenti arduum eſt. Velis, & poteris. *Tollite me, & mittite in mare.*

Procliue fuit Ionæ naufragari, quia ipſe ſui naufragij auctor extitit.

Ionæ 1. & 12.

S. Chryſol. ſerm. 37.

Hìc verſ. 27. Hìc verſ. 27. *Maſculum & feminam creauit eos*, & feminam è coſtâ efformatam coram Adamo conſtituit, vt ipſe vltrò coniugium initet, & inde ſponte ſubiret futuras nuptiarum ærumnas. *Caſeſe Adan por ſu voluntad, paraque pueda lleuar la cruz que le aguarda.*

§ LXXXVII.

Aliqua cum obeundo officio cognatio perfectiſſimum efformat officialem.

1. NImis verum illud Philoſophi cuiuſpiam diſertiſſimi: *Affectus quidem tam mali miniſtri, quam duces ſunt.* Affectus inquam, quos non frenauit ac edomuit ratio, cui ſi obtemperauerint, planè operandi energia ſunt, & operis vigor. Omnes ad aliena, & quæ parùm aut nihil nobis referunt, molles ſumus, deſides, inertes; ad propria verò, & quæ aut ad nos, aut noſtros ſpectant, viuidi, acres, animoſi. Exinde cognatio quædam cum miniſterio præſtando, aut munere obeundo, quærenda eſt, vt affectuum calcari ſtimulatus homo, perfectus iniuncti muneris operator euadat, ne ad præſtandum opus præ negligentiâ langueſcat, aut præ inertiâ torpeat.

Senec. l. 1. de Ira. cap. 9.

2. Geneſeos 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Vides, præluſtrem rationalis animi originem, quaſi Dei præcordia fuerint eius generoſi natales, inde homo de imagine Dei inſignitur, de Angelorum æmulatione piè ſuperbit. Contemplare etiam ſpiritualis animæ compartem, carnem inquam, de terræ limo figulatam, fragilem, friuolam, caducam, vtpote de ſqualido cœno viliſſimi & infimiſſimi elementi materiatam. Quare de Terra, & non de aliâ nobiliori materiâ, rationali & immateriali animo corpus ſternitur? Puto, ſqualorem carnis erubeſcet ſpiritus, & ipſe immortalis caducum ſuggeſtum cognato faſtu dedignabitur limi horrore, & ſpiritualis animus in carnis luto non tam peregrinabitur, quàm volutabitur. Belliſſimè Hugo Victorinus his verbis quæſtioni reſpondet: *Formauit Deus hominem de limo terræ, &c. Quia homo* (inquit) *non erat qui terram coleret, ideò Deus hominem formauit, id eſt, corpus eius, de limo, qui eſt terræ tenax.* Alludit Hugo ad id quod facit Hiſtoriographus nuper dixerat: *Et homo non erat, qui operaretur terram*, & infrà: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Scilicet ex Hugonis ſententiâ, ideò homo è terrâ efformatur, quia paradiſi colonus inſtituendus, terram operaturus erat. Agricola conſtituendus eſt Adam, habeat ergo aliquam cum agriculturâ cognationem. Non è cælo, non ex aëre, aut aquâ materietur, ſed potiùs è terrâ, qui idoneè terram colat, & terram idoneâ agricolatione exerceat. Sit terrigena, qui futurus eſt terricola. Ad imaginem Dei auguſtè formetur; ſed de terræ limo abiectè materietur. Sic congruos miniſterio operarios Deus deſtinat! Sic cognatos officio officiales eligit Deus! ô bonam hominis cum ſuo miniſterio cognationem! Cognatio cum munere, operandi vigor eſt.

Geneſ. 2. 7.

Deus miniſtros officio obeundo cognatos deſtinat.

Hugo Victor ibidem.

Geneſ. 2. 5. & 15.

Hic verſ. 27.

Matthæi.

Matth. 1. 5.

3. Matthæi 1. *Salmon autem genuit Booz de Rahab.* Ad quæ Euangeliſtæ verba, vetus exagitatur quæſtiuncula, quam ob cauſam Chriſtus Deus, elegerit naſci ex progenitoribus tot peccatis infamiſſimè infectis. In Chriſti Dei generoſâ proſapiâ recenſenda erat Rahab Ierichuntina quondam meretricula, Thamar inceſtu fœda, Berſabee adulterio propudioſa? Quid dicam de Achab, Manaſſe, & aliis huius fæcis hominibus, facinoribus citiùs quàm ſuis nominibus vulgò notis? Empyrea Chriſti Dei nobilitas peccatorum non erubeſcit infamiam? an Redemptoris officium flagitioſa progenitorum nomina affectat? Strabus ad eum Matthæi locum hæc verba ferè ex Hieronymo deſcribit. *Nota, nullam de ſanctis feminis in genealogia Chriſti aſſumi. Debuit enim de peccatoribus naſci, qui pro peccatoribus venerat.* Nempe venit in mundum Chriſtus Deus, peccatorum Redemptor, ad hoc munus à patre Deo deſtinatus: *debuit* ergo peccatorum Redemptor cognationem contrahere cum peccatoribus; & affinitatem aliquam cum obeundo à ſe officio habere, vt quodammodò ſumptuoſior eſſet peccatorum redemptio.

Cognatio Redemptoris eſt officio lenocinatur redemptioni.

Strabus ibi.

4. Quaſi parùm foret redimere, vt Deum, vt infinitè merentem, vt eximiè hominum amantem; hunc cognationis titulum cum Redemptoris officio expetit, vt abundantiùs redimat, vt vberiùs benefaciat, & copioſiùs ſaluet? Sic aliquo cum officio cognatio, illud obeuntis peritiam exacuit? *Debuit enim de peccatoribus naſci, qui pro peccatoribus venerat.* Procliue cuique eſt non abſimili expenſione illuſtrare S. Paulini verba. Chriſtus inquit, *Factus per mulierem; ſed mulierem ſexu, virginem partu, vt ſanctificaret vtrumque ſexum creator vtriuſque, ſuſcipiendo virum, naſcendo per feminam.* Quò Chriſtus vtriuſque ſexus Redemptor, cum vtrôque ſexu affinitatem contraheret.

Paulinus epiſt. 4.

Chriſtus vtriuſque ſexus cognatus eſt.

5. Prouerbiorum 8. diuina Sapientia ſolertter quærit ſuæ diſciplinæ ſectatores. *Numquid non ſapientia clamitat? in ſummis excelſiſque verticibus ſupra viam, in mediis ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis in ipſis foribus loquitur.* Verùm cùm non multos inueniret Empyreæ ſapientiæ diſcipulos, ſe à generoſis natalibus commendat; ſi fortè, quos diſciplina auertit, alliciat nobilitas. *Dominus poſſedit me* (LXX. *creauit me*) *in initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret à principio.* At cùm needum Dei Sapientia nec indole idoneos, nec numero plures, ſuæ doctrinæ alumnos reperiret, ſagaciſſimâ gratiæ officioſitate, quandam cum auditoribus cognationem repræſentat, ſic aiens: *Nunc ergo filij audite me*, &c. ſi fortè ſuæ doctrinæ ſectatores affinitate inueniat, *Pro conſanguinitate doctrinæ*, vt opportunè pariter ac argutè aliàs dixit Tertullianus. Nempe futurus eximiè doctor, habeat conſanguinitatem cum doctrinâ, vt cognationis neceſſitudine auidiùs illam arripiat, procliuiùs aſſentiat, & tenaciùs defendat. Habent illuſtriora gymnaſia cognatos ſuos aſſeclas, *pro conſanguinitate doctrinæ*, cui obſequentiſſimè aſſentiuntur, & pugnaciſſimè tuentur auitâ gentis præſcriptione: *Et iuſtificata eſt Sapientia à filiis ſuis.* Stoici nugas reputant, quod ſuus Zeno non tradidit; Academici ruſticanum exiſtimant, cui ſuus Plato non valdè placet; Peripatetici rupicem & petronem credunt, qui Ariſtotelis argutias extricare nititur. Quin & in ſcholis Theologicis pro auitâ & cognatâ maiorum doctrinâ acerrime dimicatur, cuius vnuſquiſque tenaciſſimus eſt, & belicoſus propugnator. Fortunata valde eſt opinio, quæ numeroſam inuenit cognationem: ſua enim fortuna opinionem ſequitur. Et quidem infortunata eſt veritas, quæ affinitate numeroſi gremij deſtituta, improles & improgagata paucos numerat ſectatores.

Doctrina cognatione tenaciſſimè hæret, & numeroſè propagatur.

Prou. 8. 32.

Tertull. de Præſcrip. aduerſ. Hæret. c. 32.

Matth. 11. 20.

---

§. LXXXVIII.

Virginitas humilitate deſtituta; mentis elatione periclitatur.

1. ALDHELMVS vocat virginitatem. *Diuinæ dilectionis munificentiam. Virginitas enim eſt primæ virtutis iudicium Deo proximum, ſimilis angelis, parens vitæ, amica ſanctitatis, via ſecuritatis, domina gaudij, dux virtutis, fomentum & corona fidei, adminiculum & ſubſidium charitatis.* Hiſce pulcherrimis elogiis in Vitâ S. Eugeniæ virginitas honoratur. Sed viderit Virgo, ne in corpore continenti, ambitione arroganter efferatur. Debere eſſe in Virgine, *abſtinentiam gloriandi*, comptè dixit Ambroſius, quò Virginitas cum humilitate arctiùs copuletur, cognatæ virtutis caſto connubio.

Aldhelm de Virg. cap. [illegible]. In vitâ S. Eugen. Virg. & martyr.

Virginitas eſt, diuinæ dilectionis munificentia.

Ambr. l. 3. de Virgin.

2. Lucæ 1. Aliger de cælo nuncius Mariæ properanter adeſt, diuinæ corporationis paranymphus; & his verbis Virginem laudatoriè ſalutat: *Aue gratiâ plena. Dominus tecum: Benedicta tù in mulieribus: Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius.* Meritò dubitant interpretes, quo modo aut aſpectu, aut ſermone Angeli turbari potuit, quæ Angelorum colloquiis fuiſſe creditur aſſueta. *Quin etiam* (ait S. Ambroſius) *tum ſibi minùs ſola videbatur, cùm ſola eſſet. Nam quemadmodum ſola, cui tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam, vbi reuiſere ſolebat, inuenit.* Quid ergo Deiparam turbat? Citò dicam: opinor peregrinata eſt in Angeli ſermone, quæ non eſt peregrinata in Angelo. Virgo turbatur, dum laudatoria Angeli verba humilitate erubeſcit. Belliſſimè Tertullianus: *Virginem magis laudando, quam vituperando confundas.* Et nuper dixerat, Virginem debere eſſe ſoli Deo notam, cui *præter quod à Deo non captanda gloria eſt, etiam ipſum ſuum bonum erubeſcendum eſt.* Scilicet Angelus de cælo mitis orator, dum magnificis verbis humillimam Virginem laudat, eam turbat, & confundit: & quæ ſoli Deo auguſtam de laude virginitatis captat gloriam, Angelô laudatore, *etiam ipſum ſuum bonum erubeſcit*: nam *Virginem magis laudando, quam vituperando confundas.* Sic erat indiuiduè cognata cum humilitate virginitas, vt quæ virginitate placuit, Deum humilitate conciperet, quò humilitate exaggeraretur virginitas. Acquirat humilitate Eua ſecunda, Virgo Deipara inquam, quod prima Eua elatione deperdidit.

Lucæ 1. 28. & 29.

Virgo laude magis, quàm vituperio confunditur.

Ambr. l. 2. de Virginibus.

Tertull. de veland. Virg. cap. 2.

Hic verſ. 27.

3. Canticorum 2. hæc ſponſi vox auditur: *Ego*

flos

Cant.2.1. *Chriſtus dicitur, Mundi decus, ex virginitate humilium.*

flos campi, & lilium conuallium. Aptiſſimè dicitur *lilium conuallium,* Lilium inquam, non roſa; etſi contrarium afferat Rabbi Elias in Thiſbi. *Hebraice Soſanna, vnde noſtris açuçena,* vt peritè inibi notauit P. Ioannes Mariana. Vidit opportunum ſententiæ nexum Iuſtus Orgelitanus, & ſic ad rem præſentem opportunè fatur: *Ego flos campi, & lilium conuallium. Ego decus Mundi, ex virginitate humilium.*

Iuſt. Orig. in Cant. n. 25.

Moraliſſimè quidem *lilium conuallium* dicitur *açuçena de los valles.* Nimirùm lilium, quod intacto candore virginitatem præclarè adumbrat, non in ambitioſâ montium ſublimitate, ſed in depreſsâ vallium humilitate præpollet candoris gratiâ, & pulchræ ſignificantiæ prærogatiuâ. Porrò ſicut vermis ligna exedit, & ærugo ferrum, ita vana gloria ſenſim virginitatem arrodit, & ſqualidè deuenuſtat nitoris elegantiam. *Ego flos campi, & lilium conuallium,* id eſt, *Ego decus Mundi, ex virginitate humilium.* Ex virginitate humilium fit Chriſtus, mundi decus? Non ex deflorationе reliquarū virtutum coaleſcit ſublimius Chriſti decus, ſed ex *lilio conuallium,* ſiue *ex virginitate humilium?* Sic vel ipſa illibata virginitas humilitate honeſtatur? Sic gloriæ libido ab honeſtate deſciſcit, dum cupitam gloriam ambitioſè cauponatur? *La humildad es el realçe de la virginidad.* Nam vt eleganter dixit Rupertus: *Altioris autem honoris & gratiæ eſt ſacra virginitas, quam pia commendat humilitatis venuſtas.*

Rupert. l. 2. in Ioan.

4. Matthæi 25. *Simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ.* Eccur hæ virgines non eunt ad nuptias, ſed ſponſum & ſponſam domi præſtolantur? Stet in animo inconcuſſum virginitatis propoſitum; ſed nuptiæ licitæ ſunt, & Chriſti Dei, & Deiparæ matris præſentiâ cohoneſtatæ. An *ſacræ virgines maius eundo ad nuptias, quam talem refugiendo conuentum, facerent Eccleſiæ Chriſti ſcandalum?* Pergit Rupertus comptam reddens rationem, quare non permittantur nuptiis intereſſe: *Quapropter,* inquit, *intùs quidem habent prudentes virgines, humilitatis vel charitatis oleum. Scilicet non contemnendo, quamuis in inferiori gradu ſtantem legitimam licentiam nubentium: foris autem, & maximè ad eandem frequentiam nuptiarum, lucentes ſuas lampades non efferunt. Vos enim citiùs vento miſeræ vanitatis extingui poſſunt?*

Matth. 25. 1. *Virginitatis lampadem ventus vanitatis extinguit.*

Rupert. l. 2. in Ioan.

Nempe non tàm timetur teneræ virginitatis valetudo, ſi nuptiis aſſiſtant; quàm ne inferiorem coniugatorum gradum infra ſuum videntes, virginitatis lampas *vento miſeræ vanitatis extingui poſſit.* Quid exaggeratius? Sic virginitatem honeſtat humilitatis venuſtas! Sic libido gloriationis, pudicitiam abrodit! Sic periculoſa eſt in virginitate ſuperbia! quaſi quod arroganter elatione concipitur, euaporetur in luxum. Timeat vanam gloriam Virgo, ſi non de lubrico, ſaltem de infauſto: cui etiam ſuum bonū erubeſcendum eſt, virgineo humilitatis pudore. Humilitas pudicitiæ præſidium eſt, & virginitatis hyperbole.

§. LXXXIX.

Idonea ad rectè operandum potentia, præproperè gaudet operis prærogatiuâ?

SICVT rectè factorum verus fructus, feciſſe eſt: ita quicquid rectè fieri poteſt, rectè faciendorum eſt meta. Nec putes iudicaturos homines id tantùm fieri debere, quod faciunt, niſi piâ virtutis audaciâ vltra humanum faſtigium ſe exerat virtus, & facere intentet quicquid facere poteſt; ita vt potentia ad rectè faciendum, ſit velut rectè feciſſe; ac ſi nihil potentiæ ad virtutem, vacet operis exercitio. 1.

Hîc verſ. 1. ita rerum opificium ſacer Hiſtoriographus auſpicatur: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Quid Cæli & Terræ nomine cenſeatur copioſè tractant interpretes, qui innumeras Doctorum ſententias paſſim conglobant, vel ad lectoris nauſeam. S. Aug. ſic ſcribit: *Ipſa materies Cælum & Terra, veluti ſemen cæli, appellata eſt; quaſi confuſum atque permixtum, ab artifice Deo accipiendis formis idoneum.* Verba planè accuratâ obſeruatione digniſſima. Quia materia informis primò creata, *idonea* eſt ad Cælum ex eâ efformandum, ideò ipſa materia *Cælum* abſolutè dicetur? Idonea potentiæ aptitudo, idoneè præcurret accipere nomen eius elogij, quod idoneè poteſt habere? Potentia ipſa metietur prærogatiuam vocabuli, & tanti nominis ſuperbo titulo honorificè decorabitur? Profectò quiſquis poteſt eſſe Cælum, ſic affectare putatur tantæ ſublimitatis elogium, vt Cælum iam eſſe dicatur. Idonea potentia ad rem cæli, quaſi iam nominis prærogatiuam opere impleſſet, non inidoneè ab Auguſtino Cælum nuncupatur. O vtinam, ſicut qui idoneus & procliuis ingenio eſt, vt ſit Terra, Terra dici poteſt, infeſto propenſionis initio: ſic qui idonèe poteſt eſſe Cælum, anticipato nominis priuilegio, Cælum poſſet verè nuncupari. O homo; potes eſſe Cælum? Cælū eſſe conare, & Cælum dicêris, Cælum eris. Sic idoneæ potentiæ de elogio operis præpropere gratulandum erit?

Hîc verſ. 1. *Cælum dicitur, quod idoneè poteſt eſſe Cælum?*

Aug. de Gen. ad lit. imp.

Hûc fortè adluditur Tobiæ 1. cap. nam vbi LXX. interpretes loquentes de Tobia habent: *Eleemoſynas multas feci fratribus meis,* ſic exſcribit Vulgatus: *Ita vt omnia quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus impertiret.* Omnia quæ Tobias habere poterat, Nephtalitis egentibus largè impertiebat, an quæ habebat? Quod quis habet, piè donare poteſt; quod non habet, ſed habere poteſt, neutiquam poteſt donari. Quo modo ergo Tobias beneficè vel quod habere poterat, piè pauperibus erogabat? Scio linguæ idiotiſmum; ſed modus loquendi Scripturarum, aliquid grande de Tobiæ inſinuat pietate, in pauperes beneficâ, dum eam cum poſſibilitate metiri videtur. (Non abſimiliter Latini Patres ſæpe ex Scripturæ verbis velificantur ad mores.) Sic Iacobo & Ioanni dixit Chriſtus Deus: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.* Opus excelſioris virtutis potentiâ metientes. 2.

Tob. 1. 3. *Tobias non tantùm quod habebat, ſed quod habere poterat, pauperibus erogabat?*

Mat. 20. 22.

3. Matthæi 18. multa diſputauerat Chriſtus de iniuriarum condonatione, nouâ de cælo allatâ politiâ ad excolendos nouæ gratiæ mores. *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties? Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Magnum hinc oritur inter commentatores litigium, quid ſignificauerit Chriſtus, aiens, dimittendam eſſe offenſori iniuriam vſque ſeptuagies ſepties. Mitto plura, quibus hunc locum interpretes onerant. Nec adducar vt credam, Chriſtum hic ſuaſiſſe, vt quadringentis nonaginta vicibus offenſori ignoſceremus. Sanctus Hieronymus ſapienter ad litteram, luculenter ad mores, & ad rem præſentem opportuniſſimè, ſic locum commentatur. *Intelligendum eſt ſeptuagies ſepties, id eſt,... vt toties peccanti fratri dimitteret, quoties ille peccare poſſet.* Nimirùm hortatur Chriſtus, vt offenſus ignoſcat offenſori quantùm in illum peccare poteſt. Quis in hominem ſic vnquàm ferociit, vt omnibus, quibus poteſt, contumeliis & plagis, illum infeſtet, ſauciet, cruentet? Nemo inquam. Parùm foret in nouæ legis ſublimi pietate, exhibitas indulgere offenſas; quicquid inimicus hoſtili animo facere in te poteſt, debes ignoſcere. Ad poſſibilia etiam ſe debet animoſe extendere pia virtutis audacia, & quicquid ille offendendo infeſtare poteſt, tu remittendo debes ignoſcere, ad Chriſtianæ pietatis redundantiam. Anguſtior eſt meta exhibitas iniurias condonare, ad poſſibilia ſe exerit Chriſtiana virtus, & immerata ambit poſſibilia, *vt toties peccanti fratri dimittat, quoties ille peccare poſſet.*

Mat. 18. 21. *Pietas Chriſtiana omnes poſſibiles iniurias debet ignoſcere.*

Hieron. in com. Mat. inibi.

4. Hîc v. 28. ſummus rerum opifex poſtquam Adamum & Euam ex naturæ & gratiæ velut defloratione formauit, tot ingeniis dotatos, tot artibus eruditos, tot virtutibus excultos. *Benedixit illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini,* &c. Præceptum ſub præfatis verbis homini impoſitum, exiſtimant plures. Cornelius inibi ex Auguſt. & Hieron. *Vim creſcendi & multiplicandi*, tunc illis inditam agnoſcit. Nempe facultas, ſeu *vis creſcendi virtutum dignitate,* (vt myſticè commentatur Rupertus) ſub præcepti nomine hominibus intimatur, & diuini imperij voce exprimitur, & modo imperatiuo promulgatur. Facultas bene operandi, & *virtutum dignitate creſcendi*, non tam dicitur potentia, quam imperium; ô miram præceptionem! Poſſe rectè operari, inſtar habet mandati, quod vrbaniùs exigit operis obſequium? Potentia ipſa, cæleſtis præceptio eſt operandi quamſanctiùs poſſis? Sic potentia *creſcendi virtutum dignitate,* adiurata ad pietatem naſcitur, vt potentia ipſa ſit velut ineffabile præceptum, quo homo in omnem operationem impenditur, ô immeratam virtutis metam! Sed ne longum faciam, thema præſens toto §. ſequenti adhuc enucleare [illegible] iuuat.

Hic v. 28 *Poſſe bene operari, arcana venit operis præceptio eſt.*

Com. ibi Rupert. ibi.

§. XC.

Quod in re virtutis fieri oportet, facere neceſſe eſt?

MALA natura nunquam doctore indigent; ſecuro tamen præceptore, & hyperbolico (vt ſic loquar) legiſlatore domentur, neceſſe eſt. Quoties enim parùm fiduciæ eſt in his quibus imperas, ampliùs eſt exigendum quàm ſatis eſt. In hoc omnis hyperbole excedit, vt ad verum mendacio veniat. Nunquam tantùm ſperat hyperbole, quantùm audet: ſed incredibilia affirmat, vt ad credibilia perueniat. Legem breuem eſſe oportet, quòd faciliùs ab imperitis teneatur: velut emiſſa diuinitùs vox ſit. *Iubeat, non diſputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius quam lex cum prologo. Mone, dic quid me velis feciſſe. Non diſco, ſed pareo.* Imò parendo diſco. Cui virtus ex animo eſt, ante legem, rem legis amat, & ductu rationis ad amuſſim exequitur. Tardum eſt & varium quod vſus docet. Quicquid natura tradit, & æquale eſt omnibus, & ſtatim. Serò ei ſcribitur lex, qui priùs illam in ipſâ naturâ deſcriptam prælegerat: qui in eis etiam, quæ arbitrij priuilegio libera ſunt, ante legis obligationem, ſe Deo & virtuti obligatum reputat. Eleganter Tertullianus: *Quale eſt autem, vt tuo arbitrio permittas, quod imperio Dei non das? plus humana licebit voluntati, quàm diuinæ poteſtati? Ego me ſeculo, non Deo liberum memini: ſic meum eſt vltrò officium facere Domino, ſic indicere illius eſt: illud enim imperio eius, hoc arbitrio meo præſto.* Scilicet ad res indifferenter ſeculares, quæ ad Deum, virtutémve non ſpectant, ſe liberum noſcitat: verò ad rem Dei, & virtutis negotium, id ſuo arbitrio præſtat, ve quaſi præmaturâ lege obligaretur, electionis velut careat arbitrio: ac ſi quod fieri oportet, facere neceſſe ſit: *Ego me ſeculo, non Deo liberum memini, hoc arbitrio meo præſto.* O eximiam arbitrij præſtantiam! 1.

Seneca ex Publ. Mim. Idem ep. 95.

Lex ſine prologo ſit.

Arbitrij præſtantia eſt, ſeculo, non Deo liberum eſſe? Tertul. adu. Pſych. c. 13.

Geneſeos 43. annonæ penuriâ Iacobæa familia premitur, paruulorum grex, & imbellis feminarum populus periclitatur inediæ peſte. Renuit conſtanter Iacobus ſuum Beniaminum in Ægyptum mittere frumentatum, quod vnum ſupererat leuandæ famis remedium. Reliqui filij Beniamini miſſionem inſtanter exorant; quò & vincto apud Ægyptios fratri, & omni familiæ piè conſulatur. Tunc pius ſenex, etſi Beniamini abſentiam grauatè admodùm ferebat, ſic reſpondet: *Igitur Iſrael pater eorum dixit ad eos: Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis.* Quaſi dicat: Si aliter fames depelli non poteſt, niſi periculo aut iacturâ mei dilectiſſimi Beniamini; facite quod vultis. *Vide nunc (ait Chryſoſtomus) quo modo famis neceſſitas patris amorem vicerit.* Ecce tibi blandior, & ardentior amor, inediæ malo cedit: adeò vt Iacobus ſui Beniamini periculo famem redimat. Degenerat amor neceſſitate victus. *La neceſſidad diſminuye el amor, y aſſi le vence.* O neceſſitatis & inopiæ vires, quæ amorem exarmant, & detriumphant! 2.

Neceſſitas amorem exarmat & detriumphat.

Gen. 43. 11.

S. Chryſoſt. ibi.

Pergit

Quod facere oportet, neceſſe eſt fieri?

Pergit ad rem præſentem Chryſoſtomus, & valde Hebræo textui conformis, ita præfata Iacobi verba & vertit, & exponit: *Si ita ſic eſt, & oportet hoc omnino fieri, facite quod vultis.* Quod Chryſoſtomus transfert, *oportet*, Hieronymus vertit, *neceſſe eſt*, quaſi quod facere *oportet*, fieri *neceſſe ſit*. O bonam moribus eruditionem! Quod ratio *oportere* ſuadet, exequi *neceſſe eſt*? Rei conſultæ conuenientia extra præceptum, adhuc velut cogit arbitrium? Scilicet? Hoc arbitrio meo præſtare debeo, vt me ſeculo, non Deo liberum ſciam. Sed quaſi lege coactus eſſem, quod *oportet* facere, fieri *neceſſe* reputem, ad ingenuæ virtutis auctarium.

3.

3. Reg. 17. 1. *Deum debitor eſt clementia, quaſi lege de humanitate obſtringatur.* Seleuc. orat. 11.

3. Regum 17. quòd Iudæi in idolorum venerationem inclinarunt, & auctore vitæ relicto, Dæmonibus mortis auctoribus ſe dediderunt, ſic confidenter iratus fatur Elias: *Et dixit Elias ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Diu perſiſtit Propheta rigidus in ſiccitatis propoſito. Sed benigniſſimus Deus miris modis æneum Eliæ pectus emollire ſatagit, ut optatos imbres famelico populo largè diſpenſet. Et ita Deum cum Prophetâ loquentem Baſilius inducit: *Miror equidem Elia zelum tuum, ac virtutem probo. Procliue eſt in peccatum hominum genus; & ſi vindictam cum criminibus confligere patiar, deficiet diutius tractari neſcium.* (Addit tempeſtiue Baſilius!) *Tibi peccantes cernere graue ſpectaculum; mihi vero qui ſum Dominus, lex de humanitate ſcripta eſt, me ipſum debitorem clementia conſtituit. Quod ſi ad pœnas vnquam ſpectauero, vereor legem de humanitate clamantem.* Bonus Deus, qui maluit aliquid diſſimulare de auctoritatis & arbitrij iure, quàm de charitate deponere! Liberum Deo eſt, & punire delicta, & delictis ignoſcere. At *ſe ipſum debitorem clementia conſtituit*, & quaſi ſummo Legiſlatori, & prorsùs exlegi, *lex de humanitate ſcripta ſit, vereteur legem de humanitate clamantem.* Pulchra quidem Baſilij hyperbole, quâ homines edocet, ante vllam legem, lege virtutis quodammodo obligari: ſeque ſeculo, non Deo & virtuti liberos eſſe: adeò vt quod facere *oporteat*, fieri *neceſſe* ſit, ac ſi ſcriptâ lege ad illud obſtrictiùs tenerentur. Quid illuſtrius? Sed interim nota mihi, Deum non dici, iuſtitiæ & vindictæ, ſed *clementiæ debitorem*. Neque Deo vlla dicitur ſcripta iuſtitiæ lex, ſed humanitatis & clementiæ: quam in ſuis auribus perpetuò clamantem, & audire, & *vereri* perhibetur.

§. XCI.

Cura erga infima & abiecta, habetur prouidentiæ clauſula, & integritas.

Seneca ep. 55. 1.

NON *hunc contempſeris hominem, qui alieno beneficio eſſe ſaluus poteſt; ſed hoc multum eſt, velle ſeruari.* Multum eſt, pauperem, inualidum, & calamitoſum, *velle ſeruari*, & beneficium potentiori debere? Ego quidem quid maiùs & ſublimius puto, virum potentem *velle ſeruare* hominem pauperculum & imbecillum, qui alieno beneficio indiget. Nam procerum potentia ſibi mutuò adnuit, & occulto poteſtatis renutu, puſillos & inualidos præterit, negligit, & quadantenùs auerſatur. Non dignatur Poteſtas infirmorum neceſſitati ſeruire, ſed luxui; non fortunæ caſus in æquum deducere, ſed fortunatis iniquè de ſubſidio adulari. Quando in pauperes ſubſidia manant, exuberantia principalis beneficentiæ eſt, & quæ priùs diuites, aut non tantâ egeſtate preſſos rigauit. Cùm inſuper, aut ſubſidium pauperi inualido in republica adminiſtratur, nihil ceteris deeſſe argumentum eſt.

2. *Myſticè pedum curatio, integra ſanitas ſenectioris dicitur.*

Actor. 3. claudus ille pedibus, dirâ egeſtate paralyticus, eleemoſynas petens, ſedet ad ſpecioſam templi portam. Petit à Petro & Ioanne ſtipem, quâ vtcumque victitet. Pauper pauperes ſupplicans, impetrat non pecuniam, quâ ipſi carebant, ſed vim ſalutarem, quâ cœlitùs abundabant: & ad Apoſtolorum medicum verbum, *Protinùs conſolidata ſunt baſes eius, & plantæ.* Frequens, qui aderat populus, miratur prodigij magnitudinem, dum oculis videt claudum agilem, Apoſtolici verbi medicinâ ſanatum; quibus ſtupentibus ſic fatur Petrus: *Fides quæ per Ieſum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.* Actor. 3. 16. Ex vberi Apoſtolicæ beneficentiæ ſcatebrâ nitidus pulchræ quæſtiunculæ exoritur riuulus; quare Petrus claudi curationem appellauit *integram ſanitatem*? Hugo Cardinalis, & Dionyſius Carthuſianus cenſent, ideò *integram* dici, quia corpore & animo ſanatus eſt. Sed apertè textus refragatur, aiens, *Integram ſanitatem iſtam.* Vocula autem demonſtratiua non deſignat animi curationem humanis oculis inuiſam. Planè non hæreo in ſanitatis epitheto, *integram*, ſi febri æſtuantem, ſi paralyſi laborantem, ſi leprâ reliquos ſordidantem, aut inſtanti morte propè cadaueraſcentem Petrus ſanaſſet, ab his enim langoribus totum ægrit corpus. At cùm pedum plantæ ad explicandos greſſus ſolidantur, aut pars diſſoluti cruris arctiùs compingitur, quare *ſanitas integra* idoneè dicetur? Putauerim opportuniſſimè ad mores, quos tunc Petrus informabat, locutum fuiſſe. Nam cùm planta pedis, id eſt, infima corporis pars ſolidatur, & priſtinæ reſtituitur ſanitati, totum corpus curatum, & *integra ſanitas* exhibita cenſetur. Porrò ſubſidium, quod ad pedes vſque pertingit, alia priùs nobiliora membra tetigiſſe putatur. Scilicet quando reipublicæ pedes, hoc eſt, infima communitatis

pars curatur, curata priùs exiſtimandum eſt, reliqua membra, mediana, & ſuprema. In myſtico corpore pedum ſanitas *integra*, totius corporis ſalus eſt. *Sin duda esta ſano todo el cuerpo de la republica, quando ſe cuida del pobre, y ſe haçe Iuſticia al deſualido.* O feras, aut nullas ergà pauperculum, infirmum, inualidum, potentium opitulationes! Dum pauperis claudi *conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ, integram ſanitatem* exhibitam fuiſſe, proculdubiò cenſendum eſt.

3\. *Idem est, pauperes euangelizantur, [illegible]* Matthæi 11. audiens Ioannes in carcere Chriſti Dei miracula, duos ex diſcipulis ſuis mittit ad Chriſtum, vt ab illo ſciſcitentur, an ipſe ſit Meſſias in lege promiſſus, & auidè ab Hebræâ gente diu expectatus, qui languenti [illegible] integram ſalutem cælitùs donet, & cæleſti diſciplinâ populos imbuat. *Reſpondens* [illegible] *renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Nota hæc [illegible] probationis vigor, & noſtræ theſis non incongrua probatio. Ex eo Ieſus ſe probat Meſſiam, quia *pauperes euangelizantur*? Et cur non diuites, non litterati, non magiſtratus, non principes euangelizantur? Nonne promiſſus Meſſias venturus erat, vt è cæli ſcholâ *illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum*? Imò & ipſe Chriſtus non tantùm obuias pauperum turbas, ſed etiam Hebrææ gentis proceres, Sacerdotum principes, Scribarum & Phariſæorum litteratiſſimos, euangelicâ inſtruebat diſciplinâ. Quare ergo qui omnium doctor venerat, quia ab eo *pauperes euangelizantur*, ſe Chriſtum, & verum Meſſiam probat? Belliſſimè & [illegible] & ad mores Hieronymus; ex euangelizatione pauperum, diuitum etiam & opulentorum euangelizationem intelligit. Nam officium, quod pauperculis & inualidis exhibetur, [illegible] opulentis & nobilibus haud [illegible] colligitur. *Pauperes* (inquit Hieronymus) *autem euangelizatos intellige, certè opibus pauperes. Vt nulla inter nobiles & ignobiles, inter diuites & egenos in prædicatione diſtantia ſit. Hæc præceptoris comprobant veritatem.* Quid luculentiùs? Scilicet moraliſſimo vtitur Chriſtus in reſponſione compendio; vt dum *pauperes* dicit *euangelizatos*, non ipſos duntaxat, ſed nobiles, diuites, potentes, omnes inquam, euangelicâ prædicatione inſtructos intelligat. Subſidium enim, aut beneficium, quod ad reipublicæ infimos deſcendit, non negatum ſublimibus, manifeſtè innuitur. Vnde, interprete Hieronymo, idem ipſiſſimum eſt, *pauperes euangelizantur*; ac principes, magiſtratus, nobiles, diuites, pauperes, euangelicæ prædicationis beneficio fruuntur. Quod pauperi exhibetur, exundat in reliquis. O nimis verè! ô largiſſimam Dei beneficentiam, quæ vſque ad infima quæque deſcendit! ô hominum ſubſidia, opitulationes, iuſtitias, munerationes, quæ rarò in inualidis reperiuntur. Iuſtitia in tribunalibus, æquitas in diſtributionibus, miſericordia in largitionibus, quæ vulgo pauperum denegatur, diuites & nobiles plerumque locupletat. De inopiâ pauperum, diuitum turba viuit.

Matth. 11. 4.

Hieron ibid.

3\.Regum 20. Benadad Syriæ rex numeroſam armauit aciem aduerſus Achab regem Iſraël. In arduo montis latè excurrenti iugo prælium committitur. Profligatur Syriæ exercitus, Rex Benadad equo pernici periculo eripitur. Victor Iſraël triumphat, mœrore ſqualet deuictus Syrus. *Serui verò regis Syriæ dixerunt ei: Dij montium ſunt dij eorum, ideo ſuperauerunt nos; ſed meliùs eſt vt pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eum.* Poſt annum exeunt ad bellum Iſraëlitæ exiguâ manu, *Quaſi duo parui greges caprarum. Syri autem repleuerunt terram.* Validus & numeroſus Syrorum exercitus regem Iſraël terrîtat, & penè exanimat: *Et accedens vnus vir Dei dixit ad regem Iſraël: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus Montium eſt Dominus, & non eſt Deus Vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tuâ.* Conferunt in Valle ſigna, & Syrus vincitur. Quid accendit diuinum furorem, vt iniquo Achabo Iſraëlis regi, ſic faueret contra Syros, robuſtiſſimaſque eorum phalanges exanimaret, profligaret, detriumpharet? *Quia dixerunt Syri: Deus Montium eſt Dominus, & non Deus Vallium.* Per *Valles* intelligit Origenes homines imperfectos, peccatis humiles, & abiectos. Per *Montes* verò, homines perfectos, & Eccleſiæ proceres, vt cenſet Auguſtinus. O inſanam agreſtis & barbarici Syrorum populi perſuaſionem! Verùs Deus, ſublimium *Montium* tantùm Deus eſt, & non etiam depreſſarũ *Vallium*? Qui *Vallium* Deus eſt, & excelſorum *Montium* eſſe Deum, perſpicuè conſtat. Alioqui integrè Deus non eſt, qui integram non habet prouidentiam: res autem humilior & depreſſior eſt integritatis perfecta clauſula. *Integra ſanitas eſt*, quæ pedes ſanat: integra euangelizatio eſt, cùm *pauperes euangelizantur*, integrè Deus eſt, qui *Deus Vallium* eſt. O profanas Syriæ voces: *Non eſt Deus Vallium!* Calamitoſâ diſpereant ſtrage, qui Deo auferunt *Vallium*, id eſt, humilium prouidentiam, quâ *Montium*, hoc eſt, ſublimium, prouidentia cenſetur. Procerum duntaxat, & non abiectorum curam Deus habet? Ingens planè contumelia! Imò prouidentia, quæ minima & infimiſſima *Vallium* attingit, excelſorum *Montium* faſtigia minimè neglexiſſe putatur. Concede Deo *Vallium* prouidentiam, & integram etiam *Montium* diuinitatem palam conceſſiſti. 4.

Prouidentia erga Valles, cenſetur diuinitatis integritas, & clauſula.

3\.Reg. 20. 28.

Orig. homil. 17 in Num. & in Cantic. homil. 3. Auguſt. apud Lauretũ, verbo, *Mons.*

Ecce quàm perſpicuè Deus ſuam & diuinitatem & prouidentiam hîc verſ. 29. comprobet, dum vel minutis animalculis ſolerter prouidet. Hic verſ. 29.

---

§. XCII.

Eoſdem cibos, & homini præſidenti, & ſubiectis animantibus aſſignat Deus.

FIERI non poteſt, vt malitia lateat in poteſtate. Porrò ineruditos, agreſtes, & voluptuoſos mores ſimul atque fortuna paululum extulerit ad præfecturæ faſtigium, 1.

Plutarch. l. de doct. princ. *Faſtigiũ dignitatis, ſuperiorum defectus prodit.*

faſtigium, protinùs caducos oſtendit. *Imò potius quemadmodum in vaſis inanibus, non queas dignoſcere integra ſint an vitioſa: verùm vbi infuderis aliquid, tum apparet, quàm perſtillent: ſic animi putres non ferentes præfecturæ potentiam, effluunt cupiditatibus*, nempe iracundiâ, faſtu, inſolentiâ, ventris ſaginâ, & omnis generis voluptabilium vſu: & quod alijs ſeuere negant, ſibi conceſſum putant, prælationis priuilegio. Indecorum ſanè eſt, Præfectum bene adipatum, & guloſè ſaturum, ieiunis ſubditis imperare. Patiatur æque ipſe inediæ malum, aut agreſtioris cibi, & acerbioris potus moleſtiam, vt experientiâ noſcat, quam ſubditis calamitatem inuehat: & eiuſdem naturæ & conditionis particeps, non ſit conſimilis alimenti exors, quò aut ad arctiorem frugalitatem erudiatur, aut ad attentiorem prouidentiam excitetur.

Hic verſ. 29. & 30. *Idem cibus & homini Præſuli, & ſubditis brutis à Deo aſſignatur.*

2. Hic verſ. 29 & 30. ad nuper creatos humani generis protoparentes, ſic loquitur Deus: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuerſis quæ mouentur in terrâ, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum.* Valde miratur Iunilius quare præſtantior, & delicatior cibus non aſſignetur rationali homini, ac brutis animantibus. *Sane*, inquit, *inter hæc non prætereunda naſcitur quæſtio, quo modo & immortalis ſit factus homo, & nihilominus acceperit communiter terrenam cum alijs alimoniam?* Idemne cibus immortali & rationali homini, & mutis pecudibus apponetur? Et vbi eſt dignitas ſpiritualis animi, Angelorum politiæ cognati? vbi generoſa ad Deum ſimilitudo? vbi longè præſtantioris naturæ, & dignitatis elogium? Putauerim (vt aliàs perſtringebam) id factum & conſultiſſimè, & moraliſſimè: ſiquidem nuper dictum eſt, hominem à Deo factum fuiſſe, vt *præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Itaque idem cibus à Deo aſſignatur Præſuli, & eiuſdem ſubditis, tametſi naturâ & conditione longè inferioribus. Non à Deo, ſed à propriâ gulâ Superiori ſuppetunt exquiſitæ menſarum deliciæ. Eſto, nobiliori hominum naturæ debeatur delicatior eſca, quàm brutis animantibus: at Superiori alius cibus non congruit, quàm inferiori. Aut repudiet præſidentiæ ſublimitatem, aut eandem cum ſubditis patiatur ciborum vilitatem: ne aut arroganter elatus magis ſuperbiat, aut de ſubditorum alimento minus curet.

Iunilius in Hexaëm.

Súpr. v. 26

3. 3. Regum 17. cæli poteſtatem, & puniendorum hominum præfecturam Eliæ Deus permiſit: & extemplò ſic loquitur ad regem Achab, & vniuerſum populum Iſraël: *Viuit Dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* O bone Deus, ardentiſſimo hominis zelo cæli habenas permittis, & famis aut vbertatis arbitrium conſtituis? Diu fame tabeſcit populus, ad cælum tendunt hominum clamores, & humana miſeria Dei viſcera ad miſerationem inclinat. Sed adhuc inexorabilis perdurat Propheta, & Deus ſapientiæ ſuæ benignitate, cor eius mitigare aggreditur. Sed Dei artem acutè

3. Reg. 17. 1.

Elias ad communem famē damnatur, vt ita penuriæ cõgruè alat.

animaduertit, & eleganter publicat his verbis Baſilius Seleucus: *Dat enim*, inquit, *Prophetæ ſiccitatis poteſtatem, quò tamen eius iram molliat, Prophetam ſupplicij participem facit, ſimúlque cum populo condemnat; atque eâ ratione contribulibus conciliat, amicitioremque ſe exhibeat, vel inuito perſuadet.* Nempe tantiſper Deus intermittit ſollicitiorem de Prophetâ ſpecialiter alendo curam, & eum permittit communi fami, ac ſi foret quiſpiam è vulgo: vt ita, & his quibus præeſt, amiciorem reddat, & ſuâ fame & penuriâ extimulatus, communi etiam prouideat, ſoluens ſiccitatis pœnam. O Deo dignum arbitrium! experiatur Elias, conſtitutus populi Rector, eandem ciborum malignitatem, & conſimilem annonæ penuriam; vt ita ſiue morſicante fame, ſiue pecuini alimenti nauſeâ, communis penuriæ malo pulſetur. Nam ſi ille benè pranſus foret, fortè ſubiecti populi famem negligeret.

Seleuc. orat. 11.

---

§. XCIII.

Mundiale bonum in alio viſum, gratius apparet, quaſi placendi vſuram ab alienatione mutuetur.

NVDIVS omnino perſæpè opinionibus laboramus, & in rerum æſtimatione erramus plerumque: adeò vt cùm res noſtra apud nos vileſcat, (fortè expertæ poſſeſſionis adnato faſtidio) res aliena ſemper gratior apparet, ſublimior, auguſtior; quaſi præſtantiam de alienatione mutuetur; & poſſeſſionis alienatio ſit gratiæ officioſitas, & placendi lenocinium, dum de alienatione appetentiam ſubornat: vt verum ſit illud, 1.

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in aruo.
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Neque in ſordidos tantùm animos, ſed & in magnos hæc cadit opinio, inuidiæ cæcitate nimis oculata, dum bonitatem, quam in proprio non videt, in alieno fore allucinatur. Geneſ. 2. ſic refert Moyſes. *Formatis igitur, Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret*, &c. Et videre erat arcanam quandam teſſeram ad omnia ferri animalia, vt quæ Deum agnoſcebant opificem naturæ lege, Adamum agnoſcerent appellationis artificem conditoris priuilegio. Sed quare ante Euæ formationem animantia, ſic præmaturè, vt nomina expetant, concurrunt ad Adamum? Sic præproperè expetunt nominis elogium, etiam quibus viliſſimum datum eſt? O intempeſtiuam & immaturam nominis concupiſcentiam! Litteraliſſimè, æquè ac moraliſſimè Ambroſius. *Semel accipe qua cauſa omnia animalia adducta ſint ad Adam. Vt in omnibus videret, ex vtroque ſexu ſubſtantiam conſtare naturæ, id eſt, ex maſculo & femina: & ipſe exemplo, vtîque cognoſceret, neceſſarium ſibi conſortium mulieris adiectum.* Scilicet recens creatus Adam ſolitarius

Commodum, quod vel in brutis videmus, gratius nobis, quia alienum apparet.

Gen. 2. 19.

S. Ambroſ. l. de Parad.

K 3 tarius

tarius errabat in paradiſo : quid tam expetere poterat, quàm vitæ conſortium? Sine vxore improles erat Adamus : quid tam deſideraret, quàm pulchram feminam, ad vitæ iucunditatem, ad voluptatis auctarium, & poſteritatis ſeminarium? Et tamen Deus, quaſi hæc languerent deſiderandæ vxoris incentiua; aliud offert, quod acriùs appetitum exſtimulet, & agnatum acuat deſiderium. Nempe, videat Adamus oculis ſuis, *Omnibus viuentibus ex vtroque ſexu ſubſtantiam conſtare naturæ, id eſt, ex maſculo & femina*, vt inde ardentiùs appetat bonum, quo alij fruuntur. Res, ſeu commodum, quo alij potiuntur, gratiæ blandimentum eſt, & ardentior appetentiæ igniculus. Viuaciùs ambibit Adamus felicitatem, quam vel in brutis videt. Videat vel in brutis bonum, quod quia à ſe alienum, in alio videt, ardentiùs appetat.

3. *Terra promiſſionis, dū ab alijs poſſidetur, gratior apparet Abrahamo.*

Geneſ. 13. *Dixit Dominus ad Abram: Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem. Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Non potuit Abrahamus oculos acuere, & videndi facultatem ſic ampliare, vt totam Palæſtinam ſibi promiſſam, oculis cerneret. Et adhuc Deus ſedulò vrget, vt eam oculis & pedibus luſtret,
Gen. 13. 17. inquiens : *Surge, & perambula terram in longitudine, & latitudine, quia tibi daturus ſum eam.* Cur Deus ſeriò imperat, vt Palæſtinam Abrahamus pedibus luſtret, & cominùs perſpiciat? Sat erat Terram promiſſam eminùs proſpexiſſe. Scilicet, quia tibi daturus ſum Palæſtinam (quam tu nunc non poſſides, ſed *Chananæus & Pherezæus*) vt donum magnificè æſtimes; *Leua oculos tuos & vide : ſurge & perambula terram.* Id eſt, luſtra pedibus, & vide oculis terram, quam tibi promitto, dum ab aliis poſſidetur. Profectò, vt ea, quæ nos habemus, apparent nobis viliora; ſic quæ alij poſſident, luculentiora videntur. Noſtra contemnimus, aliena maximi æſtimamus : quaſi noſtra poſſeſſio detrahat æſtimationi rerum, & earum pretium ab alienà poſſeſſione cenſeatur. *El ſer ageno, ſube los precios à la eſtima.* Ergo Abrahamus perambulet pedibus, & antevideat oculis promiſſionis Terram, ſibi magnificè promiſſam, quando ſub alieno iacet poſſeſſore; vt inde eius augeatur æſtimatio: quandoquidem non tam à rei bonitate, quàm ab alieno poſſeſſore, cenſus rei eſt. O quantula ſunt mundialia bona, quorum eò eſt æſtimatio opulentior, quò à nobis magis ſunt aliena! ô quoties, quæ procul ſpectata percupimus, poſſeſſa faſtidimus! Nauſeamus ad noſtra, hiamus ad aliena. Inde ſæpè magis eſt arduum, vel incertas & friuolas ſpes mactare Deo, quàm auitas poſſeſſiones abiicere.

4. *Sublimi* [illegible]

Aſtutiſſimus Diabolorum, diabolico concilio inſtructiſſimus, totus de Inferno armatus, temerarius luctator, contra Chriſtum proſilit in Deſerti palæſtrâ. Semel, & iterùm proſtratus, non cadit animo, ſed intrepidus tertium iaculum vibrat de infernalis aſtutiæ pharetrâ. Ecquod eſt hoc telum, de quo ſic Dæmon præſumit? Audiendus, & expendendus eſt
Matth. 4. Euangeliſta Matthæus, qui hoc ſpectaculum ob oculos proponit. *Iterum aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei : Hæc omnia dabo*, &c. O ridiculosum & inaniſſimum tentamentum! Regi regnorum omnium Chriſto ambiendum proponis regnum? Ita quidem, ſed ſub alieno poſſeſſore, ait tempeſtiuè Origenes. *Non eſt, inquit, arbitrandum, quod regna ei mundi oſtenderit, Perſarum verbi gratiâ regnum, Indorúmque oſtenderit; ſed oſtendit ei Diabolus regnum ſuum, quo modo regnaret in mundo.* Origen. hom. 30. in Luc. Nempè Chriſtus rex eſt deitate vnctus, rex regum, & regnorum omnium Dominus, atque adeò nullius regni indigus. Ecce tibi infernalis aſtutiæ eminentiam. Videt Diabolus, gulæ delicias, & vanæ gloriæ lenocinium refutaſſe : ergo omnem tentandi artem exacuens, gratiſſimum hominibus obiicit blandimentum. Et *oſtendit ei Diabolus regnum ſuum, quo modò regnet in mundo*. Regnum ſuum, id eſt, alienam quam vſurpauit poſſeſſionem Chriſto coràm Diabolus proponit, & palàm promittit; vt ita animum Chriſti ad reliqua flecti-neſcium, ad concupiſcentiam rei, quam velut alienam proponit, ſubdolè flectat; probè ſcius, quàm auidè homines expetant dignitatem & gloriam, quam vident in aliò. Eſuriat licet, & opportunas contemnat dapes : homo ſit; & gloriæ ambitionem refutet; at, ſi verè homo eſt, non contemnet dignitatem; quam in alio ſublimem videt. Et ſi propriam deſpiciat dignitatem, non depretiabit alienam. Aliena enim ſublimitas ſic perſtringit humanos oculos, ſic adulatur appetentiæ, vt vel Chriſtum nullius regni indigum, ſemel & iterùm victorem, his tentandi præſtigiis alliciendum præſumat. Tantùm huic telo licet? ô fallaces, friuolas, mentitas hominum ſpes! De alieno fructu ſperas, quod de tuo non carpis? Heu, alienatio arbitrium placendi eſt, & ab infernali aſtutià mentitus fucus! ô, fuge hæc dæmonis vatramenta, quæ hominum vota, & ſuſpiria tenent! Expertus, potiùs quàm Diabolo, crede tibi.

5. Rerum opifex Deus ſingulos primordialis opificij dies ſingulis benedictionibus, laudibus inquam, decorauit : *Et vidit Deus quòd eſſet bonum*, ſæpè Moyſes repetit, iterato elogio. Expleto autem ſextidui opere, creaturæ, quæ ſingulatim viſæ, dicuntur bonæ; vniuerſatim inſpectæ, optimæ appellantur. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona.* Hic v. 31. Mitto ſudatam & vulgarem expoſitionem, quæ penuria eſt etiam imperitis, ſi fortè aliam non inidoneam ex contextu eliciam. Porrò non immediatè in ſextidui fine, poſt abſolutum opus, *Creaturæ ſub hominis dominio, gratiores Deo apparent.* hæc verba protulit Deus. Etenim poſtquam res omnes creauit, & ad hominis ſeruitium deſtinauit, Adamum formauit & Euam, totius opificij finem & clauſulam, dixitque illis: *Ecce dedi vobis omnem herbam*, &c. Hic v. 29. & paulò antè dixerat, omnia animantia producta fuiſſe, vt deſpotico obſequio homini deſeruirent. Demum rem totam concludit præfatis verbis : *Viditque Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona.* Scilicet cùm Deus rerum omnium dominium, quo potuit modo, in hominem tranſtulit, *valde bona* illi apparent; quæ antequam eiuſmodi dominium velut transferret, *bona* duntaxat videbantur (loquitur de Deo Moyſes anthropopathῶs, vti ſæpè aliàs). Nempe cùm omnes creaturas, & earum perfectionem Deus

perſpicit

perſpicit ſub dominio duntaxat ſuo, antequam illas velut alienauerit, & homini dederit; non *valde bona* apparent Deo? At vbi primùm eaſdem ſub alieno quodammodo dominio contemplatur, ſic velut alienatione venuſtantur ad gratiam quaſi alienationis blandimento; vt tunc, tunc quidem arcanâ placendi vſurâ, *valdè bona*, id eſt, optimæ, & numeris omnibus abſolutiſſimæ dicantur? Id ſubinſinuat ibi

Chryſ. ibid. Chryſoſtomus, vbi inueſtigans rationem, ob quam Deus tunc dixerit: *Et erant valde bona*, reſpondet: *Sopiantur rationes noſtræ; ... idoneis autem & crebris argumentis perſuaſum ſit, quod omnia ratione plena ſunt, & Miſericordia ab eo producta ſint.* Nimirum, quoniam in rerum primâ molitione, omnia *Miſericordiâ ab eo producta ſunt*, & liberali munificentia homini donata, ideò *valde bona* dicuntur, & optima apparent?

6\. Gen. 2. 23. *Eius coſta Adamo, ſin-Ba ſer, ...* Geneſis 2. vbi expergefactus Adam vidit mulierem e corpore efformatam ſuo, peramanter exclamat; *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Profectò non ita tenerè blandiebatur Adamus corporis ſui parti nuper ſibi compactæ, ac modo cùm euulſa eſt, & ſibi extranea. An ab alienatione ingenium placendi mutuauit? Eleganter apud Seleucum

B. Gl. Seleuc. orat. 1. ſic fatur Adam. *Hoc nunc os*, &c. *Tamen à membro abiunctus plùs ero vinctior: loco ſeiunctum eſt, & deſiderio coniunctum: qui diſtulit corpora, animas noſtras in vnum contulit.* Volupe eſt vel imperito, elocutione hunc locum illuſtrare, quo præſens thema illuſtriùs confirmatur.

---

§. XCIV.

Mentita hominum imaginatio, mundialibus bonis nimis lenocinatur.

1\. Senec. l. 3. natur. quæſt. QVID eſt præcipuum in rebus humanis? Seneca interrogat, & perquirit. *Erigere animum ſupra minas, & promiſſa fortunæ. Nil dignum putare quod ſperes. Quid enim habet dignum quod concupiſcas?* Fortuna vitrea eſt: cùm ſplendet, frangitur: leuis eſt, citò repoſcit, quod dedit. Cùm blanditur, captatum venit. & obeſſe nulli contenta eſt ſemel: nulláque eſt tàm bona fortuna, de quâ nihil queri poſſis. Quid ergo ab ea ſperes? quid concupiſcas? Porrò in

Imaginatio noſtra mundialibus bonis nimiè lenocinatur. mentitâ ſpe, & falſatâ promiſſorum concupiſcentiâ, humanæ felicitatis viget nitor. Humana proſperitas imaginatione ſplendet, concupiſcentiâ exaggeratur, poſſeſſione vileſcit. Quæ pollicentur læta lætitiæ ſpectra ſunt, ſcenicæ, vel ſomniatæ potiùs voluptates; quibus dormientium ſenſus blanditiis illudit, fallaci gaudiorum ſpe. Tolle imaginationis præſtigias, & mundialium bonorum lenocinium propè ſuſtuliſti.

2\. Geneſeos 37. Ioſeph adhuc puer, ſenis Iacobi deliciolum, & fratrum implacabile odium, ſic cum eiſdem loquitur: Audite ſomnium meum quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam & ſtellas vndecim adorare me. *Hæc ergo cauſa ſomniorum atque ſermonum, inuidiæ & odij fomitem miniſtrauit.* Adeo vt ſæuas manus fraterno ſanguine fœdare moliti ſint: & ſaltem ſomniatorem per ſummum ſcelus alienigenis inhumanè vendiderunt, nè illum adorarent. Tandem eò res deuenit, vt Ioſeph è terro & diuturno carcere ex inopinato ad Ægypti ſublimaretur præfecturam. Penuriâ annonæ laborantes, frumentatum pergunt in Ægyptum vndecim illi fratres, & ſemel & iterum illum vltrò honorariâ ceruuatione reuerenter adorant. Et quaſi hoc parùm foret, reuerentiæ cauſâ vel propè Ioſephum adeſſe recuſant. *Accedite*, inquit, *ad me. Et cùm acceſſiſſent propè. Ego ſum*, inquit, *Ioſeph frater veſter.... Poſt quæ auſi ſunt loqui ad eum.* S. Chryſoſtomus ſic præfata verba ſapienter exponit. *Accedite ad me, ne elongetis vos*, præ reuerentiâ auguſtioris præfecturæ ob quam me ſæpius cernui adoraſtis. Non vides Ioſeph fratres, qui ſomniatam ipſius dignitatem venerari & adorare tanto ſtudio recuſarunt, eandem re ipſâ obtentam, vltrò elongatione reuereri, & proſtratione humiliter adorare? Sic auguſtior apparet ſomniata felicitas? Sic eſt ſublimior dignitas, quæ imaginationi obuerſatur? Sic ambitio noſtra inanes gloriæ phantaſias exaggerat? Dum ſomnij imaginatione ſubſiſtebat ſomniata proſperitas, illi cedere crudeliter tergiuerſatur fratrum inuidia: at dum felicitatem illam, non ſomnij ſpebus, ſed reapſe exercitam oculis videt, ſpontè eandem ſuſcipit, & è genu reuerenter adorat. *Mas glorioſa ſe repreſenta à la enuidia la felicidad ſoñada, ò imaginada.*

Geneſ. 37. 8.

Somniata gloria Ioſephi inuidia monſtris eius exhibita.

Gen. 45. v. 4. & 15.

Chryſoſt. ib.

3\. Matthæi 4. ſemel & iterùm deuictus Tentator, adhuc animoſior Chriſtum tentare audet. Videamus quod ſit hoc telum, quo aſtutiſſimus Dæmonum, etſi victus ipſe, Chriſtum Deum, nuper victorem, exarmare & vincere præſumit. *Iterum aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Dubia ſatis quæſtio eſt apud interpretes, quo pacto è montis ardui vertice oſtendere Diabolus potuerit Chriſto, omnia mundi regna, & præſertim *eorum gloriam*. Auctor operis imp. & Euthymius putant, re ipsâ oſtendiſſe, non ita vt videret; ſed ita vt cuiuſque regni plagam digito deſignauerit. Cyprianus & Strabus ſola id animi viſione factum volunt. Quod his verbis edocet Cyprianus: *Et localiter quidem in deſerto prima fuit tentatio; ſed ceteras eo modo circumduxit Tentatoris aſtutia, vel circumduci paſſa eſt patientia Saluatoris, quo modo Ezechiel cùm ſuper fluuium Chobar ſederet, Hieroſolymam raptus in ſpiritu ciuitatem ædificat.* Conſentit Cyprian. magnus ille Bibliorum interpres Rabanus Maurus ſic fatus: *Et oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. Non*, inquit, *quòd eam concupiſcentiæ oculo intueretur, ſicut nos; ſed ſic hæc oſtenſio fuit in mente, ſicut medici vident morbos ſine læſione.* Scilicet Dæmonum calldiſſimus, hominum euerſione doctus, mundi gloriam,

Matth. 4. 8.

Imaginata gloriâ præſumit Diabolus Chriſtũ Deũ ſubruere.

s. Cypr. ſerm. de ieiun. & tentat.

Raban apud Strab. ibi.

 non

non re ipsâ, ſed qualis animo & imaginationi proponitur, Chriſti menti & imaginationi obiicit, quò vel Dei conſtantiam ſubruat, & deiiciat. Et quaſi rem notatione dignam putauit Rabanus, quòd mundi gloria, de ſe fallax, dubia, mentita, viuaciùs menti & imaginationi propoſita, non fuerit à Chriſto Deo *concupiſcentiæ oculo* ſpectata. Sic gloria, quæ mentis oculis ab hominibus ſpectatur, ſui concupiſcentiam mouet, vt menti ſeu imaginationi, concupiſcentiam quodammodo attribuat. Tam parùm gloriæ concupiſcentia diſtat à gloriæ imaginatione? ô validiſſimum ab inferorum pharetrâ vibratum telum, & de quo ſic Diabolus fidenter præſumit! ô caue ab hâc falſatâ Dæmonum aſtutiâ! ſub doloſo imaginationis cinere vel extincti gloriæ & voluptatis carbones micantiùs ſcintillant, quaſi concupiſcentiæ illex, & placendi lenocinium, imaginatio ſit. O quoties, quod ſplendidè fulgebat in mente, ſpei illecebris; ſordidè ſqualet in manibus, experientiæ attactu!

4. Sapientiæ 2. atheus ille ſceleratorum grex, mutuò ſe ſe adhortans ad omnigenas delicias, fortè capiendarum voluptatū experientiâ edocti, ſic ad inuicem loquuntur: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creaturâ tanquam in iuuentute celeriter.* Nil curant de ſpei blanditiis, & deſiderij lenocinio; *bonis quæ ſunt*, adipiſci expetunt; non quæ imaginatione ſubſiſtunt, aut præproperâ ſpe ſuſpirantur, aut nimis credulus optator ſibi dulciùs ingeniatur, placendi arbitrio. Verùm vt eruditè notat ibi M. Conſaluus Ceruantes, verbum Græcum ἀπολαύω, quod *frui* vertit vulgatus interpres, *ſignificat frui, & commodum ſumere, aliquando valet, incommodum capere: nam ex iis incommoda & detrimenta maxima percipiunt. Mali, vnde ſibi pollicebantur delibare commoda & emolumenta præclara.* Scilicet non tantùm abiectis vaniſſimis voluptatis ſpebus, quas ſæpè fallaces experti ſunt; expetunt *frui bonis quæ ſunt*, id eſt, præſentibus, & quæ ad manum habentur; ſed & ſacra Scriptura verbo, quo expreſſit mundialium bonorum fruitionem, & frui, ſeu commodum capere, & etiam detrimentum & incommodum percipere, ſignificari conſultiſſimè voluit; quò mortalibus, hæc nugaciſſima bona hiantibus, innotescat, quàm ſint iucunditatis auara, & moleſtiarum prodiga. Heu pœnitenda bona! Carò emimus deliciarum moleſtias. Heu perſæpè quæ ad voluptates auidè expetimus, inimicorum vota ſunt! Heu bona mundialia *valde bona* hominibus apparent: ſed quas voto ſpondent voluptates, opere negant! ô quàm diuerſimodè Deo, atque homini placent!

Sap. 2. 6.
Eodem vocabulo exprimitur, & frui deliciis, & incommoda capere.

M. Ceruant. ibidem.

Hic v. 31.

§. XCV.

Dei munera plus illi placent, poſtquam ea hominibus dono dedit, arcanâ placendi vſurâ?

NON auaritiæ ſtudio munera ab hominibus accipere deſiderat Deus, ſed munificæ largitatis affectu. Quid enim non habet, qui omnia dedit? ſed cui (oro te) dedit? *Diuitias gratiæ ſuæ copiosè largiterque profudit Deus in naturam nullius bona rei per ſe capacem ſine diuina munificentia.* Munerauit inquam, beneficentiæ diuinæ largitate homines, *Deo Chriſto egentes, peccato diuites, vitâ ſteriles, morte fœcundos, de Dei muneribus inſolentes.* Verùm humana malitia par non eſt bonitati diuinæ; quæ quaſi parturiens magnificentiæ munera, habere penes ſe clauſum largitatis ſuæ theſaurum velut impotens habetur; ſciens Dei naturam apud homines largitate cenſeri. Quid enim Deo dignius, quàm munificentia liberalior? Cuipiam Regi his verbis piè adulatur Hildebertus: *Nouit ille regiam manum melius donatiuo ſplendere quam ſceptro.* Nec tantùm Dei munus meliùs apud homines miſericordiæ donatiuo ſplēdet, quàm iuſtitiæ ſceptro; ſed & munera ipſa, vi Dei beneficâ hominibus donata, poſtquam donata ſunt, magis apud Deum ſplendere videntur; quaſi à donatione quodammodo placendi gratiam fœnerentur. Gratiorane ſunt Deo ipſius dona, poſtquam mortalibus collata ſunt, quàm illa ipſa dum in diuinæ omnipotentiæ immortali theſauro ſeruabantur? Dei munera, ab hominis miſeriâ, an à Dei miſericordiâ venuſtantur? Vndecumque illud ſit, non ita videntur indonata, Deo perplacere; quàm liberaliùs donata: quaſi muneris donatio, rei donatæ gratiam non tam inueniat, quàm faciat. 1.

Philo de Mundi opificio.

Paulinus epiſt. 14.
Regia manus plus ſplendet donatiuo, quàm ſceptro.

Hildebert. epiſt. 3.

In primæuâ illâ rerum omnium molitione, ſextidui opere ſummus ille tanti opificij artifex Deus creaturas omnes edidit. Grande profectò opus, & tanto opifice dignum! ſingulas creaturas innata ſuæ naturæ ditauit perfectione, accidentariis facultatibus decorauit; & pulchriæ lucis ſplendore colorauit. Exinde ſingulas creaturas, illo ipſo die, quo conditæ fuerant, ſingulis benedictionibus (commendationes, ſeu laudationes dixeris) honeſtauit, toties repetitâ illâ ſingulis diebus clauſulâ: *Et vidit Deus, quòd eſſet bonum.* Verùm poſtquàm opere expleuit omnium rerum opificium, ſtylum mutat, nec dicit, vt anteà: *Et vidit Deus, quòd eſſet bonum*, ſed eaſdem omninò creaturas, nuper duntaxat, *bonas*, laudatiori commendat præconio, aiens; *Viditque Deus cuncta quæ fecerat; & erant valdè bona.* Quid nunc bonitatis tam citò rebus aſſutum eſt, vt quæ paullò ante *bonæ* tantùm erant, nunc Dei ore, *Valdè bona* dicantur? Non me latet vulgaris expoſitio, quòd quælibet ſingulatim *bona* ſunt, iunctim autem viſæ, *valdè bonæ*, & optimæ, quaſi nouam à conſortio perfectionem mutuauerint; & quæ ſua bonitate 2.

Res omnes an ex quam homini donantur, bonæ dicūtur: v i à Deo donata ſunt, valdè bonæ cenſentur?

Hic verſ. 31.

pl*

placuerunt, alienâ ſui conſortis perfectione perplacebant, boni conſortij blandimento, placendi vſuram fœnerantibus. Bene eſt, neque importuna expoſitio ad ſocietatis naturæ ſuadelam. Sed liceat ſub Chryſoſtomi vmbra Biblicum Solem irrefractis oculis intueri, & penitius ſcrutari. Porrò (vt alias ad alium ſcriptum nuper obſeruabam) ſi contextum ſolerter obſerues, non immediatè poſt conſummatum ſex dierum opus, ampliorem hanc rerum commendationem Deus ſubiunxit: ſed poſtquam creaturas omnes hominis ſeruitio liberaliter deſtinauit, & poſteà ſubiunxerit: *Ecce dedi vobis*
Hic ver. 29.
omnem herbam, &c. tunc, tunc quidem, poſtquàm vidit Deus omnes creaturas homini, liberali munere donatas; tunc inquam, aptiſſimè Moyſes ſubnectit: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona.* Quæ verba ſic mihi commentatur Chryſoſtomus. *Sapientur*
Chryſoſt. ibid.
rationes [illegible] *& crebris argumentis perſuaſum ſit, quòd omnia ratione quadam* [illegible] *à Deo producta ſint.* Quaſi ex Dei miſericordiâ, & diuinâ liberalitate hominibus impensâ in rerum creatione, eam placendi gratiam obtinuerint creaturæ, vt quæ ante ipſarum donationem bonæ duntaxat erant; dum eaſdem videt Deus homini donatas, *valde bonæ* videantur, proximi commendationis auctario. Ecce tibi creaturas omnes, dum recèns productæ ſolum Deum agnoſcebant Dominum, *bonas* dici; & vbi primùm homini donatæ ſunt, *valde bonas*, id eſt, optimas appellari, quaſi donatione ipsâ perfectionis exaggerauerint gratiam, placendi vſurâ. O diuinioris benefi[c]entiæ exaggerationem!

3. Iſaias cap. 59. totus eſt in prædicandâ Dei miſericordiâ, ſic aiens in capitis auſpicio. Ecce non eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius vt non exaudiat. Poſte[a] ſubdit: *Et vidit Dominus quia non eſt vir: & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat.* Græca vox [illegible] à quâ *aporiatus* dicitur, ſignificat paupertatem vel indigentiam habere. Vnde illud Pauli: *Aporiamur, ſed non deſtituimur*, Ambroſius, Theophylactus, & Caietanus explicant: *Rerum omnium penuria premimur, ſed non* [illegible], & Budæus, *Egemus, ſed egeſtati non ſuccumbentes.* Itaque deiectos hominum animos bonâ ſpe erigit Iſaias, aiens: Non eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat; imò ſic Deus deſiderat ſuæ munificentiæ theſauros in homines velut effundere, vt dicitur *aporiatus, quia non eſt qui occurrat*, ab eo petiturus dona, quæ ille auidè largiri percupit. *Aporiatus* ſeu depauperatus dicitur Deus, quando hominum impietas eius liberalitatem velut cohibet? pauperes Deo videntur beneficæ ſuæ omnipotentiæ theſauri, dum illos apud ſe retinens, in homines liberaliter non expendit? Liberalitatis ſumptibus ditescit Deus? & *aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat*? ô pulchram exaggerationem, quâ anthropopathiis inſinuat Propheta, quam Deo ſint grata & opulenta ſua dona in hominibus collocata.

Donatis opibus dite[ſc]it Deus, & non donatis depauperatur.
Iſaiæ 59. 16.
2. Cor. 4. 8.
Apud Corn. ad eum locū Pauli.

§. XCVI.

Homo non in vitæ auſpicio, ſed in mortis clauſulâ dignus laude cenſetur?

1. GENES. 40. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciēs grande conuiuium pueris ſuis, recordatus eſt inter epulas*, &c. Scilicet ambitioſo conuiuio, & feſto plauſu diem natalitium per ſingulos annos celebrat Pharao. Quæ verba in Gloſsâ interl. ſic commentatur Anſelmus: *Pharao & Herodes* (illuſtre malitiæ par) *diem natiuitatis celebrant.* Auſpicium vitæ adorant, mortem auerſantur, & meritò: nam apud illos, *Mors eſt deſperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, diaboli coniux, omnium malorum regina, quæ omne genus humanum tali ordine inexplebili impugnat: vt primum* [illegible] *deſperationem præmittat talia ſuadentem: Homo cur tua perdis tempora? Ecce dominatur mors tua* [illegible] *animam tuam in abyſſum redigens, carnem tuam putredine, oſſa tua vetuſtate conſumens: vt te qui non fuiſti antequam naſcereris, faciat non eſſe poſt mortem. Redde ergo debita ante mortem, moriturus citò, tibi, ætatibus tuis: da luſibus infantiam, da delicijs adoleſcentiam, da voluptatibus iuuentutem, da ſenectutem mihi, ne ſine* [illegible] *de te cogites deſperatus.* Hæc longiuſculè, ſed bellè Chryſologus. Hinc Pharao & Herodes diem natiuitatis ambitioſius celebrant: cælum verò non initium natiuitatis, ſed vitæ terminum, non hominis natiuitatem, ſed Iuſtorum mortem celebrat & dilaudat: & dubias vitæ laudes cunctatur vſque ad mortis clauſulam. An non alicuius magni Regis hæc vox eſt: *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius?* & vt alij excribunt, *honorifica, glorioſa, chara, grata*, & inde laudabilis.

Geneſ. 40. 20.
Anſel. Laud. ibid.
Chryſol. ſerm. 118.
Quare Pharao & Herodes diem ſuæ natiuitatis celebrent.
Pſalm. 115. 15.

2. Hîc verſ. 31. opificium cuiuſcunque diei repetitâ operis laude terminatur; perfecto autem ſextæ diei opere, ſic rem concludit ſacer Hiſtoricus: *Et factum eſt ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona. Et factum eſt veſpere & mane, dies ſextus.* Vetus quæſtio eſt, quare hæc ſexta mundi dies propriâ benedictione viduetur: præfata enim benedictio communis eſt etiam alijs diebus ſigillatim propriâ benedictione laudatis. Opera reliquorum dierum ſpeciatim à Deo laudantur, & hæc ſexta dies, in quâ homo creaturarum princeps creatur, propriâ benedictione careat? *Quomodo* (inquit Ambroſius) *quando ſolus factus eſt Adam, non dictum eſt, Bonum eſſe factum?* Nonne homo eſt, de cuius creatione tanquam de re magna, velut deliberat & conſulat Deus? nonne homo eſt, præluſtris Dei imago, eius infinitæ artis & ſapientiæ teſtimonium, & opus perfectiſſimum? Nonne homo eſt, creati mundi finis, compendium, & nexus? ideò à Philoſophis *Microcoſmos* appellatur, & à Platone *Horizon vniuerſi*, quia diſterminat, & in ſe iungit ſuperius hemiſphe-rium.

Hîc v. 31.
Homo recens creatus non laudatur, laudandus in morte.
Ambroſ. l. de Parad.

rium, putà cælum & Angelos; atque inferius, nempe terram, & animantes. Quam ergo ob cauſſam, *quandò factus eſt Adam, non dictum eſt: Et vidit Deus quòd eſſet bonum?* An reliquarum rerum ortus celebratur, in homine verò, non ortus, ſed occaſus; non natiuitas, ſed mors celebranda eſt? Homo enim (vt ceteras eius ærumnas omittam) naſcitur peccatis vectigalis, & eius vitæ ortus, primogenitæ morti obnoxius: *In vltimo ſui laudatur homo,* ait Syrus interpres, exſcribens illa verba Eccli. 11. *Et in fine hominis denudatio operum illius.* Eleganter Ambroſius: *Laudatio hominis non in exordio, ſed in fine eſt.* Pergit alibi. *Ergo dum in hâc vitâ quiſquam eſt, non poteſt definitâ prædicatione laudari, quia patere adhuc poſſit errori.* Nonne illa Seraphici Franciſci apud Seraphicum Bonauenturam præclara vox aſt: *Nemo laudandus cuius incertus eſt exitus.*

Syrus Eccl. 11.
Ambroſ. de Inſt. Virg. cap. 3.
Idem in Pſ. 1.
Bonau. in eius vita c. 6.

3. Adhuc peruestigemus rationem, quare Deus ſicut reliquas laudauerit creaturas, recèns formatum hominem minimè dilaudarit. Eccleſiaſtici 11. ita ſcribit Ieſus Sirach: *In fine hominis denudatio operum illius. Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Priùs illud hemiſtichium ſic exſcribit Vatablus, *Hominem conſummat ipſius exitus.* Non hîc dixit, quòd bonus exitus conſummat hominis probitatem, aut bonos mores, aut piam & religioſam vitam; ſed quòd exitus conſummat hominem, quaſi ante exitum & mortem, homo perfectus & conſummatus non ſit? *No es hombre conſumado, haſta la muerte?* Exinde quaſi non perfectum nec perfectè abſolutum opus, homo ante exitum laudari non debet, & ita poſtquam dixit: *Hominem conſummat ipſius exitus*, mox ſubditur: *Ante mortem ne laudaueris hominem quemquam.* Et ſanè nemo mirari debet, quod ante mortem non ſit homo cõſummatus, nam dum Iobi ſublimiſſimã & perfectiſſimam vitam dilaudat Moyſes, ſic fatur in capitis 1. auſpicio: *Vir erat in terrâ Hus nomine Iob, & erat vir ille ſimplex.* Aliqui ex Hebræâ origine peritè exſcribunt: *erat vir ille integer.* Ac ſi grande & ſingulare ſit Iobi elogium quòd erat *vir integer*, & homo conſummatus. Quod illuſtriſſima virtus Iobo præſtitit, id bonus exitus vulgo hominibus præſtat? Itaque ſi quidem *hominem conſummat ipſius exitus, ante mortem ne laudaueris hominem quemquam.* Ergo nec Deus hominem recèns productum, & necdum exitu conſummatum, laudare debuiſſet. Quo fortè alludere videtur S. Maximus: *Ne*, inquit, *laudaueris hominem in vita ſua: tanquam ſi diceret, lauda poſt vitam, magnifica poſt conſummationem: nam hominem conſummat ipſius exitus.* Vnde homo in eius ortu non laudatur, in exitus conſummatione laudandus.

Ecel. 11. 29. & 30.
Vatabl. ibi. *Hominem nõ tam vita, quàm mors conſummat.*
Iob. 1. 1.
S. Maxim. homil. 19.

4. Eccleſiaſtes 7. *Melior eſt dies mortis die natiuitatis.* Multas cauſſas huius moraliſſimæ ſententiæ adaggerant interpretes, ſed expendendæ ſunt, quas tradit Hieronymus. *Vel hoc,* inquit, *oſtendit, meliùs eſſe exire de ſeculo, & carere tribulationibus atque incerto vitæ ſtatu, quàm ingredientem mundum hæc omnia ſuſtinere. Vel certè quòd in morte quales ſimus notum ſit, in exordio verò naſcendi qui futuri ſimus, ignoratur. Aut quòd natiuitas aliget corpore libertatem animæ, mors reſoluat.* Expende attentiùs has Hieronymi cauſſas, moralis ſucci plenas. Addit Ambroſius: *Tum quia vnuſquiſque quandiu viuit, obnoxius eſt lapſui, nec ſenectus immunis à crimine. Ideò legis quia Abraham mortuus eſt in ſenectute bonâ, eo quod in bonitate propoſiti ſui permanſit. Mors igitur vitæ eſt teſtimonium... Dux ipſe niſi confecto prælio non ſumit lauream: nec miles arma deponit, nec ſtipendij mercedem adipiſcitur, niſi hoſte ſuperato.* (nota quæ ſubdit verba) *Mors igitur ſtipendiorum plenitudo, ſumma mercedis, gratia miſſionis eſt.* Comptè quidem & acutè.

Eccle. 7. 2.
Hieron. ibid.
Cogitatur cauſſa cur nemo ante mortem ſit laudandus.
Ambr. l. de bono mortis cap. 8.
Mors eſt ſtipendiorũ plenitudo, & ſumma mercedis.

Sat hæc de primo Adamo; ſecundus me vocat, Noëmus inquam, cui ſecundam Benedictionem impendimus.

BENEDI

BENEDICTIO
SECVNDA.
DE NOË, ET FILIIS.

Hæc ſecunda benedictio Patriarcham Noëmum, & Patriarchalem eius ſobolem felicitat. Soſpites à communi eluuionis naufragio Deus blandiùs alloquitur, numeroſam ſpondet poſteritatem; metum adimit alterius diluuij, Iride in ſignum deſtinata. Quin & ipſe Patriarcha Noëmus Setho, & Iapheto, frugi Soboli, largiùs Benedicit, ob inſignem erga parentem pietatem ac modeſtiam; quorum ſeruituti Chanaan ſubiicit, ob irriſi parentis impium ſcelus.

GENESIS.

CAPVT IX.

1. BENEDIXITQVE *Deus Noë, & filijs eius. Et dixit ad eos: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.*

2. *Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli, cum vniuerſis, quæ mouentur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt.*

3 *Et omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.*

4 *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.*

5 *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum: & de manu hominis, de manu viri, & fratris eius requiram animam hominis.*

6 *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.*

7 *Vos autem creſcite, & multiplicamini, & ingredimini ſuper terram, & implete eam.*

8 *Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios eius cum eo.*

9 *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos.*

10 *Et ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quàm in iumentis, & pecudibus terræ, cunctiſque quæ egreſſa ſunt de arcâ, & vniuerſis beſtiis terræ.*

11 *Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij: neque erit deinceps diluuium diſſipans terram.*

12 *Dixitque Deus: Hoc ſignum fœderis, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas.*

13 *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.*

14 *Cúmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus:*

15 *Et recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuerſam carnem.*

16 *Eritque arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum, & omnem animam viuentem vniuerſæ carnis, quæ eſt ſuper terram.*

17 *Dixitque Deus ad Noë: Hoc erit ſignum fœderis quod conſtitui inter me, & omnem carnem ſuper terram.*

18 *Erant ergo filij Noë qui egreſſi ſunt de arca, Sem, Cham, & Iaphet: porrò Cham ipſe eſt pater Chanaan.*

19 *Tres iſti filij ſunt Noë, & ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper vniuerſam terram.*

20 *Cœpitque*

20 *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.*
21 *Bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo.*
22 *Quod cùm vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nuntiauit duobus fratribus foràs.*
23 *At verò Sem, & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui: faciéſque eorum auerſæ erant, & patris virilia non viderunt.*
24 *Euigilans autem Noë ex vino, cum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait:*
25 *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.*
26 *Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius.*
27 *Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſeruus eius.*
28 *Vixit autem Noë poſt diluuium trecentis quinquaginta annis:*
29 *Et impleti ſunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus eſt.*

COMMENTARIVS
LITTERALIS.

1. Vers. 1. BENEDIXITQVE DEVS NOE, ET FILIIS EIVS. Tandem egreditur ex arcâ S. Patriarcha Noë, & admirans & circumſpectans ait: *Ecce video cælum nouum, & terram nouam; primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare iam non eſt.* (Apoc. 21. 1.) Abiit prius illud cælum nimbis inhorreſcens, pluuiis continentibus diffluens, fulgetris intermicantibus minaciter coruſcans: ſonoris tonitribus horrendum remugiens, & procelloſis ventorum curſibus omnia diſſipans atque proſternens. (Salian ad an. 1637.) Et ecce adeſt cælum nouum cum vere nouo; cælum nouum, nouâ vndique luce hilareſcens, Solis, reliquorúmque aſtrorum gratiſſimos radios quaquauerſùm diffundens, & Zephyris leniter ſpirantibus ſuauiter fragrans. (*Epicinium in mundi innouationem.*) Abiit terra illa tota ſqualida, tota ſordida, tota luculenta; terra illa diuino damnata maledicto, exitialibus aquis, in perniciem omnium viuentium, vndique ſcaturiens. Abiit terra illa turpiſſimorum peccatorum ſordibus polluta & fœtens. Et ecce adeſt terra noua, germinans herbam virentem, & odoriferos flores, & ligna pomifera, ſicut à principio.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

Diffugêre imbres, redeunt iam gramina campis,
Arboribúſque coma.

Et mare illud iam non eſt, quod omnia ſola terrarum occupabat, nullis obicibus, nullis molibus, nullis littoribus retentum. Oceanus ille iam non eſt, qui vniuerſa regione campeſtri minimè contentus, altiſſimos ipſos montes inuaſerat, & quadraginta dierum certamine victor euaſerat, quindecim cubitis ſupereminens, & centum quinquaginta dies quaſi edomitis ſubiectiſque terris imperium indubitatum tenens. Itaque S. Patriarcha Noëmus deuorato mundi naufragio, ſoſpes ex arcâ egreditur cum pauculâ familiâ. Et dum Deo debitas mactatis victimis exoluit gratias, gratias mercatur nouas, peritus diuinæ amicitiæ nundinator.

BENEDIXIT, &c. Scilicet reſtaurat Deus benedictionem impertitam Adamo ſuprà cap. 1. verſ. 28. iiſdem verbis, & eodem modo intelligendis. Conſule ibi dicta. Nec contentus quidem Dominus ſecuritatem à diluuio in perſonâ Noë promiſiſſe mortalibus, qui ab eo, & filiis eius propagandi erant, eis nominatim Benedixit; tam ſpiritualia gratiæ dona multiplicans, quàm copioſam fœcundita- 2.

cunditatem, ad multiplicandum genus humanum indulgens. Quod eleganter expendit Chryſoſt. homil. 27. in Geneſ.

3. VERS. 2. TERROR VESTER, AC TREMOR. Sicut autem olim Deus poſt impertitam Adamo fœcunditatem dedit illi dominium in animantia, ita etiam hoc loco Noëmo. Adeò vt S. Chryſoſt. homil. 27. (Chryſoſt.) dicat, *Iuſtum Noë eandem benedictionem conſequi, quam olim Adam, & ereptum recuperare principatum virtute ſuâ*; imò ineffabili Dei clementiâ. Verùm enimverò plenum dominium in animantes Adamus peccando amiſit; remanſit autem ſemiplenum, quod hîc exprimitur. Vnde Geneſeos 1. ℣. 28. dictum eſt protoparentibus, *Dominamini*; hîc autem, *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli, cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram.* Idque (*Feræ, niſi laceſſita hominem fugiunt.*) experientia etiam demonſtrat, vt animalia quantumuis fera hominis vultum, & datam in ſe diuinitùs poteſtatem reformident, nec in eum inuadant, niſi maiori vi aliquâ impellente, vt rabidæ famis, aut defenſionis propriæ vitæ, aut protectionis ſuorum fœtuum: Niſi fortè laceſſita ſint, aliâve perturbatione in hominem concitentur. MANVI VESTRÆ TRADITI SVNT. Piſces inquam. Quaſi dicat: Arte & induſtria eos capite, quaſi rem propriam.

VERS. 3. OMNE QVOD MOVETVR ET VIVIT, ERIT VOBIS IN CIBVM. Liberè concedit carnes ad eſum, quas olim cap. 1. verſ. 29. non vetuerat, ſed nec conceſſerat. Quaſi dicat Deus: Aſſumant, ſi velint. Per me integrum illis eſt, vt carnibus veſcantur. Legatur Salianus ad (Salian.) ann. m. 1657. à num. 16. Exinde conſtat (*Carniſpriuium licitum eſt.*) carniſpriuium & licitum, & laudabile eſſe, Religioſis ex voto, toti Eccleſiæ ex præcepto ad tempus, vt notant Catholici contra Nouatores, nuncupatim noſter Bellarminus lib. 2. de Bonis oper. (Bellarm.) cap. 7. τὸ *omne*, idem eſt ac quicquid ad eſum eſt congruum. Alioqui nemo viperâ impunè veſcitur.

4. Ceterùm bene aduertit P. Salianus (Salian.) ann. m. 1637. num. 14. & 15. quòd Deus eodem ordine, quo in ortu mundi poſt impertitam Adamo fœcunditatem, dedit illi dominium in animantia, & poſteà prouidit de cibo: ita & nunc recentiori Adamo, Noëmo inquam; cui Benedicens Deus, verſ. 1. dixit: *Creſcite & multiplicamini*: & verſ. 2. *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ*: & in hoc verſ. 3. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* Sed cur eſum carnium, quem non conceſſit Adamo, poſt diluuium Noëmo expreſsè permittit? S. Chryſoſt. homil. 27. ita ſuper (Chryſoſt.) hâc re fatur: *Hic eſt*, inquit, *initium edendarum carnium, non vt ipſos ad ventris ingluuiem paret, & inſtituat; ſed quia ex ipſis erat Noë ſacrificaturus, & Deo gratias acturus, vt ne videamur quaſi à conſecratis abſtinere.* (Antiqua Chryſoſtomi verſio habebat, *quaſi ab execratis.*) Tantámne (*Cur carnes poſt diluuium conceſſa.*) venerationem concipiunt, vel brutæ pecudes Deo conſecratæ, vt quoniam aliquæ Deo mactantur, nullam homines auderent attingere, reuerentiæ causâ? Hæc Chryſoſtomi ratio pluribus inſuffi- (Theodor.) ciens viſa eſt. Aliam offert Theodoretus q. 55. in Geneſ. quod *cum Dominus præuideret fore, vt homines animalia pro Dijs colerent, permiſit illorum eſum, quò impietatem illorum cohiberet. Summa enim eſt* (*Vileſcit, quod comeditur!*) *inſania adorare quod comeditur. Propterea quoque animalium quædam haberi voluit immunda, alia munda; & immunda eo ipſo quòd immunda ſunt, adorare perhorreſcerent; munda verò, quòd ad eſum hominis, & ad ſacrificia mactarentur, pro Dijs colere erubeſcerent.* Non inidonea quidem ratio ad litteram, ad mores peridonea, ſicut & illa Chryſoſtomi.

5. (*Veriſimilior ratio.*) Deinde maximè conueniens fuit poſt diluuium, vt Deus homines proximæ vindictæ ſeueritate perterrefactos, hâc manifeſtâ indulgentiâ recrearet; ſicut & ſponſione non exinceps futuri diluuij. Huic diuinæ indulgentiæ aliquam humanam indigentiam adiungit Abulenſis quæſt. 2. in cap. 9. Geneſeos: (Abulenſ.) tum ex ipſa terra, quæ ſalſis diluuij aquis diu imbuta, minùs ſucculentos pareret fructus, & inde minus efficaces ad fouendam mortalium vitam: tum etiam ex ipsâ mortalium corporum infirmiori habitudine, quam contractior deinde vita apertè demonſtrauit. QVASI OLERA VIRENTIA, &c. Id eſt, qui anteà habebant pro eſcâ olera, nunc, ſi velint, carnibus veſcantur.

6. VERS. 4. EXCEPTO QVOD CARNEM CVM SANGVINE NON COMEDETIS. Pagninus, Vatablus, Lipomanus, Eugubinus, Caieta- (*Sanguis appellatur anima animalis.*) nus, ita ex Hebræo vertunt: *Veruntamen in animâ ſuâ* (ſanguine videlicet (Rio. Salian.) ſuo) *non comedetis.* Eâdem, opinor, ſententiâ cum Vulgato, vt notarunt Martinus del Rio, & Salianus. Quid enim aliud eſt comedere carnem cum animâ,

niſi comedere carnem cum ſanguine, qui habetur ſedes animæ? Non diſſentiunt L X X. qui ſic locum exſcribunt: *Verumtamen carnem in ſanguine animæ, ne comedatis*, id eſt, in quâ adhuc eſt ſanguis, qui loco animæ eſt. Scilicet hæc à ſacra Scriptura, & SS. Patribus ex vulgi exiſtimatione dicuntur: nam perſpicuum eſt apud ſapientes, longè diuerſam eſſe animam à ſanguine, aut quouis alio animalium humore.

7. Sed cur ſanguinem cum carne comedi, vetat Deus? Quæ eſt iſta exceptio? Multa hîc commentatores, quæ libens omitto. Placet S. Chryſoſtomus homil. 27. cui alii ſubſcribunt. Meditatur Chryſoſtomus hoc loco, præceptum Noë datum, ſicut quondam Adamo: non quòd aliquid rei vetitæ ineſſet peculiare, ob quod vetaretur; ſed vt poſt diluuium etiam intelligant homines, ſe habere dominum, qui pro nutu imperare & prohibere poſſit quod lubet: vt ita morigeri & obſequentes Deo ſint, adſueti iugum pati. Hinc Adamo temperantiam à quâpiam arbuſculâ præcepit: Noëmo autem, conceſſis ad eſum carnibus, abſtinentiam à ſanguine ſimul cum animalium carne. Notant Bonfrerius & Gordonus, ſanguinem cum carnibus edere, prohibitum eſſe: non ſeparatum ſanguinem, quo veſci interdictum non apparet.

Chryſoſt. *Cur prohibetur eſus ſanguinis cum carne.* Bonfrer. Gordon.

8. VERS. 5. SANGVINEM ENIM ANIMARVM VESTRARVM. Vocula *enim*, quæ hîc non poteſt eſſe cauſalis, obſcurum reddit ſenſum. Pro illâ Hebraicè ſcribitur אך *ach*, quæ vim aduerſatiuam ſeu exceptiuam habet, & ponitur pro *verumtamen, porrò, attamen*: ita Burgenſis, Caietanus, Bonfrerius. Quaſi dicat: Volo beſtiarum ſanguinem, dum earum carnes comeduntur, effundi; at humanum ſanguinem ita volo eſſe ſacroſanctum, vt neque homo, neque fera illum impunè effuderit. Tacita hîc lex à Deo promulgatur, vt quicumque hominem occiderit, ſiue is homo ſit, ſiue fera, occidatur. Quæ lex explicatiùs poſteà à Moyſe lata fuit, Exodi 21. v. 28. SANGVINEM ANIMARVM appellat, quia animalium vita potiſſimum videtur ſanguine conſeruari, propter ſpiritus vitales, quorum ſanguis vehiculum eſt. REQVIRAM ad vindictam, id eſt, vlciſcar: conſuetâ Bibliorum phraſi. DE MANV CVNCTARVM BESTIARVM. Non puniuntur beſtiæ quaſi deliquerint, ſed quò homines ab homicidio deterreantur. Huc ſpectat lex illa de boue lapidibus obruendo (Exodi 21. v. 28. & 29.) qui hominem occiderit. Nunc quoque aliquando beſtiæ, in deteſtationem delicti iubentur interfici: & Dominus in deteſtationem criminum humani generis, diluuio perdidit omnia animalia, & ipſa inanima opera hominum. DE MANV HOMINIS, plebeij inquam. DE MANV VIRI, principis, ET FRATRIS. Quia accidere poteſt, vt occiſi hominis parentes conſanguinitate iuncti ſint cum occiſore, & ideò velint necem condonare. Id vetat Deus, & vult per iudices puniri.

Burgenſ. Caietan. Bonfrer. *Homicidij pœna.* Exod. Exod.

9. VERS. 6. EFFVNDETVR SANGVIS ILLIVS. Siue per iudicem, ita Chaldæus, Procopius, & Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 3. ſiue per aliquem humanæ vitæ caſum. ita Salianus & Bonfrerius. Inculcat Deus homicidij prohibitionem adſpectu ad gigantium tempora, in quibus frequentes hominum ſtrages: & ad paucitatem hominum illius æui. AD IMAGINEM QVIPPE DEI FACTVS EST HOMO. Si ab homicidio non arcet natura communis, arceat imago mea, quam impunè demoliri non patiar. Nemo ergo licitum putet humanum ſanguinem, ſicut belluinum fundi. In quo autem conſiſtat hominis ad Deum imago, explicuimus cap. 1. ad verſ. 26.

Chaldæus. Procop. Ioſephus. Salian. Bonfrer.

VERS. 7. VOS AVTEM CRESCITE, &c. Cùm ſeueriori prohibitione homicidij, ſolerter conſultum ſit hominum propagationi, ſeriò illi incumbite, ait.

VERS. 9. ECCE EGO STATVAM PACTVM MEVM. Iam promiſerat Deus capite præcedenti nunquam deinceps obrutum iri mundum diluuij aquis: ſed quia paulò pòſt ſigno pactum ſtabiliet, ideò dicit, *ſtatuam pactum*.

VERS. 10. ET AD OMNEM ANIMAM VIVENTEM, &c. Non propriè *pactum* initur cum beſtiis: vnde τὸ *pactum* adſpectu ad homines vocabuli proprietatem ſeruat: at reſpectu ad bruta, pro merâ promiſſione accipi debet: quam duntaxat ſignificat Hebræum ברית *berith*.

VERS. 11. NEQVE ERIT DEINCEPS DILVVIVM. Vniuerſale inquam: & ideò ſubdit, *diſſipans terram*. Porrò poſt generale diluuium, fuit particulare Ogygis in Græciâ, tempore Iacobi: & in Theſſaliâ Deucalionis diluuium, tempore Moyſis. Ita ex Euſebio in Chron. communiter interpretes.

Euſeb.

10. Vers. 12. In generationes sempiternas. Id eſt, omnes, reſpectu Noëmi, & poſterorum eius, cum quibus pactum initur.

Vers. 13. Arcvm mevm ponam. Hunc arcum eſſe Iridem, meritò SS. Patres,
3. & paſſim interpretes, cenſent. Pro τὸ *ponam*, Hebraïcè eſt נתתי *natatti*, *po*
ſui. Proculdubio fuit arcus cæleſtis, ſeu Iris ante diluuium; eſt enim naturalis eius productio ex radiis ſolaribus directè incidentibus in nubem roſcidam, quæ reſolutioni in pluuiam eſt proxima, quando Sol, oculus, & centrum iridis in eandem lineam rectam concurrunt. Eſt autem Iris naturale ſignum pluuiæ, maximè ſi matutino tempore appareat. Fuitque etiam eiuſdem rei naturale ſignum ante diluuium: ſed hoc loco à Deo aſſumitur in ſignum ex beneplacito nunquam deinceps futuri diluuij. Quæ ratio ſigni, etſi non ſit naturalis iridi, tamen conuenienter ad eam rem ſignificandam aſſumitur, cum Iris, etſi pluuiæ ſignum ſit, tamen ſignum eſt, non fore diuturnam, ſed breui in ſerenitatem reſoluendam. Ita Bonfrerius. Legatur Valeſius de ſacrâ Philoſophiâ, cap. 9. In nvbibvs roſcidis, dum illuſtrantur aduerſis Solis radiis. Svper terram, terræ incolas.

Quo pacto Iris poſſit eſſe ſignum non futuri exinceps diluuij.

Bonfr. Valeſ.

11. Sem, Cham, et Iaphet. Non quia Sem primo loco recenſetur, ideò putandus eſt indubiè natu maximus. Sicut neque Abraham, etſi primo loco ante reliquos fratres nominetur. Neque validum argumentum ſumitur pro Sethi primogenitura, ex Geneſeos 10. verſ. 21. vbi ſic ſcribitur: *De Sem quoque nati ſunt patre omnium filiorum Heber, fra-*
4. *tre Iaphet maiore*. Porrò pro *maiore*, Hebraïcè habetur הגדול *baggadol*, quæ vox Hebræo more indeclinabilis eſt, id eſt, inuariata omnibus ſingularis numeri caſibus deſeruit: poteſtque verti etiam *maioris* in genitiuo, vti vertunt LXX. Hebræi, Lyranus, Mariana, & alij, qui id referunt ad Iaphet, quaſi natu maximum. Neque id inidoneè confirmari poteſt: nam ſuprà cap. 5. verſ. 31. dicitur Noë; cùm ſexcentorum eſſet annorum, genuiſſe tres illos filios: & tamen biennio poſt diluuium, dicitur eſſe Sem centum annorum, cap. 11. verſ. 10. ergo Sem non fuit genitus centeſimo anno: eſſet enim tunc centum duorum annorum. Et ſanè niſi exploratum foret Iaphetum fuiſſe primogenitum Noëmi, non vltrò primogenituræ ceſſiſſent Hebræi. Quòd ſi adhuc Latinam verſionem Græcæ præferas, licebit Sem maiorem dignitate interpretari, non annis: præſertim cùm vox Hebræa *baggadol* magnum propriè, non maiorem ſignificet. Vide noſtrum Marianam inibi. De Chamo nulla eſt controuerſia, an fuerit primogenitus: nam hîc verſ. 24. dicitur filius Noëmi minor.

Iaphet natu maximus probatur.

Hebræi. Lyra. Mariana.

Geneſ.

Mariana.

Pater Chanaan. Quando filij Noëmi egreſſi ſunt ex arcâ, nondum natus fuerat Chanaan; eius tamen meminit, viam ſternens maledictioni in ipſum ferendæ. Sed præſtat Chanaan nomine Chananæos intelligi, qui à Cham ortum ducunt, vt habetur cap. ſequenti. Ita Salianus an m. 1671. Salian.

12. Vers. 19. Omne genvs hominvm. A Sem Cham, & Iaphet diſſeminatum hîc dicitur, *omne genus hominum*: ergo fictitia eſt numeroſa proles, quam Aniani Beroſus poſt diluuium Noemo adſcribit: nempe triginta filios, quos etiam à Titanæa matre Titanas appellat. Subtiliter autem Caietanus ex textu ſacro conatur elicere, ſaltem habuiſſe alios filios, quia hîc verſ. 18. ſcribit Moyſes: *Erant ergo filij Noë qui egreſſi ſunt ex arcâ, Sem, Cham, & Iaphet*: ergo habuit alios filios, qui egreſſi non ſunt ex arcâ; ſiquidem ad differentiam aliorum filiorum eius, meminit exeuntium ex arcâ. Beroſo & Caietano conſentit Torniellus 2. ætate an. 6. num. 2. & probat ex eo quòd ipſi quoque Noëmo dictum fuit: *Creſcite, & multiplicamini*. Nec erat adeò ſenex qui totos trecētos quinquaginta annos poſt diluuium vixerit, vt non potuerit generare, accedente præſertim diuinæ benedictionis efficaciâ.

Affirmant aliqui Noëmum plures poſt diluuiū ſuſcepiſſe filios.

Beroſus. Anian. Caiet.

Torniel.

13. Oppoſita tamen ſententia multò verior, & receptior eſt. Eam tenet S. Chryſoſt. hom. 24. & 29. in Geneſim. S. Epiph. l. 1. Panar. Abulenſis quæſt. 9. in cap. 9. Geneſ. & propè omnes recentiores. Probatur efficaciter ex hoc verſ. vbi ſcribit ſacer Hiſtoricus: *Tres iſti filij ſunt Noë, & ab his diſſeminatum eſt omne genus humanum, ſuper vniuerſam terram*: igitur aut ſteriles fuerunt reliqui Noëmi filij, in illo præſertim tempore, & recenti benedictione diuinâ; aut narratio Moyſis falſa, quæ vniuerſaliter aſſerit, ab his diſſeminatum eſſe omne genus humanum, ſuper vniuerſam terram. Niſi fortè (vt arguit Salianus) aliquod aliud genus hominum, aliqua alia terra, alius denique

Chryſoſt. Epiphan. Abulen.

Nullos poſt diluuiū Noëmus ſuſcepit filios.

mundus

mundus ab iis qui contrà ſentiunt inueniri poteſt. Nec locum habet euaſio
Caietan. Torniel. Caietani & Tornielli; ab iſtis præcipuè, & eorum poſteris, non autem à ſolis, diſſeminatum eſſe genus humanum, & ita non excluduntur reliqui Noëmi filij poſt diluuium generati. Non enim ait Scriptura, à filiis Noëmi propagatum eſſe genus humanum, ſed à tribus, quos nominatim expreſſit, & pronominibus demonſtratiuis velut digito oſtendit, quæ vim habent excluſiuam, ſicut & illud, *omne genus hominum*, & iterum, *ſuper vniuerſam terram*. Ex quibus euaneſcit ratio Caietani, & Tornelli. Euaneſcit quoque Tuiſco filius Noëmi, Ger-
Chronicon German. Method. Comeſtor. Abul. manorum pater, apud Chronicon Germaniæ m, & Ionithus apud Methodiũ, Comeſtorem & Abulenſem.

14. Vers. 20. *Magnus vtim viri agricolæ fuerunt.* COEPITQVE NOE VIR AGRICOLA EXERCERE TERRAM. Ad agricolationem primus humani generis parens damnatus fuit à Deo; fuitque agricultura à vetuſtis illis Patriarchis in pretio & honore, protoparenti exequi miniſterium: fuit & priſcis illis Romanis antequam luxus & ambitio vrbem corrumperet. *Cœpit*, inquam, Noe, primus poſt diluuium: nam ante Adamus agriculturæ operam dedit. PLANTAVIT VINEAM. Ante diluuium erant vites, ſed ad eſum duntaxat. Noë primus vites in vineta diſtribuit, & ex eis liquorem ex-
Hieron. preſſit ad potum. *Vinum cum carnibus poſt diluuium dedicatum eſt*, S. Hieron. lib. 1. contra Iouin.

15. Vers. 21. BIBENSQVE VINVM. Largiùs quàm par erat. INEBRIATVS EST, neſciens vini vim: inde excuſatur à crapulæ fœ-
Chryſoſt. Hieron. Cyrill. Theodor. Caluin. ditate à Sancto Chryſoſtomo homil. 29. & Hieronymo ad Euſtochium, a Sancto Cyrillo lib. 4. in Geneſ. à Theodoreto quæſt. 56. & communiter ab interpretibus. Vt pudeat Caluinum pro ſua in SS. Patres impudentiâ, ſanctiſſimum Patriarcham ludibrio expoſuiſſe. Non pauci, nec inerudití, Noe eundem putant cum Iano, dictúmque Ianum ab He-
Sitne Noë idē ac Ianus. bræo יין *iajin*, quod ſignificat vinum. Indéque bifrontem fingi, quia duplex ſeculum vidit, & ante, & poſt diluuium. Et quare tres Noëmi filij non finguntur bifrontes? Non placuit poetis. Ego nec poetis vera dicentibus credam.

Vers. 22. Caietan. *Cur Chanaã fit mentio, cu Cham eius pater, videt Noemus.* QVOD CVM VIDISSET CHAM PATER CHANAAN. Cur Cham nunc pater Chanaan dicitur? Ex præfatis verbis duo colligit Caietan. quâ ſolet ſubtilitate. Primùm iam natum fuiſſe Chanaan; neque enim Cham eſſe poterat pater Chanaan, niſi filius Chanaan, illi natus fuiſſet: & ſimul Cham indicio Chanaan hæc vidiſſe. Porrò nihil intererat cum tunc vocare patrem Chanaan, cum agitur de viſione huius ſpectaculi, niſi Chanaan interueniſſet. Non ſuppetebat veroſimilior coniectura, quàm decennem ſaltem Chanaan, omnium primum in dormientem auum incidiſſe, & indecorè nudatum aſpexiſſe, rémque totam ad patrem cum riſu detuliſſe. Hanc coniecturam tradunt & approbant plures.
Perplacet P. Salian. ad an. m. 1671. n. 7. Salian.
qui ſeriò cenſet τὸ *Chanaan* accipi, non pro Chanaan quarto Chami filio, ſed pro Chananæis eius poſteris. Scilicet Moyſes in narrando impudenti facinore Chami filij in patrem Noëmum, inſeruit illud, *Pater Chanaan*, ad ingenerandum Iudæis odium in gentem Chananæorum, & turpiſſimos eorum mores: quoniam ad eos perdendos, atque exterminandos, regionémque eorum poſſidendam diuinitùs mittebantur.

VERENDA SCILICET PATRIS ESSE NVDATA. 16. *Nullus olim femoralium vſus.*
Inde ſuſpicantur Abulenſ. Lipom. Salian. & alij in illo rudi æuo viros non fuiſſe vſos femoralibus, quæ procul dubio eam denudationem prohibuiſſent. Abul. Lipom. Salian.
Nec apud Hebræos multis poſt ſeculis in vſu fuiſſe, conſtat ex illo Exodi 20. v. 26. *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* Exod.
De Romanis coniectari licet ex cæde Iulij Cæſaris, elaborantis ne cadens indecore nudaretur. τὰ *verenda*, Hebraicè ſcribitur, *nuditatem*.

17. Vers. 24. EX VINO. A ſopore, in quem vis vini illum iniecerat. FILIVS SVVS MINOR. Rectè videtur vti comparatiuo, non ſuperlatiuo, minimus. Videtur enim Iaphet natu maximus (iuxta dicta ad verſ. 18.) Cham ſecundus, Sem poſtremus fuiſſe. Etſi Caietan. ſentiat, Chamum fuiſſe omnium minimum. Caietan.
CVMQVE DIDICISSET. Sed vnde didicit Noëmus Chami impudentiam? Scilicet expergefactus, cùm ſe alieno pallio amictum aduerteret, cauſam ſciſcitatur, quam filij negare auſi non ſunt. Ita Pererius, Rio, Torniellus, Salianus. Pererius. Rio. Torniel. Salian.

18. Vers. 25. *Quare maledicitur Chanaan, nõ ipſe Cham?* MALEDICTVS CHANAAN. Noë maledictionem propheticè imprecatur nepoti Chanaan, & ſub eius nomine Chananæis: quia noluit reliquos Chami filios eâdem maledictione implicare, è

quibus potentiſſimi populi oriundi erãt, vt traditur cap. ſequenti: ſatiſque caſtigatus foret pater in filio. Ita Theodoretus quæſt. 57. & 58. Lactantius verò l. 2. cap. 14. aſſerit, Chamum à patre abdicatum, & patriâ domo pulſum, profugum in ea terræ parte tandem conſediſſe, quæ nunc Arabia nominatur. SERVVS SERVORVM. Hebræo idiotiſmo idem eſt ac ſeruus viliſſimus, & ſortis infimiſſimæ. Hæc prophetia impleta eſt in Gabaonitis; Et rex Salomon reliquias Chananæorum Iudæis *tributarios*, & ſeruos fecit 2. Paral. 8. v. 7. & 8.

Theodor. Lactant.

2 Paral.

19. VERS. 26. BENEDICTVS DOMINVS DEVS SEM. Ecce tibi geminatur Semi Benedictio. Primam cum Patre & fratribus à Deo accepit in huius capitis auſpicio, & nunc alteram à Patre audit. Sed quid eſt, quòd non tam Sem, quàm Semi Deus videtur benedici? Indubiè eſt metalepſis, quâ ex conſequenti innoteſcit antecedens. Quaſi dicat Noëmus: Tanta bonorum temporalium, & maximè ſpiritualium (vt putà veri Dei cognitione & cultu, atque Chriſti Dei natiuitate) ditabitur, & illuſtrabitur Semi poſteritas, vt cuncti id videntes, confeſtim Deo benedicant, quaſi tot bonorum munifico largitori. Ita Caietanus, Lipomanus, Bonfrerius, plures.

Cur non tam Sem, quàm Semi Deus benedicitur à Noëmo.

Caietan. Lipoman. Bonfrer.

20. VERS. 27. DILATET DEVS IAPHET. Eſt pulchra paranomaſia in Hebræis vocibus: nam יפת *Iaphet* latitudinem ſignificat. Quaſi dicat: Dilatet Deus latitudinem, vel dilatatum. ET HABITET IN TABERNACVLIS SEM. Id eſt, in parte poſſeſſionis eius, Aſiæ videlicet, quæ tota videbatur Semo aſſignanda, ſicut Chamo attributa fuit Africa, & Iapheto Europa: cui magna etiam obtigit Aſiæ pars. Ita Salianus an. m. 1788. num. 8. Sed fortè hæc verba vtpote prophetica ſublimiorem redolent ſenſum, & myſtico ſimilem. Nempe Iaphetus (à quo Romani) habitauit in tabernaculis Sem (à quo Hebræi oriundi ſunt) non ſolùm quia Romani Iudæos ſæpè debellarunt, & Palæſtinæ dominati ſunt; ſed quia ad tabernacula Sem, ſeu ad Chriſti Eccleſiam inchoatam in Iudæis, venit Chriſtianæ Eccleſiæ ſumma & Pontificia poteſtas, Romæ reſidens, & longe latéque per orbem diffuſa occupauit omnes fines ſeu tabernacula Semi: dum Romanus Pontifex è tabernaculis Iapheti, Romà inquam, Semi occupat tabernacula. Ecce tibi Iapheti poſteritas, vſque adeò dilatata, vt habitauerit terminos & tabernacula Sem.

Quo pacto Iaphet habitet in tabernaculis Semi.

Salian.

21. SITQVE CHANAAN SERVVS EIVS. Iapheti poſteritati ſeruiuit Chananæus, cũ imperium orbis ad Europæos Imperatores deuolutum fuit. Quin & Alexandro Magno, qui fuit Iapheti ſoboles, olim ſeruierunt Chananæi. Nota, ſeruitutem primo inductam in pœnam peccati. Sed non putauerim, Chananæos fuiſſe mancipia; ſed politico obſequio, ſicut ceteræ debellatæ regiones Europæis ſeruierunt, tributa pendentes, & reliquas ignominias debellationis appendices.

Quomodo Chanaan ſeruiuit Iapheto.

22. VERS. 28. & 29. VIXIT AVTEM NOE POST DILVVIVM, &c. Itaque Noë poſt diluuium vixit trecentos quinquaginta annos, mortuus ergo eſt anno mundi 2006. ætatis ſuæ 950. cum Thare Abrahami pater ageret annum 98. Triginta duobus annis ante Abrahami ortum. Quod ex annis Cainan, & Tharæ patris Abrahami liquidò alibi euincitur. Non ergo mortuus eſt anno quinquageſimo octauo Abrahæ, vt cenſent Hebræi, nec ſexageſimo nono, vt tradit Euſebius. Itaque viuente Noë iam facta orbis diuiſione, tota terra latè habitabatur: Idololatria, ablegato veri Dei cultu, totum orbem inuaſerat; Aſſyriorum monarchia iam pridem incepta erat; ſuámque poſteritatem iam diu moribus corruptam, vix meliori ſtatu, cùm mortuus eſt deſeruit, quàm anteriora, ob quod diluuium fuerat inductum, viderat ſecula. Eius funus filiorum optimi religioſè curarunt, & ſepulchrũ eleganti epitaphio exornat Salianus.

Noëmi anni.

Hebræi. Euſeb.

COMMENTARIVS MORALIS.

§. XCVII.

Vberior & officioſior eſt gratia, quæ in bono patre filijs condonatur.

1\. *Ingenuâ lar-gitate [illegible] di-gni muneratur.*

NVLLIVS rei, minimè beneficiorum, honeſta eſt in incertum & promiſcuum vulgus largitio, quibus ſi detraxeris iudicium, deſinunt eſſe beneficia, & in aliud quodlibet incidunt nomen. Quid faciat munificentiſſima Dei largitas, quæ velut effuſè dona ſua parturit; perdet multa, vt vnum bene collocet, & vno vel altero benè perfecto, multorum amiſſorum damna ſolatur? Vide diuinæ liberalitatis arbitrium, ne vllum donando perdat beneficium, imò vt munificè muneret indignos, qui vix, aut ne vix quid in tot munera capiunt: beneficia pollicetur & præſtat bono & meritiſſimo familiæ principi, & generis Patriarchæ, quæ deriuet in filios, ne iuxta anguſtam poſterorum menſuram illam tribuat, ſed iuxta ampliorem & capaciorem Protoparentis captum, & meritum.

2\. Geneſ. 8. 1. Geneſeos 8. Noemi arca perditi vaſtis vorticibus iactabatur naufraga, vnicâ diuinæ promiſſionis anchorâ ſtabat inconcuſſa, & ſæuientium vndarum victrix. O quando de periculi ſoſpitate gratulandum erit Noëticæ familiæ tandiu naturaliter periclitanti? *Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ.* Non præteriit eruditam Ambroſij in re Biblica ſagacitatem pulchra illa difficultas, quare non dicatur Deus, vxoris & filiorum, & nuruum Noemi recordatus. *Mouetur plerique,* ait, *quâ de cauſâ non dixit ſcriptor, quòd etiam vxoris & filiorum Noe, memor fuit Dominus, cum beſtiarum, & iumentorum fuerit memor. Sed cum dixerit, quòd Noe memor fuerit, in auctore & præſule domus, neceſſitates eius reliquas comprehendit.* Nimirum nulla, aut perpauca laude digna de Noëmi familiâ vſpiam legimus, plura verò & ſpectatiſſima de familiæ auctore & præſule Noëmo paſſim eructat Scriptura: ergo ſumptuoſiùs filiis prouidetur in patre, quàm in ſe ipſis. Dentur ergo munera à Deo ſecundum capaciorem Patris menſuram, non iuxta anguſtum filiorum captum. Officioſior & vberior eſt gratia, quæ patriarchæ Noëmo tribuitur, vt eam filiis impendat. O Societati noſtræ donatam gratiam iuxta ampliſſimum protoparentis Ignatij captum, & meritum! adſpectu ad merita tanti familiæ Principis, tot martyribus purpuratur, tot confeſſoribus illuſtratur, tot doctoribus laureatur, tot nouiſſimis Apoſtolis antiquorum æmulis, toto orbe micantiſſimè fulget. Scilicet, Recordatus Dominus Ignatij, tot gratias in filios vbertim deriuat. Et recordatus Dominus Noëmi, hîc verſ. 1. eius filiis largiùs benedicit. Hîc v. 1.

Vberior & officioſior eſt gratia, quæ in Patre filiis [illegible].

Ambr. l. de Noë c. 16.

3\. Matth. 3. 9. Matthæi 3. Sic Ioannes Baptiſta ſuperbiam Iudæorum his ſeueriſſimis verbis acerbè caſtigat: *Ne velitis dicere contra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Ardua in primis quæſtio, quo pacto Deus de obuiis lapidibus Abrahæ filios valeat ſuſcitare, cùm filiatio res generationis ſit. Item quorſùm filij Abrahæ nominentur qui ex Gentium lapideâ & agreſti duritie ad fidem conuertuntur. O arcanam Abrahæ paternitatem, diuinæ liberalitatis indicem, ad largioris munificentiæ auctarium! Belliſſimè Hilarius præfatam Ioannis ſententiam expendens, ita fatur: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Non enim ſucceſſio carnis quæritur, ſed fidei hereditas .... Igitur vniuſcuiuſque mores atque vita propinquitatem cognationis acquirit, vt qui fideles ſunt, Abrahæ propago per fidem ſint: in Zabuli propaginem infidelitate mittentur; quando & Phariſæi viperarum natio nuncupatur.* Nempè cùm vniuſcuiuſque mores atque vita propinquitatem cognationis imitatione acquirat, bonæ vitæ ſtudio & imitationis priuilegio; fideles dicentur Abrahæ filij: Abrahæ inquam, cui factæ ſunt repromiſſiones, qui ſublimiori virtute Deo gratiſſimè placuit. Sit ergo Abraham credentium Patriarcha, (*Non enim ſucceſſio carnis quæritur, ſed fidei hereditas*) vt ſublimiſſima Dei munera, quæ pater Abraham meruit, velut *hereditario* iure deriuentur in poſteros. Deus enim non adſpectu ad duros & agreſtes lapides, Gentiles, inquam, dona illis impertiet & merita, ſed reſpectu ad prælustrem Abrahami fidem, pietatem, obſequium. Vt dandorum munerum menſura ſit Abrahamus, Gentes in Chriſtum crediturae dicantur de Abrahæ familiâ, quò non ſecundum anguſtam eorum capacitatem, ſed iuxta auguſtum & peramplum Abrahami captum & meritum, illis cæleſtia beneficia donentur. Vnde conſultiſſimè Ioannes de crediturìs loquens; ait: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ: non enim ſucceſſio carnis quæritur; ſed fides hereditas.*

Credituri dicuntur filij Abrahæ, ad vberiorē Dei largitatē illis exhibendam.

S. Ignatij priuilegium.

§. XCVIII.

Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtenſione, arctiùs ſibi diſcipulos ſuos deuincit.

1. QVI, ſinceræ virtuti impenſiùs ſtudere procurat, vanæ gloriæ ſtudium deponat neceſſe eſt, & inaniſſimæ arrogantiæ faſtum, quo & faſtidit reliquos, & ſe vnum ad magna munera neceſſarium præſumit. *(Plutarch. l. de prof. virt.) Vt autem agricolis periucundum eſt videre ſpicas inclinatas ad terram & nutantes (nam quæ ob leuitatem ſurſum tendunt, inanes eſſe creduntur) ita Philoſophaſtri quidem vani, nihil habentes ponderis aut grauitatis, elato ſunt animo, & in habitu, inceſſu, vultuque nihil præter merum faſtum, aliorumque præ ſe contemptum produnt.* Profectò quò magis cuique ex virtute accedit rationis, eò plus decidit faſtus & arrogantiæ. *(Nemo arroganter putet ſe Reipublicæ eſſe neceſſarium.)* Qui ſic elate de ſe præſumit, ſicque ob leuitatem ſurſùm tendit inani faſtu, vt ſe credat nimis vtilem, aut valdè reipublicæ neceſſarium, inutilis prorſus efficitur. Imò vt quiſque vtilis ſit, ſeriò ſibi perſuadeat, aut inutilem eſſe, aut minimè neceſſarium. Qui hâc opinione non eruditur, arroganter vaneſcit, & inutilem, noxiamque operam reipublicæ impendit. Hæc ſunt prima virtutis rudimenta in Chriſti & Dei œconomiâ: Nullius operâ indigeo. Hâc eruditione faſtum homines deponunt, humilitatem ediſcunt, quin & magis alliciuntur; quod eſt arcanum diuinioris gratiæ arbitrium. *Atrahe a ſi Conſejo a quien le parece a propoſito, con perſuadirle que no le a meneſter.*

2. Ioannis 6. in quadam ad turbas concione, plura pandit Chriſtus Chriſtianæ religionis ſacramenta, & de cælo allatam politiam coram promulgat. *(Chriſtus ſpecie repulſæ ad ſui ſequelam Apoſtolos trahit.)* Multi ergo audientes ex diſcipulis eius, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant. *(Ioan. 6. 68.)* *Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?* O inſuauem interrogationem, & quæ conſtantes Apoſtolorum animos forſan exaſperauit! Si id Apoſtoli intendebant, ininterrogati etiam, reliquorum exemplo, idem facerent. Quòd ſi nihil huiuſmodi animo moliebantur, cur faſtidioſis verbis ad diſceſſum quodammodò inuitantibus, ſauciari debuiſſent? ô arcanam Chriſti politiam! Audiendus eſt Chryſoſtomus, qui de hâc re ſic fatur eleganter: *(Chryſoſt. homil. 46 in Ioan.)* *Numquid & vos vultis abire? &c. Per hunc autem modum oportebat eos trahi: nam ſi eos laudaſſet, paſſi eſſent aliquid humanum, exiſtimantes ſe gratiam Chriſto facere, eum non relinquendo. Oſtendens verò ſe non indigere eorum ſequelâ, magis eos detinuit.* Quid luculentius? Sciant Apoſtolorum ſummates, eorum operâ quantumuis ſtrenuâ, Chriſtum non indigere. Nemo, nemo inquam, arroganter exiſtimet Chriſti ſcholam, eius ſapientiæ, aut eloquentiæ, aut peritiæ indigam eſſe. Nemo qui hæc ſibi perſuadet, neceſſarius eſt, imò nec idoneè vtilis eſt. Congruentiùs allicitur, & tenaciùs conſeruatur, quiſquis ſeriò ſibi perſuadet, non communitatis, ſed ſua intereſſe, ſi ſuum ibi miniſterium exerceat. Speciem habet repulſæ, & mera illecebra eſt. *Oſtendens Chriſtus ſe non indigere eorum ſequelâ, magis eos detinuit.*

Exodi 6. ſolerter agit Deus de attrahendo ad ſe Hebræam gentem, vt Dei populum conflet. *(Exod. 6. 3.)* Moyſes eorum Princeps diu cunctatus fuerat; Hebræi abalienati à Deo præ nimiâ calamitate auitam diſciplinam auerſabantur. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente: *Et nomen meum Adonai non indicaui eis.* *(Deus quò ſe rebelles ad ſe attrahat, oſtendit prius ſe eis non indigere.)* Conuenit inter interpretes, τὸ *Adonai*, hîc pro ineffabili nomine *Iehoua* ſubſtitui à Vulgato, qui in hoc ſecutus eſt Hebræorum morem. Sed quorsùm nunc Deus cùm peculiarem ſibi populum ſignatè ſibi deuincit, & amicè attrahit, ineffabile nomen *Iehoua* antiquis Patriarchis inauditum, Moyſi & populo reuelat? Porrò nomen *Iehoua* ſignificat eum, qui à ſe eſt, ſeu primum ens, aut principium eſſendi: ſiue eum qui ſibi ſufficit, nec ab vllo vllatenus pendet. Ergo opportunè ad rem præſentem ſciſcitatur Caietanus, quare hoc nomen *Iehoua*, nunc populo à ſe abalienato, & quem congregare intendebat, Deus manifeſtauerit? *(Caietanus Hic v. 2.)* *Ego Dominus qui apparui Abraham*, &c. *& nomen meum Adonai (Iehoua inquam) non indicaui eis.* *Sed quorsùm*, inquit, *hæc in hoc loco dicuntur, quia non videntur ad propoſitum? Sunt quidem, quia Deus manifeſtat per hæc verba, quòd pluris quodammodò facit Moyſen, & filios Iſrael modernos, quàm patres antiquos, dum eis communicat notitiam ſui, quam patribus negauit.* Pulchrè quidem Caietanus. Nempè Deus cùm arctiùs vult ad ſe congregare Hebræum populum non tam ſe nominat Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Iacob, vt olim paſſim nominabatur: ſed ineffabile nomen *Iehoua*, id eſt, primum ens, ſibi ſufficiens, & nullius indigus appellatur, vt dum minus illis indigere ſe indicat, magis eos ad ſe alliciat, independentiæ arbitrio. *Oſtendens ſe non indigere eorum ſequelâ, magis eos detinuit:* & perſpicuè manifeſtans, quòd ille ipſe qui Iſraelitas quodammodo abalienatos magis attraxit, dum eis nomen ſuum *Iehoua*, ſeu ſibi ſufficiens, & nullius indigum, oſtendit; eundem ipſiſſimum Deum eſſe, qui dixit Apoſtolis, ſe non indigere eorum ſequelâ, quò eos magis apud ſe detineret.

Vnde Noë, & eius filij, hominum Patriarchæ, & creaturarum Principes conſtituti hîc verſ. 2. ſui metu, & ab animantibus independentiâ principali, cunctas animantes eorum manibus & poteſtati traditas habent, arcanâ Dei inſtructione. *(Hic verſ. 2.)*

§. XCIX

§. XCIX.

Alicuius rei prohibitio, ad reliquarum præbitorem agnoſcendum manuducit.

1. *Seneca. Epiſt. 8.*

ALIENVM *eſt omne quicquid optando venit.* Hunc verſiculum à Senecâ ſapienter ſcriptum memini: O homo,

Non eſt tuum Fortuna quod fecit tuum:
Dari bonum quod potuit, auferri poteſt.

Prouer. 8. verſ. 31. Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere Fortunam, & in hunc mortalium cœtum, honores, diuitias, gratiam excutere: quorum alia inter diripientium manus ſciſſa ſunt, alia infidâ ſocietate diuiſa, alia magno detrimento eorum in quos deuenerant prenſa: ex quibus quædam aliud agentibus, inciderunt: quædam quia nimis captabantur amiſſa, & dum auidè rapiuntur, expulſa ſunt. Quereris de rerum inconſtantiâ, quia amiſiſti? ſed datori gratulare, quia accepiſti. Imò ſi ſapis, & rectus fueris acceptorum munerum interpres, gratus æſtimator eſſe debes, quia aliqua perdidiſti: eorum enim amiſſione erudiris ad æſtimationem eorum quæ reſtant. *Non tam poſſeſſio, quàm amiſſio bonorum, gratitudinem negotiatur.* Ideò ſæpè Deus aliqua ſubtrahit, ne ſtupidus putes, illa à te ipſo poſſidere, ſed munificum largitorem, quem datione non agnouiſti, priuatione agnoſcas: & qui ingratus eras, dum acciperes, fias amiſſione gratus. Quaſi non tam rei feliciter acceptæ & poſſeſſæ æſtimatio, ſit eius fruitio, quàm infelix eius amiſſio. Datum planè eſt bonum, quod auferri potuit.

2. Geneſ. 2. poſtquam Deus ſuum Adamum tot naturæ & gratiæ ornamentis feliciter formauit, vtramque mundi partem in vnum idemque congerens, ipſi de terrâ corpus concinnat, inuiſibilem verò, tanquam ſtatuæ affabrè factæ, animam inſpirans corpori. Eum ſtatim agnoſcit Angelorum reſpublica, dum ob animæ cognationem cæleſtibus populis *Prohibitore vnius cognito, præbitore omnium cognoſcimus.* inſcribit. Amplectitur quoque & aſpectabilium rerum multitudo, operibus confitens naturæ cognationem. In paradiſum voluptatis recèns efformatus transfertur, & creaturarum imperio, & voluptabilium abundantiâ dotatur. Sed mox præcepit ei Deus dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: *De ligno autem* *Geneſ. 2. verſ. 17.* *ſcientia boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Eccur tam feriò, cui tot tantáque liberaliſſimè conceſſerat Deus, vnam interdicit arbuſculam, quam interim importunam nouerat? An eiuſmodi edictione tantam infelicitat hominis felicitatem? ſuiſne muneribus Deus inſidiatur? an tantæ acceptæ felicitatis æſtimationi, & gratitudini debitæ ſumptuoſiùs adulatur? Inſigniter Baſilius Seleucus ſuper hoc dubio *Seleu. orat. 3.* ita ſcribit: *Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. Accipe*, inquit, *poteſtatem in omnia, vno ſolo te abſtine; in omnia manus extendatur, & ad vnum retrahatur. Citra inuidiam fructu interdixi, neque mihi vſum reſeruaui ipſi; nullius enim indiga mihi natura eſt, nulli quæ obnoxia paſſioni:* (nota verba quæ acutè ſubnectit) *Verùm vt prohibitore cognito, præbitorem quoque cognoſcas, & vnius priuatio recordationem illius excitet, qui dedit vniuerſa: ne voluptas vndequaque circumfuſa beneficij memoriam ſpoliet.* Citra auaritiæ inuidiam pulchro & eduli fructu Deus interdicit, vt cognito vnius prohibitore, præbitorem reliquorum Adamus agnoſcat, & ex vnius carentiâ, reliquorum poſſeſſionem taxet. Careat vno, vt reliqua digniùs æſtimet: nam poſſidens, non bonus rei poſſeſſæ arbiter eſt. Priuetur vno, vt reliqua de alienâ manu poſſidere animaduertat: & dum aliquo caret, reliquis dignè frui perноſcat. Vt æſtimet omnia illi data, videat ſe aliquo interdici. Quaſi bonæ rei ſpoliatio, ſit bonitatis rerum poſſeſſarum cenſus, & ſenſus. *Circa inuidiam fructu interdixi, vt prohibitore cognito præbitorem quoque cognoſcas, & vnius priuatio recordationem illius excitet.* Homo enim munere priuatus, optimus eſt illius, & reliquorum interpres. Datum planè eſt bonum, quod potuit auferri.

Exodi 16. Hebræus populus in vaſtâ ſolitudine anxiè eſurit, annonam querulus cum probro expetit: latrantem ventrem & obmurmurantem linguam exaudit Deus, & largiſſimè pluit illis manna de cælo. Colligat vnuſquiſque, ait Moyſes, ex eo quantum ſufficit ad veſcendum: gomor per ſingula capita, iuxta numerum animarum veſtrarum. Et addit: 3.
Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit. *Exod. 16. v. 19. & 20.* Quare electiſſimas mannæ dapes non licuit vltra diem ſeruare? Largiſſimum re ipsâ munus, cur tempus diminuit, & abbreuiat? Quid, quæſo, referret, vt exquiſitiſſimus & ſapidiſſimus cibus vſque ad diem perduraret ſequentem? Cur degeneri corruptione tollit, quod largiori dedit miſeratione? *Indies deficit Manna, vt carentiâ æſtimetur bonū, quod poſſeſſione ignoratur.* Et quidem vltra diurnam durationem mannæ natura perdurare exigebat, vt apprimè notauit inibi Theodoretus; vt probat ex ſabbato, cuius ſolennitatis gratiâ biduo illæſum ſeruabatur; teſtatur etiam arca, in quâ per tot ætates incorruptum integrúmque permanſit. Quam ergo ob cauſam tam citò ſæpè tollit Deus, quod tam crebrò largiùs dedit? Mitto plures, quas vbertim expoſitores offerunt, contentus opportuniſſimis S. Chryſoſtomi verbis. Quibus ſic explicat præfata Exodi verba: *Nullus relinquat ex eo vſque mane. Qui non audierunt, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit.* Sic fatur Chryſoſtomus: *Si quis egenis rebus adhuc addictus, vitiorum ſtudio tenetur, ille velim in memoriam manna cibum reducat, & pœnæ iſtic inflictæ exemplum horreſcat*, &c. *Chryſ. in 1. ad Corinth. homil. 40.* Scilicet voluptabiles & pretioſas mannæ dapes toties Deus aufert, quoties largitur, ne *egenis adhuc rebus addictus*, ſit Dei populus. Egena ſunt lectiſſima quæque mundi bona, quandoquidem eorum priuatione magnificentiùs æſtimantur, & eorum cenſus carentiâ conſtat. Pluat illis manna de cælo largiùs ad ſuſtentationem; ſed illo in dies priuentur, vt aliquo in pretio illis ſit, dum illo fruuntur: ne perpeti

&

& incorruptâ ſatietate adipati, ad cæleſtis cibi delicias nauſeent, & iugis abundantia depretiet; quod continua priuatio pretioſiùs æſtimabit. Egenum bonum putabunt, quod maiori in pretio ex carentiâ cenſetur. Sciant quotidie perdere, vt ſemper diſcant æſtimare, vt *prohibitore cognito, præbitorem quoque cognoſcant*, & repetita priuatio recordationem amiſſi boni ingerat, & illius habendi appetitum accendat. Nempè ediſcant priuationis magiſterio, quod continuâ fruitione dediſcerent. ô egena mundi bona, quorum æſtimandorum arbitrium, iugis amiſſio eſt; quò carentia dignè cenſeat, quod ignorabat poſſeſſio! Perde vt æſtimes, quod habendo non æſtimabas.

Hic v. 3. & 4. Vnde hîc poſtquam Noëmo & filiis cuncta concedit Deus; quippiam leue quidem, & facile vetat, vt *prohibitore cognito, præbitorem quoque cognoſcant*.

---

§. C.

Multiplex Superiorum lex, non exarmat malitiam, ſed ſæpè ſubditos ad inobedientiam armat.

1\. Philo l. de Decalogo. *Ingenuus homo grauatè fert fieri legibus vectigalem.*

HOMO *animal optimum, potiore parte ſui cœlo cognatum puriſſimo, & (vt plerique arbitrantur) ipſi mundi Conditori; propius accedit ad illius felicis ſempiternæque ideæ imaginem, quàm vlla terreſtris creatura, propter mentem acceptam diuinitùs*; tantæ generoſitati plus æquo attentus, toto humanitatis occulto impetu ſubiectionem refutat, & legum recipiendarum iugo humerum malè onerarium obnixè detrahit. Hinc præcepta auerſatur, velut ſeruitutis characterem; quò agnatam naturæ ingenuitatem à peregrinâ ſubiectione vindicet. (planè immemor veriſſimi illius Auguſtiniani proloquij: *Qui legem implet, non eſt ſub lege, ſed cum lege*) Inde Legiſlatoris verba, quaſi ſeruitutis minas timet, refutat, auerſatur; ne homo cælo affinis, Dei cognatione nobilis, de ſe ingenuus & liber, alieno arbitrio fiat vectigalis.

Aug. tract. 3. in Ioan.

2\. Exod. 19. v. 16. & 18.

Exodi 19. Cùm adeſt Deus in Sinâ monte leges Hebræo populo laturus: *Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perſtrepebat.... Totus autem mons Sinai fumabat.... eratque omnis mons terribilis*, &c. Quare legibus ferendis & promulgandis diuinus Legiſlator præmittit tonitrua, addit & fulgura, terribiles buccinarum cæleſtium ſonos; tremendum vndique totius aëris fragorem, polos ſacris clangoribus mugientes, ignes, caligines, nebulas Deo plenas? Quare audimus loquentem cominùs Dominum, legem diuino ore reſonantem? Cur videmus inciſas digito Dei litteras, rupices paginas, & ſaxeum legis volumen? Ecquid non reuerendam venerationem, & ſacrum metum non incutit τὸ magnum legis ferendæ ſacramentum! *Erat*, inquit, *omnis mons terribilis*. Pulchrè

Præcepta ſubditos ad inobedientiam armant?

Auguſtinus hâc ſuper re ita fatur: *Superbiam Iudæorum volens domare Deus, dedit legem.* Domuitne lege tot terroribus latâ, ſeu fulminatâ? Annon Dei vox eſt exinceps duntaxat audita, & ſæpius repetita: *Populus iſte duræ ceruicis eſt?* Lex domat, & morigeros facit? an ſæpè exaſperat, & velut facit refractarios? Geneſeos 41. dixit Ioſepho Pharao: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Ad quæ verba ita ſcribit Lipomanus: *verbum* ישק *yſchak rectè vertit Interpres, obediet. Verum quia & armare naſchak ſignificat, reddiderunt hoc loco nonnulli, Armabitur.* Idémne eſt, *Ad tui oris imperium cunctus populus armabitur?* Ad arma vocat imperium, an ad obſequium? *Poner vn precepto es tocar al arma.* Conſultiſſimè ergo Deus tot de cælo terroribus legem in terra promulgat, & tamen necdum homines domantur; ſed adhuc populus duræ ceruicis iugum excutit.

Aug. tract. 3. in Ioan.

Exod. 31. v. 9. & c. 33. v. 3. & 5 & c. 34. v. 9. & paſſim in Deut.

Geneſ. 41. v. 40.

Lipom. ibi.

3\. Exod. 31. v. 18.

Exodi 31. *Deditque Dominus Moyſi in monte Sinai, duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei.* Et ibi notant Iſidorus, Abulenſis, Hugo, Lipomanus, olim Hebræi, & nunc commentatores paſſim, in primâ tabulâ fuiſſe ſcripta præcepta ad Deum pertinentia, quæ apud Catholicos tria tantùm ſunt; in ſecundâ verò tabula ſeptem reliqua, quæ ad proximum ſpectant. Adeóne breuis & anguſta erat ſecunda tabula, vt tria etiam priora præcepta non caperet? Fortè in deſerto grandiores deerant lapides, & non obuia lapidicina latomis ſuppetebat? Ergo aut in pluribus tabulis decem præcepta ſcribantur, quò leges fierent manuales; aut vbi ſeptem ſcribuntur, & alia tria deſcribi potuerunt. Prærerquam quòd neſcimus, an exiguis an grandioribus characteribus Deus ſcripſerit. Quid ſacramenti in hoc ſaxeo duarum tabularum volumine latet? Sanctus Hilarius vt erat eleganti & ſagaci ingenio, tractans illud Matthæi 25. *Tunc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus..... Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*, ſic fatur: *Abſolutè, ait, in quinque prudentibus, & quinque fatuis, fidelium atque infidelium eſt conſtituta diuiſio. Qui exemplo Moyſes decem verba duabus tabulis conſcripta acceperat. Neceſſe enim erat, omnia ea in vtraque conſcribi: & duplex pagina inter proprietatem dextræ & ſiniſtræ, diuiſionem ſub vno licet teſtamento bonorum malorumque ſignabat.* Nempè ipſa diuina lex, Dei conſcripta digito, quæ pædagogus erat ad bonam bonæ vitæ eruditionem, ipſamet inquam, in duplici paginâ ſcribenda erat, vt ſecundùm *proprietatem dextræ & ſiniſtræ*, diuiſionem bonorum malorumque myſticè deſignaret. Ipſa Dei lex in duabus ſcripta tabulis, non tantùm bonos & obſequentes, ſed malos & refractarios ſignificat? O arcanum ænigma! Lex ipſa diuina non tantùm populum ad omnem probitatem inſtituit, ſed etiam ipſius in duas tabulas partitione, eos ſignificat, qui ad ſiniſtram abiecti, in reproborum numero computantur? Heu præmaturam reprobationem, in ipsâ legis partitione deſcriptam! O bonum Principibus documentum! Vel decem duntaxat præcepta, à Deo Legiſlatore data, inobedientes ſignificat; quid non timeatur à densâ legum humanarum ſyluâ? Quot leges conduntur, tot

Matth. 25. v. 1. & 2. Hilar. ibi C. non 27.

Multiplex præceptum, ſymbolum inobedientium eſt?

fomites ad violationem improbis ingeruntur. (Iuſto enim non eſt lex poſita) ô malum! nitimur in vetitum.

4. Rupert. l. 1. in Ioann. *Decem Moyſis præcepta, decem Ægyptiacis plagis comparantur.* Rupertus lib. 1. in Ioannem, ita ad rem præſentem eleganter fatur: *Non plagæ decem præceptorum, quæ per Moyſem data ſunt, verberauerunt ſufficienter vſque ad plenam victoriam ſpiritualem Pharaonem?* Audis decem præcepta, quæ Hebræo populo Moyſes promulgauit, comparari totidem plagis, quibus acerbiſſimè Ægyptum deuaſtauit? Sat eſt digitum intendiſſe: cuilibet procliue eſt expenſionem facilè parabilem perſequi. Hic verſ. 4. Hinc Deus hîc vnam tantum, ipſamque perfacilem legem ſancit.

---

§. CI.

Sæpè qui magna vicit, minimis vincitur.

1. *[illegible] virtus in rebus minimis exploratur.* GENEROSOS virtutis animos audax labor nutrit. Non ſentire mala ſua, non eſt hominis: & non perferre, non eſt viri. Magni animi eſt magna contemnere, & difficilia ferendo ſuperare: ſed mediocria, & minima contemnenda non ſunt. Indecorum nimis eſt, vt qui magna vicerit, paruis vincatur. Nec parua dicenda ſunt, quæ integram patientiam formant. Magna quæque, tanquam ſigno ad prælium dato, euocant virum, qui rei magnitudine extimulatus, viriliter repugnat: exigua obuio neglectu tranſimus. Et ſanè quæ vulgari cenſu parua putantur, maſculâ, vt vincantur, fortitudine egent. Ne putes leuia, quorum victoria magno conſtat; & quæ ſtrenuos ſæpè viros ſuperarunt.

2. Vxoris ſuæ infœcunditatem perdiu Abrahamus ſpectans, & emortuum Saræ corpus, cupitam tamen non deſperat prolem: nec tenuium appetens, liberorum ſpes abſtulit. Locutus eſt Deus, & heres in vicino eſt. Spes ipſas res comitabatur. Eum dedit Deus, qui antequam naſceretur, erat in deſiderio. Tandem Abrahamus filium accepit; herede nato gauiſus eſt, & lætus Dei donum amplexatus eſt. Vt autem increuit infans, ecce iubet Deus, aram pro thalamo, pro igne nuptiali aræ flammam Geneſ. 22. 2. Iſaaco præparari. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac: & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi.* *Meū Abrahami ſpecimen ſumit Deus, nullum filio immolando montem ſpeciatim oſtendēs?* O duras præceptiones! ô imperia, quæ à naturæ legibus abhorrere videntur! Ad iugulum chari filij petendum pater repoſcitur? Seruus cùm fuerit pater, filij carnifex properè eſſe iubetur? Ad hanc tragœdiam filium ſeni dediſti, & annoſum patrem conſeruaſti? Et quis veterum & recentium ſcriptorum, in Abrahamo egregium immolationis facinus non ſtupet? Tota interpretum ſagacitas in explorando hoc facto ſic occupatur, vt propè eiuſdem circunſtantias negligat, breui excurSeleu. orat. 7. ſu eas perſtringendo. Vnus Baſilius Seleucus, quo erat ingenij acumine, id vnicè his verbis aduertit: *Atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi.* *Neque cædis locum notum facit. Montium producit numerum, capiens morum ſpecimen.* Morum ſpecimen ſumit Deus ex ſuſpensâ montium indeterminatione, an ex vnici filij immolatione? Annon ſatis virtutem Abrahami exploraret nitidiori mactationis opere, niſi minutulas difficultates etiam iuberet? Religioſi carnificis virtutem ignoraret, niſi eius animum ſuſpenſum traheret, & in re etiam non magnâ animi propoſitum ediſceret? Scilicet Deus tentat etiam Abrahamum in re leui, non ob ſuam ignorantiam, ſed vt Iuſtum populis inuulget, & ſerui virtutem pluribus faciat teſtatiorem, & auditores rapiat in admirationem. *Tal vez vn Iuſto ſiente mas difficultad en obras pequeñas de virtud, que en las mas heroicas.* Ideo Deus vnici filij mactationem Abrahamo præcipiens, *Montium producit numerum, capiens morum ſpecimen.* Sæpè enim minores difficultates maiorum appendices, grauius tolerantur. *Pruebale en lo poco, y en lo mucho.*

Exodi 8. Ranis abſurdè coaxantibus, & eſculenta quæque fœdè conſpurcantibus, molèſtatur Ægyptus. Accerſit Pharao Moyſem & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum vt ſacrificet Domino. *Dixitque* Exod. 8. v. 9. & 10.
Moyſes ad Pharaonem: Conſtitue mihi quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, & tantùm in flumine remaneant. Qui reſpondit: Cras. At ille: Iuxta, inquit, verbum tuum faciam. Et cur non ſtatim? quare non confeſtim plagam auertit? Anxiè afflictatur Rex intolerabili ranarum moleſtiâ, & liberationem ab infeſtiſſimâ plagâ procraſtinat? Optio datur à Moyſe, & Aarone: quare non tunc ranarum exterminium eligit, ſed in craſtinum differt? Theodoretus ſic moraliſſimè reſpondet: *Illos enim per noctem quieſcere exiſtimabat, & ait: Craſtinâ die.* Nempe putauit hic Princeps viros religioſos, & diuinis rebus addictiſſimos, nimis de corporis ſalute curare, & totâ nocte pacatè quieſcere. Vnde noluit inquietare ſomnum, nec illorum interpellare quietem, quos non minùs proprio indulgere genio, quàm Dei obſequio integrè mancipatos, cenſebat. *Tubo los por ſpirituales accommodados.* Sic irreligioſa Ægyptus cenſet de Moyſe & Aarone, viris alioqui religioſiſſimis! At illi ex omni oratione ad Deum clamant. Opprobrium diſſimulant, & opprobrationem oratione vlciſcuntur; dum expetitam fortè cùm probro gratiam, exſomnes extorquent. *Illos enim per noctem quieſcere exiſtimabat, & ait: Craſtinâ die.* Niſi malis, Ægyptium Regem cenſuiſſe, illos ipſos, qui piâ virtutis audaciâ, ſe, ſuáque tot periculis exhibuerant, & vitæ diſcrimini alacres ſe deuouerant, vnius noctis quietem interturbari, grauatè laturos: & qui magnanimi Tyranno audacter reſiſtunt, exiguæ incommoditati difficulter ceſſuros, quo infeſtaretur optata deprecatio. Itaque Pharao, quorum precibus nunc egebat, etſi expertus erat ardua quæque auſos diuini cultus amore, ægrè admodum laturos leue vnius noctis incommodum cenſuit. Sic Pharao de viris religioſis cenſet? Sic putatur difficile, vt qui magna ſtrenuè vincit, in minimis non vincatur?

Margin notes, right column: 3. (beside "Exodi 8."); Exod. 8. v. 9. & 10.; *Moyſes & Aaron exiſtimantur nō minùs genio, quàm Dei obſequio, indulgere.*; Theodoret. ibi.; *Qui ſtrenuè Pharaoni reſiſtunt, nō putantur vnius noctis incommodum æquè laturos.*

Inde

Hic v. 4. Inde fortè Deus Noëmo, eiuſque familiæ vnicum ipſumque perfacile præceptum, imponit, vt in paruis rebus magnam illorum virtutem comprobet, & poſteris in exemplum oſtendat.

---

§. CII.

Homo cui præceptum diuinum imponitur, diuini honoris humanus arbiter conſtituitur.

1. LEge incolumi, mens omnibus vna eſt; violata vero fidem rumpit, & corrumpit mores. Hinc Principes tanquam legum tutores grauiter ferunt legum violationem.
Tertull. in Apolog. c. 4. *Lycurgus ob ſuas leges emendatas, inediâ ſe interficit.*
Non enim & ipſius Lycurgi leges à Lacedæmonijs emendatæ tantum auctori ſuo doloris incuſſerunt, vt in ſeceſſu inediâ de ſe ipſo iudicarit? Qui vrbanam emendationem ſic grauiter tulit, tardum obſequium, & refractariam violationem qualiter tuliſſet? Porrò inobedientia non conſultè leges emendat, ſed inconſultè damnat, & ſimul legis latorem impudenter condemnat. Præceptorem profanat, qui aut cunctanter præceptioni obtemperat, aut diu obtemperare recuſat.

2. Prima Dei vox, Geneſ. 1. in rerum auditur
Geneſ. 1. v. 3. exordio: *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux.* Plena vox luminis, non diſpoſitionis apparatum ſignificat, ſed operationis reſplendet effectu. Naturæ opifex lucem locutus eſt, & creauit. Sermo Dei voluntas eſt, opus Dei natura eſt. Sed obſerua morulam etſi perbreuem, inter Dei vocem, & effectum; inter *fiat*, & *factum eſt*.
Dei iuſſio nō ſignificat operandi apparatum, ſed operationis effectum.
Obſerua pariter inibi acumen Ambroſij ad rem præſentem opportunè:
S. Ambr. l. 1. Hexaem. c. 9 *Et dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux. Non ideò dixit, vt ſequeretur operatio, ſed dictio abſoluit negotium.*
Pſ. 148. v. 5. *Vnde pulchrè Dauidicum illud: Dixit, & facta ſunt: quia dictum impleuit effectus.* Serum nimis foret, quòd Dei vocem poſteà ſequeretur effectus. Dei vox non indicat merum præceptionis apparatum, ſed in voce ipſa, *Fiat lux*, effectus reſplendet. Quæ ſimul ſunt, ſimul dici non poſſunt. *Non ideò dixit, Fiat lux, vt ſequeretur operatio, ſed dictio abſoluit negotium.* Tunc, tunc quidem, cùm dicitur, *Fiat lux*, tunc inquam, facta lux eſt. Tardè ſequitur, *Et facta eſt lux*; ſed aliter ab homine dici non potuit. Vide quàm expeditum ſuæ iuſſionis obſequium Deus expetat, cùm ipſa præceptionis vox totum rei imperatæ abſoluat negotium; neque operandi ſignificat apparatum, ſed conſummatum operationis effectum. Itaque Dei vox, quâ lucem loquitur, non eſt indicium rei cœptæ, ſed effectum exprimit operationis impletæ. Sic præcauet ſibi Deus ab inurbanæ inobedientiæ contemptu?

3. Rerum omnium opifex Deus abſoluto mundi opificio, Adamum cum aliis plantis ſeruandum, in voluptatis paradiſum tranſtulit; vt obe-
Gen. 2. v. 16. & 17. dientiæ fructum decerpat. Vnde Geneſ. 2. ita ſcribit Moyſes: *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Prima Regis edictio alimenta dat, & ieiunij legem ponit. Accipe poteſtatem in omnia, vno ſolo te abſtine; in omnia manus extendatur, & ad vnum contrahatur. Citra inuidiam fructu interdixi, neque mihi vſum reſeruaui ipſi; nullius enim indiga mihi natura eſt, nullique obnoxia paſſioni: verùm vt prohibitore cognito, præbitorem quoque cognoſcas, & vnius priuatio recordationem illius excitet, qui dedit vniuerſa: ne voluptas vndequaque circumfuſa beneficij memoriam ſpoliet, ne per inexplebilem voracitatem in ignauiam delabaris. Itaque fructum habe citra modum; manum duntaxat abſtine ab
Homo diuino præcepto conſtituitur diuini honoris arbiter.
eſu fortè inſulſo, & ſanè ſuperfluo. Super hoc Dei præcepto ſic nitidè Baſilius Seleuc. philoſophatur:
Seleu. orat. 1. *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Ita fatur Baſilius. *Quo in pretio ſit legiſlator, obſeruatione legis propala. Perſpectum tuum habeam animum, vt amoris tui vim in pretio habeam: gratus eſto manum contrahendo, antefer totius paradiſi largitorem vnico ligno. honoris mei arbitrum te ſtatui, par benemerenti refer guſtatu, contemtione.* Emendaſſem fortè; *guſtatus contemtione*, planiori ſenſu, ſi Baſilius Latinè ſcripſiſſet. 4. Sed dum non ſuppetunt exemplaria Græca, Græcam tranſlationem non emendo. *Ideo mortis terrorem cum lege tibi obtuli contra nefariam appetentiam auxilio futurum; etſi mens ad eam inclinet, terrore obiecto firmetur, eſt enim temperantiæ neruus præuaricationis metus. Tu verò non terrore, ſed amore honorem mihi defer.* Scilicet Adamus Dei voce præceptum ſibi impoſitum audit, & mortis terrore mox concutitur, ne tranſgreſſionis voluntas, ſeu voluptas ſubrepat. Eccur tantus præſtruitur apparatus, vt ab vnâ arbuſcula Adamus temperet? Scilicet diuini *honoris arbiter conſtituitur*, dum ab illo obedientiæ ſtudium exigitur. ô arcanum diuinæ præceptionis ſacramentum! Homo dum Dei præcepto obſtringitur, diuini *honoris arbiter conſtituitur*? ex obedientis arbitrio diuinus honor dependeat? humano obſequio diuina gloria obnoxia eſt? Nimirùm obediens præcipientem rei præceptæ glorioſè præfert, inobediens verò rem præceptam antefert præceptori: pluriſque facit rei friuolæ voluptatem, quàm Dei iubentis voluntatem. Vnde Dei præceptum, diuini honoris *arbitrum* hominem conſtituit. *Mucho fia Dios à vn hombre, quando le pone vn precepto. Su honra pone Dios en manos de vn hombre?* ô homo, altè cogita, quàm magna tibi ex præcepto illiceant! Diuini honoris *arbiter* conſtitutus es; ſi diuini honoris gloria nondum te ad obſequium mouet, moueat ſaltem interminatæ mortis perpetuus terror. Quo etiam hic mortales à violatione præcepti minaciter deterrentur. Hi. verſ. 5

* . *

§. CII.

§. CIII.

Obſequium obedientis, verum facit mandatum præcipientis?

1. Exod. 7. v. 3. & 4. Theod. ibi. *Dei potentia, delinquendi immunitate, velut adulatur delictis?*

THEODORETVS multiiugâ eruditione, ingenij acumine, & antiquitatis ſuffragio nobilis auctor, ſic explicat illa Dei ad Moyſen verba: *Ego indurabo cor Pharaonis, & non audiet vos. Indurare dicitur Deus Pharaonem eiuſmodi mandatis & nuncijs rebellem; & (vt ita dicam) durum in quo characteres diuinæ voluntatis imprimerentur: vtpote qui voluntatem præcipientis nihili faceret, atque etiam bonitatem ipſam, adulationem imbecillitatemque interpretaretur.* Nimirum in principio Moſaicæ legationis valde vrbanè & leniter egit Deus cum Pharaone, ſuam proponens voluntatem populi dimittendi, addens poſteà exertum dimiſſionis præceptum, addēs & minas. Sed durus Pharao blandis non flectitur: *vtpote qui bonitatem præcipientis nihili faceret, atque etiam bonitatem ipſam, adulationem imbecillitatémque interpretaretur.* Sic ſuâ ſibi patientiâ velut detrahit Deus, vt eius clementia imbecillitas putetur, & diuturna ſceleratorum impunitas, delictis adulari videatur? Mitto hæc. Et nota mihi attentius, Moyſis præceptiones profundè dici *Diuinæ voluntatis characteres.* Semel præceptum, ſemper indelebilis diuinæ voluntatis character eſt? Puto, in corde duro non facilè præceptionis characteres imprimuntur; inculcationis cælo opus eſt, vt expreſſius inſculpantur: quin & præceptorum obſeruatione, ipſa præcepta velut typo refinguntur. In corde autem nimis molli, ſicut facilè eiuſmodi imprimuntur characteres, ſic faciliùs teneritudinis lenocinio delentur, ipſâ obedituri mollitie diuinos præceptionis characteres oblitterante. Humani cordis à bonâ indole (vltra naturæ debitum) temperamentum, diuinæ gratiæ officioſitas eſt, & obſequij compendium: quippe in quo facile *charactères diuinæ voluntatis imprimuntur.* Characterem imprimunt diuina præcepta, & quidem indelebilem; vt inuſtis præcepti notis ſit perpetuum obſequij monimentum; ne mandatum obſequio ſuo fruſtratum, non tam mandatum, quàm mandati ſimulachrum ſit, & velut mentita rei faciendæ voluntas, quaſi veritas præcipientis pendeat ab obedientia obſequentis.

Superioris præceptum, diuinæ voluntatis character dicitur.

2. Exod. 5. 5. Exodi 5. Moyſes & Aaron ingreſſi ad Pharaonem, hæc illi dixerunt: *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro, &c.* Multus eſt S. Auguſtinus vt à mendacij ſuſpicione eximat hæc Moyſis ad Pharaonem verba, ſi conferantur cum his, quæ idem Moyſes populo de eius liberatione denunciauit. Sic ſubtilis fatur Auguſtinus: *Quæritur quo modo populo dicatur, quòd mandauit Deus eiecturum ſe vos de Ægypto in terram Chanaan: Pharaoni autem dicitur, quòd trium dierum iter exire vellent in deſertum. Sed intelligendum eſt, quamuis Deus ſciret quid eſſet facturus, quoniam præſciebat non eſſe conſenſurum Pharaonem ad populum dimittendum; illud primò dictum eſſe, quòd primitùs fieret, ſi ille dimitteret: vt enim ſic fierent omnia, Pharaonis contumacia meruit, & ſuorum.* (Nota verba quæ Auguſt. ſubiicit.) *Neque enim mendaciter Deus iubet, quod ſcit non facturum cui iubetur.* Quaſi dicat: Ne ſit vobis Deus de mendacio ſuſpectus, quia animo deducendi populum ex Ægypto in Chananitidem, facultas petitur viam trium dierum abeundi: ab alià enim occulta mendacij ſpecie potiùs vindicandus eſt: nempe quod mandans Pharaoni, vt populum Hebræum dimittat, ipſe contumaciſſimè non obtemperat. Quaſi hominis obedientia reddat verum diuinum mandatum: aut diuina præceptio ſit velut humani obſequij prophetia, & quaſi fallaciæ fidei arguatur Superioris imperium, cui deficit ſubditorum obſequium. Hoc, hoc inquam, vindicis Auguſtini, diuinam veritatem vindicantis, & auctoritatem & ſubtilitatem expetebat, aientis: *Neque enim mendaciter Deus iubet, quod ſcit non facturum cui iubetur.* Nam ſubditi contumacis inobedientia quodammodò præcipientis falſitatem repræſentat. Ac ſi Superioris præceptio à ſubditi obſequio veritatem mutuetur. Eleganter quidem Auguſtinus! Inde ſatagit Deus dum quidpiam præcipit, ſuæ voluntatis characteres obedituro imprimere.

Auguſtin. in qq. in Exod. *Sitne diuina præceptio humani obſequij prophetia?*

3. Adhuc ſuperſunt in hoc eodem Exodi cap. alia verba exponenda ad thema præſens opportuna. Sic Pharao loquitur ad populi exactores: Nequaquam vltrà dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ſicut prius: ſed ipſi vadant, & colligant ſtipulas: vacant enim, & idcircò vociferantur, dicentes: Eamus & ſacrificemus Deo noſtro. *Opprimantur ergo operibus, & expleant ea: vt non acquieſcant verbis mendacibus.* Quæ ſunt hæc mendacia verba, quorum Hebræum populum arguit Pharao? Anſelm. Laudun. *Vide quomodo Princeps Ægypti, quicquid contra ſe dicitur, mendacium dicit.* Sic principalis malitia, malitiæ refuga eſt, vt aduerſas ſe veritatem ipſam falſitatis inſimulet, & veritatem contra ſe mentiri præſumat? Aliter Lipomanus hanc ſententiam verſat: *Vt non acquieſcant verbis mendacibus. Vide quomodo mendax eum habeatur qui, quod pauper est, pro ſe allegat.* Planè moraliſſimè. Paupertas præiudicium damnationis eſt. Inopia in tribunalibus veritatem facit mendacem: quaſi opulentia ſit veræ allegationis præſcriptio, & vera egeſtas de mēdacio præſcribat. Heu olim & nūc tribunalia, in quibus diues litigantium largitio, allegatæ veritatis promptuarium eſt; & illiberalis paupertas, ridiculariæ falſitatis officina. O fortunatum in ore diuitis mendacium! ô infelix veritas in ore pauperis! Pergit ad rem præſentem idem Lipoman. *Vt non acquieſcant verbis mendacibus. Verba autem vana & fallacia, ſiue mendacia appellat verba Moyſis & Aaron, quibus fallere & decipere dicebat populum Iſraelitarum.* Scilicet Moyſes & Aaron Dei nomine præcipiebant Pharaoni copiam exeundi ad ſacrificandum; ipſe verò obſtinatâ pertinaciâ obſequium recuſabat; inde præceptionem Moyſis, *Verba vana, & fallacia, ſeu mendacia appellat*, quaſi præceptum quod viduatur obſequio, mendacij inſimuletur, & falſitatis palàm arguatur. Sed demùm Pharao ſuo malo tot Ægypti plagis admonitus tameſi in duro corde, *diuinæ voluntatis characteres* excepit, & præceptionis verba, quæ obſtinatè refractarius dicebat

Principalis malitia, malitiæ refuga eſt.

Exod. 5. 9.

Anſelm. ibi.

Lipoman. in Caten. ibi.

Paupertas litigātis, veritatē reddit mendacem.

Dei præcepta, quibus parere recuſatur, verba mendacia Pharao appellat.

M verba

verba mendacia, tandem vel inuitis obſequens, vera agnouit, & tanquam vera prædicauit, illis exeundi copiam vltrò concedens, imò & vrgens ad egreſſum.

Hier. 5. & 6. Ideò fortaſſe ne hominum inobedientia, mendacij arguat diuinum præceptum, tot ſeueriſſimas minas violatoribus hîc Deus fulminat: legum ferendarum veniâ præproperè redimens mendacij ſuſpicionem.

---

§ CIV.

Flagitium poſt beneuolam correptionem, & iuſtitiam irritat, & miſericordiam acerbat.

1. NEMO vel mediocriter prudens vnquam punit, quia peccatum eſt, ſed ne vltrà peccetur. Quia præterita malitia reuocari non poteſt, futura ſeueriùs prohibetur: & quos nollet nequitiæ malè cedentis exempla fieri, palàm caſtigat, non vt pereant ipſi, ſed vt alios pereundo deterreant. Profectò acerbius ſupplicium, qui putatur Iuſtitiæ vigor, vulnus quodammodo Iudicis eſt; qui malitiam non præmaturè cohibuit, nec amica adhortatione flagitiorum fecit aborſum. Saltem adhortatio beneuola, & præpropera increpatio; aut penitè præfocat malitiam, aut iuſtitiæ rigores, à ſæuitiæ vocabulo vindicat. Imò & humanior corripientis indulgentia, acerbiores armat rigores iuſtitiæ, dum ſeueriùs punit, quem indebitâ reprehenſione, reum etiam indulgentiæ conſtituit. *El aduertile a uno de ſus faltas, ò emmienda la culpa, o eſcuſa el mayor rigor del caſtigo.*

2. Pigri ſunt homines ad curam ſalutis, alacres ad malitiam mortis: exultant in rebus peſſimis, & de ſuâ perditione lætantur: ſimiles illis qui fortè ſumentes exitiales herbarum ſuccos, cum riſu perire dicuntur. Sed inter hæc aliquis ſecum cogitat, & dicit: Deus potentiæ, Deus habitans in arce iuſtitiæ, aut peccata ſi non damnat, ignorat; aut fauet peccatis, ſi damnare diſſimulat. Primùm ſcire illum vniuerſa, non dubium eſt: alioqui illum à diuinitate depones. Damnare verò illum delicta ac ſcelera, euidenter Prophetarum monita, Apoſtolorum magiſteria, Euangeliſtarum teſtantur oracula. Inter hæc ipſemet Chriſtus Deus homines ſæpè ſceleris arguit, proponit triſte ſupplicium, dum ignem minatur æternum: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Hîc dat ſententiam, ſed illic reſeruat ad pœnam: hîc vibrat gladium, illic importabit exitium. Hæc altè meditatus Euſebius Emiſſenus, hoc peccantium dubium proponit, & ſic illi argutè reſpondet: Cur, inquit, non ſtatim Deus peccantem reum punit? Annon ignis æternus, immitis fortaſſis pœna videtur; & acerbior, quàm vt mitiſſimus Deus ſuæ creaturæ illam infligat? *Quis* (ait Emiſſenus) *hunc ferre poſſit mentis errorem? De patientià Dei quæritur, qui indulgentiam non meretur. Non eſt iuſtitia perfecta damnantis, niſi clementia præcederet arguentis.* Gehennalis & æternaturus inferni ignis, immitis tibi videtur, & infinitâ Dei miſericordiâ indignus, nec ſatis eius Iuſtitiæ idoneus? Attende (præter malum peccati meritum) quoties gehennæ minas Deus fulminauit, quoties acri peccatores corripuit increpatione, quoties beneuolâ admonitione cauſam iuſtitiæ egit. Iuſtitiæ ſeueros rigores ab inuidiâ acerbæ ſeueritatis vindicat præcedens correptio: quaſi *non eſſet perfecta iuſtitia damnantis, niſi clementia præcederet arguentis?* Sic præcedens increpatio, acerbæ damnationis cauſam tuetur? Quis de ſupplicij rigore queratur, quem clementia præceſſit arguentis? *No ſe queje del rigor del caſtigo, quien aduertido de ſu culpa, no la emmienda.* Sic clemens correctio, Iuſtitiæ rigores armat, & excuſat? ô nimis timeat, qui benignè admonitus, peccare non deſiſtit!

Matt. 25. 41.

Euſſen. hom. de SS. Epipodio & Alex.

Margin: *Non eſt Iuſtitia perfecta damnantis, niſi clemētia præcederet arguentis?*

3. Geneſeos 4. Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola. Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui: & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit: iratúſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius. Apparet illi Deus, & quid moliretur in corde ſubinſinuans, à malo minis auocat, ad bonum pollicitationibus reuocat. *Quare*, inquit, *iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Non paruit Cain beneuolæ admonentis increpationi, ſed ſceleſtè fratrem trucidat innoxium. Adeſt ſtatim Deus, iuſtus impiiſſimæ cædis vltor, & illum peracerbâ mulctat maledictione. *Dixítque Cain ad Dominum: Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Quid Cainum in tam impiam & indecoram deſperationem compulit? Agnoſcit Deum, quo cum loquitur; noſcit eſſe infinitè benignum, ſcit cum peccatore parte miſericorditer agere, etiam poſt primæui delicti ſcelus enorme: cur ergo Cainus animo cadit, veniam deſpondet, & palàm deſperat? Quid ſic exaggerat Caini ſcelus, quod adigat in deſperationem? Luculenter S. Ambroſius inibi hic fatur: ad rem præſentem opportuniſſimè: *Admonitus ergo vt quieſceret Cain, auget inſolentiam, acerbat flagitium.* Scilicet benigna quæ præceſſit admonitio, inſolentiam ſceleris auget, & flagitium inſolenter acerbat: quaſi non tam timeret iuſtitiam damnantis, quam benignitatem (quæ præceſſerat) arguentis? Conſiderat Dei iuſtitiam flagitio irritatam, videt corripientis benignitatem parricidio contemptam: exinde omne ſibi effugium præcluſum exiſtimat: ergo angitur, trepidat, pauet, expalleſcit, & tandem deſperat: *Maior eſt*, inquiens, *iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Numquam oportet de miſericordiâ diuinâ deſperare: at ſi vnquam de illâ deſperare liceret, maximè id foret, quando peccandi libido beneuolam tempeſtiuè corripientis benignitatem contemnit. Porrò culpa armat Iuſtitiam; contempta verò increpatio miſericordiam acerbat. O time flagitium, quod Cainum traxit in deſperationem!

Margin: *Deſperatne Cainus, quia admonitionē ad parricidium contempſit.*

Geneſ 4. 13.

Ambroſ. de

Omnis

Hic v. 5. & 6. Omnis acerbioris ſupplicij querela hîc, à Deo præcluditur, cùm beneuolè homines admonet, ne ſicut eouſque, in homines deſæuiant, & humanum effundant ſanguinem, ſeueraſque fulgurat ſeuerioris ſupplicij minas.

---

§. CV.

De maiori periculo, certius extruitur præſidium periculi, ad humanæ fiduciæ auctarium.

1\. [illegible] *Nata naufragio terra naſcitur.*

SANCTVS Ambroſius contemplatus Terram, in primâ ſui & mundi conditione, aquis circumfuſam, ſic profundè de eâ loquitur. *Demerſa aquis deſcribitur, veluti cuiuſdam principiorum ſuorum addita naufragio.* Nempe obruta aquis Terra primò prodit, de procellæ vuluâ oritur, vndis tanquam infantiæ obuoluitur pannis, naufragio velut cunis excipitur; & quaſi abortu editur, quæ futura erat omnium mater. De periculo ſecura, de vdore ſicca, de vorticibus inconcuſſa, de eluuione emergens rediuiua, Terra naſcitur, naufragium natiuitate deuorans, tanquam de quodam natali ſepulchro edita, vt ſecuritas mortalibus de periculo intimetur aſylum, ad fiduciæ auctarium: vt vnde periculum imminet, periculi exiſtat effugium.

2\. Hic v. 13. & 14. Hîc verſ. 13. poſt atrociſſimum ſub Noëmo diluuium, paucula gens hominum ad octo animas redacta, præ metu alterius diluuij perterrita ſtupet; bono animo eos eſſe iubet diuina Clementia, nec vltrà in æternum futuram eluuionem, pacto inito pollicetur, pactumque hoc ſigno confirmat: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cùmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum,* &c. Quare Deus in cæli nubibus, ſecuritatis non vltrà futuri diluuij, ſignum ponit? Et quidem in nubibus roridis, & imbrium baiulis, cùm iam iam opacæ nubes in pluuias laxari terris minitantur. Hocne ſigno Deus homines alterius diluuij metu exanimes, confirmare ſatagit? Imò magis terrebit, cùm cælum viderint oppanſis obduci nubibus, & imbrium agmina minaciter ductare: ô Deo dignum arcanæ ſecuritatis arbitrium! Nimirùm à cæli nubibus naufragium extitit, & mortalium ruina; cæli nubes ſint tranquillæ ſerenitatis opportunum ſignum, & illuſtre documentum: indéque exiſtat naufragij ſecuritas, vnde poterat timeri diluuium; præpotente Dei verbo periculum naufragij deuorante. Scilicet ruinæ metus eſto ſecuritatis prognoſticum; & eluuionis minæ, ſit incolumitatis aſylum, dum periculum ſecuritati adulatur.

Exiſtat in nubibus diluuij ſecuritas, vnde poterat timeri eluuium.

3\. Hic v. 14. Sed iuuat, expenſum litteraliter locum, adhuc ad rem præſentem myſticè emedullare. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cùmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus,* &c. Strabus Fuldenſis, à ſuo Magiſtro Rabano Mauro edoctus, ita ſcribit ſuper hoc loco: *Ponam arcum meum,* &c. *Arcus duos habet colores; cæruleum & igneum; qui duo iudicia exprimunt. Vnum aquæ, quod præterijt: aliud ignis, quod venturum creditur in fine ſeculi. Vnde cæruleus color extrinſecus, igneus verò intrinſecus.* Eſto cæruleus Iridis color, ſignum ſit tranſacti, nec deinceps futuri diluuij aquei: at igneus eiuſdem color intrinſecùs apparens, quo pacto erit ſignum, quod auertat diluuium ignis, quod in mundi fine latè exundabit, & in gehennæ lacu æternùm ſtagnabit? ô aduerte, *igneum colorem,* quo Iris coloratur, eſſe gehennæ, aut extremi iudicij colorem. Scilicet igneus gehennæ color, qui in Iride rubet & ſcintillat, eſto noſtræ incolumitatis ſignum. Contemplare igneum Iridis colorem, qui intrinſecus apparet, & in illo recognoſce æternaturi ignis minas, & ibi inſcriptum incolumitatis ſignum leges. Cæruleus color, aquei diluuij non vltrà futuri, ſignum eſt; at color igneus, ignem iudicij aut gehennæ repræſentans, tantum contemplanti timorem incutiet, vt euaſionis ſit ſignum, & incolumitatis prognoſticum. Cupis videre ſignum fugiendi gehennalis incendij? attolle oculos ad igneum Iridis colorem; cuius horrendæ minæ, tutum periculi aſylum eſt, timore pœnitenda ſcelera profligante: ô bonam mortalibus eruditionem! ô ſatage, vt de periculo ſoſpitatem inuenias! Quid timeat, qui ipſo ſui periculo tutius ſeruatur?

Strabus hîc. *Igneus gehennæ color, qui in Iride apparet, est vitandæ gehennæ ſignum.*

Celada de Benedict. Patriarch.

4\. Geneſ. 6. v. 5. & 6. Immiſſi diluuij cauſa traditur ſuprà, cap. 6. his verbis: Videns autem Deus, quòd multa malitia hominis eſſet in terrâ, *& cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore,* pœnituit eum quod hominem feciſſet in terrâ. Et tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ, &c. Ecce tibi cauſam, quæ Deum mouit, vt atroci diluuio perderet mundum. Sic irritat Deum, quòd *cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum omni tempore!* Quis non pauidè timeat ab hoc iræ diuinæ incentiuo? Verùm audi, quæ, peracto diluuio, Deus Noëmo dixit: *Nequaquam,* inquit, *vltrà maledicam terræ propter homines: ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ: non igitur vltrà percutiam omnem animam viuentem, ſicut feci.* Audis incentiuum rigoris, eſſe clementiæ occaſionem? Times à Deo naufragium, quia *cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum omni tempore?* Ipſa ruinæ occaſio, facta eſt à ruinâ ſecuritas: & quia *ſenſus, & cogitatio humani cordis in malum prona eſt ab adoleſcentiâ ſuâ, vltra non percutiet omnem animam viuentem, ſicut fecit.* Nempè ipſa periculi occaſio, fit periculi effugium; & vnde ruina timeri poterat, ſecuritas ſperatur: ô quis non fidenter ſperet, cùm videt, quòd à periculo ſoſpes eſt, & ruinæ minis ædificetur ſecuritas!

Ruina occaſio ſecuritatem ædificat.

Geneſ. 8. v. 21.

§. CVI.

In acerbioris ſupplicij terrore diuinioris clementiæ leguntur characteres.

1\. Habacuc 3.3. Lorin. in Pſalm 76. 10.

BENIGNISSIMA Prophetæ vox eſt: Domine audiui auditum tuum, & timui .... *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Vel vt ex Hebræo & Græco textu noſter Lorinus exſcribit: *In ipſâ irâ miſericordiæ recordaberis.* Parum foret diuinæ miſericordiæ, poſtquam Iuſtitia deferbuit, benignitate calamitoſis blandiri, niſi in ipſâ irâ beneficentiæ notas inſculpſerit:& dum hominum ruinam furore minatur, indulgentiam portendit:ne vel Dei ira ſit benignitatis exors. Adeò vt in ſeueriori iracundiâ lenitatis characteres impreſſerit,honorario Deitatis ſigillo.

2\. Hic verſ. 12. Noë cum exigua familiâ, à communi naufragio ſoſpes, vix vitæ ſuæ credebat,aliud extimeſcens diluuium,quo mundi reliquiæ perirent. Vt timorem eximat Deus, ſic loquitur ad Noëmum, & filios: Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium diſſipans terram. Hoc erit ſignum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem. (Nota attentiùs Dei ſignum) *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus in nubibus, & recordabor fœderis mei*, &c. O non bonum benignitatis ſignum! Puto, *arcus* bellicum inſtrumentum eſt, & de armamentario totum. Belligero arcu pax blandè portenditur, an cruentum bellum? Cælum arcu militari armatur ad pacis prognoſticon? ô præclarum ſignum obſcuro ænigmati perquàm ſimile! Pulchrè de more S.Ambroſius: *Arcum meum ponam in nubibus cæli; non ſagittam: non enim ipſe arcus vulnerat, ſed ſagitta; & ideo Dominus in nubibus arcum magis quam ſagittam imponit. Id eſt, non illud quod vulnerat, ſed quod habet terroris indicium*: ô exaggerationis clementiæ arcanum indicium! Scilicet promiſſæ benignitatis ſignum, non ponit in re pacatiſſimâ,ſed in arcu bellico, quo ſolitat impios peracerbè ferire: vt ipſa belli arma quæ ſunt iracundiæ adminiſtra, miſericordiam portendant, felici lenitatis prognoſtico. In terroris indicio indicium futuræ pietatis conſultiſſimè ponit:quia in ipſo iracundiæ furore certiſſimas clementiæ notas inſculpit. In ſignum perpetui fœderis (quò tranquillet mortalium animos) *arcum ponit in nubibus cæli, non illud quod vulnerat, ſed quod habet terroris indicium.* In ipsâ irâ miſericordiæ recordatur; nec in ipſo iracundiæ furore miſericordias continet, quin præclaro ſigno illas inſinuet, proſpero pietatis augurio, quaſi præclarioris ſint clementiæ indicia, quæ ſcintillant in irâ, quàm in merâ benignitate, ad benignitatem vlteriorem perſpicuè oſtentãdam. *En algunos caſtigos parece que da Dios mas claros indicios de ſu miſericordia, que en las obras de ſu clemencia.*

Hic v. 13. 14. *Indiciũ terroris, eſt clementia prognoſticum.*

S.Ambroſ. de Noe & arca.

3\. Ionæ 1. Et factum eſt verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens: *Surge & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia aſcendit malitia eius coram me.* Nempè vt clarâ voce per vrbis plateas clamitet: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* O peracerbâs certiſſimæ ſtragis minas, diuini furoris indices! ô iam iam imminens regiæ vrbis excidium! Iam vibrantur de cælo fulmina, iam magna ciuitas decinereſcit, & in fauillas, vagumque puluerem imperij maieſtas miſerè ſoluitur: Et tamen Ionas vel in ipſo ſupplicij terrore, diuinioris clementiæ characteres legit, & arcanæ miſericordiæ notas, vt præclarè notauit Baſilius Seleucus, alibi aliorſum expenſus: *Surge*, inquit, *& vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea*, &c. *In ſuppliciorum comminatione plena miſerationis inſunt verba; punitionis promiſſio, & affectionis demonſtratio; oſoris vox & mens miſerentis. Iam ciuitati veniam offert, indignans miſeretur, & minitans ſaluare deſiderat; & cùm apertè non gerat, occultè clementiam demonſtrat.* Planè eleganter! Et quidem tantùm non dixit: Vibrato Deus cæli arcu, pacis fœdera ſancit, & terroris indicio clementiam pollicetur, & in ipſo temporaneæ vindictæ furore inſcriptas legunt miſericordiæ notas. O veram & animoſam Pſalmographi vocem: *Numquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in irâ ſuâ miſericordias ſuas?* Chaldaicus: *Numquid poſſibile eſt, vt obliuiſcatur miſereri Deus?* Pſalterium Illyricum: *Aut continebit in irâ ſuâ reſpectiones ſuas?* Bellè ad rem, *Miſericordias* appellat *Reſpectiones*, de quo aliàs.

Ionæ 1.2. & c. 3.4.

Deus cùm aperte iram gerit occultè clementiam demonſtrat.

Seleucus orat. 12.

Miſericordia Dei, reſpectiones appellantur.

Pſalm 76. 10.

§. CVII.

Ipſa rei fauſtæ denunciatio, delati boni nuntij remuneratio eſt.

1\. QVAMVIS *Euangelium non ſit iam vmbra, ſed veritas: propter myſtica tamen doctrinarum eloquia, non apices, non litteræ, non ſyllabæ, non verbum, non nomina, non perſonæ in eo diuinis vacua ſunt figuris*, dixit ſcitè Paſchaſius: Vnde minutiſſima quæque ſolerter diſcutere, & penitiùs emedullare, non otioſi ingenij curioſitas, ſed condigna pietatis induſtria, iure cenſenda eſt. Peruestigemus ergo Euangelij nomen, ſi fortè in vocabuli cortice doctrinæ medullam inueniamus. *Euangelium* Græcè εὐαγγέλιον apud profanos etiam ſcriptores, fauſtum iucundumque nuncium ſignificat. Eruditè notat ex Homero, P. Ioannes Maldonatus, quod Euangelium non tantum deſignat bonum fauſtumque nuntium, ſed *ſignificat etiam donum, quod bonum afferenti nuncium dari ſolet.* Hiſpanè dicimus, *Las albricias.* Scilicet ipſa rei fauſtæ annuntiatio, delati boni nuncij remuneratio eſt. Sic enim procliue & iucundum debet eſſe cuicumque, læta & fauſta alteri nunciare, vt ipſa rei fauſtæ & proſperæ annun

Paſch. initio l. 1 in Matth. *Euangeliũ apices myſterio non vacant.*

P.Mald. c. 1. Matt. in Euangelia. *Siue nunciatur, qui bene nunciũ muneratur.*

nunciatio, inſtar donatiui ſit, quod præproperè anteuertit liberalitatem audientis, & quo non expectatâ eius liberalitate, muneratus eſt quiſquis alteri iucunda denuntiat. Serò dedit, qui afferenti bonum nuntium, munera dedit: ipſa rei proſperæ denuntiatio, præmatura denunciantis remuneratio eſt. Vnde Euangelium non tantum ſignificat lætum fauſtumque nuncium, *ſed ſignificat etiam donum, quod bonum afferenti nuncium dari ſolet.* Sic debet eſſe iucundum iucunda alteri denunciare! *El dar vna buena nueua es el mayor premio de haberla dado. Tarde llegan ſiempre las albricias.*

3. Hîc verſ.13. pauculi homines, quæ ſuperfuêre humanæ gentis reliquiæ, ſpectatâ cominus magnæ eluuionis ſtrage, etſi naufrago mundo ſuperſtites, adhuc valdè extimeſcunt, ne adſimilis aquarum voraginis periculum iteratò ſubeant. Meticuloſos eorum animos

Hic v.13. 14. & 15. his verbis tranquillat Deus: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum...... & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam terram.*

Iris ſet læta eſt, quia læta denunciat. S. Chryſoſt. ibid.

O pulcher cæli arcus, optatiſſimi nuncij certiſſimus portitor! & vt ait ibi Chryſoſtomus, *Tali metu humanum genus liberans, vt etiamſi ſæpè pluuiæ deferantur, & violentæ tempeſtates fiant, etſi aquarum magna ſit inundantia, neque ſic metuendum, ſed confidendum nobis ad miraculum reſpicientibus.* Quiſnam ſit hic arcus, tam fauſti nuncij baiulus, conuenit inter expoſitores, eſſe iridem, venuſtum cæli honorem. Num idem arcus eodem decore, & verſicoloris varietatis nitore ſplendens, ante diluuium etiam fulgebat? Negant Strabus & Alcuinus; quia Deus diſertè inquit, *Ponam* de futuro. Reliqui tamen expoſitores affirmant. In Hebræo eſt præteritum נָתַתִּי *natatti, poſui*, id eſt, *pono*, vel *ponam* iridem in ſignum ſeu nuncium non futuri diluuij: familiare autem eſt Hebræis vti præterito pro futuro, quod arcanè Vulgatus interpres ſecutus eſt, vt oſtendat, eandemmet iridem, eâdem nitoris venuſtate, eâdem gratia decoris, & aurei ſplendoris opulentiâ, quâ modo floret, à mundi conditione floruiſſe. *No debe ſu ſer el arco iris, à las albricias de las buenas nueuas que dà ſiempre*, vt putarunt Strabus & Alcuinus. Idemmet arcus, qui olim in roridis nubibus apparebat, idem ipſe poſt diluuium apparet, nil decoris denuò mutuatus ex boni nuncij gratiâ. Sat fauſtus & lætus, quòd lætum & fauſtum nuncium ſemper deportat. Nil debet gratiæ proſpera denunciandi, cui pro opulento munere ſatis eſt, proſpera ſemper denunciaſſe, fauſto ſoſpitatis humanæ vaticinio. *Arcum meum ponam*, id eſt, *poſui in nubibus cæli: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam terram. Tali metu humanum genus liberans, etiam ſi ſæpè pluuiæ deferantur.* Inde tantam apud homines gratiam cæleſtis arcus mutuatur: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo,*

gyrauit (cinxit) cælum in circuitu

Eccl.43.12. *gloriæ ſuæ, manus Excelſi*

aperuerunt illum.

***

§ CVIII.

Qui Deum timet, ſecurus in timoris diuini aſilo, homines non timet, ridens mentitas mundi minas.

PVLCHRA Senecæ vox eſt: *Deſines timere, ſi ſperare deſieris*; quaſi ſpes ſit timoris conceptaculum, aut timor ſit ſpei ſtipendium. Vis homines non timere? nil ab hominibus ſperes, & dubiis ſpebus timoris abſentiam redimes. Quid humanâ ſpe timorem mercaris? Vnum Deum time, à quo magnifica quæque ſperare licet, & humanum timorem excluſiſti. Animus qui vereri Deum ſcit, ſcit tutò aggredi humana pericula. Timore timor truditur; dum timore diuino humanus confeſtim euaneſcit. Timere Deum, magnanimitatis arbitrium eſt, & audaciæ ingenium: quaſi tunc homo in timoris ſui aſylo ſecurus viuat, ridens mentitas mundi minas, & falſata terriculamenta Potentium. 1.

Seneca. ep. 5. Timor Dei timorem humanum excludit.

2. Exodi 4. Diu multumque contenderat cum Moyſe Deus, vt Hebræi populi principatum acceptaret, illumque ab Ægyptiacâ ſeruitute in Terram promiſſionis deduceret. Timet Moyſes peruicacis populi proteruum ingenium; & barbari Pharaonis (quocum res erat) obſtinationem timet. Tandem cogitur acceptare Munus, & ad belligerandum cum Pharaone pauidus redit in Ægyptum, vnde reus exulabat. *Cúmque eſſet in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Quid hoc? vix Moyſes renunciatur à Deo populi ſui vindex, & cùm munus ſuum maturè exequi feſtinat, cædem illius Dominus intentat? Aut non debuit Deus eligere, quem confeſtim occidere vult; aut occidere velle non debuit, re necdum inchoatâ, quem ad illam perficiendam ſelegerat. Quorsùm Deus Moyſis animum geminato anguſtat timore? Pharaonis pertinaciam armatam potentiâ timet, & denuò occiſorem Deum in legationis limine vereatur? Tempeſtiuè Theodoretus hanc rem ſubtiliter tractans, ita fatur ad ea verba: *Et volebat occidere eum.* Theodoretum legis: *Nam quia magnus Moyſes Pharaonem formidabat, ac ſæpenumerò formidinem hanc declarauerat, modò dicens: Quis ſum ego vt eam ad Pharaonem? Modò; Mitte alium, &c. Idcircò ſupplicium illi Angelus comminatur, timore timorem expellens.* Timor pauidus pauidum timorem expellit, an nobilis magnanimitas, maſcula fortitudo, aut flectineſcius conſtantiæ vigor? Profectò nouus timor antiquum timorem augêt, incrementat, exaggerat, nouo pauoris auctario. Cæterùm experientiâ compertum eſt, magno timore timorem expelli, cognatáque paſſione exterminari. O, Deum time, expalleſce ad iratì Numinis rigores, ad perennaturæ gehennæ ſcintillas, & quamuis fractus illabatur orbis, te impauidum ferient ruinæ, lætuſque mentita humanarum calamitatum terriculamenta ri-

Exod 4.24. Timere Dei humanus timor pellitur. Theod. ibi.

debis. Hoc timore te obarma aduerſus humanum timorem, & illum exarmaſti, viciſti, detriumphaſti. Idcircò Angelus pauidè Pharaonis iras timente Moyſen, de cælo ſtringit gladium, & neces durè comminatur, *timore timorem expellens.* Quid accommodatius?

3. Non ſemel hâc gratiæ officioſitate cum Moyſe Deus vſus eſt, quò illum in humanis periculis ſecurum redderet. Nam cunctanti Moyſi, nec ducatum acceptanti ſic ait: Quid

Exod. 4. v. 3. *Virgam Moyſes timet, ne Pharaonem timeat.*

eſt quod tenes in manu tua? Reſpondit: Virga. *Dixitque Dominus: Proyce eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.* ô intempeſtiuam Moyſis fugam, & non bonum principatus ſui omen! Vix educendi populi inauguratur Dux, & ſic pauidè timet, & timenter fugit? Fortè ſatis non erat Pharaonem timere, niſi ſuam etiam virgam, in colubrum verſam, imbecillè formidaret.

Beda ibid.

Inſigniter venerabilis Beda ſuper hâc Moyſis fugâ ita ad rem præſentem opportunus interpres philoſophatur: *Quod verò*, inquit, *ad hiſtoriam pertinet, virga, quæ in manu Moyſi fuerat, & in colubrum verſa eſt, ſignificat vt Moyſes Dei poteſtati crederet, & plebs Moyſi, & Moyſes Pharaonem non timeret.* Nempe Moyſes barbaricam Pharaonis obſtinationem timidus formidabat; ergo coram Deo eius prodigium timeat, pauoremque fugâ adteſtetur, vt timore Dei humanum timorem expellat, & dum vereri Deum ſcit, ſciat grauiora pericula tutò aggredi, & intrepidus adoriri. Hinc virgam miraculo in colubrum verſam, formidat & fugit, vt *Moyſes Pharaonem non timeret*; quò de maiori periculo minora contemneret, & è metu diſceret

S. Greg. lib. 5. Moral c. 13.

non timere. Nam *ſicut in viâ ſeculi timor debilitatem, ita & in viâ Dei timor fortitudinem gignit.* Quaſi magnanima fortitudo ſit Timoris Dei generoſa ſoboles.

Hic v. 14. Vnde hic 14. bellicum cæli arcum, in nubibus extentum & vibratum, in ſecuritatis ſignum, Noëmo & filiis datur; ne terræ naufragæ pericula timeant, qui minacem in cælo arcum aduerſus ſe vident. Quid vltrà timeat, qui Deum timet? *Timore timor expellitur.*

---

§. CIX.

Sol iam exortus, Sodomitici ignis lucem interſtinguit, quò Deus ſeuerioris iuſtitiæ rigores abſcondat.

1. DIVTVRNVM nuper diluuium, diu in homines atrociter ſæuit; deſæuit iam Deo feliciter annuente: & ſuperſtiti familiæ Noëmi non futurum exinceps diluuium ſerò pollicetur. Dato in cælis ſigno fœdus Deus confirmat, vt confirmet adhuc perterritos homines à naufragio ſuperſtites; ne cùm cælum nigris obduci nubibus videant, alterum ominentur diluuium. Quaſi obſcura nubium caligo, quæ terris Solis radios prohibet, ſit omen acerbioris vindictæ, & diuini furoris augurium. Sic nuper accidit in diluuio, in quo, quæ oppandebantur denſæ & obſcuræ nubes, diem ſuffurantes, diuturnam reddidêre noctem, mortalibus formidandam, vt ex præcedenti capite liquidò conſtat. Vnde hîc Geneſ. 8. verſ. 22

verſ. 14. Deus inquit. *Cùmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus*, &c. Bene à Hic v. 14.

denſâ caligine, & obſcuris tenebris, homines timebant diuinos ſeuerioris iuſtitiæ rigores, quos à mortalium oculis abſcondere ſolerter ſatagit, quaſi ſuæ iuſtitiæ bonum Deus erubeſcat. Vnde occultare rigores ſedulo procurat, ſiue diei fulgore, ſiue noctis caligine. Quæ huius §. theſis eſto.

Geneſeos 19. Sodomiticas libidinis flammas, ſcortatione præpoſterâ infames, ſulphureo è cælis igne compluto, Deus compeſcere properat; & cæli flammâ, flammam luxuriæ extinguere ſatagit. Fuga præceps Lotho patriarchæ indicitur; ſed ipſe cunctatur profectum non facilè parabilem. Dubiâ tandem auroræ luce ab vrbe egreditur, & vrgente Angelo curſum laſſus contendit: *Sol egreſſus eſt* 2.

Geneſ. 19. v. 23. & 24. *Sole ignem abſcondit Deus, ne videatur acerbiùs punire.*

ſuper terram, & Lot ingreſſus eſt Segor. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo: & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, &c. Non facilè interpretes cauſam inueniunt, ob quam Solis exortum expectarit Deus, vt cæleſti incendio Sodomitas exurat. Lipomanus Lipoman. in Catena.

rationem temporis duntaxat inſinuatâ agnoſcit, aiens: *Crepuſculo igitur matutino, & antelucanis horis exierat Lot à Sodomis, & ad ortum Solis peruenerunt ad Segor, fugiendo incendia Sodomæ.* Sed quare ſolis ortum expectarunt flammei è cælo imbres, qui Sodomitas vſtularent? Pergit Caietanus: *Sol egreſſus eſt* Caietanus ibid.

ſuper terram, &c. Non ſolùm, inquit, *ad deſcribendum horam, ſed etiam ad deſcribendum ſerenitatem aëris narratur exitus Solis ſuper terram.* Scilicet ſereno cælo, ignei de cælo imbres ruunt; ſed quare exortum Solis expectat flammea pœna? Anſelmus Laudunenſis Anſelmus ibi.

hoc dubium præſtringens, ita ſubtiliter hâc ſuper re ſcribit. *Sol egreſſus eſt ſuper terram..... Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo. Quia corrupta ciuitas ſub luce damnata eſt.* Scilicet hæ nefariæ ciuitates præpoſterâ ſalaces libidine, igneâ de cælo flammâ acerbiſſimè caſtigandæ erant; ergo ſeuerior diuinæ iuſtitiæ rigor, Solis ortum conſultiſſimè expectat, vt Solis radij flammam ſupplicij offuſcent, & abſcondant. Porrò ea eſt natura Solis, vt dum plenè lucet, reliquas abſcondat & interſtinguat luces, quas ſuis infuſcat fulgoribus. Non ergo in terrâ noctis caligine pluat pœnalis ille ignis, ne palàm appareat diuinæ iuſtitiæ rigor, noctis lenocinio exaggerante fulgores. Itaque *Sol egreſſus eſt*, qui Sodomitici ignis claritatem occultet: tam acerbum enim futurum erat ſupplicium corruptæ ciuitatis ſæuis ignibus caſtigandæ, vt *ſub luce damnata ſit*, vt Solis iubare occultarentur pœnalis flammæ peracerbi fulgores, flamma enim malignè diem lucernat; quæ vberiori Solis lampade planè offuſcatur. *Veraſſe menos de dia, el incendio de Sodoma; y aſſi ſe occultara mas el rigor de la Iuſticia diuina.* Perpetti nubium

nubium nocte naufragij rigores in diluuio abſcondit; qui incendium Sodomæ die celat: quaſi Deus ſuæ iuſtitiæ bonum erubeſcat.

3. Lucæ 12. Chriſtus Deus, quò inſanos auaritiæ mores, & peracerbam, quâ auari mulctantur, pœnam oſtenderet, hanc turbis iactauit parabolam: Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager tulit, & cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illùc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea: & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. (Attende ad verba, quæ illi reſpondentur) *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* Singula huius reſponſi verba rigores ſpirant, fulgurant, fulminant. *Stulte*, inquit, & vt notat S. Baſilius, *Ipſis æternis cruciatibus maior eſt ſtultitia nota.* (Quod aliàs expendebamus.) Addit, *repetent. Expoſcebant enim eam terribiles quædam virtutes*, inquit, Chryſoſtomus; vel *exactores*, vt ait Hugo; vel *Dæmones*, vt interpretatur Lyra. Quid tam acerbum quam *Dæmones*, in Gehennâ *exactores*, pati? Verùm opinor, dum dicitur, *Hàc nocte*, acerbiora quæque cruciamenta deſignantur. Quod acutè Strabus Fuldenſis adnotauit, aiens: *Stulte hac nocte repetent. In nocte aufertur anima, quæ in obſcuritate cordis, quod poterat pati, prævidere noluit.* Scilicet, qui in *nocte* caſtigandus erat, quicquid *pati poterat*, præuidere debuiſſet; Deus enim *noctis* obſeruat caliginem, quò puniat peracerbiùs. Tunc, tunc quidem reus hic probroſa audit verba, ipsâ gehennâ atrociora; terribiles patitur virtutes; rixantes pro ſe Dæmones, & infernales ſuſtinet exactores. Quæ omnia ſupplicium *nocte* faciendum, infauſtè præſagit. Nempe Deus rectiùs occultat rigores, quaſi ſeuerioris iuſtitiæ ſuę bonum erubeſcat. Sic in *nocte* ſtultum hunc excruciat auarum, & in Noëtico diluuio diuturnâ nocte mundus naufragatur. Sic in finali mundi iudicio, cæli interſtinguuntur faces, ad rigoris auctarium, de quo alibi copiosè tractabamus.

Cur nocte Deus ſummos exerceat iuſtitiæ rigores.

Lucæ 12. v. 20.

S. Baſil.

S. Chryſoſt. ibi.
Hugo.
Lyra.

Strabus.

---

§. CX.

Multæ videntur eſſe cæli portæ; vna tamen inuenitur, ipſáque perangusta.

1. ARDVA *ad quæ vocamur & confragoſa ſunt. Quid enim? Plano aditur excelſum? Sed nec tam abrupta quidem ſunt, vt quidam putant. Prima tamen pars ſaxa rupéſque habet.* Sed poſtmodum non eſt adeò difficilis ad beatam vitam via: inite modo bonis auſpiciis, ipsóque Deo benè iuuante. Multò difficilius eſt facere iſta quæ facitis. Quid enim quiete animi otioſius? Quid irâ laborioſiùs? Quid clementiâ remiſſius? Quid crudelitate negotioſius? Vacat pudicitia, libido occupatiſſima eſt. Omnium denique virtutum tutela facilior eſt, vitia magno coluntur. Verùm negabit nemo honeſtum in arduo eſſe, etiam quod vicinum honeſto eſt. Confragoſa eſt ad cælum via, & ſtricta porta. Quiſquis cælum intrare ſuſpirat, de ingreſſu cogitet, nec putet aditum perfacilem eſſe, & reſeratas habere portas, omnibus peruias. Si laborioſis vitiis operosè emitur Gehenna, cæli ingreſſum magno conſtare operæ pretium eſt.

Seneca l. 2. de Tranquil. cap. 2.

Via ad cælum ardua, & confragoſa eſt.

2. Matthæi 7. *Intrate per anguſtam portam.... Quàm anguſta porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Quid ſibi vult *intrate*? Eſtne aperta cæli porta? Quid expeditius quam per patentem & reſeratam intrare portam? Quid tam arduum, quàm per validis repagulis clauſam intrare? Subtiliter Hugo: *Poſtquam pulſatur, & pulſanti aperitur, non reſtat niſi quod ingrediatur. Cum ergo ſuprà docuerit: Pulſate, & aperietur vobis, hic docet intrare.* Non dixerat Chriſtus Dominus: Cùm pulſaueritis, iam apertum eſt oſtium, ſed aperietur de futuro. Crebro verbere precum, & mortificationis pulſandum eſt; & poſtea, ſi diu pulſaueris, aperietur. Imò poſtquam diu pulſaueris, & aperta tibi fuerit, non erit peruium ſtatim intrare, arcta eſt, non adhuc capit turgentem ambitionem, non amplitudinem diuitiarum, non vllam voluptatis diſſolutionem. Impenſiùs enitendum eſt hæc abiicere, & per illam intrare. Non habet poſticum empyrea domus; vnaque conſummatæ virtutis Porta illi eſt, ipsaque ſatis anguſta: adnitere per illam irrepere, & in cælum ingredi.

Matth. 7. 13. & 14.
Pulſanti aperietur cæli porta, non aperta eſt.

Hugo ibi, cap. v. 8.

3. Pſalmo 117. poſtquam regius Pſaltes ambitioſo lachrymarum ſuffragio delictorum veniam extorſit, ſic exultanter exclamat: *Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Et cùm iterùm pietatem colere feſtinat, hæc verba ſubdit: *Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.* Quam ob rem in breui ſententiâ ſtylum mutat Propheta? Modò alacer dixit: Aperite mihi *portas* iuſtitiæ, & confeſtim pluratiuum portarum numerum, in ſingularem permutans, ſubdit: Hæc *porta* Domini? Plures portas ſibi aperiri iubet, & vnam reperit portam? Ingredi per multas ſatagit, & vnam duntaxat *portam Domini* inuenit, per quam iuſti ingrediantur? Eſtne hæc porta, vna plures, an plures vna? Vidit hoc argutulum dubium Caſſiodorus, & putat plures eſſe cæli portas, ſed quæ tandem ducant ad vnam portam, qui eſt Chriſtus. Meliùs, opinor, Euthymius: *Hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam. Videtur*, inquit, *mihi Propheta, arctam illam atque anguſtam portam ſignificare, de quâ Dominus in Euangeliis ait: Intrate per anguſtam portam. Hanc etenim propheticis oraculis cernens David, clamat dicens: Hæc eſt porta Domini; hæc eſt illa porta, de quâ Dominus Ieſus Chriſtus docebit vos.* Nempe plures videntur portæ, & peruius per eas in cælum ingreſſus. At vna eſt Domini Porta, ipsáque arcta & anguſta, per quam iuſti duntaxat intrabunt. Hic ſenſus moralitatum fœcundus eſt, & ad multa themata peridoneus. Sat nunc eſt ad præſentem theſim intendiſſe digitum.

Pſalm. 117. v. 19. & 20.

Porta cæli, plures dicuntur, & vna eſt, ipſáque perangusta.

Caſſiod. ibi.

Euthy. in ibi.

4. Geneſeos 26. Vidit Iacob in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper eam: & Dominum innixum ſcalæ: dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, &c. Cumque euigilaſſet Iacob de ſomno, ait: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. *Pauénſque, Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & Porta cæli.* Audit Iacob Dei ore magnificas promiſſiones, in ſe, ſuiſque poſteris indubiè adimplendas, quid ergo timet? Videt reſeratum ſibi cælum, & dum cernit empyream Dei domum, & Olympiam cæli Portam, pauet, & contremiſcit? Terribilem appellat locum, in quo videt cæli Portam? Præclarè Anſelmus: *Pauénſque, Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & Porta cæli. Quia in terram Chriſtus deſcendit, inde in cælum aſcendit. Quia inde aditus credentibus ad capiendum regnum cælorum.* Videt Iacob cæli Portam per quam Chriſtus Deus ad terras deſcendit, & per quam ad cælos aſcendit, & per quam iuſti debent intrare ad regnum cælorum; & tametſi iucundè allicitur fruendâ cæli gloriâ, & ſuauiſſimis beatorum deliciis; at timidè pauet, & cæli aditu propiùs ſpectato pauidè terretur. Vnde *pauens, Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & Porta cæli.* Nec mirum eſt, ſi allectus Iacob dulcedine fruendæ beatitudinis, & cernens anguſtam cæli portam, per quam Chriſtus deſcendit ad terras, & è terris in cælos aſcendit, ſciúſque per eandem Portam iuſtis ingrediendum fore, vehementer expaueat, & timidè exclamet: *Quàm terribilis eſt locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & Porta cæli.* Scilicet quantum inuitatur beatæ gloriæ proſpectu, tantùm anguſto terretur ingreſſu. Auet intrare, ſed pauet ad introitum. Quantùm intraſſe, ſuave, tranquillum, & beatum eſt, tantùm ardui introitus pauore terretur. O diſce ex hoc Iacobi pauore! Ardua ad quæ vocamur, confragoſa ſunt. Plano non aditur excelſum. Præmium laboris eſt, non voluptatis merces. Non deſidioſi viaticum, ſed laborandi finis, victorum triumphus, & calamitatum trophæum. Merendi ſudore, & piâ virtutis pertinaciâ, contentis viribus intrandum eſt per anguſtam cæli Portam. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Inde Iacob propiùs inſpectâ cæli Portâ, pauens exclamat: *Quàm terribilis eſt locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & Porta cæli.* Planè luculenter Anſelmus. *Le pone grima à Iacob, ver que à de entrar en el cielo por la eſtrecha puerta, por donde entro Chriſto. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?*

Gen. 28. 17.
Pauet Iacob dum propius & attentiùs videt cæli portam.

Anſel. Iaud. ibid.

Matth. 11. v. 12.

Lucæ 24. 26.

Ad inferenda impiis ſupplicia, plures cæli portas apertas video: nam in diluuio nubibus obducto cælo, *cataractæ cæli apertæ ſunt*: ad intrandum verò in cælum, etſi plures putantur, vnam tandem videt Dauid, quam Iacobus *Terribilem* appellat.

Hic v. 14.

§. CXI.

Supplicij mina, ſupplicij meritum ſine ſupplicio redimunt.

BONO iuſtitiæ proxima eſt Iudicis ſeueritas: (crudelem Medicum intemperans æger facit) nam bonis etiam nocet, quiſquis parcit malis: & iudex damnatur, cùm nocens abſoluitur. Verùm hoc ſemper in omni pœna iudex ſeruabit; ſciat alteram adhiberi, vt emendet malos, alteram vt tollat. In vtroque non præterita, ſed futura intuebitur. Nam, vt Plato ait, *Nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur.* Cùm reuocari præterita non poſſint, futura prohibentur: & quos nollet ſerpentis nequitiæ exempla fieri, ſeueriùs punit, non vt pereant ipſi, ſed vt alios pereundo deterreant. Hæc cuique expendenda æſtimandaque ſunt. Verùm cùm innocens ſolùm fortunam timeat, & nocens duntaxat pœnam; minaci lege, & magno incuſſo pœnæ timore iuſtitia tractanda, & multitudo gubernanda & coercenda eſt, atque fulminatis minis, & flagitia, & ſupplicia redimenda. Natura etiam contumax, minis domatur, & terrore ſupplicij; nam dum minarum terrore quis concutitur, ſæua quæque imaginatur, veretúrque, vltra Iuſtitiæ quoque rigores. Inde ſæpe expedit ſupplicia, comminatione, & metu præcurrere, & commutare. Præclarum illud & Græciæ, & Eccleſiæ ſidus, clementiam ſemper portendens, S. Gregorius Nazianzenus, ſic è ſuggeſtu nimis ſeuerum Præfectum alloquitur: *Hic vnâ in re patere te vinci, vt humanitate nos ſuperes.... Nil tam diuinum habet homo, quàm beneficentiam, ac benè de hominibus merendi ſtudium. Licet tibi nullo labore diuinitatem aſſequi: noli oblatam diuinitatis adipiſcendæ occaſionem amittere.... Cum Chriſto imperium geris, cum Chriſto prouinciam adminiſtras: ab illo gladium accepiſti, non tam vt eo vtaris, quam vt mineris ac terreas.* Quid accommodatius? 1.

Iudex punit præterita, vt caueat futura.

Plato apud Senec. l. 1. de Ira cap. 16.

Gladium habet Iuſtitia, non tam vt eo vtatur, quàm vt eo terreat.

Naz. orat. ad Nazianz. ciues.

Primæuæ præuaricationis malignitas, parricidio Caini exaggerata, Cainitas occupat: inde Veneris præſtigiis in Sethi poſteros latè vitia ſerpunt. Exundat prauitate orbis, exundat etiam diluuij aquis, quæ prauitatem eluant mundi naufragio. Noëtica interim familia ſoſpes ſeruatur in arcâ à furentis eluuionis vorticibus. Tandem meticuloſa emergit è ſæui timoris naufragio. Numini vota in arâ libat, adeſt Deus periculi auctor & aſſertor, & metum altè hærentem hoc ſigno adimit: *Arcum meum*, inquit, *ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum.... & non erunt vltrà aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem.* Quo ſermone & ſigno, tranquillo animo homines eſſe iubet, & conſimilis pœnæ ſecutos. Et quid ſi exinceps adſimilia, & illis grauiora perpetrent flagitia? 2.

Hic v. 13. 14. & 15.

Arcum ſine ſagittâ vibrat Deus in ſignum pacis.

Puto,

Puto, qui timorem ſceleris adimit, ſceleribus blanditur impunitatis lenocinio. Sed attentius licet cum Ambroſio contemplari eiuſmodi ſignum, quod incolumitatem metu, non pœnâ negotiatur. *Ideóque dicit*, (verba ſunt
S. Ambr. de Noë & ... ca. c. 2... Ambroſij) *Arcum meum ponam in nubibus, non ſagittam ponam. Arcus enim inſtrumentum iaculandæ ſagittæ eſt. Itaque non ipſe arcus vulnerat, ſed ſagitta. Et ideo Dominus in nubibus arcum magis, quàm ſagittam ponit, id eſt, non illud quod vulneret, ſed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non ſoleat.* Planè luculenter Ambroſius, quem nuper ad aliud thema aliter expendimus. Nempè indicium non vltrà futuræ eluuionis ponit, ſed in nubibus, vnde effluxit periculum: nec ſagittam ponit, quæ vulneris effectum habere ſolet; ſed arcum, quod inſtrumentum eſt iaculandæ ſagittæ: ipſe autem arcus non vulnerat, *ſed habet terroris indicium, vulneris effectum habere non ſolet.* Videlicet minas vulneris facit Deus innoxiæ incolumitatis indicium, & extenſo arcu ſoſpitatem ſpondet. Quaſi dicat: nullum eſt certius inculpatæ innocentiæ, & quietæ ſecuritatis prognoſticon, quàm oculis in cælo coram cernere vibratum ad feriendum arcum. Non adſit pharetra, quæ arcum ſagittis ad vulnus armat; ſed arcus duntaxat plagas non inferens, ſed minitans: quia habens terroris indicium, ſic abſque plagâ coërcebit peccandi licentiam, vt ipſa acerbior comminatio ſit innoxiæ incolumitatis indicium, & clementiæ diuinæ ſacramentum, dum minis præmaturè parcit.

5. Niniue illa, & Aſſyriæ & vitiorum metropolis, impiorum ſedes, criminum opifex, idolorum matrix, & luxus officina; iram Dei effusâ malignitate accendit. Eligitur Ionas imminentis excidij, & nuncius, & admini-
Ionæ 1. v. 2. ſter: Et factum eſt verbum Domini ad Ionam, dicens: *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia aſcendit ma-*
Niniuitarum ſupplicium minis redimitur. *litia eius coram me.* Renuit legationem obire Ionas, & vt longiùs vrbi mediterraneæ abeſſet, fugit in Pontum. Ecur quod periculo
Ionæ 3. v. 4. admotus, Niniuitis tandem prædicauit Propheta, nunc contumaciter recuſat? Quare non ſtatim in vrbis plateis exclamat: *Adhuc quadraginta* (alij exſcribunt, *tres*) *dies, & Niniue ſubuertetur*? quam ob cauſam refutat refugus, Dei fulminatas minas populis intimare? An in comminatione veniam inſcriptam legit? an ceſſationem à culpâ, quæ mi-
Seleuc. Orat. 12. nas effectu caſſas reddat? Eleganter Baſilius Seleucus abſtruſam minarum naturam in Ionæ fugâ deſcriptam legit, & his verbis declarat. *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grandem. In ſuppliciorum comminatione plena commiſerationis ſunt verba, punitionis promiſſio, & affectionis demonſtratio; oſoris vox, & mens miſerentis. Iam ciuitati veniam offert, indignans miſeretur, & minitans ſaluare deſiderat, & cùm apertè iram gerat, occultè clementiam demonſtrat.* Diligens & attentus expende quæ ſubdit Ionæ verba: *Verùm Niniuen nunc Dominus punire, vt arbitror, minatur; ſed pœnam terrore commutabit. Suſpicor equidem comminationem in clementia matrem euaſuram. Nam cur euerſionem pronunciat, ſi veram vult animaduerſionem? ſi punire vult, cur admonet periculi? cur oraculo plagam anteuertit?* Quid illuſtrius? Sed nota vlteriùs 4.
quid è pertinaci populo minæ extorſerint. Pergit Seleucus, ſui ipſe ingenio, & eloquio æmulus. *Vide pœnitentium ſermones. A maiore vſque ad minorem. Omnem enim ætatem terror incurſat, (quo terrore ſupplicij ſtragem auerterit) omnes pœnitentiæ iugum ſubeunt, omnes periculi depulſorem vocant. Adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur. Anguſtis dierum terminis comminatio concluditur, lata autem via ad pœnitentiam aperitur. Comminatur extraneus, & ad eius orationem mores commutat ciuitas vniuerſa: extraneus loquebatur, at veluti demiſſam cælitùs orationem pertimuerunt, & ad vnam vocem luctui indulgebant. Et peruenit verbum ad regem Niniues. Quid ergo? dignitatem reſpicit ſuam; aut prophetiam ſpernit? Et ſurrexit, inquit, de ſolio ſuo, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Euangelicam antè acceperat ſententiam: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Sedit in cinere. Arma pœnitentiæ ad expugnandum peccatum producit, luctuſque incremit edictis: Homines & iumenta, &c. Condoleat vnà cum rationali naturâ irrationalis, communis calamitatis communis ſit lamentatio.* Recognoſce hic quantum vna extranei hominis comminatio, Dei nomine interminata, operetur. Diuinæ lenitatis elogium eſt, quòd acerbiſſimam pœnam terrore redimit. ô homo perdiſce hoc documentum à cæli ſchola. *A Deo gladium acce-* Naz. ſuprà.
piſti, non tam vt eo vtaris, quam vt mineris ac terreas.

---

§. CXI.

Piè calamitoſus, in periculo ſuo tutus eſt, fiduciæ priuilegio.

QVOTIES Chriſtus noſtrâ 1.
dormit in naui, & ſomno igna- Matth. 8, 24.
uiæ noſtræ ſoporatur in corpore, irruit in nos procella totâ confuſione ventorum, ſæuiunt minaces vndæ, & dum ſpumoſis fluctibus ſæpiùs eleuantur & decidunt, acerbum nauigantibus gignunt expectatione naufragium. Sed Chriſto dormiente Diſcipulorum
fides oſcitat & ſtertit: *Non dormitabit neque* Pſal. 120.
dormiet qui cuſtodit Iſraël: Vel dormiens Chri- v. 4.
ſtus ad ſuorum vigilat pericula, ex omnique ſopore dormit: & dum in atroci iactantur procellâ, ſi fidere ſapiunt, periculi ſui ſecuri-
tate feliciter ſoſpitantur. Petrus æſtu marino Matth. 14.
fertur non naufragus, ſed viator: & timet pe- v. 30.
lagus pelagi profundum non timentem; nec tamen pontus naufragij minas in toto diſſimulat, ne Petrus per ſæuum mare pedibus ſicco veſtigio ſe ambulaſſe non credat, fidei cymbâ ſecurus, & in ſui naufragij tutior aſylo.

Ionæ 1, fugitiuum Prophetam Mare com- 2.
prehendit, & præter morem terrifico frago- *Ionas in naufragio littus quò tendebat, inuenit.*
re intonans increpat cælum, atque inter cæcas pinguibus conductas nubibus tenebras venti atrociter perflant; decumanis inquietatur

tur pelagus, ſæuit, furit & amiſſis gubernaculis inter compugnantes fluctus ac flatus, gemens parturit carina naufragium. In tanto vectorum periculo, maius Ionas ſubit diſcrimen: *Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare. Et præparauit Dominus piſcem grandem, & deglutiuit Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus: & tribus noctibus.... Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam.* O quàm atrociter multiplex ſubit Ionas periculum! In naui communi procellâ iactatus periclitatur: præcipitatus in vortices patulo fluctuum ſorbetur hiatu: quin & bellua marina inſolenti hiat rictu,& Prophetam deglutit, vel potiùs in aluo tumulat. Sed cuius diffidentiam periculum non extorſit, in maioris periculi aſylo tutior eſt,& in maiori ſecurus diſcrimine. Audiendus eſt S. Zeno Veron. qui ſic hâc ſuper re fatur eleganter: *Ionas*, inquit, *timens Deum, non timet adire naufragium: Ceto inhiante miſerabiliùs ſepelitur, quàm præcipitatur; & tamen littus quò tendebat, inuenit, antequam videat, felix magis ſepulchro, quàm naui.* O quis non diſcat de Ionæ exemplo, fiduciæ diſciplinam? Ionas in naui periclitatur; in ſæuientes præcipitatus vndas, ſecurus eſt in periculi aſylo; & in aluo marinæ belluæ naufragium ipſe ſoſpes digerit. O, quis timore nutet, qui in Dei fiduciâ ſubſiſtit? Profectò puſillanimus timor, fiduciæ iniuria eſt, aut ſpei turbatio. O, quiſquis in Deo fidis, vltra poſſibilitatis metas aude; & in hianti naufragio portum (vt Ionas) inuenies, proſpero errore,& cæcâ felicitate!

Ionæ 1.15.& c.2.1.& 11.

Zeno Serm. de Timore.

3. Danielis 14. magnus hic Propheta, primò orationis reus damnatur, & in lacum leonum, agreſti Satraparum ferociâ mittitur. Dein Babylonicæ ſuperſtitionis demolitæ iterùm reus, iterùm in leonum caueam includitur. Famelici leones ieiuno Danieli parcunt, quaſi conſimilis inediæ paſſione amico fœdere ſocientur; & de certâ lanienâ incolumitas exiſtit, inſperata impiis, piis ſperanda. Quin & ſextidui ieiunio macilentum Prophetam, Propheta Habacuc, ex longinquâ Iudæâ de crine ſuſpenſus, miniſteriali officioſitate Angeli, affatim in ipſo leonum lacu reficit: *Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel ſerue Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus.... Surgenſque Daniel comedit.* Ad quæ verba idem Veronenſis præſul, ſic fatur ad rem opportunè: *Huius ſuffragio Daniel populis terribilem inermis draconem necat: leonibus obiectus in periculo prandet, qui ſolet extra periculum ieiunare.* Scilicet: Daniel, regalis palatij diu alumnus, de regij conuiuij eſculentis & poculentis delicijs veſci iuſſus, ieiunare in aulâ conſueuit, & impranſus & incœnatus pro alimoniâ vti ieiunio; inter ieiunos leones ſecurus ſextiduo verſans, lauto de cælis adipatur conuiuio: & vbi ſpes humana cæcè clauditur, adeſt èxpromptior diuina. *Leonibus obiectus in periculo prandet, qui ſolet extra periculum ieiunare.* De periculi ſui penu ſagittatur Propheta, & qui in regali eſurit menſâ, de leonum fame reficitur, & qui præparatur expetitum leonum conuiuium, non iam leonum cibus, ſed cæli ſedet conuiua. Quid illuſtrius?

Daniel in periculo prandet, qui extra periculum ſolet ieiunare.

Daniel. 14 v.36. & 38.

Zeno nuper allegatus.

Hic v.16.

Ergo hic verſ. 16. incolumitatis ſignum fulget in nubibus, vnde mortalibus naufragium extitit: & in arcu, qui bellum portendit, & vulnera de cælo minatur, cæli ſecuritas inuenitur.

---

§. CXIII.

Humana genealogia, quæ non eſt in Scripturâ diuinâ, Euangelium non eſt.

NOBIS *Chriſtus generale initium eſt, quia per ipſum omnia; & ſpeciale faſtigium*, dixit conſultiſſimè & moraliſſimè S. Paulinus, ſanctitate & nobilitate præluſtris. Quaſi dicat: Chriſtianis Chriſtus generale initium eſt, & Chriſtianæ proſapiæ radix; exinde ſpeciale nobilitatis faſtigium Chriſtianorum; & inde nobilitas Chriſtiana cenſenda. Verum quia vniuerſatim apud nationes omnes proſapiæ ſecularis clarum elogium maximi æſtimatur, viderint nimis curioſi progenierum ſcrutatores, an in longâ tot progenitorum ſerie, aliqua incerta certis, vera falſis miſcuerit hominum fauor, aut inuidia, aut æmulatio, aut inertia, aut obliuio; dum temporis annoſa longinquitas incertitudini adſtipulatur, incertæ famæ ſuffragio, quod gratia aut ingratia ſubornauit. 1.

Chriſtus eſt Chriſtianæ nobilitatis initium.

Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham*,&c. In quibus verbis Euangeliſta Matthæus Chriſti genealogiam auſpicatur, quam ab Abrahamo ad Chriſtum vſque certâ fide deducit. Quâ ſuper re ſic refert Auguſtinus ex Fauſto, qui Matthæi hiſtoriam, non Euangelium, ſed Genealogiam dicebat, imò inde non Euangelium, quia Genealogia. *At verò*, inquit, *Genealogia non eſt Euangelium, vt nec ipſe eius ſcriptor auſus fuerit eam Euangelium nominare. Quid enim ſcripſit? Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid. Non ergo, Liber Euangelij Ieſu Chriſti, ſed Liber generationis. Vt rectè Geneſidium hoc magis nuncupari poſſit, quàm Euangelium. At denique Marcus, qui generationem ſcribere non curauit, ſed prædicationem tantùm filij Dei, quod eſt Euangelium; vide quàm ſit competenter exorſus: Euangelium, inquit, Ieſu Chriſti filij Dei. Vt hinc ſatis abundè appareat, Genealogiam non eſſe Euangelium.* Scilicet vſque adeò falſitatis ſolent eſſe ſuſpecti, qui aliorum texunt genealogias; (aut in memoriâ deſcribunt) tam procliue eſt ipſis mentitos rumuſculos, quos aut fauor ſpirat, aut eructat inuidia, cum veritate confuſim permiſcere, vt ſatius putauerit Fauſtus, hunc Matthæani Euangelij tractum reſpuere, quàm ſerio exiſtimare, rem Genealogiæ puram & putam continere veritatem. Nam ambiguæ fidei ſunt, nec indubiam apud homines naciſcuntur fidem quæ in memoriæ ſeruantur archiuis; aut odio, aut beneuolentiâ falſatis. Quin & adteſtantis affectus, citiùs quàm ſimens eſſe ſolet genealogiarum conceptaculum. Puto, non bonum famæ aut diffamiæ promptuarium. Ecce tibi quàm ſint apud homines falſitatis ſuſpectæ humanæ genealogiæ. At non hæc, quam 2.

Matt. 1.1.

Auguſt. l. 2. contra Fauſt. cap. 1.

Humanæ genealogiæ ſuſpectæ ſunt falſitatis.

Marc. 1.1.

Dei

Dei afflatu concepit & prodidit Matthæus quæ tantum à falſitate diſtat, quantùm à fabulis Euangelium.

Vel aliter verba concipe : *Genealogia non*
3. *Hominũ genealogia non eſt Euangelium, quia nõ bonum nuntium affert?* *eſt Euangelium*. Nam *Euangelium* ſignificat *bonum nuntium* ; perrarus autem inuenitur, cui tota maiorum ſeries, quantumuis fideliter recenſita, bonum ei adferat nobilitatis nuntium, abſque alicuius ignobilitatis næuo : denotare eum ſolitat propudioſum aliquem in prolixo maiorum ſuorum catalogo. Quis illuſtrior Chriſto Deo, Regibus retrò longiſſimè ſatus ? & tamen Patriarcha Ieſuanæ genealogiæ recenſetur Abrahamus, fabrorum filius, & de infidelitate ante voca ionem ſuſpectus; recenſetur & Thamar de turpi inceſto grauida, Rahab cauponaria meretrix, Ruth Moabitis, & inde de crapulâ & inceſto Loti ignobilis, Berſabee noto adulterio famoſa. Puto, quod vel auguſtiſſimorum Regum Genealogia, etſi de comprobata veritate ſit *Euangelium*, non prorsùs afferet bonum nuntium, quod *Euangelium* ſonat. An in hoc ſenſu verè dicitur : *Genealogia non eſt Euangelium?*

Paulus ad Hebræos 7. de Melchiſedeco ait
4. Hebr. 7. v. 3. *Genealogia quæ non adſcripta in Bibliis, fabula dicitur.* fuiſſe, *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia.* Quis, quæſo, homo fuit, eritve, ſine patre, & matre, & genealogiâ, cùm ipſe Adamus, etſi patre & matre caruerit, non caruerit omninò genealogiâ, cum eius recenſeatur proſapia? Faceſſat hinc hæretica Pſeudoauguſtini interpretatio, Origenis & Didymi erronea ſententia : mitto etiam commentationem Lyrani & Abulenſis, quos nuper in prælectionibus in Geneſim abunde expugnauimus. Et placet ad litteram, atque ad mores perplacet ſententia
Lege Cornelium ad eum Pauli locum. Ioſephi, Dionyſij Areopag. Epiphanij, Theodoreti, S. Thomæ, & aliorum, quibus recentiorum proceres ſubſcribunt, & ſeriò aſſerunt, Melchiſedecum fuiſſe aliquem ex Chananæorum Dynaſtis; dici tamen ſine patre & matre, & ſine genealogiâ, non quia his caruerit, ſed quia eius pater, aut mater, aut genealogia non deſcribitur in Scriptura. Quod his verbis tra-
S. Thomas ibid. dit S. Thomas : *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia; quia in Scriptura non fit mentio de patre vel matre eius, nec de genealogia ipſius.* Audis Apoſtolum negantem Melchiſedecho genealogiam, quia eam in ſcripturis deſcriptam non reperit? adeò dubia eſt hominum proſapia, & maiorum retrò ſeries, vt quæ in Bibliis recenſita non ſit, nulla dicatur? Nec mirum ſi idem Apoſtolus, qui ſuo dixerat Timotheo,
1. ad Tim. 1. v. 4. ne *Intenderent fabulis, & genealogijs*, quaſi genealogia, quæ in ſcripturis deſcripta non ſit, fabula habeatur; nunc conſectariè dixiſſe, Melchiſedecum eſſe *ſine genealogia; quia in ſcriptura non fit mentio de genealogia ipſius*, vt S. Thomas apprimè commentatur. ô quot illuſtriſſimas genealogiarum fabulas homines vſque ad ſuperſtitionem adorant! Chriſtianis Chriſtus generale proſapiæ initium eſt, & ſpeciale faſtigium, à quo totus Chriſtianæ generoſitatis cenſus.

Hic v. 19. &c. Accuratè hic Moyſes deſcribit trium filiorum Noëmi genealogiam, ſed vide ſis in litteræ commentario, quanta irrepſerint falſatæ fidei de Hiſtoricorum commentis, quæ ibi nemo non refutat. Tu Moyſi crede, cetera, vtpotè dubiæ fidei, neglige.

§. CXIV.

Ad delicias, quæ ſpei humanæ gratè blandiuntur, faſtidioſè nauſeat poſſeſſio.

CONFESSIO erroris humani, 1.
non eſt humanæ maieſtatis di- Ec. 1. v. 17.
minutio, ſed maturæ ſapientiæ
exaggeratio. Poſt decantatiſſi- *Mundialia bona ſperata deliciamur, ſpreta faſtidiuntur.*
mam toto orbe ſapientiam,
ſuam ſtultitiam & errores ſenex diſcipulus denuò ediſcit Salomon; non quæ exinceps in canâ ſenectute ſectetur, ſed quæ in virili adhuc ætate, ipſum inaniter feſelliſſe deteſtetur. Delirus iuueneſcit ad virtutis ſapientiam, qui ad vitij errores, quaſi iuuenis delirauit. Hominum faruam *ſtultitiam*, & mundialium rerum *errores*, ſerus obſeruator Salomon agnouit, vt ventoſiſſima honorum faſtigia, & mentitas voluptatum delicias, ſui experientiâ, reliqui homines præmaturè pernoſcerent; & vt quiſquis hiauit ad falſatas deliciarum ſpes, ad pœnitendos earum errores ſalubriter nauſeet. Ecquis non diutiùs faſtidit, quas diu experiuit mundi voluptates? ô quoties quod in deſiderio fulgebat, viluit in manibus; & guſtum quem vota pollicentur, voti compos experientia ignorat! Sic ſunt friuola, inania, mentita, quæ ſuſpiramus bona! quorum gratia ſpe ſubſiſtit, poſſeſſione euaneſcit.

Exodi 16. Hebræorum numeroſa plebs, 2.
Ægyptiarum dapum in deſerto benè memor, & malè ſatura, peregrinos eremo cibos audè cupit, & cum probro expetit. Eductorem Moyſen annonæ ſolicitudo angit. Sed quis expleat inconditæ multitudinis deſideria, & fallentem cupiditatem exatiet? Nota conſultiſſimam Dei prouidentiam, attentiori expenſione digniſſimam : Manè ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem
pruinæ ſuper terram. *Quod cùm vidiſſent filij* Exod. 16. 15.
Iſraël, dixerunt adinuicem : Manhu? quod *In Man à nobis tam ſecus deſiderata, quàm ipſi in edimus deſiderium.*
ſignificat : Quid eſt hoc? Ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes : Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum. Mitto ad alia locupletanda themata, expenſiones alias,
contentus Cæſarij Arelatenſis ſubſcribere ver- Cæſar Arelat. homil. 7. in Paſch.
ba, plena acuminis, ingenij plena, & ad rem præſentem in primis opportuna : *At verò*, inquit, *illud legis Manna cælitùs illapſum, per multimodas ſuauitates naturæ meritum, & generis ſui excedebat intuitum : & cùm creaturam ſuam diſpenſatio largitoris multiplici diuerſitate condiret, præbebat guſtum, quod ignorabat aſpectus. Iuxta percipientis deſiderium eſca illius nouitas, & dignitas naſcebatur; vnumquemque variis & alienis ſaporibus reficiebat pluuia illius donum, & multiplex ſiccis imbribus obſequium.* Explorate cuique licet ſingulas Cæſarij ſententias, moraliſſimi ſucci plenas. Et nota mihi, quòd Manna ita multiplici di-

uerſitate

uerſitat e conditum à Deo eſt, quò hominum voluptates expleret, vt *præberet guſtus, quod ignorabat aſpectus.* Nimirùm, neſciant quod edunt, vt eſca dulciùs ſapiat. Præbeat guſtus, quod ignorat aſpectus; vt non tam cibos expetitos, quàm ſua deſideria guſtu manducaſſe perſentiant. Alienis nouiſque ſaporibus Manna comedentes reficiat, quò in ſicco ſemper imbrice, ſingulorum palato præſtetur obſequium. Porro ſi ſplendidiores & delicatiores cibos in propriâ ſpecie guſtarent, citò appetitus verteretur in tædium, & ad deſideratas eſcas in ſe ipſis guſtatas falſato experimento nauſearent: at Manna ſic multiplici diuerſitate cælitùs condîtur ad cupiditatis ſaporem, vt non tam rem deſideratam, quàm ipſa deſideria edere videantur, dum *præbet guſtus, quod ignorat aſpectus.* Quid luculentiùs?

5. Matthæi 5. ſic ad diſcipulos ſuos Chriſtus
Matth. 5. 4. loquitur, quò illos præmij magnitudine ad virtutem viuaciùs extimulet: Beati, inquit pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Et ſtatim ſubiungit: *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Paupertati præmium ſpiritale, & de præſenti proponitur, & manſuetudini, quæ fortè ſublimior virtus eſt, merces terrena, & futuro tempore danda, promittitur? *Rixentur igitur immites*, ait Ambroſius, *& dimicent pro terrenis, & temporalibus rebus. Sed beati mites, quoniam ipſi hereditabunt terram, de quâ euelli non poſſunt.* Eſto, quando illam mites poſſideant, diu duraturâ poſſeſſione habituri ſint; tamen terrena & mundialis poſſeſſio eſt. Sic vili æſtimatur manſuetudo, quam Eccleſiæ Patres hîc tot laudibus extollunt? Porrò præmium ab æquo rerum cenſore ſtatutum, rei bonitatem definit & taxat, & quaſi cenſus illius eſt. Quis magni æſtimet, quod paruo venditur? Generoſa manſuetudinis virtus, terrenâ, etſi locuplete mercede taxabitur? Sed aduerte, quòd non vtcumque terrenum præmium; ſed præmium terrenum illi Chriſtus de futuro pollicetur: *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Pulchrè Theophylactus, poſtquam refutauit eos, qui ſpiritualem terram interpretantur, ita ſcribit: *Verum tu hanc terram intellige, quoniam enim putantur mites, deſpecti & inopes, dicit, quòd hi magis omnia habeant.* Omnia habeant, an omnia habere ſperant? Promiſſio poſſeſſionem non dat, ſed poſſeſſionis ſpem. *Spes autem eſt boni acquirendi expectatio*, non boni acquiſiti poſſeſſio. Verùm enimuerò vſque adeò vacua ſunt bonitate mundialia bona, vt expectatione valde alliciant & delectent, poſſeſſione moleſtiam afferant, & faſtidium generent. Fruantur mites mundialium bonorum ſpebus certiſſimis, qui eorum poſſeſſione potiùs fatigarentur. *La eſperança de bienes temporales, que es lo mejor y mas guſtoſo que ellos tienen.* Inde mitibus non dona temporalia actu donat, ſed munificè promittit: nam poſſeſſa tædio ſunt, & nauſeam mouent; abſentia verò ſpe delectant, & certâ expectatione illis frui iucundiùs licet. Præbeat ſpe guſtus, quod poſſeſſione ignorat aſpectus. Ergo cùm bona temporalia mitibus in præmium dentur, ſpe blandiente eorum munerantur: *Ipſi poſſidebunt terram*; & tunc ait Theophylactus, *quòd hi magis omnia habeant.*

Manſuetudinis præmium, non actu poſſeſſio, ſed poſſeſſionis ſpes datur.

S. Ambr. in Lucæ c. 8.

Theoph. ibi.

Clem. Alex. 2. Strom.

Nam expectatione in pretio ſunt, quæ poſſeſſione vileſcunt: & tunc fruitione omnia habentur, cùm dilatâ poſſeſſione certiùs expectantur.

Vide hîc inexpertum Noëmum, quàm turpiter eâ re exatietur, ad quam auidius hiauerat. Iam crapula nauſeat, quod nuper auidè ſitiuit. Vinum autem eſſe deliciarum hieroglyphicum, aliàs vel ad lectoris nauſeam abundè dedimus.

Hîc v. 20. & 21.

---

§. CXV.

Benefica Dei potentia, & tota humani arbitrij poteſtas, cohibere debent ſiniſtram noſtri iudicij de alio cenſuram.

SÆPE noſtrum vitium eſt, quod putamus alienum: & ex noſtrâ maleuolentiâ, aut inuidiâ, aut irâ, aut ingratiâ, de aliorum rebus ſeueriùs cenſere & garrire ſolemus: nam *Charitas non cogitat malum*, ſed omnia interpretatur in bonum. Saltem cognata hominibus ignorantia audaciam ſiniſtræ ſuſpicionis ſiſtere debet: homo enim videt quouſque habet oculos, id eſt, quæ foris patent; abſtruſam verò mentem, operis rectricem, & humanis imperuiam aſpectibus, videre non poteſt. Qui de re inuiſâ cenſet, temerè iudicat. Temerarius autem iudex eſt, qui quaſi malum cenſet, quod neſcit an malitiæ cenſuram mereatur; dum eſſe aut bonum, aut non malum poſſit. Hæc ſit humani iudicij norma, & huius paragraphi argumentum. 1

1. Cor. 13.

Siſtitur humani iudicij cenſura.

Magna his de ciborum delectu exorta eſt inter Iudæos & Gentiles, recèns ad Chriſti fidem conuerſos, ad quos ſic ſcribit Paulus ad Romanos 14. vt iudiciorum ſiniſteritatem compeſcat, quæ æmulatione periculoſiùs graſſabatur: *Tu quis es*, inquit, *qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Expende Apoſtoli rationem, plenam profunditatis, acuminis plenam; quam horum verborum luce clarat Chryſoſtomus ibi, ita excutiens, & exponens præfatum locum: *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? proprio Domino ſtat, aut cadit: imò fulcietur vt ſtet: potens enim eſt Deus efficere, vt ſtet. Ita de illis qui vehementer deſperati ſunt dicimus.* Quaſi dicat Apoſtolus: Quare tu, ô homo, de alio, quem prorſus corruiſſe non vides, ſeueriùs corruiſſe cenſes, etſi ex humanis coniecturis id veroſimilius appareat? nam aut (quod tu certò definire non potes) ſtat, aut cadit: at quantumuis apud te deſperatus ſit, & ex tuis iudiciis omnino cecidiſſe tibi perſuadere poſſes; audaciam iudicij ſiſte: imò puta non cecidiſſe: *Potens enim eſt Deus efficere, vt ſtet.* Hoc eſt, quantumuis lapſus tibi deſperatus appareat, dum oculis non vides lapſum, puta non cecidiſſe: quia *potens eſt Deus efficere, vt ſtet.* Quaſi quod non poteſt Deus cohibere, id integrum ſit de aliis ſiniſtrè cenſere: (id eſt, 2.

Ad Rom. 14. v. 4.

Ne de fratre ſiniſtrè iudicemus, præſumendum de illo eſt quidquid Deus boni poteſt facere.

nihil

nihil omninò: Deus enim quæcumque voluit, fecit in cælo & in terrâ) aſt ſi Deus potuit ſtatuere illum, aut efficere, vt ſtet; adhuc ſtare, cenſendum eſt: ac ſi clementior Dei omnipotentia ſit humani iudicij de aliorum defectibus menſura, & quod Deus potuit efficere, feciſſe piè præſumendum eſt. *Stabit autem: potens eſt enim Deus efficere, vt ſtet. Ita de iis qui vehementer deſperati ſunt dicimus.* O bonam humani iudicij menſuram! Quidquid mali Deus vitare non potuit in alio, illud planè malum in illo cenſe: ſin autem cohibere potuit, quantumuis res humanitus tibi deſperata videatur, fræna ſiniſtræ cenſuræ audaciam: *Potens eſt enim Deus efficere, vt ſtet.* O bonum, & Paulo dignum documentum!

2. Geneſ. 26. & 9. *Deridetur Chriſtus in cruce cum Eccleſia ſua.* Hugo ibi.

Geneſeos 26. inopiæ malo coactus eſt Iſaac in Geraris peregrinari. Qui interrogatus à viris loci illius ſuper vxore ſuâ, reſpondit: Soror mea eſt. *Cumque pertranſiſſent dies plurimi, & ibidem moraretur; proſpiciens Abimelech rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebeccâ vxore ſuâ. Et accerſito eo, ait: Perſpicuum eſt quòd vxor tua ſit.* Hugo Carenſis myſticè ſic interpretatur hæc verba: *Vidit eum iocantem cum Rebecca. Iſaac Chriſtus, Rebecca Eccleſia, quæ dicitur ſponſa propter nimiam charitatem; & ſoror propter naturæ conformitatem. Iocus in quo exprimitur coniugalis affectus, ludibria crucis. De quo ludo 2. Regum; vbi dicitur: Ludam, & vilior fiam. Luſit, Chriſtus, quia illuſus fuit à Iudæis. Et vilior factus eſt, quia nudus in cruce ſuſpenſus eſt. Prouerbiorum 8. Delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Mitto hæc, etſi expenſione aliàs digniſſima, quia, vtpotè allegorica, à literali ſenſu longius exerrant. Et mirabile eſt, quòd Abimelech videns Iſaacum *iocantem* cum Rebecca, quam ipſe dixerat eſſe ſuam ſororem, (quæ vox Hebraico idiomate cognatam etiam ſignificat) non cenſuiſſet eſſe inceſtuoſum iocum, ſed licitum & maritalem complexum. Ipſe Iſaacus palàm nuper dixit Rebeccam eſſe ſororem, vel cognatam ſuam, & Abimelech oculis ſuis eoſdem reciproco amore iocantes videns, ait *Perſpicuum eſt quod vxor tua ſit?* Et cur non putat eſſe ſcortationem ſeu inceſtum? Lipomanus autumat, quòd *Integra fama illorum, & honeſta maturitas; non ſinebat turpiora in ſuſpicionem aſſumere.* Bona, inquam, fama ſiniſtram frenat ſuſpicionem. Nunquam mala ſuſpicio bonam reperit famam. Priùs infamatur eſt; qui ſuſpicionum reus eſt. Præuia enim diffamia eſt ſuſpicionum vigor. Verùm S. Baſilius rem hanc altiùs & ſubtiliùs contemplatus eſt. Exponens enim illud Matthæi 7. & Lucæ 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*, poſtquam docuit euidentiſſima ſcelera non poſſe non iudicari, opportunè ſubdit: *Quocirca ſi quid eſt, quod in poteſtate noſtrâ poſitum ſit, aut plerumque etiam dubium ſit, de hoc frater iudicari non debet.* Scilicet quando indubia & perſpicua rei malè patratæ euidentia intellectum non cogit ad malè cenſendum, ſed aliquod dubietatis veſtigium ſupereſt, pro fratre cenſendum eſt. Tota noſtri arbitrij libertas, & liberior licentia voluntatis ſedulò exercenda eſt, ne malè ab alio factum ſeuerè cenſeamus: & enitendum quantum *in poteſtate noſtrâ poſitum ſit*, ne grauem cenſuram in aliena facta vibremus. Abimelechum imitari; qui videns Iſaacum iocantem cum Rebeccâ, quam ipſe ſororem ſeu cognatam dictitabat, imitandâ pietate dixit: *Perſpicuum eſt quod ſoror tua ſit.* Hiſpanè dicimus, *En quando el caſo dio lugar, lo hecho à la mejor parte.* Itaque ſicut nuper diximus ex Chryſoſtomo, nequid ſeueriùs contra fratrem iudicemus, de illo præſumendum eſſe quantùm Deus poteſt facere, vt illum excuſemus: ita nunc ait Baſilius ad fratrem à culpâ vindicandum, faciendum eſſe quantum *in poteſtate noſtrâ poſitum ſit.* Totâ humani arbitrij licentiâ aliorum facta ſpecietenus flagitioſa, aut excuſanda aut omittenda ſunt.

2. Reg. 6. 22.

Prou. 8. 30. & 31.

Præuia infamatio eſt ſiniſtræ ſuſpicionis vigor.

Lipoman. in Catena.

Tota arbitrij poteſtas exercenda eſt, ne ſiniſtrè de aliquo iudicemus.

Matth. 7. Lucæ 6. Baſil. in Regul. breu. Interr. 164.

Crapulâ propudiosè hîc proſtratus Noë proponitur; ſed ignorans vini vim. Inexcuſabilis videtur, qui in ſanctum ſenem cenſuram vibrat acerbiorem. De quo in litteræ commentario. Hic v. 21.

§. CXVI.

Sicut in Peſſimis aliquid boni, ita & in Optimis aliquid peſſimi reperitur.

1. HOMINIS animus, etſi à natura ſit immortalis ſpiritus, & æmulatione de ſpirituali confinio prope Angelus; tamen cùm corporis ſit inquilinus, carnis contagione peſtilenter afflatur: adeò vt nec ipſos ſpirituales animi cogitatus ſepares à collegio carnis. Vnde ſi totius ſubſtantiæ maſſa ſpectatur, in eodem homine, vnus erit homo interior, alius exterior, dupliciter vnus. Exinde, *Et in peſſimis aliquid boni, & in optimis nonnihil peſſimi* reperiri, ſententiosè dixit Tertullianus. *Ninguno ay tan perfecto, que no tenga alguna imperfeccion.* (Chriſtus deitate omnem arcet imperfectionem, Virgo deipara diuinæ licentiæ ſeruatur.)

Aliqua imperfectio vel perfectiſſimo adnaſcitur.

Tertull. de Anima c. 41.

2. Ioannis 13. Chriſtus diuinitatis faſtigium vſque ad diſcipulorum infimiſſima ſternit, dum eorum pedes miniſteriali obſequio lauat. Petrus ſtupore attonitus, ſeruile in Domino officium obſtinatè recuſat. Saluatoris minæ Petrinam emolliunt conſtantiam: & blandè iam Petrus expetit, vt non tantùm eius pedes, ſed & manus, & caput pariter abluantur. *Dicit ei Ieſus; Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Difficilis planè ſententia, & quæ non ſibi ſatis videtur cohærere. Quod his verbis animaduertit diligens & attentus interpres P. Ioannes Maldonatus, Euangeliorum præluſtris facula ad omne acumen, & eruditionem accenſa. *Sed ex his ipſis verbis (ait) oritur quæſtio, quo modo totus mundus eſt, qui indiget, vt pedes lauet; aut quo modo*

Ioan. 13. 10.

P. Mald. ibid.

Qui totus mundus eſt, eget vt pedes lauet.

modo indiget vt pedes lauet, qui totus iam mundus eſt? Procliue eſt alterutrum ex altero ſubruere; aut totum non eſſe mundum, qui indiget vt pedes lauet; aut ſi indiget vt pedes lauet, mundum non eſſe totum. Origenes ibi ſic fatur ad rem præſentem: *Impoſſibile autem puto non contaminari extrema animæ, & infima eius, quanquam quoad homines perfectus quis eſſe putetur.* Ecce tibi; qui *perfectus* apud homines eſt, *& totus mundus* dicitur à Chriſto, adhuc *extrema animæ & infima eius*, veſtigiorum puluere tantiſper inquinari. *Ipſi igitur humani affectus, ſine quibus in hac mortalitate non viuitur, quaſi pedes ſunt, vbi, & humanis rebus afficimur, vt ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipiamus*, dixit Auguſtinus, præfata Ioannis verba eleganter exponens. Quaſi humani affectus primæua contagione peſtilentes, tetrum quid, aut imperfectionis, aut labis perpetuò exhalent, vt, ſicut, *Et in peſſimis nonnihil boni, ita & in optimis nonnihil peſſimi reperiatur.* Vnde homo qui eſt mundus totus, ſemper in hac vitâ eget, vt pedes lauet, aut à leuis delicti labe, aut ab aliquâ imperfectione, quæ perfectionis nitorem oppido deuenuſtat. Hac Origenis & Auguſtini doctrinâ, ſpiritualium, quos vocant, vapulat vana gloria, ne imperfectos faſtuosè deſpiciant.

Orig. tom. 32.

Aug. Tract. 36. in Ioann.

3. Geneſis 18. inter meridiandum ſedenti Abrahamo ſub celebri illâ quercu Mambre, apparent tres Angeli humanâ formâ apparenter induti, quibus vrbanè dixit Abrahamus: *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum: ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros.* Illo eodem veſpere pergunt Angeli verſus Sodomam deductore Abrahamo: quos cùm vidiſſet Lot, ſurrexit; & iuit obuiam eis, & dixit: *Obſecro, Domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi: lauate pedes veſtros.* Loti & Abrahæ officium vltro admittunt Angeli, reſpondentes Abrahamo: *Fac vt locutus es.* Semel & iterùm in vnâ die Angeli ſpecie tenus corporati, pedum lotionem admittunt, ne dicam, expetunt? Singulariter Hugo Carenſis ad illud: *Afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, Ad hoſpitalitatis* (inquit) *officia reuertitur Abrahami, quæ Angelis exhiberi poſſunt, cùm ex elementis corporeàm formam aſſumunt.* Iteratum in eodem veſpere balneum admittunt Angeli, dum corpoream aſſumunt formam, & veſtigio apparenter corporeo terræ inſiſtunt, & velut humanam vitam tranſigunt? Sic præproperè puriſſimi & perfectiſſimi Spiritus, vel appetentis corporis aſſumpti ſibi extraneas ſordes emaculare feſtinant? Sic vel ſpecie tenus corporatio, contrahendarum ſordium ſuſpecta eſt, vt in vnius dieculæ veſperâ geminatus exhibeatur Angelis balneus? Qui, vt Angelus eſt mundus totus, indiget vt pedes lauet? Hâc Angelis ſuperuacuâ cautione, cognatarum humano corpori ſordium molabiliſſime edocemur.

Gen. 18. 4.
Vel Angeli ſpecie tenus corporati, his in eodem veſpere pedes lauant.
Genes. 19. 2.

Hugo ibi.

4. Geneſeos 2. *Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.* Non ſatis, niſi valdè fallor, Moyſes ſibi videtur conſtare. Nam ſi die mundi ſextâ perfecti iam erant cæli, & omnis eorum ornatus, quo modo die ſeptimâ eorum perfectio *compleri* aut *conſummari*, vt legit Auguſtinus potuit? Aut ſi *compleri* & *conſummari* potuerunt, perfecti non erant: aut ſi perfecti erant, compleri minime potuerunt, neque enim perfectum eſt, quod aliquâ vacat perfectione, quâ tandem perfectè compleatur. Perſpicuum eſt per cælos, viros *Spirituales* intelligi, vt ex Ambroſio docet Lauretus Ceruatienſis. Nimirum viri *Spirituales*, tametſi auguſto *cæli* nomine ſublimentur, etſi ipſi *perfecti* dicantur, & *omnis eorum ornatus perfectus* habeatur die ſexto, nihilominus eoſdem *Compleuit Deus die ſeptimo.* Aut quia perbreui illâ morâ tantiſper à perfectione deſciuerant; aut quia perfectioni creatæ, quantumuis conſummata illa ſit, adhuc completio ſupereſt, adeò vt qui totus eſt, & eſt mundus totus, egeat vt pedes lauet, nam ſicut in peſſimis nonnihil boni, ita & in optimis aliquid mali reperitur: & qui totus mundus eſt, indiget vt adhuc pedes lauet.

Geneſ. 2. 1. & 2.
Cæli, qui die ſextâ perfecti dicuntur, quo modo die ſeptimâ compleantur.

Lauretus verbo Cæli.

Vide hîc Noëmum ſanctiſſimum Patriarcham, Dei munere & ſuffragio conſpicuum, qui indecoram digerit crapulam, puto excuſabilem, ſed crapulam quidem, cui vel filius irridet. Profectò ſicut in malis aliquid boni, ita & in bonis aliquid mali reperitur, ne glorietur omnis caro. His v. 22.

---

§. CXVII.

Quantùm prauitatis in alio curioſis oculis videris, tantùm in te alter reciprocâ pœnâ videbit.

NIL tam moleſtum homini, quàm curioſos aliorum oculos pati; qui ad ſua cæci, aliena facta, quaſi per anatomiam explorant, cognatæ inuidiæ examine, nihilque bonum videt, qui naturaliter inuidet. Porrò vagus oculus, curioſus intuitus, improbus aſpectus, ſuas non reſpicit ad ruinas, alienos currit & decurrit ad lapſus: ſua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet: malorum ſuorum neſcius, alienorum eſt accuſator & teſtis: ſuum tepidus ad reatum, ad alterius etiſ innocentis ſufflammatur & excandeſcit examen. Et ne multis, multa curioſè videt in alio, qui ex multis pauca aut nulla in ſe videre aſſueſcit. Quo ergo ſupplicio tam inurbana & moleſta oculorum curioſitas dignè mulctabitur? Vide ſapientem à diuiniori prouidentiâ ſancitam pœnam pœnalis maximè vitij, nimirum talionis mulctâ plectitur: ferat iniquam, quam infert moleſtiam, vices pœna reciprocet, & curioſos aliorum patiatur oculos qui leue putat ſuos ab aliis tolerari. 1.

Pœna curioſi examinis aliena vita.

Lucæ 17. poſtquam Chriſtus Deus eos, qui alios ſcandalizant, ſeuerius inſectatus eſt, hæc paucula verba, ſed myſteriorum grauida, ſubnectit: 2.

Lucæ 17. 3.

nectit: *Attendite vobis: Si peccauerit in te fra-*
Quantùm tu curioſe vides alteri, alter videbit tibi. *ter tuus*, &c. Multi ſunt interpretum proceres, vt nexum inueniant huius ſententiæ cum proximè præcedenti adhortatione de vitando ſcandalo, quæ prudens omitto, vt ocyùs diſquiram, quare dixerit: *Attendite vobis*, & non potiùs, vt vnuſquiſque ſingulatim ſibi attendat. Nam quod vniuerſaliùs dicitur, vniuerſatim etiam ab auditoribus excipitur. Præſtaret forſitan, vt illis ſpeciatim diceretur, quod vnuſquiſque ſibi attenderet ſolerti curâ, & ex omni ſtudio; reliquóſque, qui ad ſe ex munere non ſpectant, prudenter negligerent. Quid Iudæ cum Petro, Apoſtolorum apice? Quid proditori cum Magdalenæ munificentiore pietate? Sollertiùs vnuſquiſque ſibi attendat, ſuos caſtiget mores, & omnes ad
2. pietatem reformantur, & ad omnem ſancti-
1. ad Tim. 4. v. 16. tatem promouentur. Et ſanè Paulus: *Attende tibi*, dixit; Chriſtus verò, *Attendite vobis*. An aliud iudex pronunciat, & aliud præco clamat? An idem eſt, *Attendite vobis*, ac *attende tibi*. S. Chryſologus miro, quo ſolet ingenij acumine, his verbis hoc dubium ad mores nitidè deflectit, & luculenter extricat:
Chryſol. ſerm. 139. *Attendite*, inquit, *vobis. Vobis, non dixit tibi, quia quicquid alij attenderit homo, attendit ſibi: & quantum vi debit ipſe alteri, videbit alter ipſi.* Nempe ſi tu aliis attendas, alij attendent & tibi: & ſi tu vides alteri, alter videbit & tibi: Si reliqui oculos tuos patiuntur exploratores, tu viciſſim reliquorum oculos exploratores patieris. Si tibi vni attendas, oculis duntaxat tuis te explorabis: ſi verò aliis quoque attendas, omnium oculis te perſpectum & exploratum habere poteris: *Quantum videbis ipſe alteri, videbit alter ipſi*, quia ſi ceterorum mores curioſius ſcruteris, ceteri tuos mores attentius ſcrutabuntur. O nimis verè!

3. Matthæi 7. *Nolite iudicare, vt non iudice-*
Matth. 7. v. 1. & 2. *mini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudi-*
Qui curioſos oculos in alios habet, curioſos ſentiet alterum par etur. *cabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Euthymius & Theophylactus *iudicare* pro condemnare accipiunt. S. Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Anaſtaſius, Beda, Rupertus, non condemnationem tantùm aliorum, ſed etiam iudicium prohiberi putant. Quod ego etiam veriſſimum exiſtimo, credo tamen cum Maldonato, *Non ſolum iudicium, ſed etiam curioſitatem in alienos mores inquirendi prohiberi.*
Maldon. ibi. (Subdit enim, *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui?* &c.) Sed nota curioſo iudicio infligendam pœnam, *Vt non iudicemini.* Pergit P. Maldonatus: *Quidam hoc, Vt non iudicemini, ad homines referunt, quaſi dicat, Si vultis, vt alij de vobis non iudicent, ne iudicetis de aliis..... Videtur hunc ſenſum confirmare verbum hoc loco, & apud Lucam ſine certa per-*
Lucæ 6. 38. *ſona poſitum.* Annon ſuppetebat Chriſto Deo aliud in terris grauius & acerbius ſupplicium, quo curioſum æquè ac pernicioſum mulctaret crimen, quàm eandem cenſoris oculi curioſitatem pati? Et quidem indifferenter, à quolibet: vnde ſine certâ perſonâ pœnale verbum ponitur, *Vt non iudicemini.* Pergraue ſanè & oppidò acerbum eſt ſupplicium, vt quantum tu inde curioſis oculis vides alteri, omnes indifferenter eâdem curioſitate viciſſim tibi peruideant. *Nolite iudicare* curioſè in alienos mores inquirendo, *vt non iudicemini*, ab omnibus, eâdem inquiſitionis curioſitate: *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Nam vt nuper præſcripſit Chryſologus: *Quantùm videbis ipſe alteri, videbit alter ipſi.*

Patris probrum hic Chamus videt, quod boni filij auerſis piè veſtigiis non viderunt? Hic v. 21.
ſed vide quanta Chami mala confeſtim prophetiæ oculis pater videt. Quaſi parùm foret tantundem pati; & anguſta foret illa Chryſologi mulcta: *Quantùm videbit ipſe alteri, videbit alter ipſi.*

---

§. CXVIII.

Bonus filius ad tegendos Patris defectus, toto pietatis ingenio ſedulus incumbit.

AMES parentem, ſi aquus eſt; ſi alter, feras. Sed in primis lingua cohibenda eſt, ne offenſus aut malignus filius in leuiſſimum proſiliat verbulum, quod tantiſper patrem deuenuſtet. Publicos etiam defectus, excuſabit, ſi poteſt; tranſibit, ſi non poteſt. Quid turpius quam ex ore, aut nutu filij deturpari parentem? Bonus filius cæcus eſt ad parentum næuos, quos reuerentiæ vis in clarâ etiam luce non videt. 1. Seneca ex Publ. Mim.

Hic verſ. 23. cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam. Bibénſque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo. Quod cùm vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nunciauit duobus fratribus ſuis foràs. *At verò Sem & Iaphet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſùm, operuerunt verenda patris ſui: faciéſque eorum auerſæ erant, & patris virilia non viderunt.* Locus ſanè expenſione digniſſimus. Quid eſt? *Facies eorum auerſæ erant?* Auerſâ facie, & cæco veſtigio itur ad rem pietatis? Non ſic Chami impudentia ad impietatem contendit. O tempora! Sat hæc leuiter perſtrinxiſſe. Venio ad rem. Et ſicut deteſtatione digna eſt Chami impudentia, ſic admiratione dignum eſt ingenium pietatis in Iapheto & Semo, qui ſic ſtudioſè patris improperium non videre ingeniantur, celare contendunt. Argutè ſatis ad rem S. Gregorius ita ſcribit: *Faciéſque eorum auerſæ erant*, &c. *Auerſari dicimur, quod reprobamus. Quid eſt ergo quod filij verenda patris ſuperiectis dorſo palliis auerſi veniendo operuerunt? niſi quia bonis ſubditis ſic Præpoſitorum ſuorum mala diſplicent, vt ab aliis nota occultent. Operimentum auerſi deferunt, quia diiudicantes factum, & venerantes Magiſtrum, nolunt videre quod tegunt.* Boni filij faciem auertunt ab eo, quod auerſantur in patre, (in Præpoſito, in Magiſtro.) maluntque tegere, quàm videre, *noluntque videre quod tegunt.* Tegendo piè remediatur à Semo,

Auerſâ facie itur ad virtutem; ſecus ad vitium? Hic v. 23.

2. S. Gregorius apud Gloſſam hic. Qui Patris auerſatur delicta, illa teſtiùs occultat.

Celada de Benedict. Patriarch. N 2 quod

quod impiè (etſi verè) Chamus prodit. Qui auerſatur Maiorum flagitia, illa inuiſa tegit: qui illa explorat, & publicat, non auerſatur; ſed potiùs ſectatur. Boni filij improperium patris *auerſi veniendo operiunt*; quia illis diſplicet; & ab aliis notum, ingenio pietatis occultant. Improbiſſimus Cham ſecreta peruestigat, occulta prodit. Quod bonus filius auerſa facie tegit, quia auerſatur; improbus malitiæ impudentiâ perquirit, inuenit, prodit. Sed quærens patris improperium maledictionem Chamus inuenit, & ſtigmate inuritur ſeruitutis. Probi autem filij, qui auerſâ facie perſpicuos Patris defectus non vident, benefica Benedictione munerantur, condignâ pietatis vſurâ.

3\. Sapientiæ 7. ſic loquitur Sapiens de æternâ Filij generatione: Vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipo-
Sap. 7. v. 25. & 26. tentis Dei ſincera: *Et ideò nihil inquinatum in eam incurrit. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Bene eſt, æternam Filij generationem nihil incurriſſe *inquinatum*: quid enim in Patre Deo generante, aut in Filio Deo genito, coinquinatum eſſe poteſt?

Quare Dei Filius, ſpeculum maieſtatis, & bonitatis imago duntaxat hic dicatur?

At ſciſcitari lubet, quare duntaxat *Imago bonitatis* dicatur? Annon etiam diuinum Verbum imago quoque eſt reliquorum, quæ Deo Patri inſunt, è quorum etiam cognitione emanat? Cur ergo ſpeculum maieſtatis, & bonitatis imago in hoc loco duntaxat nominatur? Oggannict enim neſcio quis Arianus, ſemiplenam Dei imaginem eſſe. *An Deus de ſola bonitate cenſendus ſit?* Et tamen fide ſanctum eſt, Dei Filium eſſe plenam Dei Patris imaginem. Quod aduerſus Arianos tradit Phœbadius. *Plenè*, inquit, *eſt ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, cuſtodit enim Dei vultus, & figuram fideliter exprimit, Patris plenam imaginem reddit.* Annon etiam ſicut Maieſtas, & Bonitas; ſic etiam & ſcientia, & miſericordia, & iuſtitia ad Filij Dei plenitudinem ſpectant? *Vſque adeò* (inquit Tertullianus) *Iuſtitia plenitudo eſt diuinitatis ipſius, exhibens Deum perfectum.* Quare ergo Verbi generatio, *Bonitatis imago* hîc duntaxat dicitur? An vt probet nullum *inquinamentum incurriſſe*? Scilicet Dei Filius, qui Verbum Patris procedit, procedit etiam ex cognitione Paternæ ſcientiæ, & miſericordiæ, & iuſtitiæ, &c. quò plena imago ſit, diuinam eſſentiam ſimul cum attributis perfectè repræſentans: at quia Scientia Dei verſatur, (etſi ſecundariò) circa ſcibilia omnia, quamuis mala de ſe ſint; Miſericordia etiam erga miſeriam humanam, quarum maxima, peccatum eſt; Iuſtitia quoque ſcelera punit; ideò fortaſſis in hoc loco Dei Filius duntaxat *maieſtatis ſpeculum*, & *imago bonitatis* ſignatè nuncupatur; & dum omne *coinquinamentum* à Patre Deo generante procul abiicitur, nulla fit mentio attributorum, quorum imago hîc dicatur Filius, quæ vel circa peccata verſantur? Abſoluta Bonitas & Maieſtas repræſentari dicantur à bono Filio Deo, cetera nunc omittantur; ne quid, quod vel remotè obiectiuam cum peccato velut affinitatem habet in Patre, hic repræſentare dicatur. Verè omnium attributorum Patris imago eſt eius æternus Filius: ſed illa in hoc loco omittuntur: abſoluta Bonitas & Maieſtas ſignatè repræſentari dicitur, ne quid *inquinamenti*, licentiâ adhuc Hæreticâ, occaſione Filij, humana tenuitas aut prauitas reuerberet in Patrem. Sic liceat res diuinas humanâ tenuitate diſcutere, & ad mores deriuare: neque enim litteraliſſimum ſenſum ſeueriùs emedullamus, ſed in verborum cortice moraliter velitamur.

Margin notes beside this column: Tertul. lib. 1. cōtra Marc. cap. 25. — Phœbad. lib. cōtra Arian. — Tertul. lib. 2. cōtra Marc. cap. 13.

---

§. CXIX.

Inter auguſta Dei elogia recenſetur, quòd etiam non filiorum pater nominetur.

PATRIS & filij vocabula ſic reciproco illigantur nexu, vt nec pater ſine filio, neque filius ſine patre ſit: ſiue paternitate quæ naturâ conſtat, ſiue quæ affectu naſcitur. Monſtrum eſſet ſine filio pater, aut ſine patre filius. Numquam vidi homines magis aſinos, quàm eos, qui cùm vitæ licentiâ, ſe à filiorum nomine prauis moribus alienauerint, importunè queruli de alienatione patris expoſtulant. Si tu tuis moribus charum filij nomen perperam corrupiſti, patris etiam vocabulum, & vocabuli appendices gratias ſimul perdidiſti. Quid expetis charitate patrem, cuius non es reuerentiâ & obſequio filius? Si te à patre alienas, quid de abalienato patre querulè expoſtulas? Quæris enim in humanis ſine filio patrem: quod ſolius Dei elogium eſt, adſpectu ad homines. 1.

Lucæ 15. bonus ille pater nequam filij, totius paterni cenſus portionem illi obnixe petenti ſeuerus fortè magis, quàm liberalis impertit. Ille & ætatis & luxuriæ inconſiderantiâ, à bono patre alienatus mente, corpore etiam ſe adhuc longiùs alienat. Luxuriatur abundè, & abundantiùs poſtmodum eget, paſtus porcini adhuc miſerè indigus. Sed ventris latratu admonitus, ad ſe rediit, qui longè à ſe, & à patre aberat. *Surgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum.* At accuratè perquirit Chryſologus: *Quâ ſpe? quâ fiduciâ? quâ confidentiâ? Quâ ſpe? Illâ quâ pater eſt. Ego perdidi quod erat filij: ille, quod patris eſt, non amiſit. Apud patrem non intercedit extraneus, intùs eſt in patris pectore ipſe qui interuenit & exorat affectus. Vrgentur patris viſcera iterùm filium genitura per veniam.* Ecce adoleſcentem prodigum, qui à patre Deo, corpore & mente alienatus, fatetur ſe perdidiſſe, quod erat filij, & tamen Euangelicis verbis profitetur ingenuè, pium patrem, *quod patris eſt, non amiſiſſe*, quod eſt bonitatis diuinæ naturale miraculum. Ipſe adhuc pater oculis cernit olim filium, nunc prauitate alienum; & tamen *vrgentur patris viſcera iterum filium genitura per veniam.* Quod ex Ioannis Euangelio amplius, vt opinor, claratur.

Margin notes beside this column: 2. *Cuſ[illegible] perdat quod eſt filij [illegible] quod patris eſt nō amiſit.* — Lucæ 15. 18. Chryſolog. ſerm. 2. — 3

Ioan

Ioan. 1. v. 12. & 13. *Quo modo qui ex Deo nati, debebant poteſtatem filios Dei fieri*

Ioannis 1. ſic de Chriſto Deo, de cælo ad terras aduenientе, ſcribitur: In propria venit, & ſui eum non receperunt. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Locus aliàs difficilis, aliorsùm verſatus, nunc non importunè enedullandus. Porrò intellectu arduum eſt, & quod multorum torſit ingenia, quo modo Chriſtus iis, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, *ſed ex Deo nati ſunt*, dedit poteſtatem, *filios Dei fieri.* Profectò qui ex Deo nati ſunt, patrem habeant Deum, neceſſe eſt; his autem, qui patrem iam habent Deum, quo pacto dari poteſt poteſtas, vt filij Dei fiant? Puto quòd tunc pater actum aget, & generatum gignet. Numquid poteſt homo in ventrem iteratò redire, & renaſci? Cyrillus Alex. multis ſe ab hàc quæſtione expedire contendit. Alteram viam ſectatur Picianus & Theophylactus. Aliter reſpondet Auguſtinus & Beda, Chryſoſtomus & Euthymius. Intermitto litteræ rigorem, quem in eius loci commentario ſeueriùs conquiſitum, enucleatiùs tradebam; & iuuat laxius ad mores cum Chryſologo velitari. Miraris *his, qui ex Deo nati ſunt*; & inde patrem habent Deum, datam eſſe adhuc poteſtatem, *filios Dei fieri*? attentiùs animaduerte, quod homo inſtar filij prodigi, dum delinquit, *perdidit quod erat filij: ille* (Deus inquam) *quod patris eſt, non amiſit. Vrgentur patris viſcera, iterum filium genitura per veniam.* O piiſſimum non filiorum patrem! Quid de diuinâ bonitate dici potuit exaggeratius?

Apud Mald. ibi.

Chryſol. ſerm. 2.

3. Deut. 32. 6. *Eſt ne Deus, non filiorum pater?*

Deuteronomij 32. minaciter Deus conqueritur de Hebræo populo, quem ſuum primogenitum olim appellauerat: *Numquid*, ait, *non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Et non multò poſt: *Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui.... generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij.* Quod alibi dixerat, Filij alieni mentiti ſunt mihi. Sed nota quæ intexat verba: *Peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus.* Clarè interpres reddit Hebræa, quæ implexa ſunt, dicitque, quod Iſraeliticus populus peccauerit Deo, ideóque non ſint filij eius, qui in ſordibus peccatorum ſuorum volutantur. Quaſi dicat: Tametſi ob ſordidum peccatorum ſqualorem, ab auguſtâ Dei cognatione degeneres, iam *non filij eius* ſitis; *numquid* ideò *non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Scilicet, Iſraël *perdidit quod erat filij: ille* (Deus inquam) *quod patris eſt, non amiſit. Vrgentur patris viſcera, iterum filium genitura per veniam.*

4. Gen. 42. 37. *Quare Iacob cum decem filiis loquens, dicit ſe eſſe ſine liberis*

Geneſ. 42. Iacob ille, Iacobææ gentis patriarcha, duodecim filiorum diu parens, Ioſephum naturâ & moribus filium reliquorum inuidiâ à feris dilaniatum putabat; & cùm expetitur Beniaminus, vt iuxta condictum apparere ceteri filij poſſent coram Ægypti Præfecto, quò illis annona diſpenſaretur ad victum; *Dixit pater Iacob: Abſque liberis me eſſe feciſtis*, Ioſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis: in me hæc omnia mala recidunt. Cum decem nihilominùs filiis ſuis, quos præſentes cernit, loquitur *pater Iacob*, & hoc verbum excidit, *Abſque liberis me eſſe feciſtis*? Cuiuſnam filij ſunt ij, quibuſcum loquitur *pater Iacob*? Quia vnus aut alter deeſt e numeroſo filiorum grege, affirmat ſe improlem, aut filiis orbatum? Et vbi eſt filia etiam Dina, ſenum parentum deliciolum? Sic luctus & mœſtitia dolendi exaggerat cauſſas, vt leuamen, quod coram videt, planè neget? Sic vnus, aut alter bonus & frugi filius, pro omnibus ſimul computatur? An bonus pater, filiorum quemlibet tantumdem diligit & æſtimat, quantum ſimul omnes? An potiùs *Dixit pater Iacob: Abſque liberis me eſſe feciſtis*; quia deficientibus Ioſepho & Beniamino, ceteri fratres parricidij ſuſpecti erant, de crimine peſſimo accuſati, vel *locutionis malæ* in patrem? (ita alij exſcribunt) Erat enim *pater Iacob* non filiorum; ſiquidem ipſe adhuc pater naturâ & affectu, cùm degeneres moribus tunc eſſent reliqui filij, à generoſitate tantæ filiationis deſciuerant. Vnde Iacob etſi tunc *pater nominatur*, tanquam improles, filiis orbatus, & *abſque liberis* dicitur, quaſi eſſet pater non filiorum, quæ præcelſa Iacobi laus eſt, & Dei æmulatione ſublimis. (Id etiam cernere hîc licet in Noëmo adſpectu ad Chamum, degenerem, & velut alienam prolem) Id ex num. ſequenti ampliùs illuſtrabitur, vbi Iacobum agnoſcere patrem obnixè ſatagunt eius filij. Hic v. 24.

5. Gen. 42. 32. S. Auguſt. in locat. *Sententioſè filij Iacobi, ſe dicunt patris ſui filios.*

Diſſimulat Ioſephus, ſe fratres cognouiſſe, quaſi exploratores tractantur, vt obiectum crimen refutent, ſic loquuntur ad Ioſephum, Ægypti præfectum: *Duodecim fratres vno patre geniti ſumus.* Super quibus verbis ita ſcribit Auguſt. *Duodecim, inquiunt, ſumus fratres filij patris noſtri.... Quaſi poſſent eſſe filij non patris ſui.* Patris & filij res & nomen neceſſariò cognata ſunt, & mutuâ relatione connexa, ne ergo quos natura arctò coünit nexu, diſiungat malitia. Quis pater exigat filialem reuerentiam in filio, in quem paternum amorem non reciprocat. Quis filius patris charitatem & officia expetat, qui filij obſequia parenti non præſtat? Conſultò aiunt: *Duodecim ſumus fratres, filij patris noſtri, quaſi poſſent eſſe filij non patris ſui.* Quaſi dicant: non ſolùm noſter pater eſt Iacobus; nos etiam eius filij ſumus, duodecim ſumus fratres, *filij patris noſtri.* Filiorum amorem, reuerentiam, & obſequia illi tanquam patri præſtamus; & ille viciſſim nos redamat, & tanquam ſobolem non degenerem agnoſcit. Nemo noſtrum perdidit quod erat filij: & ille, quod patris eſt, non amiſit. *Duodecim ſumus fratres, filij patris noſtri.* Vides quàm glorioſè ſe iactet Iacobæa gens, non tantùm quia patrem habent Iacobum; ſed etiam quia ipſi eiuſdem Iacobi filij ſunt?

§ CXX.

Scelus publicatum, intimiùs patratori corporatur; & obdurationem publicitate procurat?

1. Seneca ex Publ. Mim.

DAMNVM *appellandum eſt cum malà famâ lucrum: honeſtus enim rumor, alterum patrimonium eſt.* Porrò etſi verum ſit illud; *Quis ſis intereſt, non quis habearis*: tamen vt bonus ſis, aut citò amiſſam recuperes bonitatem, non parùm ſæpè refert, qualis habearis. Irrecuperabilis fama, multorum profligauit mores, impudenti delinquendi licentiâ. Latens delictum, cui occulto in latebris ſuis, non inſidiatur infamia, faciliùs deteſtari iuuat, ſpe recuperandi virtutem priſtinam, bono virtutis nomine necdum profligato.

Geneſeos 4. reiectaneas Caini oblationes refutat Deus, dum munera Abeli gratus acceptat: geminato vulnere, & æmuli ſui fauore, & ſuâ repulsâ Cainus feritur: atque inuidiæ malo inſtigatus, in receſſu mentis fratris cædem ſævè machinatur. *Dixit autem Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua?* Omniſcius, quaſi inſcius interrogat, ſcire diſſimulans, quod nouit, Caini delictum. Addit Deus: *Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* Mirè variant tranſlationes, & interpretes in exponendo poſteriori huius verſiculi hemiſtichio, *ſtatim in foribus peccatum tuum aderit.* Hugo Victorinus (vt interim alios omittam) ita notanter fatur: *Duabus de cauſſis dicitur aliquid in foribus adeſſe, vel vt intret, vel vt exeat. Similiter hic de peccato poteſt intelligi.* Sed quid eſt, quòd dicit Dominus ad Cainum, quòd *ſi malè egerit, ſtatim in foribus peccatum aderit, vel vt intret, vel vt exeat?* Profectò peccatum, quod perpetratum eſt rectè poteſt eſſe in foribus, *vt exeat* per confeſſionem ſeu pœnitentiã. At quomodo erit *in foribus vt intret?* Quò adhuc intrabit peccatum ſemel peractũ, quod foras opere exiuit? An quia perpetratũ ſemel duntaxat delictũ, quaſi foris quodammodò eſt, & velut extraneum peccatori: quippè quod repetita iteratione in conſuetudinem abiens, velut magis intrat, & cum delinquente quadantenus corporatur? Sic veniâ dignum putatur ſemel peccaſſe, vt quaſi extraneum peccatum, foris exiſtere velut reputetur? An potiùs perpetratum delictum *in foribus adeſt, vt intret*, ſi publicitùs propalatur? Scilicet commiſſum delictum *in foribus adeſt, vt exeat* per pœnitentiam. *In foribus adeſt, vt intret* per publicationis infamiam? Profectò perpetrati ſceleris publicata diffamia, ſæpè efficit, vt recuperandæ famæ ſpe abiectâ, altiùs hæreat delinquendi propoſitum, & medullitùs radicetur malitia. Vide hìc Cainum, quî commiſſi ſceleris publicatione, peccatum ab eo non exijt; ſed nouâ malitiæ radicatione, plus illi velut concorporatur; quaſi tunc magis *intrauerit*, & altimitùs Cainó hæſerit, ad impœnitentiam & deſperationem ex propriâ malitiâ inſtigato. Peccatum qui prodit, altiùs fundat; quod quaſi medullitùs publicatione ineſt.

2. Geneſ. 4. 7.

Peccatum ſimul commiſſum, velut foris eſt.

Hugo Vict. in Adnot.

Peccatum publicatione velut corporatur, & medullitiùs patratori hæret!

Exodi 7. dure ingeminatur hæc ſæpè repetita Dei vox: *Ego indurabo cor Pharaonis.* Expoſitiui commentatores, & doctores Theologi nimis fatigant hunc locum, vt humanæ obdurationis malum auertant à Deo; & aduerſus Caluini imperitam temeritatem, arbitrij libertatem vindicent. S. Auguſtinus ita exponit præfata Dei verba: *Videndum ſanè eſt, vtrùm etiam ſic accipi poſſit: Ego indurabo cor Pharaonis, tanquam diceret, quàm durum ſit demonſtrabo.* O nimis verè! Superior, qui quæ potuit tegere ſubditorum flagitia, ea ſeuerius publicat, & illorum cor obdurare, & obſtinatè contumacem facere dicitur? Infamia ſceleris publicati, effrontes de inuerecundia facit, & nefariè peruicaces, & velut Pharaonis æmulos? Planè ſicut verecundia, frænum eſt impudentis audaciæ, & audacioris temeritatis clauſtrum; ita à ſceleris publicatione parta inuerecundia, licentia maliciæ eſt, & delinquendi libido. Tardè, opinor, blandis exhortationibus, & ſeris ſpebus emollire contendis, quem flagitij publicatione obduraſti? Serò mulces linimentis, quem publicâ infamiâ contumacem feciſti. Non benè emollies, quem malè obduraſti. Publicatio immatura flagitij ſi Pharaonem non inuenit, ſæpè Pharaonem facit, & Pharaonianæ obſtinationis æmulum. Adhuc in foribus erat delictum: *exire* poterat per pœnitentiam, & per publicationem quodammodo *intrare*: quare introrsùm illud vrges, vt velut concorporetur magis, & animitùs hæreat, dum impudentia obſtinationem procurat?

3. Exod. 7. 3. *Publicatio flagitij obdurationem, negotiatur!*

Auguſt q 18. in Exod.

Hìc verſ. 24. publicatum Chami ſcelus, illum prorſus profligauit; & inde inuſta maledictione quaſi ſtigmaticus ſeruus, paternâ domo profugus exulat, & ad omnem prauitatem impudenter gliſcit, geminato & naturæ & infamiæ fomite actus. Hìc v. 24.

§. CXXI.

Nil citò timueris; ne periculum quod times, citiùs ad te veniat.

EX periculo alterius vir ſapiens præcauet ſuum. Bonum eſt, fugienda aſpicere in alieno malo: *non citò perit ruinâ, qui ruinam timet.* Malè autem geritur, quicquid geritur timoris fide. Incerta & anxia res eſt timor: etiam lapillus vnus habet vmbram ſuam: metus autem vel vmbris territat. Nihil citò timueris; ſed quod times, citiùs ad te veniet. Reliquos præteribit, vt te maturiùs ſauciet.

1. Seneca ex Publ. Mim.

Lucæ 11. Chriſtus Deus in quâdam parabola inducit neſcio quem amicum primò negare (quantùm apparet) promptum; & qui tandem propter petentis improbitatem poſtulatis annuit. Quis veſtrum, ait, habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes, quoniam

niam amicus meus venit de viâ ad me, & non habeo quod ponam ante illum, *Et ille deintùs reſpondens, dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi.* O quàm videtur ad negandum exprom-ptus, qui tam expromptam repulſam in re facili amico impingit!

Dormientibus ſeruis, ſolus herus importunum petitorem audiuit.

2. Omitto hæc quæ excogitandorum conceptuum materiam vberem multis præbuerunt; & tantùm animaduerto cum Chryſologo, quòd hic Dominus, *Dormientibus ſeruis pulſantis neceſſitatem ſolus & primus audiuit.* Res profectò obſeruatione digniſſima. In eodem cubili dormiunt ſerui, quorum erat attendere, quis pulſaret ad ianuam, & ex omni vigilare curâ, vt perageretur, aut procraſtinaretur negotium, ne eorum Dominus interturbatâ noctis quiete euigilaret; & famulis altè ſtertentibus, ſolus herus ad moleſtum amici aduentum euigilat. Serui in eodem cubantes conclaui non audiunt importunas amici voces, quas ſolus Dominus audit? *Dormientibus ſeruis pulſantis neceſſitatem ſolus & primus audiuit.* Scilicet ſolus & primus audit, qui tunc dare nolebat, qui amici preces improbas iudicabat, qui geminatâ repulsâ donare recuſabat. Seruos nocturnus ſtrepitus ſurdos inuenit; & Dominus improbi pulſatoris importunam neceſſitatem *primus & ſolus audiuit.* Acutè quidem Chryſologus. *El primero que oyo la peſſadumbre, fue à quien parece que ſolamente ſe hacia.*

S. Chryſol. ſerm. 39.

3. Matthæi 2. Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus eſt.* An non candidè id Magi palam perquirebant? Per mediam Ieroſolymam Magi clamant: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?* & tamen Ieroſolymitanorum primus, qui id audiiſſe dicitur, Herodes fuit. Mitiſſimum planè eſt, quòd Iudæi, qui diu ſuum Regem anxiè expectabant, quem è ſtellæ ſigno cognoſcendum illis Balaam Propheta antedixerat, qui obuij Magis erant per vrbis vias & plateas numeroſè frequentes; quaſi ſurdi forent ad lætum & diu ſperatum nuncium, Magorum voces non dicuntur audiiſſe: & tamen vbi inclamatum eſt: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?* confeſtim ſubiungitur: *Audiens autem Herodes rex.* Oſcitantibus ad id nuncium Iudæis, rex Herodes *vnus & primus audiuit?* Scilicet ſolus & primus audit, cui quod verebatur accidit. Eleganter Hugo Carenſis ad illa verba, *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt,* ita fatur: *Audiens ſcilicet alium regem Iudæorum, quam ſe quæri. Turbatus fuit propter ſe, quia timebat exitium regni ſui, & propter iram Romanorũ, quam incurreret, ſi conſentiret nouo regi. Turbatus eſt etiam propter adſtantem multitudinem Magos comitantem, quaſi erubeſcens alium quàm ſe regem quæri. Et nota, quòd Herodes rex dicitur, vt ex collatione eius, qui quæritur, hic extraneus intelligatur.* Nempe cum tot tantæque cauſſæ timendi Meſſiæ aduentum, vnum ſauciarent Herodem; velut ſurdis ad hoc nuncium reliquis, ille ſolus & primus auritus perhibetur: adeò vt ante illum nemo, Magi voces audiuiſſe dicatur: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt.* Primò nuncium defertur ad eum, quem certo ferit. *Con quien primero encuentra la mala nueua, es con quien mas la à de ſentir.*

Matth. 2. 2. & 3.

Magorũ voces primus omnium Herodes audiſſe videtur.

Hugo ibi.

2. Regum 13. Amnon Dauidis filius, Thamar Abſalomi ſororem nomine deperit; ægrotat præ amoris impatientiâ: aſtu & vi virginem opprimit: & cupitis amplexibus potitus, illam faſtidit, & domo pellit. Eiecit itaque Thamar miniſter Amnonis foras, clauſitque fores poſt eam. *Quæ ſpargens cinerem capiti ſuo, ſciſſâ talari tunicâ, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, ibat ingrediens & clamans. Dixit autem ei Abſalom frater ſuus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum?* Profectò animaduerſione digniſſimum eſt, quòd Thamar, *Cinere ſparſo capite, ibat per mediam ciuitatem, clamans & ingemiſcens violentiam ſibimet irrogatam,* (vt explicatiùs tradit Ioſephus;) & tamen primus & ſolus qui Thamari occurriſſe dicitur, fuit Abſalom eius frater, qui adeò acerbè ſtuprum ſororis tulit, vt poſtmodum ſic atrociter in fratrem Amnonem propterea ferociret? S. Chryſoſtomus ad hoc fortè non attendens, id poſtea Abſalomũ *didiciſſe* tradit: Sed Scriptura non inconſultè denarrat, quòd dum recèns conſtuprata Thamar *ibat ingrediens & clamans, dixit ei Abſalom frater ſuus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum?* ac ſi primus, cui infame ſororis ſtuprum innotuerit, foret Abſalom. *El primero con quien ſe encontro la afrenta, fue con quien mas la babia de ſentir.* Vnde hîc vbi Noëmus è ſomno euigilauit, filij aduerſus ſe impiam & indecoram irriſionem, confeſtim reſciuiſſe dicitur: quaſi irrogatæ contumeliæ notitia expectaret exſomnem. 4.

2 Reg 13. 19. & 20.

Stuprum ſorori, primò innotuit Abſalomo.

Ioſephus apud Goff.

Chryſoſt. lib. 3. de Prouid.

Hic v. 24.

§. CXXII.

Superior, appoſita forma eſt, cui ſubditi imprimantur.

FORTVNATVM regnum, beata aula, in quâ probus Princeps proba pariter ducit agmina, quæque plus de religione redoleat, quàm de aulâ: & in quâ Principum vita, moréſque in omnem virtutem viam ſternunt. Incredibile enim eſt quid Principis exemplum in vtramque vitam efformandam poſſit, ferè enim ex illius moribus finguntur reliquorum. Vt, ſi Principem dederis virtutis quaqua parte inſtructum ac munitum, nihil opus præceptis ſit: vltrò ac cæco quodam impetu ſequuntur, vt filij patrem, referéntque mores illius. Probi huius ſunt? probos dabunt. Improbi? improbos. Tantum in vtramque partem momentum Principis ſeu Superioris mores habent! ô exemplum Superiorum mores! 1.

Ioannis 12. multus eſt Chriſtus Deus in hoc capite & ſequentibus, vt probet ſe eſſe promiſſum Meſſiam, & inde verum Iſraëlis 2.

Ioan. 12. v. 26. & 27.

Regem, & totius mundi Principem, in quo adſtruendo totum laborat Euangelium. Poſtmodum vt illum imitentur omnes ſedulò expoſcit, aiens: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam?* Quid eſt, quòd vbi nos admonet vt eum ſequamur, eiuſque mores ſollerter imitemur, tanquam vitæ noſtræ exemplar, confeſtim turbatur? Eſto, non ſemel turbatus legatur Chriſtus in Euangelio, quò verum ſe hominem oſtendat, nec ab humanis paſſionibus immunem: (etſi à vitio paſſionum indemnem) ſed quæ huius perturbationis extiterit cauſſa, non facilè vel curioſo occurret. Peracutè S. Auguſtinus, quâ pollebat ingenij ſagacitate, cauſam his verbis tempeſtiuè rimatur. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, &c. Nunc anima mea turbata eſt.* Attentiùs expende Auguſtini gloſſam. *Sequi*, inquit, *iubes animam meam, ſed turbari video animam tuam.* Videlicet Chriſtus Deus inauguratus mundi exemplaris Princeps, homines ſibi ſubiectos admonet, vt ei miniſtrent, illumque imitatione ſequantur, moreſque exprimant ſuos, & confeſtim turbatur. Quid tunc turbaris? ô moraliſſimam perturbationem! Sequi iubes animam meam, & turbari video animam tuam? Quid? te turbat hominum tui imitatio, & frequens eorum futura ſequela? An te turbat, quòd omnium oculi in te ſunt, vt in ſe ipſis imitatione exprimant, quot in te exempla viderint? ô, quid tam cælo expetendum, quàm vt homines veſtigia Chriſti ſequantur? An te turbat, quòd illuſtriora virtutum exempla exiguntur ab eo, qui principādi iure, reliquis morum idea proponitur ad exemplum? Sed quid eſt tota Chriſti Dei vita, niſi virtutum virtus, & exaggeratior probitatis hyperbole? Verùm *ſequi iubes animam meam, ſed turbari video animam tuam.* Scilicet profundè animaduertens, quàm non turbentur Principes & Superiores, quorum mores gregatim ſubditi ſectantur, & velut viuam legem in vtramque partem ſequuntur. O regum Rex, & ſuperiorum Princeps, idcircò tu anxiè turbaris, quia illi eam ob cauſam non turbantur, idque oſcitanter negligunt? ô, viderit ille è cuius vitâ omnium mores in vtramque partem dependent!

Quare turbatur Chriſtus, dum ſe imitandum proponit?

August. Tract. 25. in Ioan.

3. Ioannis 10. his verbis ſe imitandum hominibus Chriſtus proponit: *Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, &c. Ad quæ Chriſti verba ita ad thema præſens eleganter fatur Gregorius: *Atque eius bonitatis formam, quam nos imitemur, adiungit, dicens: Bonus paſtor, &c. Fecit quod monuit, oſtendit quod iuſſit..... Oſtenſa eſt nobis de contemptu mortis via, quam ſequamur, appoſita forma, cui imprimamur.* Signatè expendenda ſunt hæc poſtrema Gregorij verba, in quibus tota ſententiæ energia ſita eſt. Nempe Chriſtus ſe appellat Paſtorem Eccleſiæ, & totius mundi Principem: neque à nobis exigit, quòd priùs ipſe non fecerit: ergo eius ſequamur exempla, quæ ſunt, *appoſita forma, cui imprimamur.* Scilicet Chriſti exempla ſint nobis velut typus, quo adſimilis virtutis characteres in nobis exprimantur. O, è tam perfectè exactâ formâ, ne aut abraſi, aut ſcalpti, aut adulterini characteres imprimantur! Mores noſtri in hoc typo imprimendi ſunt. Eſto tu Chriſto impreſſus, & Chriſti mores in te expreſſiſti: nam Chriſti vita, *eſt appoſita forma, cui imprimamur.* Quid illuſtrius?

Ioan. 10. 11.

S. Gregor. homil. 14. in Euang. Chriſtus eſt appoſita forma, cui imprimimur.

Vnde hîc verſ. 25. ſic Noë turbatur ob inculpatam ebrietatem, ebrietatem tamen. Princeps enim erat familiæ, & totius poſteritatis exemplar. Hic v. 25.

---

§. CXXIII.

Pœnæ diuturnitas, repetita plaga eſt, & calamitatis acerba exaggeratio.

1. FERÆ pericula quæ vident fugiunt, cùm effugêre, ſecuræ ſunt. Nos & venturo torquemur & præterito. Multa bona noſtra nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantùm præſentibus miſer eſt. Ecce tibi hominem ſui tortorem, & qui nemine perſequente, ſe fugere aut non ſcit, aut non poteſt. Etiam qui extrorsùm felix apparet, introrsùm ſæpè miſer eſt. Ecquis non miſereatur humanam vicem? Eſto, homo ob propria ſcelera ſupplicio dignus ſit, ſat grandis ipſe ſui pœna eſt. Aſt ſi adhuc grauiora meretur, puniatur quidem homo, ſed humanè homo puniendus eſt, nec ſuſpenſo ſupplicij metu diu torquendus, timore timendi cauſas exaggerante: anxietas dubiæ pœnæ tormentum incrementat, impendens calamitas inhumanè excruciat. Qui citò punit, ſimilis eſt parcenti: qui diu, aut re pœnæ, aut ſuſpenſi timo[illegible] præpropere immiti pœnâ caſtigat, acerbiſſime admodum caſtigat. Diuturnitas ſupplicij per[illegible]pè repetitum ſupplicium eſt, & calamitatis dura exaggeratio.

Qui citò punit, ſimilis parcenti eſt.

Chriſtus Deus necdum natus, diu pòſt naſciturus Paſſioni ſubeundæ, in quâ mutus ſiluit, has querulas voces Dauidis ore olim edit: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti meâ potauerunt me aceto.* Hæc planè miranda querela, nec breuiter perſtringenda, nec curſim tranſilienda, ſed prorsùs expendenda eſt. O Domine, ante tot ſecula prægustato felle ſic amaricaris, vt in has voces doloris & acerbitatis plenas erumpas? Quid te in fellis amaritudine inſolenter excruciat? Quid noui te exacerbat in hoc ordinario tormento? S. Auguſtinus arguto quo ſolet ingenio rem hanc ſubtiliter meditatus eſt, ea Pſalmi verba his verbis expediens: *Et dederunt in eſcam meam fel, &c. Namque legimus illi quidem oblatum fel, ſicut Euangelium loquitur, ſed in potum non in eſcam: Verumtamen ſic accipiendum eſt & impletum, quod hic fuerat ante prædictum: Dederunt in eſcam meam fel: & in iſto ipſo facto, non ſolum in hoc dicto myſterium requirere debemus, vel quod ita dictum eſt, vel quod ita factum eſt.* Attentiùs ex diſertiſſimo Auguſtini ore auſcultemus ecquod ſit hoc ſacramentum: *Dederunt, inquit, in eſcam meam fel, non ipſum quod dederunt eſca erat: potus enim erat, ſed in eſcam dederunt.* Quid tam inhumanum

Pſ[illegible]

Con[illegible]itur Chriſtus, quòd fellis potus detur illi in eſcam.

Auguſt. in Pſalm. 68. Matth. 27.

manum & barbaricum, quàm amarum & fellicum liquorem, non in potum propinare, ſed in eſcam porrigere? Scilicet potus quamtumuis amarus & fellitus, celeri repetito hauſtu haud difficulter degluttitur; at fellea eſca mandi debet, eius non diluta ſoliditas dentium vi domanda eſt, & paullatim comminuenda, & ipsâ comeſtionis mora amarulentias guſtum exacerbat & cruciat diuturnitatis tormento: ô inhumanos carnifices! ô diriſſimam crudelitatem! ô agreſte excruciandi ingenium! *Dederunt in eſcam meam fel: non ipſum quod dederunt eſca erat: potus enim erat, ſed in eſcam dederunt*, vt amaroris diuturnitate acerbiùs guſtum felle amaricarent. (Non me effugit litteralior loci ſenſus, ſed cum Auguſtino ita Pſalmi verba ad mores iuuat deriuare.)

3. Pſal. 63. v. 8. *Sagittæ paruulorum dicuntur, quæ ex improuiſo feriunt.*

Pſalmo 63. aut de Iſraële a Philiſthæis profligato, aut de ſe à Saüle lanceâ petito, & ad necem expetito, aut de Chriſtò à Iudæis in Paſſione plagato, ſic pangit regius Pſaltes: *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Sagittæ quibus Dauidem vulnerare conati ſunt eius hoſtes, *ſagittæ paruulorum* dicuntur magno interpretum conſenſu; quia nihil, parumve nocumenti allaturæ eſſent: illorum iacula ſimilia ſunt ita imbellium & inualidorum ictibus puerorum, qui ſagittando nil aliud obtinent, quàm laborem & fatigationem ſui, non aduerſarij vulnus, propter iaculandi imperitiam & imbecillitatem.

Hieron. ibid.

Verùm S. Hieronymus attentus Scripturarum arbiter, Hebræam originem peritè ſcrutatus, ſic locum exſcribit: *Sagittabit ergo eos Deus iaculo repentino, inferentur plagæ eorum.* Alij ſuffragantes Hieronymo, ita vertunt: *Iaculabitur in eos Deus ſagittam ſubitò.* Nam à פְּתָאִים *Petaym*, quod eſt paruulus aut infantia, qui ſubitò agit, dicitur פִּתְאֹם *Pitbom*. Quare *ſagittæ paruulorum* ſunt ſagittæ repentinæ, celeres, & quæ non prius ſentiuntur, quàm hominem contigerint & ſauciauerint, vt eruditè obſeruat Pineda.

Pineda in Iob 9

Vide mihi ſagittas repentinas, celeres, & quæ vix contigere hominem improuiſum, ac cum grauiter vulnerarunt, dici à vulgato, *ſagittas paruulorum*, id eſt, ſimillimas imbellium & inualidorum ictibus puerorum. Quaſi ſagittæ illæ potentis manu viri duntaxat iaculentur, quæ non ex improuiſo, ſed diu meditatæ, olim minaces, & ſuſpenſo perdiu timore vibrantur, diuturniori plagâ cruentæ. Qui citò ferit, ſemel ferit, qui diu minis arcum vibrat, perſæpe ſauciat dubij & ſuſpenſi timoris indubio vulnere, & repetitâ plaga.

4. Iob 9. v. 23. & c. 6. v. 9.

Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentium rideat, exclamat Iob. Hæc Iobi querela, velut quædam echo reſpondet vocibus, quas nuper ediderat: *Qui cœpit, ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me.* Opus non eſt cum Philippo & Caietano cenſere, ſuppoſitum illius verbi, *Flagellat*, eſſe Dæmonem; iure enim ad Deum referri putant expoſitores reliqui.

Diuturnitas calamitatis Redemptorem Christum accerſit! Sanct. in Iob. c. 9. v. 23.

Nempe patientiſſimus Iob ferendo defeſſus non tam acres & acerbos morſus, quàm intolerabilem illorum diuturnitatem, cum aliquo ſtomacho mortem optat, & inferri ſibi à Deo poſtulat, vt defunctus vitâ, ſit quoque tam acerbâ vexatione defunctus. Quaſi dicat, vt eloquenter Sanctius: *Si Deus eſt, qui tam aſſiduè & diu flagellat me, & in meis doloribus tam ipſe oblectat effusè, ſi ſtatuit mihi per tot acerbitates vitam eripere, occidat me ſemel, quando grauis eſt moriendi cauſa; neque me non tam vitam, quàm immortalem mortem ſuſtinere cogat.* In præfatis verbis, quibus de pœnarum diuturnitate Iobus tragicè conqueritur, Anſelmus Laudun. aliquid abſconſum acutè meditatur; ſic fatus: Anſelm. Laud ibid.
Si flagellat quotidianâ vindictâ, occidat ſemel. Veniat qui ſemel moriatur, (Chriſtus inquam) *vt iam vota Iuſtorum non differat: ipſum quoque ordinem Paſſionis adiungit: Terra data eſt in manu impij: vultum iudicum eius operit.* Nempe Iob ſuſtinendo defeſſus pœnarum diuturnitatem, tantæ calamitatis Redemptorem expoſtulando poſtulat. An quia ærumnarum diuturnitatis Chriſtum Redemptorem velut vnicum & neceſſarium remedium iure ſuo exigit? Non tam calamitatis acerbitas, quàm aſſiduæ & perpetuæ ærumnæ Redemptorem accerſunt, & Redemptionem expetunt, intolerabilis mali ſuffragio? Diuturni doloris vocibus Redemptorem Deum è Patris Dei ſinu extorquere Iobus præſumit?

Vide hic Chamum repetitâ, & diuturnâ plagâ ſauciatum, impotenter doluiſſe. De quo in litteræ commentatio. Hic v. 25.

§. CXXIV.

Ira, ſicut non ſcit cur iraſcitur, ita cui iraſcitur, neſcit.

FACILIVS eſt excludere perniciosa, quàm regere; & non admittere, quàm admiſſa moderari. Nam cum ſe in poſſeſſione poſuerunt, potentiora rectore ſunt, nec recidi ſe, minuive patiuntur: imò validè excreſcunt, & alias animi peſtes nectunt, quaſi ſui appendices. Profectò vt in præceps datis corporibus nullum ſui arbitrium eſt, nec reſiſtere, morarive deiecta potuerunt: Ita animus ſi in iram ſe proiecerit, non permittitur reprimere impetum, ſed nec ſiſtere vitia iracundiæ cognata, quæ pari cum illa cæcitate laborant, & adſimiliter irrationalia ſunt. Nemo iratus putat ſe iraſci ſine ratione; ſed nunquam iracundiam ratio dictauit. Ira irrationalis eſt; nec quis benè ſcit cùm iraſcitur; imò nec ſcit cui iraſcitur. Sic iracundia mentem inquietat, & interturbat rationem! *Vn hombre enojado, ni ſabe de que, ni con quien ſe enoja.* 1.

1. Regum 18. Cùm reuerteretur percuſſo Philiſthæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël, cantantes, choroſque ducentes in occurſum Saül regis, in tympanis lætitiæ, & ſiſtris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: *Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia. Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo iſte: dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt niſi ſolum regnum? Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illâ, & deinceps.* Miriſſimum planè 2. 1. Reg. 18. v. 7. 8. & 9.

Saül Dauidi iraſcitur, de eo, ſuper quo Dauid iraſci oporteret?

planè eſt, hominem alioqui ſtrenuum in re bellicâ, & vrbicâ politiâ; virum, inquam, Dei ad ſceptrum electione dignum; ſic iræ iracundia abſque vlla cauſsâ inſanire. Porrò benè & optimè actum cum Saüle eſt, cùm illum in triumpho adſciſcunt ad aliquam victoriæ partem, cuius exors erat. Sed vide mihi, cui iraſcatur iratus Saül. Præſtat id ex Chryſoſtomi ore potiùs audire. Sic fatur Chryſoſtomus ad præfata verba: *Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia. Iratus eſt autem Saul nimis..... Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid, &c. Etiam ſi hæc præter meritum Dauidis fuiſſent dicta, ne ſic quidem oportebat hoſtilem in eum agere animum. Nam ſi indignandum erat, Dauidem potiùs conueniebat indignari, qui cùm ſolus totum geſſiſſet, alterum haberet laudis participem. Verum vt donemus non rectè feciſſe mulieres, quid hoc ad Dauidem? Neque enim ipſe compoſuerat cantionem, neque eas iuſſerat dicere. Proindè etiam ſi indignandum erat, mulieribus oportuit indignari, non publicitùs de republicâ benemerito, & infinitis digno coronis.* Luculenter planè Chryſoſt. Verùm vt qui iraſcitur, ſine cauſa iraſcitur; ita cui iraſcendũ ſit prorsùs neſcit. Indignatur quia illi plus iuſto laudis in cantilenis tribuũt, illique attribuũt Dauidicæ gloriæ partem. Nec indignatur ei, qui cantilenam aut fingit, aut pangit; ſed ei duntaxat, cui tantùm gloriæ detrahitur, quantùm ipſi ad laudem adiicitur. Maiora veris de Saüle canticis prædicant, & Saül inde iraſcitur? Dauidicæ gloriæ & triumphi partem cum Saüle communicant, & Dauidi indignatur? ô iracundiæ amentiam. *Quien ſe enoja, aun no ſabe con quien ſe à de enojar,*

S. Chryſoſt. homil. de Dauid & Saül.

3. Geneſeos 4. Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola. Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Ad Cain vero & ad munera illius non reſpexit: *Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Et poſt Dei increpationem, & intentatas minas, ſi cordis machinationes opere expleat: *Dixit Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cùmque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Quam ob cauſam impius Cain iraſcitur? an quia Deo eius reiectanea munera minimè placent? Fortè ſatagit Cain, vt impius, & eius impietas Deo placeat: Quid tam à Numine alienum? Dei complacentiam pro ſuo nutu flectere & moderari expetit? ô inſaniam profanè impudentem! Sed eſto, iraſcendum illi erat; quare Cainus in Abelum iraſcitur? Quânam iniuriâ fratris iracundiam Abelus exacuit? An quia pius erat? Fortè aliena pietas, impietatis propriæ offenſa reputatur. An quia Deus, pietatis amator, opima Abelis munera acceptauit ad gratiam, & ſua reiecit ad ignominiam? Ergo aduerſus Deum indignetur, qui illum munerum repulsâ dehoneſtauit. In Abelum autem iraſci minimè oportet, quod inſana foret iracundiæ libido. Verùm ob Dei repulſam Cain *nimis iratus*, in Abelum innoxium inſanè indignatur. *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras, &c.* Quæ verba ſic ad rem expendit Chryſoſtomus: *Verba quidem fratri, mens autem homicida. Quid facis ô Cain? Neſcis cui loqueris? Non horret mens tua facinus? Quam ob rem in campum prouocas fratrem? Quid noui accidit, quòd nunc fratrem in campum trahis?* Scilicet iratus nec ſcit cur iraſcitur, & cui iraſcitur neſcit. Indignari ſcit, ſed in quem indignetur, ignorat. Iraſceris ob refutata à Deo tua munera reiectanea, & *fratrem in campum prouocas?* Neſcis cui loqueris, irà dementatus. *Quid noui accidit, quòd nunc fratrem in campum trahis?* Vides oculis turbulentę iracundiæ inſanam dementiam? Nec in quem indignetur noſcit iratus. *Desfogue ſu colera, y ſea con quien quiera. El mas innocente eſta menos ſeguro*: ô nimis verum!

Geneſ 4. v. 5. & 8.

Cainus ob Dei repulſã inſanè Abelo iraſcitur.

S. Chryſ. ibid.

Vides hîc iratum Noëmum, aduerte Cham impiè deliquiſſe, & Chanaan maledictione mulctaſſe. Quod in Noëmo fuit debellandæ Chanaanitidis prophetia, in aliis eſt iracundiæ amentis impotentia. Hic v. 25.

§. CXXV.

In acerbiſſimâ oppreſſione, nec gemere licet, nec Deum orare [illegible] iuuat?

1. PVLCHRE Seneca ex Demetrij gymnaſio eruditus, vitam ſecuram & ſine vllis Fortunæ incurſionibus, mare mortuum vocat; nilque habere dicit, ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione & incurſu firmitatem animi tui tentes: Porrò in otio inconcuſſo iacêre, non eſt tranquillitas, malacia eſt. Malo me Fortuna in caſtris ſuis, quàm in delicijs habeat. Torqueor, ſed fortiter, benè eſt: occidor, ſed fortiter, benè eſt. Contumaciſſimum quemque & rectiſſimum Fortuna aggreditur, aduerſus quem ſuam vim intentat. Ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. *Magnum exemplum niſi magna fortuna non inuenit.* Verùm diuturna & acerba calamitas, vel conſtantiæ domat contumaciam, & magnanimitatem ſæpè frangit, dùm tyrannica oppreſſione diu calamitoſum acerbiùs fatigat: nec ſinit gemitibus euaporare dolorem, aut precibus ærumnas vel voto auertere.

Seneca epiſt. 68.

Idem in lib. de Prouid.

2. Exod. 2. Dei populus duram ſeruit in Ægypto ſeruitutem, & ingenui homines velut viliſſima mancipia tractantur, dirâ Regum tyrannide, timore & inuidiâ armatâ. Dies noctéſque ſeruiunt irrequieto & infami labore, nec humana remedij ſpes affulget, nec diuina à miſeris aduocatur. *Poſt multum vero temporis mortuus eſt rex Ægypti: & ingemiſcentes filij Iſrael, propter opera vociferati ſunt: aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.* Quę Exodi verba his verbis ſubtiliter enucleat Rupertus Tuitienſis: *Quare dum viueret Pharao*

Curuſque ad mortem Pharaonis, nec gemunt, nec Deum orant Hebræi.

Exod. 2. v. 23.

Rupertus ibid.

rao non ingemuerunt, nec vociferati ſunt filij Iſrael ad Deum ſuum? Videlicet quia nimietas oppreſſionis ingemiſcere non ſinebat, vociferari prohibebat. Hoc vtique habet violenta tyrannorum vis, vt eis quos opprimunt, liberationem optare, pro criminoſa audacia & contumacia ſit. Non tantùm ſilenti ore ſed etiam corde tacito cogi ad tolerandum violentum regimen, & diram oppreſſionem, impudentis oppreſſoris faſtus eſt, & tyrannicæ gubernationis character. Gemitu Gubernatorem dehoneſtas, cui cogeris de miſeria illatâ lætanter gratulari. Parùm eſt, ſi acerbior calamitas, oppreſſi gemitus in gutture intercludat, nec permittat lachrymas foras erumpere; niſi ærumnarum etiam mole ſic miſerum exagitet & opprimat, vt nec miſeriarum leuamen à Deo petere menti occurrat. Sic diu dira patiendo mens exhauritur, vt nec ad obuium & expromptum orationis remedium animus exurgat? Nimia oppreſſio, ſicut conſternatio animi eſt, ita & leuaminis repudium, precum nouerca, & orationis abortus. Nec lachrymari ſinitur, nec gemere permittitur, nec ad Deum orare iuuat. Acerbior calamitas de nimietate impatientiæ leuamen recuſat, & vel remedij votum acerbitate præcludit. *Vn hombre apurado no tiene aliento aun para leuantar el coraçon à Dios, y pedirle remedio.* Vnde mortuo Pharaone, filij Iſraël palàm ingemiſcunt, & vociferantur ad Deum ſuum, oppreſſorum vindicem.

3. Ezechiel cap. 24. ſic aduerſus Hebræos prophetat: Hæc dicit Dominus Deus: *Ecce ego polluam ſanctuarium meum, ſuperbiam imperij veſtri, & deſiderabile oculorum veſtrorum.* Et cur prius deſtruitur & polluitur Hebræorum templum, in quo pia precum ambitione ſuperbiunt? Attentiùs aduerte ad verba quæ ſubdit Ezechiel, rei præſenti peridonea: *Filij veſtri, & filiæ veſtræ, quas reliquiſtis, gladio cadent. Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis.* Vide calamitatis magnitudinem. Priùs profanatur & diruitur ſacroſanctum Dei templum, Hebræorum ſacrarium, & in quo, quaſi in orationis domo, ſupererat calamitatis leuamen. Poſtea ait, Filij veſtri, & filiæ veſtræ gladio cadent; vos autem dira Babylonis captiuitate oppreſſi, conſueta doloris ſigna vel inſinuare non audebitis. Quaſi dicat: dum extremâ captiuitatis miſeriâ oppreſſi eſtis, nec opplorare licet, nec gemere, nec aliquale doloris ſignum edere; quin & veſtrum templum iam vobis profanatum & dirutum eſt; domus orationis corruit; nec ritè fundere preces vobis conceditur, quæ eſt ſumptuoſior miſeriæ exaggeratio. Quod inibi Theodoretus ſplendidè his verbis obſeruauit: *Sancto,* inquit, *templo profanato, & aliis malis oppreſſi, neque lamentandi facultatem conſequimini, neque vſitata vobis faciendi poteſtas conceditur, non capitis detegendi, non calceamentis pedes exuendi, non lachrymis dolorem leniendi, neque demum quicquam eorum, quæ vſitata ſunt faciendi.* Ecce tibi extremæ miſeriæ meta, Ægyptiacæ ſeruituti non diſſimilis: in quâ nec illachrymare, nec ingemiſcere facultas permittitur, nec vota ad Dei templum fundere datur. O calamitatis hyperbole! Nimis oppreſſo nec gemere licet ſub calamitatis mole; nec ad Deum preces fundere iuuat, polluto templo, & profanato orationis confugio. Quid ærumnoſius, quid excogitari poteſt calamitoſius?

Ezech. 24. v. 21. & 22. *Miſeris Hebræis nec gemere licuit, nec orare datur templo profanato.*

Theodoret. ibid.

Vnde hic verſ. 25. ob tantum ſcelus aduerſus patrem commiſſum, diræ ſeruituti addicitur Chami ſoboles; quam Gabaonitæ ærumnoſiſſimam experti ſunt. De quâ in lib. Ioſue, & in libb. Regum, & quam nec deprecari præſumpſerunt. Hic v. 25.

---

§ CXXVI.

Quod Moyſes Pharaoni ſuadere deſperat, inflictæ plagæ arcanè perſuadent.

Hævd minùs turpia ſunt Principi multa ſupplicia, quam medico multa funera. Sed contumax ſubditus, vt morbus, ſi blanda remedia non proſunt, ferro & igne domandus eſt. Crudelem medicum intemperans æger facit. Quin & bonis nocet, qui parcit malis. Imò & malis etiam nocet, qui ipſis parcit: nam crudum & agreſte ingenium acerbiori ſupplicio mitigatur, & eruditur, & de ſapientis pœnæ ſcholâ virtutem diſcit, improbitatem dediſcit. Qui verba non audit, audiet verbera, quæ mirè contumacia eruditur. 1. Seneca, ex Pub. Mim.

Exodi 5. Ingreſſi ſunt Moyſes & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto. *At ille reſpondit. Quis eſt Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* Scilicet Pharao dixit ſe prorsùs Deum Hebræorum ignorare: & Moyſen & Aaronem interrogat, quiſnam ſit, aiens: *Quis eſt Dominus?* Nonne è re Dei foret, vt ſapientiſſimi illi Magiſtri rudem crudâ ſuperbia diſcipulum, Pharaonem, inquam, edocerent ſcientiam de Deo? Quis tam opportunam nactus occaſionem, importunè dimittat? Fortè Moyſes & Aarō, etſi peritiſſimi doctores, alium ſe doctiorem Magiſtrum expectant, qui Pharaonem de cæli ſcholâ ſapienter erudiat. Ecquis hic tantus Magiſter, qui peritè Pharaonem doceat, quod Moyſes & Aaron Deo afflati, perſuadere non præſumunt? An plagæ, & verbera? Audiendus eſt Origenes, qui hâc ſuper re diſertiſſimè fatur: *Vides quid agit cruda ſuperbia? .... Nemo ergo ita ineruditus diuinæ ſit diſciplinæ, vt flagella diuina perniciem putet, & verbera Domini pœnalem credat interitum. Ecce Pharao durißimus, tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum neſcit, verberatus ſupplicari pro ſe Dominum rogat. Peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hâc vice, & rogate Dominum Deum veſtrum, &c.* ô cæleſtem à plagis, & verberibus ſapientiam! Nuper Pharao Deum prorsùs ignorabat,

2. Exod. 5. 2.

Qui plagis eruditur, de ſcientia tali ſapit.

Orig. ibi.

Exod. 10. 16.

bat, & arcano plagarum magiſterio confeſtim edoctus, non tantùm Deum, quem antè ignorabat, agnoſcit, ſed precariâ ſupplicatione propitiandum humillimè expetit. E cæli gymnaſio ſapit, qui rem Dei à plagis agnoſcit. Plagarum carnificina, facta eſt ſapientiæ diſciplina. Quod Moyſis ſapientia ſuadere non præſumpſit, inflictæ plagæ erudite perſuadent. Sic à Noëmo hîc impius Cham ſapientèr eruditur, duræ ſeruitutis plagâ repertâ. *Vexatio intellectum dabit auditui.*

Hic v. 25.
Iſaiæ 28. 19.

Threnorum 1. poſtquam in captiuitatem redactus eſt Iſraël, & Ieruſalem deſerta eſt, ſedit Ieremias propheta flens, & amaro animo ſuſpirans, & eiulans, inter alia, hæc dixit: *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.* Multa hîc adaggerant commentatores, vt hunc ignem in oſſa cælitus immiſſum clarent perſpicaciùs. Omnes tamen qui litteralem venantur ſenſum, etſi non eâdem viâ, de captiuitatis Babylonicæ ineluctabili calamitate vniuerſatim exponunt. Strabus Fuldenſis litteralem putat Paſchaſij expoſitionem, quam his verbis tradit: *De excelſo miſit ignem, &c. Id eſt, ſupernam vindictam. De quo in Iob dicitur: Ignis Dei deſcendit de cælo, &c. Ignem miſit, aereas, ſcilicet, poteſtates, quibus cruciandi Iudaos vſque hodie poteſtas eſt. In oſſibus meis, vt fortia ſcilicet, interiùs exteriùſque affligant, & ſic erudiantur, qui Deum blandientem audire noluerunt. Vnde addit: Et erudiuit me.* Scilicèt, qui Deum, Deive miniſtros audire detrectat, & doctrinâ cæleſti blandientes refutat, acerbioris ſupplicij eruditionem patietur. Sed quæ eſt iſta voraciſſimi ignis eruditio? An non ignis, inſenſile elementum eſt, ex-grex, dirum, inanime? Vnde tanta ſapientia rudi elemento ineſt? Putauerim, abſtruſam ignis ſapientiam, & erudiendi vim, non tam mutuare ab ingenio elementi, quàm à ratione ſupplicij. Bellè hunc Euſebius Emiſſenus: *Tarde* inquit, *nobis diſpli cebimus in eo, dicet ignis æternus, qui interrogabit oſſa, & medullas, & cogitationes noſtras.* Et poſt pauca: *Quantum adcreuerit culpa, tantùm ſibi ab homine vindicabit flamma rationabilis diſciplina.* Scilicet qui Deum blandientem audire noluerunt, audient voraces ignes fulminantem: De excelſo miſit pœnalem ignem in oſſibus meis, & erudiuit me, ait Propheta. Quia ignis ingenioſâ inquiſitione, *interrogabit oſſa, & medullas, & cogitationes noſtras, & rationabilis flamma diſciplinâ erudiet.* O, quis reſpondebit pœnali igni, dum contumaces erudit! ô, quis rationabilis flammę argumenta diſſoluet? ô tardè ſuſceptam flammæ diſciplinam!

3.
Thren. 1. 13.
Paſchaſ. apud Strab. ibi.
Iob 1. 16.
Rati nabilis ignis diſciplina, contumaces erudit.
Emiſſen. homil. 1. de Epiph.

Serò ſapit, qui de pœnæ eruditione ſapit. Sed qui reſpuit blandimenta adhortantis, ſentiet eruditionem excruciantis.

---

§ CXXVII.

Publicata infamia, fit ſæpè impudenter delinquendi licentia.

1\. BOni nominis iactura aut peſſimos inuenit, aut reddit; ſucciſa enim eſt emergendi pręſumptio, cui contigit famæ naufragium. O quoties publicatâ infamia facta eſt impietatis blandimentum, flagitiorum matrix; & ſcelerum promptuarium. Infrenis in vitia præcipitat, qui amittendi honoris habenis non ſiſtitur, quaſi diffamia ſit ſeruata vitiorum licentia, & fœcundum prauitatis conceptaculum.

2\. Ioannis 13. Chriſtus Deus Paſſioni proximus, in animo acerbè verſans infame, infidum, infandum traditoris Diſcipuli ſcelus; hæc inter cœnandum dixit: Amen, amen dico vobis: Quia vnus ex vobis tradet me. Aſpiciebant ergo adinuicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret: erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei: Quis eſt, de quo dicit? Itaque cùm recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu, dicit ei: Domine quis eſt? *Reſpondit Ieſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ. Et poſt buccellam introiuit in eum Satanas.* Quid, quæſo, ſalſamenti inerat offæ, quam ipſe Ieſus Iudæ porrexit, quæ ſic Diabolorum nequiſſimum allexit, vt totus è veſtigio Iudam occuparet? Dæmones etiam ſuas habent cupedias, in his etiam cibis, qui in Chriſti apponuntur conuiuio? ô Dæmonum guloſiſſime, quid te ineſcauit, vt ſic celer poſt buccellam Iudam occupares? Dilucidè S. Leo: *Cùmque*, inquit, *ſe à cibo alij, in quo indicium Dominus poſuerat, continerent, tu manum non retrahis à paropſide, quia animam non auertis à crimine. Secutum eſt itaque, vt, cùm traditori ſuo Dominus manifeſtiùs deſignando, panem porrexiſſet intinctum, totum Iudam diabolus occuparet.* Scilicet cùm proditio latebat, malignis inſtigationibus Iudam diabolus pulſabat; at mox vt ex Domini indicio ſcelus innotuit, & proditor euulgatus eſt; *cùm traditori ſuo Dominus manifeſtiùs deſignando, panem porrexiſſet intinctum, tunc*, tunc quidem, publicatâ iam manifeſtiùs infamiâ, *totum Iudam diabolus occupauit.* Vide quantùm in malitiâ profecerit, qui poſt infamiam diabolum habuit contubernalem? quaſi infamia hominem faciat Dæmonum domicilium, aut potiùs Tartarorum ſtabulum.

Poſt infamiam Iudas fit Dæmonum ſeruus, vel ſtabulum.
Ioan. 13. 26. & 27.
Leo ſerm. 7. de Paſſione.

3\. Ieſus Sirac Eccleſiaſtici 11. plura tradit documenta, ne impius malitiâ enutritus, in illa veteraſcat, & tandem concludit: *In fine hominis denudatio operum illius.* Verùm cùm pro *in fine*, Biblia Complutēſia legant *ἐν τελευτῇ*, ſic locum vertunt: *Conſummationem hominis, facit reuelatio operum eius.* Nempè ſic ad mores velitari iuuat; denudatio ſceleſtiſſimorum operum,

Eccl. 11. 29.
Denudatio ſcelerum conſummationē hominis facit.

operum, quæ homo fortunatè impius (de eo enim præceſſerat ſermo) perpetrauit, conſummationem illius facit. *En publicando ſu vida, dalle por rematado.* Quaſi ferè deſperata ſit reſipiſcẽtia hominis, cuius infamia vitiis blanditur, ſcelera ſubornat, & boni nominis iacturâ ad flagitia effronti audaciâ impudenter inſtigatur: *Conſummationem hominis facit denudatio operum eius.* Quod hic in Chamo exinceps

Hl. verſ. 25. flagitioſiſſimo cernimus.

Grande olim litigium exortum eſt inter fideles recèns ad fidem conuerſos. Porrò ex Iudæis Chriſtiani, cibis Moſaica lege vetitis ſcrupuloſius abſtinebant, & ſubſannabant nuper

Infamia vita ſpiritualis ſtrangulatur. Gentiles iam Chriſtianos: è contrario conuerſi Gentiles quaſi ſuperſtitioſos diffamabant e Iudaiſmo conuerſos. Contra quos ita ſcribit

Ad Rom. 14. v. 3. & 4. Apoſtolus ad Romanos 14. *Is, qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* Et mox ſubdit: *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Ad quæ Pauli verba ita

Chryſ. homil. 25. in ad Rom. ſcribit Chryſoſtomus, ſerpens ex infamiâ malum, his verbis exaggerans: *Non mediocriter autem rubore illum ſuffundit,* (quem infamat inquam) *cum illud dicit: ſi enim Deus;* inquit, *cum damnum feras, nihil intereà facit, quo modo non importunus es, qui infirmum & ſtrangulas, & improbè turbas?* Parùm foret, iactatam nuper fidelium diffamiam illos *improbe turbare*; niſi addidiſſet, boni nominis iacturâ *ſtrangulari.* Quis enim ſaluâ animæ vitâ, venenum deglutiat infamiæ? eâ enim ſuffocatur diffamati fides, ſpei vigor euiratur, charitatis tepeſcit ardor, & ſpiritualis vita ad ruinam ſtrangulata cadaueraſcit: nam *conſummationem hominis facit denudatio operum eius*, in vulgus probroſe ſparſa.

4. Matthæi 9. Ecce Princeps vnus acceſſit, & adorabat Ieſum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, & impone manum tuam ſuper eam, & viuet. Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius. Et cùm veniſſet Ieſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, di-

Matth. 9. 24. & 25. cebat: *Recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit..... Et cum eiecta eſſet turba, intrauit,*

Non mortuã ſed dormientem renũciat puellam, vt à peccatorũ morte reſurgat? *& tenuit manum eius. Et ſurrexit puella.* Non ſegniter laborant interpretes, vt declarent, quo vero ſenſu dixerit Chriſtus, *Non eſt mortua puella*; & quam ob cauſam, non eſſe mortuam; ſed dormientem pronunciauit. Anſelmus Laudunenſis, & Hugo Carenſis de morte peccati hæc verba in ſenſu morali argutè

Hugo ibi. exponunt. Sic fatur Hugo: *Cum veniſſet Ieſus in domum. Primò venit Dominus pulſando, prædicando, inſpirando per gratiam, & homine ceſſante à malis actibus. Et tenuit manum eius, manu potentiæ, & miſericordiæ. Et ſurrexit puella: & ambulabat, vt à ſceleribus ſurgat, & bonis operibus proficiat.* Nimirum cùm agitur de homine peccatis emortuo, ad animæ vitam reſuſcitando, moraliſſimè dictum eſt: *Non eſt mortua puella, ſed dormit.* Quaſi dicat, etſi quod attinet ad vitam corporis, tam facile mihi ſit, eam verè defunctam reſuſcitare, quàm à ſomno excitare; (qui eſt literalior ſenſus), tamen quoad vitam morum ſpectat, nolo vt mortua in peccatis pa-

lam ab omnibus reputetur; cenſeatur dormiens, potiùs quàm defuncta; putetur in virtute dormitans, non vitiis emortua: *Non eſt mortua puella, ſed dormit.* An Chriſtus priùs arcet infamiam, quaſi donandæ vitæ ſpiritualis impedimentum? Eſto, emortua ſit vitiis puella, ſed non ſit eius bona fama prorſus emortua, quò expromptiùs ad ſpiritualem vitam exurgat à peccatorum morte feliciter rediuiua.

Geneſeos 50. defuncto patre, aulicorum 5.

Geneſ. 50. 7. vicario ſuffragio, Ioſephus copiam eundi in Palæſtinam ad illum inhumandum extorquet à Pharaone: *Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu Terræ Ægypti.* Quorsùm omnes palatini ſummates eunt in Chananitidem cum Ioſe-

Chryſ. ibi. pho? Chryſoſtomus ſincerè putauit; *Officium declarat Ægyptios in honorem Ioſephi.* Verùm

Neuè na ſuſpici honorũ diſſimulatur. cum nuper Ioſephus Pharaoni dixiſſet: *Aſcendam, & ſepeliam patrem meum, ac reuertar,* conatus eſt metum adimere Pharaoni; (vt attentiùs aduertit Lipomanus, ſuſpicabatur enim

Lipom. in Catena ibi. Pharao, Ioſephum moliri itum ad patriam animo non redeundi in Ægyptum. Cùm ergo

Cautela diſſimulanda nimis eſt, ne infamia ius præuaricãdi faciat. ſuſpectus eſſet apud Pharaonem, prætextu officioſi & honorarij obſequij, & ſumptuoſioris comitatus, ex diſſimulato Pharaonis imperio, *ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu Terræ Ægypti.* Specie honoris, & auctoritatis obtentu ſagacior adhibetur cautela? ſplendidus etiam honor ſæpè infuſcatur cautelæ nubilo? Vel honores ſunt latebræ ſuſpicionum, & dedecoris latibulum? Sub nimis cauto Præfecto, nil cautelæ non obnoxium. Sed nota ad rem, quàm ſolerter Pharao non bonam de Ioſepho ſuſpicionem diſſimularit, ne fortè vel publicata cautela, defectionis ius faceret Ioſepho. Tegatur honore, inhonora alioqui cautio, nemóque putet ſuſpectum eſſe, ne animos deficiendi publicatæ cautelæ diffamia faciat. Honorari potius quàm deuenuſtari cenſeat ipſe, & Ægyptus tota, ne infamiæ tenuis rumaſculus ius faciat præuaricandi, néve dum Pharaõ falli timet, fallere doceat, & cautela ad defectionem ſuadeat.

---

§. CXXVIII.

Superiorum moleſta cenſura, ſubditorum amorem auertit.

ÆQVE ſubditum offendiſſe, quàm amaſſe periculoſum Superiori eſt. 1.

Amat aliquem ſingulariter? ſubditus amoris priuilegio, ſibi omnia licere præſumit, excuſſo Inſtituti iugo; quin & reliquorum odia aduerſus Superiorem concitantur, & vnius gratia, cæterorum conflat inuidiam. Offendit aliquem diſciplinæ coërcitione? Altè hæret animo pœnalis ſupplicij arundo; & reliquos metu territat, qui ſic culpari, & puniri formidant. Quiſquis communitatem ritè gubernat, plures exaſperet neceſſe eſt, hu-

Humana poteſtas, odioſa ſubditis eſt. mani ſpinoſitate regiminis. Principalis pote-

ſtas, obærata inuidiæ, & odio naſcitur vectigalis. Deuenuſtat beneuolentiæ artem, qui aſperitatibus ambit placere. Adeò vt nec Deus ipſe, omnia prouidentiſſimè gubernans, gubernandi inuidiam effugerit.

2. Geneſeos 28. Iacob maioratus priuilegio
Gen. 28. 21. ſubdolè potitus, fratris iras effugio declinat. Noctu cubat profugus ſub dio in campo, anxius, ne parentum ope deſtituto, ſ[illegible] peregrino deeſſent ad vitam neceſſaria. *Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè in domum patris mei: erit mihi Dominus in*
Quam ſit arduum imperantè vt Dominum, vt Deum venerari. *Deum*, &c. Magna inter commentatores oritur quæſtio, quid promiſerit Iacobus, dum vouit, ſi illi præſtò in omnibus diuinior adeſſet prouidentia, ſe Dominum habiturum in Deum. Quod acutus his verbis notauit Ca-
Caiet. ibi. ietanus. *Quæſtio hic mouetur de materia voti huius incongruà.... Iacob vouit ſe habiturum Deum in Deum, ad quod tenebatur ſine ſuo voto.* Nugatoria planè videtur hæc Iacobi promiſſio, quâ dum ſe Deo gratificari obſequentiùs promittit, vouet ſe Deum habiturum in Deum. Quid? ô Iacobe, ſi Deus hæc non præſtiterit tibi, auitum contemnes numen, & ad Gentium inaniſſima idola, deſertor patriæ religionis aufugies? Nutat hic fides Iacobi, qui veri numinis fidem in Hebræâ gente erat feliciter fundaturus? Verùm enimuerò ſi verba voti attentiùs emedullentur, neceſſariam in re imperij & obſequij eruditionem continent. Non enim ait, *Erit mihi Deus in Deum*, vt Caietanus putauit; ſed, vt Hieronymus peritiùs excripſit: *Erit mihi Dominus in Deum.* Quaſi dicat Iacobus: Etſi *Domini* perſonam agat, illum vt *Deum* venerabor, & eidem quaſi Deo ad nutum obſequar. Nempe agnatam ſubditorum aduerſus Dominos & rectores ingratiam deponam, & patrium numen, tametſi erga me ſe præbeat *Dominum*, vt *Deum* colam, obſequar, venerabor. Hanc lubet doctrinam ſponte ad Præſules deriuare. Videmus aliquando Præſules, qui vices Dei gerunt, non tam Patris, quàm Domini perſonam agere, & ſubditos veluti viles ſeruos & mancipia deſpotico imperio, & faſtuoſo ſupercilio tractare. Ait ergo Iacobus: quanquam Præſul Dei vices & perſonam gerens, mecum agat vt Dominus, nihilominùs ego illum venerabor vt Deum, vt Deo obſequar, & obſequio adteſtabor, me eundem, etſi Dominum, vt Deum colere, & Dei vocem in Domino audire. *Qui vos audit, me audit.* O nimis arduum, Præſulem faſtu Dominum, quaſi Deum habere, velut Deum audire, ac ſi Deus foret, obſequio venerari!

3. Geneſis 2. anacephalæoſin Moyſes faciens
Geneſ. 2. 4. totius opificij ſextiduo peracti, ita ſcribit: *Iſta ſunt generationes cæli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum &*
Obſequij cenſura ſubiectorum cultum & amorem auertit. *terram.* Quare cùm ſummus rerum opifex omnes creaturas, cæli & terræ vocabulo expreſſas, condidiſſe perhibeatur, *Dominus Deus* nuncupatur? Lipomanus ſic ſuper hâc quæſtione phi-
Lipom. ibi. loſophatur. *Hic primò nomen Dei ſacroſanctum & ineffabile ſcribitur* יְהוָה *Iehoua, Græcis dictum Tetragrammaton..... Docuit autem nos Moyſes duo Dei nomina, primò Deum, quem colimus fide, ſpe, & charitate; Dominum quoque cuius mandata obſeruamus.* Ne putes ſummum & vnum Numen caſu, & *Dominum*, & *Deum* dici. Dicitur *Deus* ſiue *Iehoua*, cum proponitur colendus & amandus. Appellatur etiam *Dominus*, quando ſublimi auctoritate, & imperiali voce mandata promulgat. Videlicet tam eſt difficile imperiosè iubentem venerari & diligere, vt ipſiſſimum, & vniſſimum Deum, qui ſe non potuit partiri, ſub diuerſis ſaltem nominibus velut diſtinctum proponat Moyſes, & imperia tradentem vt *Dominum*, & cultum & amores expetentem vt *Deum*: ô quàm eſt arduum, ſeuerè imperantem tenerè diligere! *Iehoua* cultum & amorem expetit; *Dominus* timorem & obſequium extorquet. Ergo conſultiſſimè ſeiungitur nomine, & quem ames, & cui obtemperes, vt vniſſimum Deum quodammodò non eundem nomine tenus exiſtimes, ſub aliis ſaltem nominibus vocabulo diuerſum, ne obſequij cenſura cultum & dilectionem auertat: aut amanda Dei bonitas ob expetitum obſequium, ſubiectorum alienat amorem aſperitate iubendi?

Hinc videas hic Chamum ſic alienatum Pa- Hic vers. 25.
tris animaduerſione, & mulctâ, vt paternam auerſatus domum, Caini ad inſtar profugus exerrarit in reliquam cognationem inſolenter pugnaciſſimus.

---

§. CXXIX.

Parentes, qui pro tuendo filio vltra vires non audent; & viuo filio parentum nomen perdunt, & ſuperſtite vtroque parente, filius nominatur pupillus.

PARENTIS nomen, beneuolentiæ meta, & amoris hyperbole eſt. Blandus eſt parentum affectus; ſed durus, acer, fortis, pugnax, inuictus, vt quem tenerè amat, audacter tueatur. Degenerat amor, quem diſcrimina terrent, qui periclitari non amat, ne quem amat, periclitetur, ſatis tutus in periculi ſui aſylo. Negat parentis vocabulum, qui intrepidus ingentia pro filio diſcrimina ſubire recuſat, vt ſuâ morte filij redimat vitam, piè temerario charitatis affectu. 1.

Exodi 2. ferale reſonat Pharaonis edictum, 2.
dum maſcula Hebræorum proles flumio damnatur, ob hoc ſolum crimen, quòd nata ſit. In- *Quare obſtetricum nomina tradantur, & nomen parentū Moyſis negligatur?*
ſolens planè facinus: quod Dei manus efformabant, Regis manus aquis obliterabant. Lex ſeruabatur, & natura mulctabatur: & ſiqua periculi redemptio, iudicio erat obnoxia. Fluuius partum inſidiis excipiebat, & matris aluo fluminis alueus ſuccedebat: *Egreſſus eſt poſt hæc* Exod. 2.
vir de domo Leui: & accepit vxorem ſtirpis ſuæ, v. 1. & 2.
quæ concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem, abſcondit tribus menſibus. Cùmque iam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam, &c. Vrbana facies & indoles Moyſis, ſic parentum ſauciauit amorem, vt eum à crudeli edicto ſeruare, eius parentes ſedulò procurarent. Sed cur parentum Moyſis nomina, ſacer

cet hiſtoriographus non prodidit? An non maximè condecebat hiſtoriæ decorum, vt magni Moyſis inclyti parentes proprio innoteſcerent vocabulo? quare præluſtria nomina ſilentio premuntur? Belliſſimè ad rem Rupertus Tuitienſis: *Notandum*, inquit, *quod vbi obſtetrices Deum timentes in ſacra Scriptura nominatæ ſunt, noluit, pro eo quod contra ſtatum velim prepoſuêre viro inutili*, (Pharaoni inquam) *dixit enim, Quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua; illic patrem & matrem Moyſis nominibus ſuis non expreſſit, ita dixiſſe contentus: Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui, accepit vxorem ſtirpis ſuæ.* Obſtetricum nomina honorario ſenſu conſcribit Scriptura, & magni Moyſis parentum conſpicua nomina, quaſi eo nomine erubeſceret, tectius diſſimulat? An id factum eſt, quia obſtetrices charitatis obſequium, Regis gratiæ prætulerunt? Sic Regum captandus coràm fauor, homines depriuat ac dementat, vt cum neglexiſſe, dignos efficiat, quorum nomina, neglectis maximi Prophetæ parentum nominibus, honoris cauſà inſculpantur in Bibliis, æternatura gloria? An quia hæ obſtetrices, etſi vili officio inhonoratæ, pientiores fuêre in extraneos contra Regis edictum, quàm Moyſis parentes erga proprium filium extiterunt? quò innoteſcat hominibus, quòd non à nobilitate, ſed à pietate cenſus nominis eſt, & nomenclaturæ glorioſum elogium. Scilicet prætulit ia alioqui nomina parentum Moyſis, referre erubeſcit, dum ferali Regis edictioni tandem obtemperantes, filij periculo proprium redimunt, ſæuiſque fluctibus infantem exponunt, ne ſeipſos ſæuitiæ Regis exponant. Poſtulabat [illegible] parentum amor, nominis ſuppreſſione mulctetur, & ſilenda nomina negligantur, quæ vt parcant ſibi, filio, etſi dolenter, non parcunt, non tam filij, quàm pietatis naufragio. Exinde obſtetrices piè audaces, propriis nominibus glorioſè efferuntur; & *patrem & matrem Moyſes nominibus ſuis non expreſſit*, dignâ ingratiæ pœnâ.

Rupert. ibi.

Exod. 1. v. 15.

Non à nobilitate, ſed à pietate cenſus nominis eſt.

3\. Pergit cum ſacro hiſtorico laudatus Rupertus, ad rem præſentem opportunus interpres. Trimeſtri ſpatio occultatur infans Moyſes, breui parentum beneuolentiâ. *Cùmque iam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice: poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis.* Ad quæ verba ſic fatur eleganter Rupertus: *Quantùm ad litteram fugitiua matris pietas, & dolenda inſinuatur ſedulitas, quia tutori Deo pupillum ſuum committebat.* Tenera matris pietas percharum infantulum vltra celare non poterat, & *fugitiua* dicitur? *Es cobarde el amor que no hace, aun mas de lo que puede.* Verus amor piè temerarius eſt, & ſupra vires audet. Dein ad rem nota, expoſitum morti infantem, adhuc ſuperſtite vtroque parente, dici *pupillum*, & Deum appellari *tutorem* deferri à parentibus filioli. Viuunt parentes, & qui periclitatur eorum filius, *pupillus*, id eſt, parentibus orbatus dicitur? Parentum nomine viduantur parentes, qui vt filium ſeruent vltra vires non audent. Puellus Moyſes, non à parentum morte, ſed à proprio periculo *pupillus* nuncupatur. Quaſi periculum, cui vel inuiti parentes filium exponunt, ſit parentum interitus, & necdum mortuo filio cenſeatur obiiſſe. Scilicet filiorum periculo tumulatur parens: & filium, etiam vltra vires non ſeruando, charum patris nomen deperdit; & filiolus *pupilli* vocabulum præmaturè acquirit. Sententioſè ergo dixit Rupertus, quod *fugitiua matris pietas tutori Deo pupillum ſuum committebat.*

Exod. 2. v. 3.
Rupertus ibi.

Amor, qui ſupra vires non audet, fugitiua charitas appellatur.

Cur Moyſes pupillus dicitur, ſuperſtite vtroque parente.

Nota cùm Cham, ſeu eius filius Chanaan hic ſeruitio ſubijcitur à Noe proprio patre mulctatur, Semi & Iapheti fratrem dici, non illius filium, quaſi nomen Patris tam acerbam mulctam [illegible] ceſſat. Sic Parentis vocabulum amori & beneficentiæ cognatum eſt? Hic v. 25.

§. CXXX.

Sollicitior Domini in ſeruos cura, apprimè commendatur, dilaudatur, exaggeratur.

MINVS eſt quàm ſeruus dominus, qui ſeruos timet: timet autem qui illis moderatè imperare neſcit, qui nimis moroſum, immitem, & crudelem ſe illis exhibet. Abiecta ſeruum fortuna nó illum ſic deiecit, vt humanitate exuerit. Seruus eſt, ſed homo tecum, & eiuſdem naturæ collega. Contubernalem puta, & amicum humilem. Dominorum humanitas, & poteſtatis moderatio, in conditione ſeruos, ingenuos reſculpit mores. Bello ciuili (ait Seneca) proſcriptum dominum ſeruus abſcondit, & cum annulos eius ſibi aptaſſet, ac veſtem induiſſet, ſpeculatoribus occurrit; nil ſe deprecari quò minùs imperata peragerent dixit, & ceruicem porrexit. *Quanti viri eſt, pro Domino eo tempore mori velle, quo erat rara fides, inueniri in publica perfidia fidelem; & cum præmia proditionis ingentia oſtenderentur, præmium fidei morte concupiſcere?* Heri comitas & moderatio, ſeruile elimat ingenium, & generoſos ingerit animos: ô amicos facilè parabiles! Sibi ſollicitè prouidit, qui ſeruis diligenter prouidet. Qui ingenuus eſt, vel ſeruos tractat ingenuè, & quia plus hero in ſeruos licet, ideo minus licere ſibi putat ad mulctam, magis ad humanitatem & veniam. 1.

Bonus famulus præmium fidei in hero, morte concupiſcit.

Seneca l. 3. de Benef. c. 25.

Matthæi 8. nobilis ille Centurio pro ſeruo legationem obit; non ſeruum ſpreuit per ægritudinem corpore tabeſcentem, nec ſerui contempſit afflictionem heri faſtu turgens; neque à curâ deſtitit, dum ipſe in curationis fontem incideret: inuentoque medico calamitatem denarrat, & ægrotationem tragicè exaggerat, vt humaniſſimo Chriſto commiſerationem excitet: *Domine*, inquit, *puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Etſi ſeruus, homo tamen eſt, inquit, qui morbo detinetur. Tu ne vile ſeruitium ſpectaueris, quin potiùs mali magnitudinem: paralyſi proſtratus eſt, & morbo vinctus: vinctus diſſolutione corporis grauiter torquetur; vt non mortuus diſſolutus, vtque mortuus deiectiſſimus eſt, mortiſque ærumnas in viuo circumfert corpore. Tam miſerabili dictione herus pro ſeruo Chriſtum allectabat. 2.

Matth. 8. v. 6 & 7.

Herus pro famulo ſanitatem rogâs, exorator eſt.

Quid igitur ad eum ſumma bonitas? *Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum.* Baſilius Seleuc. Orat. 19. Seleucus comptè quidem philoſophatur ſuper hâc præproperâ ſalutis ſponſione, adſpectu ad Chananææ repulſam. *Ego veniam, & curabo eum. Beneficentia*, inquit, *preces anteuertit. Quid ergo, dic mihi Domine, non parem animi promptitudinem in te nacta eſt Chananaa filia, etſi per matrem eadem deprecaretur? At illa rogans canum loco numeroque eſt, & portum quæritans fluctus experitur, & ad animi vulnus accedit voce increpitans. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus; hic prope ante ſupplicationem curationem reportat.* Matth. 15. v. 26. (audi rationem Baſilij ingenio digniſſimam) *Herus pro famulo rogans exorator fuit: mater pro filia rogitans tulit repulſam.* Quid tam hominibus cognatum, quàm matrem æſtuare in filiæ ærumnis? quàm incurabilem filiæ morbum, matrem voto & precibus deprecari? At herilem faſtum ſic deponi, ſic Dominum pro vili famulo angi, ita rarum, laudabile, & generoſum eſt, vt Chriſti attentior beneficentia, heri preces anteuertat, & prope ante ſupplicationem curationem merito reportet. Inde *mater pro filiâ rogitans, tulit repulſam; herus pro famulo rogans, exorator fuit.* Sic extraordinaria dominorum in ſeruos beneficentia, à Chriſto commendatur? Sic laudabile & generoſum eſt hominem in ſeruo, in famulo amicum conſiderare contubernalem! ô neceſſariam Domini eruditionem! Non dedidicit naturam ſeruirus: adhuc homo eſt; & humanitate dignior, quò indigniori fortunâ iactatur. Et tibi impendet eiuſdem fortunæ alea. Heu quàm miſerum foret diſcere ſeruire, qui diu eſt doctus moroſe & faſtuosè dominari?

Lucæ 11. Vt orationis fiduciam in hominibus
3. Chriſtus exacueret, hanc parabolam proponit: Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de viâ ad me, & non habeo quid ponam ante illum. *Et ille de intus reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi.* Valde impetrandi difficultatem exaggerat, aiens: *Noli mihi moleſtus eſſe*: nam preces importuno tempore fictæ, à volente etiam repulſam impetrant. Addit ad hæc: *Non poſſum ſurgere, & dare*: quibus verbis rogantis amici animum prorsùs deſpondere videtur, dum impoſſibile dicit quod rogatur. Sed exploremus negandi cauſſam, quàm alioqui liberalis & munificus ille amicus indigo & ſupplicanti amico offert: *Iam oſtium clauſum eſt; & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi.* Seruorum quies amicorum indigentiæ præferenda eſt? Puto, ſi in eodem cubili dormiebant famuli, vnà cùm Domino excitati erant à ſomni quiete: non ergo permoleſtum foret, vt ſeruuli è lectulo ſurgerent, & panes amico commodarent. Hicne amicus panum vſque adeo auarus, proponitur à Chriſto rogandus, quaſi liberalitatis idea, & beneficentiæ meta? Proponitur inquam, & iure quidem optimo proponitur: quippe qui tanti ducens nocturnam famulorum quietem, poſt diuturni laboris laſſitudinem; impoſſibile pronunciat cubantes inquietare ſeruulos; quorum tandem quietem liberalis interturbat. *Iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi. Non ergo* (ait Gloſſa) *aufert impetrandi licentiam, ſed vehementius accendit deſiderium orandi, oſtenſâ difficultate conſequendi.* Et tamen totam quam oſtendit conſequendi difficultatem, in eo verſatur, ne nocturnam famulorum interturbet quietem. Scilicet certat huius patris-familias liberalitas cum ſeruorum curâ; & licèt impoſſibile pronunciet ſeruos inquietare; tandem vincit beneficentiæ ſtudium; & famulorum diſpendio redimit liberalis amici vocabulum: nec ſeruulorum incommodum *aufert impetrandi licentiam, ſed oſtentat difficultatem conſequendi.* Quid exaggeratius?

Luc. 11. v. 7. *Famulorum curam cum ſublimiori liberalitate contendit.*

Gloſſa apud Catenâ ibi.

Seruum & famulum Semi & Iapheti hîc à Noëmo pronunciatur Chanaan; ſed fratrum ſeruus conſtituitur: vt cum ſeruum vident, fratrem agnoſcant, & quaſi germanum fratrem humaniſſimè tractent. Hic verſ. 25.

---

§. CXXXI.

Auguſtior Dei gloria, ſit glorioſius Iuſtorum præmium.

HOMO poſt primæui delicti præuaricationem, magna paſſionum conſenſione, ſæpe totus ſibi viuit, paucus reliquis, Deo nullus. 1.
Idololatriæ mancipatus, gulæ & ventris libidinibus diſtenditur, magnâ humanitatis, & deitatis iniuriâ. Sed natura ſe vindicat, dum clamat, noſtrum illud, non naturæ vitium eſſe. Nonne illa de nobis queri poteſt, & dicere: quid hoc eſt? Sine cupiditatibus vos in paradiſo genui, ſine timoribus, ſine perfidiâ, ſine luxu, ſine ſuperſtitione, ac ceteris paſſionibus, quæ vos ad terram incuruant, & à cælo auertunt. Verùm ne inoleſcat prætenſa malitia, in omni æuo prouidit Deus aliquos homines, (heu paucùlos!) qui in terris, non terræ, ſed cælo nati videantur; qui morituri ſibi, cælo naſcantur, Deo viuant, qui amandatis libidinis illecebris, & vitæ commoditatibus, quæſtuoſum ſibi lucrum putant, Deo, Deique gloriæ militare; qui proprij honoris benè prodigi, diuini quæſtuosè auari, vectigales fiant cælo, ingenti pietatis vſurâ.

Hic verſ. 26. Chamus per ridiculum paternæ crapulæ nuditatem prodit, quam auerſis 2
veſtigiis verecundè honeſtant Sem & Iaphetus. Ad ſe è ſomno redit Noëmus, & Chami impudentiam propheticâ maledictione caſtigat; pariterque Iapheti & Semi piam in patrem reuerentiam arcanâ benedictione ſublimat: Maledictus, inquit, Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Placidè autem conuerſus ad Semum, (ex cuius ſobole naſciturus erat Dei populus, & homo Deus, Chriſtus) hac illum benedictione auguſtè nobilitat: *Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius.* Fortè ſemiſopitus adhuc Noëmus, non ſatis apud ſe eſt. Semo benedicis, Patriarcharum maxime, age quod agis, Hic verſ. 26.
... quid

Nō Semus, ſed Sem. Dñus, benedicitur, quia Semi pietas auguſtè munerátur.

quid Deo nunc benedicis? Egregia Semi pietas commendanda erat, & larga benedictione augenda & muneranda, & Semi oblitus, Deus Semi benedicitur? Belliſſimè Chryſoſtomus [illegible] præfatam Semi benedictionem his verbis inibi illuſtrat: *Dixit quoque Benedictus Dominus Deus Sem. [illegible] Quando enim Deus [illegible] cur, tanto vberior [illegible] benedictio datur; propter quos ipſe benedicitur?* Scilicet [illegible], & Deo aſſi[illegible] tus plura ſignificat, quam videtur dicere. Earum eſt Semi ergo Deum pietas, vt vberiùs muneretur ſublimiori Dei ſui gloriâ, quàm [illegible] ſui ipſius benedictione. Meritorum Semi præmio augeatur honore Deus, & ſic [illegible] muneratum [illegible] pietas, qui [illegible] Dei gloriam ſic reputat ſuam, vt propter [illegible] velut cedat, quo illa Deus [illegible] cumulatius augeatur. [illegible] propter benedictionis piè facere videtur, quo diuinæ gloriæ negotietur vſuram. Sic meum pietatis [illegible], dum cedat Deo præmium meritorum. Non propriam ſui ipſius gloriam mercedis loco, ſed maiorem Dei gloriam in præmium exhibet. O Ignatiũ Semi [illegible] de charitate æmulum! An non tuum eſt illud præclarum ſtemma: *[illegible] ad maiorem gloriam Dei?* Exinde Deus & Semus benedictionis gloriam reciprocant: Semus Deum auget propter benedictionis gloriâ; & Deus ſeipſum Semo impendit, dum Deus Semi appellari non dedignatur: *Benedictus Dominus Deus Sem.*

Paulus Ieſu pro gloria factus, adeò propriæ gloriæ prodigus, Chriſti gloriam auarè vndecumque negotiatur, vt ſcripſerit ad Philippenſes: *Sed [illegible] ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.* Vides quàm anxie expectat Chriſtum Deum, ſiue per vitam, ſiue per mortem magnificare? audi quæ ſubdit: *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Non teneo communem Paulinæ ſententiæ expoſitionem, vt ſenſus ſit: Si viuo, Chriſti cauſſa viuo; ſi morior, meo commodo & lucro morior: quaſi ſibi, ſi ſuum commodum ſpectet, vtilius ſit mori; ſin Chriſti commodum ſpectet, vtilius ſit viuere. Sed in hâc expoſitione illud difficile eſt, quòd particula *enim* dat cauſam non propriè præcedentium, quod fieri in Scripturis [illegible] ſolet: tum vel maxime, quod Paulus [illegible] ſe agnoſcat, quod proprio commodo, non Chriſti gloriæ totum militet. Vnde noſter Cornelius noſter, vt erat ſagaci & erudito ingenio, & longa rerum peritiâ inſtructiſſimus vir, ſeriò cenſet, verba huius ſententiæ ab Apoſtolo eleganti cauſâ tranſpoſita fuiſſe, & ſupplendo præpoſitionem κατὰ, ſic ordinari debere: *Chriſtus mihi eſt in vitâ, & in morte lucrum.* Quaſi dicat Apoſtolus: *In omni fiducia*, id eſt, confidenter & libertate, & omni vitæ meæ actione *ſicut ſemper, & nunc magnificabitur*, id eſt, magnificabo, & quantâ poſſim maximâ gloriâ ſublimabo *Chriſtum in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.* Rationem reddit: *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*, id eſt, *Mihi enim Chriſtus & in vita, & in morte lucrum eſt.* Quia ſiue viuam, Chriſti gloriæ viuo; ſiue moriar, Chriſti gloriæ morior. ſiue viuam, ſiue moriar,

vnam Chriſti gloriâ negotiari exambio. Chriſtum, Chriſtique gloriam, ſiue ex vitâ, ſiue ex morte meâ, quaſi lucrum, aut lucroſum quæſtũ, auarus mercator exopto. *En vida y en muerte, la gloria de Christo es mi ganancia.* O bonum diuinæ gloriæ negotiatorem! Siue in mortis, ſiue in vitæ nundinis, Chriſti gloriam negotiari non ceſſat, id ſuum reputat lucrum, & bonam meritorum vſuram. O, Chriſto viue, quiſquis expetis Chriſto mori!

§ CXXXII

Sed maius faſtigium ruinæ inſidiatur.

INAVSPICATO ad homines felicitas venit, dum proſperior fortuna, quæ ad horam fidelis erat, diuturna mox infortunij præſagium eſt. Nemo fidat nimium [illegible]: non enim infelix duntaxat mæror planctum ciet, ſed profuſa etiam lætitia lachrymas exprimit, & diuerſiſſimis cauſis infelicitatem [illegible]. *Habet hoc natura corporis humani, vt pariter lacrymis & ex gaudio, & ex mœrore. Quoties enim vel cura aut lætitia, aut triſtitia animo [illegible] turpatur, oculi in lacrymas mox erumpunt*, inquit eleganter Chryſologus. Quis fidat gaudij cauſis, quæ lacrimas extorquent? Quis credat felicitati, quæ infelicitatem de proximo ominatur? 1. S. Chryſol. ſerm. 64.

Hic verſ. 27. euigilans Noë à vino, quo ſeſe infelix large ingurgitarat; & cognitâ Chami impia ratione & pietate Semi & Iapheti perſpecta, dira Chamo prophetice imprecatur: & poſtquam Semo benedixerat, hanc felicitatem Iapheto & apprecatur, & prædicit: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Conuenit inter expoſitores, qui Hebraicè legunt, pulchram in his verbis eſſe paronomaſiam, & alluſionem factam ad nomen Iaphet, à patre Noëmo benedicti. Porrò Iaphet, idem eſt, ac *dilatatio*, ſeu *dilatatus*, vt obſeruat mihi Lipomanus, & in litteram commentario adnotationis. Quaſi dicat Noëmus: *Dilatet Deus dilatatum*. O ſupernacaneum Noëmi votum! Quid neceſſe eſt, vt dudum dilatatus & magnus, & qui ſublime faſtigium in nomine ipſo præfert, denuò dilatetur, & magnus ſiat? Annon alia ſuppetebant bona, quibus magis Iaphet indigebat, & quæ illi poſſet feliciùs optare? Negligit, quæ non habet, & quæ vberrim præhabet, ardentiùs ſuſpirat? Ecqur omiſſis reliquis, dilatationem expetit dilatato? An quia humanâ ſublimitate magnus, caſum ſimilis impendet? Sic fortunæ inconſtantia humanas vices euariat, vt ſublimius faſtigium ſit ruinæ proximum, & altior ſublimitas, continuis decremento? Creſcendi meta, magnitudinis ſuæ mole grauis, facta eſt cadendi initium, & certum ruinæ prognoſticon. Vnde opportunè dicat Noëmus e cælo inſtinctus: *Dilatet Deus Iaphet*, ſeu *dilatatum*. Nam magnitudo decremento inſidiatur. Fortunæ rotam ſiſtit & figit hâc Benedictione Noëmus, & cùm felicior imperij dilatatio, ſinium contractionem minatur,

Chryſ. hom. 29. in Geneſ.

Cur Iaphet Dei gloriæ muneratur.

3.

Ad Philip. 1. v. 21.

Cur in gloria eſt Pauli lucrum.

Cornel.

2. Hic v. 27. Altior ſui iactura ruina inſidiatur.

Lipoman. Catena.

minatur, tunc, tunc maximè dum periculum imminet, periculo occurrit, & ampliorem dilatationem & fauſtè imprecatur, & feliciter prædicit, aiens: *Dilatet Deus dilatatum.*

3. Geneſeos 12. defuncto Thare patre, amplam eius hereditatem primogenij iure Abrahamus poſſidet; tunc dixit Dominus ad eum: *Egredere de terra tuâ, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi. Faciamque te in gentem magnã, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Confeſtim vocanti Deo obſequitur Abrahamus, & patriæ exul, cognatorum præſidio deſtitutus, paternâ hereditate vltro viduatus, peregrinus proficiſcitur in terram Chanaan, ſibi cælitùs promiſſam. *Cumque veniſſet in eam, pertranſiuit Abram terram vſque ad locum Sichem.* Nempe primus locus Terræ promiſſionis, qui Abrahamum excipit, & quem auſpicatò inhabitat Abrahamus, non ſine nominis ſacramento, *Sichem* nominatur. Porrò *Sichem*, vt litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè mihi notauit Anſelmus, idem eſt, ac *humerus*. Res profectò obſeruatione digniſſima. Cùm Abrahamus reliquit paternam domum & cenſum, & patriâ extorris, inter agreſtes nationes, inhumanas, efferas, barbaras peregrinatur vſque ad Terram promiſſionis, potius egebat *humeris* ad ſufferendas longæ & incertæ peregrinationis ærumnas; nec tunc, ſed cùm paradiſeam ſibi & poſteris promiſſam terram ingreditur, *humeris* donatur. Scilicet qui non donatur *humeris* ad ferendam multiplicem longæ peregrinationis calamitatem, *humeris* quamprimùm donatur, dum Terræ promiſſionis auſpicatur ingreſſum. Sic eſt difficile felicitatem ferre? Sic eſt arduum ſuſtinere fortunam totâ proſperitatis mole feliciter incumbentem? *Humeris* donetur felix neceſſe eſt? An potiùs in proſperioris fortunæ auſpicio, *humeris* roboratur, vt imminentia ferat infortunia, quæ felicior proſperitas felicibus ominatur? Fortunatus ſtatim *humeris* eget, non tam vt felicitatem ferat, quàm vt vicinam calamitatem ſuſtineat. Vnde Abrahamus nuper felix, *humeris* præproperè fulcitur ad impendentium felici ærumnarum tolerantiam. O caue tibi à proſperâ fortuna, certo infortunij præſagio.

Proptereà humeris donatur Abrahamus ad ferendum ærumnas felicitatis appendices.

Geneſ. 12. 6.

Anſelm. Laud. ibi.

§. CXXXIII.

Quàm ſit illuſtre, generoſum, & perfectum, plenariè quempiam ſuum adimplere officium.

1 AMBITIOSVS altam quærit ſedem, non quam obeundo munere impleat, ſed quam ſibi ſternat, & qua eius impleatur ambitio. Vir ſui officij totus, rarò inuenitur; ſuo muneri ſedulus, vigil, aſſiduus, expromptus, & reliquis occupationibus ſemper vacans, ne ſuâ vnquam vacet. *Vn hombre todo de ſu officio.* Hic, hic inquam, dignus eſt, qui ad ampliora munera aſcendat, benè adminiſtrato munere innixus. Geneſeos 40. bonus ſomniorum interpres Ioſeph, pincernarum Principi poſt triduum officio ſuo fore vt reſtituatur, prædicit his verbis. *Hæc eſt interpretatio ſomnij. Tres propagines, tres adhuc dies ſunt: poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum.* Pro eo *in gradum*, Hebraicè habetur עלכנך *hal cannè ca*, id eſt, *ſuper baſim*, quod Chaldæus vertit; *miniſterium*, vel *officium*. Scilicet cuiuſque officium, ipſius *baſis* eſt, quâ & ipſe fundatur, & reliqua illi incumbunt tanquam fulcimento. Ita ſedulò debet quiſque ſuum adminiſtrare munus, vt putet ſe totum illi incumbere, ab illóque ſuſtentari, ne ipſe labefcat & corruat. (O bonam officialium ſubſiſtentiam!) Qui officium ſuum negligit, nec ſolerter plenè exequi curat, planè nutat, caſuro ſimilis, deſtitutus officij ſubſiſtentiâ, & baſi miniſterij. Quiſquis ad ampliora munera aſcendere ſatagit, ſuper benè adminiſtrati officij ſui baſim ſuis fundet ſpes, & negotiationis arbitrium. nam miniſterium ſiue officium, *baſis* ſimul dicitur, & *gradus*. Nempe *baſis*, qua firmetur; *gradus*, quo de officio ſuo benemeritus, ſublimiùs aſcendat.

Officium cuiuſque eſt eius baſis & gradus.

Geneſ. 40. 12. & 13.

Officium cuiuſque eſt eius ſubſiſtentia.

2. Ioannis 21. Diſcipulis retia in mare mittentibus apparet Chriſtus. Dubiè tunc ab illis cognoſcitur. Ad nauigij dexteram mandat ſagenam ſpargi, & facilis obſequij artificio ingentem piſcium vim facilè cœperunt. Ioannes ſuſpicatus quod erat, innuit Petro, Dominum eſſe, qui è littore id ſuaſit. *Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunicâ ſuccinxit ſe, (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Ad quæ verba ſic eleganter addubitat Chryſologus, quo ſolet ingenij acumine: *Mirum fratres, & vere mirum, quia qui in naui nudatus eſt, in mare ſe demergit veſtitus.* Audi rei nouæ cauſam ſingularem. *Quia innocentia nunquam nuda eſt, & reatus ſemper refugit ad velamen. Denique ſicut Adam, ita & nunc Petrus poſt culpam ſuam geſſit tegere nuditatem: qui fuerant ambo vtique ante culpam ſanctâ nuditate veſtiti.* Nempe Petrus piſcator erat, & dum in naui ſuo piſcationis vacat officio, nudus incedit, ſtatum innocentiæ æmulatus: at dum in mare mergitur, ſuum intermittens officium, confeſtim veſtitur, ad velamen confugiens, ſicut Adam cùm delinquendo amiſit felicis innocentiæ ſtatum. Vnde mirum non eſt, quòd qui in naui nudatus eſt, in mare ſe demergit indutus. Nam tametſi quiſque veſtibus exui ſolitat, vt nudus ſe demergat in vndas, & aliàs ſemper veſtibus induatur: tamen vt exactior idea bonæ in proprio officio occupationis omnibus proponatur; qui in mare ſe veſtitus iactat (quod fieri non ſolet) in naui nudus in officio ſuo obeundo typicè incedit, quo eiuſmodi noua & arcana nuditate omnibus noteſcat, quòd dum quis in ſuo adminiſtrando munere ſolerter occupatur, felicem innocentiæ ſtatum, veſtitæ nuditatis ſymbolo feliciter æmulatur. Quid exaggeratius?

Ioan. 21. 7.

Chryſol. ſerm. 78.

Qui miniſterium ſuum implet, innocentiæ ſtatum æmulatur.

3. 2. ad Timoth. 4. præſagit Paulus exundantem Hæreticorum futuram colluuiem, & ſuum præmonet Timotheum, vt virtutis & doctrinæ aggere ſe muniat, & omni armet pietate, quâ impietatem exarmet. *Tu verò (inquit) vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Hæc videtur Paulinæ adhortatio

2. ad Tim. 4. 5.

Officium ſuum implere per ſeuerantia ...

adhortationis clauſula, cùm illud *ſobrius eſto*, nec ſit in Græco, nec in Syro, nec apud Ambroſium, Primaſium, Haymonem, & alios veteres, vt aduertunt Brugenſis & Cornelius, ne poſt illa quæ longe perfectiora ſunt: *Vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple*, frigidè videantur ſubiungi, *ſobrius eſto*. Nil ſuper hâc re decerno, nec res adeo grauis præſtrictim definienda eſt. Sed hunc ad præſens thema velitari iuuat, dum illud, *Miniſterium tuum imple*, adhortationis clauſula apud veteres Patres haberi videatur, ne decreſcat adhortatorius ſermo, ſed mirè creſcat adhortatæ perfectionis augmento. Audiendus eſt hâc ſuper re S. Anſelmus. *Hæretici* (ait) *reſpuunt veritatem Catholici dogmatis, & ſuſcipient fabulas errorum: ſed tu vigila prudenter attendendo veritatem, & repellendo omnem errorem: & in omnibus actibus labora.* Quid, quæſo, perfectiùs expeti poterat a Paulo, quàm in omnibus actibus laborare ſolerter? tamen pergit cum Paulo Anſelmus. *Et opus fac Euangeliſtæ, id eſt, Euangelici prædicatoris. Opus enim Euangeliſtæ eſt, bene viuere, & bene docere; moribus & verbis ſubditos inſtruere.* Profectò iam videtur expleta quantumuis piè audax ſanctitatis exhibendæ ambitio. Quid enim excogitari poteſt ſublimius, quàm in omnibus actibus ſtrenuè laborare, atque doctrinâ & moribus Euangeliſtam agere? Sed adhuc Anſelmus cum Paulo. *Miniſterium tuum, id eſt, tui officij imple, vt non ſit in aliquo vacuum a bona actione tua, ſed quicquid in eo debes agere, plenariè perficias.* Ecce tibi virtutem conſummatam, & perfectionis clauſulam, & ſanctitatis metam, quam præfigit Apoſtolus: *Miniſterium tuum, id eſt, tui officij imple, vt non ſit in aliquo vacuum à bonâ actione tuâ; ſed quicquid in eo debes agere, plenariè perficias.* Hiſpane diceres: *No ay virtud como hazer vno bien ſu officio.*

Anſelm. ibi.

4\. Quanquam Euangeliſtæ ore exceperint homines, illud Chriſtianæ fidei ſacramentum, quo Dei corporatio palam adſtruitur: *Verbum caro factum eſt*: mirari non deſinent, quas infirmitates humanas tam ſolerter Chriſtus exhibeat. Sub Samaritana ſitit, ſub Diabolo eſurit; cum Martha & Maria plorat, cum Apoſtolis in horto tædet; Herodem puer fugit, maria in nauigio tranat, æſtuat itineris labore; omnia hominum improperia præter peccatum, vltro amplexatus. Eſto, homo ſit; ſed verus etiam Deus eſt. An condecet verum Deum, tot tantaſque hominis contumelias pati? Quid neceſſe fuit verum Deum humanis improperiis tam contumelioſè ſubiici? Argutè de more Chryſologus, *Chriſtus ergo* (inquit) *ſi in ſuis manſiſſet virtutibus, commune cum hominibus nil haberet: & niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſusceptio.* Scilicet, *Verbum caro factum eſt*, etſi verus Deus Chriſtus verus etiam homo factus eſt: impleat ergo carnis ordinem. *Nam niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio.* Non enim haberetur ab hominibus verus homo, qui hominis munus non prorsûs impleret. *Aunque verdadero Dios, llena el officio y miniſterio de hombre.* Neque enim verum Deum dedecet tot tantaque ſuſceptæ humanitatis improperia; quandoquidem ſimul verus homo, hominis ordinem & officium perfectiùs impleret. Homo erat, tametſi Deus, nihil ergo humanum à ſe alienum putat; quominus plenariè hominis munus adimpleat. Sic eſt perfectum, ſublime, & generoſum, ſuum officium perfecte implere, vt Deum non dedeceat tot ſuſtinere contumelias, vt hominis officium, quod factus homo ſuſcepit, ſumptuoſius impleret. ô bonam hominibus eruditionem! Nihil vile, nil inhonorum; imo nihil non perfectum, & generoſum, in perfectâ officij adimpletione reperitur. Verus Deus apparet Chriſtus, dum non dedignatur ſuſceptæ carnis ſubire improperia, vt carnis ordinem, & hominis officium perfectiùs expleret.

Ioan. 1. v. 14. *Cur ſtupendum eſt, Deum arcanum vidimus, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio?*

Chryſol. ſerm. 50.

Dies Noe in hîc *repleti* dicuntur, an multiplex officium, ipſumque quam laborioſum, cui cœlitùs fuerat deſtinatus? vita Noemi, eius officium fuit. Nam poſtquam fecit omnia, quæ iuſſerat ei Deus, ſeruatis mundi reliquiis, & iterum mundo propagato, & verâ Dei religione inſtaurato, *Impleti ſunt omnes dies eius.* Hic verſ. 29.

§. CXXXIV.

Strenuos viros, quos viuentes contempſimus; mortuos, de abſentiâ magni æſtimamus, & ſerâ pœnitentiâ lugemus.

HVMANA gloria delicata res eſt; & facile citóque perditur, quod diu acquiſitum eſt. *Laus noua niſi oriatur, etiam vetus amittitur.* Vetuſtas, gloriæ nitor eſt, & ſtemmatum arrogantia. At ſæpè ipsâ atteritur vetuſtate, & longâ obliuione cadaueraſcit. Breuiſſimi æui humana gloria eſt: & quæ dum rebus præclarè geſtis nitet, aut inuidiæ liuore interſtinguitur, aut inertiâ deſidiæ non videtur, aut viſa indecorè contemnitur. Verùm cùm iam tam extinguitur, tunc micantiùs ſcintillat, oculóſque adſtantium excitat, vt de occaſus ſui funere homines ædiment; quod in fulgorum meridie deſpexerunt. Idoneo pabulo lucem fouere negligunt, quam extinctam lenocinantibus abſentiæ tenebris, ambitioſius lugent. *Hombre de gran talento, no ſe eſtiman, haſta que ſe pierden*: ô pernicioſam Gubernatorum politiam!

1\. Seneca ex Publ. Mim.

2\. 1. Regum 3. Heli ſummus Dei Sacerdos, & Hebræi populi Princeps; quem etſi priuatè probum, Deus electo Samuele reprobauit, & à principatus faſtigio vnà cum filiis deiecit: *Heli*, inquam, *iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* (Sic locum exſcribunt antiqua Biblia, & veteres commentatores exponunt.) Sententia planè difficilis ad litteram, & quam variis & miris modis interpretes vexant. Miſſa facio hæc, quæ difficilè in verba quadrant, quò ſciatur hunc locum ad

1\. Reg. 3. v. 2. & 3.

Heli non cernit accenſam, ſed extinctam lucernam.

ad mores fabricatum eſſe. Nicolaus Bonarch apud P. Marianam ſic tempeſtiue, & [illegible] te locum exponit. *Heli præ cæcitate non poterat quicquam videre præter lucernam, [illegible] extingueretur: quia tunc clarius & [illegible] ſentiunt.* O monſtroſum cæcitatis genus! lucernam ſplendentem non videt, & eandem cùm extinguitur, cernit? Ad fulgores cæcus eſt Heli, & ad extinctionem oculatus? ô [illegible] oculorum caliginem, cæce oculatam, quam merito ſuo hic Iſraelis princeps, à Deo reprobatus eſt, & à principatu deiectus? ô præmiſtrem non boni Gubernatoris ideam! Micantem in ſubditis lucem non vides, & iam extinctam cernis? Dotes [illegible] explicatus fulgores negligis, quaſi ad te non pertinere illos fouere, ſuper candelabrum attollere, vt diu omnibus luceant, & lucem, quouſque extincta ſit, non vidiſti? Heu caliginem Gubernatoribus agnatam! *[illegible] los [illegible] luzidos, haſta que en faltando, los [illegible] menos.* Perniciosa planè regiminis politia, de ſtudio ambitionis, aut de æmulationis ingenio! Præcaues, ne de tuâ æſtimatione tibi arrogantiùs blandiatur: time, ne de eius abſentia grande damnum reſpublica patiatur. Qui fatuosè caligat ad lucem [illegible] micantiùs fulgentem, de eius extinctione colliſurum ſentiet, quò extinctam videat, quam videre noluit lucentem. *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam antequam extingueretur.* Moraliſſimè quidem.

Iob 38. ſuas glorias ex mundialis machinæ opificio velut venditans Deus, comparatione ad humanam tenuitatem, ita ad Iobum fatur. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, &c. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina?* Varias huius loci expoſitiones vbertim tradunt dunt noſter Pineda, & Sanctius. Et ſane abſque [illegible] metaphorâ præfatas voces vſurpandas [illegible] interpretes, quibus ad [illegible] [illegible]. Inde pulchrè [illegible] *aſtra matutina*, dicuntur diuinas laudes [illegible]: Annon aſtra nocturna [illegible] ſplendent, et [illegible] tenebrarum [illegible] [illegible] fulgentius explicant, tota [illegible]: Profectò *[illegible] matutina* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], & auroræ aduentu languet eorum ſplendor, & iam iam tabeſcit, donec ſumptuoſo diei [illegible] tumuletur. Quare ergo dum non nocturna, ſed *matutina aſtra* modulatiùs diuinas laudes decantare dicuntur, quàdiu [illegible] ſuæ vicinus fulgor [illegible] ? [illegible] ad mores (an pariter [illegible], [illegible] examino, quod [illegible]) M. Didacus Aſtunica ex Eugubino: *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina. Omnes*, inquit, *ſtellas cæli præter Solem vocat aſtra matutina, quod matutino tempore à mortalibus cernantur.* Nocturno tempore, quando micantius totà lampade ſplendent, vix aſtra ab hominibus cernuntur; & cum tabeſcunt, & in occaſu ſuo funeſte tumulantur, tunc attentiùs videntur, & ad [illegible] ſui laudes ſuos excitant ſpectatores? ô, ſic caligant mortalium oculi, vt [illegible] Heli. *Non poterat videre lucernam antequam extingueretur.* Quid elegātius? *Quando lo pierden, entonces lo veen, y lo hechan menos.* O, præclaram vide, & foue lucem, ne quam lucentem negligis, extinctam videas, & ſerò viſam lugeas!

Ante diluuium cum ſuâ arca irridetur Noë: poſteà de crapula illuditur. Poſt mortem maximi apud omnes habitus eſt, adeò vt vel à Gentibus inter numina reponatur.

Nicolaus Bonarch apud Marianam.

Iob 38. 7.

Pineda. Sanctius.

Aſtunica.

Hic v. 29.

BENEDICTIO

BENEDICTIO TERTIA.

DE ABRAHAMO, ET ISAACA.

PRima & ſecunda Dei Benedictio, Adamo, & Noë exhibita, omni hominum generi vniuerſatim impenditur. Hæc tertia Benedictio ſpecialior eſt, & Abrahamum, atque Abrahamides; & Iſaacum, atque Iſaacidas copioſè felicitat: è quorum lectiſſimâ poſteritate ſpecialem ſibi populum elegit Deus; quem nunc præmaturè adornat in patribus; vt parentum virtutibus mores filiorum expoliat; & Maiorum ſuorum ſpebus, poſterorum adimpleat poſſeſſionem. Iunctim agimus (etſi in diuerſis ſcribatur Geneſeos capitibus) de Benedictione Abrahami & Iſaaci; quia quod cap. 12. Abrahamo promiſerat Deus, cap. 26. in ipſo, non in Iſmaële, implendum, Iſaaco pollicetur. Expediamus litteram, quò inde expeditiùs ad mores exſpatiemur.

EX

in Chananitidem, ait Moyſes, *Egreſſus itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus*, &c. Dominus autem in primâ vocatione non præcepit illi vt iret in terram Chanaan, ſed in terram à ſe poſtea deſignandam. Quando autem egreſſus eſt de Charan, dicitur perrexiſſe in Chanaanitidem, *ſicut præceperat ei Dominus*. Quod Sanctus Stephanus dixit: *Habitauit in Charan. Et inde poſtquam mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam, in quâ nunc vos habitatis.* Ergo vocante Deo, primùm exiit Abrahamus de Vr Chaldæorum, in terram ſibi à Deo demonſtrandam; poſtea demonſtratâ ſibi terrâ dum commoraretur in Charan, confeſtim ex ea egreſſus, ad illam peruenit, & in eâ peregrinatus eſt. Hæc, vt expedita ſunt, ſic & expediunt arduas difficultates, in quas ſe ingerunt oppoſitum opinantes. Moyſes ergo hic iunctim tradit geminam vocationem ſpectantem ad eundem finem. Super hac re legi poſſunt P. Bonfrerius, & Tirinus hîc, & Salianus an. m. 2108. qui eruditè & ſolidè, de more. *Bonfrer. Tirinus. Salian.*

Dixit. Eſt hyſterologia, *dixerat* inquam. Quia hæc prima verba continent primam Abrahæ euocationem. An hæc reuelata ſint Abrahamo per Angelum ſenſibili voce loquentem, an per ſomnium, an per ſpiritualem locutionem in mente, aut phantaſia? Scimus his modis Deum Prophetas alloqui. Putauerim per Angelum ſibi apparentem, id Abrahæ dictum: nam Stephanus ſuprà ait, *illi apparuiſſe Deum gloriæ*, id eſt, valdè glorioſum, vt abruptis tot vinculis, vocantem ſe expromptiùs ſequeretur. Egredere. Hebraïcè, לֶךְ־לְךָ *lek leka, vade tibi.* Modus loquendi Hebræis vſitatus. Hiſpanè, *Vete de aſiento.* De terra tva. De natali ſolo, de Vr, inquam, Chaldæâ. De cognatione, idololatrâ. De domo patris tvi. Non tantùm relinque domum ipſam, ſed domus incolas, patrem, vxorem, fratres, & cognationem omnem; niſi fortè vltrò te ſequi velint. Qvam monstrabo tibi. Ergo Deus primò euocans Abrahamum, nec locum quò eundum illi erat, nec vel nomen Chananitidis reuelauit, (ita Pererius, Rio, Bonfrerius,) ſed, *Exiit neſciens quò iret*, vt docet Apoſtolus ad Hebræos 11. verſ. 8. Vnde in Haran conſtitit Abrahamus, quia tunc ei intimata *Diuturna Abrahami in Haran commoratio.* *Pererius. Rio. Bonfrer. Ad Hebr.*

non fuerat profectio in Terram Chanaan, vt peritè aduertit Bonfrerius. Quot verò annis ibi conſtiterit Abrahamus; quouſque Thare eius patre mortuo, profectus fuit in Palæſtinam, non facile decernas. Illud indubium, diu ibi fuiſſe, quod diſertè tradit Achior Ammonitarum Dux, Iudith 5. v. 9. ſic enim ſcribitur in textu Græco: *Et adorauerunt Deum cæli*, (Thare, & Abraham) *Deum, quem agnouerant; & eiecerunt eos à facie deorum ſuorum, & fugerunt in Meſopotamiam, & habitauerunt ibi dies multos.* Profectò *dies multos*, diuturnam indicant commorationem in Haran. Concinit Achiori Moyſes, dum hîc v. 5. docet, Abrahamum ſecum tuliſſe omnem ſubſtantiam ſuam, *& animas, quas fecerat in Haran*, quo diuturna commoratio denotatur. Quinquennium aſſignari ſolet. Non abnuo. *Iudith.*

Faciamqve te in gentem magnam. Abrahæ, vxoris ſterilitate improli, poſteritas promittitur numeroſa, vera Dei religione, & Meſſiæ natiuitate prælustris. Benedicam tibi. Importat hæc Benedictio omnium bonorum affluentiam: & tacitè poſteritatem inſinuat, quæ in Bibliis Benedictionis nomine ſolet deſignari, aut Benedictioni annecti. Sic in 1. Benedictione, Geneſ. 1. verſ. 22. *Benedixitque eis, dicens: Creſcite, & multiplicamini*, & v. 28. *Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini*, & alibi ſæpè. Magnificabo nomen tvvm. Nominis celebritatem, & auguſtam gloriam toto orbe promittit Abrahamo, vt interpretatur Euſebius de Præparat. Euangel. l. 9. cap. 4. Quantum verò aſſecutus fuerit, nemo eſt qui non videat; cum antiqua & recentior ætas magno cum plauſu glorias buccinet Abrahami. Erisqve benedictvs. Hebraïcè, *Et ſis Benedictio*, abſtractum pro concreto, quæ eſt nota vberioris Benedictionis. Quaſi dicat Deus Abrahæ: Non tantùm eris Benedictus, ſed ipſa Benedictio. לֵךְ־לְךָ *2. Vers. 2. Cumulata Benedictio. Genes. Euſeb.*

Benedicam benedicentibvs tibi, &c. Benè de te merentibus benefaciam, & ſuppliciis mulctabo tibi maledicentes, quod ad perfectam pertinet amicitiam. In te benedicentvr vniversæ cognationes terræ. In ſemine, inquam, tuo, qui eſt Chriſtus. Solet in Scripturis alicui tribui, quod ei conuenit, non ratione ſui, ſed ratione alicuius ex poſteris, quod aduertit S. Chryſo *3. Vers. 3.*

Chryſoſt. S. Chryſoſtomus homil. 8. in Matthæũ, ex quo communiter interpretes. Quod perſpicuè apparebit in 6. Benedictione ſuper cap. 49. Geneſeos, vt interim alia loca omittam in re notiſſimâ. Itaque, *In te Benedicentur omnes cognationes terræ*, idem eſt, ac, *per te*. Per Chriſtum enim benedicentur, & gratiam, atque redemptionem accipiunt Gentes vniuerſæ. Ad Epheſ. Nam in Chriſto Ieſu Abrahæ filio, Pater Deus *Benedixit nos omni Benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*. Ad Epheſ. 1. v. 3. Conſule S. Auguſtinum lib. 16. de Ciuitate Dei, & Lipomanum in Catena. Quod autem τὸ *in* vſurpetur pro vocula *per*, copiosè probat P. Emanuel Sà in Scripturę phraſibus, verbo *in*, vbi plura conglobat, & ſpiſſat exempla. *In, pro per.* *P. Sà.*

Vers. 4. Sicvt præceperat ei Dominvs, cùm ſecundò illi apparuit, & iuſſit, vt pergeret in Chananitidem, relicta ciuitate Haran, vt exprimitur in textu. Alioquin ante quinquennium iam egreſſus fuerat de Vr Chaldæorum. Neque tunc illi intimatum fuerat, vt iret in Chananitidem; ſed vt exiret de Vr in terram ſibi poſteà demonſtrandam, vt nuper adnotabamus. Cùm autem Abrahamus reliquit oppidum Haran agebat ſeptuageſimum quintum annum, vt hîc exprimitur. Egreſſus eſt itaque Abrahamus, *Sicut præceperat ei Dominus*. Nil inquam, omiſit, nil mutauit, ad amuſſim Dei iuſſionem opere impleuit. Vnde perfectioris obedientiæ idea, inde nobis proponitur à S. Chryſoſtomo hîc homil. 31. & à S. Gregorio in Ezechielem homil. 15. vt moraliſſimè P. Rio aduertit. *Chryſoſt. Gregor. Rio.*

7.
Vers. 5. Tvlitqve Sarai vxorem svam, vt vxorem indiuiduam vitæ comitem. Et Lot filivm fratris svi. Nachor Abrahæ frater, qui iam relictâ Vr Chaldæorum vrbe, venerat in Harã, fratrem inde migrantem noluit comitari: & quia non euocabatur à Deo; & quia præſentis loci commoditas, vbertas, & ſalubritas ipſi admodum blandiretur. Et quidem veroſimile eſt, inibi multam iam ſubſtantiam acquiſiiſſe, ſicut & Abraham. Nihilominus iuit cum eo Lot tunc agens ſexageſimum ſextum annum, Sara verò eius ſoror, & Abrahæ vxor, ſexageſimum quintum, iuxta veriſimiliorem Chronologiam; quam nunc comprobare, nec vacat, nec iuuat. Celada *de Benedict. Patriarch.* *Lot non fuit adoptiuus Abrahæ filius.*

Putat Ioſephus ideo Lotum ſecutum fuiſſe patruum Abrahamum, quia cùm Sara eſſet ſterilis, Abrahamus eum adoptarat in filium. Quod indicare etiam videtur Chryſoſtomus homil. 31. Sed id meritò non probatur Saliano, & Pererio: quia Geneſeos 13. verſ. 8. Abrahamus eum appellat fratrem, non filium: tum etiam quia ſi conſtituiſſet eum heredem quaſi filium, non illum à ſe, quaſi alterius familiæ patrem, ſegregaſſet. Itaque Lot maluit cum patruo, & improle Abrahamo, & ſorore Sarâ pergere, quàm ſubſiſtere in Haran cum Nachore. *Ioſephus.* *S. Chryſoſt.* *Geneſ.*

Vniversamqve svbstantiam. 8.
Pecora intelligit *ſubſtantiæ* vocabulo, quibus patriarcharum diuitię olim conſtabant: tametſi poſſeſſionem auri & argenti etiam intelligi, nihil prohibet, vt habetur Geneſeos 13. verſ. 2. Et animas qvas fecerat. Animarum nomine non intelligit homines, nullos enim eòvſque genuerat Abrahamus, qui decem adhuc annos liberis caruit: Salianus an. m. 2114. n. 8. intelligit ſeruos & ancillas emptitias, & vernas ex illis magno numero natos. Cui multitudini comitum inferioris notæ fauet illud quod ſcribit Moyſes infrà cap. 14. de expeditis ad pugnam trecentis octodecim vernaculis ſuis. Sed præſtat aſſerere cũ P. Martino del Rio, illud, *animas quas fecerat*, generaliùs intelligendum eſſe, non homines duntaxat quos genuiſſent eius ſerui & ancillæ, ſed intelligendum eſſe, *animas, quas fecerat*, ſuas inquam, quas vel emendo, aut permutando, aut aliter comparauerat; vel ipſi genuerant, & educauerant ſibi: hoc eſt omnes ſerui & ancillæ Abrahæ & Lothi. Hebræis enim ſæpè *facere*, pro acquirere vſurpatur, id eſt, parare ſibi in dominium ſeu poſſeſſionem. Sic paſſim dicitur, *facere nomen*, *facere amicos*, & ſimilia: ſic *facere animas*, ſuas inquam. Anima ſynecdochicè ſumitur pro homine, pars pro toto, vt alias perſæpe. Hæc omnia Abrahamus ex Haran tulit in Chananæam. *Geneſ.* *Subſtantiæ nomine opes deſignantur.* *Salian.* *Animas facere, eſt eas acquirere.*

Vt irent. ſtabiliter permanſuri. In terram Chanaan. Bene notat P. Rio hîc, quòd Chanaan latè ſumitur in hoc loco. Scilicet pro toto terræ ſpatio, quod poſſidebant, qui ex Chanaan, quarto Chami filio orti ſunt, nempe pro Palæſtinâ, Phœnice & magnâ Arabiæ parte. *P. Rio.* *Terra Chanaan latè & strictè ſumitur.*

P Per

Quid igitur ad eum ſumma bonitas? *Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum.* Baſilius Seleucus (Seleuc. Orat. 19.) comptè quidem philoſophatur ſuper hâc præproperâ ſalutis ſponſione, adſpectu ad Chananææ repulſam. *Ego veniam, & curabo eum. Beneficentia*, inquit, *preces anteuertit. Quid ergo, dic mihi Domine, non parem animi promptitudinem in te nacta eſt Chananea filia, etſi per matrem eadem deprecaretur? At illa rogans canum loco numeroque eſt, & portum quaritans [illegible] experitur, & ad animi vulnus accedis voce increpitans. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus; hic prope ante ſupplicationem curationem reportat.* (Matth 15. v.26.) (audi rationem Baſilij ingenio digniſſimam) *Herus pro famulo rogans exorator fuit: mater pro filia rogitans tulit repulſam.* Quid tam hominibus cognatum, quàm matrem æſtuare in filiæ ærumnis? quàm incurabilem filiæ morbum, matrem voto & precibus deprecari? At herilem faſtum ſic deponi, ſic Dominum pro vili famulo angi, ita ratum, laudabile, & generoſum eſt, vt Chriſti attentior beneficentia, heri preces anteuerterat, & prope ante ſupplicationem curationem merito reportet. Inde *mater pro filiâ rogitans, tulit repulſam; herus pro famulo rogans, exorator fuit.* Sic extraordinaria dominorum in ſeruos beneficentia, à Chriſto commendatur? Sic laudabile & generoſum eſt hominem in ſeruo, in famulo amicum conſiderare contubernalem! ô neceſſariam Dominis eruditionem! Non dediſcit naturam ſeruitus: adhuc homo eſt; & humanitate dignior, quò indigniori fortunâ iactatur. Et tibi impendet eiuſdem fortunæ alea. Heu quàm miſerum foret diſcere ſeruire, qui diu eſt doctus moroſè & faſtuosè dominari?

Lucæ 11. Vt orationis fiduciam in hominibus Chriſtus exacueret, hanc parabolam proponit: Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de viâ ad me, & non habeo quid ponam ante illum. *Et ille de intus reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi.* (Lucæ 11. v.7. *Famulorum incommodum ſublimiori liberalitate contendit.*) Valde impetrandi difficultatem exaggerat, aiens: *Noli mihi moleſtus eſſe*: nam preces importuno tempore factæ, à volente etiam repulſam impetrant. Addit ad hæc: *Non poſſum ſurgere, & dare*: quibus verbis rogantis amici animum prorsùs deſpondere videtur, dum impoſſibile dicit quod rogatur. Sed exploremus negandi cauſſam, quàm alioqui liberalis & munificus ille amicus indigo & ſupplicanti amico offert: *Iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi* Seruorum quies amicorum indigentiæ præferenda eſt? Puto, ſi in eodem cubili dormiebant famuli, vna cùm Domino excitati erant à ſomni quiete: non ergo permoleſtum foret, vt famuli è lectulo ſurgerent, & panes amico commodarent. Hic ne amicus panum vſque adeo auarus, proponitur a Chriſto rogandus, quaſi liberalitatis idea, & beneficentiæ meta? Proponitur inquam, & iure quidem optimo proponitur: quippe qui tanti ducens nocturnam famulorum quietem, poſt diuturni laboris laſſitudinem, impoſſibile pronunciat cubantes inquietare ſeruulos; quorum tandem quietem liberalis interturbat. *Iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi. Non ergo* (ait Gloſſa) *aufert impetrandi licentiam, ſed vehementius accendit deſiderium orandi, oſtensâ difficultate conſequendi.* (Gloſſa apud Catenâ ibi.) Et tamen totam quam oſtendit conſequendi difficultatem, in eo verſatur, ne nocturnam famulorum interturbet quietem. Scilicet certat huius patris-familias liberalitas cum ſeruorum curâ; & licèt impoſſibile pronunciet ſeruos inquietare; tandem vincit beneficentiæ ſtudium; & famulorum diſpendio redimit liberalis amici vocabulum: nec ſeruulorum incommodum *aufert impetrandi licentiam, ſed oſtendit difficultatem conſequendi.* Quid exaggeratius?

Seruum & famulum Semi & Iapheti hîc à Noëmo pronunciatur Chanaan, ſed fratrum ſeruos conſtituerunt: vt cùm ſeruum videat, fratrem agnoſcant, & quaſi germanum fratrem humaniſſimè tractent. (Hic verſ. 25.)

---

§. CXXXI.

Auguſtior Dei gloria, ſit glorioſius Iuſtorum præmium

1. HOMO poſt primam delicti præuaricationem, magnâ paſſionum conſenſione, ſæpè totus ſibi viuit, pauens reliquis, Deo nullus. Idololatriæ mancipatus, gulæ & ventris libidinibus diſtenditur, magnâ humanitatis, & deitatis iniuriâ. Sed natura ſe vindicat, dum clamat, noſtrum illud, non naturæ vitium eſſe. Nonne illa de nobis queri poteſt, & dicere: quid hoc eſt? Sine cupiditatibus vos in paradiſo genui, ſine timoribus, ſine perfidiâ, ſine luxu, ſine ſuperſtitione, ac ceteris paſſionibus, quæ vos ad terram incuruant, & à cælo auertunt. Verum ne inolita præteriti ac maioria, in omni æuo prouidit Deus aliquos homines, (heu paucoſ!) qui in terris, non terræ, ſed cælo nati videantur; qui mortui ſibi, cælo naſcantur, Deo viuant, qui amandatis libidinis illecebris, & vitæ commoditatibus, quæſtuoſum ſibi lucrum putant, Deo, Deique gloriæ militare; qui proprij honoris benè prodigi, diuini quæſtuosè auari, vectigales fiant cælo, ingenti pietatis vſurâ.

2 Hîc verſ. 26. Chamus per ridiculum paternæ crapulæ nuditatem prodit, quam auerſis veſtigiis verecunde honeſtant Sem & Iaphetus. Ad ſe è ſomno redit Noemus, & Chami impudentiam propheticâ maledictione caſtigat; pariterque Iapheti & Semi piam in patrem reuerentiam arcanâ benedictione ſublimat: Maledictus, inquit, Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Placidè autem conuerſus ad Semum, (ex cuius ſobole naſciturus erat Dei populus, & homo Deus, Chriſtus) hac illum benedictione auguſte nobilitat: (*N. S. [illegible] Sem. [illegible] quæ [illegible] augu[illegible] muneratur.*) *Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius.* Forte ſemiſopitus adhuc Noemus, non ſatis apud ſe eſt. (Hic verſ. 26.) Semo benedicis, Patriarcharum maxime, age quod agis, [illegible] quid

quid Deo nunc benedicis? Egregia Semi pietas commendanda erat, & largâ benedictione augenda & remuneranda. & Semi oblitus, Deus Semi benedicitur? Belliſſimè Chryſoſtomus præfatam Semi benedictionem his verbis [illegible] illuſtrat: *Deinde que Benedictus Dominus Deus Sem. Hoc [illegible] te quas dixerat, [illegible] benedicere Sem [illegible] valdè benedixit illum. Quando enim Deus [illegible] euetur, tunc [illegible] dari, propter quos ipſe benedicitur.* Scilicet [illegible] & Deo aſſectus plura ſignificat, quàm videtur dicere. Eam [illegible] eſt Semi ergà Deum pietas, vt vberius [illegible] ſublimem Dei ſui gloriâ, quàm [illegible] ſui ipſius benedictione. Merito [illegible] Semi præmio augeatur honore Deus, & hic [illegible] munere [illegible] pieta[illegible], qui [illegible] gloriam ſic reputat ſuam, vt propriæ benedictioni [illegible] velut cedat, quo illa Deus [illegible] cumulatius augeatur. [illegible] propriæ benedictionis pie iacere videtur, quò diuinæ gloriæ negotietur vſuram. Sic meum pietatis [illegible], dum cedit Deo præmium meritorum. Non propriam ſui ipſius gloriam mercedis loco, [illegible] Dei gloriam in præmium [illegible] O Ignatiũ Semi patriarchæ de charitate æmulum! an non tuum eſt illud præclarum ſtemma: *Ignatius ad maiorem gloriam Dei?* Exinde Deus & Semus benedictionis gloriam reciprocant. Semus Deum auget propriæ benedictionis gloriâ; & Deus ſeipſum Semo impendit, dum Deus Semi appellari non dedignatur: *Benedictus Dominus Deus Sem.*

3. Paulus [illegible] gloriæ factus, adeò propriæ gloriæ prodigus, Chriſti gloriam auarè vndecumque negotiatur, vt ſcripſerit ad Philippenſes: *Sed [illegible] ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.* Vides quàm [illegible] expectat Chriſtum Deum, ſiue per vitam, ſiue per mortem magnificare? audi quæ ſubdit: *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Non [illegible] communem in Paulinæ ſententiæ expoſitionem, vt ſenſus ſit: Si viuo, Chriſti cauſſa viuo; ſi morior, meo commodo & lucro morior: quaſi ſibi, ſi ſuum commodum ſpectet, vtilius ſit mori; ſi Chriſti commodum ſpectet, vtilius ſit viuere. Sed in hâc expoſitione illud [illegible] eſt, quod [illegible] cula *enim* dat cauſam non proximè præcedentium; quod fieri in Scripturis [illegible]: tum vel maxime, quod Paulus aliquid in ſe agnoſcat, quod proprio commodo, non Chriſti gloriæ totum [illegible]. Vnde [illegible] Cornelius [illegible], vt erat ſagaci & erudito ingenio, & [illegible] peritiâ inſtructiſſimus vir, [illegible] verba huius ſententiæ ab Apoſtolo eleganter [illegible] tranſpoſita fuiſſe, & ſupplendo [illegible] ſic ordinari debere: *Chriſtus mihi [illegible] vitâ, & in morte lucrum.* Quaſi dicat Apoſtolus: *[illegible]* id eſt, [illegible] te, & omni vitæ meæ actione) *[illegible] ſemper, & [illegible] magnificabitur*, id eſt, magnificabo, & quantâ poſſim maximâ gloriâ ſublimabo *Chriſtum in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.* Rationem reddit: *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* id eſt, *Mihi enim Chriſtus [illegible] vita, & in morte lucrum eſt.* Quia ſiue viuam, Chriſti gloriæ viuo, ſiue moriar, Chriſti gloriæ morior: ſiue viuam, ſiue moriar,

vnam Chriſti gloriã negotiari exambio. Chriſtum, Chriſtique gloriam, ſiue ex vitâ, ſiue ex morte meâ, quaſi lucrum, aut lucroſum quæſtũ, auarus mercator exopto. *En vida y en muerte, la gloria de Chriſto es mi ganancia.* O bonum diuinæ gloriæ negotiatorem! Siue in mortis, ſiue in vitæ nundinis, Chriſti gloriam negotiari non ceſſat, id ſuum reputat lucrum, & bonam meritorum vſuram. O, Chriſto viue, quiſquis expetis Chriſto mori!

§ CXXXII

Sublimius faſtigium ruinæ inſidiatur.

1. INAVSPICATO ad homines felicitas venit, dum proſperior [illegible] ad [illegible] erat, diuturnioris [illegible] infortunij præſagium eſt. Nemo fidat nimium [illegible]: non enim infelix duntaxat mœror planctum ciet, ſed profuſa etiam lætitia lachrymas exprimit; & diuerſiſſimis cauſſis infelicitas [illegible]. *Habet hoc natura corporis humani, vt producat lacrymas [illegible] gaudij, vel mœroris. Quoties enim vel cor aut lætitia, aut triſtitia [illegible] impulerit, oculi [illegible] lacrymas mox [illegible]*, inquit eleganter Chryſologus. Quis fidat gaudij cauſſis, quæ lacrimas extorquent? Quis credat felicitati, quæ infelicitatem de proximo [illegible]?

2. Hic verſ. 27. euigilans Noë à vino, quo ſeſe inſcius [illegible]; & cognitâ Chami [illegible] irriſione, & pietate Sêmi & Iapheti perſpectâ, dira Chamo prophetice imprecatur: & poſtquam Semo benedixerat, hanc felicitatem Iapheto & apprecatur, & prædicit: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Conuenit inter expoſitores, qui Hebraicè legunt, pulchram in his verbis eſſe paronomaſiam, & alluſione factâ ad nomen Iaphet, à patre Noëmo benedici. Porrò Iaphet, idem eſt, ac *dilatatio*, ſeu *dilatatus*, vt obſeruat ibi Lipomanus, & in litteræ commentario adnotabamus. Quaſi dicat Noëmus: *Dilatet Deus dilatatum.* O ſuperuacaneum Noëmi votum! Quid neceſſe eſt, vt dudum dilatatus & magnus, & qui ſublime faſtigium in nomine ipſo præfert, denuò dilatetur, & magnus fiat? Annon alia ſuppetebant bona, quibus magis Iaphet indigebat, & quæ illi poſſet felicius optare? Negligit, quæ non habet, & quæ vberrim præhabet, ardentiùs ſuſpirat? Eccur omiſſis reliquis, dilatationem expetit dilatato? An quia humanâ ſublimitate magnus, caſuro ſimilis impendet? Sic fortunæ inconſtantia humanas vices euariat, vt ſublimius faſtigium ſit ruinæ proximum, & altior ſublimitas, continuus decremento? Creſcendi meta, magnitudinis ſuæ mole grauis, facta eſt cadendi initium, & certum ruinæ prognoſticon. Vnde opportunè dicit Noëmus [illegible] cælo inſtinctus: *Dilatet Deus Iaphet*, ſeu *dilatatum*. Nam magnitudo decremento inſidiatur. Fortunæ rotam ſiſtit & figit hac Benedictione Noëmus, & cùm felicior imperij dilatatio, ſimilem contractionem [illegible] minatur,

minatur, tunc, tunc maximè dum periculum imminet, periculo occurrit, & ampliorem dilatationem & fauſtè imprecatur, & feliciter prædicit, aiens: *Dilatet Deus dilatationem.*

3\. Geneſeos 12. defuncto Thare patre, amplam eius hereditatem primogenij iure Abrahamus poſſidet; tunc dixit Dominus ad eum: *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi. Faciámque te in gentem magnã, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Confeſtim vocanti Deo obſequitur Abrahamus, & patriæ exul, cognatorum præſidio deſtitutus, paternâ hereditate vltrò viduatus, peregrinus proficiſcitur in terram Chanaan, ſibi cælitùs promiſſam. *Cúmque veniſſet in eam, pertranſiuit Abram terram vſque ad locum Sichem.* Nempe primus locus Terræ promiſſionis, qui Abrahamum excipit, & quem auſpicatò inhabitat Abrahamus, non ſine nominis ſacramento *Sichem* nominatur. Porrò *Sichem*, vt litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè mihi notauit Anſelmus, idem eſt, ac *humerus*. Res profectò obſeruatione digniſſima. Cùm Abrahamus reliquit paternam domum & cenſum, & patriâ extorris, inter agreſtes nationes, inhumanas, efferas, barbaras peregrinatur vſque ad Terram promiſſionis, potius egebat *humeris* ad ſufferendas longæ & incertæ peregrinationis ærumnas; nec tunc, ſed cùm paradiſeam ſibi & poſteris promiſſam terram ingreditur, *humeris* donatur. Scilicet qui non donatur *humeris* ad ferendam multiplicem longæ peregrinationis calamitatem, *humeris* quamprimum donatur, dum Terræ promiſſionis auſpicatur ingreſſum. Sic eſt difficile felicitatem ferre? Sic eſt arduum ſuſtinere fortunam totâ proſperitatis mole feliciter incumbentem? *Humeris* donetur felix neceſſe eſt? An potiùs in proſperioris fortunæ auſpicio, *humeris* roboratur, vt imminentia ferat infortunia, quæ felicior proſperitas felicibus minatur? Fortunatus ſtatim *humeris* eget, non tam vt felicitatem ferat, quàm vt vicinam calamitatem ſuſtineat. Vnde Abrahamus nuper felix, *humeris* præproperè fulcitur ad impendentium felici ærumnarum tolerantiam. O caue tibi à proſperâ fortuna, certo infortunij præſagio.

Præproperè humeris donatur Abrahamus ad ferendum ærumnas felicitatis appendices.

Geneſ. 12. 6.

Anſelm. Laud. ibi.

§. CXXXIII.

Quàm ſit illuſtre, generoſum, & perfectum, plenariè quempiam ſuum adimplere officium.

1\. AMBITIOSVS altam quærit ſedem, non quam obeundo munere impleat, ſed quam ſibi ſternat, & qua eius impleatur ambitio. Vir ſui officij totus, rarò inuenitur; ſuo muneri ſedulus, vigil, aſſiduus, exprómptus, & reliquis occupationibus ſemper vacans, ne ſuâ vnquam vacet. *Vn hombre todo de ſu officio.* Hic, hic inquam, dignus eſt, qui ad amphora munera aſcendat, benè adminiſtrato munere innixus. Geneſeos 40. bonus ſomniorum interpres Ioſeph, pincernarum Principi poſt triduum officio ſuo fore vt reſtituatur, prædicit his verbis: *Hæc eſt interpretatio ſomnij. Tres propagines, tres adhuc dies ſunt: poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum.* Pro eo *in gradum*, Hebraicè habetur עלבנך *hal cannécha*, id eſt, *ſuper baſim*, quod Chaldæus vertit, *miniſterium, vel officium.* Scilicet cuiuſque officium, ipſius *baſis* eſt, quâ & ipſe fundatur, & reliqua illi incumbunt tanquam fulcimento. Ita ſedulo debet quiſque ſuum adminiſtrare munus, vt putet ſe totum illi incumbere, ab illóque ſuſtentari, ne ipſe labaſcat & corruat. (O bonam officialium ſubſiſtentiam!) Qui officium ſuum negligit, nec ſolerter plenè exequi curat; planè nutat, caſuro ſimilis, deſtitutus officij ſubſiſtentiâ, & baſi miniſterij. Quiſquis ad amphora munera aſcendere ſatagit, ſuper benè adminiſtrati officij ſui baſim ſuas fundet ſpes, & negotiationis arbitrium, nam miniſterium ſiue officium, *baſis* ſimul dicitur, & *gradus*. Nempe *baſis*, quâ ſitetur; *gradus*, quo de officio ſuo benemeritus, ſublimiùs aſcendat.

Officium cuiuſque eſt eius baſis, & gradus.

Geneſ. 40. v. 12. & 13.

Officium cuiuſque eſt eius ſubſiſtentia.

2\. Ioannis 21. Diſcipulis retia in mare mittentibus apparet Chriſtus. Dubiè tunc ab illis cognoſcitur. Ad nauigij dexteram mandat ſagenam ſpargi, & facilis obſequij artificio ingentem piſcium vim facile cœperunt. Ioannes ſuſpicatus quod erat, innuit Petro, Dominum eſſe, qui è littore id ſuaſit. *Simon Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt, tunicâ ſuccinxit ſe, (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.* Ad quæ verba ſic eleganter addubitat Chryſologus, quo ſolet ingenij acumine: *Mirum patres, & verè mirum, qui qui in naui nudatus eſt, in mare ſe demergit veſtitus.* Audi rei nouæ cauſam ſingularem. *Quia innocentia nunquam nuda eſt, & reatus ſemper refugit ad velamen. Denique ſicut Adam, ita & nunc Petrus poſt culpam ſuam quærit tegere nuditatem: qui fuerant ambo vtique ante culpam ſancta nuditate veſtiti.* Nempe Petrus piſcator erat, & dum in naui ſuo piſcationis vacat officio, nudus incedit, ſtatum innocentiæ æmulatus: at dum in mare mergitur, ſuum intermittens officium, confeſtim veſtitur, ad velamen confugiens, ſicut Adam, cum delinquendo amiſit felicis innocentiæ ſtatum. Vnde mirum non eſt, quòd *qui in naui nudatus eſt, in mare ſe demergit indutus.* Nam tametſi quiſque veſtibus exui ſolitat, vt nudus ſe demergat in vndas, & aliàs ſemper veſtibus induatur: tamen vt exactior idea bonæ in proprio officio occupationis omnibus proponatur; qui in mare ſe veſtitus iactat (quod fieri non ſolet) in naui nudus in officio ſuo obeundo typicè incedit, quo eiuſmodi noua & arcana nuditate omnibus noteſcat, quòd dum quis in ſuo adminiſtrando munere ſolerter occupatur, felicem innocentiæ ſtatum, veſtitæ nuditatis ſymbolo feliciter æmulatur. Quid exaggeratius?

Ioan. 21. 8.

Chryſol. ſerm. 78.

Qui miniſterium ſuum implet, innocentiæ ſtatum æmulatur.

3\. 2. ad Timoth. 4. præſagit Paulus exundantem Hæreticorum futuram colluuiem, & ſuum præmonet Timotheum, vt virtutis & doctrinæ aggere ſe muniat, & omni armet pietate, quâ impietatem exarmet. *Tu verò* (inquit) *vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Hæc videtur Paulinæ adhortatio

2\. ad Tim. 4. 5.

Officium ſuum implere perfectionis eſt.

adhortationis clauſula, cùm illud *Sobrius eſto*, nec ſit in Græco, nec in Syro, nec apud Ambroſium, Primaſium, Haymonem, & alios veteres, vt aduertunt Bragenſis & Cornelius, ne poſt illa quæ longè perfectiora ſunt: *Vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple*, frigidè videantur ſubiungi, *ſobrius eſto*. Nil ſuper hâc re decerno, nec res adeò grauis præſtructum definienda eſt. Sed hinc ad præſens thema velitari iuuat, dum illud, *Miniſterium tuum imple*, adhortationis clauſula apud veteres Patres haberi videatur, ne decreſcat adhortatorius ſermo, ſed mirè creſcat adhortatæ perfectionis augmento. Audiendus eſt hâc ſuper re S. Anſelmus. *Heretici (ait) reſpuent veritatem Catholici dogmatis, & ſuſcipient fabulas errorum: ſed tu vigila prudenter attendendo veritatem, & repellendo omnem errorem: & in omnibus actibus labora.* Quid, quæſo perfectiùs expeti poterat à Paulo, quàm in omnibus actibus laborare ſolerter? tamen pergit cum Paulo Anſelmus. *Et opus fac Euangeliſtæ, id eſt, Euangelici prædicatoris: Opus enim Euangeliſtæ eſt, benè viuere, & benè docere, moribus & verbis ſubditos inſtruere.* Profectò iam videtur expleta quantumuis pie audax ſanctitatis exhibendæ ambitio. Quid enim excogitari poteſt ſublimius, quàm in omnibus actibus ſtrenuè laborare, atque doctrinâ & moribus Euangeliſtam agere? Sed adhuc Anſelmus cum Paulo. *Miniſterium tuum, id eſt, tui officij imple, vt non ſit in aliquo vacuum à bona actione tua; ſed quicquid in eo debes agere, plenariè perficias.* Ecce tibi virtutem conſummatam, & perfectionis clauſulam, & ſanctitatis metam, quam præfigit Apoſtolus: *Miniſterium tuum, id eſt, tui officij imple, vt non ſit in aliquo vacuum à bonâ actione tuâ; ſed quicquid in eo debes agere, plenariè perficias.* Hiſpanè diceres: *No ay virtud como hacer vn hombre bien ſu officio.*

Anſelm. ibi.

4\. Quanquam Euangeliſtæ certè exceperint homines, illud ſanctiſſimæ fidei ſacramentum, quo Dei corporatura palam aſſeritur: *Verbum caro factum eſt*, mirari non deſinent quare infirmitates humanas tam ſolerter Chriſtus exhibeat. Sub Samaritanâ ſitit, ſub Diabolo eſurit; cum Martha & Mariâ plorat, cum Apoſtolis in horto tædet; Herodem puer fugit, marìa in nauigio tranat, æſtuat itineris labore; omnia hominum improperia præter peccatum, vltro amplexatus. Eſto, homo ſit; ſed verus etiam Deus eſt. An condecet verum Deum, tot tantaſque hominis contumelias pati? Quid neceſſe fuit verum Deum humanis improperiis tam contumelioſè ſubiici? Argutè de more Chryſologus, *Chriſtus ergo (inquit) ſi in ſuis manſiſſet virtutibus, commune cum hominibus nil haberet: & niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in eo eſſet otioſa ſuſceptio.* Scilicet, *verbum caro factum eſt*, etſi verus Deus Chriſtus verus etiam homo factus eſt: impleat ergo carnis ordinem. *Nam niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio.* Non enim haberetur ab hominibus verus homo, qui hominis munus non prorſùs impleret. *Aunque verdadero Dios, llena el officio y miniſterio de hombre.* Neque enim verum Deum dedecét tot tantaque ſuſceptæ humanitatis improperia; quandoquidem ſimul verus homo, hominis ordinem & officium perfectiùs impleret. Homo erat, tametſi Deus; nihil ergo humanum à ſe alienum putat; quominus plenariè hominis munus adimpleat. Sic eſt perfectum, ſublime, & generoſum, ſuum officium perfectè implere, vt Deum non dedeceat tot ſuſtinere contumelias, vt hominis officium, quod factus homo ſuſcepit, ſumptuoſius impleret: ô bonam hominibus eruditionem! Nihil vile, nil inhonorum; imo nihil non perfectum, & generoſum, in perfectâ officij adimpletione reperitur. Verus Deus apparet Chriſtus, dum non dedignatur ſuſceptæ carnis ſubire improperia, vt carnis ordinem, & hominis officium perfectè expleret.

Ioan. 1. v. 14. Chriſtus niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in eo eſſet otioſa ſuſceptio.

Chryſol. ſerm. 60.

Dies Noë in hâc *impleti* dicuntur, at multiplex onerum, ipſumque quàm laborioſum, cui celeſtis ruerat deſtinatus? vita Noemi, eius officium fuit. Non poſtquam fecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, ſeruatis mundi reliquiis, & iterùm mundo propagato, & verâ Dei religione inſtructo, *Impleti ſunt omnes dies eius.* Hic verſ. 29.

---

§ CXXXIV.

Strenuos viros, quos viuentes contempſimus; mortuos, de abſentia magni æſtimamus, & ſerâ pœnitentiâ lugemus.

1\. HVMANA gloria delicata res eſt; & facilè citóque perditur, quod diu acquiſitum eſt. *Laus noua niſi oriatur, etiam vetus amittitur.* Vetuſtas, gloriæ nitor eſt, & ſtemmatum arrogantia. At ſæpè ipſâ arroditur vetuſtate, & longâ obliuione cadaueraſcit. Breuiſſimi æui humana gloria eſt: & quæ dum rebus præclarè geſtis nitet, aut inuidiæ liuore interſtinguitur, aut inertiâ deſidiæ non videtur, aut viſa indecorè contemnitur. Verum cùm iam iam extinguitur, tunc micantiùs ſcintillat, oculóſque adſtantium excitat, vt de occaſus ſui funere homines æſtiment; quod in fulgorum meridie deſpexerunt. Idoneo pabulo lucem fouere negligunt, quam extinctam lenocinantibus abſentiæ tenebris, ambitioſius lugent. *Hombres de gran talento, no ſe eſtiman, haſta que ſe pierden:* ô pernicioſam Gubernatorum politiam! Seneca ex Publ. Mim.

2\. 1. Regum 3. Heli ſummus Dei Sacerdos, & Hebræi populi Princeps; quem etſi priuatè probum, Deus electo Samuele reprobauit, & à principatus faſtigio vnà cum filiis deiecit: *Heli*, inquam, *iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* (Sic locum exſcribunt antiqua Biblia, & veteres commentatores exponunt.) Sententia planè difficilis ad litteram, & quam variis & miris modis interpretes vexant. Miſſa facio hæc, quæ difficilè in verba quadrant, quò ſciatur hunc locum 1. Reg. 3. v. 2. & 3. Heli non cernit accenſam, ſed extinctam lucernam.

Nicolaus Bonarch[illegible] ad mores fabricatum eſſe. Nicolaus Bonarch apud P. M[illegible] nam ſic tempeſtiue, & [illegible] te locum exponit. *Heli præ cæcitate [illegible], [illegible] quicquam videre præter lucernam, [illegible], [illegible] extingueretur: quia tunc clarius [illegible] ſcintillas.* Ô monſtroſum cæcitatis genus! lucernam [illegible] ſplendet, non videt, & eandem cùm extinguitur, cernit? Ad fulgores cæcus eſt Heli, & ad extinctionem oculatus? ô [illegible] oculorum caligine[illegible], cæce oculorum, [illegible] merito ſuo hic Iſraelis princeps, à Deo reprobatus eſt, & à principatu deiectus? ô præmiſtrem non boni Gubernatoris ideam! Micantem in ſubditis lucem non vides, & iam extinctam cernis? Dotes naturæque explicatos fulgores negligis, quaſi ad te non pertineret illos fouere, ſuper candelabrum attollere, vt diu omnibus luceant; & lucem, quouſque extincta ſit, non vidiſti? Heu caliginem Gubernatoribus agnatam! *N[illegible] los talentos lucidos, [illegible] que en [illegible], los [illegible] menos.* Perniciosa planè regiminis politia, de ſtudio ambitionis, aut de æmulationis ingenio! Præcaues, ne de tuâ æſtimatione ſibi arrogantiùs blandiatur: time, ne de eius abſentia grande damnum reſpublica patiatur. Qui faſtuoſe caligat ad lucem micantius fulgentem, de eius extinctione collyrium ſentiet, quò extinctam videat, quam videre noluit lucentem. *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam antequam extingueretur.* Moraliſſimè quidem.

Iob. 38. 7. Iob 38. ſuas glorias ex mundialis machinæ opificio velut venditans Deus, comparatione ad humanam tenuitatem, ita ad Iobum fatur. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, &c. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina?*

Pineda. Sanctius. Varias huius loci expoſitiones vbertim tradunt noſter Pineda, & Sanctius. Et ſane abſque [illegible] metaphorâ præfatas voces vſurpandas [illegible] interpretes, quibus ad [illegible] [illegible]. Inde paſſim [illegible], [illegible] quæ *aſtra matutina*, [illegible] diuinas laudes [illegible]? Annon aſtra nocturna [illegible] ſplendent, [illegible] tenebrarum [illegible] [illegible] explicant, [illegible]? Profectò *aſtra matutina*, [illegible] more ſplendidiori [illegible], & auroræ aduentu languet eorum ſplendor, & iam iam tabeſcit, donec ſumptuoſo diei [illegible]. Quare ergo dum non nocturna, ſed *matutina aſtra* modulatiùs diuinas laudes decantare dicuntur, quæ in [illegible] ſuæ vicinus fulgor [illegible]? [illegible] ad mores (an pariter ad litteram, nunc non examino, quod intelligere cernimus) M. Didacus Aſtunica ex Euguſtino: *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina. Omnes*, inquit, *ſtellas cœli præter Solem vocat aſtra matutina, quod matutino tempore à mortalibus cernantur.* Nocturno tempore, quando micantius totâ lampade ſplendent, vix aſtra ab hominibus cernuntur; & cum tabeſcunt, & in occaſu ſuo funeſte tumulantur, tunc attentius videntur, & ad opitias ſui laudes ſuos excitant ſpectatores? ô, ſic caligant mortalium oculi, vt inſtar Heli, *Non poſſunt videre lucernam antequam extingueretur?* Quid elegantius? *Quando lo pierden, entonces lo ven, y lo hechan menos.* O, præclaram vide, & foue lucem, ne [illegible] quam lucentem negligis, extinctam videas, & ſerò viſam lugeas!

Hic v. 29. Ante diluuium cum ſuâ arcâ irridetur Noë: poſteà de crapulâ illuditur. Poſt mortem maximi apud omnes habitus eſt, adeò vt vel à [illegible] Gentibus inter numina reponatur.

BENEDICTIO

BENEDICTIO TERTIA.

DE ABRAHAMO, ET ISAACA.

PRima & ſecunda Dei Benedictio, Adamo, & Noë exhibita, omni hominum generi vniuerſatim impenditur. Hæc tertia Benedictio ſpecialior eſt, & Abrahamum, atque Abrahamides; & Iſaacum, atque Iſaacidas copioſè felicitat: è quorum lectiſſimâ poſteritate ſpecialem ſibi populum elegit Deus; quem nunc præmaturè adornat in patribus; vt parentum virtutibus mores filiorum expoliat; & Maiorum ſuorum ſpebus, poſterorum adimpleat poſſeſſionem. Iunctim agimus (etſi in diuerſis ſcribatur Geneſeos capitibus) de Benedictione Abrahami & Iſaaci; quia quod cap. 12. Abrahamo promiſerat Deus, cap. 26. in ipſo, non in Iſmaële, implendum, Iſaaco pollicetur. Expediamus litteram, quò inde expeditiùs ad mores exſpatiemur.

EX CAPITE XII.

GENESEOS.

1 DIXIT autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua, &
de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram,
quam monſtrabo tibi.
2 Faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magni-
ficabo nomen tuum, eriſque benedictus.
3 Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque
in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ.
4 Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot:
ſeptuaginta quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Haran.
5 Tulitque Sarai vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, vniuerſámque ſub-
ſtantiam, quam poſſederant, & animas, quas fecerant in Haran : & egreſſi
ſunt vt irent in terram Chanaan. Cùmque veniſſent in eam,
6 Pertranſiuit Abram terram vſque ad locum Sichem, vſque ad conuallem
illuſtrem : Chananæus autem tunc erat in terra.
7 Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc.
Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuit ei.
8 Et inde tranſgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit
ibi tabernaculum ſuum, ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai :
ædificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.
9 Perrexitque Abram vadens, & vltrà progrediens ad meridiem.

EX CAPITE XXVI.

GENESEOS.

1 ORTA autem fame ſuper terram, poſt eam ſterilitatem, quæ acci-
derat in diebus Abraham, abijt Iſaac ad Abimelech Regem Pa-
læſtinorum in Gerara.
2 Apparuitque ei Dominus, & ait : Ne deſcendas in Ægyptum,
ſed quieſce in terra quam dixero tibi.
3 Et peregrinare in eá, eróque tecum, & benedicam tibi: tibi enim, & ſemini tuo
dabo vniuerſas regiones has, complens iuramentum quod ſpopondi Abraham
patri tuo.
4 Et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, dabóque poſteris tuis vniuerſas
regiones has : & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ,
5 Eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta, & mandata
mea, & ceremonias, legéſque ſeruauerit.

COM

COMMENTARIVS
Litteralis in Cap. 12. à verſ. 1. vſque ad 10.

1. Vers. 1. DIXIT AVTEM DOMINVS AD ABRAM: EGREDERE, &c. Ardua in primis difficultas, & è quâ aliæ grauiſſimæ dependent, (de annis Tharæ, de natiuitate Abrahæ, de migratione in Chananitidem, de concordia cum Stephano, &c.) in præſcriptis latet verbis. Scilicet an duplex fuerit Abrahami vocatio, altera cùm eſſet in Vr Chaldæorum, vt inde proficiſceretur; altera, vt iam ſubſidens in Haran Meſopotamiæ vrbe, pergeret in terram Chanaan. Scio plures, ipſóſque grauiſſimos auctores cenſuiſſe ſemel tantùm vocatum fuiſſe Abrahamum: quod mihi ſemper difficile viſum, & adſpectu ad verba Stephani, Actorum 7. verſ. 2. & ad rem ipſam à Moyſe denarratam, & ad alias difficultates extricandas. Itaque geminam extitiſſe Abrahæ euocationem, ac proinde geminam profectionem veroſimilius eſt, & locupletes auctores tradunt. Diodorus, Sanctus Hieronymus in qq. Chryſoſtomus homil. 36. Abulenſis hic q. 18. Petrus Lombardus in cap. 11. ad Hebræos; & inibi P. Ribera, Ludouicus Yſtella, & Tirinus in Geneſ. Abbas Gagneius, & P. Sanctius in cap. 7. Actorum, P. Iacobus Salianus an. m. 2108. num. 5. qui allegat Gloſſam, Lyranum, Hugonem, & Adrichomium.

Gemina Abrahæ vocationis auctoritate probatur.

Actor.

2. Actor. 7. Solidior huius ſententiæ probatio petenda eſt ex S. Stephano Actorum 7. verſ. 2. qui Spiritu ſancto plenus, ita fatur adſpectu ad hanc Moyſis enarrationem: *Deus gloriæ*, inquit, *apparuit patri noſtro Abrahæ, cùm eſſet in Meſopotamiâ* (id eſt, in Chaldæâ, quæ eſt Borealior Meſopotamiâ, vt ipſe ſtatim explicat) *priùs quàm moraretur in Charan; & dixit ad illum: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ; & veni in terram, quam monſtrabo tibi. Tunc exijt de terrâ Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde, poſtquam mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam, in quâ nunc habitatis.* Ecce tibi perſpicuè denarrat Stephanus, in Chaldæâ Deum apparuiſſe Abrahamo, & exitum inde iuſſiſſe. Et mox patre Thare mortuo, à Deo, id eſt, ſuadente Deo, in Chananitidem fuiſſe tranſlatum. Vide etiam mihi, quàm aptè Stephanus Moyſi concinat: *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi.* Et infrà verſ. 4. *Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus.* Et profectus de Haran venit in terram Chanaan. Scilicet geminam euocationem, & profectionem conuoluit Moyſes, ſi penitiùs res inſpiciatur. Porrò illud *Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi*; non poteſt intelligi de euocatione ex Haran in Chananitidem: ſed de euocatione ex Vr Chaldæorum, vt perſpicuè explicuit S. Stephanus, & res ipſa id videtur exigere: nam exire de terrâ ſuâ, de cognatione ſuâ, & domo patris ſui, rectè conueniunt habitanti in Chaldæâ, non autem in Charan commoranti; nam ibi natus non eſt, nec illic exiuit de cognatione ſuâ, omnem enim cognationem ſuam ſecum tranſtulit: in Vr verò reliquit Nachor fratrem, & alios cognatos, illícque fuit domus Thare, non in Charan. Denique ibi dicitur illi: *Et vade in terram, quam monſtrabo tibi.* Ex Haran autem rectâ perrexit in Chananitidem cum vxore, & nepote Lot.

Idem probatur ex S. Stephani diſertis verbis.

Hic verſ. 5.

Quin & ex his verbis ſecunda etiam euocatio adſtruitur. Nam cùm Abrahamus exiuit de terrâ ſuâ, & cognatione ſuâ, & domo patris ſui, dictum illi non fuit, quònam iturus erat. Vnde exiens ex Vr cum patre Thare, & totâ familiâ ſubſiſtit in Charan, expectans aliam apparitionem illi præfatis verbis promiſſam: *Vade*, inquit, *in terram, quam monſtrabo tibi*: quæ demonſtrata videtur in Charan; nam inde pergens in 3.

Adſtruitur ſecunda vocatio in Haran facta.

in Chananitidem, ait Moyſes, *Egreſſus itaque Abraham, ſicut præceperat ei Dominus*, &c. Dominus autem in primâ vocatione non præcepit illi vt iret in terram Chanaan, ſed in terram à ſe poſtea deſignandam. Quando autem egreſſus eſt de Charan, dicitur perrexiſſe in Chanaanitidem, *ſicut præceperat ei Dominus.* Quod Sanctus Stephanus dixit: *Habitauit in Charan. Et inde poſtquam mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua nunc vos habitatis.* Ergo vocante Deo, primùm exiit Abrahamus de Vr Chaldæorum, in terram ſibi à Deo demonſtrandam; poſtea demonſtratâ ſibi terrâ dum commoraretur in Charan, confeſtim ex ea egreſſus, ad illam peruenit, & in eâ peregrinatus eſt. Hæc, vt expedita ſunt, ſic & expediunt arduas difficultates, in quas ſe ingerunt oppoſitum opinantes. Moyſes ergo hîc iunctim tradit geminam vocationem ſpectantem ad eundem finem. Super hac re legi poſſunt P. Bonfrerius, & Tirinus hîc, & Salianus an. m. 2108. qui eruditè & ſolidè; de more.

Bonfrer. Tirinus. Salian.

DIXIT. Eſt hyſterologia; *dixerat* inquam. Quia hæc prima verba continent primam Abrahæ euocationem. An hæc reuelata ſint Abrahamo per Angelum ſenſibili voce loquentem, an per ſomnium, an per ſpiritualem locutionem in mente, aut phantaſia? Scimus his modis Deum Prophetas alloqui. Putauerim per Angelum ſibi apparentem, id Abrahæ dictum: nam Stephanus ſuprà ait, *illi apparuiſſe Deum gloriæ.* id eſt, valdè glorioſum, vt abruptis tot vinculis, vocantem ſe expromptiùs ſequeretur. EGREDERE. Hebraïcè, לך־לך *lek leka, vade tibi.* Modus loquendi Hebræis vſitatus. Hiſpanè, *Vete de aſiento.* DE TERRA TVA. De natali ſolo, de Vr, inquam, Chaldæâ. DE COGNATIONE, idololatrâ. DE DOMO PATRIS TVI. Non tantùm relinque domum ipſam, ſed domus incolas, patrem, vxorem, fratres, & cognationem omnem; niſi fortè vltrò te ſequi velint. QVAM MONSTRABO TIBI. Ergo Deus primò euocans Abrahamum, nec locum quò eundum illi erat, nec vel nomen Chananitidis reuelauit, (ita Pererius, Rio, Bonfrerius,) ſed, *Exijt neſciens quò iret*, vt docet Apoſtolus ad Hebræos 11. verſ. 8. Vnde in Haran conſtitit Abrahamus, quia tunc ei intimata

Diuturna Abrahami in Haran commoratio.

Pererius. Rio. Bonfrer. Ad Hebr.

non fuerat profectio in Terram Chanaan; vt peritè aduertit Bonfrerius. Quot verò annis ibi conſtiterit Abrahamus; quouſque Thare eius patre mortuo, profectus fuit in Palæſtinam, non facilè decernas. Illud indubium, diu ibi fuiſſe, quod diſertè tradit Achior Ammonitarum Dux, Iudith 5. v. 9. ſic enim ſcribitur in textu Græco: *Et adorauerunt Deum cæli,* (Thare, & Abraham) *Deum, quem agnouerant; & eiecerunt eos à facie deorum ſuorum, & fugerunt in Meſopotamiam, & habitauerunt ibi dies multos.* Profectò *dies multos*, diuturnam indicant commorationem in Haran. Concinit Achiori Moyſes, dum hic v. 5. docet, Abrahamum ſecum tuliſſe omnem ſubſtantiam ſuam, *& animas, quas fecerat in Haran*, quo diuturna commoratio denotatur. Quinquennium aſſignari ſolet. Non abnuo.

Iudith.

FACIAMQVE TE IN GENTEM MAGNAM. Abrahæ, vxoris ſterilitate improli, poſteritas promittitur numeroſa, vera Dei religione, & Meſſiæ natiuitate prælustris. BENEDICAM TIBI. Importat hæc Benedictio omnium bonorum affluentiam: & tacitè poſteritatem inſinuat, quæ in Bibliis Benedictionis nomine ſolet deſignari, aut Benedictioni annecti. Sic in 1. Benedictione, Geneſ. 1. verſ. 22. *Benedixitque eis, dicens: Creſcite, & multiplicamini,* & v. 28. *Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini*, & alibi ſæpè. MAGNIFICABO NOMEN TVVM. Nominis celebritatem, & auguſtam gloriam toto orbe promittit Abrahamo, vt interpretatur Euſebius de Præparat Euangel. l. 9. cap. 4. Quantam verò aſſecutus fuerit, nemo eſt qui non videat; cum antiqua & recentior ætas magno cum plauſu glorias buccinet Abrahami. ERISQVE BENEDICTVS. Hebraïcè, *Et ſis Benedictio*, abſtractum pro concreto, quæ eſt nota vberioris Benedictionis. Quaſi dicat Deus Abrahæ: Non tantùm eris Benedictus, ſed ipſa Benedictio. לך־לך

5. VERS. 2. *Copia Abrahæ Benedictio.*

Geneſ.

Euſeb.

BENEDICAM BENEDICENTIBVS TIBI, &c. Benè de te merentibus benefaciam, & ſuppliciis mulctabo tibi maledicentes, quod ad perfectam pertinet amicitiam. IN TE BENEDICENTVR VNIVERSÆ COGNATIONES TERRÆ. In ſemine, inquam, tuo, qui eſt Chriſtus. Solet in Scripturis alicui tribui, quod ei conuenit, non ratione ſui, ſed ratione alicuius ex poſteris, quod aduertit S. Chryſo

3. VERS. 3.

Chryſoſt.

S. Chryſoſtomus homil. 8. in Matthæũ, ex quo communiter interpretes. Quod perſpicuè apparebit in 6. Benedictione ſuper cap. 49. Geneſeos, vt interim alia loca omittam in re notiſſimâ. Itaque, *In te Benedicentur omnes cognationes terræ*, idem eſt, ac, *per te*. Per Chriſtum enim benedicentur, & gratiam, atque redemptionem accipiunt Gentes vniuerſæ. Nam in Chriſto Ieſu Abrahæ filio, Pater Deus *Benedixit nos omni Benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Ad Epheſ. 1. v. 3. Conſule S. Auguſtinum lib. 16. de Ciuitate Dei; & Lipomanum in Catena. Quod autem τὸ *in* vſurpetur pro vocula *per*, copiosè probat P. Emanuel Sà in Scripturę phraſibus, verbo *in*, vbi plura conglobat, & ſpiſſat exempla.

Ad Epheſ.

In, pro per.

P. Sà.

VERS. 4. SICVT PRÆCEPERAT EI DOMINVS, cùm ſecundò illi apparuit, & iuſſit, vt pergeret in Chananitidem, relicta ciuitate Haran, vt exprimitur in textu. Alioquin ante quinquennium iam egreſſus fuerat de Vr Chaldæorum. Neque tunc illi intimatum fuerat, vt iret in Chananitidem; ſed vt exiret de Vr in terram ſibi poſteà demonſtrandam, vt nuper adnotabamus. Cùm autem Abrahamus reliquit oppidum Haran agebat ſeptuageſimum quintum annum, vt hîc exprimitur. Egreſſus eſt itaque Abrahamus, *Sicut præceperat ei Dominus*. Nil inquam, omiſit, nil mutauit, ad amuſſim Dei iuſſionem opere impleuit. Vnde perfectioris obedientiæ idea, inde nobis proponitur à S. Chryſoſtomo hîc homil. 31. & à S. Gregorio in Ezechielem homil. 15. vt moraliſſimè P. Rio aduertit.

Chryſoſt. Gregor. Rio.

VERS. 5. TVLITQVE SARAI VXOREM SVAM, vt vxorem indiuiduam vitæ comitem. ET LOT FILIVM FRATRIS SVI. Nachor Abrahæ frater, qui iam relictâ Vr Chaldæorum vrbe, venerat in Harã, fratrem inde migrantem noluit comitari: & quia non euocabatur à Deo; & quia præſentis loci commoditas, vbertas, & ſalubritas ipſi admodum blandiretur. Et quidem veroſimile eſt, inibi multam iam ſubſtantiam acquiſiiſſe, ſicut & Abraham. Nihilominus iuit cum eo Lot tunc agens ſexageſimum ſextum annum, Sara verò eius ſoror, & Abrahæ vxor, ſexageſimum quintum, iuxta veriſimiliorem Chronologiam; quam nunc comprobare, nec vacat, nec iuuat.

Lot non fuit adoptatus Abrahæ filius.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

Putat Ioſephus ideo Lotum ſecutum fuiſſe patruum Abrahamum, quia cùm Sara eſſet ſterilis, Abrahamus eum adoptarat in filium. Quod indicare etiam videtur Chryſoſtomus homil. 31. Sed id meritò non probatur Saliano, & Pererio: quia Geneſeos 13. verſ. 8. Abrahamus eum appellat fratrem, non filium: tum etiam quia ſi conſtituiſſet eum heredem quaſi filium, non illum à ſe, quaſi alterius familiæ patrem, ſegregaſſet. Itaque Lot maluit cum patruo, & improle Abrahamo, & ſorore Sarâ pergere, quàm ſubſiſtere in Haran cum Nachore.

Ioſephus. S. Chryſoſt. Geneſ.

VNIVERSAMQVE SVBSTANTIAM. 8.
Pecora intelligit *ſubſtantiæ* vocabulo, quibus patriarcharum diuitię olim conſtabant: tametſi poſſeſſionem auri & argenti etiam intelligi, nihil prohibet, vt habetur Geneſeos 13. verſ. 2. ET ANIMAS QVAS FECERAT. Animarum nomine non intelligit homines, nullos enim eòvſque genuerat Abrahamus, qui decem adhuc annos liberis caruit: Salianus an. m. 2114. n. 8. intelligit ſeruos & ancillas emptitias, & vernas ex illis magno numero natos. Cui multitudini comitum inferioris notæ fauet illud quod ſcribit Moyſes infrà cap. 14. de expeditis ad pugnam trecentis octodecim vernaculis ſuis. Sed præſtat aſſerere cũ P. Martino del Rio, illud, *animas quas fecerat*, generaliùs intelligendum eſſe, non homines duntaxat quos genuiſſent eius ſerui & ancillæ, ſed intelligendum eſſe, *animas, quas fecerat*, ſuas inquam, quas vel emendo, aut permutando, aut aliter comparauerat; vel ipſi genuerant; & educauerant ſibi: hoc eſt omnes ſerui & ancillæ Abrahæ & Lothi. Hebræis enim ſæpè *facere*, pro acquirere vſurpatur, id eſt, parare ſibi in dominium ſeu poſſeſſionem. Sic paſſim dicitur, *facere nomen*, *facere amicos*, & ſimilia: ſic *facere animas*, ſuas inquam. Anima ſynecdochicas ſumitur pro homine, pars pro toto, vt alias perſæpe. Hæc omnia Abrahamus ex Haran tulit in Chananæam.

Geneſ.

Subſtantia nomine opes deſignantur.

Salian.

Animas facere, eſt eas acquirere.

VT IRENT. ſtabiliter permanſuri. IN TERRAM CHANAAN. Bene notat P. Rio hîc, quòd Chanaan latè ſumitur in hoc loco. Scilicet pro toto terræ ſpatio, quod poſſidebant, qui ex Chanaan, quarto Chami filio orti ſunt, nempe pro Palæſtinâ, Phœnice & magnâ Arabiæ parte.

P. Rio.

Terra Chanaan latè, & ſtrictè ſumitur.

PER

9. Vers. 6. Pertransivit, nuſquam tabernacula ſtabiliter figens. Vsqve ad locvm Sichem. Hæc vrbs non ſolùm Sichem appellata fuit, ſed etiam Sichima, & Sichimi, Sichar; & (vt quibuſdam apud Salianum placet) Ephron olim dicta fuit: poſt ruinas reſtaurata dicta eſt Neapolis. Vicinos habuit montes Hebal & Garizim, ſita in monte Ephraim. Convallem illvstrem. Non videtur Abrahamus vrbem Sichem ingreſſus cum populo ſuo, ſed aliquandiu ad eum locum ſubſtitiſſe; & inde progrediens ad meridiem, peruenit ad *conuallem illuſtrem*, quam Adrichomius in tribu Manaſſe citra Iordanẽ collocat, & n. 24. graphicè deſcribit. Pro *conualle*, Hebraïcè habetur אלן *elon*, quod in hoc loco Vulgatus *conuallem* expreſſit, alibi quercum, & terebinthum, & abietem vertit. Scilicet *elon* ſignificat quamcumque arborem glandiferam, & ſynecdochicῶs ſumitur hîc pro valle quercubus conſitâ. Appellatur autem *illuſtris*, quia erat celſis arboribus conſpicua. Vnde Lxx. interpretes *quercum excelſam* excripſerunt. Conuallis hæc illuſtris eſt famoſa illa vallis, quæ Aulon dicitur, porrigiturque à Scythopoli, vrbe ad mare Galilææ ſitâ, vſque ad Pentapolim, ſeu mare mortuum, vt tradit Adrichomius horum locorum ſtudioſiſſimus indagator. Chananævs, &c. Populus ſic propriè appellatus, ad diſtinctionem Heuæi, Iebuſæi, Pherezæi, &c. qui habitauit in finibus Ephraim & Manaſſe. Alioqui omnes illi populi erant Chananæi, ſiue oriundi ex Chanaan, Chami filio.

Quæ vallis appelletur illuſtris.

Adrich.

Chananæum late, & tradi vſurpatur.

10. Vers. 7. Apparvit avtem Dominvs Abraham, per Angelum. Semini tvo. Carnali, quod per Iſaacum deſcendet. Ædificavit ibi altare, ex obuio ceſpite, aut lapidibus adaggeratis, atque ad agendas Deo gratias, in eo victimas obtulit.

Vers. 8. Ad montem qvi erat contra orientem Bethel. Hoc eſt, qui erat è regione ipſius Bethel verſus Orientem. Abulenſis putat hunc montem eſſe Garizim, & Hebal, alij alium. Plures mihi adſurgunt montes. Mallem ignorare, quàm allucinari. Tetendit tabernacvlvm. Non ſtabili habitatione, ſed tranſportabili. Ab occidente. Hebraïcè, *à mari*. Perinde eſt: nam mare mediterraneum occiduum eſt Chananææ.

Vers. 9. Ad meridiem. Lxx. interpretes, *in deſerto*. Nam deſertum, ſeu Arabia Petræa Chananææ adiacet verſus meridiem. Ecce tibi Abrahamus pedibus ſuis luſtrat terram diuinâ Benedictione ſibi promiſſam in ſuæ poſteritatis felicem poſſeſſionem. Sed oportet, vt filij Iſaaci Benedictionem paternæ Benedictioni adnexam, litterali pariter commentario illuſtremus.

COMMENTARII LITTERALIS pars altera, in cap. 26. Geneſ. à verſ. 1. vſque ad verſ. 6.

11. Vers. 1. Orta avtem fame svper terram.] illam. Scilicet ſuper totam terram Chanaan. Alioquin nõ meditaretur Iſaacus longam peregrinationem in Ægyptum, ſed in alium Palæſtinæ tractum. Post eam sterilitatem, qvæ acciderat in diebvs Abraham. Putant Benedictus Pererius, & Martinus del Rio hîc deſignari famem, quæ Geneſeos 20. compulit Abrahamum migrare ex Hebron ſub euerſionem Sodomorum, nonaginta abhinc annis. Verum tunc nulla famis mentio, & alia idonea cauſa illius migrationis præter famem aſſignari poteſt: videlicet iuſſio diuina, quæ volebat Abrahamum peregrè vitam agere, ſicut & nunc Iſaacum, & poſtea Iacobum, & eius filios. Et quidem ſi quoties ſedes mutauit Abrahamus, fami adſcribendum foret, putò, perſæpè fameſceret Abrahamus. Probabiliùs Abulenſis & Salianus intelligunt, eam famem in Scripturâ expreſſam, quæ è Paleſtina exegit Abrahamum, & apud Ægyptios peregrinari compulit, Geneſeos 12. cap.

Perer. Rio. Geneſ.

Abiit

12\. Abiit Isaac. Non videtur habitaſſe tunc temporis Iſaacus in Berſabee; aut iuxta puteum viuentis & videntis, vbi præcedenti cap. dictus eſt habitaſſe: quia hæc ipſa erat in Gerara, aut vicina ſolitudine. Fortè Iſaacus poſt patris mortem hactenùs habitauit in Hebron. Abimelech. S. Auguſtinus q. 75. Chryſoſtomus homil. 51. Ioſephus & alij, non putant abſurdum, affirmare, hunc Abimelechum, eundem fuiſſe cum illo, apud quem diuerſatus eſt Abraham, quod locus; & perſonæ, tam regis ipſius, quam principis militiæ eius conueniant. Sed veriſimilius eſt, eſſe alium ab eo cuius facta eſt mentio cap. 20. Nam ferè centum anni ex eo tempore fluxère. Quis autem ſerò ſibi perſuadeat, Abimelechum centum, vt minimùm, annos regnaſſe? Annon Eccleſiaſtic vox eſt, cap. 10. verſ. 11. *Omnis potentatus breuis vita?* Adde quòd non tam faciè Abimelechus Iſaaco credidiſſet, ſi à patre eius Abrahamo deceptus eſſet; & acriori expoſtulatione vſus fuiſſet aduerſus Iſaacum, vt ex Abulenſi notarunt Pererius, & Salianus. Itaque hic Abimelech videtur eſſe illius filius, aut nepos. Niſi malis nomen *Abimelech* commune & appellatiuum eſſe dignitatis, non proprium perſonæ. Sicut Ægyptiorum Reges primùm Pharaones, poſteà Ptolomæi, Romanorum Cæſares, Medorum Arphaxadi. &c. Sic etiam & Phichol nomen erat generale principum militiæ. *Abimelech* autem *pater rex* ſignificat, opportuna & moraliſſima regibus appellatione.

Auguſt. Chryſoſt. Ioſephus. Abimelech nomen generale regum Palæſtinæ ueteru.

Eccl.

Abulenſis. Perer. Salian.

13\. Vers. 2. Apparvitqve ei Dominvs. Incertum eſt, an hæc apparitio fuerit in ſomnis, an Angelus ſpeciē tenus corporatus Iſaaco apparuerit: certum verò id contigiſſe antequam perueniret in Ægyptum; quò patrem Abrahamum imitatus, pergere meditatur, & fortaſſis iter inchoarat. Tunc ei Deus apparuit; & diſceſſum in Gerara perſuaſit. Hinc liquidò conſtat, per prolepſim dicta, quæ verſ. præcedenti denarrantur. Scilicet prius traditur factum ipſum diſceſſionis in Gerara, poſteà diſceſſionis cauſſa narratur. Qvam dixero. Quam dicam; ergo nondum in vrbem Gerara peruenerat. Duplex videtur apparitio, altera, quâ prohibetur diſceſſus in Ægyptum: altera, quâ Iſaaco intimatur habitatio in Geraris.

14\. Vers. 3. Benedicam tibi. Quæ eſt hæc Benedictio, quam Deus Iſaaco ſpondet? Ecce quam promittit Benedictionem, Tibi, et semini tvo dabo vniversas regiones has. Hæ Palæſtinorum regiones non ſunt datæ Iſaaco, vt ab eo poſſiderentur; illi enim dicitur, *Peregrinare in eâ*, ſed illi datæ ſunt, non vt à ſe, ſed à poſteris ſuis poſſiderentur. Itaque τὸ *&*, cum dicitur, *Tibi, & ſemini tuo*, non eſt copulatiuum, ſed exegeticum. Nempè, *Tibi*, id eſt, *ſemini tuo Has*. Nempe totam, in quâ verſaris, Chananæorum regionem. Neque neceſſe eſt, vt eam tunc Deus ſigillatim oſtenderet; nec vt formaret ſingulorum repræſentationem in Iſaaci phantaſiâ; nec intendiſſe digitum ad quatuor mundi plagas, & ſic prouincias illas deſignaſſe; ſufficit enim dixiſſe *has*, nempè in quibus peregrinaris, & quas patri tuo pollicitus ſum. Scilicet totam Chananæorum regionem tui poſteri poſſidebunt. Complens ivramentvm, qvod spopondi Abraham patri tvo. Illud intelligit, quod poſt ipſius Iſaaci oblationem Abrahamo præſtitit; quod habetur ſuprà cap. 22. v. 16. Profectò legimus vbi iurauerit Deus Abrahæ; ſed non legimus vbi iurauerit Iſaaco, & Iacobo, cùm tamen Moyſi dixerit Deus Exodi 33. verſ. 1. *Sicut iuraui Abraham, Iſaac, & Iacob.* Verùm fortè repromiſſio poſteriùs facta ipſis Iſaaco & Iacobo, cum mentione prioris iuramento firmatæ, vim quandam habuit iuramenti; eò quòd videatur Deus ſic, illud priſtinum iuramentum nouo beneplacito ratum feciſſe, quod in hoc loco Antonius Honcala opportunè notauit.

Quo modo dicatur Deus iuraſſe promiſſiones Iſaaco. Geneſ.

Exod.

Honcala.

Daboqve posteris tvis omnes regiones has. Quod ſi Iſaacidæ omnes has regiones non poſſederunt, non eſt quòd diuinæ pollicitationi tanquam incertam calumniam ſtruas; ſed Iſaacidis ſolis eſt imputandum; qui neglecto Dei mandato, cum Chananæis fœdus inierunt; neque cum illis, vt poterant, ſtrenuè bella geſſerunt, contenti eos habere vectigales: quos ob eam culpam, ſuamque ignauiam grauiſſimos ſui oppreſſores experti ſunt. Exinde nota, diuinas ſæpè promiſſiones & minas, eſſe conditionatas, quod in Benedictione 6. ad caput 49. Geneſeos, perſpicuè oſtenditur. 15. Vers. 4.

Promiſſiones Dei ſæpè ſunt conditionatæ.

Benedicentvr in semine tvo omnes gentes terræ.

Celada de Benedict. Patriarch.

In Chriſto à te oriundo, id eſt, per Chriſtum, vt notauimus in hâc Benedict. 3. ad cap 12. Geneſeos verſ. 3. Replicatur autem filio promiſſio facta patri, vt innoteſcat, talem fuiſſe filium, qui ob vitæ probitatem dignus eſſet, vt per eum dictæ patri ſuo promiſſiones indubiè & feliciter adimplerentur.

16. Vers. 5. Eo qvod obedierit Abraham voci meæ. Confirmat Deus promiſſum Abrahamo præmium, propter illius de immolando filio obedientiam, cuius obedientiæ pars magna ipſe

Chryſoſt. fuerat Iſaacus. Addit S. Chryſoſtomus homil. 51. ideò Deum merita Abrahami propoſuiſſe, vt videns Iſaacus ſe tam multa conſequi ob patris merita, ſperet ſe ob propria locupletiorem recipere mercedem.

Et cvstodierit præcepta. Addit *mandata*, & *ceremonias*, & *legem*, in Biblijs promiſcuè accipi in eà-

Lipom. dem ſignificatione, vt obſeruat Lipomanus in Catena. At verò vt Battolo-

P. Rio. giam vitaret, licuit P. Martino del Rio, illa diſtinguere : ita vt per *præcepta* generaliter intelligatur quicquid præcipitur : poſtea ſpecies præceptionis ſubiungit. Scilicet *mandata*, per quæ ſignificat iuſſiones præcipuas, primarias, & incommutabiles iuris naturæ, pertinentes ad Dei cultum in genere, & proximi charitatem. *Leges*, id eſt, inſtructiones peculiares poſitiuas, ſiue ſcripto, ſiue non ſcripto iure traditas, vt de non comedendo ſanguine cum animalium carnibus, & ſi quæ aliæ eiuſmodi erant in lege naturæ. Quicquid ſit de hâc ſubtiliori diſtinctione inter præcepta, mandata & leges ; per Ceremonias, circuncisionem, & ſignum ritum in ſacris peragendis, in naturali lege ſolemnem, intelligendum eſſe paſſim tradunt interpretes, quod ſatis veriſimile apparet. Hæc libaſſe ſufficiat de Iſaaci Benedictione, quam aut ipſiſſimam cum Abrahami Benedictione, aut illius appendicem exiſtimamus. Reſtat vtramque ipſiſſimam ad mores copioſiùs illuſtrare.

COMMENTARIVS MORALIS.

§. CXXXV.

Mortis propiùs ſpectatæ meditatio, abdicationi bonorum gratulatur.

1. Mortis neceſſitatem nulla diligentia deuitat, nulla felicitas domat, nulla potentia euincit. Mors omnes æquè vocat. Irato Deo, propitióve, moriendum tamen tibi eſt. Nemo alijs naſcitur, moriturus ſibi. Quid tandem egeris, tunc apparebit, cùm animam agis. Puto auarè opulentus de morte non cogitat : nam ſi viuaciùs illam meditaretur, vnâ ſecum diuitias propoſito tumularet, quas ante tumulum deſeret ; imò ab illis priùs deſeretur. Meditare in alieno funere, vbi ille ſuas relinquat gazas; quid ille ſecum vitæ exul ferat. De te iudica, quod in alio vides. Pauperrima omnium hominum mors, humanæ auaritiæ antidotus eſt ; dum quiſque de ſe decernit, quod cernit in alio.

2. Exodi 3. Moyſi Deus in monte Horeb apparet, illúmque Hebrææ gentis principem inaugurans, inſtruit de plagis Ægypto infligendis, vt Hebræós dimittat. Extendam, inquit, manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum : poſt hæc dimittent vos. *Dabóque gratiam populo huic coram Ægyptiis : & cum egrediemini, non exibitis vacui : ſed poſtulabit mulier à vicinâ ſuâ, & ab hoſpitâ ſuâ, vaſa argentea & aurea, ac veſtes : ponetiſque eas ſuper filios ac filias veſtras ; & ſpoliabitis Ægyptum.* Exod. 3. v. 21. & 22.
Quod hîc Deus liberaliter promiſit, abundè Sepulcrali aſpectu ... blanditur
demùm præſtitit, vt infrà cap. 12. ſignatè refertur. Hinc ardua lis exoritur inter commentatores, quænam fuerit hæc gratia tam validè efficax, vt Ægyptij male tot plagis ab Hebræis concisi, illis abeuntibus Ægyptias gazas gratuitò commodarent. Antè plagas, inuidiæ œſtro agitati, nimis exoſos habebant Hebræos; tot plagæ proculdubiò exacuêre odia. Tandem Hebræorum causâ occiſis primogenitis, odij cauſæ accreſcebant ; & tamen beneuolè, iam iam abeuntibus ſuas fœnerant gazas. Quænam fuit hæc gratiæ officioſitas, quæ ab infenſis Ægyptiis opes extorſit ? *Dabóque gratiam populo huic coram Ægyptiis*, &c. Pulchrè aduertit Lyranus hanc Ægypti expoliationem factam fuiſſe eàdem nocte, quâ Angelus omnes Ægypti primogenitos ad vnum peremit. *Quia* Lyra ibi.
Ægyptij, inquit, *erant intenti ad ſepeliendum mortuos ſuos : quia nulla erat domus Ægypti, in quâ non iaceret mortuus.* Scilicet ad cadaueris aſpectum ; & effoſſi ſepulchri intuitum, vel infenſiſſimis hoſtibus diuitias ſuas vltrò erogant. Vitæ diuturnitas, & mortis obliuio, vt fomes auaritiæ eſt, ita opes ſedulò negotiatur

negotiatur. At ſepulchrum propiùs ſpectatum, & meditatum attentiùs, floridas vitæ ſpes vnà tumulat. Beneficentia prodigalitatis æmula, ſoboles eſt tumuli, qui liberalitatem tacitè ſuggerit, arcanâ gratiæ officioſitate. Hanc gratiam ſuo populo dedit Deus, vt homines vnâ nocte perimens, hi meditatæ mortis doctrinâ erudirentur, vt forent vel in hoſtes munifici.

3. *Hic verſ. 1.*

Hic verſ. 1. *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi.* Magna petit Deus: ſed videndum eſt, quo tempore res vſque eo arduas petat. Quod inſigniter expreſſit Chryſoſtomus, hunc locum exponens his verbis: *Non anteà Abrahamum Deus inde vocauit, donec mortuus eſt Tharà. Et tunc illo defuncto, inquit, Et dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terrâ tuâ, de cognatione tuâ, & de domo patris tui.* Scilicet Abrahamus Tharæ primogenitus, & tantorum bonorum heres tandem non iubetur à paternâ domo egredi, & omnia relinquere, (ſi ſpectetur narrationis ſeries) quovſque eius pater defunctus eſt. Non cùm viuente patre, longiſſimis tenebatur ſpebus paternum percipiendi cenſum: nec poſt faſtidia poſſeſſæ hereditatis *tam odioſa ipſa ſatietate*; ſed dum primigenia fortuna arridebat magnæ & opulentæ domus primogenito: *Quando muerto ſu padre, entraua Abrahan en poſſeſſion del mayorazgo, le manda Dios, que lo dexe todo.* Tunc, tunc quidem egredi iubetur è paternâ domo, & omnia deſerere. Importuno ſanè tempore tunc vocari videtur Abrahamus. Imò & opportuniſſimo. Nam mors propè ſpectata, quid non impetret pietatis? Porrò ipſum paternum funus, quo patris diues cenſus illi obuenit, ad illum deſerendum tacitè inuitat; & in patris ſepulchro terrena filij ſpes vna tumulatur, in quo non abſimilem rerum deſertionem deſcriptam reperit. Feſtinat ipſe res ipſas deſerere vocante Deo, ne res ipſæ ipſum deſerere præcurrant. Proprium ipſe funus in paterno prælegit: & rerum abdicationem melioris vitæ facit aſylum: paternumque occaſum, pietatis ortum inuenit, aut fecit. Indè opportunè notat Chryſoſtomus, quòd conſultiſſimè Abraham in hereditatis percipiendæ euocatur auſpicio, tacitâ etiam ſepulchri ſuaſione permotus: ô in alienâ morte præpropere lege tuam!

S. Chryſoſt. homil. 31. in Geneſ.

In paterno ſepulchro tumulatur primogeniti ſpes.

Seneca epiſtol. 78.

§. CXXXVI.

Quarè Chriſtus, multá diſcipulorum turba comitatus, ſolus manſiſſe dicatur.

1. INTER bonos viros ac Deum amicitia eſt, conciliante virtute. Amicitia dico, imò etiam neceſſitudo & ſimilitudo: diſcipulus eius eſto, æmulatorque. & vera progenies, pro quo Pater ille magnificus, virtutum non leuis exactor, corporari voluit, carnem aſſumens humanam; vt hominem, non catenis duntaxat amoris, ſed humanitatis affinitate ſibi ſtrictius vniret, geminato cognationis & amicitiæ vinculo. Non miſcentur contraria: nec bonus Deus cum malo homine miſceri poteſt. Virtus eſt quæ maritat animam Deo, & homines arcanâ pietatis metamorphoſi, Chriſto arctè counit.

Celada de Benedict. Patriarch.

Ioannis 17. poſtquam Chriſtus Deus pro Diſcipulis patrem Deum orauerat, ita ſubdit: Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Quæ verba ſic ſcitè Hilarius commentatur: *Tum demum vnitatis profectus exemplo vnitatis* (diuinæ inquam) *oſtenditur, cum ait: Sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint; vt ſcilicet ſicut pater in filio, & filius in patre eſt; ita per huius vnitatis formam in patre & filio vnum omnes eſſent.* Ineffabilis planè Dei in homines dignatio, cuius dignitatem nec vota hominum audendo præſumerent! Sed eſto, Chriſtus Deus Deum patrem rogauerit, vt auguſtam hanc cum ipſo vnitatem (vnitatis diuinæ æmulam) diſcipulis ſuis adnueret; fortè eam non impetrauit, ſicut cùm mortem ſuam ipſe deprecatus eſt. Diligens & attentus aduerte ſubtilem Auguſtini expoſitionem, ad ſimilia eiuſdem capitis verba: *Pater ſancte ſerua eos, quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos*, ſic fatus: *Quia enim vna eademque perſona eſt Deus & homo, intelligimus hominem in eo quod rogat, & Deum in eo quod vnum ſunt, & ille, & ipſe, quem rogat.* Scilicet cùm Chriſtus auguſtiſſimam hanc cum ſuis vnitatem à Patre Deo rogat; vt illam indubiè conſequatur, conſultiſſimè allegat ſe eſſe vnum cum Patre Deo, vt inſinuet ſe vnum cum eo, quem rogat. Quis de impetratione ambigat, quando vnum ſunt, & ille qui rogat, & qui rogatur? Vnde ſingulariter cùm Chriſtus hanc cum ſuis vnitatem poſtulat, ſe appellat vnum cum Deo: Vt *Intelligamus hominem in eo quod rogat, (vt ſint vnum ſicut & nos) & Deum, in eo quod vnum ſunt, & ille, & ipſe, quem rogat.* Ecquis à ſe quod rogat, non impetrabit?

2. *Ioan. 17. v. 21.*

S. Hilar. 8. de Trinit.

Cum vnitatē cū ſuis Chriſtus rogat, ſe vnum eſſe cū eo quem rogat, cō ultiſſime dicit.

Ioan. 17. 11.

S. Auguſtin. tract. 1. 6. in Ioan.

Ioannis 8. Scribæ & Phariſæi adducunt ad Ieſum mulierem in adulterio deprehenſam, ſi fortè quid accuſarent in Chriſto, ipſi deprehenderent. Aſtutiâ eorum probè perſpectâ, reſpondit illis Ieſus: Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat. *Audientes autem hæc, vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus, & remanſit ſolus Ieſus.* Non eſt facile indubiam Euangeliſtæ veritatem à calumniâ mendacij vindicare: perſpicuum enim videtur, ſolum non manſiſſe Ieſum, ſed magnâ hominum ſtipatum catervâ. Audiendus eſt Hugo Carenſis hâc ſuper re: *Et remanſit*, inquit, *ſolus Ieſus, abſque Phariſæis, non tamen Diſcipulis. Dictio excluſiua non excludit niſi contrarios Ieſu, ſcilicet Scribas & Phariſæos.* Belliſſimè quidem. Nempe abeuntibus reliquis, præter ſuos diſcipulos, Chriſtus, *ſolus* manere dicitur, etſi duodecim Apoſtolis, & ſeptuaginta duobus diſcipulis comitatus. Tam arcta & indiuidua reperitur vnitas inter Chriſtum Deum, & ſuos

3. *Ioan. 8. v. 9.*

Cur Chriſtus turbâ diſcipulorum comitatus, ſolus dicitur.

Hugo ibi.

Diſcipulos, vt quando cum ipſis manet, *ſolus remanſiſſe* dicitur? Sic ipſe cum ſuis Diſcipulis vnus eſt, aut Diſcipuli cum Chriſto; vt cùm diſcedunt reliqui, etſi tantâ diſcipulorum frequentiâ comitatus maneat, *Remanſit ſolus Ieſus?* Vide mihi, quàm certò Chriſtus impetrauit, quod rogauerit: *Sicut tu Pater in me; & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.*

4. Lucæ 23. Chriſtus Deus iam morti de patibulo proximus: *Clamans voce magnâ, ait:*
Lucæ 23.46. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Non leuis eſt inter commentatores diſceptatio, quidnam hîc per *ſpiritum* ſignificetur: an diſſentiant in ſenſu litterali, an in allegorico, nunc non tracto. Sanctus Athanaſius rem
Athan. l. de Humana nat. contra Apollinar. Hæret. Spiritus anima ſeu ſpiritum appellatur. Sanct. in c. 49. Iſaiæ num. 45.
apprimè meditatur: *Cùm in cruce dicit: Pater in manus depono ſpiritum meum: in eo omnes homines apud Patrem deponit, ac commendat per ipſum, ac in ipſo viuificando. Membra enim ſumus, & membra iſta multa vnum corpus ſunt.... Omnes igitur in ſe Deo commendat.* Quæ Athanaſij verba poſtquam excepiſſet, & mirificè laudaret magnus ille Bibliorum ſequeſter P. Gaſpar Sanctius, ita ſubdit: *Ex ſententiâ Athanaſij, Chriſtus homines ſuam appellat Animam, aut Spiritum. Quod faciunt vulgares amatores, qui nos amant, cor ſuum, & animam ſuam appellant.* Quaſi parùm foret, homines dici, vnum cum Chriſto Deo, ipſe eos, *ſuam animam, aut ſuum ſpiritum* blandiùs appellat. Quid exaggeratius?

5. Hùc forſan non inidoneè aduocari poteſt
Geneſ. 2. 7. illud Geneſeos 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ: & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viuentem.* Quæ verba ita elucidat
Eucher. ibi. Quare homo, Dei halitu, vel inſufflatione formatus dicitur.
Eucherius: *Quæritur vtrum Deus animam inſufflando fecit: an eam quam fecerat; corpori dando potiùs inſufflauit? Vtrumque enim puto eſſe, nec habere aliquid quæſtionis, quomodo ſiue inſufflando fecerit animam, ſiue creando donauerit, nec de aliquo flatu ſuo, nec de ſe ipſo, ſed ex nihilo, aut ſufflando creauit, aut creando corpori inſufflauit, non quia illud ſpiraculum conuerſum eſt in animam viuentem, ſed operatum eſt animam viuentem.* Nimirùm homo, qui nuper dictus eſt, Chriſti Dei *Spiritus*; nunc velut diuino halitu dicitur *inſufflatus*, ſeu *inſpiratus*; quò denotetur, diuina præcordia fuiſſe quaſi hominis vterum, vel matricem, vel conceptaculum, quid generoſius? Deus (fortè ſub humanâ ſpecie) *reſpirando aut inſufflando*, eo modo quo dixit Eucherius, efformat hominem; non vt Dei particula intelligatur; (vt nugantur Hæretici) ſed vt aliquam cognationem, & quandam quodammodò cum Deo vnitatem ſubindicaret, ſicut Chriſtus Deus homines, *ſuam animam, aut ſuum ſpiritum* appellat, aiens. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, iuxta Athanaſij interpretationem.
Pſ. 21. v. 21. Lorin. ibi.
Et illud Pſalmi: *Erue à frameâ Deus animam meam*, nonnulli apud Lorinum, τὸ *animam*, homines interpretantur.

Hic verſ. 1. Vnde hîc tametſi ſolus à Deo Abrahamus euocetur, relictâ idololatra cognatione; Sara cum totâ familiâ, & Lot ex fratre nepos, illum comitantur. Solus exit, idololatras, & impios relinquens. Sic eos charitas conglutinat? Chriſtus cum toto Apoſtolorum collegio, *ſolus eſſe* dicitur; & Abrahamus cum Loto, & totâ familiâ, impiis procul ſequeſtratis, ſolus exit.

---

§. CXXXVII.

Abrahamus plus ſperat de incerto, quàm fuerat ſecurus de proprio.

IN malis ſperare bonum, niſi innocens nemo ſolet. Sola innocentia rem ſpei dignè tractat, quæ mauult à Deo ſperare, quàm ab homine poſſidere. Poſſeſſio 1
alligatos tenet; ſpes animoſa à Dei liberalitate ingenuè ſuſpendit; quæ generoſam virtutis indolem eò magis allicit, quò rem ſperatam magis occultat. Et ſanè homo iuſtus ſuſpenſâ expectatione plus diuinam liberalitatem honorat, dum incertus de qualitate præmij, generoſius ſperat, quò quale ſit quod ſperat neſcit. Quid tam ab hominum auarâ naturâ alienum? & quid tam Deo adulantius, quàm ſic de Dei bonitate ſentire?

Hic verſ. 1. mortuo Thare Abrahami patre, 2.
& opulentâ hereditate paternâ, iure primogenituræ obtentâ, *Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi.* Quæ eſt hæc cognatio, quam Abrahamus iubetur deſerere? S. Iſidorus ita hunc locum myſticè interpretatur: *Nobis quoque*, inquit, *exeundum eſt de terrâ noſtrâ, id eſt, de facultatibus & opibus terrenis: & cognatione, id eſt, conuerſatione vitiorum, quæ nobis à natiuitate cohærentia, quaſi affinitate conſanguinitatis ſunt coniuncta.* Vitia cognata ſunt homini? eſtne humana natura vitiis conſanguinea? ô non bonam affinitatem, è morum adulterio enatam! ô rumpe harum neceſſitudinum nexum, quiſquis Dei ſoboles eſſe generosè ambis! Sed ad rem præſentem notanda ſunt illa verba: *Veni in terram, quam monſtrabo tibi.* Primogeniti certo iure iam poſſidet Abrahamus opulentam patris hereditatem, & illam permutare iubet cum vagâ ſpe incertæ poſſeſſionis? Dicitur enim illi: *Veni in terram, quam monſtrabo tibi.* O non bonum commercium! Imò optimum. Attentiùs expendenda ſunt Sancti Auguſtini verba ad hanc theſim in paucis illuſtria: *Proficiſcitur*, inquit, *pergit ſociâ crudelitate, it fretus commiſſum ſibi fidei laboribus exacturus; plus ſperans de incerto, quàm fuerat ſecurus de proprio.* O egregia ſpei facinora! Magis Abrahamus ſperat de incerto, quàm fuerat de proprio ſecurus? ô dignam de Dei liberalitate exiſtimationem! Propria quæ poſſidet, lætus deſerit, & alacri ſpe, plus à Deo ſperat, quò incertâ promiſſione ſuſpenditur. Promiſſa Abrahamo arcanè occultantur, vt eo generoſius plura ſperet, quò neſcit quid ſperat. Pendula rei incertæ ſpes, fiduciæ hyperbole eſt, & diuinæ liberalitatis honos exaggeratior. *Mas generoſa es la eſperança, que ſin ſaber lo que le an prometido, lo fia toto de la liberalidad del que promete.*

Hic v. 1.

Natura humana vitijs cognata eſt. Iſidorus in Catenâ.

Plus ſperat Abrahamus de incerto, quàm fuerat ſecurus de proprio.

Auguſt. ſerm. 68.

Verùm

3\. Verùm locus ab Auguſtino expoſitus, adhuc emedullandus eſt à Baſilio Seleu. adſimili *Hic v. 1.* expenſione. *Egredere* (ait Deus Abrahamo) *de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & Veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Natalis ſoli, omnibus amantiſſimi, exul, & familiarium vinculis exemptus, ades mihi, *Meta celatur Abrahamo, vt curſum contendat.* (ô Abraham) cognationes abrumpe. Parùm eſt à natiuo ſolo ſecedere, ſecede etiam à patriâ, & omni carnis affinitate, vince naturæ vires, & retinacula, dum eximius athleta ad virtutem exerceris. *Et veni in terram, quam monſtrabo tibi.* De cælo teſſeram Abrahamus capit, vt alacris obtemperet; locum Deus occultat, vt animi magnanimitatem exerceat; cognationem adimit, vt ad eius deſiderium excitet ſuſceptum in terra curſum. Denique *Baſil. orat. 7.* ait Baſilius, *Metam celat, vt curſum contendat.* Bellè dictum! (& à me alibi ahorſum expenſum.) Scilicet Terram promiſſionis, ad quam Abrahamus euocatur, Deus tectius occultat, vt Abrahamus curſum, quo neſcit, velocius maturet. Celerius ibit, quo ignorabat? an certiùs exerrabit, neſciens quò tendat? Puto, non tam è patriâ egreſſum, quàm errores in viâ expetit Deus, aiens: *Et veni in terram, quam monſtrabo tibi.* Aſt qui exploratam habebat Abrahæ fidem, *metam celat, vt curſum contendat;* quia *plus ſperabat de incerto, quàm* *Auguſt.* *fuerat ſecurus de proprio,* vt Auguſt. nuper laudatus ediſſerit. Merito enim ei, qui plus ſperabat de incerto, quàm fuerat proprio ſecurus, celatur meta, vt curſum contendat: nam generoſa eius ſpes, eò audet magis, quò magis in ambiguo ſuſpenditur. Parum foret Abrahamo, rem certam certò ſperare; ſuſpendatur rei ambiguitate ſpes, & celetur itineris meta, vt fiduciæ greſſibus curſum pietatis velociùs contendat: pluſque Dei promittentis liberalitatem honoret, quò magis de incerto ſperat, quò fuerat de certo ſecurus.

4\. *Spes ſuſpenſa, eſt ſperandi meta.* Strenuo pietatis athletæ Abrahamo, ſuccedat alter, fortè non impar merito, & animoſæ fidei æmulus, Iob inquam. Qui cap. 7. calamitate proſtratus, non deuictus, adhuc de genu animosè pugnans, ſpe præter ſpem generoſâ, hanc vocem Iobo dignam edit: *Suſpendium elegit anima mea, & mortem oſſa mea.* *Iob 7. 15.* Quibus verbis ſub larua imbecillitatis, maſculam ſpem Iobus diſſimulat, vt de interſtinctæ fiduciæ vmbra micantiùs ſcintillet. Quod *Anſel. Laud. ibi.* ſubtiliter vidit, & compendio ediſſerit Anſelmus, aiens: *Suſpendium deſiderij in alta elegit anima mea: & mortem oſſa mea; vt ſcilicet ad vitam peruenirem æternam.* Id explicatiùs *Strabus ibid.* exponit Strabus Fuldenſis his verbis: *Suſpendium elegit anima mea, &c. Anima,* inquit, *eſt intentio mentis; oſſa fortitudo carnis. Quod ſuſpenditur, ab imo eleuatur.* Planè eleganter. Scilicet dum propè deſperata calamitate Iobus iactatur, non modò non nutat eius generoſa ſpes, *ſed ſuſpendium deſiderij in alta erigit,* ſuſpenſaque expectatione firmatur; & ſupra humanum faſtidium ſpe euectus, maiora ſperat de liberalitate diuina, quò velut ex incerto fiducia ſuſpenditur. *Suſpendium elegit anima mea. Quod ſuſpenditur, ab imo eleuatur.* Stat Iob inconcuſſus in acerbiori calamitate, dum vel *oſſa,* id eſt, *fortitudo carnis,* mortem expetunt. At ipſe ſuſpenſam fiduciam eligens, ad faſtidium virtutis *pergit ſociâ credulitate, itque fretus promiſſum ſibi fidei laboribus exactimus; plus ſperans de incerto, quam fuerat ſecurus de proprio.* Planè qui de incerto ſpe erigitur, & deſiderio fidentius ſuſpenditur, fiduciæ generoſitate, diuinæ liberalitati adulatur. *Esta eſperança que ſe pone toda en manos de Dios, liſongea ſu liberalidad.*

---

§. CXXXVIII.

Humana imbecillitas piæ audaciæ conceptaculum eſt.

ARDVA ad quæ vocamur & confragoſa ſunt. Quid enim? Plano aditur excelſum? Sed ne tam abrupta quidem ſunt, vt quidam putant. Prima tamen pars ſaxa ſcopeſque habet; ſi etiam reliqua via multo impedita difficultatum lapide. Si viribus eualles, animosè aude: (robuſto quid vnquam arduum?) Si imbecillus es, & languent vires, 1.

Nemo ad capeſſendā virtutem, ſuam excuſet imbecillitatem. ne ſubſidas luſus; ſed animos de imbecillitate ſume; & ſic de impotentiâ armaberis, vt exarmes difficultatum potentiam. Quis idoneam excuſationem obtendat ad difficultates virtutis ſuperandas, quando infirmitas maſculum robur ſubminiſtrat, & arcanas vires ſupra humanum faſtum potenter validas. Ergo inde animos ſume, vnde animo cadere potuiſſes. O, quis in viâ Dei laſſeſcat, vbi infirmitas imbecillos armat, & ipsâ roborat imbecillitate! qui aliquis gratiæ factus eſt, & diuinioris potentiæ ingenium.

Ioannis 11. languet in Bethaniâ Lazarus, & pias ſorores angit fratris infirmitas: amicum remittunt nuncium ad Ieſum, qui biduo ſubſiſtit. Poſtea dixit diſcipulis, Lazarum infirmari & eundum illi eſſe in Iudæam. Dicunt ei diſcipuli: *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare; & iterum vadis illuc?* Sed hæc acerbæ 2.

Imbecillitas piæ audaciæ conceptaculū eſt. necis terriculamenta Chriſti conſtantiam non flectunt, nec illius intrepidam beneficentiam auertunt; ſed ad profectum ſeriò diſcipulos adhortatur. Tunc Thomas in has voces erupit audacter: *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo.* *Ioan. 11. 16.* Audis Thomam mortis periculum confidenter pro Chriſto, & cum Chriſto deuorantem? audi etiam Seleucianum Baſilium, qui ſuper his verbis ita fatur: *Eamus & nos, & moriamur cum eo. Reliquis Thomas erat infirmior, & minus habebat fidei.* *Baſil. orat. 42.* Rem planè mirißimam! Reliquis erat Thomas infirmior, & præ reliquis pro Chriſto mortem oppetit? Reliquis condiſcipulis, qui non erant adeò infirmi, cunctantibus, vnus Thomas ſic generosè audet, vt calcar reliquis ad periculoſum iter admoueat? ô infirmitatem audaciſſimam! ô imbecillitatem propè temeritatis æmulam! ô generoſam non generoſæ matricis ſobolem! Quid eſt tam arduum in re virtutis, & in negotio perfectionis Chriſtianæ, quàm vt quis animam pro amico in diſcrimen offerat? Annon hæc animoſæ cha-

ritatis meta eſt,quam Chriſtus præfixit ? Hæc-ne aliquando ab imbecillis infirmitatis natalibus ortum ducat?ô Chriſti virtutem de noſtrâ infirmitate prænitentem ! Thomas *reliquis infirmior* audacter mortis pericula deuorat, animoſiùs aiens : *Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Quaſi humana impotentia ſit diuinioris potentiæ bibula, officioſitate gratiæ, ad virtutis facinora. Quis timeat imbecillitatem humanam, diuinâ virtute omnipotenter armatam ? Hæc ſunt gratiæ facinora, firmare imbecillitate, infirmitate roborare, clypeare metu; & in humanâ tenuitate vires diuinæ gratiæ ſumptuoſiùs oſtentare.

3\. Paulus in poſteriori epiſtola ad Corinthios, refert, ſe vti hominem, humana pati, ne carnis expers, aut exul corporis ab hominibus putaretur. Paſſionum rebellionem, & affectuum tyrannidem, inſtigatorem Satanæ Angelum, in infirmâ carnis imbecillitate, vix ſe tolerare poſſe manifeſtat; terque ſupplici oratione affectionum impetum, & inſtigatorem Dæmonem exantlaſſe fatetur. Propter quod, inquit, ter Dominum rogaui vt diſcederet à me : *Et dixit mihi : ſufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.... Cum enim infirmor, tunc potens ſum.* Intermitto luculentas Chryſoſtomi, & Oecumenij expoſitiones, quas alibi forſan ad mores expendemus, vt citiùs exſcribam verba Caietani ad præfata Pauli verba : *Nam virtus in infirmitate perficitur*, &c. Sic fatur Caietanus : *Nam virtus, pro, Potentia mea, in infirmitate perficitur. Volo te pœnam hanc ſuſtinere, quia potentia mea perficitur in infirmitate tuâ, hoc eſt, in impotentiâ.* Audis ex ore Apoſtoli (Caietano interprete) potentiam Chriſti impotentiâ Pauli perfici ? Chriſti Dei potentia impotentiâ hominis conſummatur ? Quid deeſſet perfectioni potentiæ diuinæ, ſi hominis impotentia non adeſſet ? ô, quis ſatis nouiſſet potentiæ diuinæ perfectionem, niſi ſciret humanæ impotentiæ infirmitatem diuinis omnipotentiæ viribus roboratam ? Itaque humana impotentia potens eſt potentiâ diuinâ: & hominis infirmitas Dei viribus robuſta piè velut ſuperbit ad ardua gratiæ facinora : *Nam potentia mea* (ait Chriſtus ad Paulum) *impotentiâ tuâ perficitur. Ergo cum infirmor; tunc potens ſum. Libenter igitur gloriabor in impotentijs meis, vt inhabitet in me potentia Chriſti.* Quid exaggeratius ?

Dei potentia in humana impotentia enitet.

2\. Cor. 12. v. 9. & 10.

Caiet. in hu.

Exinde hîc verſ. 1. Abrahamum idolorum cultorem, & idololatræ gêtis ſobolem, in fidei patrem, & credentium typum Deus euocat, vt de Abrahami infidelitate, & infirmitate, Dei virtus & potentia fulgentiùs eniteat.

Hic v. 1.

***

§. CXXXIX.

Religioſus negotijs ſecularibus obſeſſus, non poteſt ſeruire Deo ? Solitudo ad perfectionis neceſſitatem religioſum conſtringit ?

MAIVS eſt malum, quod venit ſub ſpecie boni. Placet (aiunt plures) in vrbibus & frequenti hominum turba verſari, & in mediam ire rempublicam; placet honores faſceſque capeſſere : Sed vt amicis propinquiſque, & omnibus ciuibus paratior vtiliorque ſim propiùs poſitus. Suſpecta eſt hæc perſonata & fallata pietas viro ſapienti, qui vbi aduertit animum negotiis obſeſſum, & ambitionis aurâ peſtilenter afflatum, non diu permittit ſe aut ambitione arietari, aut occupationibus obrui; ſed confeſtim ad tranquillam quietem, negotioſumque otium conuertitur : quemadmodum pecoribus fatigatis velocior in domum gradus eſt, placet intra parietes ſuos vitam coercere. Nemo totus aliis naſcitur ſibi ſoli moriturus. Nemo vllum auferat diem, nil dignum tanto impendio redditurus. Sibi ipſi animus hæreat, ſe colat, nil alieni cum ſui diſpendio agat. Ametur expers publicæ priuatæque curæ tranquillitas. 1.

Exodi 5. Ingreſſi ſunt Moyſes & Aaron, & dixerunt Pharaoni: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël : Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto.* Quam ob cauſam ſic expetit Deus, vt eius populus ſacrificium offerat in deſerto ? Quid vetat, vt in aliquâ Ægypti ciuitate ad id cælitùs deſignatâ, Deo ſacrificium offeratur ? An Ægyptiorum oculi profanabunt victimam, ſacrificium publicitate inceſtabunt ? An potius ad veri Dei cultum erudientur, offerendi ſumptuoſiùs ſacrificij religioſo ſpectaculo ? Quid ſui religionem ſolerter abſcondit, quam potiùs propalare è re Dei fore videretur ? Pulchre ad rem Origenes his verbis præfatam Exodi ſententiam exponit : *Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi. Non vult Moyſes vt populus in Ægypto poſitus ſeruiat Domino, ſed vt exeat in deſertum, & ibi ſeruiat Domino.* (Origenes cum aliis, *ſeruiat* tranſtulit, pro *ſacrificet.*) *Hoc eſt ſine dubio quod oſtendit : quia donec quis in tenebris ſecularibus manet, & in negotiorum obſcuritate verſatur, non poteſt ſeruire Domino.* Viderint quibus ampla pertractare negotia volupe eſt, *& in negotiorum obſcuritate verſari*, pro beatitudine reputant. O ſecularium negotiorum cæcam obſcuritatem ! Si vel Peritia perſæpè allucinatur in curialibus negotiis, quid faciat Ignorantia fauore ſublimata ? ambitio ſollicitudine felix ? adulatio ob ſuauiloquentiam ad munera admiſſa ? religioſa ſimplicitas clauſtris aſſidua, turbis peregrina ? Quis clarabit mentem eorum, qui vltrò *in negotiorum obſcuritate verſantur* ? Ægyptum, ſeculum inquã, deſeruiſti, cæli ſecutus lucem, & animitùs exâbis in Ægyptiacâ obſcuritate verſari ? ô aduerte

2\. Exod. 5. 1.

Religioſus negotijs ſecularibus obſeſſus, non poteſt Deo ſeruire.

Origenes ibi.

uerte ad ſeueram hanc Origenis ſententiam: *Non poteſt ſeruire Deo, qui in negotiorum obſcuritate verſatur.* Ad ſolitudinem ducitur Dei populus, vt negotiis ſecularibus exemptus, poſſit Deo ſeruire, quaſi profanis occupationibus negotioſè obſeſſus, Deo ſeruire non poſſit? ô moraliſſimam hyperbolem! Quod viri in ſeceſſu magni, inde ad munera euocati, ignorant; in morte loquaciſſimis ſingultibus ſerò fatentur.

3. In eodem Exodi lib. cap. 3. ſic Deus præcipit Moyſi: Ingredieris tu, & ſeniores Iſraël ad regem Ægypti; & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: *Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem*, vt immolemus Domino Deo noſtro. Sed ego ſcio quòd non dimittet vos rex Ægypti vt eatis, niſi per manum validam. *Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum: poſt hæc dimittet vos.* Opus ne eſt, quòd Deus omnipotentiæ ſuæ manus extendat, vt eius populus trium dierum viam conficiat? Neceſſe eſt, vt cunctis mirabilibus ſuis ſuam velut exhauriat omnipotentiam, vt pergant in deſertum? Sic eſt Iſraëlitarum tenax Ægyptus? Fortè extendet *Deus manum* ſuam, vt pertinaciam frangat Pharaonis vetantis egreſſum? An potiùs vt Iſraëlitas compellat in deſertum abire? Audiendus eſt Rupertus, qui hæc ſuper re ita ſcribit: *Extendam manum meam, &c. Ad hoc autem & manum validam erexit, ad hoc inquam, vt Iſraelitæ eant, non per viam Philiſthiim, ſed per ſolitudinem.* Scilicèt Deus manum validam erexit exertâ poteſtate, & cunctis mirabilibus ſuis euicit, vt Dei electus populus quadraginta annis in Solitudine moraretur; procul à ſeculari Philiſthinorum viâ publicâ & tritâ; procul ab Ægypto, à qua diſceſſerat; procul à Terrâ promiſſionis ad quam poſſidendam feſtinabat. Toto omnipotentiæ adniſu opus eſt, vt Dei populus, qui in Ægypto, id eſt, *negotiorum obſcuritate verſabatur*, inde egreſſus ad Terram promiſſionis, eat, *non per viam Philiſthiim*, viam, inquam, publicam, ſecularem, profanam; *ſed per ſolitudinem?* Sic renuit Dei populus in ſolitudine verſari? Tanti refert Dei populum eſſe in ſolitudine? *Hoc eſt ſine dubio quod oſtendit; quia donec quis in tenebris ſecularibus manet, & in negotiorum obſcuritate verſatur, non poteſt ſeruire Domino.*

4. Nempè Dei populus in tenebris ſecularibus, & in negotiorum obſcuritate non poteſt ſeruire Domino; & ideo ducitur per ſolitudinem: nam *Iſta ſolitudo nos ad perfectionis neceſſitatem conſtringit*, vt opportunè dicit Emiſſenus. Benè eſt, benè inquam, & optimè, vt Dei populus vocatione electiſſimus, qui in tenebris ſecularibus, & negotiorum obſcuritate, *non poteſt ſeruire Domino*, vadat ad ſolitudinem: *Iſta enim ſolitudo nos ad perfectionis neceſſitatem conſtringit.* Vide mihi diſcrimen inter ſolitudinis otia, & ſeculi negotia: in his *non poteſt quis ſeruire Deo*; hæc *ad perfectionis neceſſitatem conſtringit*. Moraliter; inquam, quo ſenſu Origenes & Emiſſenus loqui videntur. Niſi malis hyperbolicè locutos. *En el bullicio del mundo, y cargado de negocios del, no puede el Religioſo ſeruir à Dios. La ſoledad, y retiro del ſiglo caſi neceſſitan à la perfecion.* Planè luculenter, & moraliſſimè. Vnde Abrahamus educitur de terrâ ſuâ, de cognatione ſuâ, & de domo patris ſui; vt in ruralibus tentoriis; & caſis campeſtribus procul ab vrbium, & negotiorum tumultu, obſequentius Deo deſeruiret. Hic v. 1.

Exod. 3. v. 3.

Solitudo ad neceſſitatem perfectionis nos conſtringit.

Rupert. ibi.

Emiſſen homil. 4. ad Monachos.

§. CXL.

Mundialia bona piè derelicta, auidiùs ad ſui amorem alliciunt; quaſi eorum deſertio, ſit cenſus eorum?

1. QVi mundialia bona alacri voto ſuſpirat, ſpei angitur moleſtiis, & diuturnâ deſiderij impatientiâ. Qui eis fruitur, conteſtim ea quaſi friuola & inania faſtidit animus, timet pro illis: nemo autem ſolicito bono fruitur, adiicere illis aliquid ſtudet, & dum de incremento cogitat, oblitus eſt vſus. Bona olim poſſeſſa gratius perplacent, & auidiùs alliciunt, occulto amiſſionis lenocinio. Quaſi terrenæ voluptatis olim derelictio, quantumuis vltronea, ſit gratiæ exaggeratio, & gratum appetentiæ proritamentum. Poſſeſſi quondam boni ſpontanea amiſſio, artificium alliciendi eſt, dum de derelictione illicit, de deſertione perplacet. *Los bienes de la tierra dexados, ſon mas viuamente apetecidos.* Quaſi derelictio ſit magiſterium gratiæ, & gratia placendi, arcano deſertionis fomite: ô pulchram homini religioſo eruditionem, vt ſibi caueat ab hac gehennalis incendij ſcintillâ, quæ ſplendenti fuligine tot religioſas mentes infuſcat. Id bonum curet, quod poſſeſſione fit melius, non quod derelictione allicit.

2. Geneſ. 13. verſ. 10. ob paſtorum vtriuſque auaras rixas, Abrahamus diſcedere à Loto procurat, & regionis eligendæ optionem illi vrbaniſſimè offert. *Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam Dominus ſubuerteret Sodomam & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor.* Locus planè difficilis, vt, aliorſum illum verſans, adnotabam. Quo enim pacto, dum ſacer hiſtoriographus cothurnata relatione explicare ſatagit agri Pentapolitani amœnitatem, congruè illum comparare poteſt ei Ægypti pago, qui frondium viriditate, florum picturatâ gratiâ, & fructuum opulentâ vbertate, viatoribus obiicitur, qui ex Ægypto veniunt in vrbem Segor, quæ vna eſt ex vrbibus Pentapolis, non longè à Sodomis diſſita? Porrò, vt perſpicuum eſt, & oculis videre licet in tabulis Geographicis, vrbs Bala à tergo relinquitur, dum ex Ægypto venitur in vrbem Segor. Ergo, eſto, Pentapolitanus ager de topiariis deliciis cum *paradiſo Domini* de amœnitate certet, quo pacto poteſt cum *Ægypto venientibus in Segor*, idoneè comparari? Sic conſpicuæ humanis oculis apparent amœniores

Ægypti delicia, à tergo relicta, amœniores ſunt.

Ægypti

Ægypti deliciæ, non quando proſpectibus coràm obuerſantur, ſed dum à tergo relinquuntur; Sic mundialia bona oculis inſpecta faſtidium pariunt, & à tergo viſa, vel potiùs inuiſa, & ponè derelicta, perplacent? ô fuge ea bona, quæ dum auerſâ facie, & cæcâ voluptatis appetentiâ obiiciuntur aſpectui gratiora ſunt; quaſi à derelictione, placendi gratiam, deſertionis lenocinio mutuentur. Mundiale bonum perſpicaces non patitur oculos; cæcos, & auerſos optat, vt placeat, quod à tergo gratius eſt. Caue tibi ab his voluptatis præſtigiis, ne te incautum perſtringant, & à religionis faſtigio præcipitent in mundi barathrum.

3\. Paulus olim de cælo tactus, mundi diuitias, honores, & gloriam, empyreæ gloriæ ſpebus allectus, deſertione proculcauit: & de gratiæ ſcholâ ſic fatur ad Philippenſes: *Quæ quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Non conuenit inter huius loci expoſitores, quænam ſint illa, *quæ retrò ſunt* Paulo, & quorum ſubſultantem memoriam conſultiſſimâ frenat obliuione. S. Thomas inibi (vt reliquos nunc omittam) ſic locum exponit. *Quæ retrò ſunt obliuiſcens, &c. Tunc oſtendit quid deſeruit; vel temporalia lucra, vel tẽporalia bona, &c.* ô rem expenſione digniſſimam! Paulus, Paulus inquam, Apoſtolorum apex, gratiæ alumnus, pietatis idea, ſanctitatis meta; qui præmaturè cæli incola, terræ bona Empyreo guſtu faſtidit; cui temporaria felicitas, atque mundi diuitiæ & gloria, velut ſtercus, fœtent, odoratu præproperè cæleſti; Paulus inquam ſic procurat ſollicitè *obliuiſci temporalium bonorum, quæ deſeruit?* Sic deſerta mundi bona ſui appetentiam excitant? ſic titillant appetitum? ſic voluntati blandiuntur, vt qui, quaſi ſtercora reputat poſſeſſionem præſentium, & magnificas humanæ felicitatis ſpes, tam ſolertèr ſibi caueat à temporalium, quæ deſeruit, bonorum præſtigiis? Sic Paulus ſapienti obliuione, relictæ opulentiæ & gloriæ ignorationem exambit? Heu quam alliciunt mundi bona etſi pietatis fomite vltrò relicta!

Ad Philip. 3. v. 14.

Bona inſecu-li derelicta v. Paulum alliciunt.

S. Thomas ibidem

4\. Geneſ. 19. verſ. 17. hortante Angelo egreſſus eſt de Sodomis Lot, toto honoris & diuitiarum cenſu ibi relicto, tunc è cælo ei intimatur: *Salua animam tuam: noli reſpicere poſt tergum.* Eccur Loto, Lotique familiæ interdicitur, vt relictam Sodomam retroſpiciant? Fortè ne oculis cernant clementiſſimum Deũ ſeueriùs punientem? quaſi Deus erubeſcat iuſtitiæ ſuæ bonum. Forſan ne vel caſtigatæ luxuriæ ſcintillas videat homo pius, vt non gehennalis incendij fomitem oculis hauriat incautus? quaſi ita nimis foret delicata & ſcrupuloſa canæ probitatis caſtitas, vt venenum ebibat, vnde antidotus propinatur. An ne vſtulatis nuper conciuibus miſereatur? quaſi diuina iuſtitia humanam refutet miſericordiam. Opportunè ad rem Hugo Carenſis. *Noli reſpicere poſt tergum. Quidam, inquit, exeuntes de mundo, retrò reſpiciunt diuitias, quas dimiſerunt, vel quas habere potuerunt. Contra quos Lucæ 9. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Sic opes relictæ ad ſui amorem olim poſſeſſores alliciunt, vt quas, dum eas poſſidebant, vltrò reliquerunt, nefas ſit, eaſdem ſemel relictas oculis intueri? Iſtne bonorum temporalium deſertio, fomes ad eadem ſic impotenter appetenda, vt qui diuitias ſponte relictas retroſpicit, regno Dei minoneus cenſeatur? Sic à derelictione pulchreſcunt? ſic deſertione venuſtantur? ô mũdialium bonorum præſtigias! Quid poſſidere percupis, quod dum poſſidebas, faſtidiſti, & dum non habes, auidiùs experis? Planè rei temporariæ cenſus, ab illius carentiâ eſt. Heu nugaciſſima hominum vota, & ridicularia mortalium deſideria! Quid impiè cæcus cupis habere, quod piè oculatus non habere cupiſti?

Qui relicta mundi bona retroſpicit, in idoneus eſt regno Dei?

Lucæ 9 v. 62.

Matthæi 19. verſ. 27. audacter de more Petrus, ſic Chriſtum alloquitur: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Duplex meritum, ipſumque eximium, allegat Petrus, remuneratione digniſſimũ, quò duplicatum præmium reportetur. Attentiùs aduerte ad Chriſti Dei reſponſum. *Ieſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis, ſedebitis & vos, &c.* Et ſtatim ſubnectit. *centuplum accipietis* pro relictis. Quærat aliquis piè curioſus, quam ob cauſam Chriſtus Deus, ſui ſequelam ad præmium computet, & tacitus prætereat bonorum omnium, meriti opulentam deſertionem. Num Apoſtolica paupertas, ea eſt, cuius Chriſtus obliuiſcatur, & eam impræmiatam relinquat? Pulchram hanc quæſtiunculam curſim perſtringit Hieronymus, & his verbis reſpondet: *Non dixit: Qui reliquiſtis omnia: Hoc enim & Crates fecit philoſophus, & multi alij diuitias contempſerunt.* Verùm conſimilis aliorum virtus, virtutis meritum non euacuat ad præmium. Maldonatus ibi exiſtimat, Chriſtum recenſuiſſe quod maius eſt, omiſiſſe verò quod eſt minus. Quaſi maius meritum, meritum minoris virtutis fruſtretur ad præmium. Et quidem dubium auget, quòd Chriſtus omittens illud: *Qui reliquiſtis omnia*, huic merito *centuplum* aſſignat remunerationis titulo. Eccur bonorum omnium deſertionem, non recenſet ad meritum, & eam diſſimulanter ſumptuoſiùs remunerat? An, ne vel piæ deſertionis omnium mundialium bonorum refricet memoriam, & inde eorum ſubeat recordatio? *Non dixit: Qui reliquiſtis omnia*, ſed; *Qui ſecuti eſtis me*, cupiens Apoſtolos tunc rudes, & in virtute tyrones, imitari Paulum in re pietatis, vel in tyrocinio, veteranum; aientem: *Quæ retrò ſunt obliuiſcens*, hoc eſt, *quæ deſeruit temporalia bona* pro Chriſto, vt ex Sancto Thoma nuper notabamus. Heu ſic alliciunt bona temporaria, pro Chriſto etiam relicta, vt diſſimulentur ad meritum, dum etiam ad præmium computantur? Sic ad vitium militat humanæ felicitatis deſertæ blandimentum? Dum præmiatur derelictio, ſic quod derelictum eſt appetentiam extimulat? Quid exaggeratius?

5\. *Derelictio bonorum non recenſetur in Apoſtolorum meritu, ne relicta bona vincinis à deſertione alliciant?*

Hieronym. ibi.

* * *

§. CXLI.

§. CXLI.

Vile pecuniæ lucrum, ſublimioris gratiæ refutans vſuram, deſperationem procurat.

1. RADIX omnium malorum auaritia eſt, fidei naufragium, ſpei nutatio, charitatis torpor, impatientiæ ſtimulus, concordiæ diuortium, diſſenſionis matrix, rixarum fomes; & vt paucis multa dicam, iactura cæleſtium. Porrò cæleſtis gratia, quæ peccatoribus officioſa eſt; neſcio quo arcanè cognato inſtinctu, diuites ſæpè declinat, lucroſos auerſatur, fugit auaros. Actorum 3. Petrus & Ioannes, Apoſtolorum faſtigia, aſcendebant in templum ad horam orationis nonam, & cœptus ad orationem curſus iacenti claudo inopinatum curſum attulit; quaſi orationis appendix fuerit claudi curatio. Nam quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ (vitium enim natiuitatem non expectauit, ſed nixum anticipauit noxa) tunc temporis baiulabatur. Manus alienas de more mutuabatur claudus, & velut ſaxum aliquod in veſtibulo proiectum iacebat. Quem ponebant, inquit, quotidie ad portam templi. Vt exanimatem aliquam naturam. Claudum ibi collocabant, vt ſtipem peteret ab introëuntibus in templum. Cùm naturæ paupertate pecuniarum inopia coniuncta erat, & miſeri calamitates ita partitæ: natura enim malè pedatum genuit, inopia verò rogatorem fecit. Verum miſerabilis erat iſte pauper dum Petrus & Ioannes adueniant; cùm enim eos vidiſſet incipientes introire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet. *Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos.* Arguta planè quæſtiuncula; quare Petrus, vt integram de cælo ſanitatem Claudo accerſat, quòd in ſe & Ioannem figat cum mente oculos importunus mandat? Quorſum oculorum ad ſe diuerſionem poſtulat à Claudo, voce poſtulante, quaſi quid præuium ad miraculi patrationem? luculenter de more Baſilius Seleucus: *Reſpice,* ait, *in nos obolorum captator. Deſidioſum claudum iubet nonnihil lucelli curam remittere. Ne,* inquit, *obolos modò quæſieris: gratiæ mendicus eſto, non pecuniæ:* Nimirùm Petrus, bonus gratiæ œconomus, & peritus cæleſtium diſpenſator; è cælo edoctus, vt cæleſtem ſanitatis gratiam huic Claudo impertiat, accepturo iubet, quòd in ſe oculos attentiùs deflectat, & ita *nonnihil lucelli curam remittat,* vt cæleſtem ſanitatis gratiam vberius recipiat. Sic gratiæ rori, quem iam iam cælum ſtillat, vel miſerabilis oboli corrogatio, & peccuniolæ anxia cupiditas officit, vt Petrus ante gratiæ largitionem, accepturo *iubeat, nonnihil lucelli curam remittere?* Sic arcet gratiam lucri negotium? Vel leuis lucelli cupiditas gratiæ perdit vſuram? Vt autem à lucro oculos auertit Claudus, hanc excepit Petri vocem, è cælo totam: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula.* Pro obolo fer pedes, pro pane temporario naturæ ſupplementum accipe, pro pecuniæ ſolatio vim vſumque membrorum: dum oculos à lucro auertiſti, ſanitatis gratiam è cælo recepiſti.

Vt dei gratia vberrima recipiatur, oculus à ſe intus auertendus eſt.

Actor. 3. v. 4.

2.

Seleu orat. 21.

3. Ecce grandius gratiæ prodigium; vſuram, quam Matthæus cœpit in Telonario, mutatâ cupiditate, conſummauit in Apoſtolo. *Et cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.* Cur Dominus de telonio turpiter quæſtuario ad Apoſtolatus euocauit faſtigium, de humano lucro elegerit ad diuina, niſi indagetur altiùs, facit altiſſimam quæſtionem, & non tantùm quæſtionem, ſed & ſcandalum: ſicut illo tempore circumſtantium patefecit intentio. Quo modo enim infirmitas non laboraret humana, quando videbat apud Chriſtum pecuniam ſic valere, vt daret fraudulento fidem, veniali gratiam, cupiditatis magiſtro officium largitatis, doctori fœnorum magiſterium ſanctitatis, publicano ſeculi cæleſte ſecretum? Vrebat Phariſæos, quòd vſura quæ vaſtat terram tollebatur ad cælum, & hanc quam deteſtantur homines deitas aduocabat. Et hoc dicebant Phariſæi, vt eſſet magnum malum, quod & malis poterat diſplicere. Sanctus Chryſologus quæſtioni, quam ipſe excitauit, ſic acutè reſpondet: *Cum tranſiret, inquit, Ieſus. Non dixit, cum ſtaret ibi: tranſiuit, & pertranſiuit inde Ieſus, ne Matthæus remaneret ibi: tranſiuit inde Ieſus, ne Matthæus taliter permaneret. Vidit hominem, non dixit, vidit Matthæum: quia in Matthæo hominem liberarat.*

Matth. 9. 9.

Chriſtus in Matthæo non tam Publicanum videt, quàm hominem.

Chryſol. ſerm. 28.

Chryſol. ſerm. 9.

4. Scilicet tranſit, & pertranſit Ieſus prope Matthæum ſedentem in telonio ad turpis lucri vſuram; ſed nec Matthæus aduertit ad Domini tranſitum, nec oculos dirigit ad Ieſum: Sedet adhuc in telonio, quem *Diuitiæ ſic alligabant vinculis cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iuſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret.* Quid faciat Chriſtus Matthæi lucrandi piè auarus? nam Publicanus totus ad pecunias attentus, ad eius tranſitum non modo non ſurgit ad ſequelam, ſed nec ei ad vrbanitatem aſſurgit; neque, ſicut nuper Claudus in Petrum, Publicanus porrigit aſpectum ad Chriſtum: aduerte ad gratiæ officioſitatem. *Vidit hominem, non dixit, Vidit Matthæum; quia in Matthæo hominem liberarat.* Benigniſſimos oculos conijcit Chriſtus in Matthæum auarum, lucroſum, publicanum; ſed in publicano Matthæo, non dicitur vidiſſe Matthæum publicanum, ſed hominem, quaſi Chriſtus, vt Matthæum cælitùs ad ſe aduocet, in Matthæo non tam videat publicanum, quàm hominem. Et quaſi oculorum aciem auerterit Chriſtus à lucroſo publicano; non in Matthæo publicanum, ſed hominem vidiſſe dicitur in Matthæo: *Vidit hominem, non dixit, Vidit Matthæum: quia in Matthæo hominem liberarat.* Sic ab homine lucris dedito reſilit gratia? Sic auara pecuniarum lucra cælum reſpuit? ô auaritia cæli auerſatrix, gratiæ abortus, iactura cæleſtium, & infelix animarum naufragium! Vide pias diuinioris gratiæ (vt ſic loquar) aſtutias, vt quem vitium auaritiæ præſcribit, ad virtutem tranſcribat.

Idem ibi.

Verùm enimuerò piiſſimi Redemptoris oculi, 5.

Chryſol. ſuprà.

ocali, qui in Matthæo Apoſtolo non tam Publicanum, quem auerſatur; quàm hominem, cuius miſeraretur, videre dignatus eſt, vt *daret manum lapſis, ſpem reſtitueret deſperatis; redderet vitæ, quos ſibi iam mors detinebat addictos*, auaritiæ malo: in alio Apoſtolo (fortè ne tanti ſceleris venia facilis præſcribere videatur) non tam nudum hominem, quàm hominem auarum vidit, & cognatæ deſperationi ſeueriùs permiſit. Reſcribam Valeriani Cameſienſis verba, plena acuminis; qui ſic de Iudæ proditoris auaritiâ fatur, verſans illud 1. ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas. Ecce*, inquit, *ille Dominus ac Saluator noſter exitum voluntariæ Paſſionis vitio alienæ cupiditatis impleuit. Legimus damnationem Redemptoris noſtri triginta argenteis comparatam. Sed ſicut vidiſtis proditionem ex cupiditate venire: ita debetis agnoſcere damnationem ex proditione deſcendere. Proditus quidem ductus eſt, ſed proditor currit ad laqueum. Ecce quid fructus habet cupiditas, pecunia damnationis ad comparationem ſepulturæ repoſita; hoc eſt, funeribus deputata.* Expende attentiùs (vt alia omittam) in Valeriani verbis, lucri cupiditatem in Iuda, in Chriſto *exitum Paſſionis impleuiſſe*. Nempè Paſſio, quæ adſpectu ad Chriſtum Deum, voluntaria fuit, & auguſtiùs merendi meta; ſi humanâ malitiâ *implenda* erat, non niſi lucri cupiditate fuerat adimplenda. Tanta in Chriſto merendi ſublimitas, non niſi tantâ demerendi temeritate à Iudâ velut complenda fuit. Æmuletur demerendo Diſcipuli auaritia, theandricum Magiſtri meritum, in Paſſione in primis generoſum; & auaræ prauitatis inſana malitia contendat cum Dominicæ Paſſionis eximiâ bonitate, & de nequitiæ demerito complere exambiat infinitum Paſſionis meritum; quandoquidem *Redemptor noſter exitum voluntariæ Paſſionis vitio alienæ cupiditatis impleuit*. Verum cùm gratiæ deſperatio, ſit auaritiæ fructus, (vt nuper ex Chryſologo notabamus) Redemptor auaritiâ *proditus, ductus eſt ad ſupplicium; ſed Proditor currit ad laqueum. Ecce quid fructus habet cupiditas: pecunia damnationis ad comparationem ſepulturæ repoſita, hoc eſt, funeribus deputata.* En auaritiæ fructus funeribus deputatur, & cæleſtium ſperandorum fiducia, ſimul cum pecuniâ lucri in Iuda funeratur: nam dum Chriſtus ducitur ad Paſſionem, Iudas currit ad laqueum, & damnationis pecunia funeribus arcanè deputatur.

Iuda auaritia Paſſionem impleuit.

1. ad Tim. 6. v. 10.

Valeri. homil. 20.

Hîc v. 1.

Ecce tibi hîc quàm longè ab auaritiâ velit Deus ſuum Abrahamum; cùm paternæ domus exul euocatur, dum opulentum primogenij cenſum captare debuiſſet. Hominem gratiæ factum, auari-
tiâ vacuum.
quærit.

§ CXLII.

Mundialia bona virtuti adrident, non vt poſſideantur, ſed vt poſſeſſa p o Chriſto repudientur.

QVAM ignorant homines mundanæ gloriæ cupidi, quid illa ſit, & quemadmodum petenda. Humana laus, non vitij, ſed virtutis ſtipendium eſt. Sed heu, cæleſtis virtus, & terrena laus rarò habent concordiam! Sic ſunt inania, ac penè nulla hominum iudicia, vt non quod æſtimandum eſt, ſed quod æſtimant laudent, honores inquam, nugaces, mentitam nobilitatem, & fugitiuas opes. Quæ omnia ad id duntaxat poſſeſſa conducunt, vt habeat homo quid glorioſè relinquere poſſit, amore Chriſti, & ſtudio virtutis. 1.

Exodi 1. ingratus Rex, & Iſraëlitarum inuidiâ malè ſaucius, ita Ægypti proceres alloquitur, quò Dei populum dirè opprimat: *Ecce*, inquit Pharao; *populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt. Venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egrediatur de terrâ.* In multis peccat hic Pharaonis ſermo ad conſiliarios ſuos habitus, vt ſibi ſubiectum Dei populum & immenſis tributis, & oneribus dirè vexet. Primò proponit ſeu ſupponit falſum; quod eſt vitium Principibus agnatum, cùm conſultorum ambiunt ſuffragium. (Viderint conſultores, an quæ quaſi indubia ſupponuntur, vera ſint, an fucata & mentita; ne re prævio examine indiſcuſsâ, ſuffragium, quod imperitè ferunt, magno luant) Ait enim: *Populus filiorum Iſrael fortior nobis eſt*, vt inde eum & oneribus opprimat, & tributis auariſſimis deprædetur. Quod ſi verum foret, Iſraëlitas numero & robore tunc Ægyptios ſuperare, quid neceſſe eſſet, vt Iſraëlitæ bellum Ægyptiis ingruens expectarent, vt iugum ſeruitutis excuterent? Sed venio ad rem. Et nota mihi rationem; quam conſiliariis ſuis Rex proponit: *Ne forte*, inquit, *ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egrediatur de terrâ.* Quæ verba ſic eleganter inibi Rupertus elucidat: *Benè ergo rem aperit, dum præmiſſo, Ne ſi ingruerit contra nos bellum, non addidit, expugnatis nobis obtineat terram, ſed egrediatur è terrâ.* Dei populus vt egrediatur de terrâ, terram expugnat. Expugnat Ægyptum, non vt eam obtineat, ſed vt ex Ægypto ad terram promiſſionis egrediatur. Niſi expugnatâ Ægypto, ad terram promiſſionis non patet aditus? Terram expugna, vt cælum obtineas. Mundum detriumpha, non vt eum poſſideas, ſed vt eum deſeras. Glorioſa & prædiues Ægyptus expugnanda eſt, vt glorioſè eam poſſis relinquere. Ægyptus, quæ malè poſſidetur, benè expugnatur, vt 2.

Exod. 1. v. 9. & 10.

Ne Principes falſa conſultoribus proponant, vt approbationem extorqueant.

Rupert. ibi.

Dei populus Ægyptū expugnet, non vt in eâ habitet, ſed vt inde egrediatur.

meliùs

meliùs deſertum Ægyptum viriliter expugna, non vt glorioſum regni auarus poſſeſſor obtineas, ſed vt illud glorioſus deſertor abiicias. *Bene ergo rem aperit, dum præmiſſo, ne ſi ingruerit contra nos bellum, non addidit, expugnatis nobis obtineat terram; ſed egredietur è terra.* Mordaciſsimè & præclariſsimè quidem Rupertus: *El pueblo de Dios conquiſta e nuera a Egipto, no para gozar el poſſeerle, ſi no para poder negar el dexarle.* Et Abrahamo hic primogenitii iure tot bona temporalia obueniunt, non vt illa poſſideat, ſed vt illa relinquat:

Hic v. 1. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.*

3. Matth. 1. Matthæi 1. ſic Ieſuanæ genealogiæ lineam Euangeliſta texit: *Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.* Ad quæ verba ſic ſcribit Chryſoſtomus. Cuius, inquit, rei gratiâ cùm meminiſſet Abrahæ, atque dixiſſet, quia genuit Iſaac, & Iſaac Iacob, nec fratris eius mentionem facere curaſſet; ad Iacob veniens, non ſolum Iudam, ſed & fratres eius annumerat. Quidam ſanè propter malignitatem morum Eſau, & aliorum id factum eſſe voluerunt: ego verò iſtud omnino non dixerim. Si enim hoc eſſet, quâ ratione paulo poſt talium meminit feminarum? (Attende diligentiùs ad verba, quæ ſubtiliter Chryſoſtomus ſubdit.) *Hic enim ex contrario oſtendit dignitas Chriſti, non quia magnos progenitores habeat, ac parentes, ſed quia exiguos ac viles. Sublimium quippe illa maxima gloria eſt, ſi poſſint quàm maximè ſe ſubmittere.* Nimirum ex contrariis effulget ſumma Chriſti, & Chriſtianorum ſublimitas.

Summa gloria Chriſti, eorum minimum ſe ſubmittere.

Chryſoſt. homil. 3. in Matth.

In homine ſeculariter generoſo humilis exiguitas, & vilitas contumelioſa, Chriſtianæ gloriæ faſtigium attollit. Ille quàm maximè eminet, qui auguſtiorem curat ſublimitatem demittere, & humanæ gloriæ apices cum probroſâ vilitate glorioſè permutare. Humana ſublimitas, & glorioſior dignitas, quà deſeri & contemni poteſt, Chriſtianam dignitatem adſtruit, & exaggerat. Ambitus honor, ignominia eſt; contemptus verò, excelſior dignitas. Qui adepta faſtigia vltrò proculcat, ſupra faſtigia attolli neceſſe eſt. O miram & nouam conditionem, de corporati Verbi ſcholâ mundo ediſcendam! Culmen generoſitatis eſt generoſitatem ſponte abdicare. Maximum ſummi honoris commodum eſt, poſſe ſtudio virtutis contemni. *Sublimium quippe illa maxima gloria eſt, ſi poſſint quàm maximè ſe ſubmittere.* Quid elegantius, & verius? *Solo es buena la honra del mundo, para tener que dexar por Chriſto.*

4. Matth. 5. 4. August. l. 1. de Serm. Dom. in monte c. 4. Matthæi 5. *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophylactus, illam, in quâ viuimus, terram interpretantur. Et ſanè mirabile eſt, quòd Chriſtus qui nuper paupertatem commendauerit, & beato cælorum regno munerarit, vt cenſent Tertullianus, Cyprianus, & Hieronymus, quibus ſubſcribit inibi Maldonatus; nunc mititatis præmium ſtatuat terrenarum rerum opulentiam. Vtrumque enim ex alterutro facilè redarguitur, aut opes eſſe malas, quarum abdicatio regno cælorum muneratur; aut eſſe bonas, quippe mititatis præmium deſignantur à Chriſto. Porrò ſi bonæ eſſent, non cæli præmio earum derelictio honoraretur; & niſi bonæ eſſent, non in mercedem virtutis addicerentur. Verùm enimuerò diuitiæ abdicatæ meliorem paupertatem conflant, & inde cæleſti præmio paupertatis meritum honoratur. Conſtituuntur etiam mititatis præmium, quia mitis, ne cum aliis rixetur, facilè bonis ſuis cedit, quod innuunt verba Chryſoſtomi, non ſenſus. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Chriſtus hic ſpiritualibus ſenſibilia miſcuit, quoniam æſtimatur qui mitis eſt omnia ſua perdere.* Quoniam mitis æſtimatur omnia ſua expromptè perdere, ne rixas pro temporalibus excitans, amittat æterna, ideò Mites bonis terrenis cumulatè numerantur; non vt ea diutiùs habeant, ſed vt habeant, quod amittant, & perdant: *Las riqueças ſolamente ſon buenas para tener que dexar.* Datur illis ænigmaticè argutum præmium, non quod poſſideant, ſed quod cumulatiori merito deſerant. Non auara poſſeſſio, ſed larga abdicatio, eſt arcanum diuitiarum ſtipendium. Quaſi opulentiæ cenſus, ſit mititate abdicationem negotiari.

Mitibus terrena bona promittuntur, vt ea relinquant.

Chryſoſt. in Catena.

Celada ac Benedict. Pantaleo.

§ CXLIII.

Largior eleemoſyna opum congerendarum arbitrium eſt, arcanâ benignitatis vſurâ.

QVI humanam ſtipem egenti porrigit, nec quod donauit perdit, & omnes opes Deo in paupere fœnerat lucroſo quæſtu, & pium diuinæ miſericordiæ latrocinium nundinatur. O magnum eleemoſynæ ſacramentum, quo & donata, alienatione recuperas, & ſumptuoſiùs incrementas, opulentâ pietatis vſurâ! Geneſeos 43. vndecim Iacobi filij, dira fame oppreſſi, frumentatum in Ægyptum redeunt, ne inopiæ malo omnes pereant. Et nimis ſolliciti de pecunia in ore ſaccorum inuentâ, in ipſis Præfecti foribus ita loquuntur ad eius diſpenſatorem, qui eam inibi liberaliſſimè repoſuit. Oramus domine vt audias nos. Iam ante deſcendimus vt emeremus eſcas: quibus emptis, cùm veniſſemus ad diuerſorium, aperuimus ſaccos noſtros, & inuenimus pecuniam in ore ſaccorum: non eſt in noſtra conſcientiâ quis poſuerit eam in marſupiis noſtris. At liberaliſſimi Ioſephi largus diſpenſator, ita reſpondit: Pax vobiſcum, nolite timere, Deus veſter, & Deus patris veſtri dedit vobis theſauros in ſaccis veſtris. *Nam pecuniam, quam dediſtis mihi, probatam ego habeo.* Iubente liberaliter Ioſepho, eius diſpenſator pecuniam illam in ſingulorum ſaccis diſſimulanter repoſuit, & nunc ait eandem *probatam* apud ſe habere? Num apud ſe nunc auarè retinet, quod olim liberaliter dedit? Quodnam eſt hoc *argentum*, (ait inibi Auguſtinus,) *quod datur, & non minuitur?* An quod occultè peregrinis & egentibus datur, tutius ſeruatur? occulta in famelicos beneficentia, largitionibus cenſum non minuit, ſed

1. Paulin. epiſt. 35.

Argentum quod eleemoſyna donat, nunquam minuitur.

Geneſ. 43. 23.

S. Auguſt. in qq. in Gen.

Q ... citiùs

cutiùs ſeruat. Beneficentia in egentes, munerum arcana vſura eſt, plus apud ſe retinens, quàm aliis impendit. Bonus diſpenſator, qui pecuniam clanculùm peregrinis donatam, *probatam* apud ſe adhuc retinet: arcano enim miſericordiæ ſacramento, *argentum, quod datur, non minuitur*. Scilicet hic liberalis diſpenſator, dum aliud agit, miſericordiæ typum offert. Offert & Abrahamus, qui quò plus peregrinis & egentibus donabat, eò ad tantam deuenit opulentiam.

Hic v. 1.

2\. 3. Regum 17. ad os Eliæ cælum clauditur: fame premitur Iſraëlis populus, periclitatur & ipſe. Feſtinat ad Sidonem, ſi forte ibi peregrinaretur annona. Cumque peruenisset ad portas ciuitatis Sarephtæ, occurrit illi mulier paupercula & vidua; & panem, & aquam ab eâ poſtulat. *Quæ reſpondit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria; en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Eccur Elias à muliere illâ, quam egeſtate oppreſſam propheticæ videbat oculis, pabulum ſingulariter expetit? Annon erant in vrbe Sarephtâ viri aliqui & feminæ principes, quæ illi cibum facile parabilem, ſine magno impendio vbertim ſuppeditarent? Quam ob cauſſam ſtipem petit à viduâ, quæ illum petere non minus indigebat? An, vt dum petit panem, modicam hydriæ farinam exhauriat? an potiùs, vt miſericordi largitione illam non euacuet, ſed tumulatè impleat? Eleganter Chryſologus: *Elias illius viduæ victum eſurinit extremum, & paruulorum eius ſuâ fame vexauit anguſtias; nouum deferens ſuâ petitione miniſterium, vt petendo tribueret, eſuriendo ſaturaret, & exhauriendo, deficientibus horreum diuinâ largitate cumularet.* Vide pietatis arbitrium, & propheticæ beneficentiæ ingenium. Pugillus farinæ in hydria duntaxat pauperi viduæ ſupereſt; ergò donet illum, vt habeat; eroget, ne vnquam deficiat: *Et ex illa die hydria farinæ non defecit*, ſed hauriendo, nunquam exhauritur; & quò magis euacuatur, reficitur magis, atque ipſâ vacuitate plus impletur. Itaque Elias ſuâ petitione extremum viduæ illius victum eſuriens, non tam & filiolos acrioris famis inopiâ vexauit, ſed nouam deferens annonæ prouidendæ officinam, petendo tribuit, eſuriendo ſaturat & ſuâ inopiâ hydriam exhauriendo, illam diuinâ largitate vberiùs cumulat iugi penario.

3\. Reg. 17. 12.

Ad pan., vrcu-lâ viduâ pa-nim poſcit Elias, ne vi-dua vnquam inde deſit panarium.

S. Chryſol. ſer. n. 156.

3\. Matthæi 5. *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* An non rem communem ſingulari miſericordiæ promittit? Ecquis eſt ita à Deo alienus, qui infinitæ eius miſericordiæ exors ſit? Quis tam auarus, tam immiſericors & durus inuenietur, qui infinitæ miſericordiæ munera non vbertim excipiat? Porrò humanæ miſeriæ velut tributaria eſt diuina miſericordia, infinitatis titulo. O iciunam eleemoſynæ mercedem! Miſericors alienat quod habet, & præmij nomine accipit quod habebat? Audiendus eſt S. Hilarius, diſertiſſimus huius ſententiæ expenſor: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. In tantum enim, inquit, beneuolentia noſtra in omnes delectatur affectu, vt miſericordiam ſuam ſit ſolis miſericordibus præſtituru*[illegible]

Matth. 5. 7. *Deus miſericordiam ſuam ſolis miſericordibus præſtat.*

Hil. Can. 4. in Matth.

rus. O illuſtre & opulentum humanæ miſericordiæ priuilegium! Tantùm viri miſericordis miſeretur Deus? Omnia quæ infinita Dei miſericordia in homines parturit dona, ad ſolos miſericordes deſtinantur? Sola pietas humana, heres eſt pietatis diuinæ? ô bonum commercium, quo pro modico miſericordiæ humanæ ſtillicidio, denſum excipis cæleſtis munificentiæ imbrem! ô lucroſam vſuram, quâ modicis eleemoſynæ impendiis, totum diuinæ miſerationis cenſum mercaris! ſiquidem Deus humanæ miſericordiæ ſuaſor & aſſertor, dicitur *miſericordiam ſuam ſolis miſericordibus præſtiturus. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Quid exaggeratius?

4\. Demoſthenes aliquando interrogatus: *Quid Deo ſimile haberent homines? reſpondit: Benigne facere.* Hæc obſcuro naturæ lumine allucinatus Philoſophus. At ſancti Eccleſiæ Patres, ſicut altiùs de miſericordiâ ſentiunt, ita magnificentiùs loquuntur. S. Chryſologus expendens illud Matthæi 6. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, ita fatur: *Satis poteſt homo miſericors, qui cum Deo de pietate confligit, cum tantum ſibi dari, quantum dederit; quantùm donarit, tantum deſiderat & donari.* Ecce tibi, humana pietas cum diuinâ decertat: & diuinæ miſericordiæ velut menſura & norma, humana miſericordia proponitur, quod apprimè inibi Nyſſenus aduertit. Scilicet parùm foret, quòd *Benignè facere*, homines faceret Deo ſimiles; & quòd homo miſericors *cum Deo de pietate confligeret.* Dei pietatem piè ſuperbus æmulando: niſi etiam humana miſericordia, velut diuinæ miſericordiæ menſura poneretur, quod denotare videtur vocula illa *ſicut: cum homo miſericors tantùm ſibi dari, quantum dederit, quantum donarit, tantum deſiderat & donari.* Luculenter planè Chryſologus.

Max. ſer. 8. *Eſt humana miſericordia diuinæ menſura?* Matth. 6. 12. Chryſol. ſer. 70.

§. CXLIV.

Pauper eleemoſynis, vltrà quàm poteſt, erogandis, obæratus eſt.

1\. PAVPER miſera egeſtate oppreſſus, eleemoſynam non dare, ſed accipere idoneus eſt: exinde inopiæ malo tanti boni exors cenſetur. Verum nemo, nemo quidem pauperiem cauſetur, quo miſericordiam excuſet. Supra vires audet pietas, etiam in paupertate munifica. Eleganter Cæſarius ita hac ſuper re ſcribit: Pro capitalibus verò criminibus non hoc ſolùm ſufficit, ſed addendæ ſunt lacrymæ, & rugitus & gemitus, continuata & longo tempore procraſtinata ieiunia: *Largiores eleemoſynæ, etiam pluſquam nos ipſi valere poſſumus, erogandæ, vltro nos ipſos à communione Eccleſiæ remouentes, in luctu & triſtitiâ multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes; quia iuſtum eſt, vt qui cum multorum deſtructione ſe perdidit, cum multorum ædificatione ſe redimat.* Non expendo nunc hominem eleemoſynis *ſe redimere*, quod

S. Cæſar. hom. 8.

Supra quàm poſſumus, eleemoſynæ erogandæ ſunt.

grande

grande miſericordiæ elogium eſt, ſed vltra pij largitoris cenſum eleemoſynas beneficè erogandas: *Largiores eleemoſynæ, etiam pluſquam nos ipſi valere poſſumus, erogandæ.* Supra poſſibilitatis metas audeat Chriſtiana pietas, & plus pauperibus donet, quàm donare enalet: ne anguſta paupertas peramplo miſericordiæ bono infeliciter viduetur, magno pietatis detrimento.

2. Iſaiæ 58. v. 6. & 7. *Panem eſurienti frangere, arcanum ieiunium eſt*

Iſaiæ 58. *Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? Frange eſurienti panem tuum,* &c. Non exiguam interpretibus faceſſit operam præfata Iſaiæ ſententia. Porrò frangere eſurienti panem, & alimentum egeno porrigere, inidonee ieiunium videtur nominari. Nisi fortè ſatietate inopis, alimenti largitor ieiunet. Ieiuniumne eſt, frangere eſurienti panem? *Dar de comer al pobre, es ayunar?* S. Cæſarius Arelatenſis litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè his verbis Iſaiam exponit, ad præſens thema opportunus interpres. Sic enim ait:

Cæſar. homil. 1.

Hoc eſt ieiunium quod elegi, dicit Dominus: Frange eſurienti panem tuum. Non dixit, vt integrum daret, cùm fortè pauper ille alium non haberet; ſed Frange inquit: hoc eſt dicere, etiam ſi tibi tanta paupertas eſt, vt non habeas niſi vnum panem, ex ipſo tamen frange, & pauperi tribue. Scilicet ſi tantâ premeris inopiâ, vt alendæ familiæ vnus ſuppetat duntaxat panis, piè ex eo fruſtulum frange, & illud tecum pariter eſurienti tribue. Auara neceſſitas beneficam non vetat pietatem: tuo ieiunio famem pauperis redime: victus neceſſarij anguſta neceſſitas, non ſit immiſericordiæ mater, & pietatis nouerca; ſed miſericordiæ fomes, & eleemoſynæ promptuarium. Dona parum, ſi multum donare non potes: *Largiores eleemoſynæ, etiam pluſquam nos ipſi valere poſſumus, erogandæ ſunt*, ne paupertas ſit pietatis diſpendium, ſed miſericordiæ conceptaculum. Tuo ieiunio alienam famem extinctam. Et hoc eſt ieiunium, quod elegit Dominus. Paupertati pietatem annecte, vt ſit pietas paupertatis ſequela. Tibi vni deſit, ne quid vlli vnquam deſit. Inopia, quæ aliorum miſericordiam irritat, immiſericors non eſt; nec ſatis protegitur egeſtatis aſylo.

3. 3. Regum 16. Elias itineris labore, ſiti æſtuat, & communi fame periclitatur. Surrexit ergo, & abiit in Sarephtam Sidoniorum vrbem. Cumque veniſſet ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna; &

Pauper victū primò promidet aliis, deinde ſibi, ne à benignitate exors ſit.

vocauit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vaſe vt bibam. Cúmque illa pergeret, vt afferret, clamauit poſt tergum eius, dicens: Affer mihi obſecro & buccellam panis in manu tuâ. Quæ reſpondit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quãtum pugillus capere poteſt farinæ in hydriâ: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur:

3. Reg. 17. v. 13 & 15.

Ad quam Elias ait: Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti: verumtamen mihi primum fac de ipſâ farinulâ ſubcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies poſtea.... Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eliæ: & comedit ipſe, & illa, & domus eius. Crudelis planè videtur Elias, imò & inurbanus. An in vrbe Sarephtâ non erant viri principes & opulenti, qui facile poſſent fruſtulum panis abſque tanto impendio Prophetæ porrigere? Ecur ad viduam extremâ egeſtate oppreſſam vadit, & à miſerabili miſericordiam extorquere ambit? Quin & ſibi primùm ex farinæ pugillo ſubcinericium fieri poſtulat, quod inurbanitatem ſubolet. Moraliſſimè inquit P. Gaſpar Sanctius, litteris & ſanctitate illuſtris: *Hinc diſcant illi, quibus tenuis eſt, & anguſta fortuna, ſibi non deeſſe, quò diuinam ſibi miſericordiam mereantur, ſi ex eo quod ſibi neceſſarium habent, licet illud ſit exiguum, quia in eo pars etiam ſanguinis, & vita exhauritur, non eſſe quod confertur exiguum.* Scilicet con ultiſſimè & exiguo viduæ pauperis alimento poſtulat Elias, quantumuis pauperculæ mulieri foret *neceſſarium*, vt diſcant inopes exortes non eſſe à miſericordiæ præſtandæ bono, nec inopiæ priuilegio immunes; quandoquidem *eleemoſynæ, etiam pluſquam nos ipſi valere poſſumus, erogandæ* ſunt. Primam farinulæ partem confidenter petit Elias à viduâ paupere, qui vix, aut nec vix quidem poſtremam à diuite præſumeret. Non eſt inurbanus Propheta, ſed iuſtus, cum vel pauperi *neceſſaria*, à paupere petit. Non eſt crudelis, ſed pius; plus enim Elias petendo donat, quàm vidua præſumet accipere; cùm eleemoſynæ ſupra id quod poſſumus erogandæ ſint, inopinata pietatis vſurâ. P. Sanct. ibi.

Matthæi 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum..... amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Exiguam, & facilè parabilem miſericordiam hic exigit Chriſtus, an vt pauperibus eleemoſynæ non faciendæ omnem præcludat excuſationem? Bellè S. Cæſarius: *Sed quis erit*, inquit, *qui ſe poſſit excuſare, cum pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit? Et quare frigidam dixit? ne fortè poſſit aliquis pauper de lignorum penuriâ excuſare; aut certè dicere, ſe vaſculum vbi aquam calefaceret, non habere.* Nemo putet, quantalibet egeſtate oppreſſus, ſe immunem eſſe à miſericordiæ cenſu. Omnes etſi paupertatis malo laborantes, eleemoſynæ bonum ſuſpicent. Stipendium humanitatis, eleemoſyna eſt, quàm nulla rei familiaris anguſtia ſufficienter excuſat; quandoquidem *eleemoſynæ, etiam pluſquam nos ipſi valere poſſumus, erogandæ* ſunt. Infortunata foret paupertas, miſericordiæ bono viduata. Paupertas duplici exagitetur benignitatis fomite, dum pietatem, quam in aliis ciet, in ſe negotiatur, reciprocâ beneficentiâ. Sit humanior pietas inhumanæ paupertatis viaticum. Donet paupertas ſupra id quod poteſt, ne quod liberaliter debet accipere, auarè perdat. Hoc pio virtutis arbitrio tantam opulentiam mercatus eſt Abraham, qui ſua hîc deſerens, miſericordiæ ingenio opulentiſſimè locupletatus eſt.

4. Matth. 10. v. 42.

Cæſar. homil. 1. *Paupertas benignitatē, quam in aliis ciet, in ſe negotiatur.*

***

§. CXLV.

Appendices eleemoſynæ laudes, quæ Abrahamum eximiè illuſtrarunt.

Paulin. epiſt. 32. Matth. 25. v. 4. *Non auaritia ſtudio Chriſtus in pauperes eleemoſynas capit.*

1. NON *auaritiæ ſtudio accipere deſiderat Deus (quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis) ſed largitatis affectu. Quid enim non habet, qui omnia dedit?* Munificè liberalis in pauperes, habet iam in Chriſto magnum ſui pignus, piè ambitioſum ſuffragium, eleemoſynam inquam; quâ mortalis vita ſtipendiis immortalitatis ornatur, ſingulari ſanctitatis elogio, & auguſtâ prærogatiuâ virtutis.

Pſal. 48. v. 17 & 18 *Viua ſunt opes, quæ eleemoſyna nomine erogantur*

2. Nollem vt eleemoſynæ bonum noſtro tempore metiaris, diuitiæ, quas poſſides, caducæ & emortuæ ſunt, & cum vitâ pariter perituræ. *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* Quod pauperibus piè erogas, occulto miſericordiæ miraculo, fidei calore viuificas. *Viuis opibus, hoc eſt, eleemoſynis*, pauperes proſequi, hortatur S. Paulinus. Viuas opes eleganter appellans, quæ impenduntur egenis; quippe quæ immortalitatis priuilegio donantur. *Noli ergo* (ait S. Cæſarius) *deſpicere inopem, qui cùm ſibi pauper ſit, facere te diuitem poteſt. Rapiamus ergo de præſenti ſeculo feruente deuotione quod poſſumus..... gratias agentes illi, qui ita diſpenſauit vtramque vitam, vt laborum & agonum tempora cito finirentur, honorum vero, & præmiorum gaudia ſine fine durabunt.* Nempè quod de tuo pauperibus tribuis, pio miſericordiæ furto, de ſeculo rapis: & reculas tuas caducas & emortuas, *viuas opes*, atque immortalitatis candidatas, fidei calore reddis: ô benè furacem pietatis auaritiam, quæ citò morituras opes æternùm animat ad æternitatis opulentiam!

Paul. ep. 35

Cæſar. homil. 1.

Pia eleemoſyna furacitas prædicatur.

Matth. 25. v. 36.

3. Matthæi 25. in poſtremâ illa finalis iudicij die ſic Chriſtus Deus prædeſtinatis loquetur: Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me: *nudus, & cooperuiſtis me*, &c. Audis Chriſtum temporaliter in paupere veſtiri? audi etiam qualiter Chriſtus in æternitate veſtiat, qui piè illum veſtiuit in paupere. Luculenter id deſcribit idem Cæſarius, quo ſolet ingenij acumine, & ſermonis nitore: *In perpetuum*, inquit, *nudus erit, qui hîc indumentum nuptiale perdiderit, vbi malus maculoſa conſcientiæ tenebris, bonus verò pallio immortalitatis & beatitudinis veſtietur; vbi indumentum merita erunt.* (Nota attentiùs quæ ſubiicit verba) *Ibi ergo pro ſanctorum corporum tunicâ lux fulgebit æterna. Ibi veſtitus nullis ſeculis exuendus, conuertetur in corpus. Ibi indumentum tranſibit in præmium. Angelica illa ſtola non iam erit amictus, non iam erit habitus, ſed natura. Numquid ibi iam auarus aut tenax de abundantiâ ſua benè facere alteri poterit, &c.* De caduco ſeculo *viuas opes* miſericordia facit, & ſurripit: nunc pro veſtito paupere, pallio immortalitatis te veſtiendum diſcis. *Ibi veſtitus nullis ſeculis exuendus conuertetur in corpus: & Angelica illa ſtola iam non erit amictus, non iam erit habitus, ſed natura.* Scilicet pro ſanctorum corporum tunicâ lux fulgebit æterna, quæ arcanâ metamorphoſi velut tranſeat in corpus, nec tam videatur habitus, quàm natura: ô lucroſum miſericordiæ commercium! pro attritâ & pannoſâ veſte, quâ nudum forinſecus induis, quaſi viuam ſupernæ claritatis veſtem intrinſecus accipis; quæ nullis ſeculis exuenda, quodammodo conuertatur in corpus. Concorporatur illi cæleſtis amictus, qui corporis ſui conſortem veſtire non neglexit: ô rape occaſionem inopinatæ felicitatis, dum temporariâ veſte, æternum, & velut concorporeum in cælo amictum feliciter negotiaris!

S. Cæſarius homil. 1. *Pro veſtitu pauperi donato, r. donatur lucida veſtis, quæ tranſit in corpus.*

Matthæi 26. occaſione pretioſi vnguenti ſuper Chriſti caput piè effuſi, obmurmurant diſcipuli; ſatiùs fore aientes, vnguentum illud vendidari, & in pauperum eleemoſynas erogari. Sciens autem Ieſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me, *nam ſemper pauperes habebitis vobiſcum: me autem non ſemper habebitis.* Dura planè aduerſus homines ſententia, quâ plures vſque ad mundi finem paupertati damnantur. Hinc ſedulò peruestigant interpretes, quare Deus munificus hominum amator, & omnipotenter locuples, pauperes in hoc mundo eſſe permiſerit. S. Cæſarius rem hanc diligenter pertractat, & ſubtiliter ſic reſpondet. Non piget plura eius verba conceptuum fœcunda reſcribere. *Ego aut puto*, inquit, *quia ideo Deus noſter pauperes in hoc mundo eſſe permiſerit, vt in pauperibus diuitum fidem probaret: vel in pauperum miſericordiâ diuitibus miſereretur, vt abundantibus boni operis, ac redemptionis ſuæ occaſio non deeſſet; vt beneuolum locupletem inopia aliena ditaret, & opulentior quiſque, ingentia de egente lucra reciperet, & mirifico ſummoque commercio, dum inopi miſericordia temporali largitate confertur, inde æternus theſaurus compenſetur.* Nota hîc mihi multiplex eleemoſynæ elogium. Primò altâ Dei prouidentiâ pauperes permittuntur, *vt in pauperibus diuitum fidem probaret.* An diuitum fides dubia eſt, quam non probant & approbant eleemoſynæ? Diuitum probatur fides miſericordiæ ſuffragio? Deinde pauperes Deus permittit in mundo, *vt beneuolum locupletem inopia aliena ditaret.* Quaſi pauper, ſit locuples alienâ opulentiâ: & diues, alienâ paupertate ditetur. Adhæc pauperes Deus permittit in mundo, vt diuitibus *redemptionis ſuæ occaſio non deeſſet.* Eſtne diuiti aliena inopia ſuæ redemptionis occaſio? Si pauperis inopia non occurreret, diuitibus ſuæ redemptionis occaſio deeſſet? Sic periculoſæ ſunt diuitiæ, vt diuites aliâ indigeant redemptione? Sic eſt meritorum locuples redemptrix eleemoſyna, vt vel diuitibus geminatam præter redemptionem? Diuites Chriſti Dei ſanguine redempti, adhuc indigent arcanâ beneficentiæ redemptione? Denique quid eſt, quod dum

4\.

Matth. 26. v. 11.

Cæſar. homil. 1.

Diuitũ probatur fides miſericordiæ ſuffragio

5\. *Inopia aliena diuitem locupletat.*

Pauper eſt redemptionis occaſio.

ctum inopi miſericordia temporali largitate confertur, inde æternus theſaurus compenſatur? ô quàm multa paucis! *De la lymoſna temporal ſe haçe recompenſa à los eternos theſoros de la gloria.* Nam vt tempeſtiuè nuper laudatus Doctor ediſſerit: *Manus pauperis gazophylacium Chriſti eſt.*

Manus pauperis gazophylacium eſt Chriſti. Idem homil. 2.

6\. Cæterùm cùm tot miſericordiæ referuntur elogia, & peccatorum redemptrix eleemoſyna prædicatur, *Nemo putet quòd quotidiana adulteria* (idem iudicium eſto de reliquis flagitiis capitalibus) *eleemoſyna quotidiana conſumant. Aliud enim eſt mutare vitam, aliud colorare vitam*, vt eleganter dixit S. Cæſarius, cui hunc paragraphum totum debes. Decolor eſt ſine miſericordiâ vita, quam eleemoſynæ colorant.

Eleemoſyna vitam colorant. Cæſar homil. 16.

§ CXLVI.

Frequens & populoſa ciuitas, vt regni, ſic & vitiorum metropolis eſſe ſolet.

1\. Seneca. epiſt. 7.

QVID tibi vitandum præcipuè exiſtimem, quæris? Turbam. Numquam illi te tutò commiſeris. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores, quos extuli refero. Aliquid ex eo quod compoſui, turbatur; aliquid ex his quæ fugaui, rediit. Quod ægris euenit, quos longa imbecillitas vſque adeò afficit, vt nunquam ſine offenſâ proferantur; hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica eſt multorum conuerſatio. Nemo non aliquod vitium, aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Vtique quo maior eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. Hucuſque Seneca, & quidem nimis verè. Abrahamum ſuum Deus, quem è prauis Gentilium moribus, virtutis ſimulachrum effingere ſtuduit; primò ex vrbibus extrahit, & ad vitam in mapalibus & tentoriis, à frequentiâ hominum peregrinantem inuitat: *Egredere de terrâ tuâ* (de Vr, inquam, Chaldææ ciuitate) *& de cognatione tuâ & de domo patris tui.* Et vt aduertit Chryſologus: *Hoſpitem hoſpes* (Abraham) *ſemper ipſe ſuſcepit, extorris patriâ, domicilij neſcius, ipſe, & domus omnium fuit, & patria.* Subducendus populo erat recèns ad Deum cõuerſus Abraham: facilè enim tranſitur ad plures. Socrati & Catoni excutere mentem ſuam diſſimilis multitudo potuiſſet; adeò nemo etiam eorum, qui maximè ad virtutem concinnat ingenium, ferre impetum vitiorum, tam magno comitatu venientium poteſt. Vnum exemplum luxuriæ, aut auaritiæ multum mali facit. Conuictor delicatus paullatim eneruat & emollit. Vicinus diues cupiditatem irritat; malignus comes, quamuis candido & ſimplici, rubiginem ſuam affricuit. Itaque vrbs ciuium frequentia nobilis, vt regni, ſic & vitiorum metropolis eſt. Vrbibus extorres diu peregrinentur Patriarchæ, vt virtutis propoſitum, quod nulla ſubtrit conuictorum frequẽtia, vigeat ad gratiam.

Inimica virtuti eſt multorum conuerſatio. Hic v. 1. Chryſol. ſerm. 121. *Hoſpes ipſe Abrahã, domus omnium fuit, & patria.*

2\. Exod. 19. 1. Exodi 19. *Menſe tertio egreſſionis Iſrael de Terrâ Ægypti, venerunt in ſolitudinem Sinai:* ibique Deus condidit leges; eaſdémque ſolemniter promulgauit. Hinc non otioſè perquirunt interpretes, quare non in Ægypto ante egreſſionem, aut poſtea, cùm in Terram promiſſionis inducerentur, ſancitæ ſint diuinæ leges. Quà ſuper re ſic eleganter philoſophatur Philo. *Si quis igitur,* inquit, *quærat, cur non in ciuitatibus, ſed in vaſta ſolitudine hæ leges prolatæ ſint, reſpondendum: primùm, quia pleræque ciuitates vix dici poteſt quam refertæ ſint vitiis, ſiue ſpectes impietatem erga numen cæleſte nefariam, ſiue mutuas iniurias hominum. Nihil enim in his non deprauatur, vbi adulterina res pluris ſiunt quàm legitima, & vera non tantum valent quantùm veriſimiles, naturam ſuam detegentes mendacio, & falſis imaginibus illudentes vulgo credulo: vbi etiam faſtus inſidioſus exoritur, adoratúrque à vanis hominibus, ſtupentibus ad conſpectum coronarum aurearum, & purpura, ſellarúmque curulium quibus impoſitas celſas poteſtates Diis æquas officioſa turba aſſeclarum proſequitur..... Is faſtus aliorum quoque multorum malorum eſt opifex, arrogantiæ, contemptus, impietatis. Et quid opus eſt de mutuis hominum iniuriis dicere, cum idem faſtus etiam res diuinas paruipendat, quarum honor putatur præcipuus? Quis enim honor eſſe poteſt, vbi deeſt veritas, res honorata, ſicut & nomen eius: quandoquidem illi contrarium mendacium ſuapte naturà eſt vile ac aſpernabile. Quam autem contempta ſit religio, ſciunt qui modo vtuntur oculis.* Non piget præter morem, belliſſima Philonis verba reſcribere, quibus graphicè depingit agreſtes cultioris vrbis mores, vbi per faſtum & voluptatem faciliùs & periculoſius vitia ſerpunt.

Philo l. 1 de Decalogo. *Frequentia ciuium quàm periculosè virtuti inſidietur.*

3\. Gen. 4. 17. Geneſeos 4. *Cognouit autem Cain vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui.* Cain *vagus & profugus in terrà,* & ob ſceleſtiſſimum facinus mundi exul, Cain inquam, mortalium primus vrbem condit; & Dei populus & familia, in patrio ſolo, ſine lare & tecto peregrinatur extorris? Gens Dei potiùs videtur vaga & profuga, etſi nullâ Dei ſententiâ ad id adacta ſit: non enim habet hîc ciuitatem permanentem, ſed coloniam duxit in cælum. An iuſti in hâc vitâ pœnas iniuſtorum luunt? An Cain, & cum eo reproborum populus, adhuc in ſecuritate & deliciis regiæ vrbis, *vagus & profugus* exerrat; & Iuſti, etſi orbis exules, & penuriâ mundi laborantes, ſecuriùs & feliciùs fruuntur mundi ſecuritate & deliciis? *Notandum,* inquit inſigniter Rupertus, *quod prima terrenarum ciuitatum cauſſa homicidium fuit.* Et S. Chryſoſtomus hanc primam mundi vrbem rectè appellat, *Peccatorum, & ruinæ primæ monumenta.* Scilicet primam terrarum vrbem, & orbis metropolim, infame parricidium condidit: nec tam ædes & mœnia, quàm *ruinæ primæ monumenta* fundauit Cainus. Tali dedicatore gaudet frequentia vrbium; & pœna parricidalis flagitij, facta eſt populatæ vrbis ſubſtructio, & habitatio. Qui ab hominibus exgrex victurus erat, vagus & profugus; non

Cain primæ ruinæ monumenta fundat. Rupert. ibi. Chryſ. ibid.

in vaſtis ſolitudinibus iam degit, ſed in vrbe, quam ipſe condidit, vt pœnam exilij acerbiùs in vrbe luat. Fuga ab hominibus, effugium illi pœnæ foret, & ſupplicij aſylum. Primus condat vrbem, qui profugus & vagus victurus erat, vt in vrbis frequentiâ, à multis ſibi caueat, ſuſpectus omnibus, turbæ damnatus: vbi experietur dignam parricidij pœnam, dum *primæ ruinæ momenta* fundat.

4. Gen. 19. 20. Geneſis 19. Eductore Angelo, fugit Lot Sodomorum incendium. Laſſus timet ardui montis aſcenſum, dum crepitantes de cælo flammas metus obuerſat, anticipato horrore. Et ſic Angelum ſupplicat: Quæſo Domine mi, quia inuenit ſeruus tuus gratiam coram te, & magnificaſti miſericordiam tuam, quam feciſti mecum, vt ſaluares animam meam, nec poſſum in monte ſaluari, ne fortè apprehendat me malum & moriar. *Eſt ciuitas hæc iuxta, ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in eâ. Nunquid non modica eſt, & viuet anima mea?* Annuit Angelus. Et notat ſacer Hiſtoricus, quod illa vrbs, quæ prius appellabatur Bala, idcircò exinceps *vocatum eſt nomen eius Segor*, id eſt, parua. Diligentiùs hîc peruestigant interpretes, cur potius in illâ vrbeculâ putauerit Lot, ſe poſſe tutiùs Sodomæ & Gomorrhæ flāmam effugere? Attende ad rationem, quam reddit Lotus: *Numquid non modica eſt?* Eccur, quia *parua*, & *modica* eſt, potiùs in eâ ſaluari poterit, quàm in vrbe frequentiâ habitatorum, & multitudine ædium periluſtri? Si Lot cenſebat rem diuinitùs agi, imperitè allegat vrbis exiguitatem, æquè enim facile Deo eſt, magnā ac paruam vrbem conſeruare. Quin & rei impetrandæ allegata paruitas, munificentiam largitoris deuenuſtat. Si verò rem humanitus peragi exiſtimabat, in magnâ & populosâ vrbe magis tutus foret, multitudine & viribus plurium habitatorum protectus. Planè cauſam allegat Lot, quæ eductoris renutum ſubornat. Imò quæ impetrationem extorqueat. *Nūquid*, inquit, *non modica eſt, & viuet anima mea?*

Paruum oppidulum fuit Lot opportunum aſylum ab vrbium incendio.

Lipom. in Cat. ibi. Tempeſtiuè Lipomanus: *Conſcius fragilitatis ſuæ timénſque pariter inuolui, petit ſeceſſum ad minus oppidum, vbi non tam impiè viuitur communiter, veluti in vrbibus magnis.* Quaſi dicat Lot: Si immania hominum flagitia furorē Dei accendunt, vt regionem hanc funditus deuaſtet; proculdubio peribit prouinciæ metropolis, cum maioris notæ vrbibus: harum autem damnatio, huius vrbeculæ abſolutio eſt. Illæ enim, inſtigante frequentiâ maximè deprauantur; in exiguo autem oppidulo, etsi afflatu Sodomorum infecto, *non tam impiè viuitur*. Ergo hæc ciuitatula, infrequentiæ ſuffragio, minus noxia erit; & inde tanto ſupplicio indigna. *Eſt ciuitas hæc iuxta, ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in eâ. Nunquid non modica eſt, & ſaluabor in eâ?* Quia verò ſuæ exiguitatis merito, vel allegationis ſuffragio, manſit incolumis, ideò abiecto priori vocabulo, nouum paruitatis nomen aſſumpſit. *Idcircò vocatum eſt nomen vrbis illius Segor*, id eſt, parua, & ſoſpitatis titulum poſthac in nomine præfert.

§. CXLVII.

Virtutis ſtudioſus, materiam quoque peccati ſtudioſè deuitat.

MALE facere qui vult, nuſquam non cauſam inuenit: & quod peius eſt, quam ſpecietenus honeſtet. Quantum poſſumus à lubrico recedamus, qui in ſicco quoq; parum firmiter ſtamus. Quemadmodum ei qui amorem exuere conatur, cautanda eſt omnis admotio dilecti corporis (nil enim faciliùs quàm amor recrudeſcit) ita qui deteſtatus eſt anteactæ vitæ facinora, & deponere vult noxiorum deſideria, quorum cupiditate flagrauit; & manus & oculos, & aures ab his quæ vitare cupit auertat. *Citò rebellat affectus: quocumque ſe verterit, pretium aliquod præſens occupationis ſuæ inueniet.* Itaque conſcij nobis imbecillitatis noſtræ, materiam ipſam peccati, quæ tunc innoxiè tractari poteſt, ſæpè fugere expedit, ne fugata accerſamus vitia, aut non experta excitemus. Nec vino infirmum animum committamus, nec conceſſæ formæ, nec detractioni licitæ, nec vllis tandem rebus blande ad inconceſſa trahentibus. 1.

Citò rebellat affectus. Seneca epiſt. 70.

Exodi 20. ſic populum ſuum alloquitur Deus: *Ego ſum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me.* Et mox ibi ſubtexit multa, quibus Idola & reiicienda, & deteſtanda ſuadet. Verùm infrà cap. 22. hæc verba ſubdit: *Diis non detrahes.* Hebraicè pariter & Chaldaicè, *Elohim non vilipendes*: quaſi detrahere idem ſit ac vilipendere. Qui nuper abiiciendos Gentium Deos ſeriò hortatur, nunc exertè mandat, vt nemo illis detrahat, aut eoſ vilipendat? Scio plures interpretes pro *Diis*, ſiue *Elohim*, iudices, aut ſacerdotes intelligere. Sed alij arctiùs adhærentes Scripturæ verbis, verba, vt ſonant ſimpliciter capiunt, & *Diis*, pro Idolis accipiunt. Mirum planè eſt, quod illos ipſos Gentium Deos, quos reiiciendos & deteſtandos nuper Deus ſuadet; minimè vilipendendos, ſeueriùs mandet. Quod acutè addubitat Cyrillus Alexandrinus, aiens: *Qui Iſraëlem incitas in altaria & delubra, dicens oportere in ipſis exuri Deos, dixiſti etiam de illis*, (edicito precor Iuliane) *Diis non maledices?* Cyrillus Cyrillo reſpondeat, qui alibi idem dubium verſans, ingenuè fateri videtur, de Idolis accipienda eſſe præfata verba, aiens: *Deos non maledices: Dei enim nomen etiamſi falsò quibuſdam imponatur, honorandum tamen putauit; nec creaturas colere idcircò iuſſit, ſed deitatis nomen venerari.* Bella quidem aliorsùm ratio. Sic reuerenter venerari & adorare debemus ſacroſanctum Dei nomen, vt alioqui viliſſima, contemnenda, & execranda Gentium Idola, dum auguſtum veri Dei nomen falsò vſurpant, idcircò vilipendenda non ſunt, nec illis detrahi Deus permittit? ô ineffabile diuini nominis ſacramentum! Aliam eiuſdem dubij ſolutionem idem Cyrillus præmiſerat, aiens: *Diis* 2. Exod. 20. 3. Et cap 22. v. 28.

S. Cyrillus l. 5. contra Iulianum.

Vel nomen Dei in Deo falsò deſignandum venerandum eſt? Cyrillus. l. 11. in Ioan. c. 19.

Cyril. ſupra cap. 2.

non

non detrahes. Nam ſi quis Deo quamuis falſo maledixerit, gradum feciſſe videtur, vnde ad verum Deum illi ſpernandum facilius accedat. Argutè quidem Cyrillus. Quaſi dicat. Eſto, vaniſſimi, profani, & oppidò execrandi Gentium Dij, detractione & vilipendio digniſſimi ſint: & inde inuidioſos illos reddere nefas non ſit; attamen ſi ſemel hominum lingua maledicentiæ Deorum, & eorum detractioni aſſueſcat, & promptè fiet ad hominum detractiones, & vilipendia. *Dijs non detrahes, Elohim non vilipendas*, ne dum rem licitam licitè tractas, blandè ad inconceſſa traharis: nam citò rebellat affectus, & licitæ detractionis, & permiſſi vilipendij ductu ſenſim ad inconceſſa degenerat. *Aun lo material del peccado nos a de ser ſoſpechoſo.*

3\. Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* Opinor, non valdè defatigatur ſponſa in breui lectulo ſponſum quærens. Difficiliùs profectò foret ignorare, an inibi non cubaret. Quin & qui in ſomno aliquem quærit, imaginatione potiùs, quàm voluntate quærit: ô arcanas ecclesiæ voces: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, pia anima etiam in ſomnis ad virtutem ex ſomni cura vigilat. Moraliſſimè ſuadet Clemens Alexandrinus. *In planis & æquabilibus cubilibus decubitus, qui ſunt ſomni naturale gymnaſium.* Scilicet in gymnaſio nocturni ſomni erudienda eſt diurna vigilia; ne dum arbitrium libertate vacat, ſomni licentia otiari & deliciari delectet, ne ad voluptates vigili & attento negatas, per ſomni eruditionem ſenſim pertrahatur. In ſomno cor ſponſæ vigilat, & in lectulo cæleſtem ſponſum quærit, erudita ſomni gymnaſio, dum vigiliam ſomno inſtruit; & adhuc à ſenſibus alienata, attentiùs ſatagit, ne quid inter dormiendum, ſomni priuilegio occurrat, ab homine vigili & attento alienum. Somno velut *naturæ myſterio vtens*, vel potiùs *ſomni naturali gymnaſio*, ad innoxiæ vitæ eruditionem. Sic vel delictorum materiam auerſatur pietas!

Cant. 3. v. 1. *Sic & animum naturale vigiliæ gymnaſium.*

Cant. 5. v. 2.

Clem. 2. Pædag. c. 9.

Lipom. in Gen. c. 20.

4\. Geneſeos 20. peſtilentes exuſti agri Sodomitici afflatus fugit Abrahamus; & antiquum domicilium deſerens, peregrinatur in Gerarâ, Palæſtinæ metropoli. Dixitque de Sarâ vxore ſuâ. Soror mea eſt. Miſit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: En morieris tu propter mulierem quam tuliſti: habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & iuſtam interficies. Nonne ipſe dixit mihi: ſoror mea eſt: & ipſa ait: Frater meus eſt? in ſimplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum feci hoc. *Dixit ad eum Deus: Et ego ſcio quòd ſimplici corde feceris: & ideò cuſtodiui te ne peccares in me, & non dimiſi te vt tangeres eam.* Non hîc diſquiram, probuſne, an improbus fuerit Abimelech, quod ſatis non conſtat, etſi iuſtus multis appareat. Sed expenſione digniſſimum eſt, quare illi interminata ſit mortis pœna, & quidem à Deo, eò quod nuptiarum contrahendarum animo in aulam tulerit Saram palam dictitantem, ſe eſſe Abrahæ ſororem, quod etiam Abrahamus profitebatur. Eſto, maritatam ducere nefas ſit, ſed prudens Abimelechi ignoratio, raptum excuſat, quin & honeſtat.

Gen. 20. 6. *Deus parcere dicitur, ne materiale peccatum committatur.*

Quod vt Deum non latuit, ſic & coram confeſſus eſt, aiens: *Et ego ſcio quòd ſimplici corde feceris.* Sed nota quod addit: *Propterea cuſtodiui te ne peccares in me.* Quæ verba ſic vertit & exponit Hugo Carenſis ex Auguſtino: *Propterea peperci tibi ne peccares.* Sententia planè ænigmati ſimilis, peccatis enim parcere dicimur, non autem parcere, ne peccent: nam parcere, peccata importat, quibus ignoſcitur: peccatis ſiquidem non perpetratis nemo parcit, nec parcere poteſt. Verùm enimuero piiſſimus Deus ſuo Abimelecho, qui bono animo, & corde prudenter ſimplici alienam ducebat, *parcit* ne peccet, dum materiale peccatum auertit præproperâ gratiâ. Eſtne in ſe fœdum, aut iniurium in Deum, materiale peccati, vt illud diuertere, pepercisse ſit? Sic licita (vt ſic loquar) peccata, ad patranda illicita blandè pertrahunt? Sic diligenter cauendum eſt ab Idolorum quoque detractione, à vagâ ſomniorum phantaſiâ, & à raptu prudenter ignorato? Vel materiale delicti delictum perniciosè quodammodo afflat? Vide hîc quàm ſollerter ab omni occaſione & materiâ delicti ſuum Abrahamum extrahat Deus.

Hugo ibi.

Hic v. 1.

---

§. CXLVIII.

Impiorum contubernium peſtilentiariam malitiam pijs moribus exhalat.

PLATO & *Ariſtoteles, & omnis in diuerſum itura ſapientium turba, plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit*; ex cuius contubernio & virtutem, & virtutis næuos faciliùs arripuerunt. Quemadmodum eadem catena, & cuſtodem & militem copulat; ſic impiorum conuictus ingenuam virtutis indolem, ad ſeruilis vitij mores trahit, non bono mali exempli illicio. Spectata vitia, vel proborum oculos faſcinant, & morum peſtem exhalant, atque magno virtutis impendio prauitatem conuictoribus afficiant. 1.

Seneca epiſt 6. *Plato plùs ex moribus, quàm ex verbis Socratis didicit.*

Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Hebræum verbum בָּרָא *bara*, quod Hieronymus tranſtulit, *creauit*, Oleaſter cum alijs, ex radice Hebraicâ vertit, *ſeparauit, diuiſit.* Nimirùm non tam dicitur creari *Cælum*, cùm reapſe creatur, quàm dum *ſeparatur* à terrâ inani, vacua, inuiſibili, incompoſitâ, ſordidâ, ſqualenti? Quid? ſublimior *Cæli* natura non tam meretur prælustre *Cæli* elogium, quando creatur, & *Cælum* eſt, ac dum *ſeparatur* à ſordidæ telluris contubernio? Sic *Cælum* à terræ viciniâ degeneraret, vt *Cælum* duntaxat dicatur, dum *diuiditur*, & ſeiungitur à ſqualenti telluris ſocietate? *Cælum creari* cum totâ cæleſtis iubaris ambitione, eſt *Cælum ſeparari* ab infeſto ſordidæ telluris ſqualore? Ex terræ contubernio deſineret eſſe *Cælum*? Sic Cælo infeſtas terra eructat exhalationes? ô quiſquis ambis eſſe *Cælum*, fuge 2.

Gen. 1. v. 1. Oleaſter ibi. *Cælū non dicitur quoadvſque ſegregetur à terræ contubernio.*

Q 4 ſqualentis

ſquallentis terræ contubernium, quod affricat terrena contagia. Non eris *Cælum* quoadvſque longè ſegregeris à terræ affinitate: A terræ conſortio, *Cælum* timet, ne illi terrenas peſtes vicinitate allinat? timeat terrenus homò ne contubernalium prauitas illi prauitatem affricet conſuetudinis lenocinio.

3. Exodi 8. Moyſes diuinæ iræ interpres infeſtam muſcarum plagam Pharaoni minitatus,

Exod. 8. v. 23.

ita ſubdit: Faciamque mirabilem in die illâ Terram Geſſen, in qua populus meus eſt, vt non ſint ibi muſcæ: & ſcias quoniam ego Dominus in medio terræ. *Ponamque diuiſionem inter populum meum, & populum tuum: cras erit ſignum iſtud.* Pro *diuiſionem* Hebraicè ſcribunt פדת *Phedúth*, quod verbum *redemptionem* ſignificat. Vnde Chaldæus paraphraſtes tranſcribit: *Ponam redemptionem populo meo.* Quaſi idem ſit, ponere *diuiſionem* inter electum populum Dei, & Ægyptium populum Pharaonis, ac ponere *redemptionem*, ô nouum & illuſtre *Redemptionis* genus, pios ab impiis, populum Dei à populo Pharaonis ſegregare!

Segregatio proborum ab improbis præpropera redemptio eſt.

Separatio proborum ab improbis, anticipata venia eſt, & præpropera *Redemptio?* Malorum contubernium, velut aliud originale delictum eſt, & delictorum fomes, quô piè *redimitur*, qui longè ab illis ſeparatur. Qui te ab impiorum grege diuidit, præmaturè *redimit*, ergo alterum *Redemptorem* puta: nam malorum familiaris conuerſatio, omnia exhalat delicta, & omnium ſcelerum patrandorum illex eſt, & igniculus viſu conceptus: ô caue ab hoc morum contagio, primææ contagionis æmulo. A malo enim exemplo valentior ſanctitas imbecillè languet, conſtantior virtus impotenter exarmatur, & pietas in impietatem ſenſim degenerat, latente malitiæ veneficio. Hinc Deus hic iam ſollicitè ſuum extrahit Abrahamum ab impio ſuorum contubernio.

Hic v. 1.

4. Pſalmo 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit, & in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit.* Locus alioqui ad hanc rem ſudatus, ſed quem adhuc ruſpari iuuat, ſi fortè doctrinæ granum aliquod moribus ſalutare reperiam. In confeſſo eſt apud Pſalmorum commentatores, hîc agi de non bono impiorum exemplo, quod qui non ſequitur, *Beatus* appellatur. Vnde pro *cathedrâ peſtilentiæ*, Chaldæus vertit, *Societas peſtilentiæ*, Græcè, *peſtilentiarum* vel *peſtium*, Tertullianus, *peſtilentiaria*. Ecce *ſocietatem*, malorum *peſtilentiariam* dici, & Bonorum peſtes, quæ latè in bonos aliorum mores ſerpunt propagatione malitiæ, quam videndo exhalat. Sed nemo interpretum non notat, tria verba hic conſultiſſimè apponi à Pſalmographo, *abiit, ſtat, ſedet.* Sub verbo *ſedet*, contineri poteſt *iacendi* poſitio, prout placet Ianſenio, & Agellio, nec diſplicet Genebrardo. Sicut Deuteronomij 6. præcipitur Iſraelitis, vt in lege Domini meditentur: *Et meditaberis in eis, ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens.* Vnde acutè ſubdit Lorinus: *Atqui commendat Deus præceptorum ſuorum obſeruationem dormienti & cubanti.* Sic ergo Pſaltes regius admonet, ne quis dum *abit, ſtat, ſedet, cubat* aut *dormit*, abeat in ſocietatem ſeu non bonum malorum

Pſal. 1. v. 1.

Tertull. l. 4. contra Marc. c. 42. & l. de ſpect. c. 3.

Vel dormiens timeat à peſtilentiario malorum contubernio, & exemplo.

Deu. 6. v. 7.

Lorinus in Pſal. 1. v. 1.

exemplum, pulchrâ antitheſi, ad ſpectu ad diuinæ legis obſeruationem: ô fortè ſuperuacuam Pſalmographi cautelam! Vel ab eo, qui in lecto cubat, & amenti ſomno oppreſſus, altè ſtertit, ſedulo præcauetur, ne malorum *peſtilentiariâ ſocietate* inficiatur? Quid à malo exemplo dormienti times? An vereris, ne dum quis dormit, arripiat non bona contubernalium exempla? Nec à *peſtilentiaria ſocietate* tutus erit in ſomni aſylo, dum ſenſuum vacatione, pariter vacat arbitrij libertas? Verum enimverò *ſomnij gymnaſium*, lego apud Clementem Alexandrinum. Sic vel obturatos ſomno ſenſus non bonum malorum exemplum velut inuadit? Sic immeratè ſerpit hæc peſtilentiaria impiorum malitia? Vix niſi exaggerationibus prauitas mali exempli eualet explicari.

Clem. Alex. latè expenſus in com. ſuper Iudith.

---

§. CXLIX.

Reſipiſcentia non recuperat ex præterito ſcelere partam infamiam, quæ eſt ſceleris appendix.

CONTRITVS pœnitentis animus, ambitioſo pœnitentiæ ſqualore piè ſuperbus, faciendarum amicitiarum artifex eſt. 1.
Vera contritio ſic maritat animam Deo, vt omnem peccati maculam, quâ culpabatur conſcientia, oblitterans, rediuiuâ de peccati tumulo natiuitate reſuſcitet ad veram Dei amicitiam. Verùm etſi Gratia offenſam omnem, omnemque delicti maculam feliciter abſtergat; at Gratiæ officioſitas omnes appendices delicti fibras non extirpat. (Procul calumnia, dicam explicatiùs) Vera pœnitentis contritio, rectè facere eualuit, vt prorsùs deſtrueretur delictum; non verò quòd delictum ſemel factum, factum non fuerit. Leue malum videtur hoc peccaturo, quò effrenis proruat in peccata; ſed poſtmodum ægre fert, eiuſmodi dedecore probroſè culpari, & bonam olim famam infuſcaſſe delinquendo, quæ delicti ſoquela eſt, nec eam omninò ſubſequens abſtergit pœnitentia. *Siempre ſe nos queda el concepto de que eſte fue flaco, de que fue ruin, de que ay poco que fiar, de quien lo à ſido.* Semel & iterùm leuiculus, laſciuiens, ingratus, criminoſus, etſi reſipiſcat, vix, aut ne vix quidem, famam reſtaurat delinquendo profligatam. Nahum 1. *Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem.* Quid accommodatius? Deus quidem eualet Gratiâ ſuâ peccatorem limpidiſſimè *mundare*; at ſemel peccatorem, iterùm ſtrictè *innocentem facere*, impoſſibile eſt: fieri enim non poteſt, vt qui ſemel peccauit, non peccauerit. Qui autem aliquando peccauit, tametſi reſipiſcat, ſanctus erit, innocens propriè non erit. Innocentia enim preſſiùs accepta, omnem anteactam vitam innocuam videtur importare. Belliſſimè ergo dixit de Deo Propheta, quòd *mundans non faciet*

Vera pœnitentia ſanctum & mundum facit, innocentem non facit

Nahum 1. v. 3.

faciet innocentem. Vatablus ſic tranſtulit: *Ab-
ſoluendo non abſoluet*; Syrus, *& iuſtificando
non iuſtificat*, Arabicus Antiochenus, *& mun-
dans non mundat*; Arabicus Alexandrinus, *&
mundus ſine mundatione*; Theophylactus, *ſine
noxà exiſtens non eſt citra noxam.* Non me la-
tet litteralior Prophetæ ſenſus, ſed ſic ad mo-
Hic v.1. res iuuat velitari. Fidei pater Abraham poſt
execratam tetro idololatriam, adhuc olim ido-
lolatriæ notatur à Ioſue. De quo aliàs.

2. Iob 9. de calamitatis ſqualido fimo, pul-
Iob. 9. 28. chram hanc & nitidam vocem Deo reddit:
*Verebar omnia opera mea ſciens, quòd non par-
ceres delinquenti.* Duo hîc docet, primum, ab
omnibus operibus aliquid eſſe metuendum,
etiamſi ab omni labe pura videantur: quia
Deus intima quæque penetrat, & in illis ali-
quid deprehendit puniendum, in quo nihil
homini apparebat iniuſtum. Deinde ad rem
præſentem ait, ideò ſe omnia opera ſua timi-
dè vereri, quoniam probe noſcit, quòd Deus
non parceret delinquenti. O funeſtiſſimas vo-
ces, & quas acerbiſſimæ calamitatis tragœdia
expreſſiſſe videtur! Quid ais, ô vir ſanctiſſime,
patientiſſime, æquè ac ſcientiſſime? Tu ſcis,
quòd Deus non *parcit delinquenti?* Sic de Dei
cenſes pietate? Vbi eſt miſericordia, vbi be-
nignitas, vbi clementia, & omnis vis Dei be-
nefica? Nonne tu ille ipſe es, qui aliquando
probè noſti, quòd Redemptor tuus viuit, cu-
ius pretioſi ſanguinis pia exundatio, fuit im-
pietatum humanarum felix naufragium? Si
Deus delinquentibus non parcit, ecquis inue-
nietur iuſtus? Si Deus delinquentibus non
parcit, vacabit Dei bonitas, pietas, miſericor-
dia, clementia? ô non bonum verbum, quod
3. rigor calamitatis extorſit! Imò optimum &
moraliſſimum, atque altâ Iobi ſapientiâ di-
gniſſimum. Profectò Iobum non latebat, quod
vel imperitum & profanum hominem non la-
tet, nempe quòd Deus multus eſt ad ignoſ-
cendum, pronámque eſſe ipſius pietatem, vt
pœnitentibus delicta condonet, obuiâ beni-
gnitate parcens delinquentibus. Dixit autem
Iob ſe ſcium eſſe, quòd delinquentibus non
parcat Deus; quia etſi peccata omnino extin-
cta ſint infuſione gratiæ, quam liberaliter Dei
infundit miſericordia; tamen Dei omniſcien-
tia (etiam poſt offenſæ remiſſionem) adhuc vi-
det olim offenſorem, & quondam criminoſum.
Ergo Dei miſericordia peccatoribus omnino
parcit, dum gratiam infundit; Dei autem om-
niſcientia velut non parcit omnino, id eſt, ad-
huc intuetur fuiſſe ſceleratum. *Aun ſe queda
Dios con el concepto de que eſte fue ruin, aun-
que ahora ſea bueno.* Bonum eſſe nunc oculis
videt, ſed non eſt oblitus, nuper bonum non
fuiſſe. Heu, delinquentibus, quibus omnino
Dei miſericordia parcit, necdum Dei omni-
ſcientia prorsùs pepercit? *Verebar omnia ope-
ra mea ſciens, quòd non parceres delinquenti?*
Ludouicus Turrianus in domeſticis exhortationibus. Sic locum hunc moraliter expendebat quiſ-
piam huius Complutenſis gymnaſij nobilis
quondam Magiſter. Non litteraliſſimè, fa-
teor; ſed non diffiteor, moraliſſimè, & ad
præſens inſtitutum opportuniſſimè. Hinc ſæ-
pè apud humanos Præpoſitos, ſubdito, quem
vel caſtigauit Iuſtitia, aut cui pepercit Cle-
mentia, necdum præteriti delicti ſcientia pe-
percit, & non bonâ ſuſpicione ducti, à deli-
ctorum olim patratore adſimilia præcauent
delicta, non inconſultâ ſæpè cautela. Poſt re-
ſipiſcentiam quoque reus diffamiæ eſt, qui
iam reus delicti non eſt. Nimirum hæ ſunt ap-
pendices ſcelerum fibræ, quas radicitùs reſi-
piſcentia non extirpat. Qui ante delictum de-
pretiauit hanc famæ vix recuperabilis iactu-
ram; poſt commiſſum facinus fruſtrà nimis
appretiat, acerbo doloris ſenſu.

Quibus pepercit Miſericordia, omniſcientia non parcit.

---

§ CL.

Humana amicitia, ſpe potiùs, quàm fide comparatur.

SAPIENS etiamſi contentus eſt
ſe, tamen habere amicum vult,   1.
ſi ob nihil aliud, vt exerceat   Seneca epiſt. 9.
amicitiam, ne tam magna virtus
iaceat: non ob hoc quod Epi-
curus dicebat, vt habeat qui ſibi ægro aſſideat,
ſuccurrat in vincula coniecto, vel inopi: ſed
vt habeat aliquem cui ipſe ægro aſſideat, quem
ipſe circumuentum hoſtili cuſtodiâ liberet.
Qui ſe ſpectat, & propter hoc ad amicitiam   *Quæ ſit temporaria amicitia, traditur.*
*venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, ſic
deſinet. Putauit amicum aduerſus vincula la-
turum opem, cùm primum crepuerit catena,
diſcedet. Hæ ſunt amicitiæ, quas temporarias
populus appellat. Quæ cauſsà vtilitatis aſſumpta
eſt, tandiu placebit, quandiu vtilis fuerit. Hàc
re florentes, amicorum turba circumſidet: cir-
ca euerſos ingens ſolitudo eſt: & inde amici fu-
giunt, vbi probantur. Qui amicus eſſe cœpit,
quia expedit, placebit ei aliquod pretium con-
tra amicitiam, ſi vllum in illâ placeat pretium
præter ipſam.* Huc vſque Seneca. In commune
viuitur. Non poteſt quiſquam beatè degere,
qui ſe tantùm intuetur, qui omnia ad vtilita-
tes ſuas conuertit. Alteri viuas oportet, ſi vis
tibi viuere. Quòd ſi amicitiam ad fructum no-
ſtrum referamus, non ad illius commoda,
quem diligimus, non erit iſta amicitia, ſed
mercatura quædam vtilitatum ſuarum. Turba
iſta amicorum prædam ſequitur, non ho-
minem.

Adhuc rudes Apoſtoli, Chriſti erant fami-   2.
liares. Sed amicitiâ crudâ, quam Spiritus ſan-
ctus necdum decoxerat, thronos in eius regno
cognatione negotiantur. Et humilitate egen-   *Amicitia, nō ſpe, ſed fide conſtat.*
tes, ambitione diuites, ſuam inopiam Chri-
ſto vendere ſatagunt; atque eiuſdem contu-
bernij, & amicæ ſequelæ obtentu, non tam
veram amicitiam tunc colunt, quàm ſuarum
vtilitatum mercaturam. Porrò in magno illo
Paſſionis diſcrimine, dum ab vno eorum Ma-
giſter proditur, ab omnibus deſeritur. *Tunc*   Matth. 26. v. 56.
diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. Et inde
amici fugiunt, vbi probantur. O amicitiam
adhuc ſecularem, & poſt triennij probationem
malè nouitiam! Qui ſe, & ſuas vtilitates ſpe-
ctat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè
cogitat, & vbi primum crepuerint vincula,
diſcedet. *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fuge-
runt.* Luculenter S. Paulinus: *Nec volo,* inquit,   Paulin. epiſt. 39.
*amicitiam noſtram tempore metiaris: non enim
hæc, vt ſecularis eſt, quæ ſpe potiùs, quàm fide
paritur.*

paritur. Veram amicitiam negat, quam non amici fides, ſed potiùs vtilitatis ſpes inter homines conciliat, quod fides adſtruit, deſtruit ſpes. O quàm male vtilitatis ſpes, & mammonæ negotiatio, *amicos fabricat!* (*Nec enim pretio vlla res Dei conſtat.*) Quod fides ædificat, ſpes auara demolitur. Abſque fundamento erigitur amicitiæ fabrica, quam reciproca fides non fundat. Spe nutat, quæ fide ſtat.

Tertull. de Patient. c.7. Apolog. cap. 39.

Non commoda, ſed beneuolentia, amicitiæ cenſus eſt. Hanc non terrent diſcrimina, ſed extimulant; & generosâ amicitiæ animoſitate, felicitatem periculi ſui pro amico obeundi, alacer amicus honorat. Non diffugit, vbi probatur; ſed quærit pericula, vbi conſtans probetur. Quod exinceps admiretis in eiſdem Apoſtolis, poſtquam Spiritus ſanctus crudam eorum eouſque amicitiam, ad gratiæ facinora de cælo erudiuit.

5\. E barbarâ Gentilium turbâ Deus euocat Abrahamum, vt patria relictâ ignoratas ſequatur ſpes, ipſius promiſſione firmatas. Sua, ſuoſque protinùs deſerit Abrahamus, vt ſui populi deſertor, Dei populum exul fundet. Athletam ſuum, quem ad tantam diuini amoris exercitationem proüocabat Deus, in medium terrarum orbis ſtadium coniicit, multis ante virtutum experimentis velut in palæſtrâ eruditum. Nunc autem ad labores immenſos tanquam in communi populorum theatro cohortatur. *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi.* Addit autem: *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus,* &c. Eſto, Deus metam peregrinationis ſuæ Abrahamum celet, vt curſum contendat: dum amicum ſibi parat, quid neceſſe fuit tot promiſſionibus illum ad ſuam amicitiam prouocare? Non enim Abrahami cum Deo amicitia, vt ſecularis eſt, *quæ ſpe potius, quàm fide paritur.* Peritè has Dei promiſſiones magnificas Baſilius Seleuciæ antiſtes contemplatus, argutè Abrahamum tunc vocat *Amicitiæ diuinæ nundinatorem.* Scilicet Abrahami tyrocinia, tot opulentis ſpebus affatim adipata, non ſinceram amicitiam, nullâ ſpe defæcatam; ſed *amicitiæ diuinæ nundinas* concinnè nominat: quoadusque Abrahamus poſtea fide inclytus, credentium indigitatur parens, & filij mactatione auſpicatâ, puriorem cum Deo amicitiam ritè publicauit. Dum hortatore Deo, patriam deſerit, ſpe ductus ampliora poſſidendi, non tam ſtrictam cum Deo amicitiam inire, quàm *diuinam amicitiã nundinari* dicitur. Ex ſpes ſuarum vtilitatum eſt vera amicitia, non commodorum mercatura. Negat verè amicum, qui lucelli ſpe amicum facit. Amicitia, res fidei eſt; non ſpei negotium: beneuolentiâ, non negotiatione conſtat amicitia, quæ eſt animorum, non vtilitatum vſura. O frequentes humanæ amicitiæ nundinas, in quibus non officij, ſed commodi emolumenta requirimus! Quiſquis vtilitatem propriam ex amico quærit, & perdit amicitiæ gratiam, & amicitiæ nomen corrumpit. O quot nominum cadauera in vrbibus putrida ſqualent! amicorum nomina crebro audimus, ſed re amicitiæ vacua; quæ de vtilitate, non de fide peruersè titulantur. O populares amicitiæ nundinas, in quibus infido commercio, noſtris commodis gratiam mercamur alienam! Ingenuam amicitiæ gratiam, vilis commodorum arrodit vtilitas.

Humana amicitia nundinæ reprobantur.

Hic v.1. & 2.

Seleu.orat.7.

---

§. CLI.

Bona hominis iuſti fama, aſſertrix virtutis eſt, eique dignitatem filij Dei impertit?

OMNES *candidatos, bonos viros dicimus*, quaſi honoris accipiendi ſpebus afflati, probitatē exhibeant cum præcoquâ dignitatis ſpe, & boni nominis ſuffragio, quod honor ſæpè inuenit, aut facit. 1. Seneca epiſt. 3.

Hinc Siracides admonet: *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in æuum.* Quaſi dicat, numerus dierum bonæ vitæ, caducus eſt, deficit, & finitur; at bonum nomen, & virtutis fama perennat in æuum. Ergo ſolerter ſatage de bono nomine, nam ſi bonæ vitæ numerus dierum defecerit, quia in delicti ſcopulos impegiſti miſero clam naufragio: at ſi probitatis famam non pariter amiſiſti, magnum adhuc recuperandæ & conſeruandæ virtutis præſidium tibi ſupereſt. *La buena fama es reſguardo de la virtud: es la virtud mas de dura en el que tiene credito que perder.* Eccl.41.15.

Bona fama perutilis eſt ad virtutē.

Matthæi 5. Chriſtus Deus perfectioribus Chriſtianæ vitæ virtutibus, magnifica & beata præmia munificus pollicetur. Sed nota ſingularem Pacificorum mercedem, & explora an anguſtior, quàm auguſtior ſit: *Beati*, inquit, *pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Pleriſque virtutibus regnum Dei promittit, & quidem de præſenti, (*beati pauperes: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*) & Pacificis de futuro adoptiua Dei filiatio ſpondetur? Imò nec abſolutè Dei filiatio, ſed filiationis vocabulum: *Quoniam*, inquit, *filij Dei vocabuntur.* Putasne bene actum eſſe cum Pacificis? id eſt, cum his qui pacem in ſe habent, aut pacem ſecum & cum aliis procurant, aut qui facilè iniurias condonant, & offenſoribus ignoſcunt. Tantane virtus vocis inani ſono dignè muneratur? Quæſtionem hanc vulgò mouent interpretes, & P. Ioannes Maldonatus ſanctis Patribus imbutus, ſic reſpondet: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Plus etiam quiddam*, ait, *mihi videtur vocari, quam, eſſe, ſignificare: nempe ita aliquid eſſe, vt appareat, vt omnium ore celebretur. Itaque beati pacifici, quia non ſolùm filij Dei erunt, ſed ita erunt, vt mundus ipſe filios Dei confiteri cogatur, & appellare.* Litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè Maldonatus. Nempe Pacificorum præmium non eſt tantùm filios Dei eſſe, ſed etiam filios Dei vocari, & omnium ore & opinione ſic haberi: præclara illuſtriſſimæ virtutis fama illis promittitur, quâ filij Dei ab omnibus reputentur; quæ ſic virtuti auxiliatur, vt qui tam præluſtri nomine 2. Matth.5.9.

Maldon. ibi. Filios Dei vocari quomodo Pacificorum munificentiſſimum ſit præmium.

nomine ſic celebratur, inter beatos computetur: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur*. Sic magnificum eſt, ſub boni nominis tutelâ rem virtutis tractare? Sic eſt tuta & generoſa bonæ famæ prærogatiua? ô *curam habe de bono nomine!*

3. Matthæi 1. *Chriſti autem generatio ſic erat: Cum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph*, &c. Multas rationes hic adglomerant interpretes, cur Chriſtus Deus de deſponſatâ naſci voluerit, & plures adducunt S. Hieronym. & Ambroſius, quas ad alia themata vberius verſabamus. Sed in paucis luculentam inſinuat Chryſologus, dum hunc eundem Matthæi locum verſans, ab eo Ioſephus appellatur *cuſtos pudoris*, (Mariani inquam) *& aſſertor virginitatis*. Egebatne Virgo Deipara *cuſtode* pudoris? Annon ſatis tuta erat, æterno virginitatis propoſitô, Chriſti maternitate, & inconcuſſo Dei decreto? *Cuſtos* furem indicat: *aſſertor* ſaltem iniuriæ periculum denotat: vtrumque longiſſimè à Virgine abfuit: quæ Virgo virginum, caſtitatis ſpeculum, pudicitiæ ſplendor, nitor virginitatis, pudoris character, & puritatis meta, diuinæ maternitatis priuilegio cenſetur. Ergo vacat humanæ *cuſtodis* opera, & *aſſertoris* oriatur officium, cùm Deus præſtat, quod homo præſtare nequiret. Verùm enimuero alte Chryſologus, cùm videt Virginem Deiparam, Chriſti Dei gerendam, ſponſum Ioſephum appellat, Mariani *cuſtodem* pudoris, & virginitatis *aſſertorem*; quia ſponſi Ioſephi nomen ſuſpiciones arcebat violati pudoris. Scilicet Deus ipſe eſt reipsâ cuſtos & aſſertor virginitatis Deiparæ: at Ioſephus Virginem ſponſam tuetur à ſtupri diffamiâ. Tanti autem æſtimatur à Chryſologo bona virtutis fama, vt Ioſephus, qui Virginem ab impudentiæ notâ mariti nomine defendit, appelletur, Mariani *cuſtos pudoris, & virginitatis aſſertor*. Quid exaggeratius? Qui virtutis dat non ea, nec dat rem virtutis, virtutis cuſtos & aſſertor dicitur? Sic virtutem patiat & fouet, qui vitij infamiam arcet, & famam virtutis tuetur? Bonæ famæ tutela, virtutis matrix, cuſtodia, & aſſertrix plane cenſetur. *Curam habe de bono nomine.*

4. Ioannis 1. Sic de Chriſto Deo Euangeliſta fatur: In propria venit, & ſui eum non receperunt: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus... ſed ex Deo nati ſunt*. Locus adhuc poſt tot interpretum expoſitiones in primis impeditus. Nam quomodo Chriſtus iis, qui ſe receperant, poteſtatem dediſſe dicitur, vt fierent filij Dei, cùm iam recipiendo ipſum, filij Dei facti eſſent. Ipſum enim recipere eſt, filios Dei fieri. Quo igitur pacto iis, qui non ex ſanguinibus, *ſed ex Deo nati ſunt*, poteſt dari *poteſtas filios Dei fieri*. Datur enim poteſtas ei, qui eſt filius, vt iterum filius fiat. Nimis ſudant interpretes, vt in his verbis tautologiam declinent. Mitto plures & ſubtiles commentatorum ſententias, & perplacet expendere vim Græci nominis ἐξουσίαν, quod non tantùm *poteſtatem*, vt vertit interpres, ſed *dignitatem*, & *honorem*; & verbi γενέσθαι, quod non ſolùm *fieri*, ſed *eſſe* ſignificat. Inde, opinor, expeditus enadit ſenſus. Nimirum, *quotquot autem receperunt eum, qui non ex ſanguinibus... Sed ex Deo nati ſunt;*

dedit eis dignitatem ſeu honorem, vt filij Dei eſſent, id eſt, iis, qui alioqui erant filij Dei fide, gratiâ & ſanctitate, dedit bonæ famæ beneficio, *dignitatem & honorem* filiorum Dei, Quod nuper dicebamus de Pacificis, quibus dictum eſt: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur*. Siquidem ſic vocari filios Dei, & omnium ore tantam eorum dignitatem, & præluſtrem honorem celebrari ſublimior laus eſt, & quiddam maius, quam eſſe filios Dei, eo ſenſu quo nuper ex interpretum ſenſu expendebamus. Sic iuuat ex Græcâ origine hunc locum ad mores deriuare. Litteraliſſimum enim ſenſum inibi multis dedimus.

Magnum quiddam hic ſuo Abrahamo Deus promittit, aiens: *Magnificabo nomen tuum*. Bona enim virtutis fama ad omnes ſanctitates calcar admonet. Hic v. 2.

---

§. CLII.

Bona Euangelici præconis fama, Euangeliſtæ miniſterium adimplet?

1. BONA fama, quippe quæ ſæpè virtutis & nutrix eſt, & aſſertrix, negligenda non eſt, vt multis præcedenti §. expendebamus: nunc paucis expendere iuuat, quam ſit aliis etiam neceſſaria, maximè verbi Dei præconibus, & iis, qui in animarum ſalutem incumbunt. Hanc theſim tractat vbertim & eruditè S. Ignatius, noſtræ Societatis maximum decus & primus auctor: qui in quadam aureâ epiſtolâ ad P. M. Ioannem Dauila, Bæticæ prouinciæ nouiſſimum Apoſtolum, id probat ex SS. Auguſtino, Chryſoſtomo, Hieronymo, Gregorio, Thoma Angelico, Seraphico Bonauentura, & aliis, quorum verba latè deſcribit, delectibam duntaxat Auguſtini ſententiã, quam ex multis magni huius Doctoris ſelegit Ignatius. *Nobis*, inquit, *neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra*. Nam tametſi nemo aliis naſcitur, moriturus ſibi, tamen qui Deo viuit, omnibus viuere ſatagit: & quiſquis impenſiùs Dei gloriæ militat, proximorum ſaluti ſe totum impendit. At non bona in te virtutis fama, doctrinam egregiè denenuſtat; & virtutis adhortatorem reddens ſuſpectum, faciendorum prouentuum ſterilem facit, magnâ rei Chriſtianæ iacturâ. Ergo *nobis neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra*. Infamia Prædicatoris diffamiam reuerberat in doctrinam: & eximia ſanctitatis fama vices cum doctrina reciprocat.

Habetur in Hiſt. Collegij Compl. l. 2 cap. 12. *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra. alij fama noſtra.* S. Aug. l. de Viduitate.

2. Ioannis 3. *Venit Ieſus, & diſcipuli eius in terram Iudæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem Ioannes baptizans in Ænon.* Omitto quare Chriſtus cùm tunc temporis in Iudæâ eſſet, nempe Hieroſolymis, dicatur ad baptizandum in Iudæam veniſſe, quod aliùs theſis non inidoneam fortè ſuggeret probationem; & diſquirere iuuat cum Chryſoſtomo, cur hîc in hoc ſaltem rerum articulo, Chriſtus dicatur baptizare, dicatur & Ioannes Baptiſta, & modo Chriſti Diſcipuli neminem baptizaſſe dicantur; tametſi cap. ſequenti pariter Ioan. 3. 22. & 23. Ioan. 4. 2.

Marginalia: Matth. 1. 18. Ioſephus cuſtos pudoris Mariani, & aſſertor dicitur. S. Chryſol. ſerm. 145. Ioan. 1. 12. [illegible] habet: Inſtitui dignitatem filij Dei?

Chryſoſt. homil. 28. in Ioan.

Ioannes præ Apoſtolis fructificat, quia maiorem gloriam apud homines habebat.

pariter baptizent. Audiendus eſt Chryſoſtomus ad rem præſentem opportuniſſime. *Erat autem*, inquit, *Ioannes baptizans, & multò efficaciùs hoc faciebat, quam diſcipuli Chriſti: quia inſuſpicabile erat eius teſtimonium, & maiorem gloriam apud homines habebat.* Nimirùm in hoc tertio capite omittit Euangeliſta baptizantes Chriſti diſcipulos, & capite quarto eoſdem curſim recenſet baptizare: Ioannem autem baptizantem ſpeciatim recenſet, & ſumptuoſius inducit, quia maiori concurſu, & hominum celebritate baptizabat. Annon Apoſtoli, ſicut Chriſtus, non in aquâ tantùm, vt Ioannes, ſed in Spiritu ſancto baptizabant? Ita quidem. Nonne Chriſti baptiſmus, etiam non per ſe, ſed per Apoſtolos eius nomine adminiſtratus, præſtabilior & auguſtior erat? Erat ſane: quare ergo *erat Ioannes baptizans, & multò efficaciùs hoc faciebat, quàm diſcipuli Chriſti?* id eſt, maiori hominum frequentiâ, plauſu, celebritate, & fortè maioribus, in baptizandis, pœnitentiæ indiciis. Nempe, *quia maiorem gloriam apud homines habebat Ioannes.* Scilicet Chriſti Apoſtolos cum Magiſtro, Scribæ & Phariſæi, quaſi Iudaicæ religionis degeneres, maiorum ſancita violantes, & nouitates friuolas ſectantes, infamabant: Ioannis verò auctoritas inconcuſſa erat, & inſuſpicabilis; Inde *Ioannes multò efficaciùs hoc faciebat*, (etſi multo minus indubiè faciebat, quantùm diſtat baptiſmus Chriſti a baptiſmate Ioannis) *quam diſcipuli Chriſti.* Agnoſce hîc Satanæ aſtũ; inuidiâ extimulat Scribas & Phariſæos, obſequentiſſimos inferorum miniſtros, quò æmulationis arbitrio Chriſti Dei diſcipulos infament, vt ita pauculos auditores inueniant, & Chriſtiani prouentus ſteriles faciant. O bonam de Euangelij gymnaſio eruditionem!

2. Timoth. 4. v. 5.

2. ad Timotheum 4. habilem diſcipulum ad Euangelij prædicationem ornatius informat Apoſtolus, ita fatus: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Multus eſt Cornelius, vt probet e Græco textu, *ministerium tuum imple*, non videri huius ſententiæ clauſulam, ne minus decenter oratio, quod præcipue adhortationes dedecere videtur. Franciſcus Vatablus ita locum conſtituit:

Vatabl.

At tu vigila in omnibus, illata mala perferens, opus perage Euangeliſtæ, miniſterium tuum ad plenum probatum reddito. Sed nunc vide mihi, an Pauli, magni Rhetoris, decleat adhortatoria oratio. Primò illi præcipit vt ex omni curâ & ſolertiâ in omnibus vigilet attentus & expromptus: ſecundò vt obduretur ad omnes labores, afflictiones, calamitates: tertio vt opus peragat Euangeliſtæ. Quid ſublimius exigi poterat à Timotheo, nouitio adhuc Chriſtiano, & nuper Epiſcopo? Sublimiſſima hæc ſunt etiam in veterano. Addit tamen Apoſtolus adhortationis clauſulam, & quaſi felicioris ſanctitatis metam. *Miniſterium tuum* (euangelici prædicatoris) *imple*, id eſt, *Miniſterium tuum ad plenum probatum reddito.* Quaſi dicat Apoſtolus ſuo Timotheo: Tunc, tunc quidem, & quæ dixi, & Euangeliſtæ opus perages, quando plenâ populorum fide, *miniſterium tuum ad plenum probatum reddideris.* Niſi te reddideris ſpectatoribus probum & probatum in omnibus, fortè eris Euangeliſta; ſed Euangeliſtæ

Opus peragit Euangeliſta, qui ad probitatis miniſterium, bonam vitæ famam adiungit.

miniſterium ſic plenariè non obibis, nec ad plenum adimplebis. Cura diligenter de bono [illegible] Nec ſatis tibi videatur bonus eſſe, niſi aliis bonus videaris. Si id plenum te probatum reddideris, miniſterium Euangeliſtæ plenè adimpleſti, re, & factis.

Magnificum hîc Abrahamo nomen Deus largitur, quò veri Numinis notionem felicitèr Paganis diuulget, & toto orbe faciat illuſtrem. Hic v. 2.

§. CLIII.

Opus non ex ipſo merito, ſed ex opinione perſonæ taxari ſolitat.

SOCRATES, qui totam Philoſophiam reuocauit ad mores, hanc ſummam dixit eſſe ſapientiam, bona, malaque diſtinguere. Ad pœnitentiam properat, cito qui iudicat. Pauci ſunt admodùm qui iudicio ſuo, ſuaque diſponant; pauciſſimi qui de rebus alienis æquè cenſeant. Inde eorum more qui flaminibus innatant, non eunt, ſed feruntur, dum indiſcriminatim aliorum ſequuntur ductum, & vniuerſatim hoc vitium in omnes propè ſerpit, vt non perſona ex opere, ſed opus ex perſonâ iudicetur. Altè conceptus de aliquo, vel exigua quæque illius opera, grandia & ſublimia putabis. Exiguâ æſtimatione aliquem cenſes, quantumuis illuſtria eius opera, puſilla & obſcura cenſebis. Ad cultem [illegible] ſuſpecto eſt: paruumque indolem putas, a quo nil magnum ſperabas. Inde noſtri iudicij vitio, res noua derepente celebris, vulgo incredibilis habetur.

S. I. Seneca epiſt. 28.

Ex ſuſpicione [illegible] taxantur

Iudicum 14. *Deſcendit Samſon cum patre ſuo & matre in Thamnatha. Cumque veniſſet ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilacerauit leonem, quaſi hædum in frusta concerperet, nihil omnino habens in manu: & hoc patri & matri noluit indicare.* Quænam fuit cauſa tam alti Samſonis ſilentij? Ecce, tam illuſtre facinus noluit publicare, vt nouus ſponſus pulchræ ſponſæ de fortitudine blandiretur? Saltem à patre ſuo & matre cur tectius illud abſcondit? Et ſane valde neceſſarium erat, vt id ad terrorem noſſent Philiſtini, quibus Hebræus populus tunc ſeruiebat. Imo & Hebræi, ne animo caderent aduerſus potentes hoſtes, ſed animati excuterent ſeruitutis iugum, audirent. Mirum eſt tantâ taciturnitate oblitum, quod palam diuulgari neceſſe erat. Dionyſius Carthuſianus ſic ad rem præſentem ſubtiliter dubium ſoluit. *Noluit*, inquit, *indicare. Quia hoc fuit primum opus fortitudinis eius.* Nimirum Samſon eo vſque quaſi reliqui Hebrææ gentis iuuenes habebatur; repente in eum ſpiritus Dei irruerat, & grande illud facinus perpetrauit. Conſultiſſimè illud ſilentio obuoluit, ne cunctis incredibile videatur. Aliunde intentat ſuam fortitudinem robuſtiſſimam propalare, vt ex opinione perſonæ facinoris nutriatur opinio: [illegible] probè

Iudic. 14. v. 5.

Samſon primum opus fortitudinis reticet.

Carthuſian.

probè noſcens, homines non ex rei patratæ merito, ſed ex patratoris opinione rem perpetuò taxare. Sciant quod olim fuit ſtrenuè bellicoſus, vt eius res geſtas minimè vilipendant. Vnde inermis Samſon, ſe diſcerpſiſſe leonem rictu ferocem, rectè diſſimulat, nullique indicandum prudenter cenſuit, *Quia primum fuit opus fortitudinis eius.* Sic homines non ex rei ipſius, ſed ex perſonæ cenſu, de re cenſere vulgò ſolent!

3. Cum totius Incarnationis ſcopus Deo ſit in homines beneuolentia, multimodis voluntatem perficit, & humilem, vt par erat, ſpeciem induit. Vnde extremis diebus aſſumptâ humanitate cum ſolennibus naturæ indicus ſe oſtendit: ea erant natiuitas, præſepe, faſciæ, circumciſio, purificatio, legalis redemptionis redemptio; ad hæc humilitas, vilis habitus, pauperculorum conuictus, hominum deſpectus, crux, paſſio, mors, & alienum ſepulchrum. Verùm cùm aliquandò ſuam vellet gloriam diſcipulis aperire; aſſumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, congruentes ſpectatores, ſi qui alij tunc, & ducit in montem excelſum, vt locus cælo eſſet vicinus, in quo cæli gloria hominibus reuelatur. Ibi Chriſtus coram diſcipulis transfiguratur, & formam demutat, & illuminatam veſtem induens, fulgurans ſpectaculum edit; dum diuinâ intrinſecus vi ex humanâ
Prima Chriſti gloria occultatur, ne ſcandalizet? formâ radij extrinſecus promicabant. Verùm etſi Apoſtoli non poterant huius ſpectaculi imaginem præ auguſtiori excellentiâ reſpicere, maximéque conduceret ad notionem Chriſti Dei, eam publicitùs euulgare; tamen feriò miriſſimam Thaboris gloriam mutâ taciturni-
Matth. 17. 9. tate obnubere iubentur: *Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.* Quare tantam gloriam tanto ſilentio diſſimulat Chriſtus, & poſt Reſurrectionis gloriam tantummodò publicari permittit? Strabus Fuldenſis reſpondet, *Ne gloria futuri regni præoſtenſa incredibilis eſſet.* Incredibilis foret empyrea Beatorum gloria
Strabus ibi. oſtenſa in Chriſto? Multa paucis Strabus
4. compendiauit, quæ nec vacat, nec iuuat
Lyra ibid. præſtrictim adnotare. Opportunè Lyranus: *Præcepit eis Ieſus, ne viſionem prædictam aliis diuulgarent ante reſurrectionem ſuam, ne alij audientes Chriſtum eis apparuiſſe in formâ glorioſâ, ſcandalizarentur poſteà.* Scilicet ſicut olim Samſon primum opus fortitudinis ſuæ ſilentio tegendum voluit, ne incredibile videatur: ita Chriſtus Deus primas empyreæ gloriæ notas taciturnitate diſſimulandas procurat, quovſque poſt reſurrectionis triumphum, rediuiuus gloriæ adſuetus, glorias Thaboris adſtruat. Porrò cognatum eſt hominibus, rei meritum, non ex facto, ſed ex perſonâ metiri, vnde in humilitate Chriſti gloriam peregrinari cenſebunt; & inde ſcandalizabuntur in gloriâ, dum illam reputant incredibilem. Vulgaris Chriſti Dei eovſque ignominia, Thaboris primos fulgores offuſcabit: ergo communi fama publicetur à Reſurrectione glorioſus, vt Thaboris gloria tunc incredulis, appareat poſtea veroſimilis. Et ideò Transfigurationis & veriſſima & auguſtiſſima gloria ab ocularis ſpectata teſtibus, ſilentio obtegenda iubetur, ne primum gloriæ opus, etſi præclarum, & in primis illuſtre, incredibile appareat, & ſcandalizet potiùs audientes, quàm gloriam publicet glorioſi.

Celebre hîc nomen ſuo Abrahamo tribuit Hl. v. 2.
Deus, quò virtutis facinora, quæ erat patraturus, & glorioſa appareant, & glorioſius celebrentur.

---

§ CLIV.

Non tam operis meritum, quàm perſonæ operantis opinio, operis cenſus eſt apud homines.

PETRVS Damianus eloquio, ingenio, & pietate nobilis 1.
auctor, ita ſcribit ad illud Mat- Matth. 2. v. 2.
thæi 2. *Vbi eſt qui natus eſt Rex* P. Damia.
Iudæorum? vidimus ſtellam eius ſer. de Epiph.
in Oriente, & venimus adorare eum. Chriſtus, inquit, *habuit teſtimonium antiquorum: quia in manibus Prophetarum aſſimilatus eſt. Habuit teſtimonium modernorum, vnde & ipſe diſcipulis inquit: Eritis mihi teſtes.* (Apoſtolica auctoritas, teſtimonium Modernorum dicitur?) *Habuit* *Gloria natiuitatis luminibus eget; ignominia paſſionis vel tenebris publicatur.*
teſtimonium lucis: quia claritas ſtellæ illuſtrauit Magos. Teſtimonium tenebrarum: quia in morte eius tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. Teſtimonium lucis eſt perſpicua rei manifeſtatio: tenebrarum verò teſtimonium, eſt rei occultatio caliginis velo. Scilicet ignominia paſſionis non eget teſtibus, qui illam demonſtrent: nam etſi tenebris occultetur, ipſa ignominia ſeſe prodit, ſine teſte creditur, & vel occultatione propalatur. At verò quia homines vix credunt alienam gloriam, vt auguſtam Dei naſcentis ex Virgine maieſtatem teſtentur, noua cælorum lumina accenduntur, Paſtorum ruſticana ſimplicitas accitur, & Magorum coronata ſapientia euocatur, vt pueri naſcentis glorias atteſtentur: quia hominum gloriam, etſi atteſtatiſſimam vix credunt homines; ignominia verò, etiam in tenebris, & ſine teſtibus, certam ſui fidem apud homines facit. Vnde ad atteſtandas nouæ natiuitatis glorias, nouæ de cælo faces accenduntur; quæ ſidereâ linguâ infantis Dei maieſtatem publicent: ignominia verò crucis nec tenebris occultabitur; nec eget atteſtatione lucis, cui tenebrarum ſufficit teſtimonium. Pulchra hinc oboritur quæſtio, quam iuuat ad præſentem theſim ſubtiliùs agitare.

Quam ob cauſam in Chriſti Dei glorio- 2.
sâ natiuitate nouæ luces accenduntur in cælo, & in Paſſionis ignominiâ, vel olim accenſæ prodigiosè extinguntur? Quid natiuitati cum cæleſti luce? quid Paſſioni cum ſidereis tenebris? An naſcendi glorias ambitioſiùs publicat Chriſtus; & Paſſionis

Naſcente Christo faces in cælo accenduntur, & moriente accenſa extinguntur.

ignominias ambitioſius abſcondit? vt adoretur à Regibus luminaria in cælo accenduntur, & vt blaſphemetur à Scribis interſtinguntur accenſa? Verùm, vt opinor, in auſpicio Ieſuanæ gloriæ, dum tenello infanti procumbit coronata Magorum ſapientia, neceſſe erat, vt nouæ ſiderum faces coruſcarent in cælo, & gloriæ primordia *teſtimonio lucis* micantiùs publicarent, vt gloriæ primitias, ſeu primum glorioſum opus credibile apud homines haberetur. At verò ille ipſe poſt tot miracula edita, poſt Thaboris glorias, poſt tam celebre apud pleroſque nomen; dum in cruce patibulatus occumbit, non modo extraordinarias non accendit in cælo luces, ſed ordinarias quaſi ſuperuacuas extinguit. Nam in eo, qui tantâ nuper gloriæ famâ à multis Deus titulatur, non lucis claritas neceſſaria eſt, quâ illuſtretur vel contumelioſæ Paſſionis opus; cui iam diu famosè celebrato tenebrarum ſufficit lenocinium: celebris enim retro fama tenebras quoque Paſſionis perſpicuè clarabit. Vacat in eo ordinaria lucis commendatio, quem adhuc commendat obſcuritas. Vnde perilluſtre Dominicæ Paſſionis opus, luce non eget, dum tenebris commendatur. *Habuit ergo teſtimonium lucis: quia claritas ſtellæ illuſtrauit Magos. Teſtimonium tenebrarum: quia tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.*

P. Dam. ſer. de Epiph.

3\. Marci 16. v. 15.

Marci 16. Nouiſſimè recumbentibus diſcipulis apparuit Ieſus, & dixit eis: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*, &c. An non vilipendet ambitioſus Gentilium faſtus, & ſecularis arrogantiæ pompa, viles piſcatores, pannoſos, idiotas, pauperes, ſqualidos? ô Domine, tuum Euangelium ſuſcipiendum, an ridendum proponis? Non ſatis erat hominem probrosè crucifixum, Deum prædicare, niſi vilitate prædicatorum deuenuſtaretur Euangelium? Luculenter, vt aſſolet, Seleucianus Baſilius: Oportet, inquit, crucem figi, infernum ſubiugari, mortuis ſcita de libertate proponi; oportet reſurgentem è mortuis ad cælum aſcendere; *Cunctis Euangelij difficultatem proponi, & prædicatione Euangelium damnatum tenere, & eum tunc videre, qui fuerit Euangelio declaratus.* Profundè quidem Baſilius! Nimirùm cùm Chriſti Euangelium ab idiotis, ruſticanis, & barbaris hominibus primò ſuſcipiendum proponitur, cum auctore, & prædicatore ſuo irridetur. Parum foret irrideri & ſubſannari, niſi etiam *damnaretur. Sed oportet prædicatione Euangelium damnatum tenere.* Verùm cùm illi ipſi, qui Euangelium, ob prædicatorum vilitatem *damnarunt*, ſuis videant oculis vos dæmonia eiicere, linguis eloqui nouis, ſerpentes tollere, & mortifera innoxiè bibere, & manuum impoſitione ægros ſanare: tam altam de alioqui humillimis prædicatoribus mentem imbibent, vt confeſtim cenſeant, quod indubiè *oportet prædicatione Euangelium damnatum tenere.* Res profectò admiratione digniſſima! Sic mentem auertunt homines à rei prædicatæ merito, & ad prædicatores aduertunt? Sic auctor ſermonis ſermonem conſtuprat, aut honeſtat? Vilitas prædicantis vel Euangelium

Ex prædicatis æſtimatione Euangeliū eꝛicitur.

Seleuc. orat. 45.

prædicatione damnat? Sic magna loquentis auctoritas, ſermonis cenſus eſt, & operis æſtimatio? Sic perſonæ opinio idemmet opus aut illuſtrat, aut culpat? Heu quorundam vecordia, arcana ſapientia eſt, quam ignoratione adoramus: alij verò eruditione ſtulteſcunt, & eorum petita ſapientia imperitiam ſapit, pro antiquâ auctoris opinione! Sapiens non opus ex auctore, ſed ex opere auctorem cenſet.

In auſpicio vocationis Abrahæ, præclarum eius nomen adſtruitur, vt inde operum eius cenſus fiat apud homines, qui non è re, ſed ex patratoris famâ opus æſtimare ſolitant. Hic v. 2.

---

§. CLV.

Studioſior lucendi gloria, ambitiosè glorioſum nimis fatigat.

QVæ nos hianter nobis optamus, execrationes ſæpè inimicorum ſunt, nec piget votis noſtris aduerſariorum implere vota. Totum Fortunæ ſceptrum ſapiens deſpicit, qui mauult acerbos dolores compeſcere, quàm fucata felicitatis gaudia temperare. Bracteata ſunt fortunæ bona; honor, fama, opulentia, faſtigium; quod diu altiùs conſtruitur, vt citò habeat vnde altius præcipitet. Sed eſto, diu ſteteris, caſuro ſimilis ſemper impendes, & robore tuo feſſus, & tuâ felicitate grauis. ô, quis proſperiorem fortunam totâ felicitatis ſuæ mole incumbentem, ſuis humeris ferre poteſt? Carò conſtat, cariùs conſeruatur: nec ſuus ſibi eſt, qui dignitatis iure omnibus impenditur. Totum te felicitas exigit, non vt te totum gaudio impleat; ſed vt te totum, te vacuum, curis, mærore, ſollicitudine, & alienis curis expleat. Inexperta ambitio faſtigia quærit, quæ ſapiens expertus ambitioſiùs faſtidit. Quicquid auidiùs ſuſpiras, inimicorum vota ſunt, ne te cæca decipiat ambitio. 1.

4\. Regum 20. grauiter ægrotat Ezechias, reſponſum mortis accipit de Iſaiæ ore. Sed feſtina oratione oraculum auertit. Rediit lætus ad Regem cognatus Propheta, & quindecim annis auctum vitâ, renunciat. Implendæ prophetiæ ſignum petit Ezechias, vt Propheta qui nuper infauſta prædixerat, dum læta annunciat, fide dignus Vates habeatur. (Sic infauſta expromptiùs creduntur, & faciliùs euenire putantur?) Cui ait Iſaias: Hoc erit ſignum à Domino: Vis vt aſcendat vmbra in horologio Achaz, decem lineis, an reuertatur totidem gradibus? *Et ait Ezechias: Facile eſt vmbram creſcere: neque hoc volo vt fiat: ſed vt reuertatur retrorſùm decem gradibus.* Longa hinc inter commétatores texitur diſceptatio, quare maius miraculum fuerit, Solem retrogrado redire curſu; facile autem ad occaſum velociùs feſtinare? Eucherius cenſet, *facile*, id eſt, minus 2.

4. Reg. 20. v. 10.

Eucherius ibi.

miraculum

miraculum fuiſſe curſum maturare verſus occaſum quam ad orientem torqueri. *Quod Rex maluit, quia maioris poterat eſſe miraculi, ſi Sol contrarium ſuo mori curſum ageret, quàm ſi conſueto proceſſu incedens.* Sic conſuetudo vel cæleſtia perurget? Vel fortè difficilius putauit Ezechias, Solem deſiſtere ab incœpto curſu, etſi in funeſtum properaret occaſum, quàm ad ſplendidum orientem remeare; cœperat enim; & perdifficile eſt ab incepto deſiſtere. *A ſe empeñado el Sol en hechar por aquel camino: y ſi es empeño, antes ſe dejara ſepultar en el occaſo, que voluer pie atras, aun con tanto interes de nueuos lucimientos.* Sed de hoc alibi vberius. Et quidem ſemper difficile viſum eſt, cur Ezechias iudicauerit Soli *facile*, vt ad occaſum ſuum properet, quàm vt in orientem regrediatur. Porrò in ſuo occaſu minùs ſplendet, imò & funeſtis tenebrarum vmbris iam iam propiùs tumulatur. Si verò verſus orientem repedaret Sol, ſplendidius totâ lampade luceret, iterùm meridianus. Et tamen Ezechias ſapienter ait: *Facile eſt vmbram creſcere decem lineis, nec hoc volo, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus.* Scilicet Sol diei præſes, & fulgorum Princeps, ſic velut fatigatur diu ſplendidiùs lucendo, in cæli faſtigio ſublimis, vt malit iam eſſe in occaſu humilis, quàm in ſublimitate auguſtè præcelſus. *Proptereà* (ait inibi Caietanus) *Ezechias dixit, leue* (*facile* inquam) *eſt, vmbram inclinari decem gradibus: leue dixit relatiuè ad arduum regrediendi opus.* Sic eſt arduum Soli diu lucere experto, redire ad lucendi meridiem, in quo ſplêdidiùs prænitet? *Facile* ad occaſus ſui requiem & otium properat, depoſitâ ambitione lucendi? Mauult in occaſus ſui tenebris funeſtè tumulari, quàm ad lucendi faſtigium iteratò redire? ô bonam eruditionem! Sic arduum & pœnale eſt ſumptuoſius lucere? *Mucho le queſta à vn hombre atener con grandes lucimientos. A mu ha coſta luçe vn hombre mucho.* Itaque moraliſſimè, interprete Caietano, Ezechias de Sole dixit: *Facile dixit relatiuè ad arduum regrediendi opus.* Sic vel Sol ſplendidiùs lucendo, typicè fatigatur!

Arduum eſt à re ſemel cœptâ deſiſtere.

Sol diu lucendo quodammodo fatigatur.

Caietanus ibi.

3. 1.Regum 28. fatale imminebat Saüli prælium, & conſilij inops, pergit ad ſagam, quæ Samuelem diu defunctum aduocet, quocum rem belli tractet. Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi ſuſcita. Et præſtigiis peractis, ait Rex: Quem vidiſti? Et ait mulier ad Saül: *Deos vidi aſcendentes de terrà.* Singularis pro plurali, id eſt, hominem video tam auguſta nitentem formâ, vt hominem cæleſtia ſpirantem videre mihi videar. *Intellexit Saül quòd Samuel eſſet, & inclinauit ſe ſuper faciem terræ, & adorauit. Dixit autem Samuel ad Saül: Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer?* vel vt alij apud Gloſſam vertunt, *Commouiſti me?* Hebraicè ita ſcribitur: *Quare inquietaſti me, ad faciendum me aſcendere?* Nempè Samuel iam diu depoſito Hebrææ gentis principatu, & iam homo priuatus vitâ functus erat, fruens ſepulturæ quiete, velut curarum & angorum aſylo. Dum autem quaſi cogitur redire adeò auguſtà ſpecie, vt *Elohim* ſiue Deum maieſtate oculis repræſentet, æmulâ celſitudinis gloriæ: dum Iſraelis Regem ſibi ſupplicem, & de genu adorantem videt, tam grauatè id tulit, vt querulè expoſtulans, dixerit: *Quare commouiſti, ſiue inquietaſti me ad faciendum me aſcendere?* Quaſi dicat: Diu principem egi, & prælustri fulgebam gloriâ, & principando faſtigatus, & potentiâ defeſſus; tandem quieſco; eccur me tantæ etiam gloriæ ſpecie *inquietas*? cur me regiâ cernuatione *commoues*? Quare inquietas & commoues me, *ad faciendum me aſcendere?* Iam ſimul cum vitâ, & mundiali etiam gloriâ functus ſum: ô, tantam ſedimus honoris ſpeciem quodammodò timeo. Neglige humanas gloriæ, negligentem. *Quare inquietaſti me, ad faciendum me aſcendere?* Sic concionatoriè agere liceat, ad rem præſentem opportunè.

Angitur Samuel quaſi veritus priſtinæ gloriæ

1.Reg. 28. v.14. & 15

Gloſſa ibi

Mariana ibi.

Ecce tibi hic verſ. 2. qui Abrahamum Hic v.2.
magnificis promiſſionibus allicit, aiens: *Magnificabo nomen tuum*, &c. poſtmodum de felicitate eundem conſolatur; dum illuſtri victoriâ adeptâ, honoribus, & ſpoliis copioſè aucto, dixit Deus: *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum.* Gen.15. v.1.

§. CLVI.

Religioſos Abrahami, & Apoſtolorum mores, Deus generis nobilitate compenſat?

QVISQVIS de auitâ maiorum 1.
Nobilitate ſe ambitioſè iactat, imperitè de re alienâ gloriatur. Quid ſtultiùs quàm aliquem in eo ſibi placere, quod ipſe non fecit? Plato ait, Neminem regem non ex ſeruis eſſe oriundum, neminem non ſeruum ex regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſursùm ac deorsùm fortuna verſauit. Quis ergo generoſus? Ad virtutem benè à naturâ compoſitus. Hoc vnum eſt intuendum. Non facit nobilem, atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione ſuprà fortunam licet exurgere. Verùm vetuſta diu nobilitas, per maiorum retrò traduces ritè ad poſteros deriuata, niſi in deſidiam & ſuperbiam degeneret, inter præcipua fortunæ bona computatur. Neque à te virtutis longiùs exulat, quæ pietati naſcitur obærata, & arcano quodam priuilegio quandam cum virtute cognationem ſortitur: quæ aut matrix, aut appendix pietatis eſt.

Seneca epiſt 75. & 44.

Maiorum nobilitas verâ nobilitatem non eudit in poſteris.

Paulus ad Romanos 16. non multum an- 2.
te epiſtolæ ſyngraphum, ita ſcribit: *Salutate Andronicum, & Iuniam..... qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.* Cuius non peregrinantur aures in hoc nouo Apoſtolorum encomio? De virtute potiùs commendandi erant Apoſtoli, quàm de Nobilitate. *Ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt nō glorietur omnis caro in conſpectu eius.*

ad Rom. 16. v.7.

1.Cor.1. v.28. & 29.

A ralami virtutem generis nobilitate compenſat Deus.

Ignobiles & contemptibiles Apoſtolos elegit Deus, vt nemo in conſpectu eius glorietur; & ipſi paulò ante ignobiles, de Nobilitate gloriantur? Nuper deſpicabiles genere, officio vile, miniſterio obſcuri, de generoſitate ſe iactint? Vnde tanta de repente Nobilitas? Belliſſimè Baſilius Seleucus de Abrahamo loquẽs,

Seleuc. orat. 9. Hic v. 2.

qui de filio ſtatuarij Thare, factus fuit diuinâ familiaritate, & Gentium patriarchatu dignus, ita ſcribit: *Admiratus olim Deus animum Abrahami religionis ergò, mores compenſat generis Nobilitate.* Egregiam Abrahami virtutem, & pios eiuſdem mores, generis Nobilitate Deus compenſat? ô nouum, & peregrinum pietatis præmium! Auctior ſanctitas, empyreæ deliciæ, & beata cæli gloria æternùm perennatura, ſtatui ſolet virtutis merces. Verùm inter hæc præmia ſublimiſſima, *generis Nobilitatem* Baſilius agnoſcit & glorioſè recenſet. Profectò Nobilitas vera cenſus virtutis eſt, quò redditnum nomine multa, homo prenſitat bona: nunc vero merces religionis, & præmium virtutis nominatur, quo Deus pietatem in hac vitâ compenſat: *mores compenſat generis Nobilitate.* Sic Nobilitas virtuti cognata eſt? Sic eſt Nobilitas, pietatis appendix, & religionis ſequela? Sic Nobilitas ad virtutem extimulat, vt vices cum virtute reciprocet? Condignè virtus Nobilitate præmiatur? Ecce Abrahamum de ſtatuario principem, & Apoſtolos de vili piſcatione auguſtè Nobiles. *Nobiles in Apoſtolis* vocat, quorum Deus *mores compenſat generis Nobilitate.* Hanc nouitiam Nobilitatem de meritis venientem, homo nouus exambiat, quæ vices cum virtute generosè reciprocat.

3. 1. Mach. 10. v. 1.

1. Machabæorum 10. degener à virtute Nobilitas ſuperbo *Nobilis* elogio celebratur: *Aſcendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus eſt Nobilis*, &c. Auitæ Nobilitati vitiis innutritæ, generoſum *Nobilis* cognomen impenditur? Eleganter de Nobilitate, & ignobilitate ſic fatur S. Gregorius Nazianzenus:

Naz. orat. 28.

Nobilitas, qua feritur, aut principũ gratiâ obtinetur, adulterina eſt.

Nobili, inquit, *loco natus eſt? Probitatem morum generis ſplendori opponet, atque ex aduerſo ſpectandam producet. Ita, duplici nomine clarus erit, nempe, & maiorum imaginibus, & propriâ virtute, ac priuatim inſpectus. Obſcuro & ignobili genere ortus eſt, quantum ad ſtatuam & lutum attinet? (ſi quid tamen magni inter lutum & lutum attineo:) at ſpiritualem nobilitatem illius loco afferet, & quà ſeſe quiſque, vel in melius, vel in deterius effingit.* (Expende ad rem præſentem verba quæ ſubdit.) *Reliquas autem nobilitates, quæ vel feruntur, vel principum diplomatibus comparantur, vt viles & adulterinas, nulloque in pretio habendas, procul ſubmonebit.* Vilis eſt Nobilitas, quæ principum fauore, aut regum diplomatibus obtinetur? Adulterina Nobilitas eſt, quæ per generationum duntaxat traduces in poſteros fœcundè propagatur? Degener Nobilitas eſt, quæ feritur? Nemo in noſtram gloriam vixit: ſuum eſt cuiuſque, quod illum facit, aut vilem, aut generoſum: ſtultè quiſque in eo ſibi glorioſè complacet, quod ipſe non fecit. In ſceleſtiſſimi Antiochi nomine, Nobilitatis adulterinum cognomen inſcribitur. Huius luteæ Nobilitatis, quâ homo luteus inſignitur, ſtipendia ſæpe ſunt, arrogantia, luxum, faſtus, & alia eiuſmodi principalis licentiæ cognata vitia. Paſtores, fabros, teloniarios, piſcatores, coriarios, miniſterio viles, generosâ Nobilitate inſignit Deus, dum *religionis ergò, mores compenſat generis Nobilitate.* Ergo quiſquis non adulterinâ Nobilitate ſublimis & clarus eſſe cupit, honorem, quem ſumit ex ſanguine, reddat de meritis: virtus enim verâ Nobilitate compenſatur. Vera Nobilitas, ſoboles virtutis eſt, & fœcunda virtutis matrix.

---

§ CLVII.

Meriti prærogatiua eſt honoris repulſa: inde dignitati gloriæ plus additur, dum plus dignitas timetur.

EVSEBIVS Emiſſenus his verbis S. Maximi fugam, ne Eccleſiis præficeretur, eleganter deſcribit: Ambibant, inquit, illum diuerſæ patriæ, ſed vel maximè proxima eremi ciuitas, quæ tentorij ac finium ſuorum incola velut proprium amplectebatur indigenam. Qua ille ſuſpicione percuſſus, triſtem parat egreſſum, ac longinquum meditatur exilium: ſed repentino occupatus aduentu inſiſtentium ſacerdotum, petit (quod licuit ad momentum) amica ſibi, ac negotio ſuo condenſa ſiluarum. Irruentibus fidelium turmis ventilantur vniuerſa, profunda eremi ſecreta verſantur. Sub nudo axe cæli trium dierum (ac trium noctium imbribus verberatur. Videntur quoque mihi nimbi inquiſiſſe latentem. Mœret cuncta inſula periculum Patris: plus iam in eum expaueſcit ruinam, quàm rapinam. *Inter hæc ille cum vellet meritis augeri, nolebat agnoſci: quia eſt natura iuſtitia, vt quanto ſtudioſius abſcondi optat, tantò clariùs innoteſcat, & occultatio ipſa proditio ſit.* Sed qui diu velut obſtinatè inſulas calamitosâ fugâ recuſarat: in faſtigio dignitatis coactè ſublimiùs: *Qui iam dudum in Abbate Pontificem geſſerat, poſtmodùm Abbatem in Pontifice cuſtodiuit, neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, honoris impatiens, pauper in pecuniâ, diues in conſcientiâ, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia*, &c. Tales viros Dignitatum repulſa aut inuenit, aut facit.

1.

Honoris fuga eleganter deſcribitur ab Euſebio.

Emiſſ. homil. de S. Max.

Humilis ad meritum, ſuperbus eſt ad vitia.

Exodi 4. Moyſes conſultiſſimo Dei iudicio eligitur Hebrææ gentis Princeps. Præcelſa ſanè Dignitas, ſummum Dei populi gerere principatum. Et tamen Moyſes ſemel, iterùm atque iterùm conſtanter honorem recuſat. Allegat ſuam tenuitatem, puſillanimitatem populi, Pharaonis pertinaciam, rei difficultatem, oris balbutiem: & nihil non tentat, quò ſublime munus detrectet. Contra obnititur Deus, & ſe illi in omnibus adeſſe ſeriò pollicetur. Et cùm iam videretur

2.

Meriti prærogatiua eſt honoris repulſa.

videretur non poſſe non acceptare Munus,
Exod. 4.13. flectineſcius refragatur, aiens: *Obſecro Domine mitte quem miſſurus es.* Neſcio quid citius admiret, aut in Deo longam repulſæ patientiam, aut in Moyſe pertinacem honoris
S. Cyrillus 13. Catera impatientiam. S. Cyrillus attentiùs id expendens, ita ſcribit: *Quâ ex re (vt ita dicam) Deum contentioſum aduerſum ſe Moyſes reddidit; ſua videlicet imbecillitatis confeſſione, & honorifice honoris recuſatione.* Sed cur Deus velut contentioſè agit cum Moyſe principatum recuſante? Numquid Deo alius deerat, qui idoneus Muneri foret, & vltrò Præfecturam capeſſeret? An ad dignitatem quærit, qui contentioſiùs illam recuſat, quaſi honoris recuſatio ſit ſublimius meritum ad illum capeſſendum? Belliſſimè Emiſſenus non
Emiſſen. in ſerm. de S. Maxim. tam de ſuo Maximo, quàm de Moyſe inquit: *Quid diffugis gloriam, quæ plus additur, dum timetur? Quid honorem quaſi indignus repellis? Meriti prærogatiua eſt honoris repulſa.* Scilicet Deus non ſuſtulit Moyſis velut contumaciam in recuſando principatu; ſed quia honoris repulſa eſt meriti prærogatiua, quò pertinacius dignitatem refutat, eò dignius Dei fundat electionem, & honoris fugâ meritum honoris amplificat, arcano genio gloriæ, quæ plus additur, dum timetur. Hæc Moyſes. Quid frater eius Aaron; diuinâ electione ſublimis?

3. In eodem Exodi libro cap. 7. Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.* Pro, *Tulit Aaron virgam*, Hebraicè ſic exſcribitur: *Et abiecit Aaron virgam ſuam*, &c. Interpretes paſſim, qui myſticos ſenſus venantur, moraliſſimè putant, hanc Aaronis virgam paſtoralem baculum, quod ſacerdotalis dignitatis inſigne fuit, quod ferè conuenit inter expoſitores. Vnde pulchrè exurgit ad mores diſciplina. Scilicet paſtoralis baculus, Dignitatis ſiue ſymbolum, dum eſt in manu Aaronis, ſterilis miraculorum eſt: at dum *abiicitur*, id eſt, dum ſacerdos Dignitatis faſtigium abiicit, & recuſat; tunc, tunc quidem ob recuſatam, & à ſe *abiectam* humilitatis ſtudio Dignitatem, fœcundus miraculorum eſt, & arcanæ virtutis prodigiorum fertilis. Dignitas ſuperbè ambita, & manu ambitioſa apprehenſa, vana gloria eſt, & elationis faſtus inanis: at humillimè repudiata, & à ſe *abiecta*, miraculum virtutis eſt, ſanctitatis prodigium, & prodigiorum matrix, dum Dignitatis *abiectione* meritum exaggerat. O Aaron, Pontificum olim Primas, & boni Præſulis ſemper idea; quid *proiicis* inſigne gloriæ, quæ plus additur, dum proiicitur? Quid inſigne honoris indignus abiicis? *Meriti prærogatiua eſt honoris repulſa.* Honor manu apprehenſus, Virga eſt; at à te *abiectus*, Dei virtus eſt, & miraculorum promptuarium.

Exod. 7.10.

Repulſa dignitatis miraculorum promptuarium eſt, & pia meriti ambitio

Hic v. 2. Vnde hic verſ. 2. Abraham, qui defuncto patre Thare, ampliſſimam primogenij Dignitatem, Dei nutu recuſauit, confeſtim à Deo audit: *Faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Quaſi honoris *abiectio*, ſit dignitatis auctarium, magnâ gloriæ vſurâ.

Celada de Bened. Patriarch.

§. CLVIII.

Mundialis aliquando felicitas, arcanè blanditur virtuti, & pro meritis computatur?

Nihil magnum eſt in rebus humanis, niſi animus magna deſpiciens. Qui propter opulentiæ aut honoris ſacietatem aut amorem moritur, planè oſtendit ſe nunquam ſui cauſâ vixiſſe. Quanto riſu proſequenda ſunt, quæ nobis lacrymas educunt? Crede mihi, leuia ſunt propter quæ non leuiter excandeſcimus, qualia quæ pueros in rixam & iurgium concitant. Inde inquam, hominibus ira & inſania eſt, quod exigua magna exiſtimant. Verùm aliquando Deus (quod eſt prouidentiæ ingenium) his exiguis munuſculis magna perſtruit cæli munera, quaſi ſpei obſides, & opulentæ beatitudinis pignora. 1.

Exodi 3. ſic ad Moyſem Deus fatur: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & ſciens dolorem eius, deſcendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, *Et educam de terrâ illa in terram bonam & ſpatioſam, in terram quæ fluit lacte & melle*, &c. Quare Deus has mundialium bonorum nugas tam ſeriò pollicetur? S. Gregorius vidit hoc dubium, & ſic ad præſentem theſim arguté reſpondet: *Iſraelitico populo ex Ægypti terrâ liberando, repromiſſionis terra promittitur, & cùm vocandus eſſet ad dona cæleſtia, terrenis promiſſionibus ſuadetur. Cur hoc? Vt dum eſſet aliquid quod de vicino perciperet, illud iam fidelius crederet, quod de longinquo audire potuiſſet. Carnalis enim populus ſi parua non acciperet, magna non crederet. Omnipotens ergo Deus largiendo terrena, ſuadet ad cæleſtia, vt percipiens quod videret, ſperare diſceret quod minimè videbat. Et tanto ſolidior de inuiſibilibus fieret, quantò illum ad ſpei certitudinem viſibilia promiſſa fulcirent.* Sic auaros hominum animos mundialia dona ſubornant ad cæleſtia promiſſa ſperanda. Sic ſpes cæleſtium terrenis erigitur donis? ô puerilem hominum genium! ô argutum diuinæ beneficentiæ ingenium!

2. *Spes cæleſtiũ terrenis erigitur donis* Exod. 3.8.

Gregor. hom. i. 32.

Hic verſ. 2. Abrahamo inter ſuos in patrio ſolo commoranti, dixit Deus: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi. Quâ ſpe Abrahamus è charâ cognatione, & paterna domo auellitur? *Faciámque te* (inquit) *in gentem magnam*, &c. Anſelmus Laudunenſis ita ſuper his verbis ſcribit: *Prima benedictio, altitudo temporalis.* Sæpè dedecus & infamia pram ſiſtit ambitionem meriti, & aliquando officij ſublimitas, & faſtigij ſumptuoſus ſplendor, calcar adnouet ad virtutem; & non immeritus honor, amplioris meriti exactor eſt: *Porque no deſdigan las obras del pueſto que occupà.* O quoties ipſa Dignitas, 3.

Hic v. 2. Anſelm. ibi.

Aliquando terrena ſublimitas calcar addit ad virtutem.

quia omnia ei licent, minùs ei licent, & inde frænat audaciæ impotentis temeritatem, & examinat delinquendi potentiam! *Prima Abrahami Benedictio, altitudo temporalis: Faciam te in gentem magnam.* Præterea nuper retulerat Moyſes arduum in primis præceptum Abrahæ intimatum, exeundi de terra ſuâ, & de cognatione ſuâ, & de domo patris ſui, vt in regione peregrinaretur incognitâ; nunc ſubdit multiplex præmium tanto merito dignum:
4. *Faciamque te*, inquit, *in gentem magnam*, &c. Super quibus verbis emphaticè fatur Ambroſius: *Faciamque te in gentem magnam, &c. Sicut coacervanda erant præcepta, ne quid lateret; ita etiam proponenda merita, ne fortè deſperaret.* Conſultiſſimè quidem S. Ambroſius præmia quibus Deus Abrahamum munerat, non tam præmia, quàm *merita* appellat. Profectò ſæpè humanus Princeps nomina præmij donat, ſed vacua re meriti: & inde munus vacat proprietate præmij. Ne ergo multiplex Benedictio Abrahamo hîc promiſſa, putetur felicitas, non præmium, *merita* nominantur; quo & felicitas doni, & merentis dignitas tacitè inſinuetur ad gloriam. Profundè ergo ad rem Ambroſius mundialem amplitudinem Abrahamo præmij nomine promiſſam, *merita* nominat, ſuppreſſo præmij vocabulo. Nam Abrahamo honor, opulentia, præluſtris & numeroſa ſoboles, & quidquid illi Deus & munificè promiſit, & abundè donauit, meritorum cenſu computantur. Sic piis hominibus omnia cooperantur in bonum, vt ludicra fortunæ bona, quæ aliis laqueum iniiciunt ad ruinam, ipſos expediant, ad virtutem extimulent, & *meritorum* loco cenſeantur? Parùm Iuſtis foret ſi humana felicitas, & temporaria Dei dona miniſtrarent virtutis occaſionem; niſi etiam *meritorum* elogio præproperè donarentur. Exinde in Abrahami meritorum cenſu, terrena felicitas arcanè ab Ambroſio computatur.

S. Ambroſ. lib. 1. de Abrah.

Terrena felicitas inter Abrahami merita computatur.

---

§ CLIX.

Perdita Euangelij drachma meliùs quæritur vel in obſcurâ nocte, quàm poſtea in clarâ diei luce.

1. NON repentè nos in mortem incidimus, ſed minutatim procedimus, quin & currimus. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, mox adoleſcentiam: vſque ad extremum, quicquid tranſiit temporis, periit. Hunc ipſum quem agimus diem cum morte diuidimus. Ad vltimam horam quâ eſſe deſinimus, & quæ ſolâ mortem facit, & vitam conſummat, tunc peruenimus, ſed diu venimus; & quidem quammaximis itineribus: ambiguúmque mortalibus eſt, an ipſum quod viuunt momentum, futurus ſit vitæ terminus, & viuendi finis.

Quia vita noſtra incerta eſt, quamprimùm Deum quæramus.

Longas vitæ ſpes fatalis hora repentè præcidit: nec ſolus ille fatuè auarus è cælo audit, *Stulte hâc nocte animam tuam repetent à te.* Ergo rumpendæ moræ ſunt, & vnicum vitæ negotium inſtanter agendum. Præſens tempus ſemper opportunius eſt; cùm futurum, incertum & anceps ſit, & fortè nullum: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Pertinaci & obdurato ſimilis eſt, qui hodiernum diem cunctanter negligit, & Deum quærere, ſi fortè inueniat, procraſtinat. Hodiernus dies quærendo Deo commodior ſemper eſt, etſi arduis præpeditus difficultatibus videatur. Ne fallaris, qui incunctanter Deum quærit, confeſtim inuenit, exprompto inquiſitionis priuilegio; tametſi in tenebris quærat, aut malignâ noctis luce.

Lucæ 12. 20.

Pſal. 94. 8.

6. Lucæ 15. poſteaquam paſtor ſupernus perditam centenarij gregis ouem perquiſiuit, & inuenit; mulier Euangelica producitur in figuram, quæ lumine accenſo de decem drachmis vnam perditam ſic requirit noctu, vt in illa nocte ſuam drachmam inueniat. *Quæ mulier*, inquit, *habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? Putáſne* (ait Chryſologus) *mulier iſta communis eſt, aut habuiſſe illam decem drachmas humano putatur exceſſu, aut vnam caſu creditur perdidiſſe mundano, aut ſimpliciter contigit quod eam nocturno requirit in tempore, aut lucernam de noſtri vſus more ſuccendit? .... Mulier habens decem drachmas, tenebras diuinas ſuſtinebat, & non ſolùm drachmam perditam deflebat vnam, ſed ipſas nouem drachmas ſibi reſiduas non videbat. Nox ei erat iugis, erat ei profunda & perſeuerans caligo, cui lucerna ſine diuino igne ad noctis ſolatium non lucebat.* Hucvſque nitidè Chryſologus. Verùm cùm hæc bona Euangelij femina, drachmam, non dolis extraneis ablatam, ſed dilapſam, & domeſticis abſconſam tenebris perquirere ſtudeat; quare ſic intempeſtiuè illam indagat, vt noctu illam inter variæ ſupellectilis impedimenta, nocturnâ candelâ perquirat? An non ipſa bene conſcia, quòd domi dilapſa drachma eſt, potuit expectare diei lucem, quæ domum clararet totam; & tunc euerrens domum, & quærens diligenter, faciliùs inueniret, quàm malignæ lucis candelâ noctu accenſâ? Quid tam moratum impatiens eſt? quid referret vſque ad clarum mane tantiſper expectare, quò tempeſtiue ſuam perditam drachmam quæreret, & citiùs & feliciùs inueniret? Quid ſuam, & domeſticorum requiem ſic inſolenter inquietat? Belliſſime nuper laudatus Chryſologus: *Putáſne mulier iſta communis eſt, aut vnam* drachmam *caſu creditur perdidiſſe mundano, aut ſimpliciter contigit quod eam nocturno requirit in tempore?* Porrò hæc Euangelij drachma Chriſtus eſt: nam *Chriſtus eſt plenum deitatis numiſma, Chriſtus eſt drachma noſtræ redemptionis & pretij, Chriſtus eſt qui & erat in legis Decalogo, & latebat.* Ecce tibi iam perſpicuum drachmæ occultum ænigma. Perdidiſti drachmam noſtræ redemptionis? Chriſtum inquam: quamprimùm animaduertiſti Chriſtum à te dilapſum, quære illum diligenter; ne moreris, ne expectes vt nox prætereat tota, & plena luceat dies ad illum

Lucæ 15. 8.

Drachma perdita meliùs ſtatim quæritur, etiã noctu, quam poſtea in clarâ diei luce.

Chryſol. ſerm. 169.

perue

perueſtigandum. Et ſi nox tibi ſit, & profunda delictorum caligo, accende exiguam interſtinctæ fidei lucernam, & domum euerte, quæréque diligenter: protinus enim eum inuenies, qui hominibus ſemper adeſt, nec longe eſt ab vnoquoque noſtrûm. Celeritas Chriſtum quærendi, etiam ſub obſcurâ noctis luce, in causâ erit, vt citius & felicius reperias, quàm ſi diu inquiſitionem procraſtinans, clariorem diei lucem diu expectes. O bonam de Euangelij ſcholâ peccatoribus eruditionem! Qui citò quærit, vel in nocte inuenit.

3. Matth. 8. 21 & 22. Lucæ 9. 59. Matthæi 8. poſt Legiſperitum inſpectatâ repulsâ amandatum, *Alius autem* (prius Chriſtus illi dixerat, *Sequere me*, quod Lucas expreſſit) *de diſcipulis eius, ait illi: Domine permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum. Ieſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Pietatis magiſter, pietati velum oppandit? Qui viuentes in lege diſtrictiùs iubet honorare parentes, defunctos negligere perſuadet? Eſto, illum tunc ad ſe Chriſtus vocet, & à ſeculo reuocet: at pietate impeditus nunc eſt, cùm citò pietati fecerit ſatis, patrem ſepulturæ mandarit, qui Chriſtum inuitus tantiſper relinquat, confeſtim animitus in perpetuum ſequetur. Si virtus quæ cum delicto ad iudicium venit, interuenit; cur in hoc Diſcipuli auſpicio alias laudatiſſima pietatis virtus reprehenditur, dum patris humandi copia negatur? ô nimis rigidam (vt apparet) & acerbam pietatis repulſam! Lyranus putat huius adoleſcentis patrem nondum fuiſſe mortuum, ſed ſenſum eſſe, permitte me ire, & adeſſe patri meo iam ſeni, donec moriatur, eo mortuo, & ſepulto te ſequar. Multò meliùs S. Baſilius, Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius cenſent eius patrem iam fuiſſe mortuum. Mirandum autem valdè eſt, quod Chriſtus eum, ne ad ſepeliendum quidem patrem iam mortuum ne permiſerit. *Et manifeſtum eſt, Chriſtum, cum ita reſpondit, rem maximè mirabilem, & præter hominum opinionem docere voluiſſe*, vt inibi ſubtiliter notauit P. Ioannes Maldonatus, addens quòd qui aliter opinantur, non videri *ſatis Chriſti conſilium intelligere, qui proculdubio docere voluit, cùm ab eo vocatur, ne vnius quidem diei, aut horæ moram etiam pietatis cauſâ, etiam ad ſepeliendum iam mortuum patrem interponere debere, quo minus è veſtigio vocantem ſequatur.* Scilicet cùm Chriſtus te vocat aut ad meliorem vitæ frugem, aut ad recuperandum deperditam cæli drachmam, alienum eſt quicquid præter hoc optando venit. Vel noctu quære in densâ tenebrarum caligine, & confeſtim drachmam inuenies: omitte pietatem, maiore fœnore pietatis patrem intempeſtiuè relinquis, & tempeſtiuè Deum inuenies. Neſcit, neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, quæ cunctantes fugit, diligentes quærit.

Suſpecta ſit pietas, quæ à quàm citiſſima Chriſti ſequelâ tantiſper nos demoratur.

Baſil. l. de Conſt. monaſt. cap. 2. Chryſoſt. homil. 28. Theophyl. & Euthym. ibi.

Maldon. ibi.

Hîc v. 4. Vix hîc præceptum excipit Abrahamus, cùm expromptum auditur obſequium: *Egredere de terrâ tuâ* &c. & confeſtim: *Egreſſus eſt itaque Abram.* Antequam egredi dicatur, *egreſſus* dicitur. Sic maturè idololatriam fugit, & Deum quærit?

§. CLX.

Principis præſentia vel puſillanimos armat, igniculóſque ingerit ad virtutem.

MAGNA pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Hic ſi coram deſit, aliquem habeat, quem vereatur, cuius auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non præſens tantùm, ſed etiam cogitatus emendat! ô felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat & ornet! Elige itaque Catonem; ſi hic videtur tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virū Lælium, elige eum cuius tibi placuit & vita & oratio, & ipſius animum antè ferens & vultus, illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt, inquam, aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi erigant. Porro ſecretum aut delictis, aut ſaltem deſidiæ patrocinatur egregiè. Spectatorum oculi, præcipuè ſi ſpectabiles ipſi ſunt, animos ad virtutem addunt, moreſque ad egregia facinora ſubornant, & calcar admouent ad ardua quæque ſectanda: nec degener inuenitur miles, ducis ſui oculis armatus. 1.

Seneca epiſt. 25.

Vel meditata magni viri præſentia vitiorum impetum ſiſtit.

Ioannis 18. in ſuæ paſſionis veſtibulo, dum 2.
anxiè Chriſtus Patrem orat, ecce Romana Ioan. 18. 10
cohors inuidiâ Phariſæorum ſæuè armata, duce infido proditore, iam Exapoſtolo & aduerſæ cohortis ſtratego. Adeſt lex aduerſo Chriſtus intrepidus, adeſt & Petrus binis inermibus & ſemiſopitis condiſcipulis ſtipatus: *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexteram.* O ſtrenuos Petri animos! ô animoſitatem nimis audacem, & piè temerariam! Vnus ipſe, nec armis adſuetus, totam imperterritus inuadit cohortem, inuidiâ, muneribus, Principum auctoritate, & bellico ardore timendam? Verùm paulò pòſt ille ipſe Petrus vnius mulierculæ verbis, à tantâ animoſitate muliebriter degenerans, imbecillus exanimatur, & hoſti victoriam vltrò cedit. *Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria: Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit illi: Non ſum.* Quin & iterum, & tertiò infidè perduellis, nec imbecillo hoſti reſiſtere audet. Hicne tu ille nuper Petrus velut temerariè in totam cohortem audax? Bellè perquirit Hugo; *Sed quo modo fuit ita audax Petrus?* Et ego rurſus perquiram: Sed quo modo etiam qui nuper tam audax fuit, confeſtim tam pauidè puſillanimus eſt? ô Chriſti præſentiam! ô ducis oculos, qui tantum militibus vigorem ſpirant! Nimirum languet Petri animus in abſentiâ Magiſtri, cuius ſic præſentiâ clypeatur, vt totam ſolus adoriatur cohortem. Tantóſne animos ſublimium ſpectatorum aſpectus inſpirat? Qui in ſecreto ſic degener laſſeſcit, hic ille coram ſic ferocit in hoſtes. Profectò Ducis oculi, militiæ ſtipendia ſunt, & virtutis calcar. Abſentia ſpectantium robur faſcinat,

Spectatorum oculi calcar admouent humanæ deſidiæ.

Suprà v. 17.

Hugo ibi ad v. 10.

nat, & exanimat, occulto deſidiæ blandimento. Qui ſpectatur, ſpectabilis eſt, aut fit. Vide quàm ſtrenuè ſe geſſerit Lot præſente Abrahamo; poſtquam autem ab eius latere diſceſſit, dici ipſe Lot vix potuiſſet.

Hie. 5.

3. Matthæi 28. aderat tempus quo diuina ordinatio Chriſti ad cælos regreſſum expetebat; & de eius triſtiſſimâ abſentiâ mœrentibus Apoſtolis, & in eis, Apoſtolorum de officio æmulis, ſic fatur Chriſtus: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Moroſus ero ſi referam varias huius loci expoſitiones, facilè cuique parabiles. Nempe quam Chriſtus ſuis polliceatur præſentiam, cùm illos ad ſæuiſſimos Tyrannos proculcandos, & orbem totum Euangelio ſubiugandum, inermes dimittit. Tantùm referam elegátiſſimam loci expoſitioné, quam miro ingenio & facundia Lucifer Calaritanus ſcripſit. Sic enim loquitur aduerſus Conſtantium conſtantiſſimè. Hinc eſt (inquit) quod tua crudelitas noſtris illudit corporibus, cur magni æſtimemus fidem, cultoreſque Dei nos eſſe non abnegemus; totis in nos incumbis carnificinæ tuæ viribus, arbitratus nociturum te nobis, ignorans probationis noſtræ nos gaudere occaſionibus; hi videlicet qui felicitatem noſtram hanc exiſtimamus maximam, ſi in hoc iuſtitiæ agone tua carnifice manu nobis contingat pro Dei iugulari filio: ſtabiles contra tuam religioſâ mente perſtamus infamiam, vincente ſcilicet in nobis eo pro quo patimur. Feriant licet per te diabolici fluctus, & pulſent latè vagantes mundi turbines, magis magiſque immobilis, vt eſt, erit virtus, nec vndis tuarum infeſtationum circumſpumantibus ſuccumbemus aperti; ſed contra omnia erimus ſemper erecti pericula; ſiquidem non ſit Chriſtianus animus abiectus, qui ſternatur & iactetur ad vitia; ſed eo vſque ſit generoſus ac nobilis, vt contra omnia tentamenta immobilis victorque permaneat..... Creſcit crudelitatis tuæ pugna, ſed creſcere aduerte & Chriſti militibus gloriam; nec retardamur denique ab acie tormentorum metu, ſed ipſi magis tuis tormentis ad aciem prouocamur. Hoc ita eſſe negare non poteris, quando conſpicias pari ac ſimili calore virtutis Chriſtianos toto in orbe ad gerendum certamen animatos, quando videas militem Chriſti incorruptam fidei firmitatem quod non deteſtandæ tuæ blanditiæ decipiant, non minæ furoris tui terreant, non cruciatus tuæ carnificinæ, ac tormenta tuæ crudelitatis deuincant, (vnde tátum pugnaciſſimis Chriſtianis robur?) *Illo videlicet in nobis manente, & nobiſcum ſemper conſiſtente, qui ad beatos Apoſtolos dixerit: Vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* (Et adhuc infrà.) Stetimus & ſtamus, & quouſque conſumas corpora noſtra, ſtaturi ſumus ſalutari Chriſti clypeo muniti, loricâ pietatis eius circumdati, ſancto ſpiritu gubernati, immobiles & magis magiſque in omnibus victores, pellentes omnem vocem ſeruitutis. Dilacerati toto corpore, probantes nihil congruere ſapientium grauitati atque conſtantiæ, quàm nullis terroribus de ſententiâ & propoſito depelli, ſed eſſe vtiliſſimum pro Deo cruciari. Ceterùm quantum ad exitum, nihil intereſt, clauo per te an lanceâ moriar, reſtrictis poſt terga manibus, an porrectis ſparſiſque, verùm pronum, incuruum, an rectum, & editum, nihil refert: verùm quieſcentem me in lectulo occidas, an ceruicem mihi ſtanti incîdas gladio, an ſecuri caput auferas: an ad palum me, an ad crucem alliges, igne torreas, an viuum humo condas, ſaxo præcipites, an in maria mergas. Nil iudico ad me pertinere, aliteſne an canes meum corpus lanient, hæreant corpori meo feræ, luminibus illis crudelibus te ſpectante, inſiliant, iacens humi vnguibus dentibuſque ad oſſa vſque redigar, cùm poſt hæc omnia Deo ſaluus ſim. Hucuſque Lucifer Calaritanus. Nec mirere, me præter morem longiùs proceſſiſſe, is enim in Lucifero Epiſcopo eſt martyrij ardor, vt mihi etiam tepido igniculos ingeſſerit, ad ſimilem tormentorum carnificinam perferendam: ſimulque eleganter æquè ac verè ante oculos proponat, quàm ſtrenuos animos Apoſtolis & Chriſtianis addant Chriſti verba: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.*

Matth. 28. 20

Lucifer Cal. in Opere cui titulus eſt: *Moriendum eſſe pro filio Dei.*

Martyrij cupido, & argvta deſcriptio.

Chriſti præſentia quàm ſtrenuos faciat Chriſtianos athletas.

4. Lucæ 22. Chriſtus Deus in ſuæ Paſſionis veſtibulo, factus in agoniâ prolixiùs orat, vt ſi fieri poſſet, felleus ille calix ab eo tranſiret. *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum.* Locum hunc doctores poſitiui & ſcholaſtici innumeris expoſitionibus miré adhuc tentant, nec planè difficultatem exhauſiſſe videntur. Scilicet pauorem Chriſto vero homini incutit ſolitudo, & tacentes loci, & ipſa raritas in ſpatioſis; diſcipulorum ſemiſopitæ reliquiæ Magiſtrum fatigát. Expalleſcit & æſtuat humanitas ad acerbiſſimæ & probroſiſſimæ Paſſionis iam iam imminentes ærumnas, & ſanguinem toto corpore euaporat, inſolito naturæ prodigio, quo ſe verè hominem ex carnis infirmitate probaret. Verùm cum hominum deſtituitur præſidio, adeſt expromptior cæli fauor, & *apparet Angelus confortans eum.* Sed quo pacto illum confortare Angelus potuerit, arduum explicatu eſt. Quid enim tunc Angelus Chriſto Deo ſuggereret, quod ipſe ignoraret? quod viuacius non præuoiſſet? Intermitto hîc multiplices doctorum expoſitiones, facilè cuique parabiles, vt exſcribam verba S. Epiphanij ad rem præſentem in paucis opportuna. *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum. Sic etiam*, inquit, *Angelus circa illam horam, admiratione ductus ſuper excellentiâ benignitatis erga homines proprij domini, dicebat ad ipſum glorificans ac benedicens proprium Dominum in tali ſtudio ac miraculosâ actione conſiſtentem: Tua eſt adoratio, tuum eſt dominium, tua eſt potentia, tua eſt fortitudo*, Scilicet ille ipſe Chriſtus Deus, qui quà homo erat minoratur infra Angelicam naturam, & qui anxiè pati timuit, vt veram aſſumpſiſſe humanitatem oſtenderetur, voluit etiam præſentiâ Angeli *confortari*, & ad Paſſionem animosè ipſo & præſente, & adhortatore & admiratore excitari, quò verus itidem homo probaretur. Conſiſtebat tunc Chriſtus in perdifficili Paſſionis *ſtadio*; apparet ergo illi de cælo Angelus, præſentiâ ſuâ hominem confortans, & laudatoriâ adhortatione ſuggerens, quàm gratum cælo ſuâ Paſſione ſpectaculũ exhiberet. Præſentiâ autem & adhortatione Angeli,

Lucæ 22. 43.

Chriſtus in horto paſſionis Angeli præſentia confortatur.

Epiph. Hæreſ. 69.

Angeli, ſic (quà homo) animatus eſt Chriſtus, vt inde obuiam armatis hoſtium phalangibus intrepidus prodiret, & tartareos bellatores exarmaret, proculcaret, detriumpharet.

---

§ CLXI.

Quiſquis occaſionem exercendæ virtutis captat, & inopinatam felicitatem, & ſuæ redemptionis occaſionem inuenit.

1. HVMILE quiddam eſt voluptas, ſeruile, imbecillum, caducum; cuius ſtatio ac domicilium fornices & popinæ ſunt. Voluptatem latitantem ſæpiùs, & tenebras captantem inuenies: circa balnea ac ſudatoria, ac loca Ædilem metuentia, mollem, eneruem, mero atque vnguento madentem; pallidam aut fucatam, & medicamentis pollutam; & quò gratius eſt, tunc cùm maximè delectat extinguitur.

Occaſio virtutis, ne' at vitij opportunitas.

Virtus vero immortalis eſt, neſcit exire, nec ſatietatem habet, nec pœnitentiam. Altum quiddam eſt virtus, excelſum, & regale, inuictum, infatigabile, quam in templo inuenies, in receſſu, in publico, in clauſtris, in foro, in curià, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: vbiuis virtus inueniri poteſt. Sed videnc mortalium delicijs, ne illius captandæ elabatur occaſio, & virtutis ſectator currat in vitium oblatà occaſione virtutis.

Cæſ. hom. 1. *Intolerabilis dolor erit, ſi inde quiſque cauſſas mortis incurrat, vnde vita gaudia comparare potuiſſet*, ait Cæſarius.

2. Lucæ 7. ad prandium, & ad Phariſæi prandium veniſſe Chriſtum ſolicitus forſitan miretur auditor.

Lucæ 7.37. Rogabat, inquit Ieſum quidam de Phariſæis, vt mãducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti*, &c.

Qui occaſionem virtutis rapit, inopinatam inuenit felicitatem.

Phariſæus ad manducandum vocat Chriſtum: quid ibi quærit mulier non vocata? Clauſtra domus non prorumpit extraneus, conuiuij ſecretum non præſumit non inuitatus intrare: cibos paratos relaxandis mentibus poſt laborem perturbare non audet arbiter luxurioſus: & quid eſt quòd mulier ignota, imò malè nota, onuſta luctibus, plena lachrymis, clamoſa planctu, neſcio ianitore, nullo conſcio, ipſo ignorante paſtore, domus aditus percurrit omnes, tranſit totas miniſtrantium cateruas, ipſum conuiuij penetrat ad ſecretum, & facit domum lætitiæ, domum lamentationis & planctus? *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*, &c. Exaggerat Euangeliſta mulieris facinus, vt accumulet indulgentiam largitoris. Importunam denarrat aduentaſſe conuiuio, ne vlla virtutis occaſio non opportuna videatur.

Tertul. de Pœnit. c. 4. Bellè Tertullianus: Pœnitentiam (inquit) tu peccator ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit. *Rape occaſionem inopinatæ felicitatis*. Importuna adeſt mulier non vocata conuiuio, ſed opportuna veniæ. Virtus enim caret tempore, cùm omne tempus ſit idoneum virtuti: *No ay deshora para la virtud.* Obſeruanda, captanda, & rapienda eſt quæuis: quantumuis intempeſtiua, virtutis occaſio, quaſi auguſtioris fortunæ arbitrium. Humanæ ſpei audaciam, & fiduciæ faſtum excedit felicitas, quæ vel ex intempeſtiuà occaſione percipitur: *Rape occaſionem inopinatæ felicitatis.* Opportunè importunè captanda eſt virtutis occaſio, piè ſuperbo meritorum auctario.

3. Marci 10. ita Chriſtus Deus ad diſcipulos ſuos loquitur: *Filius hominis non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.* Pro multis, an pro omnibus? Ecquis Dominicæ redemptionis exors eſt? Annon copioſa apud eum redemptio? Quiſnam alius niſi Deus redimere potuit? & quis à Deo redemptus non eſt? Alij redemptoris vocabulum olim figuratè geſtarunt, tanti nominis merè baiuli; ſolus verò Chriſtus Deus rem nominis adimpleuit, dum ſolus omnes cumulatè redemit.

Marci 10. 45.

Pauperes permittit Deus, ne propria redemptionis occaſio hominibus deeſſet.

Audiendus tamen eſt S. Cæſarius Arelatenſis, qui ſubtili ingenio & eloquio diſputans, cur Deus naturà ſua & infinitè locuples, & omnipotentes munis eius, plures eſſe pauperes prouiderit, ita eleganter ſcribit: *Ego autem puto, charißimi, quia ita Deus noſter pauperes in hoc mundo eſſe permiſerit, vt in pauperibus virtutum fidem probaret: vel in pauperum miſericordia diuitibus miſereretur, vt abundantibus boni operis, ac redemptionis ſuæ occaſio non deeſſet.* Cæſ. hom. 1.

Non miraret dixiſſe Cæſarium ideò Deum pauperes in hoc mundo permiſiſſe, vt illis boni operis occaſio ſuppeteret. Sed quid eſt, ideò Deum pauperes permiſiſſe, vt diuitibus *redemptionis ſuæ occaſio non deeſſet*? Eſtne aliena paupertas propriæ redemptionis occaſio? An vnuſquiſque alienæ indigentiæ occaſione acceptà, ſuus velut redemptor eſt? Num copioſa Chriſti redemptio corredemptores admittit? An tanti à Cæſario æſtimatur, occaſionem virtutis non omittere, vt occaſio exercendæ virtutis, propriæ *redemptionis occaſio*, exaggeratiori vocabulo nominetur? Vnde quod Tertullianus dixit: *Rape occaſionem inopinatæ felicitatis*, quaſi obuiam virtutis occaſionem rapere, cenſum & ſenſum felicitatis excedat, id à Cæſario moraliſſimè appelletur, propriæ *redemptionis occaſio*, quaſi ſe iterùm quodammodò redimat, qui virtutis exercendæ occaſionem non omittit. Quid ad hanc rem exaggeratiùs dici potuit? Hunc Cæſarij locum aliàs emedullauimus, dum ſublime eleemoſynæ meritum expendimus.

Non tam propè admiror hîc Abrahamum à Deo euocatum, patriam & cenſum deſeruiſſe; quàm inuocatum Locum, ne deſereret Abrahamum, viuam pietatis legem, pariter exulaſſe; ne illi amplioris pietatis occaſio defuiſſet. Hîc v. 5.

§. CLXII.

§. CLXII.

Etiam adhuc, qui nuper præ diuino amore languebat, protinùs languet amor, & laſſeſcit propoſitum.

1. Prou 4.18.

E Cæli ſchola erudita Sapientis vox eſt: *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem.* Sed humanæ imbecillitatis cognatum vitium eſt, vt magnis incrementis decrementa ſuccedant. Et ſol ipſe, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, vbiprimùm alacer cæli verticem in meridie tenet, confeſtim cadere incipit in occaſum, etſi dein in Oriente fulgeat rediuiuus. Et diuinus amor poſtquam hominis præcordia ardentius decoxit, ardorem ſæpè tantiſper remittit, inſtar materiaci ignis, cui flamma perdiu non durat, cognatâ materiæ imbecillitate. Sic viuidum virtutis propoſitum, niſi ſolerter ad ſingula propè momenta, cæli fomite ſufflammetur, facilè deſciſcit, flacceſcit, langueſcit, imò & interſtinguitur, donec nouis igniculis foueatur. Hinc celebris illa Magni Antonij ſententia inter antiquos Ægypti Monachos (Angelos humanos potiùs dixeris, vel homines angelificatos) increbuit: *Hoc ſit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propoſiti vigore laſſeſcere; ſed quaſi incipientem augere ſemper debere quod cœperit.*

Apud P. Clau. in epiſt. de Renouat. ſpir. §. 3.

2. Ioã 21. v. 15. & 16. & 17.

Ioannis 21. poſt prandium, præclaram Euchariſtiæ vmbram; *Dixit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Etiam Domine, tu ſcis quia amo te..... Dicit ei tertiò: Simon Ioannis diligis me, &c.* Quid Chriſtus interrogat, quod ipſe non ignorabat, & Petrus iam non verbis, ſed factis declararat, cùm præ cæteris piâ quâdam ipſum videndi impatientiâ præcurrit ad Chriſtum? Sed age, videamus quid interroget: *Simon Ioannis diligis me plus his? id eſt, magis quàm iſti diligant, demonſtratis diſcipulis, qui ibi aderant,* ait Hugo Carenſis, plures ex antiquis ſecutus, & quem è recentibus ſequuntur plures. O quæſtionem Petro inuidioſam, & reliquis Diſcipulis pergrauem! Si affirmatiuè, vt par erat, reſpondeat, ſe cæteris præfert. (Annon timeat arrogantiæ inuidiam?) Si id diſſimulat, humilitatis & concordiæ ſtudio, veritatem fallit. Verùm piâ audaciâ reſpondet Petrus, interrogatus an plus ceteris Chriſtum diligat: *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* Hoc eſt, plus quàm ceteri, vt inibi acutè notat, & probat P. Ioannes Maldonatus. Sed quid cauſſæ eſt, perueſtigat Euthymius, cur in prima interrogatione Chriſtus Petrum roget, an ſe præ ceteris Apoſtolis diligat, (aiens: *Simon diligis me plus his?*) & in ſecundâ, quin & in tertiâ interrogatione duntaxat perquirat, an eum diligat? (inquiens, *Simon diligis me?*) Nuper interrogatus, verùm plus omnibus Chriſtum diligat, ſe plus etiam reliquis ipſum amare reſpondit, & tanti amoris teſtem ipſum Chriſtum ſtiterat, & poſtmodum iterum, atque iterum rogatur, an Chriſtum ſimpliciter diligat? An fortè plus ceteris poteſt Chriſtum diligere, quin ſaltem diligat? An potius eius qui nuper præ ceteris Chriſtum diligebat, iam nunc vel ſimplex amor examinatur? Sic citò humanus erga Deum amor languere ſolet? Sic poſt breuiſſimum tempus, hominum in Chriſtum amor, laſſeſcere ſolitat? ô humanam pij propoſiti inconſtantiam, quam Petrus in trina negatione publicauit, & hâc conſtantiſſimi amoris trinâ confeſſione diluit! Sciebat, ſciebat Chriſtus Deus amorem Petri, quem examinat: ſed triplici amoris interrogatione, non tam Petri, quam hominis imbecillitatem hominibus intimat, adeò vt ab eo, qui nuper verè profeſſus eſt, ſe plus ceteris eum diligere, poſtmodum, ſecundò & tertiò, an eum ſimpliciter diligat, adhuc ſciſcitetur. Sic ſubitò amoris calor tepeſcit? Tam citò viuidum virtutis propoſitum in homine langueſcit? Vix Abrahamus hîc cum Deo amicitiam inierat, & confeſtim illi Deus apparet, & fœdus redintegrat, & arreptum virtutis propoſitum roborat, ne fortè langueſcat.

In initio Petri amoris, amoris humani ad Deũ imbecillitas examinatur. Hugo ibi

Mald. ibi. n 57.

Hic c. 7.

3. Matth. 8.

Matthæi 8. ad Chriſti nutum Diſcipuli trans fretum pergunt, & cum turbis ſolus manet, tantiſper Diſcipulorum collegio viduatus. *Et accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter ſequar te quocumque ieris.* O iter in primis arduæ & præ animoſum propoſitum! Bellè Chryſologus: *Petrus per mare ſequitur, ſed ſubmergitur: ad paſſionem ſequitur, ſed negat. Et ſi Petrus ſic deficit, ſic ſuccumbit ad paucas iſte quis eſt; qui ſe ad omnia ſequi Dominum ſic promittit? Dixiſſet cautius; ſequar te quocumque iuſſeris: humanius certè, quocumque volueris. Sed ad omnia poſſe quis promittit?* Vnde qui nuper animoſius dixerat: *Sequar te quocumque ieris*, vnius paupertatis telo languente propoſito, imbecille exarmatur. Tam citò inopiæ obiectu terretur, qui tanta audacter promiſerat? Sic humanum laſſeſcit propoſitum, ipſa humanæ naturæ imbecillitate caducum! ô quàm eſt difficilis in virtute conſtantia! Si tam audax propoſitum confeſtim nutat, & protinùs terretur, quis de ſe animoſius præſumat?

Animoſum virtutis propoſitum, protinus nutat, cognata hominibus imbecillitate. Chryſol. ſerm. 19.

§. CLXIII.

Futura gratitudo præſentis conſeruandæ gratiæ artificium eſt.

INIQVVS eſt beneficij interpres, qui non percupit, vt datori potiùs quam ſibi beneficium proſit. Errat ſiquis beneficium libentiùs accipit, quàm reddit; ingratuſque habetur, qui beneficium reddit ſine vſurâ. *Fraus eſt accipere, quod non poſſis reddere*; iniquitas, quod nolis reddere. Et ſane ingratitudo, iniuria ſibi ipſi eſt, cùm ſe fraudet alienâ beneficentiâ, nam *beneficia plura recipit, qui ſcit reddere.* Elabitur ſenſim ingrato beneficium; quòd præproperè gratitudo conſeruat. 1.

Seneca ex Publ. Min.

Exodi

1\. Exod. 3. Exodi 3. Hebrææ gentis ductor, & eductor, Ægypti terror, Deus Pharaonis, & miraculorum arbiter, eligitur Moyſes. Dixitque ad Deum: *Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis ſignum, quòd miſerim te: Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum*: Ardua in paucis quæſtio, quo pacto Deus offerat Moyſi in ſignum rei præſentis, rem diu poſt futuram. *Quo modo* (ait Hugo Victorinus) *poſſet eſſe ſignum, quod futurum remotum erat, rei quam nuper facturus fuit?* Immolatióne diu pòſt in exitu Ægypti futura, idoneum erit ſignum præſentiſſimi auxilij, quod expetit Moyſes aduerſus pertinacem Pharaonis potentiam, vt populum educat? ô ſerum valdè ſignum, & de tarditate inidoneum! Subtiliter rorì. ſpondet Rupertus: *Promitte*, inquit, *cùm eduxeris populum meum de Ægypto, Tu præſentis non ingratus eris, ſed agendarum memor gratiarum, immolabis Deo ſuper montem iſtum*. Nempe prophetatur futura Moyſis gratitudo, quaſi præſagium affluentiæ omnium gratiarum, & ſignum diuinioris auxilij præſentiſſimum. Prædicitur Moyſes fore eductioni poſtea gratus, quò nunc eductionis reddatur certus; ſicque ipſi Deum adeſſe, vt facilè poſſit tot patrare prodigia, Pharaonis proteruiam edomare, & Dei populum dirâ ſeruitute oppreſſum glorioſiſſimè in libertatem vindicare. Quaſi futura gratitudo ſit præſentis fauoris præſtandi opportunum ſignum, & omnipotentioris gratiæ præſentis character impreſſus. Sic gratitudo, beneficia fauſtè ominatur: Sic futura gratiarum actio indubiè cupita beneficia extorquet & firmat, vt gratitudo diu poſt futura, ſignum ſit accipiendi fauoris præſentiſſimum? Quod ingratitudo fatuè perdit, felix acquirit gratitudo. O vrbanam alienæ beneficentiæ negotiationem! Hanc negotiatur hîc Abraham, necdum acceptæ gratiæ eximiè gratus.

Hugo Vict. ibid.

Gratitudo futura, ſignum & character omnipotentioris gratiæ præſentis.

Rupert. ibi

Gen. 2. 16.

3\. Hic v. 7. Secundum Geneſeos caput, breuis recapitulatio eſt, quâ velut compendio diuina beneficia Adamo collata adaggerat Moyſes. *Tulit igitur Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis*. Hominis enim gratiâ perpulchrum mundi opificium & paradiſi delicias condidit Deus. Sed quare perexiguâ duntaxat morâ frui permittitur, fauore quo opulentioris prouidentiæ ſtudio fuerat ſumptuoſiùs cumulatus? Cæleſti gratiâ, & paradiſæâ gloria dotatur, vt confeſtim tot diuinæ munificentiæ donis viduetur? Pulchrè Rupertus: *Sed hic, ait, tandem animaduertendum eſt, quàm pertinaciter homo primus à creatoris laude mutus perſtitit, quam obſtinatis labiis ab omni gratiarum actione abſtinuit, & ingratum Domino Deo ſilentium dedit, formante Deo, & inſpirante ſpiraculum vitæ..... in eo quod fecit adiutorium ſimile ſui, &c. Tacet adhuc, & nihil quod laudem Domini reſonet, eloquitur.* (Expende diligentius quæ Rupertus ſubnicit verba.) *Qui ergo gratiam Dei non agnouit, non mirum quod ad hoc vt & peccaret, & peccatum ſuum non agnoſceret, quia res vicina eſt, &c. Eodem quippe intuitu, & ſuum malefactum, & diuinum erga ſe cognoſcit homo beneficium.* An ingrata diuinæ laudis taciturnitas fuit Adamo labendi meritum, & acerbæ permiſſionis reatus? Ante primæuum delictum, ingratitudinis condemnatur Adamus, & diuinioris beneficentiæ reus ſiſtitur? Ingratus meretur perdere, quod perdidit inobediens? Qui paradiſæam felicitatem ingratitudine dedicauit, pro auſpicio fruitionis, mulctam patiatur defectionis, & in proprij ſilentij pœnam garrulitate corrumpatur extraneâ, vt infauſtè perdat ingratitudo, quod gratiarum actio feliciter conſeruaret. Præterea nota mihi quod ſingulariter Rupertus notauit, ſcilicet Adamum poſtea non aduertiſſe, nec cognouiſſe grande à ſe perpetratum delictum, quia priùs ingratus ad ſuum munificum benefactorem non aduertit: Quoniam *homo eodem intuitu, & ſuum malefactum, & diuinum erga ſe cognoſcit beneficium.* Quaſi delicti commiſſi pœnitentia, ſit etiam cæleſtis erga ſe beneficentiæ gratanter exhibita cognitio: & eodem lachrymantium oculorum intuitu, quo quis proprium plangit flagitium, non tam diuinam humani peccati permiſſionem, quàm Deum beneficum gratiarum largitorem agnoſcat. O arcanam pœnitentiæ gratitudinem! Auerſio à nuper commiſſo flagitio, eſt diuiniori olim gratiæ officioſa? Nimirùm ſit gratitudo, pœnitentiæ diſſimulanter comes, vt perduret pœnitentiæ meritum, & gratiæ reſtauratæ theſaurus, quaſi gratiarum actio ſit beneficij conſeruandi diſſimulatum arbitrium, & tutior adeptæ gratiæ conſeruatio. 4.

Adamus quod gratus non erat, ingratitudine perdidit.

Rupert. ibi.

Pœnitentia eſt diuiniori olim gratiæ anter officioſa.

§. CLXIV.

Priuatorum hominum obſequia, obliuioni Principum adulantur?

NIHIL *chariùs æſtimamus, quàm beneficium, quandiu petimus; nihil vilius, cùm accepimus.* Hoc commune hominum vitium, Principum faſtus ſibi arrogat ſpecialiùs: quaſi beneficiorum obliuio, cognata potentioribus ſit, & potentiæ ſequela. Ioſephus in carcere ſqualidus, de Pincernarum principe ob fauſtam ſomnij interpretationem, optimè meritus, ſic illum ſupplicat: *Tantum memento mei, cùm benè tibi fuerit, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere.* An hic à ſapientia ſua degenerat ſapientiſſimus aliàs Ioſephus? Qui à fortunato expetit miſerorum, aut beneficiorum recordationem, puto exiget ab obliuione memoriam: propria enim felicitas eſt accepti beneficij obliuio naturalis. Vnde nec toto biennio pincernarum principi in mentem venit ſui benefactoris memoria. Porrò cùm Potentium felicitas non ſit Miſerorum indiga, alienæ miſeriæ altè obliuiſcitur: quaſi indigentia ſit memoriæ ars, & recordationis arbitrium. Humana proſperitas, quantumuis beneficiis obligata, totum ebibit lethæum, cognatus fortunæ lethargus eſt, morbus planè irremediabilis.

1\. Seneca epiſt. 81.

Fortunatus lethæum felicitate bibit.

Gen. 40. 14.

Geneſeos 21. patriæ exul apud Palæſtinos peregrinatur Abrahamus: ad quem rex Abimelech vltrò venit, vt perpetuæ amicitiæ inter 2.

ſe

Munera Abimelecoo donata ad memoriam, obliuionem procurant.

ſe & Abrahamum, & vtriuſque in perpetuum liberos, fœdus ineunt. *Tulit itaque Abraham oues & boues, & dedit Abimelech, percuſſeruntque ambo fœdus.* Et ſtatuit Abraham ſeptem agnas gregis ſeorſum. Cui dixit Abimelech: Quid ſibi volunt ſeptem agnæ iſtæ, quas ſtare feciſti ſeorſum? *At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, vt ſint mihi in teſtimonium, quoniam ego fodi puteum iſtum.* (Geneſ. 21. v. 30.) Peregrinus Abraham munera Regi offert ad fœderis memoriam? Nemo exinceps interpretum iam miretur, fœdus hoc in perpetuam abiiſſe obliuionem. Adcò vt inibi dixerit Lipomanus: (Lipom. in Cat. ibi.) *Vix cum aliqua gente bella Iudæorum plura legimus, quàm cum Palæſtinis*, cum quibus nunc fœdus ſic initur. Profectò præterquam quòd Principum memoria imbecilla eſt; perſæpè priuatorum obſequiis obligata, in obliuionem degenerat, quaſi officia & munera Proceribus exhibita, obliuioni adulentur, & obliuia ſubornent. Itaque dum peregrinus Abraham principi Abimelecho dat oues & boues, dat etiam agnas, ad vtriuſque fœderis recordationem, obliuionem re ipsâ negotiatur, & lethæum Regi propinat. Sic facilè è memoriâ Principum excidunt priuatorum ſeruitia? Vel munerum obſequia, quæ debuiſſent excitare memoriam, obliuia procurant? (Hîc v. 2.) Caueat Princeps ab hoc næuo, qui principalem potentiam maximè deuenuſtat, ne quod Abimelechi vitio, olim cum Abrahamo, & hic cum Iſaaco factum eſt, tranſeat in Principum mores.

3. 1. Reg. 17. Goliath ille, Iſraëlitarum terror, validâ Philiſtinorum manu ſtipatus, ad bellum, & ad duellum procedit in Vallem terebinthi, vbi Saül Iſraëlis agmina congregarat. Iuuenis adhuc Dauid, alacer deſcendit cum gigante ad ſingulare certamen, quod ſtrenui bellatores recuſarunt. Demiratus Saül Dauidis animoſitatem, (1. Reg. 17. v. 55.) *Ait ad Abner principem militiæ: De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, Abner? Dixitque Abner: Viuit anima tua, rex, ſi noui.* Admirationem interpretum mouet, quòd neque Saül, neque Palatini principes Dauidem cognouerint. (*Saül cum obſequio, obſequij ebibit obliuionem.*) Porrò ſuprà cap. præcedenti, cùm quæreretur pſaltes, qui Dæmonem, quo agitabatur Saül, plectri dulcedine excantaret, *Reſpondens vnus de pueris*, (Regi adſtantibus) (1. Reg. 16. v. 18. & 19. & 20.) *ait: Ecce vidi filium Iſai Bethleemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus eſt cum eo. Miſit ergo Saul nuncios ad Iſai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis. Tulit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & miſit per manum Dauid filij ſui Saüli.* Quid cauſæ eſt, quare Saül, Dauidem, quem ſæpe coram viderat, ignoraret? ſæpè conuerſatus fuerat cum Dauide, & Dauidem neſcit? An quem à patre Iſaï nuper expetiuerat, confeſtim ecquis, & cuias ſit, non agnoſcit? Iumentum Dauid tulerat muneribus onuſtum, & Saül interrogat, quis ſit? Perſæpè Lyræ ſuauitate ex ipſius corpore Dæmonas expulerat, & ex Diabolorum domicilio, quodam modo hominem eſſe iubebat; & tam munificum benefactorem adhuc Saül ignorat? Belliſſimè, vt aſſolet, P. Ioannes Mariana, recentioris æui veteranus interpres, (miſſis aliorum commentationibus) paucis, ſed aureis quidem verbis, dubio reſpondet, verſans illa Saülis verba: *De quâ ſtirpe deſcendit hic adoleſcens, Abner? Vide*, (Marian. ibi.) inquit, *ingenium Principum. Citò obliuiſcitur obſequij.* Quaſi Procerum ingenium ſit, ſimul cum obſequio, obſequij obliuionem perbibere; & perutile beneficium memoriæ defectum inducere dum obliuia negotiatur. O, lethæa hæc principum obliuio, ſubditorum ardori niues ſpargit!

Exodi 1. *Surrexit interea Rex nouus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph.* (Exod. 1. 8.) Ignorari poterat Ioſephus, tot obſequiis de Rege & regno benemeritus? Profectò opulenta beneficia, quibus Ioſephus regnum ſoſpitarat, Regem auxerat, erant velut perpetua monimenta, quæ illius memoriam ab obliuionis iniuria liberarent. Sed vereor ne tanta beneficia procerum obliuionem procurent. Pulchrè Hugo Carenſis: *Rex nouus, qui ignorabat Ioſeph.* (Hugo ibi.) *Beneficia ſcilicet Ioſeph, quæ contulerat Ægyptiis.* Rex nouus, & nouellitate imperitus, beneficum in primis Ioſephum, citò obliuiſcitur. *Vide ingenium Principum, citò obliuiſcuntur obſequij*, quaſi priuatorum obſequium, ſit obliuionis lenocinium, & beneficium obliuia procuret.

---

§. CLXV.

Æſtimata opulentia ſæpè diuites facit, ſumtuoſo opinionis cenſu.

1. NATVRA paruo contenta eſt, auaritiæ, luxui, & ambitioni nihil ſufficit. Quicquid nobis bono futurum erat, Deus & parens noſter in proximo poſuit. Non expectauit inquiſitionem noſtram, & vltrò dedit: nocitura altiſſimè preſſit. Nihil niſi de nobis queri poſſumus: nam frugalitas in perexiguo etiam cenſu, pro amplo eſt. Imò & in nullo cenſu, magni cenſus vulgaris opinio, ſufficiens cenſus eſt; ex quo vir bonus, verax, & ſollers, redditus capit ſufficientes ad ſuos & familiæ ſumptus. Scio ex Senecâ, quòd *fœnus, Kalendarium, & vſura, humanæ cupiditatis extra naturam, quæſita nomina ſunt.* (Seneca lib. 7. de Benef. cap. 10.) At honeſta negotiatio, & quæ hominem liberalem decet, etſi nummorum ſumma deſit, opinione conſtat, opinione victitat; quæ non niſi magnâ iacturâ perditur. Planè decoxit, cuius opinio imminuta eſt, aut imminutionis ſuſpecta. *Muchos ay que viuen ſolo de tener en pie el credito: y en faltando eſte, ſe dan por perdidos.*

2. Geneſis 26. Iſaacus illæ magnæ nuper familiæ dominus, dirâ Chananææ ſterilitate oppreſſus, cogitur relictis mapalibus in Gerarâ vrbe habitare. Tametſi à ſicco cælo terra ſterileſceret; *Seuit Iſaac in terrâ illâ, & inuenit in ipſo anno centuplum: benedixitque ei Dominus. Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiens atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt.* (*Locuples ob ſui contemtum ſublimitatis eſt.* Geneſ. 26. v. 12. & 13.) Dum valdè opulentus fit Iſaac, *Magnus vehementer effectus eſt.* Vides *Magni*

nomen

nomen opibus emi, diuitiis conſtare? Res bello præclarè geſtæ, quin & ambitio ſumptuoſior, virtute & negotiatione ſero erit prælustre *Magni* elogium. Iſaac in illo *ipſo anno locupletatus*, ſtatim *Magni* nomen feſtinatâ opulentiâ mercatur. Profectò locuples cenſus, compendium ſublimitatis eſt, & vulgaris opum vſura. Sed oportet indagare ſubtilius, quænam fuerit hæc Iſaaci opulentia, quâ *Magnus vehementer effectus eſt?* Scilicet quia *ſeuit Iſaac in terrâ illâ, & inuenit in ipſo anno centuplum.* Verum Cardinalis Caietanus ſic le cum hunc & exſcribit, & exponit: *Inuenit in ipſo anno centuplum. Iuxta Hebræum habetur: Centum æſtimationes, vt non tam centum, quàm æſtimatum centum ſignificetur.* Scilicet Iſaac *locupletatus eſt, & ibat proficiens atque ſuccreſcens, donec Magnus vehementer effectus eſt: habuitque poſſeſſiones*, &c. non quia (ex opinione Caietani) meſſuit centuplum, ſed quia æſtimatum vulgo eſt, centuplum ex copioſâ ſemente meſſuiſſe, centigrano prouentu? *Centum æſtimationes*, inquam, *vt non tam centum, quàm æſtimatum centum ſignificetur.* Nempe vulgaris opinio diuitem facit: pluſque diuitiarum ſæpè negotiatis, opulentâ diuitiarum opinione, quàm diuite cenſu. Æſtimata opulentia velut vſuraria negotiatione diuitias vberrim parit. O quàm diuitem depauperat, qui diuitiarum opinionem minuit!

Æſtimata opulentia diuites facit, opinionu cenſu.

5. Geneſ. 31. poſt viginti annos ærumnoſi ſeruitij, valde locuples factus, ad ſuos reuertitur Iacob. Laban eius ſocer, agreſti ingenio vir, quàm maximis itineribus illum perſequitur, & tandem comprehendit. De receſſu primùm expoſtulat, dein de idolorum furto, quod vt deprehendat, omnem Iacobi ſubſtantiam, & domeſticam ſupellectilem curioſo ſcrutinio euoluit, & recognoſcit. *Tuménſque Iacob cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, & ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam?* &c. Durum & illiberalem hominem totos viginti annos patientiſſimus Iacob pacatiſſimè tolerauit, eius violentiam muto ſilentio diſſimulans; & nunc ille ipſe Iacob de antiquâ & diuturnâ patientiâ diu illuſtris, irâ tumet, & cum iurgio aduerſus Labanum rixatur? Quid Iacobi iras ad iurgium exacuit? Non diſſimulauit Iacobus acerbioris iracundiæ cauſſam: *Scrutatus es* (inquit) *omnem ſupellectilem meam.* Tantine refert, Labanum coram adſtantibus omnem Iacobi ſcrutatum fuiſſe ſubſtantiam? Quid ex illâ ſcrutator Labanus furatus eſt? quare ergo tot tragœdias è ſuæ ſubſtantiæ ſcrutatione Iacobus excitat? Scilicet nihil opum abſtulit Labanus, ſed fortè ſubſtantiæ ſcrutatione & curioſâ exploratione, minùs quàm vulgò putabatur reperiens, famoſam opulentiæ opinionem imminuit, & opulentiæ æſtimationem eripuit. Quod innuere videtur Oleaſter, aiens: *Dicunt Hebræi & noſtri, verbum (chapas) ſignificare, Scrutari, & Mutare.* Nempè Iacobus dum magnâ opulentiæ famâ redit ad ſuos, grauatè admodum tulit, quod curioſè exploraretur eius cenſus, quaſi *ſcrutatione* famâ opulentiæ imminueretur, & inde eius opes ad alios *mutarentur*. Vnde dum videt Iacob Labanum omnem ſubſtantiam ſuam *ſcrutantem*, Tumens cum iurgio querulus de depauperatione expoſtulat, quaſi ex eiuſmodi ſcrutatione exploratum eſſet quid re ipsâ poſſideret; & inde imminutâ magnarum opum opinione, quod habebat, in alium poſſeſſorem citò *mutari* timeret. Idem enim eſt, *ſcrutari*, ac *mutare* alicuius ſubſtantiam, & cenſum. Quod ab Iſaaco patre Iacobus dicit: apud quem idem dicitur ex copioſâ ſemente *centuplum* meſſuiſſe, ac habuiſſe *centum æſtimationes.* O moraliſſima ſynonyma! Opulentia non tam re, quàm æſtimatione, ſeu opinione conſtat. Scrutatus, ſeu curioſè exploratus cenſus, nunquam ſatis diues eſt. Potior diuitiarum pars habetur diuitiarum opinio. *Auerigüar aun hombre por menor ſu hacienda, es deſtruirle.* Sic liceat ad mores hunc locum flectere.

Geneſ. 31. v. 36. & 37. Quare iurgio ageret, quod eius ſubſtantiam Labanus ſcrutaretur

Oleaſter ibi.

Vnde hîc verſ. 1. in tanta ſterilitate, & rerum penuriâ, locuples valdè habetur Iſaac, non tam quia *centuplum* meſſuit, ſed quia *centum æſtimationes* habuit, vt Caietanus opinatur.

---

§. CLXVI.

Vt terræ ſterilitas, cultori imputatur, ſic Gubernatori, diuturna ſubditorum prauitas.

CÆci ducem quærunt, Præfecti ſæpè ſine duce errant, dum dicunt; Non ego ſollicitus non ſum, ſed nulla ſolertia quãtumuis attenta poteſt effrenes ſubditorum mores compeſcere. Non ergo aut blãdus, aut ſeuerus nimis, ſed quis poſſit medium tenere inter varios & ancipites ſubditorum mores? Quid ipſi ſe ipſos decipiunt? Non eſt extrinſecùs communitatis vitium, intra ipſos ſæpè eſt, in ipſis eorũ viſceribus ſedet. Et ideò Rectores difficulter ad ſanitatem veniunt, quia ſe ægrotare neſciunt, vitiumque communitatis duntaxat putant, quod ſuum etiam eſt. Bonus Gubernator ſubiectorum diſcutiat ingenium, & eorum mores quaſi per anatomiam exploret, attentiùs regimini inuigilet, & vel refractarios reddat morigeros, & virtutis ſteriles faciet pietatis feraces. Multa peritiæ licent! 1.

Subiectorum vitia Præfecto imputantur.

Geneſ. 45. Ioſeph Ægypti princeps, & Ægyptiacæ annonæ Præfectus tandem ſe palàm fratribus oſtendit; bono animo eſſe iubet, ſerióque hortatur, vt è Chananitide in Ægyptum tranſmigrent, quò eos in dirâ ac diuturnâ fame vberius alat, ſic aiens: *Biennium eſt enim quod cæpit fames eſſe in terrâ. & adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arari poterit nec meti.* Profectò ſterilitas meſſem vetabat, non aruorum cultionem, cui ſcimus agricolas Ægyptios toto ſterilitatis ſeptennio improbè incubuiſſe: nã infrà cap. 47. à Ioſepho ad ſationem grana poſtulant Ægyptij infractâ & pertinaci ſpe. Arua aratores Ægyptij ſubigunt vomeris opere, ſementem opportunam faciunt importuno prouentu nimiâ ſterilitate fruges negante: quo ergo pacto vere dixit veridicus alias Ioſeph; adhuc quinque annos reſtare, quibus terra nec *arari poterit nec meti?* Aratur quidem improbè, ſolerter excolitur, granis ſemi- 2.

Geneſ. 45. 6.

Cap 47 v. 19 & 24. *Cultiſſimus ager, ſi non metitur, arari nõ dicitur.*

natur, ſed fruſtrà labor; quia ſterilitas meſſem prohibet. Quare ergo toto illo quinquennio nec *arari* nec *meti* dicitur terra? An quia ſterilitatis malo fundus non metitur, ideo nec arari dicitur, etſi verè exaretur? Inculturæ non ſterilitati imputatur meſſis defectus? Sic malè cultus cenſetur quiſquis fructum non facit?

Hic v. 2. Ager qui non metitur, nec arari, nec excoli dicitur: ô bonum animarum cultoribus documentum! In terra hîc adſpectu ad alios *ſterili*, Iſaacus, qui eam egregiè excoluit, centuplum inueniſſe dicitur.

3. Abraham ille Hebrææ gentis eximius Patriarcha, illuſtrium populorum naturâ & moribus fœcundus, Saram duxit vxorem, Saram inquam, ſterilitatis malo laborantem: *Erat autem Sara ſterilis, nec habebat liberos*, Geneſ. 11.

Geneſ. 11. 30. Virtutis, gloriæ, & diuitiarum dat Deus abundantiam, nec heredem Abrahamo dat. *Circumfluebant* (ait Baſilius) *vndequaque opes ingentes, ſed inopia naturæ partum negabat, & Saræ ſterilitas diuitiarum tantarum fructu prohibebat. Fluebant tempora, vt heres erat; diuitiæ creſcebant, nec ſucceſſor ſperabatur; ſenium appetens liberorum ſpes accidebat; quam prolis expectationem ſterilitatis malum extinxerat, eam fides innouabat.*

Baſil. Seleuc. Orat 7.

Et quaſi parùm foret de Abrahamo dixiſſe, quòd *inopia naturæ* laborabat; dum Saræ infœcunditas Iſaaci partu ſoluitur, ſic de Abrahamo ſubdit: *Sterilis venit in obliuionem ſuæ conditionis; natura dum ſe renouatur, ſenectæ obliuiſcitur.* Verâne Abrahamus appellatur ſterilis, & propter inopiam naturæ infœcundus? Abrahamus, inquam, ille, qui ex Agare Iſmaëlem priùs ſuſcepit, & in extremâ ſenectute ſex omninò filios, tot populorum robuſtiſſimos principes, ſuſcepit ex Ceturâ. Taceo Iſaacum Iacobæorum & Eſauitarum nobilem patriarcham. Sara planè infœcunda fuit, Sara inquam, cui naturæ inopia ſterilitatis elogium fecit; non Abrahamus fœcunditate nobilis, numeroſâ prole fœcundus. Altè profectò Seleucus Saræ ſterilitatem velut imputat etiam Abrahamo fœcundo, qui ob vxoris ſterilitatem improles & ſterilis palam nominatur; quaſi certæ infœcunditas cultori imputetur, & vxoris ſterilitas ſterilitatem affricet marito aliàs fœcundiſſimo. Sterili vxore fœcundiſſimus vir ſteriléſcit.

Quoniam Sara ſterilis erat, fœcundus Abraham ſterilis dicitur.

4. Lucæ 13. Dicebat autem Ieſus & hanc ſimilitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vineâ ſuâ, & venit quærens fructum in illâ, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hâc, & non inuenio: ſuccide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? *At ille reſpondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam.* Peritus hic vineæ cultor triennalem ficulneæ ſterilitatem ſibi velut imputat, quaſi non ita ſolerter, vt par erat, arbori excolendæ incubuerit? Ecquis eſt iſte vineæ colonus? & quis Dominus vineæ? Theophylactus inibi: *Paterfamilias Deus Pater eſt, cultor verò Chriſtus, qui ficum amputari vt ſterilem non permittit quaſi ad Patrem diceret: ſi per legem, & Prophetas fructum pœnitentiæ non dederunt, meis ego irrigabo paſſionibus & doctrinis, & forſitan dabunt obedientiæ fructum.* Ficulneæ, id

Ficulneæ ſterilitas cultori Chriſto imputabitur. Lucæ 13. 8.

Theoph. ibi.

eſt, humani generis ſterilitas Chriſto, vineæ cultori, imputabitur, an imbecillitati aut prauitati humanæ, virtutum ſterili? Exactiorem ſpôdet culturam, quaſi per ipſum ſteterit, quominus fructus tulerit opimos arbor de ſe ſterilis? Attentius ad id extricandum notanda eſt expenſio ſubſcribenda.

Matthæi 26. dum Chriſtus Deus Euchariſticum vinum in ſuum conſecrat ſanguinem, 5. Matth. 26. v. 28.
paullò ante quàm illum in cruce pro mundi redemptione effunderet, ſic ad Diſcipulos loquitur: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Similiter loquitur & Marcus, Matthæi abbreuiator. Lucas autem & Paullus dixerunt, *Qui pro vobis.* Vtrumque verò dixiſſe veriſimile non eſt, cùm ad præſentes verba dirigeret; vtro autem modo dixerit, omnino non conſtat: Theophylactus & Euthymius exiſtimant, idem eſſe *pro multis*, atque pro omnibus, quos hîc Caluinus peruerſo omninò conſilio ſecutus eſt, ſi tamen legerat; neque enim nominat, cùm alibi docere ſoleat, Chriſtum non pro omnibus, ſed pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe. An Euangeliſta Hæretico fauet? an Chriſtus non pro omnibus mortuus eſt? An Chriſtus Deus non vniuerſalis humani generis Redemptor in mundum venit? P. Ioannes Maldonatus (tametſi aliter locum commentetur) ſic inibi ait: *Qui pro multis effundetur, id eſt, prædeſtinatis, vt multi Catholici interpretes exponunt.* Addit Maldonatus: *Quia certum erat, Chriſtum noluiſſe Iudam etiam comprehendere* (idem eſto iudicium de aliis reprobis) *pro quo eius ſanguis, quoad fructum attinet, non effundebatur.* Scilicet Chriſtus Deus omnium Redemptor planè eſt, (quidquid oblatret Caluinus, & Hæreticorum tabulæ) & omninò pro omnibus in redemptionis pretium, ſanguinem ſuum in arâ crucis obtulit; attamen eius ſanguis pro omnibus indubiè effuſus, *pro multis* duntaxat effundi hîc dicitur, quia *quoad fructum attinet*, Iudas reproborum egregium caput, infidæ proditionis merito excluditur? ô moraliſſimum loquendi modum! Chriſti Dei pretioſus ſanguis pro omnibus effuſus hominibus, vt peccata ablueret, & virtutes rigaret ad omnē ſanctitatem; quia *quoad fructum attinet*, prouentu viduatur in Iudâ, & eius de prauitate æmulis, ob virtutum ſterilitatem, quâ infœcundi exaruerunt; non palàm dicitur effuſus pro omnibus, ſed *pro multis* effuſus dicitur; quaſi pro his, qui virtutum ſteriles ſunt, (etſi verè effuſus ſit) effuſus non fuerit? Quanquam quoad ſufficientiam ſpectat, pro omnibus effundatur, *pro multis* duntaxat, effuſus dicitur, quia *quoad fructum attinet*, non omnes, ſed multi fructuum fœcundi inueniuntur? Sicut terra Ægypti *arari* non dicitur, non quia non aratur; ſed quia non *metitur*: ſic reproborum hominum ager rigari non dicitur Chriſti ſanguine, quia propriæ ſterilitatis vitio, redemptionis non tulit fructum.

Marc. 14. 24. Luc. 22. 20. 1. Cor. 11. 24.

Quare Chriſti ſanguis non pro omnibus, ſed pro multis effuſus dicatur.

Maldon. ad cum Matth. locum.

_

§. LXVII.

§. CLXVII.

Ardua pericula feliciter exantlare, ſpontanei propoſiti ſtipendia ſunt.

1. VIx, aut nec vix quidem, præluſtre facinus ab inuito & à coacto fit. Omne excelſum opus, & præ difficultate arduum, voluntarium eſt, voluntariumque exigit patratorem. Admiſce rei, quæ à coactione venit, pigritiam, querelam, tergiuerſationem, metum, quod habet in ſe optimum, perdidit, languent inuoluntariæ vires coactionis faſcino: & vltra vires voluntas exerit robur maſculâ fortitudine, dum ſpõte audet, & vltroneâ audaciâ negotium capeſſit. *Mas hombre es ſiempre, el que entra por ſu volũtad en el peligro.*

2. Iſaiæ 6. in auguſto empyreæ maieſtatis ſolio Deus Prophetæ apparet, Seraphinorum ſeruitio glorioſus, & nebularum ſplendidâ caligine reuerendus. *Et audiui (ait Iſaïas) vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.* Hinc ſubtile oritur inter expoſitores litigium, cur Deus Moyſen coëgerit ad munus acceptandum, Iſaïæ verò duntaxat proponatur, vt illud vltrò expetat? Multa ſuper hâc re multi, quæ aliarum fortè theſiũ non inidoneum ſuggerẽt argumentum. S. Baſilius re & nomine magnus, præfata Iſaïæ verba exponens, & dubium proponit, & his verbis peracutè diſſoluit. *Et audiui vocem Domini: Quem mittam? Ecquis ibit ad populum hunc? Moyſen quidem,* inquit, *non interrogat: ſed quaſi eum haberet ad id iam accinctum, ait: Et nunc veni, mittam te ad Pharaonem regem Ægypti. Ad Iſaiam vero ait: Quem mittam? Ecquis ibit? Quæ vtriuſque cauſa eſt? Quia illic quidem mittebatur Moyſes pro bono ac beneficio in populum conferendo: hic autem miniſterium proponitur ad nunciandum res parùm amœnas, imò permoleſtas. Quocirca illi quidem mandatum præſcribitur: huic autem famulatus obeundæ legationis in poteſtate relinquitur, propterea quòd nos homines ſic naturâ comparati ſumus, vt quæ ſemel volentes exequenda propoſito elegerimus, quamlibet moleſta fuerint, tamen eam operoſam moleſtiam deuoramus ac perpetimur. Et hac gratiâ Dominus vltro ſe offerentem Iſaiam vult in ſe recipere functionem iſtius obeundæ legationis.* Longiuſculè, ſed quid auarus omitterem ex aureis Baſilij verbis? Scilicet Moyſes in Ægyptum mittitur, ad fauſtum optatæ libertatis nuncium Hebræis deferendum; nil ergo refert, quòd præceptione eat coactus. At Iſaias inamœna & aſpera peruicaci populo mittitur denunciare, & cum gente inhumanâ & agreſti rẽ Dei tractare, magno cum vitæ diſcrimine. Ergo legationem Iſaias expetat, vltrò eat ipſe: *Propterea quòd nos homines ſic naturâ comparati ſumus, vt quæ ſemel volentes exequenda propoſito elegerimus, quamlibet moleſta fuerint, tamen operoſam moleſtiam deuoramus ac perpetimur.* Vltronea voluntas nimis audax eſt in re adeunda, quam ſpontaneo propoſito elegit. Qui ſic rem aggreditur, nõ terretur difficultate, ſed extimulatur periculo; dum vel operoſa moleſtia animos addit currenti, calcar ceſpitanti, vigorem torpenti, & magnanimâ conſtantia naufragium deuorat voluntarium. Velis, & poteris. Vltro velis, & per obſtantia ibis. Ardua feliciter exantlare pericula, ſpontanei propoſiti ſtipendia ſunt, quæ robur ad audendũ ſubornãt. *No ay brios para ſalir con la empreſſa mas ardua, como entrar en ella de grado.*

Iſaiæ 6. 8. — *Quare quod Moyſi præcipitur, Iſaiæ interrogatur.*

Baſil. ibid.

Exod. 3. 10.

Ad rem perarduam, Dei vrbana interrogatione, non exertâ iuſſione trahitur Iſaïas; & propheticæ pietatis audacia, dentatæ ſerræ, atrociùs ictus reciprocantis, martyrium inuenit. Interrogatione etiam, non diſtrictâ præceptione inuitati Apoſtolorum proceres, non abſimilem mortis acerbitatem animoſe ſuſpirant. Matthæi 20. Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei; Quid vis? Ait illa: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuã, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpõdens autẽ Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis. (Nota quæ ſubdit verba) *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis.* Eccur non ſuæ paſſionis calicem bibere præcipit, ſed interrogatione propoſitum examinat, & Diſcipulorum animos explorat? *Calicem in ſcripturis diuinis paſſionem intelligimus*, ait S. Hieron. & Chriſtus interrogat, an illum bibere ſitiant? Ambitionis tunc eos inſimulat, & tunc percontatur, an velint pro ſe felleæ paſſionis acerbitatẽ haurire? ô importunũ interrogandi tempus! ô rem perarduam Diſcipulis propoſitam! ô Domine, adſtringe illos præcepto, & vel coacti obtẽperabunt. Qui rem vſque adeò difficilem interrogatione tantùm proponit, imbecillitati adulatur, & reſilire edocet. Imò ad ſubeunda maiora pericula fortiùs extimulat. Belliſſimè inibi S. Ioannes Chryſoſtomus, Baſilio nuper de ſubtilitate æmulus, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Ex modo interrogationis eos attrahit*: qui non diſſimili olim interrogatione attraxit Iſaiam. Scilicet optabat maximè Chriſtus Deus, Iacobo & Ioanni ſuæ Paſſionis calicem propinare: non ergo illis dicit, vt Petro, *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis*; ſed: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*, & totum ſæuæ mortis naufragiũ deuorare? Non ergo diſtrictè id præcipit, ſed interrogando allicit, & *ex modo interrogationis eos attrahit*. Vnde aliis velut mandatum præſcribitur, his autem hauriendus Paſſionis calix, in poteſtate relinquitur; *Propterea quòd nos homines ſic naturâ comparati ſumus, vt quæ ſemel volentes exequenda propoſito elegerimus, quamlibet moleſta fuerint, tamen eam operoſam moleſtiam deuoramus.* Moleſtũ paſſionis calicem deuorare feſtinant, qui vbi primùm à Chriſto audiunt: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.* Admirare hîc vrbanam gratiæ officioſitatem. Interrogatione, non præceptione attrahit, vt vltrò eant ipſi quò rapiantur. 3.

Iacobus & Ioannes interrogatione ad martyriũ alliciuntur.

Matth. 20. 22.

Hieronym inibi.

Chryſoſt. in Catena.

Ioan. 21. 18.

Terræ ſterilitate coactus dicitur Iſaacus perrexiſſe in vrbem Gerara, & cum vltrò eam vrbem elegiſſet, mandat illi Deus hîc ne deſcendat in Ægyptum, nec è Geraris diſcedat. Quid neceſſe fuit præcipere, quod ille iam præſtabat, aut fortè præſtiterat? Strenuè ſubibit pericula, quæ vltrò capeſſit: inde vltroneæ voluntati præceptum additur. Hic verſ. 2.

§. CLXVIII.

Dira neceſſitas ſeu egeſtas, amoris neceſſitudines vincit.

1. ÆRVMNA temperata, tametſi aſſidua, animos contrahit; cohibétque audaciam; acris verò calamitas, & extrema admonens, animosè iacentes ſæpè excitat, & omnia experiri ſuadet. Acerrima virtus eſt, quam vltima Neceſſitas extundit. Sic feras lineæ, & pinnæ clauſas continent; ſi verò eaſdem è tergo equès telis inceſſat, tentabunt fugam per ipſa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem. Ecquid tam validum, quod non frangere; ecquid tam ſanctum, quod extrema Neceſſitas violare non audeat: *Verecundiam omnem calamitas excutit, & ingenitum à natura pudorem mali vis captiuum ducit.*

Calamitas verecundiam excutit.
Seleu. Orat. 20.

2. Geneſeos 43. Iacobi filij non audent frumentatum redire in Ægyptum, niſi ſecum Benjaminum abducant. Conſtanter renuit pater, ne vnicum ſenis deliciolum in longiori itinere periclitetur. Reditum in Ægyptum ni vnà pergat Benjaminus, recuſant reliqui fratres Præfecti metu puſillanimes: periculoſum ſui Beniamini itum, blandior patris amor non permittit. Interim tota familia fame perit. *Igitur Iſraël pater eorum, dixit ad eos: Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis.* Si aliter dira neceſſitas depelli non poteſt, niſi iacturâ, aut periculo mei dilectiſſimi Benjamini, ſubeat puer periculum. *Vide nunc* (ait inibi opportunè Chryſoſtomus) *quo modo famis Neceſſitas, patris amorem vicerit.* Ecce tibi ardentior patris amor Neceſſitati cedit, & Neceſſitatis vis fauciat amorem, illumque vincit, & detriumphat, dum tener patris amor, ſui Beniamini periculo, propriam Neceſſitatem redimit. Beneuolentiæ iura calamitas excutit, & ingenitum à naturâ amorem Neceſſitatis vis captiuum ducit. Degenerat amor Neceſſitate victus, & neceſſitùdines omnes exuit Neceſſitas. O ſuperbas calamitatis vires, quæ amorem exarmant, vincũt, detriumphant, & captiuum ducunt!

Dira neceſſitas Iacobi erga ſuũ Benjaminum, tenerum vicit amorem.
Geneſ. 43. 11
S. Chryſoſt. ibi.

3. Dauid Pſalmo 30. ſæuas Regis iras fugitans, in denſis ſiluis, in arduis montibus, & cæcis ſpeluncis vitam ægrè traducere compellitur. Humano deſtitutus præſidio diuinum aduocat auxilium; ſic Deum ſupplicans: Miſerere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus eſt in irâ oculus meus, anima mea, & venter meus. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus (Nota attentiùs verba quæ ſubdit) *Infirmata eſt in paupertate virtus mea; & oſſa mea conturbata ſunt.* S. Auguſtinus ne ingenuam Paupertatem, meritò in Scripturis laudatam, deuenuſtare videretur, ſic hunc locum exſcribit & exponit: *Infirmatus eſt in egeſtate vigor meus.* Quaſi dira egeſtas non tantùm ad indecora quæque vrgeat, ſed etiam ſit vigoris languor; & virtutis infirmitas; & non bona pietatis valetudo. Quod S. Hieronymus viuacius expreſſit, in præſentem locum reddens: *Infirmata eſt in iniquitate virtus mea.* Sic egeſtati cognata eſt iniquitas, vt idem ſit, *Infirmata eſt in egeſtate virtus mea*, ac, Infirmata eſt in *iniquitate* virtus mea, vel vigor meus! ô noua ſynonyma! Sic animi vigor paupertate languet? Sic ipſa virtus egeſtate velut iniquitate, in vitium degenerat; & quod cœpit in virtute conſummatur in vitium? Sic vel bonos viros, & pietati aſ-

Pſalm. 30.
Auguſt. ibi.
Neceſſitas infirmitas virtutis dicitur, & vigoris languor.
Hieron ibi.

4. ſuetos, dirà egeſtas, & dura neceſſitas deprauare ſolitæ? Pergit ad rem regius Pſaltes: *Et oſſa mea conturbata ſunt.* Hieron. *Contabuerunt.* Symmachus: *putruerunt.* Aquila: *Squaluerunt.* Quænã ſunt hæc *oſſa* Dauidis, quæ in eius dirâ egeſtate (quam potiùs iniquitatem appellat) conturbata ſunt, contabuerunt, putruerunt, ſiue ſqualuerunt? Perplacet Cardinalis Caietanus, quem ſequuntur Agellius & Lorinus, qui *oſſium* vocabulo, amicorum præſidia ſignificari exiſtimat. Sic fatur Caietanus ad præfata verba: *Infirmata eſt in egeſtate virtus mea, & Oſſa mea conturbata ſunt. Apud amicos*, inquit, *& notos erat timor, hoc eſt ratio timoris: nullus enim audebat ſe profiteri amicum Dauidis, Videntes me foris, receſſerunt à me, tanquam ſi obuiarent contagio à morti.* O duræ neceſſitatis, ſeu diræ egeſtatis ineluctabile malum! Egeſtas (quæ *iniquitas* à Hieron. dicitur) amicos auertit, amicitias diſſoluit, neceſſitudines abrumpit, cognationes dediſcit, iura affectuum adulterat. Nempe in amici egeſtate, amici & cognati, qui nuper erant eius *Oſſa*, iam, *conturbantur, putreſcunt, ſqualent.* O quàm multa ſub his metaphoris breui compendio eruditis inſinuantur! Vide hîc à verſ. 1. indecorà, ad quæ compulſus eſt Iſaac fame, & neceſſitate oppreſſus: & quã contumeliosè ab amico olim Abimelecho expulſus ſit.

Caiet. ibid.
Hic v. 1.

§. CLXIX.

Humana miſeria Neceſſitatis lenocinio, diuinam beneficentiam clanculum ſubornat ad gratiam.

QVID puëriliter fles? quid flebiliter optas? quid muliebriter ſuſpiras? Tuam calamitatem his tragœdiis conſolari, non diuinæ munificentiæ inaniſſimis ſæpè querelis blandiri videris. Fateor, humana vota Deus captat, humanis fletibus eius rigantur aures, quæ humanis etiam ſuſpiriis, velut quodam concentu ad pietatem deliniuntur. Verùm ea eſt diuinæ largitatis munificentia, vt humana anteuertat vota, lugubréſque lacrymas, & anhela præcurrat ſuſpiria; & tacitè linguatas humanæ Neceſſitatis voces clementer exaudiat: Pia ſunt calamitoſi vota, piæ ſunt lacrymæ, pia è præcordiis ſuſpiria. Sed pigrum ſæpè eſt orationis obſequium: quippe quod præuenit apud Deum humanæ Neceſſitatis ſubleuandæ officioſum blandimentum. Serò dedit, qui perſpectæ Neceſſitati non dedit: qui expectauit, vt rogatione & lacrymis beneficium emeretur. Neceſſitas ipſa, tacito indigentiæ voto, præproperè diuinam extorquet pietatem; quæ hinc diuinioris munificentiæ gloriam captat, ad liberalitatis exag- 1.

Deus velut impotens & ditiſſ. habſtit pene. ſi lucum ſui munificentia theſaurum.

gerario

Baſil. Orat. 1. gationem. Eleganter Baſilius Seleucus ita fatur: *Sic porro diuinæ bonitatis vber delatus ſplendoribus donis obſcurat priora. Namque velut parturiens magnificentiæ ſuæ munera, & habere clauſum penes ſe theſaurum impotens, non eſt contentus prioribus; neque rebus antè dilargitis dona ſua circumſcribit.* Ecce, tanta dicitur diuinæ bonitatis opulentia, vt velut *impotens* habeatur habendi penes ſe clauſum ſuæ opulentiæ theſaurum. Diuinâ quaſi grauidus pietate, Neceſſitate humana obſtetricante, dona ſua parturit Deus quo indigentiæ ſubueniat humanæ, Neceſſitatis titulo, qui vberiùs diuinæ militat laudi.

1. *Deus ſuperuacua diuina concedit, ad ſuæ potentiæ defenſionem.* Ioannis 6. copioſa hominum turba apud Chriſtum eſurit in deſerto: deeſt panarium, ſed non deſuit omnipotentior Chriſti prouidentia, rerum omnium iuge promptuarium. Diſcumbere iubentur quaſi quinque millia hominum: qui vt erant languidæ famis obliti, ſic acriùs Chriſti pietatem ſtimulabant. Accepit ergo Ieſus panes. O quas tunc res videre fuit! Chriſti manus cognatam diuinitatis ſpirabant gratiam, panes parturiebant panes, & menſæ alimento extemporario differtæ erant; panes abſque ruſticano ſudore parti, non de ſpicis, ſed de Domini manu floreſcebant: & poſt largè exatiatam turbam, *Dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Quam ob cauſſam ad ſuperuacua etiam miraculum ampliatur, nec pro modo neceſſitatis dationem Chriſtus commenſus eſt? Nonne ſufficeret ex quinque duntaxat panibus, tot hominum millia affatim exſatiaſſe? Quorſùm profuſior, quàm neceſſitas poſtulat, eſculentorum ſuppeditatio? Profundè etiam nunc Seleucus. *Tollite quæ ſuperauerunt fragmenta. Ideo nunc Dominus panes multiplicat præter Neceſſitatem, ad potentiæ defenſionem.* Quaſi Dei potentia minùs probetur, dum neceſſaria ſuggerit, dum Neceſſitati ſubuenit, (qui habere clauſum penes ſe ſuæ largitatis theſaurum, *velut impotens* habetur) Scilicet, qui ad non ſuccurrendum Neceſſitati, velut impotens dicitur, *panes multiplicat præter Neceſſitatem, ad potentiæ defenſionem.* Sic velut impotenter Neceſſitati ſubuenit Deus? Sic quaſi neceſſariò Neceſſitati ſuccurrit? Dona ſuperuacua, & præter hominum neceſſitatem largitur, ad ſuæ potentiæ defenſionem, & omnipotentis arbitrij tutamentum? Deus qui humanæ neceſſitati non ſubueniret, quaſi nemo hominibus videretur.

Ioan. 6. 12.

Baſil. Seleu. orat. 33.

3. Lucæ 8. 33. *Deus velut impotens non ſuccurrendi humanæ Neceſſitati, bonorum ſuorũ quaſi rapinã patitur.* Titus Boſtrenus in Catena. Lucæ 8. *Mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam. Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius: & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius. Et ait Ieſus: Quis eſt qui me tetigit?* Cui cùm reſpondiſſet Petrus, ſe à turbis comprimi; *Dixit Ieſus: Tetigit me aliquis. Nam ego noui virtutem de me exiuiſſe.* Hæc bona femina abiectà ſpe medicinæ, in quam omnem ſuam erogauerat ſubſtantiam; *viribus extinctis, corporeis,* extremam patiebatur neceſſitatem remedij; quæ tantùm non perierat, ſanguinei fluctus tempeſtate ſubmerſa. Et ſanè, vt aliqui apud ſanctum Thomam hîc, adnotant, hæc mulier non videtur plenâ fide ad Chriſtum acceſſiſſe, cùm poſſe ſe Chriſtum Deum latere ſperaret. Quid ergo impetrauit deſperati morbi ſalutem inſperatam? Preces eius audiuntur nullæ, nulla vicaria Apoſtolorum interceſſio. Fide acceſſit non integrâ, merum hominem putans, hominem verè Deum, vnde Græcus Chriſtum *impudenter tetigiſſe* credit. Quin & Chriſtus Deus non dicitur expreſſè illi ſanitatem donaſſe: tantùm enim dixit: *ego noui virtutem de me exiuiſſe.* Salutifera virtus *exiuit*, an potiùs vltrò emiſſa fuit? *Paſſus eſt ſpontè ſanitatis rapinam*, ſubtiliter dixit Græcus ille in Catena; ne ſuâ energiâ fraudaret vocem illam, *exiuiſſe*, quâ conſultò vſus eſt Chriſtus. Nempe in deſperata Neceſſitate penè in ſuo ſanguinis fluxu demerſæ feminæ, virtus remedij non dicitur emiſſa, *ſed exiuiſſe* à Chriſto, qui *paſſus eſt ſponte ſanctitatis rapinam*, quippe habere clauſum penes ſe ſuæ largitatis theſaurum, *velut impotens* reputatur. Humana *Neceſſitas* remedium à Deo piâ furatur rapinâ, quia rapinam ſalutis ſpontè paſſus eſt, aiens, à ſe quaſi inſcio, virtutem *exiuiſſe*. Miſericordiæ largitio, non tam amitti, quàm *exire* dicitur ab eo, qui *velut impotens* habetur, vt deſperatæ miſeriæ, & vrgenti *Neceſſitati* non ſuccurrat. Hàc non idoneâ hyperbole explicatur à Patribus, quàm citò, & alacriter ſubueniat Deus Neceſſitati indigentium, quaſi ipſa Neceſſitas indigentiæ iure, ius aliquod habeat in munificentiorem Dei largitatem, ac ſi non tam Deus operetur gratiæ largitionem, quàm patiatur gratiæ rapinam, *velut impotens* non largiendi. Quod ad beneficentiæ ſpectat auctarium.

Græcus apud S. Th. in Catena.

Eſto, Chriſtus à Patre Deo moriendi præceptionem acceperit, perſpicuum tamen eſt, 4. *Humana Neceſſitas Chriſti Dei Paſſionem parturit.*
quo tempore patiendum ſeu moriendum illi foret, ex eius arbitrio dependiſſe. Quid ergo Chriſti voluntatem flexit, vt eo potius tempore, quo paſſus eſt, pati malueri? Baſilius explicans illud Matthæi: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur*, &c. ſic ad rem præſentem opportunè fatur: *Mihi licebat ſubito curſu Paſſionem recuſare, & deuitato mortis loco mortem effugere: ſed tempus crucem repoſcit, & ipſa Neceſſitas Paſſionem parturit.* Nempè cùm plena alueo exundat malitia; cùm reipublicæ principes, qui ceteris debuiſſent exemplo præire, principandi licentia enormiùs delinquunt, & populorum mores impunè conſtuprant; cùm ſqualet virtus, & nulla aut rara veri numinis religio eſt; cùm floret impietas, & vitium ouat ac triumphat; tametſi aliàs mihi licebat ſubito curſu Paſſionem recuſare, tamen nunc, nunc quidem, *ipſa neceſſitas Paſſionem parturit, & tempus crucem repoſcit.* Vidiſtine feminam, cùm tempus partus aduenit, quàm impotenter in partionem incumbat toto corporis niſu? ſic (ait Baſilius) humana *Neceſſitas*, Chriſti *Paſſionem parturit.* Sic humana miſeria *velut parturit diuina magnificentiæ munera.* O arcanam humanæ Neceſſitatis energiam! Ita Deum orare, non diſcitur. Ipſa Neceſſitas muto ſilentio linguata ad Deum eſt, & mentis vota, & oris obſequia præproperè anteuertit. Diuina miſericordia tacitè annuit humanæ miſeriæ, & humana miſeria Neceſſitatis blandimento diuinam beneficentiam clanculùm ſubornat ad gratiam.

Matth. 20. 18.
Baſil. Seleu. Orat. 31.

Hic verſ. 2. Sic Iſaaci Neceſſitas diuinæ munificentiæ hic lenocinatur, vt illi in vrbe Gerarâ habitationem prouideat, & in terræ ſterilitate fructum centigranum inueniat.

---

§. CLXX.

Bonum virtutis exemplum characterem ſpectatoribus imprimit?

1\. HOMINES malunt exempla, quàm verba; nam loqui facile, præſtare difficile eſt: & qui de doctrinâ meritum non quæſierunt, de bonæ vitæ bono exemplo meriti perfectionem acquirunt. Languet in ore doctrina, quam exemplorum vigor ad ſuadelam non animat. Diſciplina vitæ probitate viduata, tantùm loquitur, & circa aures ſonorè perſtrepit, vel auditum inaniter demulcet ad gratiam. Age non quod agis, ſed quod dicis, & feliciter quod voles perſuaſiſti. E vitæ probitate potiùs quàm è Rhetorum Topicis victricia ad ſuaſionem argumenta petenda ſunt: exhibe morum elegantiam, & vel inelegantibus verbis pietatis diſciplinam demonſtrabis. Annon ſemper verum illud Chryſologi? *Magiſterium ſtat ex ſcientiâ, ſed magiſterij auctoritas conſtat ex vitâ. Quod verbo aſſeris, demonſtras exemplo, ſcientia ergo illa vera eſt, quæ fuerit mixta virtuti: illa, illa diuina eſt, non humana.* Quid elegantius? Iam Abrahamus Ægyptum doctrinâ & exemplo illuſtrauerat; adſimiliter vrbem Geraram, Palæſtinorum metropolim, Iſaaci exemplo reformare hîc procurat.

Quod verbis aſſeritur, demonſtratur exemplis. Chryſol. ſer. 167.

Hic v. 2.

2\. Geneſeos 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*, &c. Ad quæ verba alludens ita fatur Baſilius Seleuc. *Alij, inquit, aliarum artium magiſtri hominibus conſtituti ſunt, & variâ ſcientiâ diſcentium manus exornant blandientis vitæ vſibus.... Scriptura doctrix iſtiuſmodi artium præſidet, iſta clamans diſcipulos edocet, & præceptionibus parùm contenta, rebus ipſis plus immoratur. Virorum namque recordatione, qui res magnas geſſerunt, ad imitationem prolectat. Præclaros pietatis athletas producit in medium per narrationes, ſimilitudine naturæ ad ſimile propoſitum ineſcans.* Patùm eſt quod Sanctorum exempla ad virtutem ineſcant, dum ad eorum imitationem blandientis vitæ vſibus prolectant, niſi adderet Baſilius: *Ideò ſi quidem quem primum natura iuſtum genuit, ſilentio non preſſit: ſed contrà res Abelis dilucidè deprædicauit, quendam virtutis characterem poſteritati delineans.* O eximiam boni exempli prærogatiuam! Spectati Abelis mores, *quendam virtutis characterem poſteritati delineant:* Non tantùm virtutem allinit & affricat viſa aliorum virtus, ſed aliquem imprimit virtutis characterem? An his verbis alluditur ad ſacramenta; quæ characterem imprimunt, & quidem indelebilem? Planè hoc exaggeratius foret boni exempli elogium. Sed audiendus eſt Baſilij ſynchronos Hilarius, qui de Chriſto ita fatur: *Exempli ſui auctoritate humanæ ſalutis ſacramenta conſummat.* Audis Chriſtum exempli ſui efficaciâ Chriſtianæ doctrinæ ſacramenta conſummare? Quis ergo mirетur, ſi ex aliquâ ad ſacramenta analogiâ, Baſilius dixerit, bonum Sanctorum exemplum virtutis characterem delineare? Porrò quemadmodum Sacramenta non tantùm ex opere operantis, (vt aiunt) ſed etiam ex opere operato, gratiam conferunt, ſic bonum exemplum piè ſpectatum, quodammodò gratiam imitationis impertit, ad virtutem ineſcans, & quidem durabilem; quippè quæ altè radices egit, imitationis piâ æmulatione. Vnde ſpectata iuſti Abelis pietas, *quendam virtutis characterem poſteritati delineare* dicitur.

Geneſ. 4. Baſil. orat. 14.

Bonum exemplum characterem ſpectatoribus imprimit?

S. Hilar. can. 2. in Matth.

3\. 2. Ad Timoth. 4. ſic eundem inſtruit Apoſtolus: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ.* Quid eſt, *Opus fac Euangeliſtæ?* Num Timotheum hortatur, vt nouum aliquod condat Euangelium, quò præluſtre Euangeliſtæ nomen aſſequatur? fortè Euangelium ſcribere Paulus non valebat, & Magiſter ipſe nuperrimo diſcipulo tantum committit negotium? Quid ergo expoſtulet Paulus, cùm à Timotheo petit, vt *Opus Euangeliſtæ* faciat? S. Anſelmus ſic apprimè ad litteram, & eleganter ad mores, præfata verba commentatur: *Opus fac Euangeliſtæ, id eſt, Euangelici prædicatoris. Opus enim Euangeliſtæ eſt, benè viuere, & benè docere; moribus, & verbis ſubditos inſtruere.* Scilicet Chriſtianæ doctrinæ Inſtructor, bonæ vitæ priuilegio, *Opus Euangeliſtæ* facit, Euangelium condit, non tam ſtylo doctrinæ, quàm morum probitate, quâ viuum Euangelium in ſe exprimens, ſpectatoribus arcanè imprimit. Ambis Euangeliſtas de Euangeliorum ſcriptione piè æmulari? *Opus fac Euangeliſtæ*, id eſt, *Benè viue, & benè doce: moribus, & verbis ſubditos inſtrue.* Tunc, tunc quidem *Quod verbo aſſeris, exemplo demonſtras.* O perſpicuam obſcuræ fidei demonſtrationem! Oculis, opinor, opera loquuntur.

2\. ad Tim 4. 5. *Qui ad doctrinā addit exemplū, agnitatē Euangeliſtæ amulatur.*

Anſelm. ibid.

Chryſol. ſer. 167.

4\. Matthæi 3. his verbis Iudæorum ſuperbiam caſtigat Ioannes: *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Ardua in primis olim & nunc quæſtio, quo pacto Deus poſſit obuios lapides in filios Abrahæ denuò refingere. Nam filiatio res eſt generationis; quæ ſi abſit, parentis nomen non poteſt defendi. S. Hilarius ita hunc nodum explicat, & locum exponit: *Non ſucceſſio carnis quæritur, ſed fidei hereditas. Dignitas igitur originis in operum conſiſtit exemplis: & proſapiæ gloria fidei imitatione retinetur.* Scilicet, ſi Pater eſt, qui corpore filium genuit, ſui cenſus heredem; Abraham quoque Pater erit eorum, quos bonorum operum exemplis, velut cœleſti ſemine, ex carnalibus ſpiritales facit: nam proſapiæ gloria, & fidei hereditas *imitatione retinetur.* Notatione planè digniſſimum eſt, bonos mores & opera, quæ ex Abrahami præclariſſimis exemplis, homines imitatione filij in ſe exprimunt, dici *Hereditas.* Quaſi virtutis exempla, quæ in ſanctis ſpectamus, velut paternæ hereditatis iure ad nos pertineant, imitationis priuilegio capienda. Quidquid virtutis, quidquid pietatis in alio ſuſpicis, tua *hereditas* eſt,

4\. Matth. 3. 9. *Qui videt bonam alterius vitam, quaſi hereditario iure illam in ſe exprimit.*

Hilar. can. 2. in Matth.

eſt, ſi imitationis iure illa velis accipere. Velis, & poteris. Ergo *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ: Non enim ſucceſſio carnis quæritur, ſed fidei hæreditas. Dignitas igitur originis in operum conſiſtit exemplis: & proſapia gloria fidei imitatione retinetur.*

Naz. orat. de laud. Baſil.

Bonũ exemplum virtutem alij impertit.

Addam, & finio, pulchra Nazianzeni verba, quibus ſic ſe, & ſuum Baſilium deſcribit: *Vnum*, inquit, *vtrique opus & ſtudium, virtus erat, & ad futuras ſpes viuere.... Alter alteri nutus ſuarum exacuentes, atque vterque alteri norma & amuſſis eramus. Illud nimirum exploratum habentes, faciliùs eſſe vitium contrahere, quàm virtutem impertiri.* Bellè quidem alter alteri *norma & amuſſis* dicitur æmulatione virtutis. Sed nota, bono exemplo alterum alteri *virtutem impertiri*. Et quidem abſque vllo ſui detrimento, imò cum probitatis auctario.

---

§. CLXXI.

Vir religioſus, quaſi inquilinus peregrinatur in Regum. Curiâ.

1\. RELIGIOSVS vir, qui ſtudio virtutis ſeculo renunciauit, in ſeculi turbis, & hominum frequentiâ planè peregrinatur: exul vitæ eſt, & relictum ſuſpirat ſeculum, & vitæ commodis inhiat? Ius habet in cælum tranſmittendi coloniam, & habitationem in terrenis vrbibus negotiatur?

A viâ virtutis errat religioſus in Curiâ.

Putauerim, non plenè mundo, & eius pompis renunciaſſe, qui in nobilioribus mundi vrbibus domicilium ſuum figere ſolerter procurat. A cellâ in cælum rectâ viâ itur: à Curiâ in cælum ſaltem obliquum iter eſt, & labyrintheis ambagibus incertum. Qui in Metropoli verſari ambitiosè percupit, à viâ exerrans, Labyrinthum quærit, & inuenit. Mihi crede: Regum Curia viro religioſo faſtum diſſimulanter adſpirat, ambitionem ſenſim affricat, & ſecularem vel inuito allinit politiam; quæ diu compoſitos mores inquietant, & vitam conſtuprant religioſam. Verùm è re perſæpè religionis eſt, vt pro miniſteriali religionis officio, cucullati non pauci in Regum Curiâ, aut regni metropoli commorentur. Bene eſt, commorentur quidem, ſed non figant

Gen 47.9. ſedem. Bonus Iacob, qui in regni metropoli, & Regis palatio, ſe *peregrinum* agnouit, & palàm profeſſus eſt. Quod de ſcholâ patris ſui videtur didiciſſe.

2\. Hîc verſ. 1. Ortâ fame ſuper terram, poſt

Hîc v. 1. 2. 3. eam ſterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, *Abijt Iſaac ad Abimelech regem Palæſtinorum in Gerara*, (erat Gerara regni metropolis, & Regis curia). *Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce in terrâ, quam dixero tibi. Et peregrinare in eâ, eroque tecum, & benedicam tibi.* Locus planè impeditus, & quem non facile commentatores extricant: vnde ad Prolepſim confugiunt. Ratio dubij ſtatim ſe oculis inſinuat. Nempe iam erat Iſaacus in Gerarâ, Palæſtinorum metropoli, & regis Abimelech Curiâ, & dicit illi Deus: Habita *in terrâ, quam dixero tibi?* Id peregregiè notauit ibi Caietanus, ſic aiens: Caietan.

Vir religioſus, quaſi inquilinus peregrinatur in Regum Curiâ.

Prius ſcripſit Moyſes, quod Iſaac mãſit in Gerara, & deinde ſcribit mandatum diuinum. Ecquod eſt hoc mandatum, quod in vrbe Gerarâ Iſaacus à Deo accipit? *Quieſce in terrâ, quam dixero tibi, eroque tecum, & benedicam tibi.* Bone Deus, ſi iam Iſaacus inhabitat vrbem Gerarã, quam tua prouidentia illi ad habitandum deſtinauit quorſum nouo mandato in Gerarâ dicitur: Habita *in terra, quam dixero tibi?* Scilicet ſic voluit Deus; vt iuſtus & religioſus vir Iſaacus moreretur in regni metropoli, & Regis Curiâ, vt eius inibi commoratio tota pendeat à diuino nutu. Illum vult Deus in Curiâ Regum habitare, non qui diuturniorem meditatur moram, & fixum domicilium inibi ſollicitè ambit; ſed qui ita ibi non habitat, vt paratus ſit habitare in terrâ, quam Dei nutus illi deſignarit. Vir religioſus Iſaaci æmulus, inquilinam habeat commorationem in Curiâ. In Curiâ degenti ſtatim dicitur, Habita *in terrâ, quam dixero tibi.* Nimirùm à viro religioſo dubiam & ſuſpenſam habitationem in Curiâ exigit Deus. Videtint, qui Procerum negotiantur fauores, vt certam ibi habitationem figant.

Matthæi 22. hanc in turbas parabolam iactauit Chriſtus Deus, (hunc locum alias alíorſum verſabamus.) Simile factum regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterùm miſit alios ſeruos, &c. Tunc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. *Ite ergo ad exitus viarum, & quos inueneritis vocate ad nuptias.* Hic homo Rex in regni ſui metropoli & Curiâ, filio Principi nuptias celebrat. *In Hieruſalem* putat Origenes. Qui ne quis putaret, ſeculi duntaxat viros ingenuos & nobiles ad Regis nuptiale epulum inuitari, *eos, qui ad intelligendum ſunt ingenioſiores*, inuitatos putat, & refutaſſe conuiuium. O mores curialis ſapientiæ! Qui ergo tandem digni habiti ſunt, qui regio conuiuio epularentur? *Ite*, ait, *ad exitus viarum, & quos inueneritis, vocate.* Non mandat, vt inuitatos quærant in Curiæ viis, non in viarum introitu, ſed in regiæ vrbis exitu. *Ite ad exitus viarum.* Sapientiores, & *ingenioſiores*, qui in Curiâ commorantur, & qui ad Curiam veniunt, non eliguntur; ſed ij ipſi qui in Curiâ repudiantur; in viarum exitibus, & in receſſu à curiâ, idonei probantur.

3\. *Sapientes religioſi dum à Curiâ exeũt, habiles inueniuntur ad cælum.*

Matth. 22. 9.

Origen. tractat. 20. v. 9.

A curiâ receſſus, aut dignum inuenit, aut facit. In viarum exitibus electi quæruntur.

.

§. CLXXII.

Naufraga ſpes, in aſylo periculi ſui tutior eſt.

1\. *Cum pericula ſeruant, ſine periculo certius periclitamur.*

CVm pericula ſeruant, vbi ſoſpes periclitatur, naufragus tutus eſt, periculo ſuo ſecurus. O quàm eſt ſuſpiciendus, qui periclitari tutum putat! Hæc arcana virtutum ſchola, quæ altè ſpem erudit, ediſcenda eſt, deſperatarum calamitatum magiſterio. Hàc homo diſcit, dum blandiùs adridet fortuna, pauidè timere; & dum atrociſſima quæque minatur, fidentiùs ſperare, quaſi deploratum periculum ſit fiduciæ fomes, & ſecuritatis prognoſticon.

2\. *Ionas feliciter naufragus, ſeruandus, fluctibus iactatur.*

Fiduciæ theſaurum in Ionæ hiſtoria oculis rimemur. In Niniuen idololatriæ potiùs, quàm Aſſyriæ metropolim, ſuccenſet Deus; idcircò Ionam mittit, qui Gentibus ianuã ſalutis per pœnitentiam pandat. At non erat, vt videbatur, Ionas lubens humanitatis præminiſter, & in Tharſis fugitans, maris fluctibus impeditus eſt. Æſtuat de repentè pelagus, & atrocius intumeſcit, nautæ artem ſuam contendunt, clamant vectores, nauigium gurgitibus ſorbetur, & Ionas procellæ concitator, altè ſtertit. A ſomno excitatus, & re ex ordine cognitâ, vltrò præcipitatur in pontum. Certat cum ſæuis fluctibus Propheta profugus, & ſalſas maris vndas largiùs ſorbens, ipſe in vaſto gurgite incolumis à ceto ſorbetur, vbi ſoſpitatem de periculo inuenit. *Et præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis, & dixit: Clamaui de tribulatione meâ ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudiſti vocem meam..... Et dixit Dominus piſci: & euomuit Ionam in aridam.* Ex tempeſtatis ſæuâ atrocitate, & ex immani piſcis vaſtitate, grande Ionæ periculum, & deploratum terrorem metiri licet. Sed diuinum hoc miſericordiæ ſuæ commentum, & fiduciæ noſtræ ſupplementum inuenit Deus. Eleganter etſi aliorſum S. Zeno Veronenſis: *Mare, quem voluntarium ſuſcepit, feliciter naufragum fecit.* Marinæ belluæ viſcera, fiduciæ ſchola eſt, & eius aluus dum periclitatur Propheta, fidelis depoſiti ſeruatrix eſt. O animata ſcapha, quæ in vorticibus tutum, in naufragio ſecurum, de ferociente belluæ rictu, Prophetam adſeruaſti, & *feliciter naufragum feciſti!* Sæuior calamitas non excutiat ſpem, ſed recudat, animet, reformet: nam vbi humana deſunt, ſuccurrunt diuina. Viuo ſepulcro Ionas tumulatur, & vnde certus timebatur interitus, ibi ſalutem inuenit, periculi ſui aſylo ſecurus. Vbi puſillanimis periclitatur, magnanima ſpes de periculo bibit ſecuritatem, & de diſcrimine deſperato fiduciæ lauream reportat præmaturè victricem.

Ionæ 2. v. 1. 2. & 3.

Zeno ſer. 10.

3\. Diuitiarum abundantiam ſuo Abrahamo largitur Deus, nec heredem dat, ſed ſpe ſuſpenſum tenet, dum fidem explorat. Circumfluebant igitur vndequaque opes ingentes, ſed inopia naturæ partum negabat, & Saræ ſterilitas diuitiarum tantarum fructu prohibebat. Fluebant tempora, vt heres erat, diuitiæ creſcebant, nec ſucceſſor ſperabatur; ſenio appetens liberorum ſpes accidebat: quam prolis expectationem ſterilitatis malum extinxerat, eam fides renouabat. Sterilis venit in obliuionem ſuæ conditionis; natura dum ſpe renouatur, ſenectæ obliuiſcitur: acceptâ promiſſione habuit filium ante filij partum, & ſpes ipſa prius Iſaacum peperit, quàm aluus. Tandem in lucem Iſaacus prodit, fidei exercendæ materies, & ſtadium apertum eſt amori in Deum. Vt enim increuit infans, ſuâque balbutie parentum ſauciauit amorem, ſimul increuit quod in infante parentes deamarent, totúſque parentum amor indiuiſus in vnum conferebatur, & omnes generis ſpes in vno conſtituebantur filio. At mihi vide deinceps patrem ad certamen euocatum. Quæ poſtquam geſta ſunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum. Quo modo ad eam vocem non exhorruit? quo modo non fuit animus vocis percuſſione contractior? quo modo filij iugulationem morte non anteuertit? O animi firmitudinem! non gemuit, non illacrymauit, non naturæ vi fractus eſt, non in varias partes conſilia partitus, oris conſtantiam tenuit, non emiſit vocem patre dignam, quâ filij iugulum petere deprecaretur, priſtinas Dei promiſſiones allegans. Sed in altari, ex obuio ceſpite, & lapide altiùs extructo, charam reponit victimam, ſpei generoſæ depoſitum. *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum.* Quid agis Patriarcharum optime, filium ſeuerè iugulans, tot promiſſionum ſpes ſimul præcidis? In Iſaaco vocabitur tibi ſemen: Iſaac repromiſſionum depoſitum eſt, & ſpei theſaurus. In Iſaaci cæde ſpes tua etiam tumulatur. Si filij vitam negligis, tot promiſſionum ſpes negligere, æquum non eſt. Perbellè S. Zeno: *Religioſus carnifex ſtringens gladium, meliùs ſeruauit filium, dum non pepercit. Et ecce Angelus de cœlo clamauit, dicens: Abraham, Abraham..... Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam.* Indulgentiâ perditur, qui in extremi periculi aſylo ſeruatur. Securior eſt filius in arâ ſtricto gladio mactandus, quàm matris gremio fouendus. Vltimum vitæ diſcrimen tutatur, qui procul à periculo periclitaretur indubiè. Sic magnanimitas in re humanitùs deploratâ, ſpem diuinitùs alit, & fiduciam cælitùs fouet! Opinor, miſericordia diuina extremæ hominum miſeriæ velut ſtipendiaria eſt, & qui non habet quid ab humano ſperet auxilio, Deum auxiliatorem adoptat: nam vbi omne deſperatur humanum præſidium, præſto adeſt diuinum. Adeò vt extrema neceſſitas, ſit omen auxilij, & tutior ſecuritas. Vnde *religioſus carnifex ſtringens gladium, meliùs ſeruauit filium, dum non pepercit.* Quid ad humanas ſpes generoſiùs extimulandas, illuſtrius? O nunquam inſperatum adſit Dei auxilium! *Donde falta todo ſocorro humano, eſta mas cierto el diuino.* Quod hîc Iſaacus feliciter expertus eſt.

Bar. ſe cuc. tial. 7.

Abrahamus iam iam mactans filium, vitam tutius ſeruat.

Gen. 22. 10.

Zeno ſer. 3. Geneſ. 22. & 21 & 22.

Hic verſ:

§. CLXXIII.

§. CLXXIII.

Citiùs inolitam libidinem, & pietatis iura deſerit politicus Princeps, quàm rationem ſtatus, quam ſibi putat proficuam.

1. HOMO vitæ commodatus, non donatus eſt Princeps verò quaſi humanam naturam deſueſcat, & vitæ donatus eſſet, rem diuturniùs & latiùs principandi, vnicè præ reliquis ſpectat; ac ſi æternùm foret illi in hàc vitâ regnandum, aut regnum illi omnia eſſent, & bonorum omnium ſimul compendium. Hinc ratio ſtatus (quam appellant) pro numine colitur, vtque coronæ ſuæ conſulat, & honeſta, & decora, & voluptabilia omnia, nullo habentur in pretio. *No ay coſa de tanto guſto, ni de tanto credito, conque vn Principe politico no atropelle, ſi en alguna manera ſe encuentra con la raçon de eſtado.* Princeps ſemper in ſeſe aliud fert, pro ſe aliud cogitat.

2. *Citiùs inolitam libidinē excuſſerit Princeps quā rationem ſtatus, quam ſibi putat proficuam.* Geneſeos 12. famis malo oppreſſus cogitur Abraham peregrinari in Ægypto. Cùmque propè eſſent vt ingrederentur in Ægyptum, dixit ad Saraï vxorem ſuam: Noui quod pulchratis mulier. Dic ergo, obſecro, quòd ſoror mea ſis. Cùm itaque ingreſſus eſſet Abraham Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quòd eſſet pulchra nimis. Et nunciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis.

Gen. 12. 17. *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis; & domum eius propter Sarai vxorem Abram.* Non vacat aliud agenti, peruestigare quænam fuerint eiuſmodi plagæ Pharaoni, & eius aulicis ſeueriùs inflictæ. Enucleanda tamen ſunt pulchra Procopij Gazæi verba, ad

Procop. ibid. rem præſentem opportuna: *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis. Sic docuit Pharaonem, dum vlciſcitur Iuſtum, vt vnà cum gentibus agnoſceret Deum: ſimul etiam quaſi ſub typo indicat, quæ ſeminis eius eſſent ibi euentura.* Scilicet hæ plagæ nunc Pharaoni inflictæ, adumbrant ſeueriores plagas alteri Pharaoni poſtea ſub Moyſe acerbè infligendas. Aſt hic Pharao, etſi inſano formoſiſſimæ Saræ amore captus eſt, vbi primam accepit plagam, confeſtim venuſtiſſimam & deſideratiſſimam dimiſit feminam. Alius autem Pharao pluribus repetitiſque plagis perdiu afflictus, vix tandem populum dimiſit. Quænam tantæ peruicaciæ cauſa extitit? cur maiorum exempla ſecutus non eſt? Scilicet apud Principes magnum eſt diſcrimen inter negotium libidinis, & rem politiæ. Porrò Principes ſic tenaciſſimè hærent rationibus ſtatus, vt qui vbi primùm ſenſit primam animaduerſionis plagam, cupitæ veneris blandiciis renunciarit, ſéque ſubitò extricarit libidinis præſtigiis; pertinaciter tamen in re politiæ, & regij ærarij emolumentis protectiuus hæſerit: adeò vt niſi cum vitâ propoſitum non dimiſerit. Adamatam Saram venuſtate eximiam prima excutit plaga: Hebræū populum vix poſt plures, ipſaſque atrociſſimas dimittit. Ibi res libidinis, hic res politiæ peragitur. Sic ratio ſtatus Veneris voluptatibus antiſtat? Quin & propudioſas etiam voluptates ſuadet.

3. 2. Regum 16. impotenti ambitione regnādi in patrem ſuum Dauidem rebellat Abſalom. Inopinatum Abſalomi impetum prudens Pater nocturnâ fugâ declinat. Vrbem regiam Abſalom impunè ingreditur, palatium occupat. Tunc autem dixit Abſalom ad Achitophel: Inite conſilium quid agere debeamus. *Et ait* 2. Reg. 16. v. 21. & 22. *Achitophel ad Abſalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum: vt cùm audierit omnis Iſrael, quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſúſque eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael.* Quis te in hoc facinus proſilire, Parricida teterrime, docuit? Quis te furor audere tam immane facinus prouocauit? Si offendit, pater eſt; ſi læſit, genitor. Quin imò neque offendit, nec læſit. Vincat politiæ rationem pietas in patrem, affectus inſaniam ſuperet politici ſtupri, crudelitatem natura debellet. Aut nunquid Pater, quia non læſit, offendit; aut idcircò te offendit, quia non læſit? Qui forſitan nec offenderet, nec offenderetur, ſi læſiſſet. Beſtiæ & mutæ pecudes pietatis iura conſeruant, & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem. Innocentem perimere nefas eſt, Prophetam iugulare flagitium, Patrem occidere ſcelus, genitoris inceſtare thorum, brutum facinus. Ceſſa iam iſto ſcelere propudioſo, ceſſa, ceſſa, inquam, ne te boni omnes ſemper exhorreant, ne audaces ex te, quod non nouerant, diſcant. Ceſſa, inquam, ne qui poſt te tantum facinus perpetrauerit, te vtatur auctore. Cur mundo immundum facinus tradis? Luculenter Saluianus Maſſilienſis hâc ſuper re: *Iam hinc iuxta verbum Dei ineſtimabilis mali cumulus. Inſidias diu pater à filio patitur; regno pellitur, & ne occidatur profugus abſcedit. Impurior neſcias, an cruentior filius: qui interficere patrem non poteſt parricidio, fœdat inceſtu; & quidem inceſtu nefas per induſtriam accumulandi ſceleris elato.* Nempe Abſalom paternum thalamum fœdat inceſtu per induſtriam regni acquirendi ambitioſè elato: dicitur enim: *Vt cùm audierit omnis Iſrael, quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* O impotentem victricem Rationem ſtatus, præ inſanâ libidine in Pharaone potentem; in Abſalomo verò ad propudioſum inceſtum inſanè impultricem! Cedit Politiæ voluptas; cedit palam inceſtandi parentis reuerentia; ne quid ſit, quod dominatrici Rationi ſtatus impudenter non cedat. O caue à nimiâ ſtatûs Ratione ſectandâ, velut ſcelerum matrice, impietatis officinâ, & irrationali atheiſmo valdè cognatâ!

Ratio ſtatus, publicè inceſtare parentē non veretur.

Saluian. l. 3. de Prouid.

Peregrinari in Geraris apud Abimelechum iubetur hîc Iſaacus. Sed vide qualiter ſe geſſerit cum illo politicus Princeps. Hîc v. 3.

§. CLXXIV.

§. CLXXIV.

Qui facilè ſolet iurare, ſacrilegè incipit peierare.

1. Stob ſer. 2 r. *Quando iurandum ſit, aut à iuramento abſtinendum*

SOCRATES ſacramentum oblatum duabus de cauſis fide firmandum eſſe ſuadebat: *Vel vt te ipſum turpi ſuſpicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias. Pecuniarum verò gratia etſi iuſtam cauſam haberes, non per Deum iurandum dicebat.* Quid hic Chriſtiani homines paſſim periurantes reſpondebunt?

Matth 5. v. 34 & 37. *Noli iurare, ne incipias peierare*

Matthæi 5. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. *Ego autem dico vobis non iurare omnino.... Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.*

2. S Ambroſ. in exhort. ad virgines.

Cur autem prohibuerit Chriſtus ſine neceſſitate, licet verè, iurare, non prætermittenda quæſtio eſt, quam hic commentatores multis exagitant, eoſque lubens omittam, Ambroſij expoſitione contentus. *Non iurandum*, inquit, *facilè, quia plerumque multi caſus accidunt, vt non poſſimus implere quod iurauimus. Qui autem non iurat, vtique non peierat: qui autem iurat, aliquando neceſſe eſt incidat periurium, quia omnis homo mendax. Noli ergo iurare, ne incipias peierare.* Eleganter de more Ambroſius aureis verbis rem ediſſerit. Porrò qui non iurat, peierare non poteſt: qui verò iurat, poteſt peierare. In lubrico eſt iurantis fides, quam homo de ſe mendax, diuinâ atteſtatione confirmat: quoniam *qui iurat, aliquando neceſſe eſt incidat periurium.* Vnde ſententioſè concludit: *Noli ergo iurare, ne incipias peierare*, quaſi vanum, etſi verum, iuramentum, ſit periurij inchoatio. Time igitur iurare, ne verè adhuc iurans, peierare incipias. Vanum, aut frequens iuramentum, reatu inchoati periurij reprobatur. *Noli ergo iurare, ne incipias peierare.* Quod incipit iuramentum, deſinit in periurium?

3.

Geneſeos 16. depoſitis olim ſimultatibus, Abimelechus rex Geraræ, procerum ſtipatus ſatellitio, venit ad Iſaacum, vt mutuam inirent amicitiam. Locupletes hoſpites locupleti hoſpitio excepit Iſaacus. Et *ſurgentes mane, iurauerunt ſibi mutuò, & dimiſit eos Iſaac in locum ſuum.*

Gen 26 31.

Quærunt diligenter interpretes, quare iuramentum vſque ad diluculum diei ſequentis dilatum ſit? Luculenter ibi Lyranus: *Surgentes mane, iurauerunt: Scilicet ſaliuâ ieiuna propter reuerentiam iuramenti.* Suſpectus periurij eſt, qui, niſi virgine ſaliuâ iurat? Sic cibus & potus periurio lenocinantur? Sic eſculenta & poculenta mendacium ſubornant? Sic ieiunium veritatem adorat, & deteſtatur mendacium? Scilicet ieiunâ ſaliuâ iurat Iſaacus, & vrbanè Regem ſic iurare cogit, vt ſobriam, vigilem, & attentam iurantium mentem atteſtetur.

Lyra ibi. *Fiat iuramentum virgine, ſeu ieiunâ ſaliuâ.*

S Ambroſ in Pſalm. 118. ſerm. 14.

Nemo bene iurat, niſi qui poteſt ſcire quod iurat. Iurare igitur indicium ſcientiæ, teſtimonium conſcientiæ eſt, ſcitè dixit Ambroſius: Porrò ſi is, qui ſobrius iurat, propter periculum peierare incipit: qui bene pranſus, & largiùs potatus iurat, quod ſcientiæ indicium, quod conſcientiæ teſtimonium habebit? Ergo primo mane in virgine ſaliuâ iurant, propter reuerentiam iuramenti, ne cùm primò nuncupatur, ſuſpectum periurij ſit, & de violationis reatu præproperè damnetur.

Itaque ſi aliquando iurare oporteat, magno cum periurij metu, & *iuramenti reuerentiâ*, iurandum eſt, & ſacramentum iuriſiurandi celebrandum, quod inſenſiles etiam creaturæ in primis reuerentur. 3. Regum 17. *Et dixit Elias Theſbites ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia niſi iuxta oris mei verba.* Iurata Prophetæ vox ſacrum populis incuſſit metum, qui macilentam formidant ſterilitatem iureiurando ſancitam. O vocem quæ cælo ſiccitatis legem impoſuit, & iuramento clauſtra nubibus iniicit! Baſilius Seleucus, quo aſſolet ingenij acumine, ita hâc ſuper rè eleganter ſcribit: *Viuit Dominus Deus, iurat per creatorem, vt iuramenti metu, ac reuerentia creatura vim ſuam comprimat.* Audis quanto cum metu, ac reuerentiâ brutæ & inanimes creaturæ iuramenti ſacramentum exaudiant? Porrò tanto timore ac veneratione iuſiurandum excipiunt, vt præ *reuerentiâ* vim ſuam cohibeant & comprimant. Toto naturæ impetu in contraria feruntur; ſed ſacra iuramenti reuerentia innatum impetum frænat, & legi ſiccitatis obtemperat. Deſueſcunt elementa naturam, & dum Dei nomen cæcis litteris inſcriptum in Eliæ iuramento legunt, procliue ad fundendos imbres ingenium retardant, & ſiccam ſterilitatem operantur; non modò obſequij lege, ſed quaſi aliquâ iuramenti reuerentiâ docerentur, quò homines edoceant, quàm reuerenter iuramentum & nuncupandum, & audiendum ſit. Tantâ cum reuerentiâ inſenſiles creaturæ audiunt iuramentum, & tam temerè rationales homines paſſim iurare conſueſcunt? Qui non times de iuramento, ſaltem de periurio time. Noli ergo facilè iurare; ne incipias ſacrilegè peierare. 4.

3. Reg 17. 1. *Iuramenti reuerentiâ, inſenſilis creatura vim ſuā comprimit.*

Baſil Seleuc. orat. 11.

Diu diſtulit Deus ſuum implere iuramentum, ob ineffabilis œconomiæ imperuias mortalibus rationes: aſt illius ſæpe memoriam refricat, ne more hominum illius adimplendi putetur oblitus. Hic ſeſſ. 3.

§. CLXXV.

Expromptius hominis obſequium, breui tantæ diſtantiæ compendio, Deo appropinquat.

SI inuitus Deo pares, ſeruus es; ſi volens, miniſter eris; & aliqua increati Dei creata poteſtas, ei coniunctiſſima. Fallor, niſi promptius obſequium eſt Deo appropinquandi ocyſſimum compendium. Iſaiæ 58. ſic de ſuo populo fatur Deus: *Rogant me iudicia iuſtitiæ: appropinquare Deo volunt.* Quaſi dicat, (ait Adamus Saſbout) *Domine nos praeſtamus legem tuam.* Legis, inquam, obſequio, Deo appropinquare nituntur, ac ſi humana obedientia ſit diuinæ propinquitatis compendium. 1.

Iſaiæ 58. 2.

Adamus in lib.

Exodi

Exodi 3. in rubo mirè incombuſtâ, ſpecie ignis, Moyſi Deus apparet, ſic eum alloquens: Clamor filiorum Iſrael venit ad me: vidique afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur. *Sed veni, & mittam te ad Pharaonem vt educas populum meum, filios Iſrael de Ægypto.* Quæ Dei verba mihi his verbis peracutè expendit Rupertus: *Sed veni, & mittam te. Prius veni, deinde mittam te, dixit. Hoc non leuiter accipiendum, quod Deus præſens Moyſi, ac corporaliter adſtanti dixit, Veni. Non, inquam, leue eſt, neque deinceps leuiter actum, vt qui corpore Deo præſens aderat, animo quoque ad obediendum paratus adeſſet.* Corporaliter Deo præſens Moyſes aderat, & illi dicit, *Veni*, id eſt, appropinqua mihi, vt mittam te? Non mittit Deus ad magna obeunda munera, niſi eos, qui priùs ſibi appropinquant! (Vereor ne humani principes, quod Deus benè agit malè ipſi imitentur.) An potius Dei iuſſa abeundo longiùs; quò magis obediendo videntur recedere, eò magis Deo appropinquant? O parentium præſentiam arcanè præſentem! Qui vel corporaliter Deo præſens erat, propiùs Deo accedere dicitur, dum à Deo inde longiùs mittitur? *Veni*, inquit, *& mittam te. Non, inquam, leue eſt, neque deinceps leuiter actum, vt qui corpore Deo præſens aderat, animo quoque ad obediendum parato adeſſet.* Expromptâ ad obſequium præparatio, Deo appropinquare maturat; eóque propiùs accedit quo animoſiùs ad obſequelam præparatur. Paratior enim ad obediendum animus, Deo appropinquare maturiùs approperat.

Exod. 3. 10.

Rupert ibi. Moyſes Deo præſens appropinquat, dum à Deo recedit obſequendo.

3\. Iſaias cap. 6. ita ſcribit: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Benè addubitat Eucherius, quomodo poſſunt *ſtare* Seraphim, ſi duabus alis quam celerrimè volant? Quin & explicatu arduum eſt, quorſum volent. An circumuolant ſolium Dei? Sic quidam arbitrantur, etſi valde aliis diſpliceat, quomodo enim circumuolare poſſunt ſtantes Seraphini? Statio enim volatum non admittit, ſicut volatus ſtationem excludit. Præterea, ſi volatu recedunt à Dei ſolio, dum miniſterialia obeunt officia, quo pacto Seraphini ſuper Dei ſolium *ſtare* dicuntur? Stant prope Dei ſolium, quò magis à Dei ſolio volatu recedũt? Et quidem volando, Deo magis appropinquare non valent, qui ante volatum, Dei ſolio propinquiſſimi *ſtare* dicuntur. Pulchrè ibidem Adamus eleganti ad thema præſens commentario: *Quod verò, inquit, poſtremò ſcribantur duabus alis volare, ſignificatur prompta eorum voluntas, & obedientia.* Scilicet Seraphini, corporali quâ apparent ſpecie, Dei ſolio propinquiſſimi à Propheta viſuntur, quin etiam quo ardentiſſimè flagrant charitatis affectus, eos Deo coniunctiſſimos reddit amore Seraphico. At dum Seraphini ſenis alis agiles explicantur, & ad promptius Dei obſequium paratiſſimi, adhuc prope Dei ſolium *ſtare* perhibentur, ipſique propiùs de præparatione obſequij appropinquare: & qui Seraphico amore *ſtant* Deo coniunctiſſimi, dum agilis eorum obedientia volatu explicatur, adhuc Deo adſtare, ipſiq; propiùs obſequio appropinquare dicuntur. Quaſi Seraphinis dicat de ſolio Deus quod de rubo Moyſi dixit: *Veni, mittam te.* Corpore enim præſens, adhuc propiùs accedere dicitur, cùm eius *prompta obedientia ſignificatur.* Vnde Seraphini etiam miniſteriali volatu à Deo non recedunt; ſed adhuc *ſtant* prope Dei ſolium, obſequij propinquitate. Ad Deum arcanè feſtinat, eique arctiùs appropinquat, qui obſequij ſtudio longiùs à Deo videbatur recedere. O mirâſſimam de obſequio propinquitatem! ô abſentiam de obedientiæ priuilegio præſentem! Sic dum periculoſæ peregrinationis obſequium Iſaaco hîc intimatur, confeſtim illi promittitur ſingularis Dei præſentia, quaſi obedientiæ ſequela.

Iſaiæ 6. 2. Eucher. ibi in eq. veteris teſtam.

Seraphini ob ſeruitium, quàm affectu Deo appropinquant.

Adamus ib.

Hîc verſ. 3.

---

§. CLXXVI.

Splendidius fulget, qui aliquando adnatum ſplendorem immiſus diſſimulat.

At, eat nunc, nec cothurnatis relationibus ſuos heroas iactet antiqua & recens hiſtoria, dum à rebus tantùm præclarè geſtis famam mendicat. Ego in Viro magno, magna patrare adſueto, & ad magna quæque ſemper idoneo; non tam admiror, quam ſæpè exhibet peritiam, virtutem, magnanimitatem, &c. quæ ei famæ opulentiam peperit, ad faſtidium nitidam; quàm à negotiis tempeſtiuum otium, dum non ſe exhibendo ſplendori ingerit, ſed lumen ſuum interſtingui ſuſtinet, arcano (vt opinor) laudis fœnore à ceſſatione mutuato. *Mas luçe, quien ſabe à ſus tiempos retirar ſus luzimientos.* Iob 38. ad laudis ſuæ auctarium ſeſe velut iactat Deus, cum Iobo dixit: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, &c. cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? — aſtra*, quod vox ſimpliciùs ſonat, interpretor, ex multorum ſententia. Sed epitheton *matutina*, non leue negotium meritò faceſſit commentatoribus. Mitto varias loci interpretationes, ad rem præſentem ſuperuacaneas, & ad ſenſum moralem amplector (quam ad litteralem faſtidio) Caietani ſententiam, *aſtra matutina*, interpretantis per metalepſim, aſtra diurna, ſeu interdiu lucentia. Hinc enim arguta oboritur difficultas, quo pacto opificis Dei laudem exaggerent aſtra matutina, ſeu interdiu lucentia. Porrò tunc aſtrorum diſparet nitor, Solis plenâ face ſtellarum interſtinguente faculas. Puto, intempeſtâ nocte, ipſâque illuni & caliginoſâ, nitidiùs micant ſtellæ, & tunc ſplendorum linguâ diuinas Creatoris laudes ſplendidiùs modulantur; non clarâ die, quæ illarum ſplendores abſcondit. O planè arcanum lucendi ſacramentum! Non tam ſplendidè Deo micant aſtra nocturna, quàm matutina & diurna: non quando toto iubare noctu ſcintillant ſereno cælo, quàm cùm interdiu lucem occultaſſe nouerunt. Diuinas laudes ſumptuoſiùs ſtellæ modulantur, dum cognatum ſplendorem luminis retractione diſſimulant; & quaſi lucere neſciant, fulgores contrahunt, non auaritiâ

1\.

Cur aſtra matutina, ſeu interſtincta, Dei laudes ſumptuoſiùs decantent. Iob 38. 7.

ritiâ lucendi, ſed diſſimulandi ambitione, ne ambitioſiùs ſplendorem agnatum perpetim venditent, laudis captandæ vſurâ perpetuâ. Hinc non ſtellæ nocturnæ, ſed *aſtra matutina*, ſeu interſtincta Dei laudes modulatiùs decantant, lucidiori luminis contractione, quàm ſplendore linguato.

2. Geneſ. 15. Deus vt magnificis ſpebus vota Abrahami expleret, ait illi: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes.... ſic erit ſemen tuum.* &c. Hæc Abrahami viſio clarâne luce accidiſſe videtur, cùm infrà, *Sol occubuiſſet* dicatur? Scilicet interdiu Abrahamus iubetur cælum ſuſpicere, ſtellâſque numerare; & tunc à Deo audit: *Sic erit Semen tuum.* Nempe poſteri tui erunt ſicut ſtellæ in clarâ die. O elogium ænigmati ſimile! Profectò ſtellæ noctu pulchrè nitent, interdiu non apparent, nedum fulgent. Citò dicam. Sicut eximia laus eſt; quemquam ſuo tempore & occaſione fulgere; ſic non ſuo tempore; nec opportunâ lucendi occaſione, fulgores ſuos contrahere, auguſtior laus eſt, & laudatior virtus. *No ay lucimiento en vn ſuceſſo lucido, como ſaber en occaſion diſſimular ſus lucimientos.* Vnde diurnæ ſtellæ, ſymbolum auguſtioris lucis pulchrè inducuntur. Pluſque nitent, quò aliquando minùs nitere videntur; cæleſtéſque fulgores ſæpè exaggerant diſſimulatione lucendi. Ergo dum ſiderea & præluſtris poſteritas Abrahamo promittitur, ſideribus, non in fudâ nocte, ſed in clarâ diei luce, conſultiſſimè aſſimilatur, cum ei interdiu dicitur: *Suſpice cælum, numera ſtellas, ſic erit ſemen tuum.*

Gen. 15. 12. Splendidiùs fulget, qui opportuno tempore fulgores diſſimulat.

Ibi verſ. 4.

3. Geneſ. 13. verſ. 10. rixantibus Abrahami & Loti paſtoribus, quia quiſque gregi ſuo limpidiorem adaquationem, & vberiora paſcua procurabat; Abrahamus pulchræ pacis eximius riualis, dat optionem nepoti, vt ſibi regionem eligat, quò mutuò diſcedant vrbano diuortio. *Eleuatis* (inquit) *Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor.* Locus planè in paucis impeditus. Scilicet Sodomorum campus conſpicuus & peramœnus dicitur, ſicut Domini paradiſus, & ſicut Ægyptus, cùm inde venitur in vrbem Segor, quæ vna eſt ex vrbibus Pentapoleos, Sodomis vicina. Profectò dum ex Ægypto venitur in ciuitatem Segor, neceſſe eſt, vt à tergo Ægyptus relinquatur inuiſa (vt liquidò conſtat ex geographicâ Palæſtinæ deſcriptione Adrichomij & Tirini.) Quæ ergo laus eſt Sodomitici olim agri, quòd comparetur ei pago Ægypti, qui à tergo relinquitur? Eccur non potius ſimilis eſſe diceretur eidem Ægypti pago, dum in illum e Segor venitur, & coram ſpectandus proponitur? Amœnior eſt ager, cùm copiarum delicias tergo obiicit, quàm dum eaſdem aſpectibus proponit? O moraliſſimum documentum! Nimirùm Ægypti campus herbaceo virore vernans, florum diſcolori varietate nitens, fructuum maturitate autumnans; non tam dicitur amœnus & pulcher, cùm ſe ſpectatorum ingerit oculis, & ſpectandus obiicitur; quàm dum oculos vitat ſpectatorum, & à tergo inuiſus relinquitur. Tunc, tunc vel maximè, de amœnitate & præſtantiâ cum paradiſo certat, & is eſt, quem Sodomitici campi fertilior venuſtas audeat æmulari. Non cùm amœnitatem aſpectibus exhibet, grande hoc elogium meretur; ſed dum illam diſſimulat, & poſt tergum inglorius dimittitur. Ergo præniter, qui aſpectibus poſſit nitere: vberiorémque fœneratur gloriam, quando humanis oculis gratiam non ingerit ſuam, nec propriæ amœnitatis oſtentatione ſpectatoribus vltrò annuit. Dum parcit aliorum oculis, ſuæ laudi non parcit; ſed amœnioris gloriæ opulentiam diſſimulatione mercatur.

Ægypti ager amœnior, cùm ſe obiicit tergo, quàm oculis.

---

§. CLXXVII.

Legem vnam, vnam plures putare, inobedientiæ ingenium eſt.

1. MALÆ *natura nunquam Doctore indigent*, ſententioſè dixit Seneca: fortè quia nimis indigent. Iuſtum tamen debent præceptis, & coërcitione frænari. Sed cauendum eſt, ne aut è pluribus legibus nullam admittant, aut è paucis plures efficiant. Porrò conſimilis malitiæ indicium eſt, aut nullas admittere leges contumaciæ malo, aut latas multiplicare, malitiæ incremento. Iuſto non eſt lex poſita, quia Dei nutus multiplicis legis compendium illi eſt: impius autem aut multiplicatione malitiæ, aut repetitâ violatione, leges quodammodo ad violationem multiplicat, ſceleris ingenio in malitiæ officinâ exculto.

Seneca ex Publ. Mim.

2. Ioannis 14. his verbis Chriſtus Deus ſuos diſcipulos inſtruit, & in eis fideles omnes: *Si quis*, inquit, *diligit me, ſermonem meum ſeruabit.... qui non diligit me, ſermones meos nō ſeruat.* S. Auguſtinus hæc verba tractans, & quia pollebat ingenij ſubtilitate curioſiùs examinans, acutè animaduertit, Chriſtum non eodem modo locutum fuiſſe de ſuis præceptis in ordine ad homines, qui illa obſeruant, & adſpectu ad eos, qui mandata violant. De morigerè obedientibus ait: *Sermonem meum ſeruabit*: de refractariè inobſequentibus inquit, *Sermones meos non ſeruat.* Sic fatur mihi Auguſtinus: *Et fortaſſe propter aliquam diſtinctionem, vbi ſuos dixit, pluraliter ſermones dixit, dicens: Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat*, &c. Eccur reſpectu ad obſequentes ait, *ſermonem*, in ſingulari, & adſpectu ad inobientes, *ſermones* dicit voce pluratiuâ? Fortè pauciora mandata Iuſtis dedit, & multò plura Iniuſtis fulminauit? An potiùs quia plura Chriſti præcepta Iuſtis videntur pauciora, vel vnum duntaxat; iniuſtis verò vel vnum mandatum malitiæ ingenium incrementat, amplificat, & multiplicat, ad præcipientis inuidiam? Vnum tantummodo mandatum, vnum plura eſſe malitioſâ garrulitate obiectat; dum illud perperam augens, & appendices præcepti ſequelas amplificans, intolerabile iactat, & quaſi obſeruatu impoſſibile culpat. Cerebri ſui falſatam gloſſam legi inſerit, & pro textu venditat, quò obſequij difficultatem exaggeret. O peruersè ſolers malitiæ ingenium, quod ſalutares leges amplificatæ multiplicitatis artificio, de augmento minorat,

Ioan. 14. verſ. 23. & 24.

S. Aug. tract. 76. in Ioan.

notat,& de multiplicitate abrogat, dum odioſas facit! *Treras ſon del inobediente, dar enſanchas à la obediencia, y amplificaciones al mando: con aquello, elude el precepto; y con eſto, haçe odioſo el mandato.* O perniciosſum refractariæ ſagacitatis arbitrium, quod præcepta dum amplificat, corrumpit; & inſano incremento minorat, ſalutaris politiæ ruinâ. Hæc humanæ aſtutiæ vaframenta Chriſtus Deus inſinuaſſe videtur, dum Chriſtianam legem in ordine ad pios, ſingulari numero dixit; aſpectu verò ad impios, pluratiuo nomine expoſuit, aiens: *Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit: qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.* O nimis verè!

3. Geneſcos 3. his verbis de inferno medicatis, ſerpens Dæmon feminam adoritur: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier: De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur: *De fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus: & ne tangeremus illud.* Ad quæ verba ſic fatur tempeſtiuè Rupertus: *Hæc verba iam vitiatæ mentis indicia ſunt. Nam quantum in ſe erat, deprauauit mulier verba præceptoris Domini.... Appoſuit namque dicendo: Ne tangeremus illud; quia videlicet Dominus Deus hoc tantùm dixerat: De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. Mutatione autem quia cum dixerit Dominus, Ex omni ligno paradiſi comede, & vnum ſolummodo interdixerit lignum ſcientiæ boni & mali, hæc ait, De ligno autem quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis: & mentita eſt. Nam & lignum vitæ erat in medio paradiſi, quod Dominus Deus non interdixit. Ergo iam impatienter ferebat, & murmurabat, quòd quaſi parcus vel auarus Deus pretioſa medij paradiſi reſeruaret, & viliora quæque per circuitum colligendo, in cibum hominis conceſſiſſet. Sic ſanctum præceptum Dei mulier ſtulta deprauare contendit.* Longiuſculè præter morem. Sed quia in verbis Ruperti meam mentem deſcriptam legi, & inobedientis malitiæ ingenium, quo ex vno præcepto plura finguntur, incrementantur, amplificantur, ad Præceptoris inuidiam, ſagaci inobedientiæ lenocinio. Verè pangit Dauid: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Sed lippientibus malitiæ morbo, ſingularis lucerna multiplex eſt. Et ſanè cæcitatis duæ ſunt ſpecies: Et non videre quod eſt, & videre quod non eſt. Qui in vno plures videt, perniciosè caligat. O fuge hæc diſſimulata inobedientiæ blandimenta!

Geneſ 1.3.
Rupertus

Eua inobedientiæ ſtudio, vnū Dei præceptum, vnum plura fingit.

Pſalm.118. 105.

Hic v. 5.

Vnde hîc verſ. 5. Abrahamus obedientiæ typûs, dum *præcepta, & mandata, & ceremonias, legéſque ſeruauit*, Dei *voci obediſſe* dicitur, expedito tot præceptorum compendio.

Nam *qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit: qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.*

.

§. CLXXVIII.

Sedulus perfectionis ſtudioſus, vel quod virtutis adeptus eſt, piâ perfectionis auaritiâ denuò poſſidere exambit.

QVAM anguſta innocentia eſt; ad legem bonum eſſe! Quantò latius officiorum patet, quàm iuris regula! Quàm multa pietas, humanitas, iuſtitia, fides exigũt: 1:
quæ omnia extra publicas tabulas ſunt. Nihil vnquam ſatis eſt luxui, ambitioni, libidini; nil ergo ſatis virtuti ſit? quin & piâ bonorum operum auaritiâ ſit inexplebilis, anhelâ pietatis ſiti ad omnes ſanctitates. Itaque viuidum virtutis ſtudium, retroacta non computat, ſed ad anteriora ſe audacter accingit, piâ merendi ambitione, & nouo indies perfectionis auſpicio.

Ioannis 15. Chriſtus Deus morti iã iam vicinus, in prælustri illâ concione, cuius doctrinam myſteriorum grauidam, velut teſtamento reliquit, & ſuo ſanguine cõſignauit, ſic ad Diſcipulos loquitur: *In hoc clarificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei Diſcipuli.* Multiplex virtutũ fructus in Diſcipulis, prælustris Dei Patris clarificatio cõſultiſſimè dicitur. Sed quid eſt, quòd ſuos adhortatur Diſcipulos, vt eius Diſcipuli adhuc efficiantur, ad vberiorẽ Patris gloriam? An Diſcipuli eius tunc non erant Diſcipuli poſt triennij conuictũ & diſciplinam? An deficiente Iuda à Diſcipulorum collegio, reliquos quaſi titubantes, ad Diſcipulorum nomẽ denuo adhortatur? Quid eſt, quod ſeriò Diſcipulis dicat Chriſtus: *In hoc clarificatus eſt Pater, vt efficiamini mei Diſcipuli?* Audiendus eſt hâc ſuper re Caietanus, qui ita ſubtiliter ſcribit: *Et bene nota, quòd de exiſtentibus iam Diſcipulis ſuis dicit: Et efficiamini mei Diſcipuli, vt intelligamus perſeuerantiam manendi in Ieſu conſiſtere in continuò effici eius Diſcipulum: hoc eſt in continuo profectu ſub diſciplinâ eius.* Nempè Diſcipuli iã diu erant, & eiuſdem contubernij vſurâ eruditi; & tamen quaſi extranei à diſcipulatu forent, eoſdem ſeriò hortatur, vt id quod iam diu habẽt, nouo virtutum profectu, non tantùm cõſeruẽt, ſed velut denuò acquirant. Primi erãt Diſcipulorũ omniũ, & qui reliquis exinceps futuri erãt Chriſtianæ probitatis norma, & perfectionis typus: ergo cõdecet & oportet, vt veterani iam ſe de nouo Chriſti effici Diſcipulos ſtudeant, ſolerti quadã virtutis ambitione, & perfectionis auaritiâ; & arcanâ rei poſſeſſæ ſpe hient ad poſſeſſionem, quaſi à diſcipulatu extranei. Vnde Diſcipulis ſuis moraliſſimè Chriſtus dixit: *In hoc clarificatus eſt Pater, vt efficiamini mei Diſcipuli.* Quaſi dicat: Anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe; ſtudium perfectionis latiùs officiorum patet, quàm accepti iuris regula; pertinaciam labor exigit, laſſitudinem corporis animus ſubleuet, & audeat vltra vitium, & mandatorum, metas. Cùm perdiu in diſcipulatu profeciſſe putas, velut à collegio extraneus, Diſcipulatum ambi, ad illuſtriorem paternæ gloriæ claritatẽ. *In hoc clarificatus eſt Pater, vt efficiamini mei Diſcipuli.* Non actum

2.

Ioan.15 8.

Iam olim Chriſti Diſcipulis intimatur vt denuo Chriſti fiant Diſcipuli?

Caiet. ibid.

actum agit, qui in virtute perfectus, quaſi nondum inceperit, perfectionis diſciplinâ ſtrenuè auſpicatur. O veteranos ſublimiſſimè tyrones!

3. Ioannis 13. Chriſtus Dominus qui propter homines ſerui figuram induit, miniſteriale pedum abluendorum ſeruitium aſſumpſit. Aquâ in peluim miſsâ, & linteo ſuccinctus, Diſcipulorum pedes lauare incipit. Vile Domini ſui officium conſtanti humilitate refutat Petrus, ſed minis perterritus mitigatur; & non tantùm pedes, ſed & manus & caput abluenda obtulit. Dicit ei Ieſus: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis.* Nemo eſt vſque adeò hebes ingenio, qui vel in ipsâ verborum ſuperficie difficultatem non legat. Porrò qui lotus eſt, quo modo indigere poteſt, vt pedes lauet, cùm mundus ſit totus? Puto, qui munda abluit, & actū agit, & rem abluendam ſordium infamat: quo igitur pacto, qui mundus eſt totus, adhuc abluendorum pedum indigus eſt? S. Auguſtinus (vt alios interim omittam, qui de hâc re copiosè) ita ſcribit ad hæc verba: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Auguſtinum legis: *Ipſi humani affectus ſine quibus in hâc mortalitate non viuitur, quaſi pedes ſunt, vbi & humanis rebus afficimur.* Nempe ſicut nuper à viro perfecto, noua virtutis perfectio exigitur; & à primis Chriſti Diſcipulis, vt denuò eius Diſcipuli efficiantur: ſic ab eo qui eſt totus mundus, pedum abluendorum indigentia intimatur, vt humani affectus, ſine quibus non viuitur, magis ac magis defæcati emaculentur. Nunquam ad affectuum munditiem ſatis eſt: qui lotus eſt, & eſt mundus totus vlteriorem adhuc exambiat puritatem. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & qui mundus eſt, emundetur adhuc; & qui Diſcipulus Chriſti iam diu eſt, eius Diſcipulus efficiatur adhuc. Nunquam perfectioni ſatis eſt. Qui ſine fine & ſine modo vitia ſectamur, è vitiorum ſcholâ eruditi, æmulo vitioſitatis ſtudio, virtutem ſine fine ſectemur. Imitari Abrahamum hic verſ. 5. qui nouas præceptorum ampliationes, ad quas ſe eius virtus extenderet, ſolerter quæſiuit, & piè inuenit, nouâ ſemper meritorum vſurâ.

Ioan. 13. 10.

Qui mundus eſt adhuc indiget vlteriori munditie?

Aug. Tract. 65. in Ioann.

Hic v. 5.

---

§. CLXXIX.

Pium opus cunctanter & pigrè inchoatum, etiam poſt conſummationem, vix inceptum creditur?

1. FRAVS eſt inchoare, quod aut nolis, aut nō poſſis perficere: tardè perficies, quod malè inchoaſti: alacris inchoatio auſpicatò venit, & ante opus, operis perfectionem quodammodò conſummat. Qui verò cunctanter & pigrè inchoat, vix etiam poſt rei peractæ perfectionem, illam perfeciſſe creditur. Qui tardè incipit, operationi ſuæ inuidet; pluſque illi diu cunctando fortaſſis detrahit, quàm perficiendo adiicit. Benè incipe, & perfeciſſe puta. Nunquam ferè putatur perfeciſſe qui cunctanter procraſtinando, diu noluit, quod aliquando velle neceſſe eſt.

Exodi 4. Dei iuſſu reuertitur in Ægyptum Moyſes, cum vxore Sephorâ, & duobus filiolis, Gerſan & Eliezer. Aut vterque, aut alteruter incircunciſus erat: ſiue matre peregrinum & cruentum ritum prohibente, ſiue timente, ne longi in Ægyptum itineris moleſtia tenelli infantis valetudini foret nocumentum. Cumque eſſent in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, & ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es. *Et dimiſit eum poſtquam dixerat: Sponſus ſanguinum ob circūciſionem.* Moroſus ero, ſi innumeras expoſitiones huius loci vel leuiter delibaſſem. S. Auguſtinus ſubtiliter eum verſat hic verbis: *Alia litterâ: Et receſſit ab eo, propter quod dixit, Stetit ſanguis circumciſionis. Intelligatur ergo, hoc ſi fieri poteſt, quid ſibi velit, ideò receſſiſſe Angelum ab interfectione cuiuſlibet eorum, quia dixit mulier, Stetit ſanguis circumciſionis infantis. Non enim ait, Receſſit ab eo propter quod circumcidit infantem, ſed quia ſtetit ſanguis circumciſionis; non quia cucurrit, ſed quia ſtetit, magno, niſi fallor, ſacramento.* Quodnam eſt hoc magnum ſacramentum, quod in hâc re arcanè deliteſcit? Putauerim, eſſe myſteriū operis tardè & cunctanter inchoati, quod vix cōſummatum creditur, etiam poſtquam perfectum eſt. Scilicet diu Moyſes diſtulerat filioli circumciſionem, fortè ne vxorem contriſtaret, aut infantulo longum iter acturo, nocuiſſet. Adeſt Angelus debitæ circumciſionis exactor, nec recedit ab intentatâ nece, quando apparantur quæ neceſſaria erant iam iam circūciſioni peragendæ, nec deſiſtit dum infans circumciditur, nec adhuc cùm circumciſus eſt; ſed dum ſtetit circumciſionis ſanguis. Ecce tibi magnum huius rei ſacramentum. *Non enim, ait, Receſſit ab eo propter quod circumcidit infantem, ſed quia ſtetit ſanguis circumciſionis; non quia cucurrit, ſed quia ſtetit, magno, niſi fallor, ſacramento.* Nempe dum Angelus procraſtinatæ diu circumciſionis durus adeſt exactor, non recedit placatus, dum puer circumciditur, dum ſanguis circumciſionis cucurrit, ſed quia circumciſione peractâ, ſanguis iam circumciſionis ſtetit, nec vel guttatim iam ſtillat. Quaſi vix credat perfectè conſummatum opus, quod tardè & coactè inceptū eſt. Sic rei benè faciendæ cunctatio opus deuenuſtat, nec poſtquam perfectum eſt, creditur conſummatum. Qui autem benè inchoat, fauſtè incipiendo auſpicatò conſummat.

2

Nō cùm ſanguis profluit, ſed cùm ſanguis ſtetit, placet circumciſio?

Exod. 4. 26.

Auguſt. q. 11. ſuper Exod.

Tempeſtiuè quærit Anaſtaſius Nicænus: *Cur Deus non prohibuit Iephte ſacrificare filiam, vt Abraham, filium?* Res planè expenſione & admiratione digniſſima. Præcipit Deus Abrahæ, vt filium Iſaacum illi immolet, Iſaacum inquam, ſpei filium, tot poſſeſſionum, & promiſſionum expectatiſſimum heredem. *Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtrauit aſinum ſuum*, &c. Nota expromptum Abrahami obſequium vel ad ardua magis paratiſſimum. Iephte verò viſâ filiâ ex voto immolādâ. *Scidit veſtimenta ſua, & ait: Heu me filia decepiſti me, & ipſa decepta es.* Filia verò ſic ſupplicat patrē: *Dimitte me, vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. Cui ille reſpondit: Vade:* Vides lamentationes 3.

Gen. 22. 3.

Iudicum 11. 35. & 37 & 38.

Abrahamus inchoatione conſummat, Iephte conſummatione vix inchoat.

tationes & cunctationes in Iephte: vide etiam alacrem Abrahami promptitudinem. Hic operis auſpicio, etſi non facto opere, opus conſummato le conſummat : opere, quod tetrè & malè inchoauit, nec conſummatione perfecit. Sic ergo Anaſtaſius Nicænus eleganter fatur : *Cur Deus non prohibuit Iephte ſacrificare filiam, vt Abraham, filium ? Quoniam ſi eſſet imitatus Abrahæ pietatem, ſimiliter etiam accepiſſet ſacrificium, etiam ſi malè voviſſet.... Propterea neque pater erat dignus beneficio Abrahæ poſt illam incredulitatem, & de voto pœnitentiam, & veſtium dilacerationem : neque filia, Iſaaci vitâ, poſt ampium luctum, & duorum menſium eiulatum ; vt quæ iudicaret hoc ſacrificium eſſe quauis calamitate grauius.* Scilicet pium & alacre operis auſpicium in Abrahamo, pro ſacrificio cõſummato reputatur : ſacrificium autem opere conſummatum in Iephte filia, ſic luctu & cunctatione culpatur, nec pro incepto ad pietatem cenſetur. Abrahamus inchoatione conſummat : Iephte conſummatione vix inchoat. Vnde hîc obſequij inchoatio in Abrahamo, pro conſummato obſequio reputatur, acceptatur, remuneratur.

Anaſt. q. 36.

Hic v. 5.

---

§. CLXXX.

Aliquando obſequentis cunctatio, præcipientis pietati blanditur.

1. VERA & mera perfectioris obedientiæ laus, de cæcitate nitet, de promptitudine & agilitate gloriam meritur. Vulgare hoc eſt, & vel lippis notũ. Sed quid eſt, quod myſtica illa Ezechielis animalia, quæ perfectioris obſequij ſymbolum referebant ; & antè, & retrò oculata apparẽt Prophetæ? Quidni, eſto, aquila ocyori volatu agillima ſit, & Leo perniciſſimo curſu in primis velox, aſt homo non eſt adeò celer ad curſum : & quidem bos valdè piger & tardigradus eſt, & pigritiæ emblema : Hocne erit aptum obedientiæ ſymbolum ? Imò tam aptum, quàm quod aptiſſimum. Nam aliquando pigritia, boue expreſſa, obedientiam ad obſequij pietatem eximiè venuſtat. Paradoxum putabis, & exploratior veritas eſt. Cupis noſſe, quando aliqua tarditas, tardigrado boui ſimilis, inter obedientiæ laudes reponatur ? Aduerte, quando tibi iniungitur aliquid moleſtum aliis ex obedientiâ inferendum ; & tunc, ne ſtatim vt aquila conuoles ad obſequium, nec vt leo ad prædam matures gradum ; ſed cum potiùs repigra, vt bos. Rem exequi debes : præcepta eſt enim, ſed ne concitatioris obſequij alacritate inhumanitatem repræſentes. Pietas tantiſper gradum remoretur, eſto ad alienum malum oculatus, aliquali pigritiâ pietatẽ accelera, ne nimis promptè in malum proximi irruas. Bos enim etiam perfectioris aliquando obſequij ænigma eſt. O bonam obedientiam, tantiſper à dilectione tardam ; & inde charitatis elogia mutuantem! ô bonã luctam, in quâ charitas cum obſequio certat : nec præceptionem fruſtratur charitas, ſed eam obediendi celeritas remoratur, quò vtraque vtriuſque gratiam reciprocet. S. Paulinus ſic ſuo Sulpitio ſcribit. *Ita te diligo, vt magis de non obtemperando tibi peccatum timerem.* Hæc quæ videtur aliqualis in obediendo tarditas, non fruſtratur obſequium, ſed illud charitati piè maritat.

Ezech. 1. 11.

Tardigradus bos eſt idoneũ obedientiæ ſymbolum.

Celada de Benedict. Patriarch.

Paulinus epiſt. 11.

2. Geneſeos 22. Abrahamus amicitiæ diuinæ nundinator, præceptum accipit ſuum immolandi Iſaacum. Confeſtim *de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum, & abijt ad locum, quem præceperat ei Deus.* Suſpice hîc expromptioris obſequij exſomnem diligentiam. Sed aduerte, præfata verba, quæ obſequendi velocitatem ſignificant, fortè non rectè cohærere cũ his, quę ſtatim ſubdit. *Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul*, &c. Acute Lyranus ſuper hæc re inibi fatur. *Die autem tertio, &c. Locus*, inquit, *vnde Abraham receſſerat, ſcilicet Berſabee ; non erat ita longè à monte Moria, quin poſſet illuc venire in breui tempore: ſed à Domino iſta dilatio facta eſt, vt clarius appareret obedientia eius.* Clarius apparebit perfecta Abrahami obediẽtia, quò diuturnius cunctatur obſequium? Iter quod vnius dieculæ breui ſpatio conſummari poterat, totâ tridui morâ peragitur ; vt perfecta Abrahami obedientia clarius appareat ? Quorſum *de nocte*, id eſt, primo mane Abrahamus *conſurgit*, (quod maturatum indicat obſequium) ſi quò ad veſperam poterat peruenire, longas tridui moras in peragendo itinere cunctanter abſumit ? ô moraliſſimũ miniſtras documentum ! Nempè cùm tibi proximi tui ruina, aut incommodum exequendum iniungitur, quò cũctãtius, eò obſequentius parebis. Tũc enim tarditas celeritatis gaudet priuilegio ; à charitate mutuans, quod obſequio detrahi videtur. Tardus etiam bos perfectioris obediẽtię ænigma proponitur : & in iſta Abrahami cunctatione, eiuſdem obedientia clariùs apparet. De nocte exſomnis cõſurgit, vt exſomne parendi ſtudium exhibeat : diutiùs cunctatur in via, ne incommodum maturiùs infligat. Charitati erogatur, quod detrahitur obſequio.

Locus fuit obedientiæ Abrahami, quòd ſe vnde ierit gradu ad ſuũ Iſaacum mactandum.

Gen. 22. 4.

Lyran. ibid.

Huc alluditur hîc v. 5.

3. Lyræ Lyra ſuccedat, vtrobique & ſibi & propoſitę theſi modulatè concinens. Geneſ. 19. Duo illi Angeli benè pranſi apud Abrahamum, ipſius piâ officioſitate, potiùs quàm ciborum lautitiâ refecti ; ſtatim pergunt Sodomã euerſuri. Non longum illis reſtabat viæ ſpatium, & tamen dicitur : *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere.* Breue iter adeò tardè conficiunt velociſſimi Angeli? Quid eorum repigrauit curſum ? Fortè torrente tum Sole, laſſi æſtuabant ; aut lauto epulo ſaturi & adipati pigreſcebant, & toto vitulo oppletus venter oneri ; edibus erat, ne velociùs greſſus explicarent. Vnde ergo tam longa mora in tam breui itinere conficiẽdo ? Redeat Lyranus nuper laudatus. *Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere. Tantùm enim*, ait, *tardauerũt vt viderent ſi Dominus parceret terræ propter preces Abrahæ. Erant enim Angeli boni.* Ideóne hi Sodomorum euerſores, *Angeli boni* putantur, quia diutiùs tardauerunt in viâ, piè expectantes, ſi fortè Dominus præceptionem de euertendâ Pentapoli ſuſpenderet ? Profectò tametſi res obedientiæ citiſſimè peragenda ſit, ſumma enim in obſequendo velocitas, ſummũ eſt elogiũ obedientiæ : at ea eſt pietatis laus, vt cùm ſeuerioris iuſtitiæ mandãtur exequẽdi rigores, tarda obedientiâ laudatior ſit, à charitate

Quia boni erãt Angeli, ideò cunctãter peragunt Sodomorum ruinam.

Gen. 19. 1.

Liran ibi.

arcanè fœnerans quidquid promptitudinis in obſequio deſideratur. Lenta ſæpè obedientia in iuſtitiæ miniſtro, promptitudine miſerendi expromptioris obſequij mercatur elogium, & planè Angelorum perfectione digna comprobatur. Vel in tardo boue adumbratur etiã conſummatæ obedientiæ ſymbolum; & quandoque lentum obſequium præcipientis pietati blanditur. Sæpè multa dilectio vſque ad obſequij tarditatem trahit. Ecquis de charitate obedientiam arguat?

§. CLXXXI.

Qui Superioris præceptum velut diuinæ voluntatis characterem accipit, humanis ratiunculis illud eludere deſiſtit.

1. QVI reluctante mentis iudicio Superiori paret, opere mentitur obſequium; dum exteriori obedientiâ affirmat, quod arbitrij tenuro negat. Sed tenue eſt omne mendacium: perlucet, ſi diligenter inſpexeris. Quid obſequium executione fingis, potiùs quàm præſtas? Ipſa in obſequendo cunctatio, mœſtitiæ tarditas, & diſſimulata tergiuerſatio, coactionis indicia ſunt, & diſſimilis iudic documentum, quod latentem in animo inobedientiam prodit. Vbi ſuperiori & ſubdito mens vna non eſt, obedientiæ fides facile rumpitur, quamuis adſenſum artè ſimules, aut diſſenſum verbis diſſimules. Subditus nimis perſpicax, & acutus, inobedientiæ præiudicium eſt. Plerumque mens ſubditi diuerſa, aut ſubiectionis tædium, aut rei præceptæ difficultas, (ſiue vera, ſiue opinione fabricata) denſum rationum agmen ſuggerit pariturо, vt earum propoſitione cunctetur, aut eludat imperium. Parendi repugnantia, apparentium rationum promptuarium eſt, quæ exoreæ iuſſionis vim offuſcat, retardat, & frangit, diſſimulatâ contumaciâ. Qui congeſtis vndequaque rationibus tergiuerſatur, propè inobedientiæ reus eſt. Nam perfecta obedientia ſicut aurita eſt, ita & cæca, & muta eſſe debuiſſet: auris, & manus ſunt exactius obedituri ingenia. Mens, & lingua nimis acuta, obſequium aut planè negant, aut valdè deueнuſtant.

2. Ioannis 12. poſtquàm multa Christus de ſuâ
Ioan. 12. 27. morte iam proximâ, copioſè dixerat, ſub metaphorâ grani in terrâ morituri, quò vbertim fructificet, ex recordatione præceptę ſibi mortis, hæc verba ſubiungit: *Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater, ſaluifica me ex hac horâ, Sed propterea veni in horam hanc.* Scilicet appropinquans cruci turbatur, quod humanum eſt, oſtenditque naturam non volentem mori, ſed præſenti adhærentem vitæ, demonſtrans quòd non extra humanas paſſiones erat, tametſi extra paſſionum vitium foret. Sed ſubtiliter perueſtigat Chryſoſtomus, quid ſibi velit Chriſtus, cùm ex imminentis ſibi mortis præſentia turbatus, ait: *Quid dicam?* An Dei Verbo, ſeu corporatæ ſapientiæ, quid dicat, non ſuppetit? Belliſſimè S. Chryſoſt. *Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Quaſi dicat: Non habeo quid dicam ereptionem quærens. Propterea enim veni in hanc horam.* Bonus Dominus, qui maluit aliquid diſſimulare de iure, quã de obedientiâ deponere! Scilicet Chriſto impoſitum fuit à Patre Deo præceptum moriendi, & cùm anxiè quà homo erat, præ operis difficultate turbatur, ait: *Quid dicam? Quaſi dicat: Non habeo quid dicam ereptionem quærens*, id eſt, non ſuppetit ratio, quam Patri Deo proponam, ereptionem à morte quærens. Annon poterat *dicere* præcipienti Patri, vt in præcepto lato Deitatis iure diſpenſaret? Annon poterat *dicere*, mundum ſufficienter redimi vel vna pretioſi ſanguinis guttulâ, aut cuiuſlibet boni operis ſui merito? Sed quid tenuitas noſtra Deo & pro Deo rationes declinandi præcepti quærit? Sic impoſito præcepto arcana Chriſti Dei velut exhauritur ſapientia, vt *non habeat quid dicat ereptionem quærens?* Profectò ardua rei præceptæ difficultas ingenium ſuggerere ſolet, vt declinet præceptionis moleſtiam: at incarnata Dei ſapientia, Chriſtus, inquam, Deus, durum moriendi præceptum ſibi impoſitum videns, palàm inquit: *Non habeo quid dicam ereptionem quærens.* Moraliſſimè quidem omnem tergiuerſationem hominibus præcludens. Nempe Chriſtus *non habet quid dicat ereptionem quærens*: & tu nil habes, quod non dicas ereptionem procurans.

Non habet Chriſtus quid dicat, vt declinet Patris mandatum.

S. Chryſoſt. hom. 66. in Ioan.

3. Exodi 7. dixit Dominus ad Moyſen: Tu lo- Exod. 7. 3.
quêris Aaroni omnia quæ mando tibi; & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Iſraël de terrâ ſuâ. *Sed ego indurabo cor eius.... & non audiet vos?* Non audiet vos, id eſt, non obediet vobis, aut mihi potiùs in vobis præcipienti; quia ego indurabo cor eius. Sapienter quã te ita fatur Theodoretus: *Indurare dicitur Deus Pharaonem diuinis mandatis rebellem; & (vt ita dicam) durum, in quo characteres diuinæ voluntatis imprimerentur*, &c. Planè emphaticè Dei mandatum, diuinæ voluntatis *character* nuncupatur. Non durum aut ſaxeum exhibeas cor, ſed carneum & molle, dum mandatum, id eſt, diuinæ voluntatis *character* in eo imprimitur. *Character* eſt diuina præceptio, ſit indelebilis character & perpetuò apud te medullitus inſculptus. Eſto typi patiens, ne durities impreſſioni reluctetur, ne tuæ argutiæ præceptionem adulterent, aut offuſcent, aut eludant. Imò quamuis latum abrogetur præceptum, animitùs tibi adhæreat velut diuinæ voluntatis *character* indelebilis, quo diuini beneplaciti nutum pernoſcas ad piè vrbanum obſequium. Crede mihi; Pharaonianum eſt, præ duritie cordis diuinæ voluntatis *characteres* non admittere; & valdè affine, admiſſos, aut cunctanti tergiuerſatione, aut pertinaci argutiarum refragantium propoſitione, ſolleter excuſſiſſe. Qui Superioris præcepta, velut diuinæ voluntatis *characteres* in corde impreſſos ſuſcipit, ſic eos ſuſpicit, vt eoſdem delere, religio ſit, & refractarij reatus.

Præceptũ diuinæ voluntatis character.

Theod. ibi.

Optimus obedientiæ typus, hîc verſ. 5. no- Hîc v. 5.
bis proponitur Abrahamus; non minùs ſurdus ad rationes, quas natura ſuggerit in tam arduis præceptionibus, quàm ad Dei voces obſequentiſſimè auritus.

§. CLXXXII.

§. CLXXXII.

Præceptum non fornicandi ſolis ceremoniïs ſatis impletur? Virginitatis nomen exteriori habitu conſtat?

1. Plutar. l. de virt. morum.

TEMPERATVS animus vndique eſt æqualis & pacatus, inferiore animæ noſtræ portione cum ſuperiore conſentiente: admirabili quiete ornatus & compoſitus, in quem intuens, dicas: Conciderant venti iam & tranquillus ſine vento portus erat: namque ipſe Deus ſedauerat vndas vehementes, infauſtos tabidoſque motus Cupiditatum, reſtinguente ratione; & quibus natura indiget, eos ſibi conſentientes obtemperanteſque in actionibus voluntatis parante: vt nec rationē præcurrant, nec terga vertant, nec ordinē turbent, nec dicto non ſint audientes. Si verò rebellat aliquando contra rationem cupiditas, illā frenat & cohibet caſtitatis propoſito compeſcens tumultuantes carnis ſubſultus, ceu peritus gubernator clauo nauem regit per tumentes, & atrociter minaces maris fluctus. Hac ſedulâ & ſolerti induſtriâ Caſtitas conſtat, non fucatâ continentiæ ſpecie, quæ opinionem elaborat; & dum publicas concinnat actiones, caſtitatis potius famam, quàm rem caſtitatis negotiatur. Malus, vbi bonum ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus. Nemo poteſt perſonam diu ferre fictam. Ficta citò in naturam ſuam tranſeunt. Non apparentiâ, ſed continentiâ res caſtitatis conſtat. Heu! ſatis hodie caſtus eſt, qui palàm laſciuus non eſt? Sic eſt difficilis corporis cuſtodia, vt caſtitatis nomen re caſtitatis vacuum, magni cenſeatur?

2. *Præcepti non fornicandi, ceremoniys impletur?*

Hic verſ. 5. Iſaaco longam in Ægyptum peregrinationem molienti, Deus apparet, & magnificas illi promiſſiones ingeminat, aiens. Tibi & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, complens iuramentum, quod ſpopondi Abra-
Hic v. 5. ham patri tuo. Et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli: & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. *Eo quòd obedierit Abrahā voci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legeſque ſeruauerit.* Politiores interpretum valde deſudant, vt diſtinguant hæc quatuor vocabula, nempe, *Præcepta, Mandata, Leges, & Ceremonias*: ne velut ſynonyma abſque lepore adglomerata videantur. In quâ re P. Martini del Rio induſtria apprime laborauit. Verùm Lipomanus ſic vocē *Ceremonias* exponit, ad rem præſentem argutè: *Ceremonias*, inquit, *ſcimus ritum ſignificare, quem in ſacrificando, numineque diuino colendo obſeruamus. At* חֻקֹּת *chukkot* (pro quo *Ceremonias* Vulgatus vertit) *latius patet, multaque alia diuina inſtituta amplectitur, vt eſt illud, Ne fornicceris.*

Lipoman. in Catena.

Eheu! magnum illud & perarduum, non fornicandi mandatum. *Ne forniceris*, ad Ceremonias ſpectat? Caſtitas hodie Ceremonia eſt? Continentiæ titulus Ceremoniis conſtat? Fucata cautelæ ſagacitas faciet caſtitate conſpicuos? *Oy es tenido por vaſtantemente caſto, el que es recatado?* ô homines omni artis limâ cōpoſitos, & caminis fabrilibus excoctos, qui ad ſtipulationem continentiæ, vel deſudata quærunt teſtimonia, vel perſonatam inuenêre diſſimulationem! Qui libidinem rectiùs abſcondit, & ſine bonorum oblocutione clanculùm ſcortatur, caſtitatis mercatur ſtipendia? ô malum! Ceremoniis impletur, non fornicandi præceptum?

Geneſeos 24. Abrahami Procurator, iubente Domino, & Dei auſpiciis pergit in Meſopotamiam, vt nuptias Iſaaco quærat, è paterna cognatione nobiles. Prope ſuburbia ciuitatis Haran conſtitit, & Deum Abrahami piis inuocat votis, vt illi occurrat puella, quam Dominus Iſaaco præparauit. Necdū intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, habens hydriam in ſcapulâ ſuâ: *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Si tūc Rebecca nubilis puella, *virgo* dicitur, ſuperuacuè additur, *incognita viro.* Nam quæ à viro cognita eſt, planè virgo non eſt. Tanta verborū luxuriâ Rebeccæ virginitas explicanda erat? Cardinalis Caietanus ad Hebraicam veritatem hæc verba examinans, ſic opportunè locum interpretatur. *Iuxta Hebræum habetur: Et puella bona aſpectu valde, virgo, & vir non cognouit eam. Niſi ad ampliorem expreſſionem dictum ſit; Vir non cognouit ipſam, ſuſpicor virginis nomine habitum innuptarum virginum ſignificari. Itaque quòd deſcribitur ab ætate puella; à formoſitate bona aſpectu valdè; ab habitu, virgo; ab integritate carnis, & vir non cognouit eam.* Sic eſt rariſſimum, & miriſſimum, pulchram feminā eſſe virginem, vt quæ à Scripturâ ipsâ, *Virgo* dicitur, putetur *Virgo* habitu duntaxat, re mulier, niſi addatur, *Et vir non cognouit eam?* Sic eſt ſtupro cognata venuſtas? Quis pulchritudini credat pudorē? Sed nota mihi ad rem præſentē, ab habitu & cultu virginem dici: & quæ geſtat virginum habitum, virginem haberi & nominari: & niſi addatur, *Incognita viro*, carnis integritatem, & illibatum pudorē hîc minimè denotari. Heu! præluſtre virginitatis nomen, habitu acquiritur, habitu conſtat? Ceremonia in cultu, virginitatis fœnerat elogium? Re mulier, habitu virginum induta, & virginum imbuta ceremoniis, ex Caietani ſententiâ, *Virgo* in Scripturis dicitur; nec ſatis denotatur virgo, niſi *Incognita viro*, explicatius addatur? *Es oy la virgindad, traje, ceremonia, y apparencias?* Quod inſinuare videtur Caietanus præfatis verbis, concludens: *Itaque Rebecca deſcribitur ab ætate puella; à formoſitate, bona aſpectu valdè; ab habitu, virgo; ab integritate carnis, & vir non cognouit eam.* Sic vel virginitatis nomen apud Caietanum, ſuſpectum eſt, vt non ſe illi tutò credat; dum putat virginitatis nomen, eſſe rem habitus? ô nimis hodie verum!

3.

Gen. 24:16.

Caiet. ibi.

Pulchritudo ſuſpecta eſt de ſtupri affinitate.

Virginitas exteriori habitu nomen eſt?

§. CLXXXIII.

Humana ſublimitas, quæ ex aliorum meritis obuenit, non computatur ad faſtigij gloriam.

NON eſt extrinſecus malum noſtrum, intra nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet: ſic & bonum: par eſt enim oppoſitorum ratio, ſi Philoſophiæ credimus. Suum cuiuſque eſt, quod illum facit bonum, litteratum, beneme- 1.

ritum, & reliqua illi impertit virtutis elogia. Quis non rideat cùm Senecâ, inſulſitatem hominis, qui de mancipiorum ſuorum eruditione exquiſitâ, Sapientis nomen ipſe ineruditus ambibat? Suum hominis eſt, quod illum probum reddit, ſapientem, nobilem, excelſum. Quis niſi fatuus de alterius pulchritudine, peritiâ, aut merito, ſe magnificè iactet?

2. Matthæi 1. his verbis ſecundam quaterdenam progenitorum Chriſti, Euangeliſta auſpicatur: *David autem rex genuit Salomonem.* Pulchrum inde dubium exoritur, quarè ſolus Dauid auguſto Regis nomine inſignitur in hac Regum teſſaradecade. Annon Salomon Rex fuit, & ceteri exinceps poſteri ſceptris inclyti? Cui horum purpura tegetur, eâque ſolus Dauid glorioſè purpuraſcit? S. Thomas hanc quæſtionem ſubtiliter excitat, & ſubtiliùs diſſoluit. *Hic quæritur*, inquit, *cum plures alij fuerint reges, quare ſolus iſte* (Dauid inquam) *dicitur rex? Et dicendum: quia alij propter meritum ipſius Dauid regnauerunt.* Quid accommodatius? Nimirum neque ipſe Salomon, Hebrææ gentis gloria, neque reliqua eius regia ſoboles, regio inſignitur ſtemmate; ſed ſolus Dauid Rex dicitur, quia reliqui ex Dauidis merito regnauerunt, Dauid autem proprio virtutis merito regnum obtinuit. Ceteri exinceps Reges, aut inconſultæ ſucceſſionis iure, aut cæcæ naturæ fœcunditate, Reges, nullo ſuo merito, naſcebantur: Dauid autem ipſe ſibi regnum fecit virtutis merito, à quo glorioſum ſceptri ius deriuatur in poſteros. Tantus autem gloriæ ſplendor elucet in eo, qui ſuis meritis primus ſibi peperit regnum, & illud in poſteros propagat, vt hic ſolus ſublimi Regis nomine decoretur; ceteri verò communi vocabuli ab Euangeliſtâ cenſeantur. Quippe qui inglorio ſucceſſionis iure, & inconſulto generis priuilegio, regna poſſideant, quaſi quædam reliquiæ, & aliqua illius primi Regis reſidua portio. Sic deuenuſtatur mundialis dignitas, quam non commendant illuſtria geſtorum merita: Quid tu de aliorum meritis gloriaris? quid de alienâ virtute ſuperbis? ſuum cuiuſque eſt, quod hominem beatum facit, aut miſerum. Demetere ambis, quam non ſeminaſti gloriam?

Matth. 1. 6.

S. Th. ibid.

Salomon non dicitur Rex, quia regnat parentis merito.

3. Geneſeos 14. aduerſus quinque Pentapoleos regulos, quatuor finitimi Reges conſpirarunt. Inieruntque bellum hi quatuor Reges contra quinque illos Pentapolitas, quorum nomina ſacer hiſtoriographus ſigillatim recenſet: & de quinto ſic ſcribit: *Contráque regem Bala, ipſa eſt Segor.* Indubium eſt, vrbem *Balam*, (quæ vna eſt ex quinque Pentapoleos vrbibus hîc dici *Segor* per anticipationem: nam poſteâ ſic appellata eſt, cùm cap. 19. Lot, educente Angelo, Sodomiticum feſtinanter fugiebat incendium, aiens: Quæſo Domine mi, quia inuenit ſeruus tuus gratiam coram te, & magnificaſti miſericordiam tuam, quam feciſti mecum, vt ſaluares animam meam. Eſt ciuitas hæc iuxtà, ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in eâ. Dixitque Angelus ad eum: Ecce in hoc ſuſcepi preces tuas; vt non ſubuertam vrbem pro quâ locutus es. Feſtina, & ſaluare ibi. *Idcirco vocatum eſt nomen vrbis illius Segor.* Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Lot ingreſſus eſt Segor. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo, & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, & vniuerſos habitatores vrbium, præter vrbem Balam, quæ nunc appellata eſt Segor, cui tunc parcitum eſt, vt in eâ Lot ſaluaretur. Itaque vrbs Bala (quæ & Segor appellatur) vna eſt è quinque vrbibus Pētapoleos, & quæ teſte Hieronymo, interpretatur, *abſorpta*, vel, vt mauult Gloſſa, *deuoratio*, aut *vorago*, vel vrbs *deuoratorum.* Mirabile planè eſt, quòd vrbs Bala, *abſorpta*, & *deuorata*, & vrbs *deuoratorum* dicatur, quæ ſola è reliquis illius regionis vrbibus, abſorpta & deuorata non eſt in Sodomitico incendio, tametſi eiuſdem flagitij rea. Quare vrbs deuoratorum appellatur, quæ ſola deuorata nō eſt? An quia ipſa, etſi incolumis ſemper propius ſpectat ſorores vrbes diuino incendio abſorptas? Sic eiuſdem flagitij reus, metu alieni mali tabeſcit? An quia non ipſa pœna exercita, ſed pœnæ reatus, res eſt acerbioris ſupplicij? Sic grauis ſupplicij meritum, conſcientiam fodicat, lancinat, excruciat? An potius Bala vrbs deuoratorum dicitur, quia communis deuorationis rea, non ex meritis proprijs, ſed Loti pro ſe ſupplicantis merito, & ipſius priuilegio, ſeruata à deuoratione eſt, & à communi incendio ſingulariter exempta? Scilicet vrbs Bala, quæ in ſuorum ſcelerum pœnam cum reliquis Sodomiticis vrbibus deuoranda erat, (tametſi ob Loti meritum deuorata non ſit, ſed incolumis reſeruata) dicatur nihilominus *abſorpta*, & vrbs *deuoratorum*; quia incolumitatem ipſa non meruit, ſed commune deuorationis ſupplicium. Adhuc geſtet in nomine reatus characterem, & meriti ſupplicij præſagium, ſiquidem ſoſpitatem, quam ipſa nō meruit, alieno merito incolumis obtinet. Perſiſtat adhuc ſceleris reatus in nomine, & pariter in vocabulo ſupplicij prophetia, quouſque vrbs ipſa ſuæ virtutis merito, non externo aliorum ſuffragio, ſupplicio indigna, ſupplicium merito ſuo auertat.

Geneſ. 14. 2.

Non declinat infamiæ notā qui alieno priuilegio ab eâ liberatur.

Geneſ. 19. 22.

Hieron. de locis Hebr.

Gloſſa ibi.

Exodi 1. meminit Moyſes mortis Ioſephi, Ioſephi inquam, Ægyptiorum Præfecti, qui ſecundus à Rege, & regiâ familiaritate ſublimis, totius Ægypti rem, ipſe rerum arbiter ad nutum diſpenſabat. Sed notanda ſunt ſacri hiſtorici verba: *Quo mortuo* (Ioſepho inquam) *filij Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt: ac roborati nimis, impleuerunt terram.* O bona ingenui populi, populi inquam Dei, incrementa. Nimirum vbi primum mortuus eſt cognatus Ioſephus, Ægypti præfecturâ, & regiâ familiaritate præcelſus, tunc, tunc quidem nobiliori incremento ſublimantur, & roborati nimis illuſtriùs excreſcunt. *Crecieron mas en faltandoles el arrimo, en muriendo el Priuado pariente, a cuyo fauor ſe podian imputar ſus medras.* Sequax hedera alteri adhæreſcere & prorſus incumbere ambitioſè procurat, ſyluâ textili: quòd ſi fulcrum ſubmoueas, iam ſibi ipſi ambitioſiùs innixa, de diuortio parietis arbor fit, quæ anteà frondeus maceriæ ornatus erat. Illuſtre planè Iacobæorum encomium, cum maximè incrementari, non quando res ſumma penes cognatū Ioſephum erat; ſed Ioſepho mortuo, *filij Iſrael creuerunt, ac roborati nimis, impleuerunt terram*: ne ipſorum celſior ſublimitas & potentia, non ipſis, ſed Ioſephi fauori imputaretur, magno ſui incrementi detrimento. 4.

Exod. 1. v. 6. & 7.

Mortuo Ioſepho filij Iſraël illuſtriùs creuerunt.

Benedictio IV.

BENEDICTIO QVARTA. DE IACOBO ET ESAV.

Iacob fratri dolo Benedictionem præripit patris; & primogenitura ab oraculo promiſſa arcanè potitur. Sed nec aliqua Benedictione vacuus Eſaü dimittitur. Qui ſæuientibus minis fraternæ fraudis dolorem conſolatur. Quare Rebecca Iacobo ſuadet fugam in Haran, quovſque efferi Eſaü deſæuiat furor. Idque nuptiarum prætextu Iſaaco facilè perſuadet, ne Iacobus, ſicut Eſaü, ex Chananitide ducat vxores, quas Abrahamides habebant exoſas.

CAPVT XXVII.
GENESEOS.

1. SENVIT autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre
non poterat : vocauitque Eſaü filium ſuum maiorem, &
dixit ei : Fili mi ? Qui reſpondit. Adſum.
2. Cui pater : Vides, inquit, quod ſenuerim, & ignorem diem
mortis meæ.
3 Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foràs. Cúmque venatu
aliquid apprehenderis,
4. Fac mihi pulmentum, ſicut velle me noſti, & affer vt comedam, & Benedicat tibi anima mea antequam moriar.
5. Quod cùm audiſſet Rebecca, & ille abiiſſet in agrum, vt iuſſionem patris impleret,
6. dixit filio ſuo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Eſaü fratre tuo, & dicentem ei :
7. Affer mihi de venatione tuá, & fac cibos, vt comedam, & Benedicam tibi coram Domino antequam moriar.
8. Nunc ergo filij mi, acquieſce conſilijs meis :
9. & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur :
10. quas cùm intuleris, & comederit, Benedicat tibi priuſquam moriatur.
11. Cui ille reſpondit : Noſti quod Eſau frater meus homo piloſus ſit : & ego lenis.
12. Si attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro Benedictione.
13. Ad quem mater : In me ſit, ait, iſta maledictio, fili mi : tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.
14. Abijt, & attulit, deditque matri. Parauit illa cibos, ſicut velle nouerat patrem illius.
15. Et veſtibus Eſaü valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum :
16. Pelliculáſque hædorum, circumdedit manibus, & colli nuda protexit.
17. Deditque pulmentum, & panes quos coxerat, tradidit.
18. Quibus illatis, dixit : Pater mi ? At ille reſpondit : Audio. Quis es tu fili mi ?
19. Dixitque Iacob : Ego ſum primogenitus tuus Eſaü : feci ſicut præcepiſti mihi: Surge, ſede, & comede de venatione mea, vt Benedicat mihi anima tua.
20. Rurſumque Iſaac ad filium ſuum : Quomodo, inquit, tam citò inuenire potuiſti, fili mi ? Qui reſpondit : Voluntas Dei fuit vt citò occurreret mihi quod volebam.
21. Dixitque Iſaac : Accede ad me vt tangam te fili mi, & probem vtrùm tu ſis filius meus Eſaü, an non ?
22. Acceſſit ille ad patrem, & palpato eo, dixit Iſaac : Vox quidem vox Iacob eſt : ſed manus, manus ſunt Eſaü.
23. Et non cognouit eum, quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant. Benedicens ergo illi,

24. Ait,

24. *Ait, Tu es filius meus Eſaü? Reſpondit: Ego ſum.*
25. *At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tuâ fili mi, vt Benedicat tibi anima mea. Quos cùm oblatos comediſſet, obtulit ei etiam vinum, quo hauſto,*
26. *Dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi oſculum, fili mi.*
27. *Acceſſit, & oſculatus eſt eum, ſtatimque vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, Benedicens illi ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui Benedixit Dominus.*
28. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.*
29. *Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui Benedixerit tibi, Benedictionibus repleatur.*
30. *Vix Iſaac ſermonem impleuerat: Et egreſſo Iacob foras venit Eſaü,*
31. *Coctóſque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui: vt Benedicat mihi anima tua.*
32. *Dixitque illi Iſaac: Quis enim es tu? Qui reſpondit: Ego ſum filius tuus primogenitus Eſaü.*
33. *Expauit Iſaac ſtupore vehementi: & vltra quàm credi poteſt, admirans, ait: Quis igitur ille eſt, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priuſquam tu venires? Benedixique ei, & erit Benedictus.*
34. *Auditis Eſaü ſermonibus patris, irrugijt clamore magno, & conſternatus, ait: Benedic etiam & mihi, pater mi.*
35. *Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit Benedictionem tuam.*
36. *At ille ſubiunxit: Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob: Supplantauit enim me en alterá vice: primogenita mea antè tulit, & nunc ſecundò ſurripuit Benedictionem meam. Rursúmque ad patrem: Nunquid non reſeruaſti, ait, & mihi Benedictionem?*
37. *Reſpondit Iſaac: Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui: frumento & vino ſtabiliui eum, & tibi poſt hæc, fili mi vltra quid faciam?*
38. *Cui Eſaü: Num vnam, inquit, tantùm Benedictionem habes, pater? Mihi quoque obſecro vt Benedicas. Cùmque eiulatu magno fleret*
39. *motus Iſaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper*
40. *erit Benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies: tempúſque veniet cùm excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis.*
41. *Oderat ergo ſemper Eſaü Iacob pro Benedictione, qua Benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*
42. *Nuntiata ſunt hæc Rebeccæ: quæ mittens, & vocans Iacob filium ſuum, dixit ad eum: Ecce Eſaü frater tuus minatur vt occidat te.*
43. *Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran:*
44. *habitabiſque cum eo dies paucos, donec requieſcat furor fratris tui,*
45. *& ceſſet indignatio eius, obliuiſcatúrque eorum quæ feciſti in eum: poſtea mittam, & adducam te inde huc: cur vtroque orbabor filio in vno die?*
46. *Dixitque Rebecca ad Iſaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: ſi acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere.*

COM

COMMENTARIVS LITTERALIS.

1. Vers. 1. SENVIT AVTEM ISAAC. Quippe qui tunc agebat annum 137. Iacobus verò, & Eſaü 77. quod eruditè hîc probat Abulenſis, & poſt eum Pererius, Torniellus, Salianus, Bonfrerius, Cornelius, & Tirinus in Chronico. Quare biennio allucinatus eſt Alexander Polyhiſt. apud Euſebium de præparat. Euangel. lib. 9. CALIGAVERVNT OCVLI EIVS. Præ ſenectute, ait S. Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 37. (*Auguſt.*) Verùm peculiaris ægritudo addita etiam videtur ſenectuti, vt communiter docēt interpretes: poſteà enim totos quadraginta tres annos vixit, vt tradunt nuper allegati Doctores: vixit enim Iſaac 180. annos. (*Iſaaci caligo non tam ex ſenectute, quàm ex morbo.*) Porrò cùm eiuſmodi oculorum caligo non acciderit eius parenti Abrahamo, ferè quadraginta annis ſeniori, meritò hæc caligo peculiari morbo adſcribitur. Quæ non videtur vſque ad mortem, id eſt, annos adhuc quadraginta tres perduraſſe, vt aduertit Salianus, ann. m. 2276. num. 3. (*Salian.*) Fit mentio ſenectutis, vt Benedictionis vltrò oblatæ cauſa intelligatur. Fit etiā mentio caliginis, vt agnoſcatur deceptionis cauſa. ET VIVERE NON POTERAT. Non erat cæcus, ſed cæcutiebat, & confuſo oculorum acumine, ægrè admodum cernere, nullatenus res internoſcere poterat.

Vers. 2. ET IGNOREM DIEM MORTIS. Senectute, etſi non capulari, & oculorum caligine laborans Iſaac, breui ſe moriturum putabat. Idcircò ſollicitus erat de Benedicendo ante mortem primogenito Eſaü. At Iſaacus opinione ſuā falſus eſt: nam qui vicinam reputabat mortem, tres & quadraginta annos vitam protelauit.

Vers. 3. ARMA TVA. Hebraïcè *vaſa*, ſic omnia inſtrumenta Hebræi appellant. Quidnam appellet *arma*, confeſtim explicat, addens: PHARETRAM ET ARCVM. Varios venationis modos vno venationis nomine comprehenſos, tradit Plato lib. 7. de legibus. (*Plato.*) EGREDERE FORAS. Hebraïcè, Græcè, Chaldaïcè, *in agrum*, perinde eſt.

2. Vers. 4. (*Iſaacus ante Benedict. ad cœnam inſpexit.*) PVLMENTVM. Obſonium, quicquid ad comedendum pani additur. Iſaacus adſuetus ferinæ illam expetit, potiùs quàm aues cicures; & vt inſcius det locum felici Iacobi fallaciæ. Itaque Iſaacus imperat venatu ſibi quærere, & parare cœnam: nam cœnam δεῖπνον appellat Ioſephus. (*Ioſeph.*) Porrò, vt bene notauit Salianus ſuprà n. 4. (*Salian.*) venatio longius ferè tempus petit, quàm vt matutinis horis capi, ac parari poſſit, vt mox cibo ſumpto paternam illi benedictionem quaſi moriturus ſolenniter impertiatur. SICVT VELLE ME NOSTI. Quibus me libenter veſci frequenti experimento didiciſti. VT BENEDICAT TIBI ANIMA MEA. Vt ex animo te Benedictione felicitem, ait P. Rio; ſed præſtat τὸ *animam* ſynecdochicēs accipere pro homine, nempe, vt tibi benedicam. Nam Iſaacus, etſi non delinitus obſonio ſapidiſſimo, libenter primogenito Eſaü benediceret. Proculdubiò tunc Iſaac ignorabat oraculum Rebeccæ datum: alioqui non auderet Iacobum Benedictione cælitùs donata, defraudare. Valde ſollicitus eſt pro Eſaü pater, non quòd malum Eſaü cupiebat Benedictione munire; vt malè dixit Philo; (*Philo*) ſed quia eius obſequiis delinitus, eum blandiùs diligebat, vt notauit Theodoretus quæſt. 77. (*Theodor.*)

3. (*Cur Iſaacus ad Benedicendum Eſau, prius ferinā expetit.*) Quærunt interpretes, cur Iſaacus antequam Benedictionē Eſau impertiretur, delicato ferinæ obſonio expetierit veſci. Reſpondet Lyranus, (*Lyranus.*) eo tempore id in more poſitum. Aſſentirer vltrò, ſi eruditiſſimus vir morem comprobaſſet; qui in ſacris Bibliis non apparet. S. Auguſtinus quæſt. 79. in Geneſim, (*Auguſt.*) myſterium aliquod adumbratum putat, quod ipſe non pandit. S. Gregorius homil. 6. in Ezechielem, (*Gregor.*) tropologiam venatur: ſenſum tamen litteralem quærimus. Thomas Angelicus ſuggerit, (*Thomas.*) vt Eſau meritoriè ad ſuſcipiendam paternam Benedictionem diſponeretur, per opus prouidæ obedientiæ, obſequioſæ ac filialis dilectionis & reuerentiæ

rentiæ in ſanctum patrem ſuum. Hanc cauſam recentiorum proceres amplectuntur, quia alia magis idonea non ſuccurrit. Sed quare in eſculentis ſibi deliciis exercere voluit Iſaacus, & filij obſequium, & diu erga ſe notam charitatem? Scilicet eo obſequij genere, quod ſæpè expertus fuerat, & quo Eſaü erat promeritus paternam gratiam, voluit Iſaacus filium exercere, & ſe deliniri, vt prærogatiuam illi debitam Geneſ. largiretur. Porrò *Iſaac amabat Eſaü, eo quod de venationibus illius veſceretur* Geneſ.25.v.28. quod maiorem conciliauit beneuolentiam, præſtruat maioris beneuolentiæ notas.

4. Vers. 7. Et benedicam tibi coram Domino. Eo adnuente & fauente, ratúmque habente. Super hoc modo P. Rio. loquendi conſule P. Rio in Adagiis ſacris, §. 12. 14 & 97.

Vers. 8. Acqviesce consiliis meis. Abulenſ. Bene notat Abulenſis, quòd Rebecca non dedit conſilium ad furandum rem alienam, ſed induſtriam ad liberandum ius ſuum de manu iniuſti detentoris. Sciebat enim ius primogenituræ diuinitùs Iacobo fuiſſe conceſſum, quippe Gen.25.23. quæ audierat, *Maior ſeruiet minori.*

Vers. 9. Dvos hoedos. Hebraïcè *hædulos.* Non vt hi integri in obſonium præpararentur Iſaaco, ſed vt teneriores eorum partes aſſumerentur ad cibum; tum etiam vt ambas manus, & colli nuda tegeret; nam mentum & genas barba exaſperabat. Libenter vescitvr. Sicut amat, præparatis.

Vers. 11. Et ego lenis. Glaber ego ſum, non vt Eſaü piloſus, & hiſpidus.

Vers. 12. Indvcat svper me maledictionem. Scilicet cunctatur Iacob timens, ne ſi fortè deprehendatur in fraude, in locum optatæ Benedictionis diram maledictioнē accerſat: quam valdè formidabat, & meritò quidem, vt Peter. Plato. Auguſt. fusè Pererius ex doctrina Platonis & Auguſtini.

Vers. 13. Chryſoſt. In me sit, ait, ista maledictio. Sanctus Chriſoſtomus homil. 53. putat Rebeccam præ amoris exceſſu expetiuiſſe pro ſuo Iacobo maledictionis pœnam ſubire. Veroſimiliùs Gennad. Theodor. Gennadius in Catenâ, & Theodoretus quæſt. 78. quos paſſim recentiores ſequuntur, meritò exiſtimant, matrem ſecuram de felici ſucceſſu, (ad quam delatum fuerat oraculum) in ſe recepiſſe periculum. Quaſi dicat: Nullum hîc periculum imminet, fruſtrà times patris iram; indubiè Benedictionem nanciſcêris.

Attvlit. Iacob matris verbis perſuaſus, curriculo adit gregem, & duos attulit hœdos: non quos totos ſenex vorarer, ſed ob cauſam allatam v. 9. 5. Vers. 14.

Et vestibvs Esav valde bonis. Non putauerim has fuiſſe veſtes primogenito debitas, quibus indutus ſacrificaret: neque enim eas expetiuit Eſaü benedicendus: ſed veſtimenta Eſaü optima & pretioſa, quibus rarò vtebatur; & idcircò penes matrem ſeruabantur in arcâ, iniectis floribus, aut radicibus ad odorem, & tineæ arcendæ causâ. Aſſumit tunc Iacob veſtes Eſaü valdè bonas, non quòd ille valdè etiam bonas veſtes non haberet, ſed vt fratrem etiam veſte ſimularet, ſi fortè pater aliquod vellet, & poſſet indicium de veſtibus ſumere. Nempe nil non intentatur ad fraudem. Vers. 15. *Quare Iacob veſtes aſſumit Eſaü?*

Circvmdedit manibvs, in morem chirothecarum. Protexit, contexit piloſâ hœdorum pelliculâ, quo lenis Iacob piloſum Eſaü mentiretur. Vers. 16.

Ego svm primogenitvs tvvs Esav, &c. Verba ſunt Iacobi ad patrem Iſaacum: *Ego ſum primogenitus tuus Eſaü, feci ſicut præcepiſti mihi, ſurge, ſede, & comede de venatione meâ, vt Benedicat mihi anima tua.* Si Iacobus tantummodò dixiſſet, Ego ſum primogenitus tuus, potuiſſet forſan Iacobus vindicari à mendacio: iure enim, ac dignitate primogenitus erat, Angeli ore inauguratus. At Iacobus non erat primogenitus Eſaü. Qui enim Eſaü non erat, quo modo primogenitus Eſaü eſſe poterat? Erat quidem Iacob primogeniturâ Eſaü è cælo donatus: ſed aliud eſt, primogeniturâ Eſaü debitâ Iacobum donari, aliud ſe eſſe primogenitum Eſaü. Addit Iacobus, *Feci ſicut præcepiſti mihi.* Atqui Iſaacus nihil tale Iacobo præceperat. Profectò totâ narratione vult perſuadere patri, ſe eſſe non dignitate tantùm, ſed ὑποστατικῶς, ſeu ſecundùm perſonam Eſaü. (Omitto illud, *de venatione meâ*: nam venatio laxiùs patere ſolet.) Et ſanè vel ipſius Iſaaci ſuffragio, Iacob dicitur *fraudulenter* egiſſe, infrà verſ. 37. Difficilè ergo hoc factum poterit excuſari à mendacio, vt intendit S. Auguſtinus, Gennadius, Theodoretus, & alij. Sed pro nobis 6. Vers. 19. *Mentiri videtur Iacobus.* Auguſt. Gennad. Theodor.

nobis ſtant S. Chryſoſtomus, Abulenſis, Scotus, Lyranus, Adrianus, Caietanus, Lipomanus, Oleaſter, Fonſeca, Rio, Pererius, quos allegat, & ſequitur
Salian. P. Salianus ann. m. 2276. num. 7. & è recentioribus alij. Nec puto neceſſarium Iacobi ſanctiſſimi Patriarchæ facta aut dicta ab omni culpâ leui ſic vindicari, vt videatur inferri vis Scripturæ verbis.
In Iudith. in cap. 10. § 5. Iuditham olim à mendacio vindicauimus, ne egregium Holofernianæ cædis facinus, à Scripturâ & Patribus decantatiſſimum perpetuis ad ſingula verba mendaciis fœdaretur, & frequenti culpâ conſtupratum, veniâ potiùs, quàm laude dignum cenſeretur. Et ſanè faciliùs à culpâ, quàm à mendacio Iacobus poterit vindicari. Non quòd mendacium culpa non ſit: ſed quia in rudi illo æuo, ex ignorantia poterat non cenſeri peccatum, vt in ſeculo litteraliſſimo multi cenſuerunt, quos longâ ſerie alibi
Et in idem c. 10. n. 38. recenſuimus.

7. *Iacobus ab iniuſtitiâ vindicatur.* Obſtrepis, ſi peccatum fuit, graue peccatum erit, nam eo mendacio Iacobus primogenituram magno olim & nunc æſtimandam, fraudulenter fratri ſurripuit. Procul verò à ſanctiſſimo Patriarchâ graue delictum. Procul quidem. Verùm aliud eſt agere de mendacio, aliud de primogenitura mendacij fraude vſurpatâ. Mendacium excuſari vix poteſt, niſi per ignorantiam; ſecus primogenituræ prærogatiua cælitus
Geneſ. 25. v. 23. Iacobo deſtinata, quod eius mater Rebecca ex oraculo didicit. Itaque Iacobus rem ſuam mendacio inuaſit.

8. Sed nuſquàm legitur (ais) Rebeccam oraculum pandiſſe Iacobo; ergo etſi Rebecca poſſet ab iniuſtitia excuſari, Iacobus reuelationem ignorans, defendi non poteſt. At veroſimilius eſt Rebeccam cunctanti & timenti Iacobo rem totam pandiſſe, quo vterque ab iniuſtitiâ vindicatur. Adhuc vrges. Dei oraculum Rebeccæ intimatum, tantùm dixiſſe, *Maior ſeruiet minori.* Hoc autem oraculum non tribuit cælitùs Iacobo primogenituræ auctoritatem, ſed ſolummodo rem futuram prophetat, quæ etiam cum peccato accidere poteſt: Vt putà ſi propheta aliquis prædiceret, regnum aliquod obtinendum à quopiam gregario milite; id proculdubio ſtato tempore eueniet; ſed euenire poteſt, iniuſtâ vi, & ſceleratâ fraude. Verùm neceſſariò exiſtimandum eſt, oraculum Rebeccæ intimatum, non ſolùm euentum prædicere, ſed ius primogenituræ tribuere, quod videntur ſupponere omnes auctores, qui hac de re tractarunt: cùm nemo iniuſtitiæ culpam, aut in Rebeccam mendacij auctricem, aut Iacobum fraudis executorem deriuet. Ergo Iacob rem ſuam mendacio vindicat ſibi, quod leue mendacij delictum eſt, iniuſtitiæ nullum, vt ex Abulenſi notabamus.

Dicat aliquis: myſterium fuit: ergò 9.
non mendacium. Imo & myſterium fuit, & mendacium. Myſterium fuit adſpectu ad Deum, ex parte Iacobi mendacium. Sic Thamaris inceſtus, Samſonis fornicatio, & Dauidis adulterium, myſteria pariter ac peccata fuerunt.

VOX QVIDEM, &c. Potiùs quàm Vers. 22.
auditui, credit tactui, in quo homo reliquis excellit animantibus, teſte Ariſtotele.

BENEDICENS, &c. Certus iam Vers. 23.
apud ſe, animo deſtinat Iacobo Benedicere. Actus deſtinatus & inchoatus ponitur pro perfecto, vt alibi perſæpè in Bibliis. Non enim tunc, ſed paullò pòſt, Benedicitur.

EGO SVM, &c. Hîc etiam veritati Vers. 24.
parcit Iacob.

AFFER MIHI, propiùs inquam, Vers. 25.
vt de venatione tuâ veſcar. Alioqui iam attulerat, & obtulerat.

VT SENSIT. Cùm caput capiti 10.
admouit ad oſculum. AGRI PLENI. Vers. 27.
fragrantibus herbis, ac floribus.

DE RORE CÆLI, ET DE PINGVEDI- Vers. 28.
NE TERRÆ. Quia tempeſtiuus de cælo humor, & terræ bonitas creant vbertatem. FRVMENTI, ET VINI. abundantiam cibi, & potus adprecatur.

SERVIANT TIBI. Superiùs dicta ad Vers. 29.
opes, iſtud ad dignitatem pertinet. Neque in Iacobo impleta, ſed in eius poſteris, nempè Dauide, Salomone, & Hyrcano Machabæo. TRIBVS. Poſteri Iſmaëlis, & Eſaü, quos in tribus diuiſos fuiſſe conſtat. DOMINVS. Nunc iure primogenituræ, & poſtea quia bello capti erunt. QVI MALEDIXERIT, &c. Quaſi dicat; Qui tui ſunt amici, aut inimici, ſuos cenſebit Deus. Hæ Benedictiones partim Benedictiones, partim propheticæ ſunt. Sicut quæ dicentur Benedictione 6. ad cap. 49. Geneſeos.

STVPORE VEHEMENTI. LXX. Vers. 33.
aiunt Iſaac *raptum in ecſtaſim magnam vehementer.* Nempe ſatis eſt veriſimile in eâ ſenſuum abalienatione Deum Iſaaco

Iſaaco reuelaſſe Iacobi fraudem, & vo-
luntatem ſuam, ne Benedictionem re-
ſcindere cogitaret. Quod tradit S. Au-
Auguſt. guſtinus quæſt.80.& lib.16. de Ciuitate
Dei, cap.37. Dvdvm. Priùs, anteà, non
adſpectu ad Iacobi diſceſſum, (vt con-
ſtat ex verſ.30.) ſed ad ingreſſum. Et
erit benedictvs. Scilicet ratam habet
Benedictionem, ſcius prophetica verba
irreuocabilia eſſe.

11. Irrvgiit. Ex furore, & animi impo-
Vers.34. tentiâ ferus Eſaü emiſit quaſi leoninam
vocem, videns ſe fraude poſtponi, &
æmulum fratrem ſibi præferri. Benedic
etiam et mihi. Hebraïcè, *Benedic
mihi; etiam ego pater mi*, (ſubintellige)
filius tuus ſum, & hucvſque charior;
rémque totam perdidi, vt iuſſionem
tuam implerem. Longo vſu compertum
erat in priſco illo æuo paternam Bene-
dictionem, aut maledictionem pluri-
mùm valere. Ita Sem & Iaphet bene-
dicti à Noë: Ephraim & Manaſſe à Ia-
cobo, &c.

Vers.35. Fravdvlenter. Chaldæus, *Sapien-
ter*, quæ vox (ſicut & *aſtutia*) in bonam
& in malam partem in Biblijs ſumitur.
Et quidem iuxta Iſaaci mentem cælitùs
edoctam, in bonam excipitur; in malam
verò iuxta Eſaü ſententiam. Benedi-
ctionem tvam. Naturæ iure, & quâ
ego te dignum cenſebam.

12. Ivste vocatvm est nomen
Vers.36. eivs Iacob: svpplantavit enim
me en altera vice. Iacob, idem
eſt, ac *ſupplantator*, עקב *hakab*, quod ſup-
plantare, ſeu plantam tenere ſignificat;
ſic appellatus, quia cùm naſceretur, *plã-
Geneſ. tam fratris tenebat manu*, Geneſ.25.v.25.
Scilicet Iacob primò (iuxta nomen ſuũ)
ſupplantauit fratrem Eſaü, aſtutè emens
primogenituram, ſuprà verſ.33. Secun-
dò eundem ſupplantauit nunc, Bene-
dictionem fratri debitam iure naturæ,
aſtu ſurripiens.

Vers.37. Omnes fratres. Id eſt, cogna-
tos omnes, vulgari Hebræorum phraſi.
Vltra qvid faciam? Non enim
ſuppetebat altera Benedictio, quæ pri-
mogenituræ æquipolleret.

Vers.39. Motvs. Hanc vocem addidit de
commentatione Vulgatus, vt locum
clararet. In pingvedine terræ, &c.
Terræ bonitas, & creber de cælo humor
fertilem reddet regionem, in qua habi-
tabis. Nimirum bonorum temporalium
copiam pollicetur.

13. Erit benedictio tva. Vnde cum
Celada *de Benedict. Patriarch.*
Paulus ad Hebræos 11.v.17. negat Eſaü Vers.40.
benedictum fuiſſe, indubiè loquitur de Ad Hebr.
primariâ Benedictione primogenito da-
ri ſolitâ. Vives in gladio. Hoc eſt,
tua poſteritas pingue occupabit ſolum
vi & armis. Quàm fuerit bellatrix Idu-
mæa tradit Ioſephus lib. 4. de Bello Iu- Ioſeph.
daïco. Fratri tvo servies. ſub Da-
uide, & Salomone. Solvas ivgvm.
tempore Ioram, 4. Regum 8. excuſſe- 4.Regum.
runt iugum Idumæi totos octingentos
annos, vſque ad Hyrcanum, qui eos ite-
rùm ſubiugauit. Ioſephus lib.13. Anti- Ioſeph.
quit. cap.17.

Semper. Exinceps doloris memo- Vers.41.
ria, odij fomitem perpetuò ſuggerebat.
In corde tvo. Tacitus apud ſe
decreuit. Cogitationes tamen Eſaü vel
cognouit Deo reuelante Rebecca, vt
docet Acatius in Catenâ: vel potiùs, Acatius.
quia ſecretas animi machinationes in
vxorium ſinum effudit; & inde id matri
innotuit. Lvctvs patris mei. Hunc
contriſtare renuit: de matre nihil curat,
quam expertus fuerat, minùs ſui, quàm
æmuli fratris amantem.

Minatvr. Hebraïcè, *conſolatur ſe*, 14.
Chaldaicè, *inſidiatur*. Eodem ſenſu. Vers.42.

Dies pavcos. Hiſpanè, *vnos pocos* Vers.44.
dias. Hebraïcè, *dies vnos*. Vnum accipi-
tur pro modico, quia *vnum* in numero
minimum eſt.

Postea mittam. Sed miſiſſe Vers.45.
non legitur. Fortaſſis quia ferocientis
Eſaü iracundia non deferbuit diutur-
nioris remedio temporis. Vtroqve
orbabor. Nam ſi non abis, aut mutuis
concidetis vulneribus; vel vno cæſo, al-
ter profugus erit, aut aſpectum occiſoris
ipſa non feram: & ita vtroque filio ſi-
mul orbabor.

Tædet me. Prudens matrona Vers.46.
aliam ablegandi filij cauſam reddit, ſed
veram; ne maritum contriſtet, & irri-
tet magis efferum & exaſperatum Eſaü
animum. De stirpe hvivs terræ.
Chananæas, aut Hethæas excludit puel-
las, quales Eſaü accepit, & quæ tam mo-
leſtæ erant vtrique. Nolo vivere.
Mallem mori, quàm vt Iacob aliquam
ex Hethæis accipiat vxorem. His ver-
bis ſagaciter Iſaacum allicit, vt in Me-
ſopotamiam mittat Iacobum.

V COM

COMMENTARIVS MORALIS.

§. CLXXXIV.

Bene omnia fecit, qui bene aliquid facit?

1. EX vitio alterius ſapiens emendat ſuum: bonum autem eſt, fugienda aſpicere in alieno malo. Sed ſatiùs eſt, malum eſſe, ſi fieri poteſt, non cenſere. Ad pœnitentiam properat, citò qui iudicat. Ad meliorem partem ſtrenua ſuſpicio eſt. Charitas non videt malum, ſed quod videt bonum, in idipſum exaggeratim incrementat. *Tibi verò in remunerationem boni,* (ait S. Paulinus ſuo Sulpicio) *accepto ferenda eſt, ipſa opinionis tuæ iuſtitia, quia ſancto errore, ſed vero pietatis affectu, bonum dominum honoraueris in malo ſeruo.* Quaſi bene opinari de aliorum operibus, etſi *ſancto errore,* ſed noſtræ opinationis & cenſuræ iuſtitia. Piè cæca ſunt charitatis iudicia. Et vt lippientibus ſingularis lucerna, multiplex eſt: ita amantibus ſingularis bonitas multiplex apparet, *ſancto errore,* & bonæ opinionis iuſtitiâ.

Sancto errore nil ſiniſtrè cēſendum eſt.

Paulin. ep. 1.

2. Marci 7. Chriſtus Deus Tyri & Sidonis fines benefaciendo peragrat. Et adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turbâ ſeorsùm, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expuens tetigit linguam eius. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant: & eò ampliùs admirabantur, dicentes: *Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Timeo ne in hoc decantatiſſimo elogio, *ſancto errore* nimiùm exceſſerint laudatores. Vnus duntaxat homo, ſurdus ſimul & mutus ad Chriſtum adductus eſt; illum ab aurium & linguæ vitio tantùm curauit; & laudatoriè confeſtim exclamant: *Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui?* Niſi fortè languidus ille, vnus plures erat. Quin etiam attentiori expenſione digniſſimum eſt, quòd cùm vni tantùm homini aures & linguam reſtituerit, ſtatim affirmarint: *Bene omnia fecit.* Cùm duplicem morbum curat, duplexque duntaxat ſtrenuum opus vident Tyrij & Sidonij, *Omnia* retrò opera benefeciſſe dicunt? Vidit hanc difficultatem Anſelmus Laudunenſis, & ſic reſpondet: *Bene omnia fecit, hoc ſcilicet.* Quia hoc opus bene fecit, reliqua olim opera, bene & perfectè facta eſſe, piâ ſuſpicionis audaciâ, inſcij ipſi præſumunt? Scilicet hoc opus bene factum oculis vident, & alienigenæ homines Chriſtum eouſque ignorantes, religioſâ coniecturâ exclamant: *Bene omnia fecit,* ex præſentibus bene geſtis, retroacta omnia probè cenſentes. Quaſi parùm foret, vno duntaxat ſurdo & muto ſanato, dixiſſe: *Surdos fecit audire, & mutos loqui:* adhuc rem adaugent in bonum, & retroacta opera omnia pariter dilaudant, pulchro encomio: *Bene omnia fecit.* O moraliſſimum documentum, quo & frenatur licentia ſiniſtrè cenſendi, & vagæ iudiciorum ſuſpiciones ad malum ſiſtuntur, ad bonum licentiùs laxantur. *De vna accion buena que ven, barruntan las demas de quo no tienen noticia.*

Marc. 7. 37.

Bene omnia fecit, qui bene aliquid facit?

Anſelm. ibi.

Marci 14. Petrus piam præ ceteris Dominicæ confeſſionis velut pertinaciam ſpondens, inconſtantiæ factus ſimulacrum, trinâ Magiſtri negatione infidus culpatur. *Et ſtatim gallus iterum cantauit. Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus: Priuſquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.* Vidit ſanctus Leo Petrum iterùm & tertiò negantem; ſed videt etiam plorantem: imò videns plorantem, quaſi non videt nuper delinquentem. *Felices ſanctæ, Apoſtole, lacrymæ tuæ,* inquit, *quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuêre baptiſmatis. Adfuit enim dextera Domini Ieſu Chriſti, quæ labentem te, priuſquàm deijcereris, exciperet, & firmitatem ſtandi in ipſo cadendi periculo recepiſti.* Annon Petrus illâ ipſâ nocte, vel femineis interrogatiunculis proſtratus eſt? quo modo ergo, *antequam deijceretur, exceptus Domini dexterâ* dicitur, & firmitatem ſtandi in ipſo periculo recepiſſe? Ter cecidit Petrus, iterùm & tertiò Chriſtum infidè negauit, ne propheta mendax Chriſtus inueniatur, & vt perpetuò ſtaret humanæ imbecillitatis documentum, quod & ipſæ Petri lacrymæ palam teſtantur. Quid plorat Petrus, ſi Petrus negando non deliquit? Petri lacrymæ delictum non defendunt, ſed produnt: imò dum produnt, defendunt. O felices lacrymæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuêre baptiſmatis. Ita retroactum diſparet peccatum, vbi in oculis apparent lacrymæ, vt oculatiſſimus Leo peccatum non videat, vbi lacrymas videt. Vnde coactus fuit aſſerere: *Adfuit dextera Domini Ieſu Chriſti, quæ labentem te, priuſquàm deijcereris, exciperet.* Non videt olim deiectum, quem nunc videt erectum? Qui præſentes lacrymas trinæ negationis accuſatrices cernit, quas accuſant negationes non cernit? Priſtinum euanuit delictum, vbi præſens pietas eluceſcit? *Vè las lagrymas que lloran el delicto, y no el delicto que lloran las lagrymas?* Quid illuſtrius? Sit hæc eruditio, ſiſtendorum iudiciorum idea; & exaggeratius pœnitentiæ 3.

Marc. 14. 72.

Chriſti dextra Petrum antequā deijceretur, excepit?

Leo ſerm. 9. de Paſſione.

In vero pœnitente non apparet delictum, quod deflet.

& lacry

Hic verſ. 1. & lacrymarum encomium. O quàm oculatiſſimè hîc caliget Iſaacus; abſentia clatè cernens, præſentia non videns!

§. CLXXXV.

Ignorantia in Rectore, grande ſcelus eſt, & regiminis euerſio.

1. NOLO Principem ſeſe totum ſcientiis impendentem; ſed qui prudentiæ ſtudeat, quæ ignorantiam procul arceat. Rector populorum perſpicaciá polleat, atque hinc inde comparatâ multarum rerum notitiâ, & velut in ſpeculâ poſitus, multa videat, multa ſpeculetur, multa dubitet; ne quid deſidiæ torpore aut videntem lateat; aut ſpeculantem effugiat. Noſcat multa, vt erret in paucis: nam inſcitia confinis errori eſt, & multa rerum agendarum notitia, peritiæ adulator. De cæli politiâ, ſic Ægyptius rex ad Ioſephum loquitur: *Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Quaſi vel arcana rerum notio, ſit principandi meritum, & neceſſarium Principis elogium.

Sapientia Ioſephi, meritū fuit ad principatum.

Geneſ. 41. v. 39. & 40.

2. Geneſis 26. famis malo compulſus eſt Iſaacus peregrinari in Gerarâ, Palæſtinorum metropoli. Sed timens ſalaces Gerataranum mores, non vxorem, ſed ſororem appellat Rebeccam, vt nuptiarum diſſimulatione declinet periculum. Cúmque pertranſiſſent dies plurimi, & ibidem moraretur, perſpiciens Abimelech rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebeccâ vxore ſuâ. Et accerſito eo, ait: Perſpicuum eſt, quòd vxor tua ſit: cur mentitus, eam ſororem tuam eſſe? *Quare impoſuiſti nobis? potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tuâ: & induxeras ſuper nos grande peccatum.* Quodnam eſt hoc grande peccatum, quod vel Rex barbarus ſic anxiè timet? Lxx. Interpretes pro *grande peccatum*, conſultiſſimè, *Ignorantiam*, tranſtulerunt. Quaſi in Principe idem ſit *grande peccatum*, ac *ignorantia*. Nempe luxuria, quæ ex Iſaaci diſſimulatione timeri poterat, non eſt aliquod è maximis criminibus, quod ſecularis politia euitare ſatagit, præſertim apud barbaros idololatras abdomini & delicijs deditos. At libido, (permiſſum fortè delictum in republicâ idololatrâ) quæ ex Patriarchæ diſſimulatione, & Regis ignorantiâ ortum haberet, *grande peccatum* dicitur, quia Regis *ignorantia* eſt. O moraliſſima ſynonyma, *grande peccatum*, & *ignorantia Principis*! Sic graue ac flagitioſum eſt in Principe aliqua rei faciendæ aut vitandæ ignorantia? Sic Rex barbaricus & idololatra, qui nefaria alioqui ſcelera negligit, ob ignorantiæ notam angitur? Scilicet *grande peccatum*, & ſcelus enorme eſt, Principis *ignorantia* in re politiæ aut permittenda, aut vetanda. O diſcant politiores Principes, è ſcholâ huius barbari Regis, ne deſidia adulctur ignorantiæ, & ignorantia conſtupret politiam!

Geneſ. 26. 10.

Grande peccatum, etiam apud barbaros eſt, ignorantia in Principe.

3. Exodi 1. Ioſepho mortuo, & vniuerſis fratribus eius, omníque cognatione illâ, filij Iſraël creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt: ac roborati nimis impleuerunt terram. *Surrexit interea rex nouus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph.* Ecce tibi Ægypti euertendæ omen: nam Rectoris ignorantia, regiminis euerſio eſt. Moraliſſimè Lipomanus ſuper his verbis ita ſcribit: *Qui ignorabat Ioſeph. Notatur Regis ſtultitia, imprudentiáque earum rerum, quas Reges ſcire debent. Non ſolùm futura, ſed & præterita non ignorare oportet mundi Rectores.* Rerum notitiæ ſunt Gubernatorum ingenia. Supponit præſentia probè cognoſcere, qui futura & præterita non ignorare debet. Imò vt præſentia peritè gubernet, noſcat *futura*, non ignoret *præterita*. Ignoraſſe præterita regis Pharaonis elogium eſt. Inſcitia, aut ignorantia in Rege, Pharaonem aut inuenit, aut facit: & culpas regiminis dum ignoratione excuſat, plus ad culpam exaggerat. In Principe enim ſynonyma ſunt, *grande peccatum*, (quod Rex barbarus horret,) ac *ignorantia* in re politicâ. *Gran delicto es en vn Principe, no ſaber lo que debe no ignorar.* Præteritorum ignoratio in rege Ægypti, Dei populi opprimendi occaſio fuit; tot acerbiſſimas plagas ſuo regno accerſiuit; prænaturam intulit necem propriæ purpuræ ſucceſſori, & in ſæuientibus maris rubri vndis ſibi ſepulchrum effodit. Vide ſtrages, quas vnius Principis ignorantia edidit. O time grande ignorantiæ peccatum, quiſquis ad reipublicæ clauum ſedes! Vel leuiter ignoraſſe, grauiter deliquiſſe eſt. Reipublicæ Argus, malè cæcus eſt, non bene luſcus eſt. Exploret præſentia, retroſpiciat præterita, futura proſpiciat, & Principis munus de perſpicaciâ impleuit. Parùm fuit Iſaaco, Abrahamidum Principi, oculatiſſimum ad futura fuiſſe, dum hîc ad præſentia caligat.

Exod. 1. 8.

Lipom. in Catena.

Notitiæ Rectorum, ſunt regiminis ingenia.

Hic v. 1.

§. CLXXXVI.

Optimus Gubernator, ad rem præſentem cæcè caligans, futuris oculatiſſimè prouidet.

1. IGNORANTIA Rectoris regiminis euerſio eſt, politiæ ruina, & certum reipublicæ naufragium. Parùm eſt explorata habere præſentia, & quæ propè illum ſunt; futura etiam, & temporis longinquitate inuiſa, Gubernatoris oculata peritia coram præſentet. Videt quiſque quovſque habet oculos. Prouidentia (id eſt, procul videntia) præſagâ mente futura ſagaciſſimè explorat; ne ſi ex præſentibus duntaxat cenſo-

ram vibret, inciuili lenocinetur errori. Vides bonum alioqui ſubditum, labantem, cadentem, iacentem: Porrige manum, & proſtratum erige; meliora tibi ſponde de tibi exploratâ indole, & de caſu reſurget inconcuſſe ſtabilis. Futura ſtatio præpropere inoculet prouidentiam, vt nunc cadentem non videas, vt præſentem caſum prouidè ignores; atque erectum exinceps velut prophetiæ oculis cernens, Gubernatoris nomen, & rem prouidæ gubernationis, ex futurorum notitiâ cumulatiùs adimpleas. O quoties præſens lapſus eſt non relabendi prophetia! O quoties intuitio præſentium, & futurorum ignoratio, politiam euertit! Præſtaret ſæpè ad præſentia, & quæ foris parent, cæcum eſſe Rectorem; & ad futura, quæ bona ſubditi indoles feliciter auguratur, perſpicaciſſimè oculatum; vt prouidentia re peragat, quod nomine ſpondet.

2. Hîc verſ. 1. Iſaacus Hebrææ, & Idumææ gentis inauguratus princeps, priſco Patriarcharum, & Principum familiæ more, natu maximum accerſit filium, quò cum & benedictione augeat, & futurorum prædictione erudiat. *Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitque Eſau filium ſuum maiorem, & dixit ei*, &c. Quid eſt, quòd caligat Iſaacus, dum præſenti filio principaliter benedicit, & futuram rem ſublimioris prouidentiæ maturiùs pertractat? Cur ſune Iſaaci oculi tunc caligant? Argutè S. Gregorius re & nomine magnus, expendens illa verba, *Et caligauerunt oculi eius*, ita ſcribit: *Iſaac minori filio tanquam maiori benedictionem dedit: quæque eſſent longè futura nunciauit: ſed quis eſſet, qui coram ſe aſſiſteret, ſcire non potuit.* Iſaacus dum principem familiæ potiſſimè agit, ad præſentia cæcutit, qui ſic eſt oculatus & perſpicax ad futura? O arcanam cælitùs prouidentiam! Quos præſentes habet, perſpicaciter cæcus non agnoſcit, & futura ſic caligans longiſſimè præuidet, & conſultiori prouidentiâ diſponit? Dum caligat ad ea quæ foris parent, ad procùl poſita oculatiſſimus eſt? Rei præſentiſſimæ error, ſcientiæ futurorum blanditur? O cæcè oculata prouidentiæ iudicia! O quoties præſentium conſultiſſima inſcitia, aut ſapientiſſima ignoratio, quæ futuris prouidentiùs conſulit, regiminis peritia eſt! *Tal vez, diſſimular lo preſente, preuiniendo à lo futuro, es el mayor acierto del gobierno.* Caligat ad præſentia Iſaacus, perſpicaciſſimus ad futura.

Hîc verſ. 1. Rei præſentis error, ſæpè blanditur futurorum peritia.

Gregor. homil. 1. in Ezech.

3. Exod. 7. Pharaonis in dimittendo Dei populo pertinacia, ſignis & prodigiis edomanda erat. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter. *Proiecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones: ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Virgane Aaronis deuorauit virgas Magorum, an Aaronis ſerpens Magorum dracones deuorauit? Cuius non peregrinantur aures, dum audit virgam deuorantem? Porrò *deuorare* viuidum quid ſonat, quod in emortuam virgam minimè quadrat. Quare quod proprium viui ſerpentis eſt, emortuæ virgæ impropriùs accommodatur? Vidit hunc nodum Sanctus Auguſtinus, & ſic illum intentat extricare. *Si dictum eſſet*, inquit, *abſorbuit draco Aaron virgas illorum, intelligeretur verus draco Aaron, phantaſtica illa figmenta non abſorbuiſſe, ſed virgas. Hoc enim potuit abſorbere quod erant, non quod eſſe videbantur, & non erant. Sed quoniam dixit, Abſorbuit virga Aaron virgas eorum, draco vtique potuit virgas abſorbere, non virga.* (Aduerte ad ea quæ ſubiicit Auguſtinus, vt quæſtionem opportunè diſſoluat.) *Sed eo nomine appellatur res, vnde verſa eſt, non in quo verſa eſt, quia in id etiam reuerſa eſt: ideò hoc vocari debebat, quod principaliter erat.* O bonam Gubernatoribus eruditionem, de Moyſis & Aaronis eruditâ ſcholâ tempeſtiuè ediſcendam! Draconem ferociter deuorantem videt, de dracone deuorante ſermo eſt; & tamen eundem, non draconem, quod erat; ſed virgam, quod futurus erat, moraliſſime nominat. Draco re verâ erat, ſæuus nimis, venenatus, horrendus, & qui metum & horrorem videntibus incuteret; ſed quia poſtmodum reuerteretur in virgam, cuius formam diu ſeruabit, non draco, ſed virga nuncupatur. Barbarè videtur dictum, *virgam deuorare*; ſed fortè in re politicâ barbaricum magis Gubernatori foret, rem cenſere de præſenti rei ſtatu, non de exinceps futuro. Ex futuris præmaturè ſagaci cenſu ſubditus æſtimetur, non ex præſenti ad perbreue tempus ſtatu, paſſione, lapſu. Præluſtre Aaronianæ virgæ nomen draconi minimè donetur; quia, etſi ſæuus draco nunc eſt, poſtmodum miraculoſa virga erit. Gubernatoris ſagaciſſima prouidentia, ad rem præſentem perſpicaciſſimè caligat, dum procul futura, propiùs, quàm præſentia præuidet, præſagâ futurorum mente. Peritior Rectorum prouidentia, de futurorum perſpicaciâ, prophetiæ oculos conſultiſſimè æmulatur. Moyſes verum draconem appellat *virgam*: & Iſaacus ad præſentia, & coram poſita arcanè *caligat*, & futura oculatiſſimè præuidet.

Exod. 7. 12. Sæuus draco, futurus virga præluſtris, non draco, ſed virga nominatur.

Auguſtin. in qq. in Exod.

---

§. CLXXXVII.

Excelſum opus prouidentiæ diuinæ, per errorem humanum fieri debebat.

QVAM anguſta Prouidentia eſt, quæ niſi humanitùs idonea non aſſumit media! Quantò latiùs officiorum patet Dei prouidentia, quàm noſtræ rationis regula? De diuinitatis enim ſuæ ſpecula omnia contemplans, eadem eſt ſemper, & in omni actu par ſibi, non tantùm omniſcientiæ conſilio ſingula ad deſtinatum finem diſponens; ſed etiam per obſtantia, & oppoſita media, intentum finem efficaciter aſſequens, felici euentu. It Dei virtus per ardua, quaſi per errorem? 1.

Per ardua it Dei virtus, quaſi per errorem!

Hîc verſ. 1. Iſaacus oraculi ignarus, benedicere

dicere feſtinat primogenito Eſaü ; & primogenituræ permotus iure , & venationis ſuæ obſequiis delinitus. Diuinior prouidentia Iacobum mauult, quem Hebræi populi caput, ſuæ gentis principem, Chriſti Dei progenitorem, & tot

Opus prouidentia diuinæ per errorem humanũ fieri debebat.

Regum, Patriarcharum, Ducum, clarum ſtipitem potiùs elegerat. Stant pro Eſaü primogenij iura, quæ Iacobum natu minorem palàm repudiant : ſtat patris amor, eſculentis etiam venationis & aucupij deliciis ſubornatus. Repugnat charior matris beneuolentia. Sed matrem refutat benedictio, quod patris negotium eſt. Quid narrando immorer myſticum Iacobi dolum, quo benedictionem ingenioſo aſtu Eſaü maiori ſuffuratur, & victricem Dei prouidentiam publicat? Paucula è textu ſacro expendam verba, quæ rem totam compendio deſcribant.

Hic v. 1. Lipom. ibid. in Catena.

Senuit autem, inquit, *Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat : vocauitque Eſau filium ſuum maiorem, & dixit ei*, &c. Quibus verbis hæc arguto gloſſemate ſubnicit Lipomanus : *Opus*, ait, *prouidentia diuina iuniorem filium præferendo maiori in benedictione, per errorem humanum fieri debebat.* Opus ſublimioris prouidentiæ diuinæ per errorem humanum fieri debet ? Auguſtior apparet prouidentia diuina, quam humanus commendat error ? *Los yerros humanos acreditan mas el acierto de la prouidencia diuina.* Idoneis ad finem mediis illum conſequi, imbecillitas ēualet humana. At quis errando ſcopum collimet ? quis erroribus vagè palabundus, quaſi compendio iter peragat ? Humano autem errore finem exequi, diuinæ prouidentiæ elogium eſt, & notus eiuſdem character : *Opus* enim *prouidentia diuina per errorem humanum fieri debebat.*

3. 1. Regum. 10. Hebræa gens precibus ſiue querelis Regem à Deo extorquet. Saül Beniaminita diuinæ prouidentiæ nutu deſtinatur ad regnum. Perierant tunc aſinæ Cis patris Saül : & dixit Cis ad filium ſuum : Tolle tecum vnum de pueris, & conſurgens vade, & quære aſinas. Peragrat Saül arduos Ephraimi

Proſpero Saülis errore, Deus aſſequitur, quod intendit.

montes, depreſſas camporum perambulat valles, circuit reductos colles : diu errat errantia peruestigans pecora, nec vllibi inueniens. Inuenit autem Samuelem, qui illum Regẽ inauguret.

1 Reg. 10. 1.

Tulit autem Samuel lenticulam olei ; & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum, & ait : Ecce vnxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in principem. Nimirum Saül deuius, cæciſque erroribus aſinas quærens, deſtinatum ſibi regnum inſcius inuenit. Caligat diu errando quærens pecora, & in propheticâ luce latens ſceptrum peruidet. Eleganter aliorsùm

Tertull. lib. de anim. c. 1.

Tertullianus : *Nonnunquam & in tenebris aditus quidam, & exitus deprehenditur (proſpero errore) cæca felicitate.* Scilicet exitus Saülici erroris fuit regni aditus; *cæca felicitate*, purpuræ ſplendorem ; & *proſpero errore*, ſceptri faſtigium inuenit. Neſcius Saül diu errando diuinam adimplet prouidentiam : *opus* enim *prouidentia diuina per errorem humanum fieri debebat.*

4.

Phariſæorum fictio, veri Dei arcanæ prouidentiæ deſeruit.

I annis 11. conſilioſus Phariſæorum Senatus, bono (ſi Deo placet) religionis zelo, re verâ inuidiæ œſtro exagitatus, Deo necem inferre ſolliciter procurat. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant:

Ioan. 11. v. 48. 49. & 50

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit ? *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum : & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis : Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & tota gens non pereat.* Quid tam Deo dignum, & tam hominibus ſalutare, quàm humani generis redemptio ? à Deo tot retrò ſeculis erat prædeſtinata, à Prophetis tot perdiu oraculis denunciata, à Patriarchis multiplici olim vmbrâ myſticè figurata. Id à primæui delicti ruinâ, omnes gentes, & vniuerſa ſecula ardenter expetebant, vt Chriſti Dei triumphali morte, Tartarorum potentia vinceretur. Sed vide, quo medio ſeu miniſter alt officio, mors Chriſti arcanâ prouidentiâ peragitur. Quid facimus, aiunt, quia hic homo multa ſigna facit ? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. *Sed fictio erat, quæ dicebantur*, vt ibi adnotat Chryſoſtomus. Qui pergit expendens Caïphæ

S. Chryſoſt. homil. 56. & 57. in Ioan.

verba : *Vos autem neſcitis quicquam, nec cogitatis*, &c. *Vide autem*, inquit, *quanta Spiritus ſancti virtus eſt ; à mente enim malâ valuit verba proferre prophetiæ.... Pontifex enim factus, etſi indignus exiſtens, tamen prophetauit neſciens quid diceret.* O ſublimiſſimè abſconſa diuinæ prouidentiæ ſacramenta ! *Fictio erat, quæ dicebantur ? Mente malâ Pontifex prophetat, neſciens quid diceret ?* Inuidiosâ Pontificum fictione, malitioſo ſententiæ errore, prophetico inuidiæ ſuffragio, negotium humanæ redemptionis, & res diuinioris prouidentiæ peragitur ? Phariſæorum *fictio*, præſtitutam veri Dei necem machinatur ? Neſcientia Senatorum, mundi redemptionem decernit ? Error hominum, diuinæ prouidentiæ militat totus ? Aditus gloriæ diuinæ, & redemptionis humanæ exitus, cæcâ felicitate, & proſpero errore deprehenditur ? O quanta eſt Dei virtus, quæ feliciter it per obſtantia, & errores hominum certiori prouidentiæ auxiliares adſciſcit : *Opus* enim *prouidentia diuina, per errorem humanum fieri debebat.* Quid luculentius ?

---

§. CLXXXVIII.

Qui noctu accenſam lucernam videre non poteſt, interdiu videt extinctam.

QVEMADMODVM *flamma non poteſt opprimi, nam circa id diffugit, quò vrgetur : ſic vera mundi lux*, (Eccleſiæ, inquam, ſapientes) quæ ex tenuiſſimo & ſubtili conſtat, deprehendi non poteſt, etiam lynceis humanæ beneuolentiæ oculis. 1. Senec. ep. 58.

Indoctus ne cenſeat de Sapientium doctrinâ.

Videt homo quovſque habet oculos, id eſt, extrorsùm prodeuntia, non intrinſecùs latentia, quæ cæleſti dumtaxat perſpicaciæ nuda apparent. Quid idiota de ſapiente iudicat ? quid ruſticanus de perito ? quid indoctus

de litterato? quid obſcura nox de diei ſplendore? Secularis ambitionis mundana & maligna lux, cæleſtis ſapientiæ æquus arbiter non eſt. De cælo oculari debet, qui de cæleſti doctrinâ, & cæleſtis doctrinæ alumnis cenſuram vibrat.

2. Adhuc enucleandus eſt locus ille in primis difficilis ex lib. 1. Regum cap. 3. *Factum eſt ergo in die quadam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Ita olim hunc locum exſcripſerunt, & commentariis illuſtrarunt Eucherius, Rabanus, Dionyſius Richel. & alij, (vt aliàs notabamus.) Et quidem admirabilitatem excitant Heli oculi planè monſtroſi. Lucernam videt extinctam, qui fulgentem videre non poteſt? ô non bonum aſpectum, cæcum ad lucem accenſam, & ad lucem extinctam nimis perſpicacem! Angelomus ſubtilis quondam ſcriptor, ita perobſcurum hunc locum illuſtrat. *Præ nimia*, inquit, *ſenectute oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, cùm arderet in tabernaculo, antequam lux diurna fieret, quando eadem extinguenda erat lucerna.* Belliſſimè quidem. Heli, qui nocturnam tabernaculi lucernam, nequit accenſam videre, videt extinctam; ſed *antequam lux diurna fiat*, & de cælo ſiderea lux affulgeat, lucernam extinctam cernere non valet. Satis non eſt ad videndam extinctam tabernaculi lucem, id eſt, Doctorem, aut Præſulem ſemiextinctum; malignæ naturæ tenebroſus igniculus, de inſcitiâ infuſcatus, de inuidiâ fuliginoſus, de maledicentiâ fumoſus, de æmulatione inuidioſus; diurnâ cæli luce opus eſt, vt Heli extinctam tabernaculi lucernam videat. Et qui accenſam lucernam non eualuit videre, extinctam videt; non aliquâ luce nocturnâ, ſed cæli micante luce, quæ ad videndum interextinctam lucem humanos claratet oculos. Non eſt cuiuſuis de Dei ſapientiâ, & eiuſdem ſapientiæ alumnis torquere cenſuram. Vel Iſaacus hic *caligat* ad videndum Iacobum, cæleſtis doctrinæ antiſtitem, quovſque poſteà de cælo oculi eius clarati ſunt. De quo in litteræ commentario.

1 Reg. 3. v. 1. & 2.

Ad videndũ lucernã extinctam, cæli luce opus eſt.

Eucherius. Rabanus Dionyſ. ibi.

Angel. ib. 1.

Exod. 27. v. ult.

Hic v. 1.

3. Geneſeos 1. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Num tantùm extima abyſſi, id eſt aquarum, ſuperficies erat tenebroſa, an etiam profunditas? Erat, erat quidem profundum aquarum pariter tenebroſum. Eccur ergo Moyſes aquarum ſuperficiem prodit tenebroſam, & tenebras præterit in fundo latentes? Opportunè ex Eucherio aduertit Lauretus Ceruarienſis, aquarum nomine *Doctores* intelligi. Hinc perſpicua ſit moralis loci intelligentia. Nempe quando Moyſes nil dixit de obſcuritate aquarum in profundo, ſeu de ſqualenti doctrinæ obſcuritate; needum de cælo lux materiata affulſerat, nondum præclara Dei vox eruperat: *Fiat lux.* Nimirum Moyſes quovſque lux de cælo fulgeat, iudicare tantum dicitur de extimâ Doctorum ſuperficie; & altè tacet de ſordidâ doctrinæ profunditate, humano lumine inacceſſâ. Caligat ad penitiora Doctorum, & doctrinæ, nec audet eius caliginem prodere, donec lux ſplendeat de cælo? Quia nondum cæleſtis fulgebat lux, duntaxat cenſere dicitur de ſuperficie aquarum, ſeu Doctorum: profunditatem autem æquè caliginoſam nullâ denotat cenſurâ, quoniam needum Deus cælorum lucem accenderat? Sic Heli *non poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur*, id eſt, *antequam lux diurna fiat*? De cælo expectatur lux, vt extincta lucerna humanis oculis diſcerni poſſit. O diſcant ab Heli, diſcant à Moyſe, ſapientiæ & ſapientium vituperones, quovſque homo poſſit de doctrinâ videre! Doctorum cenſus, non à lippis inuidiæ oculis, ſed à cæleſti luce eſt, ne ſapientiæ ſacrarium ſecularibus oculis profanetur.

Gen. 1. 2.

Moyſes non dixit aquam in fundo eſſe tenebroſam, ne D. Hæres dehoneſtaret.

Lauretus verbo Aqua.

Gen. 1. 3.

1. Corinth. 4. ſic ſcribit Paulus ad Corinthios, apud quos nonnulli arroganti garrulitate ſeuerius cenſebant de Doctorum ſapientiâ aut facundia, *Sic, ait, nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Diſpenſatores nominans *Doctores*, vt perſpicuum eſt ex contextu, & notant paſſim interpretes. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Id eſt, inquit Theophylactus: *Indignum nimium aut valde ignominioſum iudico, me omnino à vobis iudicari. Aut ab humano die, hoc eſt, ab alio quopiam homine celebri & præclaro. Diem enim hominis Scriptura altitudinem conſueuit nominare.* Vides quàm renuat Apoſtolus, vt vel *humanus dies* iudicet Doctores de doctrinæ vitio, aut præſtantiâ? Quis ergo Doctores iudicabit? Attende ad Pauli verba: *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Ecce Doctorem non eſſe iudicandum *humano die*, id eſt, humana luce, ſed expectandum quouſque Dominus luce cæleſti *illuminet abſcondita tenebrarum.* (Sic Heli accenſam noctu non videt lucernam, ſed mane extinctam videt luce cæleſti.) Sed nota diligenter Paullinæ ſententiæ clauſulam. *Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum*: (hoc eſt, doctrinam, aut Doctores, quos nunc putatis eſſe tenebras) *& tunc laus erit vnicuique à Deo.* Bellè ibi Theophylactus: *Conſequens erat vel pœna, vel laus*, quomodo ergo ſolam laudem appoſuit? Scilicet vos ſcioli vituperones, *humano die* iudicantes, Doctorum ſapientiam, eam errorum tenebras cenſetis; cùm verò *Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum*, non pœna, ſed *laus erit vnicuique à Deo.* Illæ, illæ ipſæ, quæ *humano die* iudicabantur tenebræ, tam longè abſunt ab errorum caligine, vt cùm Deus tenebrarum abſconſa luce cæleſti illuminet, præclarioris ſapientiæ mereantur elogium. Enimuerò *conſequens erat, vt pœna vel laus* conſequeretur cæleſtem tenebrarum illuminationem; & tamen quod tenebrarum iudicio videbatur ſqualere, ab illuminatione cæleſti, meræ laudis dicitur encomium promerere. Vides oculis quam ſit cæcè oculata ſecularis garrulitas ad cenſendum de ſapientiæ luce? 4.

Tenebræ, cæli luce cõſpectæ, lux apparẽt.

1 Cor. 4. v. 5.

Theoph. ibi.

Itaque nec Moyſes de aquarum, id eſt, doctorum profunda caligine iudicat, quia lux è cælo nondum fulſerat: & Paulus, quas putabant Corinthij eſſe ſapientiæ tenebras, ab illuminatione cæleſti laudem cenſet mereri: neque 5.

Delicatior Diaboli cibus ſunt lucis extinctæ.

neque Heli nocturnam videt lucernam extinctam, niſi priùs cæleſti diei luce illuſtratus. Porrò vſque adeò probroſum, ſqualidum, & criminoſum eſt, eum qui erat Eccleſiæ lumen extingui, vt extincta lux eſſe dæmonis pabulum cenſeatur. Vnde illa Geneſeos verba, quibus Deus, primordialis delicti vindex, ſerpentem Diabolum ferit,

Geneſ. 3. 14. *Terram comedes.* ſic vertit & explicat Hieronymus. *Pro terrà* עפר *haphar, ſcriptum eſt, quod nos fauillam poſſumus dicere.*

Hieron. in quæſt. Hebr.
Matth. 5. 14.

Videntur ſapientes, qui erant Eccleſiæ lumina, (*Vos eſtis lux mundi*) & in fauillam & cineres, aut errorum libidine, aut libidinis æſtu, aut ſuperbiæ ambitione ſoluuntur; ne ſint lautiores Diabolorum deliciæ, & delicatior cibus. *Su mas regalado plato ſon luces apagadas.* Dæmoni enim dicitur: *Fauillam comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Definitiuè id dicitur, an prophetice? *Iamas faltara en ſu meſa eſte regalo.* O time.

---

§. CLXXXIX.

Erogari in meritorum ſtipendium, generoſus Amor erubeſcit?

1.

Seneca ex lib. Mim. *In amore ſemper mendax iracundia eſt.* Idem ex eadem.

AMARE *& ſapere vix Deo conceditur*, exaggeratiùs dixit Seneca. Nam tametſi honeſtius ſit, cùm amore dignum iudicaueris, amare; quàm cùm amaueris, dignũ iudicare; tamen non ſemper viuacior hominis amor pædagogiã rationis patitur, ſed cæco affectionis furore fertur: nam *in amore ſemper mendax iracundia eſt:* iracundia autem iraſcendi cauſas ſæpè mentitur ſibi; nec rem explorat ſcrutinio rationis, quam ſi examinaret, minimè forſan excande ceret. Sic humanus amor (affinis iracundiæ affectus) cùm amauerit, iudicat; non cùm indicauerit, amat. Imò amor non valdè apud homines commendatur, qui rationis conſilio fertur, & idoneas expectat amandi cauſas; quaſi de inconſultatione eminentiam mutuetur, de meritoque rei amatæ quodammodò deuenuſtetur, & in mercedem, aut aliud ſimile nomen degeneret ingenuus amor. *Por paga ſe tiene, mas que por fineza de amor, quando ſe eſperan meritos conocidos en el amado.*

2.

Ioan. 10. 18.
Reſurrectio, potius quàm Paſſio, erit paterni amoris incentiuũ

Ioannis 10. ſic de ſe adſpectu ad Patrem Deum, loquitur Chriſtus: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam.* Valdè laborant expoſitores in hac interpretanda, & connectenda ſententiâ. Non enim ait Chriſtus Deus: Ideo me diligit Pater, quia pono animam meam, & in cruce me offero patibulandum pro eius gloriâ, & hominum ſalute; ſed quia ita pono animam meam in morte, vt iterum ſumam eam in reſurrectione, quaſi ita mori, vt confeſtim reſurgat, ponatur hîc quaſi paterni amoris illicium, & placendi gratia. (Quod acutè & pereruditè inibi expendit noſter Cardinalis Toletus.) Non tam quia contumelioſè & acerbè pro Patris gloriâ moritur Chriſtus; ſed quia poſtmodum glorioſè reſurgit, Patris amorem ſauciat? Mitto

Toletus ibi Annotat. 13.

hæc alibi forſan pro dominicæ Reſurrectionis gloria expendenda, vt pulchra exſcribã Theophylacti verba, ad rem præſentem in paucis opportuna: *Vides autem*, inquit, *Deus & pater etiam Filium ſuum eandem erga nos declarantem bonitatem, atque ita voluiſſe pro nobis mori, & diligenter obſeruare characteras voluntatis paternæ. Dilexit merito, non quaſi ſtipendia mortis pro nobis dilectionem dans Filio, ſed ſpectans ina ulteratam ſubſtantiam in Filio, & quodammodo quibuſdam natiuis vinculis neceſſarius.* Nempe Pater Deus ſerò Filium ſuum diligeret, ſi ſuum erga Chriſtum amorem, quaſi ſtipendia mortis impenderet. Generoſus amor iniquus non eſt, ſed neque nimis æquus eſt; ne in retributionem velut degeneret, ab amoris generoſitate deſciſcens. Deſcriptos ſuæ bonitatis characteres, priùs videt Pater Deus in Chriſto, qui paternum alliciant amorem, vt amor, mortis meritum præcurrat, ne prius erogetur in Chriſtum Paternus amor velut meriti ſtipendium, ſed quaſi bonitatis inſigne. *Dilexit autem Pater Filium, non tanquam ſtipendia mortis pro nobis ſuſtinendæ, dilectionem ſuam illi tribuens.* Præclarè quidem Theophylactus generoſi amoris faſtum paucis deſcribit.

Theophyl. inibi.

Paternus amor, non impenditur Filio quaſi mortis ſtipendium!

3.

Sic locus hic ſcribitur in Catena.

4.

Hic v. 3 & 4.

Hîc verſ. 3. ſic ad ſuum Eſau fatur Iſaac: *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foràs: cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum ſicut velle me noſti, & affer vt comedam: & benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Porrò Eſaü vir gnarus venandi, ſenis Patris amorem ferinæ deliciis ſic deuinxerat ſibi, vt nuper dictum ſit: *Iſaac amabat Eſaü, eò quòd de venatione illius veſceretur: & Rebecca diligebat Iacob.* Huius loci commentatores piè curioſâ ſubtilitate cauſſas rimantur, cur nulla apponatur maternæ erga Iacobum dilectionis cauſa verò paterni amoris addatur, eò quòd de venationibus eius veſceretur? Hæcne idonea amoris cauſſa in tanto Patriarchâ, præſertim erga hominem efferum, impium, agreſtem, & barbaricum? Sed vide mihi, an cauſſa amoris amorem neget, quem aſſerere videtur: quod peracutè vidit inibi Rupertus, & his verbis exſcripſit: *Sed notandum quia differt vtriuſque dilectionis enunciatio. Abſolute namque Scriptura dicit: Rebecca diligebat Iacob. Coniunctè verò: Iſaac, inquit, amabat Eſaü: ſubnectit enim cauſſam, Eò quòd de venationibus eius veſceretur.* (nota verba quæ ſubdit) *Ergo idem eſt ac ſi hoc ſolum diceretur, Iſaac de venationibus Eſau libenter veſcebatur: Nec hoc dicto conſequitur, quòd moribus quoque eius delectaretur: ſicut de Iacob neceſſariò conceditur, quem abſolutè Rebecca dilexiſſe dicitur.* Scilicet in Rebeccæ erga ſuum Iacobum amore, generoſi amoris characteres arcanè inſcriptos legit Rupertus, cùm nullam materni amoris cauſam Scriptura apponat, ſed *abſolutè, Rebecca Iacobum dilexiſſe dicatur.* Cùm verò ſcribitur, quòd *Iſaac amabat Eſaü, eò quod de venationibus eius veſceretur, idem eſt ac ſi hoc ſolum diceretur, Iſaac de venationibus Eſaü libenter veſcebatur.* Quid luculentius ad hanc rem? Generoſum negat amorem, qui ingenuum voluntatis affectum facit meritis, ſeu obſequiis ſtipendiarium. Nobilis amor vltrò it, non fertur, non raptatur, non obligatur,

Geneſ. 25. 28.

Iſaac diligit Eſaü, ſe potius quàm filium diligebat.

Rup ibi lib. 7. c. 6.

V 4 obligatio

obligatio vectigalem iuſtitiam ſapit, & remunerationem ſubolet. Ingenuus Amor, mercenarius non eſt, & ſtipendium eſſe, faſtuosè erubeſcit. Amoris generoſitatem negat, qui prius illum obſequiis obligat. Iuſtitia vincitur meritis: Amor generoſus anteuertit meritorum obligationem, & in abſolutâ rei bonitate fluente complacet. *Es muy deſintereſado el mas fino Amor: y ſi mira à reſpectos proprios, vaſtardea de ſu generoſidad.* Se potiùs, quàm Eſaü diligit Iſaac, quando illum diligit, *eò quòd de eius venationibus libenter veſcitur.* Eſto Rebeccæ amor, amoris generoſi typus; ne in proprium amorem, aut iuſtitiæ negotium otiũ generoſi amoris deſciſcat, in ſtipendiorum negotiis occupatus.

---

§. CXC.

Affectus ſic rationem ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum videatur.

1. AFFECTVS tam mali miniſtri, quàm duces & rectores ſunt. Sed nihil in affectu peius eſt, quàm quod auxiliarem ſibi rationem aduocat; ne, quaſi à ratione degenerauerit, & quaſi irrationalis ſuſpectus ſit, & ab æquitatis decoro degener, cenſeatur. Adeovt dum ex libidine iudicat, ſibi videatur indulgere virtuti, tutelâ præſumptæ rationis, quam prius ſubornauit affectus. Ratio id ab omnibus iudicari vult, quod æquũ eſt: affectus id æquum videri vult, quod iudicauit. Ratio nil præter ipſum de quo agitur ſpectat; affectus vanis argutiis, & ratiunculis extra cauſam obuerſantibus permouetur. Ratio non priùs iudicat, quàm rei meritum videat: affectus poſtquam iudicauit, rei merita ſollicitè vndequaque perquirit. Abſit hoc à virtute malum, vt vnquam Ratio ad vitia confugiat. O caue ne te perſtringat & fallat affectus, vt quod ille palam imperat, de non ſatis merente te iudicare, Rationis imperium putes. Porrò lippientibus ſingularis lucerna, multiplex apparet. Heu quoties prudẽtes alioqui viri, incongrua quæque, Rationi putant congruere blandientis affectus lenocinio.

Humanum affectum rationum larvâ homines fallit.

2. Exodi 11. & 12. poſt primogenitorũ Ægypti internecionem, iubet Moyſes Hebrææ genti, iam iam profectionem in Ægypto maturanti, & perpetuum domicilium tranſmigranti in Palæſtinam, vt ab Ægyptiis commodato poſtulent vaſa aurea, argenteam ſupellectilem, pretioſa monilia, veſtes ſericas, bellica arma, & quicquid magni æſtimabant Ægyptij. Petunt Hebræi, & liberaliter eadem largiuntur Ægyptij. O inconſultam liberalitatem, & prodigam beneficentiam! Seruili populo, abſque ſpe reditus proficiſcenti, ſic veſtras opes certatim condonatis? Ecquis non iudicet inconſultum, imò & fatuum fuiſſe hoc Ægyptiorum conſilium? Quid ſic allicere, aut perſtringere eorum animos potuit, vt ſuas opes prodigè Hebræis erogarent? Audi ſacrum hiſtoriographum. *Feceruntque filij Iſrael ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Ægyptijs vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis vt commodarent eis: & ſpoliauerunt Ægyptios.* Valde diſſident interpretes, in explicando hanc *gratiam*, quam Deus Hebræo populo dedit apud Ægyptios. Quæ gratia rem incongruam potuit colorare? Lipomanus omiſſis pluribus, qui rem miraculo adſcribunt, ſic ſuper hâc re ſcribit: *Dedit autem Dominus gratiam populo coram Ægyptijs, vt commodarent eis, &c. hoc eſt, reddidit Ægyptijs populum ſuum gratum.* Lipomani ſententiam explicatiùs tradit Cornelius, aiens: *Dedit autem gratiam, vt Hebræi hæc vaſa & veſtes petentes ab Ægyptijs, ijs placeant, videanturque rem æquam, congruam, quæque eis concedi debeat, petere.* Nempè gratiam, quam acceperunt Hebræi, ea fuit, vt Hebræi grati eſſent Ægyptiis, & beneuolo affectu eos proſequerentur. Vide, obſecro, arcanas affectus præſtigias. Vbi ex beneuolo affectu deliberant Ægyptij, confeſtim rem inſolitam, inuiſam, incommodam ſibi, & ſuo populo abſurdam; iudicant *æquam, congruam, & quæ eis concedi debeat.* Nemo eſt, qui non miretur fatuum Ægyptiorum conſilium, cùm regni pretioſas gazas commodatò prodigunt genti tunc ſordidæ, & palam non cogitanti de reditu; & ipſi beneuolo in eos affectu præſtricti, ſeriò cenſent, *æquum, congruum, & quod eis concedi debeat?* ô fallaces humani affectus præſtigias! Planè humanus affectus cæcè inoculat humana conſilia. Hinc ſapientes affectum, nunquam bonum conſiliarium, conſultiſſimè recuſant. Sed eheu olim & nunc præſcribit affectionis ſuffragium, & tot monſtra, germani naturæ partus reputantur, magno reipublicæ detrimento!

Abſurda, quæ ſuadet humanus affectus, æqua & congrua videntur.

Exod 12. 35 & c. 11. v. 3.

Lipomanus ibi.

Cornel. in Exod c. 11. ad verſ. 3.

Ita inualuit ſerpentis affectus malitia, & aliàs conſultiſſimorum hominum ſuffragia ita ſuo infatuauit contagio, vt Rationem, rationem inquam, de ſe candidam, defæcatam, puram, nitidam, nec humanorum affectuum obſcuritati obnoxiam, quodammodò infuſcarit affectuum nebula. *Reſtet*, ait venuſtè Baſilius Seleucus, *reſtet infrenis, promptaque ad malitiam Ratio.* Ratióne dicatur infrenis? Ratióne ad malitiam prompta? Nonne Ratio eſt ſubſilentium paſſionum frænum, agilis, expedita, & prompta ad omnes ſanctitates? Facilius crediderim, vitia honeſta, quàm eſſe turpem Rationem, quæ eſt virtutis fomes, pietatis igniculus, probitatis ſequeſtra, ſanctitatis idea, & humanarum actionum inter paſſionum ſcopulos gubernaculum. Verumenimuerò humanus affectus irrationalem Rationem fingit, dum ita mentem ſubornat amoris blandimento, vt res diſtorta, fatua, & abſurda, ſic exornetur ad gratiam affectionis fuco, *vt æqua, & congrua* videantur. Scilicet parum foret, ſi affectu inſtigante homo, Rationem auerſatus, ad perſpectam malitiam effrenis irrueret; niſi etiam Rationem offuſcare, & ad vitij patrocinium aduocare præſumeret, & virginem Rationem affectuum luxu conſtuprare. Illud enim infrequens & rarum eſſet malum; 3.

Ratio ipſa ſeducta ab affectu, dicitur ad malitiã prompta.

Baſil. Seleu. Orat. 17.

fecto, la major inuidencia le parecerá puesta en razon.

4. Qui rectè diligit, & non rectè diuidit, peccauit. Hinc tanta proſtant veritatis adulteria, tot electionum monſtra, dum beneuolentiæ præſtigiis, quod reliquis abſonum apparet, *æquum & congruum* electoribus videtur. S. Paulinus illud Geneſis cap. 4. *Nonne ſi bene egeris recipies*, &c. ita ex verſione LXX. interpretum exſcribit & explicat, ſcribens Sulpitio Seuero, qui illum magnificentiùs dictis & factis honorabat, ſe verò abiectiùs demittebat. *Expoſtulandi cauſa eſt, quòd te multa dilectio vſque ad mendacij peccatum trahit.... Arguam te de charitate in charitatem peccare. Si quidem de nobis ita* (honorificentiſſimè inquam) *loqui, iuſtum exiſtimas, vt de te inutile tibi iudicas, iure audias:* (Nota verba, quæ ſubiicit) *Si rectè diligas, non rectè diuidas, peccaſti.* Audiant hanc ſententiam electores, qui affectu blandiente, quod reliquis videtur abſurdum, ipſi *æquum, & iuſtum* cenſent. *Si rectè diligas, non rectè diuidas, peccaſti.* Sic de *charitate in charitatem peccaſſe*, cenſet Paullinus. Heu perſæpè multa dilectio vſque ad iniuſtitiæ peccatum trahit. Viderint electores, qui beneuolentiæ ſuæ adnuentes aduocant conſultores. Electio non eſt res amoris, ſed meriti. Amor cæcus eſt: ad videndum meritum omnes oculati ſunt, niſi quos excæcauit affectus, electionum corruptor.

Gen. 4. 7. Paullin. 5 epiſt. 7.

Hic v. 4. Cerne hîc Iſaacum caligantem, dum affectu duce improbum Eſau præferre Iacobo feſtinat, venationis deliciis priùs delinitus.

---

§. CXCI.

Domeſtica virtus receſſu contenta, pia dignitatum ambitio eſt.

1. CVRIALES candidati idonei magis vulgò reputantur, qui & Principum nanciſcantur fauorem, & ad prælationes eligantur, quaſi officioſa in palatiis præſentia, poſſit obſequiis gratiam promereri, & meritum, ambitionis officioſitate mercari. Verùm in ſapientum cenſu, non homines negotiosè curſitantes in Curiâ, ſed qui ſe à Curiâ abſentant, & eiuſmodi abſentiâ merita illuſtrant, digni inueniuntur, quos ipſi Reges quærant, & vberiùs honoribus cumulent.

2. Geneſeos 26. temporum iniuriâ compulſus eſt Iſaacus, in Gerarâ Palæſtinorum metropoli, & regis Abimelechi Curiâ, commorari, Regis edicto poſtmodum è Curiâ ingloriè Iſaacus egreditur, & diu habitat in Berſabee; vbi totus erat in erruderandis puteis à patre ſuo olim effoſſis. *Ad quem locum cùm veniſſet de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, locutus eſt eis Iſaac: Quid veniſtis ad me hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis*, &c. Miriſſimum planè eſt, regē Abimelechum (quem fuiſſe pium & prudentem plures putant, neque nomen ab illorum opinione diſcordat) Patriarcham Iſaacum inhonorè abegiſſe à Curiâ, in quâ viuebat, velut probitatis & ſapientiæ idea: & paullulùm à receſſu, ipſummet Regem cum regni ſummatibus ad eum veniſſe, vt eius gratiam captaret, & amicitiam iniret. *Vide* (ait mihi opportunè Chryſoſtomus) *Abimelech illum, qui abigere Iſaacum conatus eſt, & dixit, Recede à nobis; nunc ad eum venientem? dicit enim: Ad quem locum cùm veniſſet de Geraris.* Quid eſt, quòd tantâ in æſtimatione & honore abſens habetur, qui dum verſabatur in Curiâ, & hominum frequentiâ, ſic depretiatus eſt? Rex ipſe, & regni ſummates ſtudioſiùs eius amicitiam ambiunt, & dignum iudicant, quem ſic ſubliment in domo ſuâ commorantem, quem in regiâ verſantem Curiâ contempſerunt: Fortè in propriis laboribus dignior erat, ſapientior erat, honoratior erat Iſaacus, quàm cùm in metropoli verſabatur? Curialium inquieta ambitio, ſummatum ſecularis politia, aulicorum ſuperbus faſtus, fortè Iſaaci virtutem & ſapientiam ſuis præſtigiis faſcinauit? Saltem magnus per omnia ſemper vir Iſaacus, qui contemnebatur in Curiâ; in tabernaculi ſui angulo verſans, à Rege, Regis familiari, & regni magnatibus, magni æſtimatur, ſedulò quæritur, & excelsè ſublimatur. *A quien deſeſtimaron en la Corte el Rey y los grandes viſitan y honoram en ſu caſa.*

Gen. 26. 26. Iſaacus, qui depretiatur in Curiâ, domi à Regibus honoratur, & ſublimatur.

S. Chryſ. hîc.

Hîc verſ. 4. Iſaacus ſenio ferè confectus, ſuum accerſit Eſaü, vt illum præluſtri Benedictione augeat; *Vt Benedicat* (inquit) *tibi anima mea antequam moriar.* Id eſt, vt te palàm renunciem Primogenitum, primogeniique iura tibi indulgeam, nempe principatum in totam familiam, duplam è totâ ſubſtantiâ portionem, & auguſtum Sacerdotij ius qui erat patriarchalis Benedictionis cenſus. Audiendus eſt hâc ſuper re Chryſoſtomus, ſic eleganter ſcribens: *Eſaü enim & ob ætatem, & ob primogenituram, & ob patris erga ſe affectionem, primatum ſe habere putans, ſimul deſtitutus omnibus inuentus eſt. Iacob autem, quia domeſtica erat virtute præditus.... etiam inuito patre illius Benedictionem arripuit.* Alludit ad id quod nuper cap. 25. verſ. 27. dictum eſt: *Iacob autem vir ſimplex, habitabat in tabernaculis.* Scilicet non eligitur ad tantæ, tamque illuſtris & opulentæ familiæ præfecturam, Benedictione cenſam, natu maximus, non qui ferinæ poculentis obſequiis electoris patris ſubornauit affectum; non qui externa negotia ſollerter pertractat ſucceſſu felici; non qui iam iam eligendus putabatur; ſed qui *domeſticâ erat virtute præditus*, ait S. Chryſoſtomus. Domeſtica virtus procul ab vrbium tumultu remota, pia dignitatum ambitio eſt, & pulchrum ad ſublimitates meritum. Non tam ſollers Rebeccæ aſtutia, quàm domeſtica Iacobi virtus, illi indebita primogenij iura feliciter negotiatur. Heu hodie non vir ſimplex Iacob habitans in tabernaculis, & domeſticâ virtute præditus; ſed negotioſus Eſaü, munerum præſtigiis, & negotiationis obſequio, arripit dignitates! Domeſticâ virtute præditum Deus eligit, mundus contemnit. Qui à Curialibus putatur inutilis, diuinam electionem domeſticâ virtute promeretur.

3. Hîc verſ. 4.

S. Chryſ. hîc.

Domeſtica virtus, pia Dignitatum ambitio eſt.

Ioannis 1.

4\. Ioan. 1. 19. *Ioãnes in deſerto Chriſtus putatur: Chriſtus in vrbibus, vix Ioannes habetur.*

Ioannis 1. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum; Tu qui es? Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Quidnam mouere potuit conſilioſum alioqui Hieroſolymorum Senatum, vt Ioannis ſuffragio permitterent, an ipſe vellet dici Chriſtus, & Chriſtus haberi? An non indubiè ſciebant, Ioannem ortum eſſe ex tribu Leui; Chriſtum verò ex tribu Iuda naſciturum fore? Eccur ad ſimilem legationem non mittunt ipſimet Chriſto, qui apud ipſos in vrbibus verſabatur, & in regiâ Hieroſolymorum vrbe frequenter prædicabat? Bellè Origenes hoc dubium tractans ſic fatur: *Ioannem itaque quærunt cum tantâ veneratione, erga Chriſtum autem nihil huiuſmodi factum legitur à Iudæis.* Nempè tunc Ioannes in deſerto latebat, *Vox clamantis in deſerto* erat. Chriſtus verò vrbes luſtrabat, in Hieroſolymâ ſæpè verſabatur: inde Electores (rem diuinam humano cenſu penſantes) *Ioannem in deſerto latentem quærunt cum tantâ veneratione; erga Chriſtum autem,* quem inter turbas hominum, & in frequentiâ vrbium, & in Hieroſolymæ tumultu ſæpè verſantem videbant, *nihil huiuſmodi factum legitur à Iudæis.* Ac ſi ita ſecum Senatores reputarent, Faciliùs euenire poſſe, vt homo ex tribu Leui, habitans in ſeceſſu, poſſet eligi ad ſummam dignitatem Chriſti, qui naſci debebat ex tribu Iuda; quàm vt ipſemet Chriſtus verſans in populoſis vrbibus, & regni metropoli, & Regis Curiâ, aſſumi deberet ad eam dignitatem, quam & Dei electione, & deitatis iure poſſidebat. Vnde Hieroſolymæ Senatores, *Ioannem in deſerto quærunt cum tantâ veneratione: erga Chriſtum autem nihil huiuſmodi factum legitur à Iudæis.*

Orig. in cap. 1. Ioann.

---

§. CXCII.

Sæpè viri, quos ſpirituales vocant, propriis commoditatibus nimis indulgent.

1\. REPETO memoriâ non paucos, quibus ſpiritualium virorũ nomen eſt, magno animo vigere ad virtutis facinora; verbaque publicè & priuatè proiicere animi & roboris plena. Gratulor Virtuti, quòd aliqui etſi pauci, è populo non ſint, & perfectionem ſpectent. Sed videtur eiuſmodi homines, alioqui maſculâ virtute præditi, ne puerile aliquod commodum eos muliebriter deprimat. Heu naturale monſtrum eſt, ad ardua quæque perfectionis facinora viros, pueriliter ad leuiſſima ſui commoda degenerare, & perexiguis captari illecebris, qui valentiores Diaboli machinas viriliter exarmarunt.

2\. Magnus ille propheta Ionas, ob reſurrectionis beneficium, & cõſimilis zeli elogium, Eliæ in paucis charus. Quem Deus iudicauit idoneum, vt obſtinatiſſimæ Aſſyriorum genti, futuræ ſtragis ſententiam intimaret; quam ſic detonuit, vt ambitioſo pœnitentiæ qualore diuinas auerterent iras. Poſtmodum vt è Niniue exiuit excreſcit ſubitò frondoſa hedera, & in herbacei tuguriolì modum Prophetam circumſtat, quæ prohibeat Solis radios. Quæ repentè altiùs fronduerat, hedera emiſſi vermis corroſu repentè exaruit. Vmbraculo deſtitutus, iracundiæ citiùs, quàm Solis ardore æſtuat Propheta. *Et petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori, quàm viuere. Et dixit Dominus ad Ionam. Putaſne benè iraſceris tu ſuper hederâ? Et dixit: Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* Pulchrè notat Strabus Fuldenſis, quòd *ſuprà Niniuitis pœnitentibus & ſaluatis, ſimiliter interrogatus Propheta, nihil reſpondit, ſed interrogationem Dei ſilentio comprobauit.* Cùm verò de ſublatâ ſibi frondei vmbraculi commoditate res eſt, quaſi maioris eſſet momenti, quàm totius Aſſyriæ excidium, aut ſalus; impatiens reſpondit Deo: *Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* O Iona, túne es ille magnus Propheta, quem Deus ipſe tantæ rei adminiſtrum deſignauit? Tu ille de Eliæ ſcholâ zelo rigidus? Tu vltroneum naufragium pro rectorum incolumitate ſelegiſti? Verbum Dei ſic ore tonaſti, vt peruicaces Niniuitæ quaſi de cælo attoniti, ſacco & cinere volutati, offenſum placauerint Numen? Hicne tu ille nuper; nunc verò propter exigui commodi defectum, ſic exæſtuans, ſic ſtomachatus, vt iræ impatiens, mortem voto acceſſas? Ad ardua durus, ſic ad ridiculariam commoditatem molliculus es? Puto, vt verbo eximium Prophetam impleuiſti, ſic opere propheticè adumbraſti eorum mores, qui prælustre virorum Spiritualium nomen præferunt, re vacuum, vocabulorum titulis plenum; nomenque ſpecioſum, ſine re nominis ſpecioſè portant.

Ionas, dum eſt ad virtutis facinora, molliculus ad propria commoda.

Ionæ 4. 9. & 10.

Eodẽ c. 4. 4. Strabus ibi.

3\. 1. Paralip. 11. Dauid ille à cunis ruſticanâ paſtoris vitâ obduratus, maſculo robore vegetus, perferendis militiæ incommodis diu aſſuetus: *Dauid,* inquam, *erat in Præſidio, & ſtatio Philiſthinorum in Bethleem. Deſiderauit igitur Dauid, & dixit: ô ſi quis daret mihi aquã de ciſternâ Bethlehem, quæ eſt in portâ! Tres ergo iſti per media caſtra Philiſthinorum perrexerunt, & hauſerunt aquam de ciſternâ Bethlehem.... & attulerunt ad Dauid, &c.* Quis non miretur hanc viri alioqui ſpiritualis, & mente & corpore robuſtiſſimi, delicatam muliebriter appetentiam? Abundantiſſima in Præſidio ſuppetebat lagena; imò, etſi gregariis deeſſet militibus, Regi non deeſſet. Et eſto, aquæ penuriâ laboraret exercitus, exemplo Principis milites reliqui erudiendi forent ad ſitis tolerantiam. Sicne Dauid frigidæ delicias ſitit, vt ſtrenuos quoſque milites temerarij facinoris periculo exponat? Hoc nimis delicatum tanti Prophetæ & Ducis deſiderium ſic excuſant Rabbini apud Hugonem Car. *Aſſerunt Hebræi Dauid non tantum deſideraſſe aquam, quam fortitudinis militum experientiam.* Litteraliùs eam accuſat S. Gregorius apud Gloſſam, aiens: *Dauid eruditus, ſe protinùs cum periculo militum aquam deſideraſſe, reprehendit, & eam Domino libauit: quia in ſacrificium aqua effuſa conuerſa eſt. Culpam enim concupiſcentia*

Aqua Bethlemitica appetitus in Dauide caſtigatur.

Hugo ibi.

Greg. apud Gloſſam ibi.

centia maſtauit per pœnitentiam ſuæ reprehenſionis. Dauidne ille Dei familiaritate illuſtris, Spiritu prophetiæ celebris, bellico robore inclytus, magnanimitate notus, ſic in aquæ abundantiâ, aquæ Bethlehemiticæ *concupiſcentiâ* ſtimulatur? ſic nauſeans ad regales delicias, hiat ad frigidæ hauſtum è ciſternâ Bethlehem, vt nutu imperet facinoris temeritatem? Sic impotenter ſitit leuiculam commoditaté ſtrenuus Dei miles? Ad reliqua in paucis durus, ſic ad leue ſui commodum molliculus eſt? Sed qui imitaris Dauidis delicatulam appetentiam, imitare expromptam concupiſcentiæ pœnitentiam. Citiùs ſatage, ne ſpiritale nomen per te infametur. O quoties his commoditatis exquiſitæ voluptatulis, magna quæque virtutis facinora infuſcantur! Nemo cenſebit ad ardua durum, quem ad leuia ita mollem expetitur.

Hic v. 4. Vide hic Iſaacum in tanta virtutis opulentiâ, quàm auide expetat, leues ferinæ deliciolas; quibus delinitus Eſau agreſtem Iacobo præferre ſatagit. Thema huic cognatum ſequens paragraphus dabit.

---

§. CXCIII.

Ionas Propheta publicam aliorum ſtragem negligens, ob leuiculum ſui incommodum grauiter angitur?

1. Seneca epiſt. 72. HABET numeros ſuos virtus: plena eſt. *Virtutem enim intelligo animoſam & excelſam, quam incitat quicquid infeſtat.* Aſt, niſi ego valdè fallor, animoſa & excelſa virtus non eſt, ſed fucata & mentita, quam non tam incitat Dei gloria, & communis vniuerſitatis vtilitas, quàm ſuum peculiare commodum: magiſque infeſtantur leui incommodo priuato, quàm diuinæ gloriæ, & communis vtilitatis iacturâ. Ad aliena incommoda æquanimiter ſunt magnanimi eiuſmodi homines; ad propria verò delicatiſſimè puſillanimes: quippe quos nihil infeſtat, niſi quod illos vel leuiter ſauciat. Vnus propheta Ionas duplex huic comprobandæ theſi ſuggeret argumentum, ad recentes mores non importunum.

Priuatū incommodum publico antiſtat.

2. Ionas ille, ſpiritu prophetiæ illuſtris, Prophetarum congrex, & Sanctorum conuictor, à Deo mittitur in peccatricem Niniuen, diuinis territandam minis: fugit in Tharſis, deglutitur à ceto, poſt viuum tridui ſepulchrum incolumis eructatur. Intonat Dei verbum. Niniue pœnitentiæ aſperitate diuinas emollit iras. Sed quò Deus mitiùs placatur, eò magis implacabilis Propheta redditur, & duriùs exaſperatur. *Et afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt: & orauit ad Dominum, & dixit: Obſecro Domine, numquid non hoc eſt verbum meum, cùm adhuc eſſem in terrâ meâ? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharſis, ſcio enim quia tu Deus clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitiâ. Et nunc Domine tolle quæſo animam meam à me: quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* Quâ de causâ aliàs vir Dei, & Domini Propheta, vſqueadeò ægrè tulit, quòd Niniuitis à Deo parcitum ſit? Nonne Ionas animaduertit, ex hâc Dei cum Niniuæis clementiâ, nobile diuinæ pietatis attributum auguſtiùs oſtentari? Nonne adgaudere debuiſſet, quòd tam numeroſæ hominum multitudini indulſerit Deus? Eſto, alios damnet Ionas, quid habet quod recens natos incuſitet? quam ei acuſationis materiam dederunt pecora? quin & peccatores ſcelerum pœnitentes reuereri debuit, & recens natorum rationem habere. Quid ergo Prophetam ſic infeſtauit, vt Dei gloriam, & tantæ vniuerſitatis bonum ſuæ iræ poſtponat? Quæ eſt tua hæc tanta calamitas, ô Propheta, ob quam tot excitas tragœdias? Belliſſime Baſilius Seleucus. *Et ſic ego fatidicus æſtimabor.* O Iona, tantine eſt apud te tantula tui nominis gloriola, vt illam præferas diuinæ gloriæ, & vtilitati populorum? Eandem tecum aleam non dedignatur ſubire Deus, & eam tu ſic grauatè ſuſtines? *Dios nos libre que à vno que corre plaça de ſpiritual, le toquen vn punto en el credito*, Credite, vera virtus numeros ſuos habet, plena eſt. Nec apud eam maius & commune bonum in infimo numero eſt, & in ſummo nominis ſui fama, & inanis æſtimatio. Heu tot ad grauiorem aliorum iacturam velut ex conſtantia magnanimos, & ad leuiſſimam ſui diffamiam ex vana gloriâ puſillanimes. Fermè intrepidus cernis aliorum calamitatem à te extraneam; & tu, ſi leuiculâ tangaris iniuriâ, ſic grauiter angeris?

Ionæ 4. v. 1. & 2. & 3.

Ionas populorum ſtragem non curat, & per leui ſui infamiâ angitur.

Baſil. Seleuc. Orat. 12.

Redeat iterum idem Propheta, ſitque eiuſdem theſis iteratum argumentum. Poſt præfatum cum Deo colloquium, longius ab vrbe abit Ionas. Et cùm laſſus ſediſſet in viâ, derepente vireſcens hedera, in modum tugurioli explicata, herbaceum tectum florenti nitore obtulit Prophetæ, quod Solis radios prohiberet. Vt ergo Deus vidit frondeo tegmine recreari, mittit vermem, & confeſtim exaruit planta. Et Propheta plus irâ, quàm calore æſtuans: *Petiuit anima ſua vt moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori, quàm viuere. Et dixit Dominus ad Ionam: Putaſne benè iraſceris tu ſuper hederâ? & dixit. Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* Non latuit interpretes, quod non valdè attentum lectorem non lateret, & nuncupatim Strabus notauit in Gloſſa. Scilicet ipſummet Prophetam, nuper iratum, eò quòd Deus Niniuæ indulgentius pepercisſet, ſimili percontatione interrogatum, nihil reſpondiſſe quaſi Deo annueret. *Et dixit Dominus: Putáſne benè iraſceris? Et egreſſus eſt Ionas de ciuitate.* Nunc autem ob repentè exſiccatam hederam, quæ illi vmbraculum offerebat, quaſi acrior vrgeret iraſcendi & dolendi cauſa, adhuc iratus reſpondet: *Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* Nimirum cùm agitur de re Niniues, de metropoli inquam, Aſſyriorum, & Aſſyriæ regno, & gente ſibi extraneâ, facile conſolationem Ionas capit. At cùm de vtilitate ſuâ, etſi friuolâ & leuicula res eſt, in has voces erumpit: *Melius eſt mihi mori, quàm viuere.* Et à Deo interrogatus: *Putaſne benè iraſceris tu ſuper hedera?* Non tacet, vt nuper, quando de re ſibi alienâ agebatur; ſed adhuc iratus

3.

Ionæ 4. v. 8. & 9.

Strabus ibi.

Qui negligit commune excidium, ob leuiculum ſui incommodum nimis angitur.

iratus Deo reſpondet : *Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* O bonum prophetam, non boni Præpoſiti aut Optimatis ſymbolum ! Sic negligis tantæ vrbis & gentis incolumitaté aut excidium, & ſic anxiè doles propter herbaceam vmbellam à te amatam ? Tanta tibi de te cura eſt, qui tam inertet negligis tantæ communitatis incommodum ? Quiſquis ſibi nimis eſt delicatus, aſper, durus, & ſaxeus ſolet eſſe ad extraneos.

---

§. CXCIV.

Vſque adeò metus metuendi cauſas exaggerat, vt ſæpè homo felicitatem periculi ſui timeat.

1\. METVS pendentis animi eſt, & futuri, quod imminet mali, expectatione ſoliciti. Sæuiùs cruciat, quia non tantùm ad præſentia aptatur, ſed vagâ, & ſæpè vanâ, imaginatione periculi, cogitationes in longinqua præmittit. Itaque prouidentia maximum bonum conditionis humanæ, in malum verſa eſt. *Fera pericula, quæ vident fugiunt, cùm effugêre, ſecura ſunt. Nos & venturo torquemur & præterito. Multa bona noſtra nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantum præſentibus miſer eſt.*

Seneca epiſtol. 5.

2\. Quinque illæ ciuitates præpoſterâ libidine famoſæ, ad ignem ſceleris inquiſitorem cçlitus condemnantur. Angeli Loto ſuadent incendij fugam, & cunctantem exire compellunt. Feſtinant ad verticem propinqui montis, qui velut tanti ſupplicij aſylum deſtinatur. Timet Lot ardui cliui difficilem aſcenſum, veritus fortè inſtantis flammæ minas, imaginatione, quàm re propinquiores, & ad Angelos dixit: *Quæſo Domine mi, quia inuenit ſeruus tuus gratiam coram te, vt ſaluares animam meam; nec poſſum in monte ſaluari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar. Eſt ciuitas hæc iuxtà, ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in eâ: numquid non modica eſt, & viuet anima mea ? Dixitque ad eum : Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, vt non ſubuertam vrbem, pro quâ locutus es. Feſtina, & ſaluare in ea.... Idcirco vocatum eſt nomen vrbis illius Segor.* Nempè quæ priùs vocabatur *Bala, ipſa eſt Segor.* Cælitùs miſſo incendio reliquæ quatuor Pentapoleos vrbes miſerè vſtulantur, deflagrant, cineteſcunt, & vna duntaxat vrbs Bala, Loti precibus ſeruatur incolumis, proſpectu horrendi ſpectaculi attonita. At mirïſſimum eſt, quòd cùm reliquæ quatuor Pentapolis vrbes, Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim, incendio ſubuerſæ & deuoratæ ſint, & ſola vrbs Bala effugerit Loti merito ſororum vrbium incendium; ipſa ſola inſcriptum præfetat incendij nomen. Porrò, vt docet Hieronymus, Bala interpretatur *Abſorpta*, ſeu *Deuoratio*, vel *vrbs deuoratorum*, vt mauult Anſelmus Laud. Vna vrbs Bala incendio eximitur, & incolumis proſpectat ſororum vrbium luctuoſam pyram, & ipſa ſola dicitur *abſorpta, deuorata*, ſeu *vrbs deuoratorum* ? Præſtaret quidem vrbes reliquas incendio abſorptas & deuoratas, geſtaſſe in nomine calamitatis præſagium. Inidoneè enim quæ ſola immunis fuit ab incendio, mentitum geret incendij nomen, & falſatum deuorationis titulum. Quare ergo vrbs Bala, *abſorpta*, & *deuorata*, & *vrbs deuoratorũ* dicitur, quæ ſola abſorpta & deuorata non eſt in Sodomitico incendio, etſi eiuſdem flagitij rea ? An quia liberata non eſt ex meritis propriis, ſed alieno Loti priuilegio & meritis ? Probrum aliquando eſt, quod ex alienis meritis non merenti donatur. An quia ſat eſt magnum ſupplicium, præferre in nomine commeriti ſupplicij reatum ? Valde ſplendorem nominis, quod nulla dedecoris infuſcat nebula, exambiunt mortales. An quia non tam pœna exercita, quàm probroſæ pœnæ meritum, res eſt acerbiſſimi ſupplicij ? Non tam contumelioſa pœna, quàm contumelioſum & pudendum facinus probroſam inurit notam.

Vrbs Bala plus terretur incendij expectatione, quam vicina vrbes combuſtæ ?

Geneſ. 19. v. 18.

Gen. 14. v. 2.

Hieronym. de locis Hebr. Anſelmus Laud. in Gloſſa interl.

Probrum ſæpè eſt quod ex alienis meritis non merenti datur ?

Magnū ſupplicium eſt, ſupplicij notam præferre in nomine.

4\. Eſto, expenſiones hæ adornent alia themata haud importunè ad mores. Ego vero planè putauerim, quòd vrbs Bala, etſi flammis exempta; *vrbs deuoratorum* conſultiſſimè dicitur, propter anxium periculi timorem. Scilicet vicinas & ſorores vrbes cæleſtis flamma córàm deuorabat gehennali incendio, ſed ignis voracitate vicinæ vrbes *in momento* deflagrauerunt; & breui peracta mors, moriendi ſenſum citiùs eripuit. Perpeſſæ ſunt incendium, quod non timuerunt. At vrbs Bala merito ſupplicium incendij geſtat in nomine: nam pœnam, quam incolumis re non ſubij, diuturnâ expectatione ſubiuit. Et quam nec ſemiuſtulauit communis flammæ ſcintilla, acrioti incendio perſæpè combuſſit incendij metus. Loti merito feliciter Bala liberatur: ſed ipſa timore exagitata, diu in luctu iacet, *adhuc lacrymans felicitatem periculi ſui*, vt aliorsùm dixit Paulinus, dum ipſa ſola de incolumitatis felicitate, diuturnius inuenit ſupplicium. Incolumitate infelix eſt, quæ in incolumitate reperit ſæpiùs pereundi tormentum, tortore metu, pauore carnifice. Quid ærumnoſius, quàm ipsâ incolumitate calamitoſius perire ?

Non pœna contumelioſa infamat, ſed culpa.

Threnorum 4. v. 6.

Paulin. epiſtol. 34.

5\. Infantulum ex adulterio natum Dauidi, immedicabili morbo percuſſit Deus; anxiè pater timet chari pignoris grande periculum; ambitioſo mœroris ſqualore, ſacco ac cinere volutatus & inediâ aridus mortem, quam timet, paruuli, deprecari præſumit. Sed fruſtrà, nam tandem die ſeptima perijt infans ſupplicij paterni ſtipendiis obæratus. Regni proceres, & aulæ miniſtri timent renunciare Regi infantuli mortem, veriti ſæui doloris impatientiam. Nam ſi pueruli languor, qui eſt mortis præcurſor, ſic ægrè ſauciauit patris amorem, atrocem doloris ſenſum ex mortis nuntio veroſimili conjecturâ ſuſpicati ſunt. Sed cùm ea res eſſet, quæ celari non poterat; Regi ſeruos ſciſcitanti. *Num mortuus eſt puer ? reſponderunt ei : Mortuus eſt. Surrexit ergo Dauid de terrâ, & lotus vnctuſque eſt : cúmque mutaſſet veſtem..... venit in domum ſuam, petiuitque vt apponerent ei panem, & comedit.* Quod merito aulici admirati ſunt. Hac ſuper re,

Dauid ante orbitatē luget, & gaudet orbatus.

2. Reg 12. v. 19. & 20.

te, ſic ad noſtrum thema philoſophatur Paulinus: *Dauid filium dilectiſſimum, quem fleuerat ægrotantem, non fleuit amiſſum. Sciſcitantibus pueris ſuis, quos obſtupefecerat tam inuſitatus patriæ ordo pietatis, vt qui ante orbitatem luxerat, gauderet orbatus; reſpondit, &c.* ô rem nouam! de orbitatis periculo *luget*, & de orbitate *gaudet*? Alterum enim ex altero redarguitur, aut illacrymandum illi non erat ob periculum orbitatis, aut non gaudendum de orbitatis nuntio. Quid illacrymat metu periculi, quod ſi futurum eſt ipſâ accidat, gaudendum illi erat? Niſi ſortè opplorat felicitatem periculi, quod inſolens eſt, & barbarum. Imò frequens, & experientiâ notiſſimum: ô quoties gaudenda timemus! Dauid *ante orbitatem luget, & gaudet orbatus.* Timor, imaginationis auxiliatricis priuilegio, ſæpè ita exaggerat & mentitur timendi cauſas, vt etiam felicitate periculi terreatur. Horribile præſentatur timori, quod experientiæ ingratum non eſt, nec ſemel cui condolemus de periculo, de euentu gratulamur; & qui orbitatis periculum lugemus, grauiſſimis pignoribus gaudemus orbati: ô fuge has phantaſiæ laruas! ô quando puerilem animum depones, & te in virum Chriſtiana philoſophia tranſferet! Adhuc enim non pueritia in nobis, ſed quod eſt grauius, puerilitas remanet.

Seneca epiſt. 4. *Et hoc quidem peius eſt, quod auctoritatem habemus ſenum, vitia puerorum: nec puerorum tantùm, ſed & infantiũ. Illi leuia, hi falſa formidant; nos vtraque.* Quid in tam numeroſo filiorum grege timeat Dauid mortem vnius infantuli ex adulterio nati, ante innocenti ſanguine fœdati, quàm nati; & ex cuius funere, ſi non auertuntur iræ diuinæ, ſaltem mitigantur?

Hic v. 12. Quid hîc tam pauidè Iacobus timeat, quod faciendum pia mater ex oraculo reſciuerat?

§ CXCV.

Audacia de præuio timore armatur: neſcit audere, qui timere neſcit.

1. AIVNT, homines etiam conſultiſſimos plus in alieno negotio videre, quàm in ſuo. Hoc illis euenit, quos amor ſui excæcat, quibuſque aſpectum vtilitatis timor in periculis excutit. Incipiet ſapere ſecurior, extra metum poſitus. Aſt multò grauiùs nocet, quod inexpectatum accidit. Ergo periculoſum eſt, non timere; & timor pariter periculoſa res eſt, & imbecillitatis indicium. Sed timor fortè humanus, non diuinus. Nam ſicut ille debilitatis arguitur; ita hic de timendi cauſis animos mutuatur: & inde de cælo eualet, vnde in terram corruere timebatur. *Tal vez el temor es cauſa de la oſadia mas gallarda, quien no ſabe temer, no ſabe atreuerſe:* quaſi de ſcholâ timoris erudiatur, & armetur audacia. *Animis tererè qui ſcit, ſcit tutò aggredi*, ſententiosè dixit Seneca. Senec. ex Publ. Mim.

2. Iob. 4. v. 6. & 7. Iobi 4. ſic ad eum calamitate afflictatum Eliphaz loquitur: *Vbi eſt Timor tuus, fortitudo, & patientia tua, & perfectio viarum tuarum? Recordare obſecro te, quis vmquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt?* Valde falſior, niſi garulus Eliphaz, & de eloquentiâ & philoſophiâ tumens, in limine orationis impingit. Non enim eius verba benè cohærent, nec ſatis ſibi conſtant. Iobum fatetur timore vacuum, aiens, *vbi eſt timor tuus?* & illum conſtantis experientiæ certiſſimis ſpebus erigere & animare ſatagit, inquiens, *Recordare obſecro, quis vnquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt?* Porrò qui timore incuſſo exagitatur, debilis & infirmus expalleſcit, titubat, & corruit; is ſpe propoſitâ indiget, quâ metum fruſtret, & animum fiducia erigat. At qui in orationis veſtibulo affirmat, Iobum extra metum eſſe, quorsùm illum longioris experientiæ ſpebus obarmat? Aut minimè timentem animare non debuit: aut quem verbis ſuis animat, non debuit præmittere; timore vacuum eſſe. Otiatur laxior ſpes, vbi vacat timoris anguſtia. Quid armas non timentem, aduerſus timoris minas? quid clypeas ſecurum? ô magnum Timoris ſacramentum! Nempe quia Eliphaz putat, Iobum non ſatis Deum timere, ideò illum aliàs munire, & armare procurat. Nam vt inibi concinnè dixit S. Gregorius: *Sicut in via ſeculi Timor debilitatem, ita & in via Dei Timor fortitudinem gignit.* Vnde Eliphaz dum cenſet Iobum carere timore Dei, inde debilem & inermem putat, aiens: *Vbi eſt timor tuus, & fortitudo tua?* & ſpei armaturâ munire feſtinat, quem infirmum cenſet timoris abſentiâ: nam *in viâ Dei timor fortitudinem gignit.* Vide quàm maſculam fortitudinem Dei ingerat timor.

Audacia de timore armatur: neſcit audere, qui timere neſcit.

S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 23.

3. Ioannis 11. Languet Bethaniæ Lazarus, & ſorores de fratris langore ſollicitæ, nuncium mittunt ad Ieſum: qui vt ſumptuoſiùs curet, illuc pergere diſſimulat. Et poſt biduum dixit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterùm. Dicũt ei Diſcipuli: *Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterùm vadis illuc?* Tandem reluctantibus diſcipulis, & egreſſum inde ſibi & Magiſtro timentibus, ſeriò Chriſtus profectionem indicit. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Vnde Thomæ tantus audaciæ faſtus, vt mortem pro Magiſtro oppetere præcurrat? Eleganter Baſilius Seleucus expendens præfata verba, *Eamus & nos, vt moriamur cum eo*, ita ſcribit: *Reliquis erat infirmior, & minùs habebat fidei.* Egregia planè ratio. Quia minùs habebat fidei, ideò ſuæ fidei Magiſtrum, ad mortem vſque comitari intrepidus comes offertur? Quia infirmior erat reliquis, ideò præ reliquis grandius periculum ſubire ſtrenuè audet? Aut non debuit timere, qui ſic audet, aut timoris infirmitas audaciam gignit: ô nouum audaciæ ſtimulum! Quia infirmior eſt, & præ ceteris timet, ideò ſupra reliquos audet? Quæ eſt hæc infirmitas, quæ de timore armatur; aut quis eſt iſte timor, qui de infirmitate ſic audet? Pericula timor negligit, an refugit? ô bona Thomæ infirmitas, intrepidæ audaciæ matrix generoſa! Non tam ſuam, quàm Magiſtri mortem timet, qui ſe mortis comitem audacter offert. Audacter timet, qui pios auſus de *infirmitate* depromit: & quia minùs habebat fidei, & maiore concutiebatur timore, ideò præ ceteris dicere audet: *Eamus & nos, vt moriamur cũ eo: Reliquis enim erat infirmior, & minùs habebat fidei: nã in via Dei timor fortitu-*

Thomas reliquis præmetu infirmior, plus reliquis audet.

Ioan. 11. v. 16.

Seleuc. orat. 14.

dinem

de litterato? quid obſcura nox de diei ſplendore? Secularis ambitionis mundana & maligna lux, cæleſtis ſapientiæ æquus arbiter non eſt. De cælo inoculari debet, qui de cæleſti doctrinâ, & cæleſtis doctrinæ alumnis cenſuram vibrat.

2\. Adhuc enucleandus eſt locus ille in primis difficilis ex lib. 1. Regum cap. 3. *Factum eſt ergo in die quadam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Ita olim hunc locum exſcripſerunt, & commentariis illuſtrarunt Eucherius, Rabanus, Dionyſius Richel. & alij, (vt aliàs notabamus.) Et quidem admirabilitatem excitant Heli oculi planè monſtroſi. Lucernam videt extinctam, qui fulgentem videre non poteſt? ô non bonum aſpectum, cæcum ad lucem accenſam, & ad lucem extinctam nimis perſpicacem! Angelomus ſubtilis quondam ſcriptor, ita perobſcurum hunc locum illuſtrat. *Præ nimia*, inquit, *ſenectute oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, cum arderet in tabernaculo, antequam lux diurna fieret, quando eadem extinguenda erat lucerna.* Belliſſimè quidem. Heli, qui nocturnam tabernaculi lucernam, nequit accenſam videre, videt extinctam; ſed *antequam lux diurna fiat*, & de cælo ſiderea lux affulgeat, lucernam extinctam cernere non valet. Satis non eſt ad videndam extinctam tabernaculi lucem, id eſt, Doctorem, aut Præſulem ſemierrantem; malignæ naturæ tenebroſus igniculus, de inſcitiâ infuſcatus, de inuidiâ fuliginoſus, de maledicentiâ fumoſus, de æmulatione inuidioſus; diurnâ cæli luce opus eſt, vt Heli extinctam tabernaculi lucernam videat. Et qui accenſam lucernam non eualuit videre, extinctam videt; non aliquâ luce nocturnâ, ſed cæli micante luce, quæ ad videndum interextinctam lucem humanos clarat oculos. Non eſt cuiuſuis de Dei ſapientiâ, & eiuſdem ſapientiæ alumnis torquere cenſuram. Vel Iſaacus hîc *caligat* ad videndum Iacobum, cæleſtis doctrinæ antiſtitem, quouſque poſteà de cælo oculi eius clarati ſunt. De quo in litteræ commentario.

1. Reg. 3. v. 2. & 2.
Ad videndã lucernã extinctam, cæli luce opus eſt.
Eucherius. Rabanus. Dionyſ. ibi.
Angel ibid.
Exod. 27. v. vlt.
Hîc v. 1.

3\. Geneſeos 1. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Num tantùm extima abyſſi, id eſt aquarum, ſuperficies erat tenebroſa, an etiam profunditas? Erat, erat quidem profundum aquarum pariter tenebroſum. Eccur ergo Moyſes aquarum ſuperficiem prodit tenebroſam, & tenebras præterit in fundo latentes? Opportunè ex Eucherio aduertit Lauretus Ceruarienſis, aquarum nomine *Doctores* intelligi. Hinc perſpicua fit moralis loci intelligentia. Nempe quando Moyſes nil dixit de obſcuritate aquarum in profundo, ſeu de ſqualenti doctrinæ obſcuritate; necdum de cælo lux materiata affulſerat, nondum præclara Dei vox eruperat: *Fiat lux.* Nimirum Moyſes quouſque lux de cælo fulgeat, iudicare tantum dicitur de extimâ Doctorum ſuperficie; & altè tacet de ſordidâ doctrinæ profunditate, humano lumine inacceſſâ. Caligat ad penitiora Doctorum, & doctrinæ, nec audet eius caliginem prodere, donec lux ſplendeat de cælo? Quia nondum cæleſtis fulgebat lux, duntaxat cenſere dicitur de ſuperficie aquarum, ſeu Doctorum: profunditatem autem æquè caliginoſam nullâ denotat cenſurâ, quoniam necdum Deus cælorum lucem accenderat? Sic Heli *non poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur*, id eſt, *antequam lux diurna fiat*? De cælo expectatur lux, vt extincta lucerna humanis oculis diſcerni poſſit. O diſcant ab Heli, diſcant à Moyſe, ſapientiæ & ſapientium vituperones, quouſque homo poſſit de doctrinâ videre! Doctorum cenſus, non à lippis inuidiæ oculis, ſed à cæleſti luce eſt, ne ſapientiæ ſacrarium ſecularibus oculis profanetur.

Gen. 1. 2.
Moyſes non dixit aquam in fundo eſſe tenebroſam, ne Doctores dehoneſtaret.
Lauretus verbo Aqua.
Gen. 1. 3.

1\. Corinth. 4. ſic ſcribit Paulus ad Corinthios, apud quos nonnulli arroganti garrulitate ſeueriùs cenſebant de Doctorum ſapientiâ aut facundia, *Sic, ait, nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Diſpenſatores nominans *Doctores*, vt perſpicuum eſt ex contextu, & notant paſſim interpretes. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Id eſt, inquit Theophylactus: *Indignum aut valde ignominioſum iudico, me omnino à vobis iudicari. Aut ab humano die, hoc eſt, ab alio quopiam homine celebri & præclaro. Diem enim hominis Scriptura altitudinem conſueuit nominare.* Vides quàm tenuat Apoſtolus, vt vel *humanus dies* iudicet Doctores de doctrinæ vitio, aut præſtantiâ? Quis ergo Doctores iudicabit? Attende ad Pauli verba: *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Ecce Doctorem non eſſe iudicandum *humano die*, id eſt, humana luce, ſed expectandum quouſque Dominus luce cæleſti *illuminet abſcondita tenebrarum.* (Sic Heli accenſam noctu non videt lucernam, ſed mane extinctam videt luce cæleſti.) Sed nota diligenter Paullinæ ſententiæ clauſulam. *Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum:* (hoc eſt, doctrinam, aut Doctores, quos nunc putatis eſſe tenebras) *& tunc laus erit vnicuique à Deo.* Bellè ibi Theophylactus: *Conſequens erat vel pœna, vel laus*, quomodo ergo ſolam laudem appoſuit? Scilicet vos ſcioli vituperones, *humano die* iudicantes, Doctorum ſapientiam, tam errorum tenebras cenſetis; cùm verò *Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum*, non pœna, ſed *laus erit vnicuique à Deo.* Illæ, illæ ipſæ, quæ *humano die* iudicabantur tenebræ, tam longè abſunt ab errorum caligine, vt cùm Deus tenebrarum abſconſa luce cæleſti illuminet, præclarioris ſapientiæ mereantur elogium. Enimuerò *conſequens erat, vt pœna vel laus* conſequeretur cæleſtem tenebrarum illuminationem; & tamen quod tenebrarum iudicio videbatur ſqualere, ab illuminatione cæleſti, meræ laudis dicitur encomium promerere. Vides oculis quàm ſit cæcè oculata ſecularis garrulitas ad cenſendum de ſapientiæ luce? 4.

Tenebræ. cæli luce conſpectæ, lux apparet.
1 Cor. 4. v. 5.
Theoph. ibi.

Itaque nec Moyſes de aquarum, id eſt, doctorum profunda caligine iudicat, quia lux è cælo nondum fulſerat: & Paulus, quas putabant Corinthij eſſe ſapientiæ tenebras, ab illuminatione cæleſti laudem cenſet mereri: 5.

Delicatior Diaboli cibus ſunt lucæ extinctæ.

neque

neque Heli nocturnam videt lucernam extinctam, niſi priùs cæleſti diei luce illuſtratus. Porrò vſque adeò probroſum, ſqualidum, & criminoſum eſt, eum qui erat Eccleſiæ lumen extingui, vt extincta lux eſſe dæmonis pabulum cenſeatur. Vnde illa Geneſeos verba, quibus Deus, primordialis delicti vindex, ſerpentem Diabolum ferit, *Terram comedes*. ſic vertit & explicat Hieronymus. *Pro terrâ* עפר *haphar, ſcriptum eſt, quod nos fauillam poſſumus dicere.* Viderint ſapientes, qui erant Eccleſiæ lumina, (*Vos eſtis lux mundi*) & in fauillam & cineres, aut errorum libidine, aut libidinis æſtu, aut ſuperbiæ ambitione ſoluuntur, ne ſint lautiores Diabolorum deliciæ, & delicatior cibus. *Su mas regalado plato ſon luces apagadas.* Dæmoni enim dicitur: *Fauillam comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Definitiuè id dicitur, an prophetice? *Iamus faltara en ſu meſa eſte regalo.* O time.

Geneſ. 3. 14.
Hieron. in quæſt. Hebr.
Matth. 5. 14.

---

§. CLXXXIX.

Erogari in meritorum ſtipendium, generoſus Amor erubeſcit?

1\.
Sent. a ex lib. Mimi *In amore ſemper mendax iracundia eſt.*
Idem ex eadem.

AMARE *& ſapere vix Deo conceditur*, exaggeratiùs dixit Seneca. Nam tametſi honeſtius ſit, cùm amore dignum iudicaueris, amare; quàm cùm amaueris, dignũ iudicare; tamen non ſemper viuacior hominis amor pædagogiâ rationis patitur, ſed cæco affectionis furore fertur: nam *in amore ſemper mendax iracundia eſt:* iracundia autem iraſcendi cauſas ſæpè mentitur ſibi; nec rem explorat ſcrutinio rationis, quam ſi examinaret, minimè forſan excandeſceret. Sic humanus amor (affinis iracundiæ affectus) cùm amauerit, iudicat; non cùm iudicauerit, amat. Imò amor non valdè apud homines commendatur, qui rationis conſilio fertur, & idoneas expectat amandi cauſas; quaſi de inconſultatione eminentiam mutuetur, de meritoque rei amatæ quodammodò deuenuſtetur, & in mercedem, aut aliud ſimile nomen degeneret ingenuus amor. *Por paga ſe tiene, mas que por fineças de amor, quando ſe eſperan meritos conocidos en el amado.*

2\.
Ioan. 10. 18
Reſurrectio, potiùs quàm Paſſio, erit paterni amoris incentiuũ.

Ioannis 10. ſic de ſe adſpectu ad Patrem Deum, loquitur Chriſtus: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam.* Valdè laborant expoſitores in hac interpretanda, & connectenda ſententiâ. Non enim ait Chriſtus Deus: Ideo me diligit Pater, quia pono animam meam, & in cruce me offero patibulandum pro eius gloriâ, & hominum ſalute; ſed quia ita pono animam meam in morte, vt iterum ſumam eam in reſurrectione, quaſi ita mori, vt confeſtim reſurgat, ponatur hic quaſi paterni amoris illicium, & placendi gratia. (Quod acutè & pereruditè inibi expendit noſter Cardinalis Toletus.) Non tam quia contumelioſè & acerbè pro Patris gloriâ moritur Chriſtus; ſed quia poſtmodum glorioſè reſurgit, Patris amorem ſauciat? Mitto

Toletus ibi Annotat. 13.

hæc alibi forſan pro dominicæ Reſurrectionis gloriis expendenda, vt pulchra exſcribã Theophylacti verba, ad rem præſentem in paucis opportuna: *Vidit autem*, inquit, *Deus & pater etiam Filium ſuum eandem erga nos declarantem bonitatem, atque ita voluiſſe pro nobis mori, & diligenter obſeruare characteres voluntatis paternæ. Dilexit meritò, non quaſi ſtipendia mortis pro nobis dilectionem dans Filio, ſed videns inadulteratam ſubſtantiam in Filio, & quodammodo quibuſdam naturæ ſimilis neceſſariis.* Nempe Pater Deus ſerò Filium ſuum diligeret, ſi ſuum erga Chriſtum amorem, quaſi ſtipendia mortis impenderet. Generoſus amor iniquus non eſt, ſed neque nimis æquus eſt; ne in retributionem velut degeneret, ab amoris generoſitate deſciſcens. Deſcriptos ſuæ bonitatis characteres, priùs videt Pater Deus in Chriſto, qui paternum alliciant amorem, vt amor, mortis meritum præcurrat, ne prius erogetur in Chriſtum Paternus amor velut meriti ſtipendium, ſed quaſi bonitatis inſigne. *Dilexit autem Pater Filium, non tanquam ſtipendia mortis pro nobis ſuſtinendæ, dilectionem ſuam illi tribuens.* Præclarè quidem Theophylactus generoſi amoris ſallum paucis deſcribit.

Theophyl. inibi.
Paternus amor, non impenditur Filio quaſi meriti ſtipendium!
3\.
Sic locus ſuẽ ſcribitur in Catena.

Hic verſ. 3. ſic ad ſuum Eſau fatur Iſaac: *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foràs: cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum ſicut velle me noſti, & affer vt comedam: & benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Porrò Eſaü vir gnarus venandi, ſenis Patris amorem ferinæ deliciis ſic deuinxerat ſibi, vt nuper dictum ſit: *Iſaac amabat Eſaü, eò quòd de venatione illius veſceretur: & Rebecca diligebat Iacob.* Huius loci commentatores piè curioſâ ſubtilitate cauſſas rimantur, cur nulla apponatur maternæ erga Iacobum dilectionis cauſa, verò paterni amoris addatur, eò quòd de venationibus eius veſceretur? Hæcne idonea amoris cauſſa in tanto Patriarchâ, præſertim erga hominem efferum, impium, agreſtem, & barbaricum? Sed vide mihi, an cauſſa amoris amorem neget, quem aſſerere videtur: quod paracutè vidit inibi Rupertus, & his verbis exſcripſit: *Sed notandum quia differt vtriuſque dilectionis enunciatio. Abſolute namque Scriptura dicit: Rebecca diligebat Iacob. Coniunctè verò: Iſaac, inquit, amabat Eſaü: ſubnectit enim cauſſam, Eò quòd de venationibus eius veſceretur.* (nota verba quæ ſubdit) *Ergo idem eſt ac ſi hoc ſolum diceretur, Iſaac de venationibus Eſaü libenter veſcebatur: Nec hoc dicto conſequitur, quòd moribus quoque eius delectaretur: ſicut de Iacob neceſſariò conceditur, quem abſolutè Rebecca dilexiſſe dicitur.* Scilicet in Rebeccæ erga ſuum Iacobum amore, generoſi amoris characteres arcanè inſcriptos legit Rupertus, cùm nullam materni amoris cauſam Scriptura apponat, ſed *abſolutè, Rebecca Iacobum dilexiſſe dicatur.* Cùm verò ſcribitur, quòd *Iſaac amabat Eſaü, eò quod de venationibus eius veſceretur, idem eſt ac ſi hoc ſolum diceretur, Iſaac de venationibus Eſaü libenter veſcebatur.* Quid luculentius ad hanc rem? Generoſum negat amorem, qui ingenuum voluntatis affectum facit meritis, ſeu obſequiis ſtipendiarium. Nobilis amor vltrò it, non fertur, non raptatur, non obligatur, obligatio

4\.
Hic v. 3 & 4.
Geneſ. 25. 28.
Iſaac diligit Eſau, ſe potius quàm filium diligebat.
Rup. ibi lib. 7 c. 6.

obligatio vectigalem iuſtitiam ſapit, & remunerationem ſubolet. Ingenuus Amor, mercenarius non eſt, & ſtipendium eſſe, faſtuosè erubeſcit. Amoris generoſitatem negat, qui prius illum obſequiis obligat. Iuſtitia vincitur meritis: Amor generoſus anteuertit meritorum obligationem, & in abſolutâ rei bonitate frequenter complacet. *Es muy deſintereſado el mas fino Amor: y ſi mira à reſpectos proprios, vaſtardea de ſu generoſidad.* Se potiùs, quàm Eſaü diligit Iſaac, quando illum diligit, *eò quod de eius venationibus libenter veſcitur.* Eſto Rebeccæ amor, amoris generoſi typus; ne in proprium amorem, aut iuſtitiæ negotium otiū generoſi amoris deſciſcat, in ſtipendiorum negotiis occupatus.

---

§. CXC.

Affectus ſic rationem ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum videatur.

1. AFFECTVS tam mali miniſtri, quàm duces & rectores ſunt. Sed nihil in affectu peius eſt, quàm quod auxiliarem ſibi rationem aduocat; ne, quaſi à ratione degenerauerit, & quaſi irrationalis ſuſpectus ſit, & ab æquitatis decoro degener, cenſeatur. Adeovt dum ex libidine iudicat, ſibi videatur indulgere virtuti, tutelâ præſumptæ rationis, quam prius ſubornauit affectus. Ratio id ab omnibus iudicari vult, quod æquū eſt: affectus id æquum videri vult, quod iudicauit. Ratio nil præter ipſum de quo agitur ſpectat: affectus vanis argutiis, & ratiunculis extra cauſam obuerſantibus permouetur. Ratio non priùs iudicat, quàm rei meritum videat: affectus poſtquam iudicauit, rei merita ſollicitè vndequaque perquirit. Abſit hoc à virtute malum, vt vnquam Ratio ad vitia confugiat. O caue ne te perſtringat & fallat affectus, vt quod ille palam impetat; de non ſatis merente te iudicare, Rationis imperium putes. Porrò lippientibus ſingularis lucerna, multiplex apparet. Heu quoties prudẽtes alioqui viri, incongrua quæque, Rationi putant congruere blandientis affectus lenocinio.

Humanus affectus rationis larvâ homines fallit.

2. Exodi 11. & 12. poſt primogenitorū Ægypti internecionem, iubet Moyſes Hebrææ genti, tam iam profectionem in Ægypto maturanti, & perpetuum domicilium transmigranti in Palæſtinam, vt ab Ægyptiis commodato poſtulent vaſa aurea, argenteam ſupellectilem, pretioſa monilia, veſtes ſericas, bellica arma; & quicquid magni æſtimabant Ægyptij. Petunt Hebræi, & liberaliter eadem largiuntur Ægyptij. O inconſultam liberalitatem, & prodigam beneficentiam! Seruili populo; abſque ſpe reditus proficiſcenti, ſic veſtras opes certatim condonatis? Ecquis non iudicet inconſultum, imò & fatuum fuiſſe hoc Ægyptiorum conſilium? Quid ſic allicere, aut perſtringere eorum animos potuit, vt ſuas opes prodigè Hebræis erogarent? Audi ſacrum hiſtoriographum. *Feceruntque filij Iſrael ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Ægyptijs vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis vt commodarent eis: & ſpoliauerunt Ægyptios.* Valde diſſident interpretes, in explicando hanc *gratiam*, quam Deus Hebræo populo dedit apud Ægyptios. Quæ gratia rem incongruam potuit colorare? Lipomanus omiſſis pluribus, qui rem miraculo adſcribunt, ſic ſuper hâc re ſcribit: *Dedit autem Dominus gratiam populo coram Ægyptijs, vt commodarent eis, &c. hoc eſt, reddidit Ægyptijs populum ſuum gratum.* Lipomani ſententiam explicatiùs tradit Cornelius, aiens: *Dedit autem gratiam, vt Hebræi hæc vaſa & veſtes petentes ab Ægyptijs, ijs placeant, videanturque rem æquam, congruam, quæque eis concedi debeat, petere.* Nempè gratiam, quam acceperunt Hebræi, ea fuit, vt Hebræi grati eſſent Ægyptiis, & beneuolo affectu eos proſequerentur. Vide, obſecro, arcanas affectus præſtigias. Vbi ex beneuolo affectu deliberant Ægyptij, confeſtim rem inſolitam, inuiſam, incommodam ſibi, & ſuo populo abſurdam; iudicant *æquam, congruam, & quæ eis concedi debeat.* Nemo eſt, qui non miretur fatuum Ægyptiorum conſilium, cùm regni pretioſas gazas commodatò prodigunt genti tunc ſordidæ, & palam non cogitanti de reditu; & ipſi beneuolo in eos affectu præſtricti, ſeriò cenſent, *æquum, congruum, & quod eis concedi debeat?* ô fallaces humani affectus præſtigias! Planè humanus affectus cæcè inoculat humana conſilia. Hinc ſapientes affectum, nunquam bonum conſiliarium, conſultiſſimè recuſant. Sed eheu olim & nunc præſcribit affectionis ſuffragium, & tot monſtra, germani naturæ partus reputantur, magno reipublicæ detrimento!

Abſurda, quæ ſuadet humanus affectus, æqua & congrua videntur.

Exod 12. 35 & c. 11. v. 3.

Lipomanus ibi.

Cornel. in Exod c. 11. ad verſ. 3.

Ita inualuit ſerpentis affectus malitia, & aliàs conſultiſſimorum hominum ſuffragia ita ſuo infatuauit contagio, vt Rationem, rationem inquam, de ſe candidam, defæcatam, puram, nitidam, nec humanorum affectuum obſcuritati obnoxiam, quodammodò infuſcarit affectuum nebula. *Reſtet*, ait venuſtè Baſilius Seleucus, *reſtet infrenis, promptaque ad malitiam Ratio.* Ratione dicatur infrenis? Ratióne ad malitiam prompta? Nonne Ratio eſt ſubſilentium paſſionum frænum, agilis, expedita, & prompta ad omnes ſanctitates? Facilius crediderim, vitia honeſta, quàm eſſe turpem Rationem, quæ eſt virtutis fomes, pietatis igniculus, probitatis ſequeſtra, ſanctitatis idea, & humanarum actionum inter paſſionum ſcopulos gubernaculum. Verumenimuerò humanus affectus irrationalem Rationem fingit, dum ita mentem ſubornat amoris blandimento, vt res diſtorta, fatua, & abſurda, ſic exornetur ad gratiam affectionis fuco, *vt æqua, & congrua* videatur. Scilicet parum foret, ſi affectu inſtigante homo, Rationem auerſatus, ad perſpectam malitiam effrenis irrueret; niſi etiam Rationem offuſcare, & ad vitij patrocinium aduocare præſumeret, & virginem Rationem affectuum luxu conſtuprare. Illud enim infrequens & rarum eſſet 3.

Ratio ipſa ſeducta ab affectu, dicitur ad malitiã prompta.

Baſil. Seleu. Orat. 27.

malum;

fecto, la major iniuſticia le pareccra pueſta en raçon.

4\. Hinc tanta proſtant veritatis adulteria, tot electionum monſtra, dum beneuolentiæ præſtigiis, quod tempus abſonum apparet, *æquum & congruum* electoribus videtur. S. Paullinus illud Geneſis cap. 4. *Nonne ſi bene egeris recipies*, &c. ita ex verſione LXX. interpretum exſcribit & explicat, ſcribens Sulpitio Seuero, qui illum magnificentiùs dictis & factis honorabat, ſe verò abiectiùs demittebat. *Expoſtulandi cauſa eſt, quòd te multa dilectio vſque ad menda & peccatum trahit... Arguam te de charitate in charitatem peccare. Si quidem de nobis ita* (honorificentiſſimè inquam) *loqui, iuſtum exiſtimas, vt de te inutile tibi iudicas, iure audies:* (Nota verba, quæ ſubiicit) *Si rectè diligas, non rectè diuidas, peccaſti.* Audiant hanc ſententiam electores, qui affectu blandiente, quod reliquis videtur abſurdum, ipſi *æquum, & iuſtum* cenſent. *Si rectè diligas, non rectè diuidas, peccaſti.* Sic de *charitate in charitatem peccaſſe*, cenſet Paullinus. Heu perſæpè multa dilectio vſque ad iniuſtitiæ peccatum trahit. Viderint electores, qui beneuolentiæ ſuæ adnuentes aduocant conſultores. Electio non eſt res amoris, ſed meriti. Amor cæcus eſt: ad videndum meritum omnes oculati ſunt, niſi quos excæcauit affectus, electionum corruptor.

Qui rectè diligit, & non rectè diuidit, peccauit. Gen. 4. 7. Paullinus. epiſt. 7.

Hic v. 4. Cerne hîc Iſaacum caligantem, dum affectu duce improbum Eſau præferre Iacobo feſtinat, venationis deliciis priùs delinitus.

---

§. CXCI.

Domeſtica virtus receſſu contenta, pia dignitatum ambitio eſt.

1\. CVRIALES candidati idonei magis vulgò reputantur, qui & Principum nanciſcantur fauorem, & ad prælationes eligantur, quaſi officioſa in palatiis præſentia, poſſit obſequiis gratiam promereri, & meritum, ambitionis officioſitate mercari. Verùm in ſapientum cenſu, non homines negotioſè curſitantes in Curiâ, ſed qui ſe à Curiâ abſentant, & eiuſmodi abſentiâ merita illuſtrant, digni inueniuntur, quos ipſi Reges quærant, & vberiùs honoribus cumulent.

2\. Geneſeos 26. temporum iniuriâ compulſus eſt Iſaacus, in Gerarâ Palæſtinorum metropoli, & regis Abimelechi Curiâ, commorari, Regis edicto poſtmodum è Curiâ inglorïè Iſaacus egreditur, & diu habitat in Berſabee; vbi totus erat in eruderandis puteis à patre ſuo olim effoſſis. *Ad quem locum cùm veniſſet de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, locutus eſt eis Iſaac: Quid veniſtis ad me hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis*, &c. Miriſſimum planè eſt, regẽ Abimelechum (quem fuiſſe pium & prudentem plures putant, neque nomen ab illorum opinione diſcordat) Patriarcham Iſaacum inhonorè abegiſſe à Curiâ, in quâ viuebat, velut probitatis & ſapientiæ idea: & paullulùm à receſſu, ipſummet Regem cum regni ſummatibus ad eum veniſſe, vt eius gratiam captaret, & amicitiam iniret. *Vide* (ait inibi opportunè Chryſoſtomus) *Abimelech illum, qui abigere Iſaacum conatus eſt, & dixit, Recede à nobis; nunc ad eum venientem? dicit enim: Ad quem locum cùm veniſſet de Geraris.* Quid eſt, quòd tantâ in æſtimatione & honore abſens habetur, qui dum verſabatur in Curiâ, & hominum frequentiâ, ſic depretiatus eſt? Rex ipſe, & regni ſummates ſtudioſiùs eius amicitiam ambiunt, & dignum iudicant, quem ſic ſublimente in domo ſuâ commorantem, quem in regiâ verſantem Curiâ contempſerunt? Fortè in propriis laboribus dignior erat, ſapientior erat, honoratior erat Iſaacus, quàm cùm in metropoli verſabatur? Curialium inquieta ambitio, ſummatum ſecularis politia, aulicorum ſuperbus faſtus, fortè Iſaaci virtutem & ſapientiam ſuis præſtigiis faſcinauit? Saltem magnus per omnia ſemper vir Iſaacus, qui contemnebatur in Curiâ; in tabernaculi ſui angulo verſans, à Rege, Regis familiari, & regni magnatibus, magni æſtimatur, ſedulò quæritur, & excelsè ſublimatur. *A quien deſeſtimaron en la Corte el Rey y los grandes viſitan y honoran en ſu caſa.* S. Chryſ. ibi.

Gen. 26. 26. Iſaacus, qui depretiatur in Curiâ, domi à Regibus honoratur, & ſublimatur.

Hic verſ. 4. Iſaacus ſenio ferè confectus, ſuum acceſſit Eſaü, vt illum prælustri Benedictione augeat; *Vt Benedicat* (inquit) *tibi anima mea antequam moriar.* Id eſt, vt te palàm renunciem Primogenitum, primogeniique iura tibi indulgeam, nempe principatum in totam familiam, duplam è totâ ſubſtantiâ portionem, & auguſtum Sacerdotij ius qui erat patriarchalis Benedictionis cenſus. Audiendus eſt hâc ſuper re Chryſoſtomus, ſic eleganter ſcribens: *Eſaü enim & ob ætatem, & ob primogenituram, & ob patris erga ſe affectionem, primatum ſe habere putans, ſimul deſtitutus omnibus inuentus eſt. Iacob autem, quia domeſticâ erat virtute præditus.... etiam inuito patre illius Benedictionem arripuit.* Adludit ad id quod nuper cap. 25. verſ. 27. dictum eſt: *Iacob autem vir ſimplex, habitabat in tabernaculis.* Scilicet non eligitur ad tantæ, tamque illuſtris & opulentæ familiæ præfecturam, Benedictione cenſam, natu maximus, non qui ferinæ poculentis obſequiis electoris patris ſubornauit affectum; non qui externa negotia ſolletter pertractat ſucceſſu felici; non qui iam iam eligendus putabatur; ſed qui *domeſticâ erat virtute præditus*, ait S. Chryſoſtomus. Domeſtica virtus procul ab vrbium tumultu remota, pia dignitatum ambitio eſt, & pulchrum ad ſublimitates meritum. Non tam ſollers Rebeccæ aſtutia, quàm domeſtica Iacobi virtus, illi indebita primogenij iura feliciter negotiatur. Heu hodie non vir ſimplex Iacob habitans in tabernaculis, & domeſticâ virtute præditus; ſed negotioſus Eſaü, munerum præſtigiis, & negotiationis obſequio, arripit dignitates! Domeſticâ virtute præditum Deus eligit, mundus contemnit. Qui à Curialibus putatur inutilis, diuinam electionem domeſticâ virtute promeretur. 3. Hic verſ. 4. S. Chryſ. hîc. *Domeſtica virtus, pia Dignitatum ambitio eſt.*

Ioannis 1.

4. Ioannis 1. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum; Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Christus.* Quidnam mouere potuit conſilioſum alioqui Hieroſolymorum Senatum, vt Ioannis ſuffragio permitterent, an ipſe vellet dici Chriſtus, & Chriſtus haberi? An non indubiè ſciebant, Ioannem ortum eſſe ex tribu Leui; Chriſtum verò ex tribu Iuda naſciturum fore? Eccur ad ſimilem legationem non mittunt ipſimet Chriſto, qui apud ipſos in vrbibus verſabatur, & in regiâ Hieroſolymorum vrbe frequenter prædicabat? Bellè Origenes hoc dubium tractans ſic fatur: *Ioannem itaque quærunt cum tantâ veneratione, erga Chriſtum autem nihil huiuſmodi factum legitur à Iudæis.* Nempè tunc Ioannes in deſerto latebat, *Vox clamantis in deſerto* erat. Chriſtus verò vrbes luſtrabat, in Hieroſolymâ ſæpè verſabatur: inde Electores (rem diuinam humano cenſu penſantes) *Ioannem in* deſerto latentem *quærunt cum tantâ veneratione; erga Chriſtum autem*, quem inter turbas hominum, & in frequentiâ vrbium, & in Hieroſolymæ tumultu ſæpè verſantem videbant, *nihil huiuſmodi factum legitur à Iudæis.* Ac ſi ita ſecum Senatores reputarent, Faciliùs euenire poſſe, vt homo ex tribu Leui, habitans in ſeceſſu, poſſet eligi ad ſummam dignitatem Chriſti, qui naſci debebat ex tribu Iuda, quàm vt ipſemet Chriſtus verſans in populoſis vrbibus, & regni metropoli, & Regis Curiâ, aſſumi deberet ad eam dignitatem, quam & Dei electione, & deitatis iure poſſidebat. Vnde Hieroſolymæ Senatores, *Ioannem* in deſerto *quærunt cum tantâ veneratione: erga Chriſtum autem nihil huiuſmodi factum legitur à Iudæis.*

Ioan. 1.19. Ideo in deſerto Chriſtus putatur: Chriſtus in vrbibus, vix Ioannes habetur.

Orig in cap. 1. Ioann.

---

§. CXCII.

Sæpè viri, quos ſpirituales vocant, propriis commoditatibus nimis indulgent.

1. REPETO memoriâ non paucos, quibus ſpiritualium virorū nomen eſt, magno animo vigere ad virtutis facinora; verbaque publicè & priuatè proiicere animi & roboris plena. Gratulor Virtuti, quòd aliqui etſi pauci, è populo non ſint, & perfectionem ſpectent. Sed viderint eiuſmodi homines, alioqui maſculâ virtute prædìti, ne puerile aliquod commodum eos muliebriter deprimat. Heu naturale monſtrum eſt, ad ardua quæque perfectionis facinora viros, puriliter ad leuiſſima ſui commoda degenerare, & perexiguis captari illecebris, qui valentiores Diaboli machinas viriliter exarmarunt.

2. Magnus ille propheta Ionas, ob reſurrectionis beneficium, & cōſimilis zeli elogium, Eliæ in paucis charus. Quem Deus iudicauit idoneum, vt obſtinatiſſimæ Aſſyriorum genti, futuræ ſtragis ſententiam intimaret; quam ſic detonuit, vt ambitioſo pœnitentiæ qualore diuinas auerterent iras. Poſtmodum vt è Niniue exiuit excreſcit ſubitò frondoſa hedera, & in herbacei tuguriolí modum Prophetam circumſtat, quæ prohibeat Solis radios. Quæ repentè altiùs fronduerat, hedera eiuſli vermis corroſu repente exaruit. Vmbraculo deſtitutus, iracundiæ citiùs, quàm Solis ardore æſtuat Propheta. *Et petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori, quàm viuere. Et dixit Dominus ad Ionam. Putaſne benè iraſceris tu ſuper hederâ? Et dixit: Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* Pulchrè notat Strabus Fuldenſis, quòd *ſupra Niniuitis pœnitentibus & ſaluatis, ſimiliter interrogatus Propheta, nihil reſpondit, ſed interrogationem Dei ſilentio comprobauit.* Cùm verò de ſublatâ ſibi frondei vmbraculi commoditate res eſt, quaſi maioris eſſet momenti, quàm totius Aſſyriæ excidium, aut ſalus; impatiens reſpondit Deo: *Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* O Iona, túne es ille magnus Propheta, quem Deus ipſe tantæ rei adminiſtrum deſignauit? Tu ille de Eliæ ſcholâ zelo rigidus? Tu vltroneum naufragium pro rectorum incolumitate ſelegiſti? Verbum Dei ſic ore tonaſti, vt peruicaces Niniuitæ quaſi de cælo attoniti, ſacco & cinere volutati, offenſum placauerint Numen? Hicne tu ille nuper; nunc verò propter exigui commodi defectum, ſic exæſtuans, ſic ſtomachatus, vt iræ impatiens, mortem voto acceſſas? Ad ardua durus, ſic ad ridiculariam commoditatem molliculus es? Puto, vt verbo eximium Prophetam impleuiſti, ſic opere prophetice adumbraſti eorum mores, qui præluſtre virorum Spiritualium nomen præferunt, re vacuum, vocabulorum titulis plenum; nomenque ſpecioſum, ſine re nominis ſpecioſè portant.

Ionas, durus [illegible] ad propria commoda.

Ionæ 4.9. & 10.

Eodē c 4.4. Strabus ibi.

3. 1. Paralip. 11. Dauid ille à cunis ruſticanâ paſtoris vitâ obduratus, maſculo robore vegetus, perferendis militiæ incommodis diu aſſuetus: *Dauid*, inquam, *erat in Præſidio, & ſtatio Philiſthinorum in Bethleem. Deſiderauit igitur Dauid, & dixit: ò ſi quis daret mihi aquā de ciſternâ Bethlehem, quæ eſt in portâ! Tres ergo iſti per media caſtra Philiſthinorum perrexerunt, & hauſerunt aquam de ciſternâ Bethlehem.... & attulerunt ad Dauid*, &c. Quis non miretur hanc viri alioqui ſpiritualis, & mente & corpore robuſtiſſimi, delicatam muliebriter appetentiam? Abundantiſſima in Præſidio ſuppetebat lagena; imò, etſi gregariis deeſſet militibus, Regi non deeſſet. Et eſto, aquæ penuriâ laboraret exercitus, exemplo Principis milites reliqui erudiendi forent ad ſitis tolerantiam. Sicne Dauid frigidæ delicias ſitit, vt ſtrenuos quoſque milites temerarij facinoris periculo exponat? Hoc nimis delicatum tanti Prophetæ & Ducis deſiderium ſic excuſant Rabbini apud Hugonem Car. *Aſſerunt Hebræi Dauid non tantum deſideraſſe aquam, quàm fortitudinis militum experientiam.* Litteraliùs eam accuſat S. Gregorius apud Gloſſam, aiens: *Dauid eruditus, ſe protinùs cum periculo militum aquam deſideraſſe, reprehendit, & eam Domino libauit: quia in ſacrificium aqua effuſa conuerſa eſt. Culpam enim concupiſcentia*

Aqua Bethlehemitica appetita in Dauide caſtigatur.

Hugo ibi.

Greg. apud Gloſſam ibi.

centia mactauit per pœnitentiam ſuæ reprehenſionis. Dauidne ille Dei familiaritate illuſtris, Spiritu prophetiæ celebris, bellico robore inclytus, magnanimitate notus, ſic in aquæ abundantiâ, aquæ Bethlehemiticæ *concupiſcentiâ* ſtimulatur? ſic nauſeans ad regales delicias, hiat ad frigidæ hauſtum è ciſternâ Bethlehem, vt nutu imperet facinoris temeritatem? Sic impotenter ſitit leuiculam commoditatē ſtrenuus Dei miles? Ad reliqua in paucis durus, ſic ad leue ſui commodum molliculus eſt? Sed qui imitaris Dauidis delicatulam appetentiam, imitare exproimptam concupiſcentiæ pœnitentiam. Citiùs ſatage, ne ſpirituale nomen per te infametur. O quoties his commoditatis exquiſitæ voluptatulis, magna quæque virtutis facinora infuſcantur! Nemo cenſebit ad ardua durum, quem ad leuia ita mollem experitur.

Hic v. 4. Vide hîc Iſaacum in tanta virtutis opulentiâ, quàm auidè expetat, leues ferinæ deliciolas; quibus delinitus Eſaü agreſtem Iacobo præferre ſatagit. Thema huic cognatum ſequens paragraphus dabit.

---

§. CXCIII.

Ionas Propheta publicam aliorum ſtragem negligens, ob leuiculum ſui incommodum grauiter angitur?

1. Seneca epiſt. 72. HABET numeros ſuos virtus: plena eſt. *Virtutem enim intellige animoſam & excelſam, quam incitat quicquid infeſtat.* Aſt, niſi ego valdè fallor, animoſa & excelſa virtus non eſt, ſed fucata & mentita, quam non tam incitat Dei gloria, & communis vniuerſitatis vtilitas, quàm ſuum peculiare commodum: magiſque infeſtantur leui incommodo priuato, quàm diuinæ gloriæ, & communis vtilitatis iacturâ. Ad aliena incommoda æquanimiter ſunt magnanimi eiuſmodi homines; ad propria verò delicatiſſimè puſillanimes: quippe quos nihil infeſtat, niſi quod illos vel leuiter ſauciat. Vnus propheta Ionas duplex huic comprobandæ theſi ſuggeret argumentum, ad recentes mores non importunum.

Priuatū incommodum publico antiſtat.

2. Ionas ille, ſpiritu prophetiæ illuſtris, Prophetarum congrex, & Sanctorum conuictor, à Deo mittitur in peccatricem Niniuen, diuinis territandam minis: fugit in Tharſis, degluritur à ceto, poſt viuum tridui ſepulchrum incolumis eructatur. Intonat Dei verbum Niniue pœnitentiæ aſperitate diuinas emollit iras. Sed quò Deus mitiùs placatur, eò magis implacabilis Propheta redditur, & duriùs exaſperatur. *Et afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt: & orauit ad Dominum, & dixit: Obſecro Domine, numquid non hoc eſt verbum meum, cùm adhuc eſſem in terrâ meâ? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharſis, ſcio enim quia tu Deus clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitiâ. Et nunc Domine tolle quæſo animam meam à me: quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* Quâ de causâ aliàs vir Dei, & Domini Propheta, vſqueadeò ægrè tulit, quòd Niniuitis à Deo parcitum ſit? Nonne Ionas animaduertit, ex hâc Dei cum Niniuæis clementiâ, nobile diuinæ pietatis attributum auguſtiùs oſtentari? Nonne adgaudere debuiſſet, quòd tam numeroſæ hominum multitudini indulſerit Deus? Eſto, alios damnet Ionas, quid habet quod recens natos incuſitet? quam ei acuſationis materiam dederunt pecora? quin & peccatores ſcelerum pœnitentes reuereri debuit, & recens natorum rationem habere. Quid ergo Prophetam ſic infeſtauit, vt Dei gloriam, & tantæ vniuerſitatis bonum ſuæ iræ poſtponat? Quæ eſt tua hæc tanta calamitas, ô Propheta, ob quam tot excitas tragœdias? Belliſſimè Baſilius Seleucus. *Et nūc ego falſidicus æſtimabor.* Baſil. Seleu. Orat. 12. O Iona, tantine eſt apud te tantula tui nominis gloriola, vt illam præferas diuinæ gloriæ, & vtilitati populorum? Eandem tecum aleam non dedignatur ſubire Deus, & eam tu ſic grauatè ſuſtines? *Dios nos libre que à vno que corre plaça de ſpiritual, le toquen vn punto en el credito*, Credite, vera virtus numeros ſuos habet, plena eſt. Nec apud eam maius & commune bonum in infimo numero eſt, & in ſummo nominis ſui fama, & inanis æſtimatio. Heu tot ad grauiorem aliorum iacturam velut ex conſtantia magnanimos, & ad leuiſſimam ſui diffamiam ex vana gloriâ puſillanimes. Fermè intrepidus cernis aliorum calamitatem à te extraneam; & tu, ſi leuiculâ tangaris iniuriâ, ſic grauiter angeris?

Ionæ 4. v. 1. & 2. & 3.

Ionas populorum ſtrage non commouetur, & per leui ſui infamiâ angitur.

Redeat iterum idem Propheta, ſitque eiuſdem theſis iteratum argumentum. 3. Poſt præfatum cum Deo colloquium, longius ab vrbe abit Ionas. Et cùm laſſus ſediſſet in viâ, derepente vireſcens hedera, in modum tugurioli explicata, herbaceum tectum florenti nitore obtulit Prophetæ, quod Solis radios prohiberet. Vt ergo Deus vidit frondeo tegmine recreari, mittit vermem, & confeſtim exaruit planta. Et Propheta plus irâ, quàm calore æſtuans: *Petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: Meliùs eſt mihi mori, quàm viuere. Et dixit Dominus ad Ionam: Putaſne benè iraſceris tu ſuper hederâ? & dixit. Benè iraſcor eo vſque ad mortem.* Ionæ 4. v. 8. & 9. Non latuit interpretes, quod non valdè attentum lectorem non lateret, & nuncupatim Strabus notauit in Gloſſa. Scilicet ipſummet Prophetam, nuper iratum, eò quòd Deus Niniuæ indulgentius pepercisset, ſimili percontatione interrogatum, nihil reſpondiſſe quaſi Deo annueret. *Et dixit Dominus: Putáſne benè iraſceris? Et egreſſus eſt Ionas de ciuitate.* Nunc autem ob repentè exſiccatam hederam, quæ illi vmbraculum offerebat, quaſi acrior vigeret iraſcendi & dolendi cauſa, adhuc iratus reſpondet: *Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* Nimirum cùm agitur de re Niniues, de metropoli inquam, Aſſyriorum, & Aſſyriæ regno, & gente ſibi extraneâ, facile conſolationem Ionas capit. At cùm de vtilitate ſuâ, etſi friuolâ & leuicula res eſt, in has voces erumpit: *Melius eſt mihi mori, quàm viuere.* Et à Deo interrogatus: *Putaſne benè iraſceris tu ſuper hedera?* Non tacet, vt nuper, quando de re ſibi alienâ agebatur; ſed adhuc

Strabus ibi.

Qui negligit commune excidium, ob leuiculum ſui incommodum nimis angitur.

iratus

iratus Deo reſpondet: *Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* O bonum prophetam, non boni Præpoſiti aut Optimatis ſymbolum! Sic negligis tantæ vrbis & gentis incolumitatē aut excidium, & ſic anxiè doles propter herbaceam vmbellam à te amatam? Tanta tibi de te cura eſt, qui tam inerter negligis tantæ communitatis incommodum? Quiſquis ſibi nimis eſt delicatus, aſper, durus, & ſaxeus ſolet eſſe ad extraneos.

---

§. CXCIV.

Vſque adeò metus metuendi cauſas exaggerat, vt ſæpè homo felicitatem periculi ſui timeat.

1. METVS pendentis animi eſt, & futuri, quod imminet mali, expectatione ſoliciti. Sæuiùs cruciat, quia non tantùm ad præſentia aptatur, ſed vagâ, & ſæpè vanâ, imaginatione periculi, cogitationes in longinqua præmittit. Itaque prouidentia maximum bonum conditionis humanæ, in malum verſa eſt. *Feræ pericula, quæ vident fugiunt, cùm effugêre, ſecuræ ſunt. Nos & venturo torquemur & præterito. Multa bona noſtra nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantum præſentibus miſer eſt.*

Seneca epiſtol. 5.

2. Quinque illæ ciuitates præpoſterâ libidine famoſæ, ad ignem ſceleris inquiſitorem cœlitus condemnantur. Angeli Loto ſuadent incendij fugam, & cunctantem exire compellunt. Feſtinant ad verticem propinqui montis, qui velut tanti ſupplicij aſylum deſtinatur. Timet Lot ardui cliui difficilem aſcenſum, veritus fortè inſtantis flammæ minas, imaginatione, quàm re propinquiores, & ad Angelos dixit: *Quæſo Domine mi, quia inuenit ſeruus tuus gratiam coram te, vt ſaluares animam meam; nec poſſum in monte ſaluari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar. Eſt ciuitas hæc iuxtà, ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in eâ: numquid non modica eſt, & viuet anima mea? Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, vt non ſubuertam vrbem, pro quâ locutus es. Feſtina, & ſaluare in ea.... Idcirco vocatum eſt nomen vrbis illius Segor.* Nempè quæ priùs vocabatur *Bala*, *ipſa eſt Segor.* Cœlitùs miſſo incendio reliquæ quatuor Pentapoleos vrbes miſerè vſtulantur, deflagrant, cinereſcunt, & vna duntaxat vrbs Bala, Loti precibus ſeruatur incolumis, proſpectu horrendi ſpectaculi attonita. At miriſſimum eſt, quòd cùm reliquæ quatuor Pentapolis vrbes, Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim, incendio ſubuerſæ & deuoratæ ſint, & ſola vrbs Bala effugerit Loti merito ſororum vrbium incendium; ipſa ſola inſcriptum præfetat incendij nomen. Porrò, vt docet Hieronymus, Bala interpretatur *Abſorpta*, ſeu *Deuoratio*, vel *vrbs deuoratorum*, vt mauult Anſelmus Laud. Vna vrbs Bala incendio eximitur, & incolumis proſpectat ſororum vrbium luctuoſam pyram, & ipſa ſola dicitur *abſorpta, deuorata*, ſeu *vrbs deuoratorum*? Præſtaret quidem vrbes reliquas incendio abſorptas & deuoratas, geſtaſſe in nomine calamitatis præſagium. Imdonec enim quæ ſola immunis fuit ab incendio, mentitum geret incendij nomen, & falſatum deuorationis titulum. Quare ergo vrbs Bala, *abſorpta*, & *deuorata*, & *vrbs deuoratorũ* dicitur, quæ ſola abſorpta & deuorata non eſt in Sodomitico incendio, etſi eiuſdem flagitij rea? An quia liberata non eſt ex meritis proprijs, ſed alieno Loti priuilegio & meritis? Probrum aliquando eſt, quod ex alienis meritis non merenti donatur. An quia ſat eſt magnum ſupplicium, præferre in nomine commeriti ſupplicij reatum? Valde ſplendorem nominis, quod nulla dedecoris infuſcat nebula, exambiunt mortales. An quia non tam pœna exercita, quam probroſæ pœnæ meritum, res eſt acerbiſſimi ſupplicij? Non tam contumelioſa pœna, quàm contumelioſum & pudendum facinus probroſam inurit notam. Eſto, expenſiones hæ adornent alia themata haud importunè ad mores. Ego vero planè putauerim, quòd vrbs Bala, etſi flammis exempta; *vrbs deuoratorum* conſultiſſimè dicitur, propter anxium periculi timorem. Scilicet vicinas & ſorores vrbes cæleſtis flamma coràm deuorabat gehennali incendio, ſed ignis voracitate vicinæ vrbes *in momento* deflagrauerunt; & breui peracta mors, moriendi ſenſum citiùs eripuit. Perpeſſæ ſunt incendium, quod non timuerunt. At vrbs Bala merito ſupplicium incendij geſtat in nomine: nam pœnam, quam incolumis re non ſubij, diuturnâ expectatione ſubiuit. Et quam nec ſemiuſtulauit communis flammæ ſcintilla, acriori incendio perſæpè combuſſit incendij metus. Loti merito feliciter Bala liberatur: ſed ipſa timore exagitata, diu in luctu iacet, *adhuc lacrymans felicitatem periculi ſui*, vt aliorsùm dixit Paulinus, dum ipſa ſola de incolumitatis felicitate, diuturnius inuenit ſupplicium. Incolumitate infelix eſt, quæ in incolumitate reperit ſæpiùs pereundi tormentum, tortore metu, pauore carnifice. Quid ærumnoſius, quàm ipsâ incolumitate calamitoſius perire?

Gen. 19. v. 18.

Gen. 14. v. 2.

Hieronym. de locis Hebr. Anſelmus Laud. in gloſſa interl.

Vrbs Bala plus terretur incendij expectatione, quàm vicinæ vrbes combuſtæ?

Probrum ſæpè eſt quod ex alienis meritis non merenti datur?

Magnũ ſupplicium eſt, ſupplicij notam præferre in nomine.

4. *Non pœna contumelioſa infamat, ſed culpa.*

Threnorum 4. v. 6.

Paulin. epiſtol. 34.

5. Infantulum ex adulterio natum Dauidi, immedicabili morbo percuſſit Deus; anxiè pater timet chari pignoris grande periculum; ambitioſo mœroris ſqualore, ſacco ac cinere volutatus & inediâ aridus mortem, quam timet, paruuli, deprecari præſumit. Sed fruſtrà, nam tandem die ſeptimâ perit infans ſupplicij paterni ſtipendiis obæratus. Regni proceres, & aulæ miniſtri timent renunciare Regi infantuli mortem, veriti ſæui doloris impatientiam. Nam ſi pueruli languor; qui eſt mortis præcurſor, ſic ægrè ſauciauit patris amorem, atrocem doloris ſenſum ex mortis nuntio veroſimili conjecturâ ſuſpicati ſunt. Sed cùm ea res eſſet, quæ celari non poterat; Regi ſeruos ſciſcitanti. *Num mortuus eſt puer? reſponderunt ei: Mortuus eſt. Surrexit ergo Dauid de terrâ, & lotus vnctuſque eſt: cùmque mutaſſet veſtem..... venit in domum ſuam, petiuitque vt apponerent ei panem, & comedit.* Quod merito aulici admirati ſunt. Hac ſuper re,

Dauid ante orbitatē luget, & grandes orbatus.

2. Reg. 12. v. 19. & 20.

Rom. 15. re, ſic ad noſtrum thema philoſophatur Paulinus: *David filium dilectiſſimum, quem fleuerat ægrotantem, non fleuit amiſſum. Sciſcitantibus pueris ſuis, quos obſtupefecerat tam inuſitatus patriæ ordo pietatis, vt qui ante orbitatem luxerat, gauderet orbatus; reſpondit, &c.* ô rem nouam! de orbitatis periculo *luget*, & de orbitate *gaudet?* Alterutrum ex altero redarguitur, aut illacrymandum illi non erat ob periculum orbitatis, aut non gaudendum de orbitatis nuntio. Quid illacrymat metu periculi, quod ſi funeſtè ipsâ accidat, gaudendum illi erat? Niſi fortè deplorat felicitatem periculi, quod inſolens eſt, & barbarum. Imò frequens, & experientiâ notiſſimum: ô quoties gaudenda timemus! David *ante orbitatem luget, & gaudet orbatus.* Timor, imaginationis auxiliatricis priuilegio, ſæpè ita exaggerat & mentitur timendi cauſas, vt etiam felicitate periculi terreatur. Horribile præſentatur timori, quod experientiæ ingratum non eſt, nec ſemel cui condolemus de periculo, de euentu gratulamur; & qui orbitatis periculum lugemus, grauiſſimis pignoribus gaudemus orbati: ô fuge has phantaſiæ laruas! ô quando puerilem animum depones, & te in virum Chriſtiana philoſophia tranſcribet! Adhuc enim non pueritia in nobis, ſed quod eſt grauius, pueriltas remanet.

Seneca epiſt. 4. *Et hoc quidem peius eſt, quod auctoritatem habemus ſenum, vitia puerorum: nec puerorum tantùm, ſed & infantiũ. Illi leuia, hi falſa formidant; nos vtraque.* Quid in tam numeroſo filiorum grege timeat David mortem vnius infantuli ex adulterio nati, ante innocenti ſanguine fœdari, quàm nati; & ex cuius funere, ſi non auertuntur iræ diuinæ, ſaltem mitigantur?

Hic v. 12. Quid hîc tam pauidè Iacobus timeat, quod faciendum pia mater ex oraculo reſciuerat?

---

§ CXCV.

Audacia de prauio timore armatur: neſcit audere, qui timere neſcit.

1. AIUNT, homines etiam conſultiſſimos plus in alieno negotio videre, quàm in ſuo. Hoc illis euenit, quos amor ſui excæcat, quibuſque aſpectum vtilitatis timor in periculis excutit. Incipiet ſapere ſecurior, extra metum poſitus. Aſt multò grauiùs nocet, quod inexpectatum accidit. Ergo periculoſum eſt, non timere; & timor pariter periculoſa res eſt, & imbecillitatis indicium. Sed timor fortè humanus, non diuinus. Nam ſicut ille debilitatis arguitur, ita hic de timendi cauſis animos mutuatur: & inde de cælo eualet, vnde in terram corruere timebatur. *Tal vez el temor es cauſa de la oſadia mas gallarda, quien no ſabe temer, no ſabe atreuerſe:* quaſi de ſcholâ timoris erudiatur, & armetur audacia. *Audentur ereri qui ſcit, ſcit tutò aggredi*, ſententioſè dixit Seneca.

Senec. ex Publ. Mim.

2. Iob. 4. v. 6. & 7. Iobi 4. ſic ad eum calamitate afflictatum Eliphaz loquitur: *Vbi eſt Timor tuus, fortitudo, & patientia tua, & perfectio viarum tuarum? Recordare obſecro te, quis vmquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt?* Valde falſior, niſi garulus Eliphaz, & de eloquentiâ & philoſophiâ tumens, in limine orationis impingit. Non enim eius verba benè cohærent, nec ſatis ſibi conſtant. Iobum fatetur timore vacuum, aiens, *vbi eſt timor tuus?* & illum conſtantis experientiæ certiſſimis ſpebus erigere & animare ſatagit, inquiens, *Recordare obſecro, quis vnquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt?* Porrò qui timore incuſſo exagitatur, debilis & infirmus expalleſcit, titubat, & corruit; is ſpe propoſitâ indiget, quâ metum fruſtret, & animum fiducia erigat. At qui in orationis veſtibulo affirmat, Iobum extra metum eſſe, quorsùm illum longioris experientiæ ſpebus obarmat? Aut minimè timentem animare non debuit: aut quem verbis ſuis animat, non debuit præmittere, timore vacuum eſſe. Otiatur laxior ſpes, vbi vacat timoris anguſtia. Quid armas non timentem, aduerſus timoris minas? quid clypeas ſecurum? ô magnum Timoris ſacramentum! Nempe quia Eliphaz putat, Iobum non ſatis Deum timere, ideò illum aliàs munire, & armare procurat. Nam vt inibi concinnè dixit S. Gregorius: *Sicut in viâ ſeculi Timor debilitatem, ita & in viâ Dei Timor fortitudinem gignit.* Vnde Eliphaz dum cenſet Iobum carere timore Dei, inde debilem & inermem putat, aiens: *Vbi eſt timor tuus, & fortitudo tua?* & ſpei armaturâ munire feſtinat, quem infirmum cenſet timoris abſentiâ: nam *in viâ Dei timor fortitudinem gignit.* Vide quàm maſculam fortitudinem Dei ingerat timor.

Audacia de timore armatur: neſcit audere, qui timere neſcit.

S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 13.

3. Ioannis 11. Languet Bethaniæ Lazarus, & ſorores de fratris langore ſollicitæ, nuncium mittunt ad Ieſum: qui vt ſumptuoſiùs curet, illuc pergere diſſimulat. Et poſt biduum dixit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterùm. Dicũt ei Diſcipuli: *Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterùm vadis illuc?* Tandem reluctantibus diſcipulis, & egreſſum inde ſibi & Magiſtro timentibus, ſerò Chriſtus profectionem indicit. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Vnde Thomæ tantus audaciæ faſtus, vt mortem pro Magiſtro oppetere præcurrat? Eleganter Baſilius Seleucus expendens præfata verba, *Eamus & nos, vt moriamur cum eo*, ita ſcribit: *Reliquis erat infirmior, & minus habebat fidei.* Egregia planè ratio. Quia minùs habebat fidei, ideò ſuæ fidei Magiſtrum, ad mortem vſque comitari intrepidus comes offertur? Quia infirmior erat reliquis, ideò præ reliquis grandius periculum ſubire ſtrenuè audet? Aut non debuit timere, qui ſic audet, aut timoris infirmitas audaciam gignit: ô nouum audaciæ ſtimulum! Quia infirmior eſt, & præ ceteris timet, ideò ſupra reliquos audet? Quæ eſt hæc infirmitas, quæ de timore armatur? aut quis eſt iſte timor, qui de infirmitate ſic audet? Pericula timor negligit, an refugit? ô bona Thomæ infirmitas, intrepidæ audaciæ matrix generoſa! Non tam ſuam, quàm Magiſtri mortem timet, qui ſe mortis comitem audacter offert. Audacter timet, qui pios auſus de *infirmitate* depromit: & quia minùs habebat fidei, & maiore concutiebatur timore, ideò præ ceteris dicere audet: *Eamus & nos, vt moriamur cũ eo: Reliquis enim erat infirmior, & minus habebat fidei: nã in via Dei timor fortitu-*

Thomas reliquis præmetu infirmior, plus reliquis audet. Ioan. 11. v. 16.

Seleuc. orat. 14.

dinem gignit. Neſcit audere, qui timere neſcit: ô ſtrenuos auſus de timoris gymnaſio eruditos.

Hic verſ. 12. Vide hîc verſ. 12. Iacobum audacter præripientem fratri Eſaü Benedictionem, & barbaricum illius furorem iterum prouocantem; ſed tantam priùs audaciam Iacobus timore erudiuit; quo etiam Patris iras prudenter veritus eſt, non vt remiſſus rem negligat, ſed vt audacter intrepidus illam perficiat.

§. CXCVI.

Vel ad rem maximè à nobis cupitam, ab alio cogi grauatè admodum ferre conſueſcimus.

1. Seneca Epiſtol. 67. *Honeſtum non eſt, quod ab inuito fit.* HONESTVM *non eſt, quod ab inuito, quod à coacto fit. Omne honeſtum voluntarium eſt. Admiſce illi pigritiam, querelam, tergiuerſationem, metum: quod habet in ſe optimum perdidit,* dixit Seneca, nunquam non Stoicus. Porrò ingenua virtus inuitum reluctantis animum nobiliter detrectat. Honeſtum enim ſublime eſt, & arduum; non graue & moleſtum: inuitum autem omne, pergraue eſt, moleſtum, intolerabile. Ægra & imbecilla eſt mens noſtra, & dum violentè cogitur, aut obruitur, aut reſilit; non tam re ipſa, quàm rei ipſius coactione. Dulcis eſt volenti labor, nolens verò voluptatis requie laborat, quaſi omnis vitæ moleſtia à coactione ſit. Idem met quod ſponte faciebas iucundè, fac ab alio coactus; & nuper perincundum, iam erit peracerbum, & de coactione intolerabile.

2. 3. Reg. 19. Iezabeli renunciatur, Eliæ operâ omnes Baalis prophetas fuiſſe peremptos. Confeſtim Regina nuncium ad Eliam mittit, hæc minitans: Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, niſi hâc horâ cras poſuero animã tuam ſicut animam vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas, & pertexit in deſertum, viam vnius diei. *Cúmque veniſſet, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Minimè ſibi cohæret hæc Eliæ ſententia. Hicne ille Propheta de flectineſciâ conſtantiâ famoſus, de rigidâ ſeueritate timendus? Hic cæli clauiger, imbrium diſpenſator, Regum terror, pſeudoprophetarum ruina? hicne ſic pauidè mortis minas muliebriter expaueſcit? Quin & parum ſibi cõſtat Elias, dum ſub arbore laſſus mortem precibus accerſit. O Elia, ſi mortem percupis, quid mortem fugis? Per vaſtam eremum fugitiuus exerras, vt fugâ mortem declines; & quam declinare mortem ſatagis, animi votis expetis? Aut non erat deſideranda mors, quam fugis; aut non erat fugienda, quam deſideras. Acutè Rabanus Maurus ſic ad thema præſens ſcribit,

Vel ad vltrò cupita cogi perhorreſcimus.

3. Reg. 19. v. 4.

Rabanus ibi. *Petiuit animæ ſuæ vt moreretur Elias timore percuſſus de manu mulieris mortem fugit; de manu Dei mortem petit, nec accipit.* Nimirum Elias vltrò mori cupit; alieno emori arbitrio refugit. Quod ille maximè expetit, alieno adminiſtrari arbitratu reformidat. Cupitam fugit, & exhorret mortem, quam alterius voluntas diſpenſat. Ad rem voluntariam aliena cogit voluntas? *Es genero de violencia obligarme aun a lo que es de mi guſto.* Mortem quam valde exoptat Elias, alter à inferri manu, fugit, horret, & pauidè reformidat. Sic vel ad vltrò cupita cogi detrectamus.

Pſalm. 93. Dauid ille diuinâ amicitiâ nobilis, iuxta Dei cor efformatus, diuinioris gratiæ priuilegio, & cæleſtis conſolationis nectare potatus, velut gratiæ indolem ebibit, quaſi ad rem virtutis foret propenſus. *Conſolationes tuæ*, inquit, *lætificauerunt animam meam.* Sed nota quam ſubdit ſententiam cum Deo loquens, *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Sedis nomine excelſum diuinę poteſtatis, præſidẽtiæ & gubernationis thronum denotat, vbi Deus, legiſlator, & gubernator ſedere dicitur. Theodoretus ibi ex Symmacho, pro τὸ *iniquitatis*, exſcribit, *ærumnæ*, & pro τὸ *laborem*, transfert, *calamitatem.* Vnde locuples, & opportunus ſenſus euadit. Sic enim ſanctus Dauid, cæleſtis gratiæ afflatu cõfortatus, Deum præcepta & leges condentem, adloquitur: *Nunquid adhæret tibi ſedes, ſeu thronus ærumnæ, qui fingis calamitatem in præcepto?* Hugo ibidem: *Fictum ſcribit in præcepto laborem.* Quaſi dicat Dauid: Quantumuis virtus in votis mihi ſit, nihilque apud me, pietate & religione charius; adeò vt gratiæ priuilegio, velut virtutis fomite agar ad omnes ſanctitates: tamen dum cæleſtis legiſlator præcepta condis, non *adhæret tibi ſedes, ſeu thronus ærumnæ*, dum *fingis laborem, ſeu calamitatem in præcepto*, vel *fictum* ſcribis *in præcepto laborem.* Nimirum, tametſi diuiniori gratiâ adſpirante, dum conſolationes tuæ lætificant animam meam, ad omnem pietatem expromptus ſim; tamẽ legiſlatoris thronus, ſedes videtur ærumnæ, dum præcipiendo, laborem, imò calamitatem in obſequendo fingit. Fictum mihi laborem præcipiendo repræſentas: præceptio enim dum ſubditum cogit ad obſequium, ita laborem in obtemperando fingit, & repræſentat, vt aut inuitum inueniat, aut propè inuitum faciat. Sola rei etiam cupitæ præceptio, laborem fingit, calamitatem proponit, dum vel ad rem deſideratam cogit, coactio autem arbitrij calamitatem fingit, & laborioſæ ærumnæ officina eſt. Argutè ergo præcipienti ſuggeritur: Qui fingis laborem, ſeu calamitatem in *præcepto*, ſiue *iuxta præceptum*, vt alij ex Hebræâ origine reſcripſerunt. *A bueltas del precepto anda la deſgana, aun quando nos mandan lo que deſeamos.* O quàm grauatè fert hîc Iacobus, vt ab alio inſtinctus, exequatur quod auidè percupit, & ſua maximè intererat! Expromptiùs proprio arbitrio ſubripuit maioratum; & è cælo per matrem edoctus, cunctanter agit in capiendæ Benedictionis negotio. Hic verſ. 12. & 13.

3. (right margin, beside Pſalm. 93.)

Pſalm. 93. v. 20. *Rei etiam cupitæ præceptio, calamitatem fingit in obſequio.*

Theodoret. ibidem.

Hugo ibi.

§. CXCVII.

Vel impoſſibilia tentare ambimus, ne deſiſtamus à propoſito; quod ſemel in animum irruit, & opere inchoatũ eſt.

INTER peſtes reliquas, quæ primordialis delicti afflatu, in humanam naturam ſerpſere, illa infeſtiſſima eſt, quę rationi tenebras offundens, hominem facit flecti 1.

flecti-neſcium in propoſito, quod mente arripuit & verbis expreſſit. *Ha,e empei ado en eſto, no volvera atras.* A ratione, quam poſtmodum videt, animum auertit, plus dedecoris exiſtimans, ſi propoſitum flectat, quàm decoris, ſi rationi cedat. In opere ſic perſeuerare, conſtantia non eſt, pertinacia eſt, ratione edomanda, emendanda, emollienda; ne effrænis homo præcipitet in imperatis barathrũ, & ſupra humanã metã audeat propoſiti ſemel arrepti temeritas.

Conſtātia in malo retere conſilio propoſito tenenda non eſt & flectenda eſt.

2\. Geneſ. 11. Mundi reliquiæ, id eſt, octo animæ, altè exundantis diluuij naufragio deuorato ſu erſtites de tabulâ emergunt. Iterum mũdus de aquarum tumulo redimitus: iterũm ſedulò propagatur: iterum ſoboleſcit malitia, & mortalia nomina in immortali Babelis extruẽdà arce, perpetuare exambit. Noeticæ familiæ principes Nembroto duce, inſanam molis ſubſtructionem ſuperbe intentant. *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat in cælum, & celebremus nomen noſtrum.* Tantam tumeſcentis ſemper ſuperbiæ inſolentiam ſiſtere ſatagit diuinior prouidentia; nec præmiſſos mittit demolitores tantæ molis. *Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificant filij Adam, & dixit: Ecce vnus eſt populus, & vnum labium omnibus: cœperúntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite ergo deſcendamus, & confundamus*, &c. Tantæ molis erat Noëticam deſtruere gentem, & molem? Tam ſeriò Deus de hâc Babylonicæ arcis demolitione cogitat, vt conſultiſſimum cælitum ſenatum dicatur cogere, & cõſulere? Dominúſne ex empyreà cælorum ſede deſcendat, vt per ſe ipſũ prouideat, quid facto opus ſit ad demoliendam funditus Babelis arcem? ô rem nouam, & quæ rei magnitudinem valdè exaggerat! Quin &, nemine (niſi fallor) impediente, inſanam arcis fabricam vſque ad cælum condere, non eualet humana tenuitas, quod attentè obſeruarat Rupertus, expendens illa verba: *Cœperúntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Ergo (ait Rupertus) *ſi illa facultas mutuæ linguæ ſublata non fuiſſet, cogitationes ſuas opere implere, id eſt, turrim tantæ altitudinis quiuiſſent extruere, cuius culmen ad cælum pertingeret?* Planè arcem vſque ad cælum faſtigiare, humanam excellit poteſtatem, & potentiæ metas longè tranſcendit. Quare ergo Deus tam ſolerter præcauet, & ſolicitè conſultat de impediendâ ſubſtructione, quam humana audacia fabricare non eualet? Vis noſſe, ô homo, quanto animi ardore & pertinaciâ, in ſemel arrepto propoſito, quod exequi cœpit, homo perſiſtat? Attende ad Dei verba: *Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Quaſi dicat (vt obſeruabat Rupertus:) Planè impoſſibile hominibus eſt, *facere ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat in cælum.* Aſt quia *ſemel cœperũt facere*, (eſtan muz empeñados en ello) *non deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Supra potentiam operaturus timetur, qui propoſitum, quod irruit in animum, ſemel opere inchoatum, exequitur? Sic audet vltra humanas vires? Sic poſſibilitatis metam tranſgredi, temerarius intentat? Solertiori diuinæ prouidentiæ cura opus eſt, vt impoſſibile opus pertinaciter inchoatum, efficaciter impediatur? ô exaggerationem! cui vellem attentos reipublicæ proceres & Magiſtratus, qui ſæpè eiuſmodi obſtinatione durantur, ne videantur mutare ſententiam: vnde multa in communitate pernicioſa deuorant. Satiùs planè eſt propoſitum, vt homo, viſis denuò incommodis, demutare; quàm vt Dæmon, pertinaciâ flectineſciâ cum inualidorum euerſione, in propoſito perdurare. Acerbam maledictionem in caput ſuum deprecari hîc non veretur Rebecca, ne à propoſito ſemel inchoato deſiſtat?

Propoſitum quod opere cœptum eſt, vltra poſſibilitatẽ temerariè audet.

Geneſ. 11. 4.

Sepra v. 4.

Rupert. ibi.

Hî, v. 13.

3\. Neque exiſtimandum eſt, hoc vitio viros tantùm improbos infeſtari, improbitatis priuilegio: homines etiam aliàs pij & prudentes, hûc etiam næuum in multa virtutum pulchritudine admittunt, quo ſæpè non parum deuenuſtantur. 2. Regum 18. immaturâ regnandi ambitione Abſalom rebellat in patrẽ regem; dum Ioab Dauidici exercitus princeps, ſigna confert cum hoſtili Abſolomi manu, Dauid cum paucis in præmunitâ vrbe reſedit, anxiâ expectatione ſolicitus de victoria. Stabat ad ciuitatis portam, captans euentus proſperi aut aduerſi ſignum, & ecce *Speculator qui erat in faſtigio portæ ſuper murum, eleuans oculos vidit hominem currentem ſolum. Et exclamans indicauit Regi: Dixitque Rex: Si ſolus eſt, bonus eſt nuntius in ore eius.* Multa hîc adaggerant commẽtatores, quò hoc ſtrenui Imperatoris prognoſticon veroſimile defendant. Non ero cum illis contentioſus de augurio, ſed de augurantis cohærentia. Nunc dixit Dauid coram frequenti populo: *Si ſolus eſt, bonus eſt nuntius in ore eius.* Attende quæſo ad ea, quæ immediatè ſubduntur. *Properante autem illo, & accedente propiùs, vidit ſpeculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens ſolus. Dixítque Rex: Et iſte bonus eſt nuntius.* Apténe iſta ſibi mutuò cohærent? Omitto auſpicij non admodum ſolidam coniecturam: nam & vnus homo Amalecita ipſi Dauidi annunciauerat ſui populi ſub Saule cladem; & Heli Sacerdoti vnus Beniaminita funeſtam eiuſdem populi ſtragem intimauit. Non his eneruo Dauidis coniecturam, ſed Dauidici reſponſi pugnantiam denoto. Eſto, ô Rex, *Si ſolus eſt, bonus eſt nuntius in ore eius*: ergo ſi ſolus non eſt, in ore eius bonus nuntius non eſt: atqui ſolus non eſt, cùm ſtatim alter appareat; igitur perperàm in coniecturâ perſeueras, aiens: *Et iſte bonus eſt nuntius.* (Et ſanè ſic potuit Ioabi exercitus à validiori exercitu Abſalomi profligari, vt non poſſent turmatim fugere, ſed viritim dilabi.) Itaque vtrumque reſponſum ex alterutro redarguitur. Scilicet Dauid, qui in re militari peritiſſimus habebatur, priùs coram omni populo dixerat, *Si ſolus eſt, bonus eſt nuntius in ore eius*; ne igitur ſententiam reuocet, & priori dicto palàm aduerſetur; tametſi ſecundus nuntius coniecturam prioris extenuet, imò videatur euertere; (nam de nuntiantis ſingularitate captabatur auſpicium, quod deſtruit ſecundus nuntius) adhuc ex aduerſo indicio in priori coniecturâ perſeuerat, ne videatur perperàm coniectaſſe, & nuntij vnitatem, quam nuper fauſtam dixit, ex nuntiorum multiplicitate molitur adſtruere. Sic proceres iuuat in arreptâ ſententiâ perdurare? Sic pudet ſemel adprobata, denuò retractare, vt aduerſa quoque indicia ſibi ſuffragari dicantur?

Ne dicā inconſultè exceſſiſſe videatur, aliud vel ex aduerſis inaneque probare Proceres ambiunt.

2\. Reg. 18. v. 24. 25 & 26.

2\. Reg. 1. 8.
1 Reg 4. 12.

Eccli. 27. 12. Profectò, ſicut *ſtultus vt Luna*, (id eſt, ſemper) *mutuatur*, ita *ſapientis eſt mutare conſiliũ*. O bona inconſtantia, quæ aduerſus veritatem obſtinata non eſt; ſed quæ de rationali inconſtantia veritati ſumptuoſiùs blanditur. Inconſtantia in malo, conſtantia boni eſt. Non eget virtus vitij ſuffragio. Huic agnato Magiſtratuum & Procerum vitio alibi medicinam facio.

---

§. CXCVIII.

Sublimior poteſtas, callidè aſtutos, è candidè ſimplicibus elaborat.

1. CALLIDIOR animi duplicitas, & parùm ſincera conuerſatio, huius mundi ſapientia eſt, politiæ ingenium, & cognatum Procerum vitium. Scilicet Summates parùm ſe tutos credunt, niſi peritè nouerint cor machinationibus tegere, ſenſum verbis celare, conſilia clanculùm abſcondere; quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirùm prudentia vſu à iuuenibus ſcitur, hæc à cunis precio diſcitur, in hanc excultior incumbit pædagogia. Hanc qui ſciunt, ceteros deſpiciendo ſuperbiunt: hanc qui neſciunt, ſubiecti & timidi in alijs mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum callida mentis peruerſitas, politica vrbanitas à potentioribus nuncupatur. Sicque adhuc in pulchris procerum moribus deprehenditur inſinceræ duplicitatis næuus, vt probæ pariter ac improbæ Poteſtati vix aliquis tuto ſe credat, diſſimulatos veritus dolos, probâ aut improbâ ſagacitate tectiùs abſconſos.

Aſtutia ſummatibus cognata eſt.

2. Geneſeos 25. Hebrææ gentis patriarcha, Iacobus naſcitur, etiam ante conceptum potentioris populi Princeps Dei oraculo inauguratus. Præmaturè contentioſus cum fratre in lucem prodit: adoleſcunt pariter, diſpari ingenio, infantes, pueri, iuuenes: neque arctior vniuit cognatio, quos indoles diuerſa diuerſiſſimis ſtudiis diſtrahebat: *Quibus adultis*, (fatetur inquit hiſtoricus) *factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis*. Notiſſimum eſt Eſaü ingenium, immite, inurbanum, agreſte, barbaricum: Lenem, placidam, ciuilem, & vrbanam Iacobi indolem, Scriptura præfatis verbis deſcribit: *Iacob autem vir ſimplex*. Mirum eſt, Iacobum, Hebrææ gentis Principem adæquè & ſimplicem fuiſſe. Eruditè ſimul & acutè Auguſtinus hâc ſuper re his verbis philoſophatur. *Vir ſimplex. Quod Græcè dicitur* ἄπλαστος, *hoc Latini ſimplicem interpretati ſunt. Propriè autem non fictus dicitur. Vnde aliqui Latini interpretes, ſine dolo interpretati ſunt, dicentes: Erat Iacob ſine dolo, habitans in domo. Vt magna ſit quæſtio, quo modo per dolum, acceperit benedictionem, qui erat ſine dolo.... ſine dolo erat, qui dolum fecit.* Magna planè quæſtio, quo modo erat ſine dolo, qui dolum fecit. *Fraudulenter* maioris fratris benedictionem ſurripuiſſe dicitur, & ſine dolo aut fraude prædicatur? Simplex deſcribitur, qui fraudulentus deprehenditur? An in viro prædiuite, & magni populi Principe inaugurato, ſemel feciſſe dolum, ſimplicitas eſt, & eximius animi candor? Inuitus Iacob, & alieno facilis conſilio inductus, aduerſus fratrem exercuit dolum, & callidâ fraude ſuum auxit principatum: at Princeps, qui ſemel dolum fecit, ſine dolo dicendus eſt, & vir ſimplex, ciuilis, & vrbanus. Minùs in callidâ ſagacitate peccare, quodammodò in Principe laudabile eſt, & aliqua inſolens quaſi virtutis ſpecies: dum perrarò fraude politiam euertit, quam perſæpè viri principes dolo malo ſolent adulterare.

In viro principe ſemel fraudulentũ fuiſſe, ſimplicitas reputatur.

Geneſ. 25. v. 27.

S. Auguſtin. in qq. ſuper Geneſ.

Ibi e v. 15. 16. &c.

3. Geneſeos 40. Ioſephus regiâ familiaritate ſublimis, præconis voce quaſi *Pater regis* publicatur. Verùm qui totius Ægypti rem nutu adminiſtrabat, dum reditum in patriam molitur, vt in proprio ſepulchro patrẽ ſuum adiuratus humaret, palatinorum fauorem ſollicitat, quò id ſibi liceat per Pharaonem. Adnuit Rex voluntati Ioſephi, quem loco parentis habebat, & , quaſi ipſe foret pupillus, omnia per ſuum Primignum feliciter adminiſtrabat. Dixitque ei Pharao: Aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es. Sed vide mihi non ſatis ſincerum principum ingenium, erga ſuum etiam familiarem, cui totum regnum coràm crediderat: *Quo*, inquit, *aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti.* Quorsùm omnes regni proceres cum Ioſepho in Chananitidem pergunt? Chryſoſtomus ibi ſincerè putauit, *officium declaraſſe Ægyptios in honorem Ioſephi*. Verùm cùm nuper Ioſephus diſſimulanter conatus ſit metum adimere Regi, ne fortè ſuſpicaretur, ſe de ita ex Ægypto in patriam, non ita de patriâ in Ægyptum reditu cogitare, aiens: *Aſcendam, & ſepeliam patrem meum, ac reuertar*, attentior principalis ingenij explorator Lipomanus, ſagaciter ſuſpicatur nõ admodum candidè eiuſmodi proceres à Rege ſubmiſſos, qui prætextu officioſi obſequij, & ſumptuoſioris comitatus, Ioſepho clanculùm aſſiſterent, ne fortè non cogitaret de reditu, & Ægyptiâ gazâ opulentus, reſidere in patrio ſolo infidè moliretur. Ecce tibi cognatam Potentiorum indolem. Vel Pharao, qui velut pupillus, tutore Ioſepho rempublicam adminiſtrabat, pulchrâ honoris ſpecie, & authoritatis officioſo prætextu, cautelam ſagaciorem abſcondit. Vel ſplendidus honor ſæpè apud Principes infuſcatur cautelæ nubilo? Sic nihil in regiâ ſincerum eſt, nihil non ſuſpectum, vt honores etiam ſint ſuſpicionum latebræ, & cautelæ latibulũ? Sic ſæpè Poteſtatibus eſt agnata duplicitas? Sic vafrè maſculus procerum genius ſimplicitatem conſtuprat? Sic miniſtrorum fidem adulterat principalis ſuſpicio? Sic à Principum palatiis ſimplicitas exulat? Sic ſuſpicionibus, dolis, fraudibus, Summatum cautela dexteritatem politiæ ſubornat? ô fuge aulam, ſimplicitatis perſæpè nouercam, doli ſcholam, ſuſpicionum conceptaculum, fraudum latibulum! Ei, qui multa habet, multi, vt aliquid habeant, ſagaciter inſidiantur: ideò aliorum aſtutiâ diu eruditus, ſagaci calliditate communes fruſtrat inſidias. Vnde ſublimior potentia, aut aſtutos inuenit, aut facit: & ſemel fraudulentum fuiſſe, aut cautelam tectiùs diſſimulaſſe, quaſi candida ſimplicitas prædicatur.

Geneſ. 41. v. 43. & 45. v. 8.

Aſtutè Pharao ſuſpicionẽ de Ioſepho cautelam honore diſſimulat.

Geneſ. 4. v. 7.

Chryſ. ibi.

Lipoman. ibi.

§. CXCIX.

§ CXCIX.

Perfectionis diuinæ piè ſuperbiâ æmulatione, primum cæli locum vnuſquiſque exambiat.

1 PAREM Deo pecunia non faciet: Deus nihil habet. Prætexta non faciet: Deus nudus eſt. Fama non faciet, nec oſtentatio ſui, & in populos demiſſa notitia: Nemo ſatis in hâc vitâ Deum nouit, multi de illo malè exiſtimant, & impunè. Non turba ſeruorum lecticam tuam per itinera vrbana ac peregrina portantium: Deus ille maximus potentiſſimuſque ipſe vehit omnia. Nec forma quidem & vires bonum te facere poſſunt: nil horum non patitur vetuſtatem. Quærendum eſt ergo quod non fiat in dies deterius, cui non poſſit obſtari, quò non melius poſſit optari. Quid hoc eſt? Animus: & hic rectus, bonus, magnus; Dei contemplatione ſublimis, & virtutum operatione perfectus. Haud perfectæ virtutis hæ voces ſunt: *Exigo à me non vt optimis par ſim, ſed vt malis melior. Hoc mihi ſatis eſt, quotidie aliquid ex vitijs meis demere, & errores meos obiurgare.* Ad perfectionis non perueniet faſtigium, qui hæc non omittens, animoſius maiora non concipit, quò ſaltem ad hæc mediana perueniat. Per ſumma audet virtus quaſi per errorem.

Virtus Chriſtiana animoſius audet. Seneca de vita beata.

2 *Eſtote ergo & vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, ait Chriſtus Deus, Matthæi 5. Vocula *ſicut*, non æqualitatem, ſed qualitatem ſimilitudinemque declarat, & eam quidem ſimilitudinem, quæ inter Deum & hominem, non quæ inter hominem & hominẽ eſſe poteſt. Quemadmodum Chriſtus orat, *vt ſimus vnum, ſicut ipſe cum patre vnum eſt*: nec enim illam quæ inter Patrem & Filium eſt, naturalem vnitatem æquare poſſumus, poſſumus tamen imitari. Proponit nobis Chriſtus ſignũ ad collimandum, quò ſcit nos peruenire non poſſe, vt quò poſſumus, perueniamus. Vult autem nos quàm ſimillimos eſſe Deo, ſed in eo, quod poteſt homo Deum imitari. Bellè inquit S. Hilarius: *Perfectæ in nos bonitatis eſſe æmulos oportere.* Infinitæ bonitatis & perfectionis æmulationem exigit. Annon *ad inuidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis? Maiorem autem dat gratiam.* Verùm nimis videtur ſublime, & ſuprà humanæ virtutis faſtum, Deum ipſum nos velle, perfectè operando *æmulari*; & piâ perfectionis *inuidiâ*, Dei perfectionem in nobis exprimere. Luculenter Remigius ad præfata Chriſti verba: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Ipſe quidem perfectus eſt vt omnipotẽs, homo autem vt ab omnipotente adiutus.* Altè quidem de more Remigius! Scilicet Deus dicitur perfectus vt omnipotens, non quia in Dei perfectione quicquam omnipotentia producat: neque enim omnipotentię vires in ens increatum ius ſuum exercent. Dicitur autem *perfectus vt omnipotens*: quia Deus omnipotenter perfectus, imitandus hominibus proponitur: *Eſtote vos perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: ſingulariter autem vt omnipotens, homini ad perfectionem cooperatur. Quaſi dicat Remigius; Dei perfectio eſt exemplar in humanâ perfectione imitandum; Dei autem omnipotentia, quæ vacat ad producendam in Deo perfectionem, actuoſa eſt, & velut toto virium ſuarum adnixu, ad producendam humanam perfectionem omnipotenter incumbit. Nimirum nemo puſillanimus dicat, fruſtra æmulabor perfectionem diuinam, quam adæquè in me non poſſum exprimere. Quorſum ergo mihi Chriſtus dicit: Eſto perfectus, ſicut Deus perfectus eſt? ô homo, animoſè contende virtutis vires: nam *Deus quidem perfectus eſt, vt omnipotens; homo autem vt ab omnipotente adiutus.* Porrò cum emphaſi, & ſingulari epithaſi, dum Dei ſumma perfectio imitanda hominibus proponitur, dicitur *omnipotens*, non adſpectu ad ipſum Deum, in quo nihil producere poteſt; ſed ad hominem, in quo perfectionem diuinæ perfectionis imitatione æmulam, producere eualet, & (vt ſic loquar) ſatagit. Quid exaggeratius? Ergo animoſius aude, totâ Dei auxiliari omnipotentia obarmatus. Parum eſt à te exigere, vt malis melior, & optimis par ſis, vel optimos quoſque bene operando tranſgredi, piè præſume, totâ adiutrice Dei omnipotentiâ fulctus.

Matth. 5. 48.

Ioan 17. 21.

Bonitatem diuinam humana virtus æmulari præſumat?

Hilar. can. 4. in Matth.

Iacobi 4. 5.

Remig. ibi in Catenâ.

Matthæi 20. aut cognationis iure, aut ambitionis ingenio, aut nimio filiorum amore ſtimulata, acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis? Ait illi: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* S. Chryſoſtomus & Hilarius cenſent, aliquid ſpirituale petiuiſſe. Vnde mirum eſt Chriſtum reſpondiſſe: *Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a patre meo.* Hinc bella exoritur quæſtio, eccur Chriſtus Deus rem ſpiritualem ſummatibus Apoſtolorum non palam conceſſerit, ſed tectius conceſſionem diſſimularit? Luculenter ad rem præſentem S. Hieronymus: *Sedere autem*, inquit, *ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis. Sed ideo ſedentium in regno cælorum vocabula non dicuntur, ne paucis nominatis, ceteri putarentur excluſi.* Nimirum hi duo Apoſtolorum proceres, primas ſedes in regno cælorum expetunt, quod ceteris præſentibus, & in eis omnis Chriſtianæ Eccleſiæ multitudo, palam concedendum non erat: ne ſi duo ceteris præferri notum eſſet, à primatum cæli ſedium pio ambitu ceteri viderentur excluſi; & inde ad horum merita peruenire deſperarent. Et ideo primò ſedentium in regno cælorum vocabula non dicuntur, ne duobus ad primatum palam nominatis, primæ ſedis capiendæ torperet auiditas, atque pia ceſſaret æmulatio. Vires quiſque ad cæli primatum contendat, religioſâ pietatis inuidiâ certent vniuerſi; neque putent primas cæli ſedes ab aliquo mortalium præoccupatas, vt illas perfectionis æmulatione ſolertius exambiant. Et quibus dictum eſt: 3

Matth. 20. v. 21. & 23.

Exambiant omnes primas cæli ſedes, pio perfectionis ambitu

Hieron. ibi.

Eſtote perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt, primò ſedentium in regno cælorum vocabula non dicantur, ne duobus ad primatum electis, ceteri à primatu putentur excluſi: & inde diuinæ perfectionis æmulandæ tepeſcat ardor.

Hic v. 19. Vide hîc Iacobum primum locum alteri, & naturæ lege, & Patris voluntate debitum, myſticè æmulantem. O, quis hoc exemplo non audeat!

---

§. CC.

Inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum?

1. Laërt. l. 1. c. 4. GRÆCÆ ſapientiæ vox eſt, *Non committendum, vt lingua præcurreret animum.* Sine mentis limâ rudis & incultus prodit ſermo: ſi animo non eruditur, Baſil. homil. in princ. Ioannis. planè degener naſcitur. Scitè S. Baſilius: *Et quidem cor noſtrum quaſi fons quidam eſt: verbum vero prolatum, quaſi quidam riuulus manans ex ipſo.* S. Greg. l. 10. Moral. c. 16. *E fonte cordis, riuulus verborum* [redacted] Sed hodie deridetur Iuſti ſimplicitas, quæ ex corde candidè verba depromit, quæ fluunt in linguam. Huius mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia à iuuenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur, hanc qui ſciunt, ceteros deſpiciendo ſuperbiunt: hanc qui neſciunt, ſubiecti & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis peruerſitas, vrbanitas vocatur. O falſatas verſutiæ linguas, quibus virgo veritas conſtupratur, violatur fides, inquietatur conuerſatio humana, & pietas periclitatur. Sit hominum ſermo, humani cordis legitima ſoboles, & mentis fidus interpres; ne lingua omnes malignitates ſubornet infidi ſermonis lenocinio.

2. ad Rom. 10. v. 10. Ad Romanos 10. ita Apoſtolus ſcribit: *Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* S. Chryſol. ſerm. 56. Super quibus verbis ita ad præſentem theſim argutè philoſophatur Chryſologus. *Magnum*, inquit, *filioli per hoc fidei noſtræ videmus eſſe compendium, quando inter cor & linguam totum ſalutis humanæ verſatur* *Inter cor & linguam ſalutis humanæ geritur ſacramentũ.* *& geritur ſacramentum.* Rectène modicum interuallum, quod patet inter cor & linguam, appellatur à Chryſologo, *Fidei compendium?* Eſt, eſt quidem compendium fidei, & conuerſationis humanæ, quando inter breue, aut nullum ſpatium, quo lingua debet à corde diſtare, longiſſimæ non deerant viæ, viæ inquam, prauæ, obliquæ & diſtortæ. Heu quot meandros, quin & labyrinthos videas errare inter modicam humani cordis & linguæ diſtantiam! Compendium fidei & pietatis fecit, qui non per labyrintheas aſtutæ politiæ vias, ſed per ſimpliciſſimæ veritatis breue compendium, hoc iter conficit, *quando inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ verſatur & geritur ſacramentum.* In hoc anguſto ſpatio, quo lingua à corde diſtat, auguſtæ pietatis, & conſummatæ virtutis geritur ſacramentum. Ito per ſimplicis veritatis viam, & itineris compendium tenuiſti; ſit confinis cordi lingua; & ſermo, quaſi quidam riuulus è cordis fonte vltro fluat, ne per longiſſimos malignitatis meandros prauè diuertas. Hei, hei, & cur non ipſum hominis cor voces ederet, ne cor infido ori loquendi ſubſtitueret miniſterium, *quando inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ verſatur & geritur ſacramentum?*

Magno verborum apparatu, in ipſo Euangelij auſpicio auctoritatem & diuinitatem 3. Ioan. 1. v. 1. Chriſti dilucidè comprobans, & ortas, & exoriendas hæreſes præproperè iugulans, tonat Ioannes: *In principio erat Verbum.* Quæ verba ne Ariani quidem, quamuis in torquendis ſcripturis audaces, de Filio Dei intelligenda, negare auſi ſunt. *Grande elogium Verbi diuini eſt, quòd procedat à corde.* Sed valdè difficilis eſt quæſtio, cur Dei Filius, à Latino vulgato *Verbum*, potiùs, quàm *Filius*, appelletur, cùm ſublimius de illo loqui Ioannes inſtituit. Auxit ſententiarum numerum Græcum nomen λόγος, quo vſus eſt Ioannes, quod cùm & *Rationem*, & *Definitionem*, & *Sermonem*, & *Verbum*, ſignificet, in cauſâ fuit, vt dum diuerſam quiſque ſignificationem ſequitur, diuerſa ſentiret. Quare cùm auguſtius loqui de Dei filio Euangeliſta intendit, non eum appellat Dei Filium? Et cur Vulgatus Græcum verbum non tranſtulit, aut *Rationem*, aut *Definitionem*, quod vox originalis propriè etiam ſignificat, & idoneè explicaret diuinam Chriſti perſonam? Mitto plura, quæ Ioannis Euangelium commentans vberius tradidimus; & rei ſublimiſſimæ ſublimem expoſitorem aduocemus, regium inquam Pſaltem; qui totus de cælo afflatus, in auſpicio Pſalmi 44. vt notauit Caſſiodorus, auſpicium Euangelij Ioannis interpretatur: Caſſiod. in Pſalm 44. 1. *Eructauit* (inquit Dauid ex perſonâ Patris Dei) *cor meum Verbum bonum.* O quàm paucis multa! Quid excelſius quàm Chriſtum Dei naturalem Filium nominare, æternâ Dei generatione generosè ſatum? Quid illuſtrius quàm dici Dei *Rationem*, in quâ Pater Deus, & ſe tanquam in imagine intuetur, & reliqua à ſe perſpicuè contemplatur? Quid ſublimius quàm appellari Dei *Definitionem*, quæ vno duntaxat verbo creata & increata omnia penitiùs comprehendit? At his elogiis intermiſſis, *Verbum* nuncupatur: *In principio erat Verbum*, quia dicitur Verbum è corde effluens: *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Porro tam auguſta prærogatiua eſt, eſſe Verbũ è corde eructatum, è corde erumpens, quin è corde exeat; & inde nullâ diſtantiâ vnquam à corde diſiunctum, ſed ſemper ab illo manans, & in illo manens, vt hoc elogium auguſtius Euangeliſta decantet, quod Pſalmiſta ante tot retrò ſecula decantarat. *Eructauit cor meum Verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus ſcribæ. Quando inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ verſatur & geritur ſacramentum.* Magna profectò diuini Verbi laus, quòd nunquam poſſit à Patris Dei corde diuelli, quòd ſi tantiſper diſiungeretur, delineret eſſe Dei Verbum, & in aliud quoduis confeſtim degeneraret. Sic auguſtum eſt Verbum, quod cor eructat, quod manat à corde, & in corde manet?

Vide etiam in Iacobo alioqui pio & ſim-

plici

p'aci vito, quàm hîc diſtet a corde lingua. Sic eſt cognatum naturæ humanæ vitium, vt longè abſit à corde lingua?

---

§. CCI.

Non tam ex præſenti, quàm ex futuro rerum ſtatu, totius hominis titulatur elogium?

1. STATVM quendam in paradiſo Deus homini parauit, quo ſemper eundem ad vtrumque ſe præſtaret euentum. Illum deponere, & pro habitu variari fortunarum, non natura! ſed naturæ defectus eſt. Omnia enim illi ſubiecta erant, quando mulieri ſubiectus non fuit: cui poſtquam malè morigeratus eſt, cœpit eſſe non ſuus, & tot dominis ſeruire, quot vitiis. Attende miſerias hominis, quibus varianti fortunæ varius ipſe ſubiicitur: intuere cineres, vectigalia peccati ſunt, & peccati cenſus. Perſonale delictum proſcripſit vniuerſos, & venundati ſub peccato, ſceptrum exactoris eius in nos exaltatum, miſerè experimur. Attende, inquam, cineres, in quos poſt mortem diſſolueris, & tecum reputa, dum viuis etiam, iam decineraſcere, & in funeſtum & vagum puluerem ſolui. Loquar ad Dominum meum, ait Abraham, (*P ...us eſt, qui pulueris ...*)
Gen. 18. 27. cùm ſim *puluis & cinis*. Nempe humanam vitam, quam cadaueris cinere conſummabit, adhuc viuens, cinerem appellat. Quaſi homo non tam ſit id quod eſt, quàm quod exinceps erit; arcanè anteuertens ſtatus futuri certum elogium. Ne taxes hominem ex præſentibus; proſpice futura, & conſultiùs cenſuiſti: ex futuris enim citiùs, quàm ex præſentibus res titulantur.

2. Exodi 7. Ingreſſi Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus: tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam ſimiliter. *Proiecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſa ſunt in dracones: ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Virgane Aaronis deuorauit virgas Magorum, an Aaronis draco dracones Magorum abſorbuit? Puto, deglutiendi negotium, malè virgis emortuis, bene viuis draconibus adſcribetur. Plus eminùs horreſco audiens *virgam deuorantem*, quàm ſi cominus draconem deuorantem vidiſſem. Non fugit Auguſtinum huiuſmodi dubium, & ſuper eo ſic ſubtiliter ad rem philoſophatur: *Si dictum eſſet, abſorbuit draco Aaron virgas illorum, intelligeretur verus draco Aaron, phantaſtica illa figmenta non abſorbuiſſe, ſed virgas. Hoc enim potuit abſorbere quod erant, non quod eſſe videbantur, & non erant. Sed quoniam dixit, Abſorbuit virga Aaron virgas illorum, draco vtique potuit virgas abſorbere, non virga.* (Pulchrè propoſuit dubium Auguſtinus, ſed notanda eſt dubij luculenta ſolutio) *Sed eo nomine appellata res, vnde verſa eſt, non in quod verſa eſt; quia et id etiam reuerſa eſt, ideò hoc vocari debebat, quod principaliter erat.* Scilicet res aliqua non tam dicitur eſſe, quod reipsâ actu eſt, quàm illud quod dudum fuit, & poſtea erit. *Nos es vno tanto lo que al preſente es, como lo que fue, y lo que ſera.*

Exod. 7. 11.

Draco, qui futurus erat virga, etiam dũ draco eſt, virga nominatur.

S. Aug. ibi.

Ex retroactis vniuerſi cenſemur, & ex futuris æſtimamur præpropero cenſu. Sic ſtatus præſens, inconſtans & varius eſt, & ex futuro pendulus? Draco ex virgâ factus, & reuerſurus in virgam, adhuc cum draco verè eſt, Moſaico ore virga cenſetur, & virga nominatur. Barbaricè videtur dictum, virgam abſorbuiſſe virgas; ſed fortè magis foret barbaricum & abſurdum, ex præſenti duntaxat rei ſtatu nomen & cenſum rei dare. Adhuc dum ſoſpes & vegetus vitam agis, te puluiſculum & cinerem puta, quaſi geſtes cadauer viuum, & viuas exequias ad tumulum circumferas. Quod etiam in re virtutis cenſendâ moraliſſime locum habet.

Ioannis 2. in Canâ Galilææ ciuitatulâ, nuptiæ celebrantur, quas vt honeſtaret, Deiparam pudicitiæ nitorem, adeſſe non erubuit. *Vocatus eſt autem Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias.* Futurum vini defectum præſentit Maria, quaſi ad ipſam, potiùs quàm ad nos, vt in nullo deficiamus, ſpectet. Defectum Filio Deo proponit, vt non tam mater Filium, quam indigentia Deum roget. Vel ex verborum ſpecie tenus tenuiu, conceſſionem Virgo prophetat, quò humanæ orationis vota animoſis impleat ſpebus; ne humana tenuitas ob impetrandi moram, impetrationis fidem expuat. Aſtant ex Hebræo more ſex vacuæ hydriæ; & Ieſus eas aquâ coram impleri iubet: & confeſtim hydriæ quæ meram exceperant aquam, generoſum merum vbertim fundunt. Prodigium ſtupent conuiuæ. Sponſi Matri de præmaturâ prouidentia, Filio de ſublimitate potentiæ ſumptuoſiùs gratulantur. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Canâ Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Quis non miretur, quòd tunc primò in Chriſtum eius diſcipuli crediderunt? Porrò ſi eouſque in eum non credebant, ergo nec eouſque diſcipuli eius erant. Niſi quis velit, infideles & incredulos diſcipulos tunc Chriſtum Deum circumferre. (An diſcipuli etiam periſſimo Magiſtro non credunt, niſi miracula facienti?) Verùm S. Auguſtinus, quo ſolet ingenij acumine, his verbis propoſitum dubium verſat, & ſoluit: *Et manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. Sed ſi tunc* (inquit Auguſtinus) *in eum crediderunt, nondum erant diſcipuli cùm ad nuptias vocati ſunt. Sed illo more locutionis hoc dictum eſt, quo loquimur, cùm dicimus, Apoſtolum Paullum in Tharſo Ciliciæ natum, neque enim tunc iam erat Apoſtolus: ita diſcipulos Chriſti inuitatos ad nuptias cùm audimus, non iam diſcipulos, ſed qui futuri erant diſcipuli intelligere debemus.* Itaque ex mente Auguſtini (Nos enim aliter locum Ioannis inibi explicuimus) quoſpiam è numeroſâ turbâ, quæ aliquando Chriſtum comitabatur, diſcipulos appellat, non quia tunc diſcipuli eſſent, ſed quia exinceps futuri erãt. Quaſi non præſens vitæ ratio, ſed exinceps futura, vitæ titulum donet, & vocabuli elogium. E futurorum ſtipendiis, præſens vita & conuer-

3

Chriſti Apoſtoli, cum adhuc infideles eſſent, diſcipuli dicuntur.

Ioan. 2. 11.

Auguſtin. de conc. euang. cap. 17.

ſatio alitur. Vide quod eris, & illud iam eſſe præproperè cenſe. Incredulus eſt, & Apoſtolus dicitur, qui Apoſtolus erit. Draco eſt, & virga appellatur, quæ mox redibit ad virgam. Cinis eſt etiam dum viuit, qui poſt funera cinis erit. Sic poſthumus præcurrit titulus! Sic tempora anteuertit futurum exinceps elogium! Itaque nemo ſibi de virtute blandiatur, qui de faſtigio ſanctitatis adhuc cadere poteſt. Apoſtoli, infideles erant, & nondum diſcipuli, diſcipuli nominantur: & Iudas etiam dum erat Apoſtolus, Diabolus nuncupatur à Chriſto.

Hic v. 19. Fortè Iacobus hîc præmaturè his titulatur elogiis, non quæ tunc habebat, ſed exinceps fuerat habiturus.

---

§. CCII.

Præambulum electorum examen trutinet merita candidati?

1. PRÆCELSA faſtigia præcelſos viros expetunt, non quos vnius dieculæ mentita compoſitio expoliuit, aut plurium dierum candidata ambitio elimauit, aut ſubornatus electorum fauor, dignos derepentè fecit. Sublimis dignitas non tantùm in candidato requirit merita, quæ eligat; ſed electorum, attentâ inquiſitione præambulâ, diligens meritorum examen; quod ea ad æquitatis bilancem trutinet; & merita aut ambitione fucata prodat, aut vera & mera ſuſpiciat; quin & cognata olim candidato vitia nõ prætereat. Quæ erit huius §. theſis.

2. Ioannis 21. opere implet Chriſtus, quod verbis Petro quondam promiſerat: & totum Eccleſiæ gregem illi committens, illum facit totius Eccleſiæ Paſtorem: atque Apoſtolici collegij verticem, verticem conſtituit Eccleſiæ. Sed quorsùm tunc trinam expetit dilectionis confeſſionem? Reſpondet Auguſtinus: *Tertiò vtrùm Petrus eum diligat, Dominus interrogat. Redditur enim negationi trinæ trina confeſſio.* Scilicet Chriſtus, vt Petrum eligat in ſummum Eccleſiæ Paſtorem, trinæ negationis memoriam refricat: non vt improperet, ſed vt recentium criminum recordationem ingerat, quando illi tribuenda eſt ſumma Eccleſiæ poteſtas. Nec modo Chriſtus nuperrimorum criminum, ſed etiam ſecularis retrò vitæ defectuum, memoriam iniicit Petro, priuſquam ad ſummum præſidentiæ faſtigium aſcendat. Attentiùs emedullanda ſunt Euangeliſtæ, Chriſti inquam, verba,

Aug. tract. 123. in Ioan. *Quare Petrus eligendus in Pontificem appellatur ſeculari nomine.*

Ioan. 21. 15. *Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te*, &c. Quare qui *Simon Petrus* dicitur ab Euangeliſta, repentè euariato vocabulo, *Simon Ioannis* dicitur à Chriſto? Caſu id excidit, an conſultò ſic deſcriptum eſt? Non effugit hæc quæſtio attentam noſtri Maldonati eruditionem, qui ſic inibi eleganter ſcribit. *Vocat Petrum, Simon Iona.* (Ionas idem eſt, quod Ioannes.) *Neque hoc fortaſſe causâ caret, quòd Chriſtus eum non Simonem Petrum, vt Euangeliſta, ſed Simonem Iona vocat, nomine videlicet antiquo. Dixerat enim illi, cùm ad Apoſtolatum vocauit; fore, vt non iam Simon Iona, ſed Petrus, id eſt, petra vocaretur.* Quid eſt, quòd cùm Chriſtus ad ſummum Eccleſiæ rectoratum Petrum adſciſcit, & trinæ negationis trinâ confeſſione memoriam refricat; tunc non iam diu familiari eum nomine vocat, ſed antiquo & ſeculari? An antiquum vocabuli cadauer ad ignominiam ſuſcitat? an potiùs ad noſtram eruditionem? Scilicet innoteſcat iam iam eligendo Petro, electorem tunc non latere neque trinam ipſius negationem, neque ſeculare nomen, & vitam. Quaſi dicat: Scio meritum amoris, ſed non me effugit negationis ſcelus. Scio quàm piè in Apoſtolico collegio vixeris, ſed ſeculare nomen, & ſecularem olim vitam non ignoro. Nil non exploratum mihi eſt, quò te eligam in ſummum Eccleſiæ Principem. Scio tuum in me amorem, & zelum; ſcelus etiam, & anteactæ vitæ næuos non ignoro. Vnde tunc Petrus, non vt eouſque Simon Petrus, ſed diu antiquato nomine, ad id conſultiſſimè renouato, *Simon Iona* nominatur.

Maldon. ibi.

Geneſeos 1. *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Super quibus verbis ſic ingenioſè Oleaſter philoſophatur ad mores. Conſidera (inquit) diligenter locum hunc, qualiter non ſat fuerit Deo, lucem pulcherrimam creare, niſi & eam, poſtquam condita, examinaret. Numquid opus tuum Domine malum eſſe poteſt, aut in eo defectus aliquis contingere, vt examine opus ſit? Et ſi alia opera tua examine indigerent, non tamen lux: quam puriſſimam & ſpecioſiſſimam facere dignatus es, & ad quam omnia alia opera examinantur. Quid quæſo me docere vis in hoc examine? Hucvſque Oleaſter. Verùm conſiderare oportet, hanc lucem poſteà in aſtra tributam, (vt communiter docent expoſitores) & ſublimatam ad diei & noctis præſidentiam. Itaque lux recèns ex Dei voce, velut matrice nobiliter exorta, quanquam pura, prælustris, ſpecioſa, & nitida, dum candidata eſt cæleſtis præſidentiæ, confeſtim ad examen vocatur, & Electoris oculos exploratores patitur. Non ſublimatur excelſo præſidentiæ munere, niſi præmiſſo claritatis examine. Examine præuio eget lux, *ad quam omnia alia opera examinantur.* 3.

Geneſ. 1. v. 4. & 3. Oleaſter ibi. *Lux quæ reliqua examinat, priùs ad præſidentiam examinatur.*

Geneſ. 1. 16.

Canticorum 8. Sulamitis illa formæ elegantiâ, potiùs quàm nobilitate auitâ, ſuperbas principis Salomonis nuptias ambit. Principis amor reciprocum in puellâ inuenit amorem. Sponſalitiæ ſtipulationes propè erant, & tunc adoleſcentulæ Sulamitidis comites, & aſſiduâ familiaritate chariſſimæ, hos inter ſe ſermones ſollicitè miſcent: *Soror noſtra parua, & vbera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?* Multa ibi congerunt & ſpiſſant interpretes, vt clarent hunc *diem*, quo Sulamitis *alloquenda* erat. Eleganter P. Gaſpar Sanctius hàc ſuper re ex plurium ſententiâ, hæc ſcribit, explicans illud, *In die quando alloquenda eſt. Aliqui, inquit, ad tempora referunt, quibus de hac puellâ viro collocandâ agendum eſt, vbi liberiùs in ali-* 4.

Quàm timeat Sulamitis examen ad principales nuptias examen.

Cant. 8. 8.

P. Sanct. ibid.

onius

cuius ingenium, mores, & ætatem, inquiri ſolet. Nunitum cùm pulchra Sulamitis venuſtatis blanditiis animum ſubornat Salomonis, vt eam ad regium nomen adſciſcat, & nuptiarum priuilegio regalis ſceptri participem faciat? tunc, tunc quidem Ieroſolymitanæ puellæ ſolicitiùs de præambulo examine multa verentur. *Quid faciemus*, aiunt, *ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?* Id eſt, quando meritum ad tantam ſublimitatem in examen vocetur, *Vbi liberiùs in alicuius ingenium, mores, & ætatem inquiri ſolet.* Qui improbatum ad dignitatis faſtigium ſublimat, improbum ſæpè ſublimat. Poſt attentum etiam examen, tot electionum monſtra apparent, quid non timeas ab inconſultâ electione, in quâ cognationum, aut largitionum pretia examinantur ad meritum?

Hic v. 21. Nota quàm ſollerter hîc Iſaacus exploret quem ex fratribus familiæ Principem conſtituat. Omnes admouet ſenſus: & tamen certior omnium, tactus inquam, eum fefellit. Viderint electores.

§. CCIII.

Superior ne ſit tam candide ſimplex, vt ſemel videatur totus.

1. Seneca ex Publ. Mim. LOCO *ignominia eſt apud indignum dignitas:* nam inſufficientia, dignitatis ſplendore infelix eſt. Nolo Iudicem nimis mitem; nam bonis nocet quiſquis parcet malis. Nec ſeuerum nimis; nam etſi bono iuſtitiæ proxima ſit ſeueritas; dum nimia eſt, in crudelitatem deſciſcit. Et ſanè remiſſius imperanti meliùs paretur; ſed contumax eſt humanus animus, & dum tenuit ſequi, duci neceſſe eſt. Vafer eſt, & verſipellis, & magnâ Rectoris ſagacitate eget. Verùm ſicut nimia aſtutia ſubiectos fatigat; ita nimiam ſimplicitatem & animi candorem, ſubditi rident, & technis eludunt, ſubiectionis malitiâ. Difficile eſt mediam tenere viam, quæ nec ob ſimplicitatem, ſit contemptui; nec ſit terrori, ob nimiam ſagacitatem. Saltem animus Superioris non debet eſſe omnibus pervius: plura oportet latere in cordis latebris, ſubditis inuiſa, quæ ſi perſpicua forent, regimini obeſſent. Ineptus eſt ad gubernationem qui ſemel videtur totus.

2. *Iſaacus plenè non videt, quem familiæ inaugurat Principẽ.* Hîc verſ. 23. ſedulus eſt Iſaac in filio primogenito Eſau benedicendo. Rebecca verò cæleſti oraculo edocta ſollerter ſatagit, vt ſuus Iacob Benedictionem accipiat, & familiæ Princeps inauguretur. Et dum agreſtis Eſaü ſyluas euentilat, & nemora fatigat, vt ferinam patri offerat; hœdinam Iacobus citiùs parabilem inuenit, & pelliculis nuda obtectus, hirſutum fratrem repræſentat, vt qui vocem mentiri non poteſt, mentiatur tactum falſata ſagaciter aſperitate. Ergo acceſſit Iacob ad patrem, & palpato eo dixit Iſaac: Vox quidem, vox Iacob eſt; ſed manus, manus ſunt Eſaü. *Et non*
Hic verſ. 23.
cognouit eum, quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant. Benedixit ergò illi; eumque conſtituit peramplæ familiæ Principem, omneſque Iſaacidas Iacobo ſubdit. Verùm enimuerò myſterio non vacat, quòd dum Iacobus inauguratur magni populi Princeps, non totus à Patre cognoſcatur. Quod peregregiè indicauit S. Gregorius, ſic aiens: *Iſaac filium* Gregor. homil. 10. *neſcit, quem benedixit. Præſentem non vidit, & ventura ei prævidit.* Planè moraliſſimè Iſaacus dum Principem familiæ conſtituit, ſic oculis caligat, vt illum videndo non videat, tametſi ad alia oculatiſſimus ſit, & longè futura lynceis cernat oculis. Filium neſcit, cui benedicit, præſentem non vidit, & futura ei præuidit. Præpoſitum quem de cælo conſtituit ignorat, ne præpoſitus de cælo inauguratus, ſemel totus videatur: aliquid ſentit, multa ignorat, totum non agnoſcit, ne Principem creet, qui totus agnoſcatur: *Et non cognouit eum, quia piloſæ manus maioris ſimilitudinem expreſſerant.* Porrò ſicut prudentia pro rerum varietate conſtanter varia eſt, & multiplex, conſultiſſimâ velut inconſtantiâ: ita Superior, prudentiæ vmbra, pro variâ & multiplici prudentiæ luce, nunc perſpicuus eſt, nunc ſubobſcurus: nunquam ipſe, ſemper alius: nec magis ipſe, quàm cùm alius.

1. Regum 17. Dauid adhuc puer, à Samuele clam vngitur in Regem ſuper Iſrael. Foris 3. præferebat paſtorem, intus regni charactere inſignitus. Caſu venit in caſtra, audit Philiſthæum Iſraëlis agmina maledictis exprobrantem: piè ferocit ſtrenuus iuuenis, & ad duellum inermis deſcendit, totus de ſpe armatus. Ibat autem Philiſthæus incedens, & appropinquans aduerſum Dauid. *Cumque inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid, deſpexit eum.* 1. Reg. 17. 42. O Philiſthæe Dauidem coram inſpicis, ſed quia eum non introſpicis, petulanter eundem deſpicis. *Philiſthæus videns Dauidem, illum ignorat, quia Principem videt?* Paſtorem vides, Regem non vides. Imò quia Regem vides, totum non vides; & inde eum deſpicis, vnde ſuſpicere debuiſſes. Ne citò credas viſui dum Principem cernis: difficile enim eſt totum principem ſemel peruidere. Vides quo vſque habes oculos; ſed Principis animus, & myſteria ſagacis prudentiæ, & arcani vigoris, vltra oculorum perſpicaciam ſunt. Audiendus eſt ibi Theodoretus tem- Theod. q. 40. peſtiuè ad rem: *Cùmque inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid, deſpexit eum. Imitabantur enim animi oculos oculi corporis. Illi enim acutum cernebant, & contemplabantur eum, qui non cadit ſub aſpectum.* Paſtorem ouium putas, dum eum oculis corporis intueris; ſed Paſtorem Iſraëlis vides, & inauguratum Regem; vnde contemplaris eum, qui non cadit ſub aſpectum. (Sic tantiſper Theodoreti verba aliò flectere liceat.) Vel inde coniectare licet in Dauide Principis mores, & latentem futuri regni characterem cæcis litteris inſcriptum, quòd quantumuis attentè & acutè illum cernas, plus in illo ignoras, quàm de eo vides. *Videns Dauid contemplaris eum, qui non cadit ſub aſpectum.*

***

§. CCIV.

§. CCIV.

Acceptum à Deo munus, ſignum eſt diuinæ promiſſionis indubiè adimplendæ?

1. GRAVE eſt accipere, quod non poſſis reddere, aut reddere nefas eſt. Malignum fieri, maximè munera docent. O caue ab eiuſmodi præſtigiis, quæ auaritiam procurant, & virginem Iuſtitiam conſtuprant! Accepta munera, ſeruitus paruò empta eſt: neque enim libertas pro toto venditur auro. Quantumuis valide adnitaris, opulenti muneris aureos nexus extricare non poteris. Gordius nodus eſt, quem niſi impudens ingratitudo non rumpit. Aureâ munerum catenâ te ſtringi paſſus es? aut ingratus eris, aut iniuſtus. Imo ingratitudine, iniuſtitiæ reâ, damna beris; niſi planè iniuſtus eſſe velis.

Munera, crede mihi, capiunt hominesque, Deoſque.

Non quòd Cælites (procul à cælo ſugillatio) dona ſubornent, ſed vt humano more homines erudiantur, quòd quando animus eſt largius munerare quoſdam, vel leuiter ab eis munerari ſe ſinunt, fauſto futuræ munificentiæ auſpicio.

2. Iudicum 6. Hebræus populus durè Madianitis tunc ſeruiebat. Apparuit autem Angelus Domini Gedeoni, & ait: Vade in hâc fortitudine tuâ, & liberabis Iſraël de manu Madian: ſcito quòd miſerim te. Vacillat de re tantâ Gedeonis credulitas, & ſuam tenuitatem cauſatur. *Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quaſi vnum virum. Et ille: Si inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi ſignum quòd tu ſis, qui loqueris ad me. Nec recedas hinc donec reuertar ad te, portans ſacrificium, & offerens tibi. Qui reſpondit: Ego præſtolabor aduentum tuum. Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hædum, & de farina modio azymos panes.... tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei.* Non admirarer de re magnificâ quam illi Angelus pollicetur, Gedeonem ambigere; erat enim ſupra humanas vires, & heroüm faſtum, tunc Iſraëlem liberare de ſeruitute Madian, cuius iugo infeliciter premebantur. Quod autem admirabilitate non vacat, eſt, Gedeonem petere ab Angelo ſignum rei quidem creditu difficilis; & non expectato Angeli reſponſo, aut ſigno, ſtatim perrexiſſe domum, vt lautum illi apparatet conuiuium. Quod his verbis obſeruauit Caietanus, ad rem præſentem opportuniſſimè: *Da mihi ſignum quòd tu ſis, &c. Vbi prudens lector, libra verba, & facta. Verba ſonant ſignum non alicuius rei occultæ, ſed manifeſta ipſi Gedeoni: videlicet quod tu loquens mecum. Non dicit, quod tu ſis Deus, vel Angelus Dei; ſed quòd tu loquens mecum. Similiter facta Gedeonis non ſonant ſacrificium (vt Vulgata habet editio) ſed munus. Subiungitur enim Hebraïcè: Ne quæſo recedas hinc donec veniam ad te, & educam munus meum, & ponam coram te. Hæc enim, vt allata teſtantur, ſonant prandium,*) nota attentius quæ ſubdit verba Caietanus.) *Signum itaque firmi ac benefici ſermonis petit ſibi fieri, expectando prandium de manu ipſius Gedeonis.* Scilicet Gedeon non dubitat eſſe Angelum, quocum loquitur; nec Dei nomine liberationem prædicere; nec Angelum diſertè, polliceri, id per ipſius Gedeonis ſtrenuam peritiam & potentiam, euenturum: ſed externum ſignum poſtulans Angelicæ promiſſionis implendæ, id certo fore ait, ſi de manu ipſius Gedeonis munera Angelus acceptet. *Signum itaque firmi ac benefici ſermonis petit ſibi fieri, expectando prandium de manu ipſius Gedeonis*, (ita opinatur Caietanus: verène, an falsò, alibi diſcuſſimus.) Vide oculis munerum præſtigias ad permouendas hominum voluntates; quod hæc Gedeonis opinatio valde prodit & exaggerat. Nempe ſcit ſtrenuus & peritus vir; Deo eſſe curam de ſuo populo miſerè afflictato; ſcit eſſe Angelum, Dei nomine miſſum cum quo loquitur; ſcit diſertè per eius manum & induſtriam ſuæ gentis liberationem promitti: & tamen cùm hæc omnia nimis idonea ſint ad omnem animi ambiguitatem pellendam, adhuc hæret, donec de manu ſuâ Angelus munera accipiat: *Signum itaque firmi ac benefici ſermonis petit ſibi fieri, expectando prandium de manu ipſius Gedeonis.* Quid exaggeratius? Munerum ingenium ſpem conuertit in fidem? Sic certum & inconcuſſum eſt, quod accepta munera fundant? Hæc rudis tunc Gedeonis vulgaris opinatio, munerum præſtigias ad permouendum humanas voluntates moraliſſimè prodit.

Iudicum 6. v. 16. 17. 18. & 19.

Acceptum à Deo munus, ſignum eſt diuinæ promiſſionis implendæ?

Caiet. ibi.

Geneſeos 4. naſcitur Cain improbitate nothus, notus probitate ſuccedit Abelus. Factum eſt autem poſt multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: *Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad cain verò & ad munera illius non reſpexit.* Inde Cainus atrociter iraſcitur, admonitus à Deo non deſæuit, foras euocans fratrem, trucidat incautum. Sceleris conuictus, pœnam flagitij audit: quâ auditâ, animum deſpondet, & de veniâ deſperat: *Maior, inquit, eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Vnde Cainus in tantum præceps ruit baratrum? cur ſpem abiicit, quam de Dei benignitate oportebat concipere? An non quem pium admonitorem nuper ſenſerat, eundem nunc parcitorem imploret? Verùm enimuero vbi animaduertit Cainus, eius munera à Deo repudiata, nec Deum audit adhortatorem, vt à flagitio deſiſteret; nec ſpem veniæ concipere audet, ne non deſperet. Porrò non tantùm Caini munera repudiauerat Deus, ſed nec eius oblationem ad Donorum nomen voluit acceptare, vt ſecutus LXX. interpretum tranſlationem, Baſilius Seleucus tempeſtiuè notauit: *Quocirca, inquit, quæ Abelus dona comportat, dona nominat: quæ Cainus, Hoſtiam appellat: nam quæ odit Deus, Hoſtiam appellat, improbâ iſtâ appellatione hoſtiam auerſatus; quæ verò admittit, Dona ſolet indigitare. Mutauit ſcriptura nomen præter naturam & indolem rei, acceptantes quoque circa ipſa demutans. Iratuſque eſt Cain vehementer; &c.* Scilicet vbi aduertit Cainus æmuli ſui Dona 3.

Geneſ. 4. v. 4. & 5.

Caini oblatio nec ad Doni vocabulum acceptatur.

Baſil. Orat. 4.

à

à Deo acceptari ; ne feliciſſima quæque in vnum Abelum affatim cumularentur, illum de medio tollit. Paritérque ſcius, eius oblationem, non tantùm diuino refutatam abnutu, ſed nec ad Domi nomen acceptari, animo cadit, furit atrociter, impudenter deſperat. Ecce tota tragœdiæ accepta, non data occaſio fuit, ob eius improbitatem, Deum nec ad Domi vocabulum Caim acceptaſſe oblationem. Neque enim fortè deſperaſſet, ſi Deum à ſe muneratum aduerteret. Pluſne ſperat Cainus de munerum lenocinio, quam de diuinæ miſericordiæ blandimento? Immunerata à te eſt Dei bonitas ſed infinitè benefica, immerate munifica, ſibi immenſum ſufficiens: plus tribue benignitati diuinæ, quàm de humana muneratione præſumis. O, tantum muneribus homines tribuunt!

Hic v. 25. Audi hic Iſaacum: *Affer mihi cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea.*

---

§. CCV.

Linguam ſubiecti Adamo ſerpentis, aſſumit Dæmon, vt in eum ſæuiùs ſereciat.

1. Senec. ep. 47. SAPIENTER Seneca ſic ad ſuum Lucilium ſcribit, illum peritè inſtruens, quo modo cum ſeruis humaniter agat: Libenter, inquit, ex his qui à te veniunt, cognoui, familiariter te cum ſeruis tuis viuere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui ſunt? imò homines. Serui ſunt? imò contubernales. Serui ſunt? imò humiles amici. Serui ſunt? imò conſerui, ſi cogitaueris tantundem in vtroſque licere fortunæ. Itaque rideo iſtos, qui turpe exiſtimant, moderatè cum ſeruis ſuis agere. Seruis imperare temperatè laus eſt. Qui ſeruis crudelis eſt, oſtendit in alios voluntatem ſibi non deeſſe, ſed poteſtatem. Minùs eſt quàm ſeruus, Dominus, qui ſeruos timet. Faſtus & crudelitas, non tam ſeruos, quàm inimicos nutrit. Quid Dominum iuuat domeſticos alere hoſtes? Si non timet de infauſto, timeat de periculo. Vel Domini vocabulum ſatis inuidioſum eſt; & niſi familiaritate aliquâ mitigetur, nimis de inuidiâ periculoſum.

Serui, humiles amici reputentur.

2. Geneſ. 2. 19. Geneſ. 2. ſic fatur Moyſes: *Formatis igitur Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Quaſi dicat Deus: Eſto ô Adam nominum artifex, quando rerum eſſe non potes. Formentur à me, nominentur à te, quæ procreata: *Partiamur huius fictricis ſolertiæ gratiam: me cognoſcant artificem naturæ lege, te Dominum intelligant appellationis nomine*, ait eleganter Baſilius. Pergit ad rem præſentè opportunè, vt innoteſcat, quid mali ex hoc *Domini* vocabulo obuenerit Adamo: *Verùm adſtat Leo blandè ſubſultans, lupus inter oues pacatè agebat, & ſerpens hominis ſubiectus erat arbitrio; ſic enim factum eſt, vt linguam Diabolo commodarit.* Quia ſerpens ſubditus erat homini, inde factum eſt, vt contra hominem ſuam linguam Diabolo commodarit? Linguam ſubditi eligit aſtutiſſimus Dæmonum, quo ſæuiùs vulneret ſuperiorem hominem? Fortè in Tartarorum faucibus deerant ſerpentinæ linguæ, quæ Inferni veneno illitæ, hominem ſeducerent, & exitialem illi perniciem afferrent. Verùm enimverò Diabolorum calidiſſimus, quo periculoſiùs inſidiaretur homini, infernalem negligit linguam, & ſubiecti Serpentis linguam mutuatur, vt perniciocioſiorem edat ſtragem. Sic ſubditorum linguæ contra Dominos ſæuiunt? Quid alis domeſticum periculum? Niſi ſeruos humanitate mitigaueris, inteſtinos alis hoſtes, ſubiectionis iugo efferatos.

Linguã ſubiecti ſerpentis mutuat Dæmon, vt ſæuiùs feriat Dominum. Baſil. Seleuc. orat. 1.

Poſt impoſita nomina animantibus, quæ de omni ſpecie, bina, maſculum, inquam, & fœminam, adduxerat Deus ad Adamum, comparem & ipſe concupiſcens, placidè ſoporatur. Interim Dei manu extrahitur coſta, & in mulierem efformatur. Marito vxor ſiſtitur, ſtatim perplacet: atque has voces expreſſit amor: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ. *Quam ob rem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna.* Adamus nunc nimis vxorius, non boni, opinor, Superioris typum gerit; dum præcipit aliis, quod ipſe nòn præſtat. Seriò enim iubet Adamus, vt vxoris causâ reliqui exinceps homines, patrem & matrem deſerant; ipſe verò à Deo primus omnium creatus, nec patrem habuit, nec matrem quos relinqueret. Procliue eſt, aliis ſeueriùs præcipere, quod ipſi non præſtamus. Sed perveſtigare expedit, quid ſit, virum vxoris cauſa, patrem ſuum, & matrem relinquere. Hugo Victorinus ita hanc Adæ ſententiam expendit: *Quid eſt autem quòd dicit, relinquet, &c. Nec dicendum, quod relinquat habitatione, aut omninò dilectione, ſed priuilegio dilectionis, quod ad vxorem transferre debet: ſed etiam relinquat ſubiectione & tutelâ.* Cùm priuilegium amoris in alium transfertur; ille, ille ipſe, quem olim & nunc adhuc diligis, *relinqui* dicitur? Maior dilectio, reliquorum derelictio eſt? Prælatione vnius ceteros derelinquis? Sed quid eſt, quòd addit Hugo, vxorem diligendam eſſe ex amoris *priuilegio*? Numquid naturæ lege diligendi ſunt parentes; vxor verò ex legis priuilegio? Ceditne pater amori, quem filius vxori impendit? An quia tot ſunt mutuæ beneuolentiæ obices in coniungali habitatione, coniuges ex priuilegij fauore, ſe mutuò diligere dicuntur? Ad hæc attentiùs aduerte, quòd *ſubiectione & tutelâ*, priùs homo eximitur, quò ardentiùs amare poſſit, quaſi *ſubiectio* amorem retardet & impediat. Audacia amoris liberum hominem expetit; non pupillum, non *ſubiectum*. Ingenuus amor ſeruitutem excutit, & liberum hominem aut inuenit, aut facit. Seruitus incongrua eſt liberali amori; ad odia, & defectiones peridonea. Tua familiaritate *ſubiectionem* mitiga, vt liberum amorem extorqueas. Nam ſeruitus dominio inſidiatur, & domeſtica odia ſubiectionis genio ſubornat.

3. *Superior, quæ ipſe non præſtat, ſeueriùs præcipit.*

Geneſ. 2. 24. Hugo Vict. in adnot. in Geneſ.

4. *Qui minùs diligitur, relinqui dicitur.*

Coniux diligitur ex priuilegio?

Subiectio amorem impedit, odia ſubornat?

Hùc

5. Hùc aduocari poteſt illud Iacobi, ſic fantis: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in viâ, per quam ego ambulo; & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè in domum patris mei: *Erit mihi Dominus in Deum.* Facili flexu hanc etiam theſim locupletatam agnoſces. Nugatorium enim alioqui videtur votum, quo promittit, ſe Dominum habiturum in Deum. Sed non eſt ita facile, quem *Dominum* ſeueritate experitur; quaſi in Deum adoratione & amore ferri. O quàm acerba odia Eſaü, & Eſauitæ, cum Iacob, & Iacobæis perdiu geſſerunt! Dominus, an hoſtis dictus eſt hic Iacob?

D. minū, vt Deum colere, eximia virtus eſt.

Gen. 28. 21.

Hîc v. 25.

---

§. CCVI.

Qui fratri ſeruit, vnus plures ſeruus eſt, multiplici ſubiectus ſeruitute.

1. CVm plurima ſint, quæ æmulationes, odiaque prouocent, tum nihil propè potentius, quàm dignitates & opes, etiam in amicitiâ & ſanguine coniunctiſſimis. Alterum alteri prælatum, ſat ampla materia odiorum eſt. Cogita fratres, magnam non rarò morum ſimilitudinem videbis, mutuam beneuolentiam. Maior vni accedat honor, maximè iuniori, magis etiamſi imperium; quæ non metuenda exurgunt? fratres eſſe deſinunt; ſi æmuliùs ferant in externos dignitates & ſceptra tranſire. Dura nimirum eiuſdem vteri prærogatiua eſt, eóque grauior, quo diſcrimina neſcit mater, ignorant vbera. Vtero & vberibus, non dignitatibus & opibus æquari, omni propè morte acerbiùs videtur. Hinc fratrem fratri ſubiici, pergraue & acerbum iugum eſt, & exaggeratior ſeruitutis impatientia.

Polychronicon Chiſthanus lib. 1. c. 3.

2. Hìc verſ. 29. mentitam Eſaü perſonam agens Iacobus, hâc Benedictione patriarchali felicitatur: Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* Sanctus Chryſoſtomus, quo pollebat ingenij acumine, penitè hæſit in illis verbis, *Eſto Dominus fratrum tuorum*, cùm Iacobus vnum tantùm habuerit fratrem Eſaü. Vnde ad rem ipſam attendens, exſcripſit: *Eſto Dominus fratris tui.* Sed Vulgatus non *fratris tui* legit, ſed Spiritu ſancto inſtinctus, dixit: *Eſto Dominus fratrum tuorum.* Quid hoc? Iacobus vnum duntaxat fratrem Eſaü habet, & à patre ſenio confecto conſtituitur *Dominus fratrum ſuorum?* Quinam ſunt hi Iacobi fratres Bibliis ignoti? An infelicitas vnum Eſaü multiplicat ad augendam infortunij paſſionem? an vel fratris fortunati felicitas infelicium ampliat numerum ad gloriæ exaggerationem? Putauerim potiùs, quòd vnus Eſau, vnus plures efficitur, dum fratri ſubiicitur: & qui te vnus eſt, à ſeruitute multiplex computatur. Porrò vna plures ſeruitus eſt, quâ maior frater minori ſeruit, geminatâ ſeruitutis calamitate. *Eſtar vno ſujeto à ſu hermano, es doblada ſeruidumbre.* Vnde non dixit Iſaacus Iacobo: *Eſto Dominus fratris tui*, vt putauit Chryſoſtomus, ad rei corticem ſpectans; ſed vt profundè vidit Hieronymus, moralitatis nucleum emedullans: *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ:* tametſi de vno Eſau intelligendum ſit.

Hic verſ. 29

Chryſ. ibi

Vnus Eſau multiplex Iacobi ſeruus eſt.

Geneſeos 37. accidit vt Ioſeph viſum ſomnium narraret fratribus ſuis: quæ cauſa maioris odij ſeminarium fuit. Dixitque ad eos: Audite ſomnium meum, quod vidi: Putabam nos colligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare; veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. *Reſponderunt fratres eius: Numquid Rex noſter eris? aut ſubiciemur ditioni tuæ?* Hæc ergo cauſa ſomniorum atque ſermonum, inuidiæ & odij fomitem miniſtrauit: adeò vt ſæuum poſtmodùm intentarint parricidium; & mitiùs ſe feciſſe putarint, dum illum agreſtibus Madianitis vendiderint, vt fratrem eminentem ſomnij vmbris, & inhumano exilio, & barbaricæ ſeruituti manciparent. Sed explorare oportet, quibus verbis explicuerint, vel ſomniatum fratris Ioſephi principatum. *Numquid*, aiunt, *Rex noſter eris?* &c. Quæ verba viuaciùs ad rem præſentem expreſſit Lipomanus, ſic aiens: *Hæc littera plena Hebraiſmis eſt, habet enim: Nunquid regnando regnabis ſuper nos, aut dominando dominaberis nobis? Quam etiam phraſim ſeruantes Septuaginta verterunt: Nunquid regnans regnabis ſuper nos, aut dominans dominaberis nobis?* Scilicet hoc angit Ioſephi fratres, & barbaricâ armauit iracundiâ in fraternum ſanguinem, nempe fraternæ ſeruitutis timor, quam geminatæ ſeruitutis vocabulo expreſſerunt, aientes: *Numquid dominando dominaberis nobis?* quaſi vnius fratris Ioſephi multiplex in ſingulos vereantur dominium; cui ab Iſaaco damnatus dicitur Eſaü, cùm Iacobus à patre audit: *Eſto Dominus fratrum tuorum*, & tamen vnius Eſaü Dominus conſtituitur. Quaſi ſubiectio ad fratrem, ſit multiplicata ſeruitus, fraternitate ſeruitium multiplicante: & erga fratrem non tantùm quis ſimpliciter principetur; ſed *dominando dominetur*, arcano fraternæ ſeruitutis incremento: & ſuæ dominationis auctario. Vnde Iacobo, qui vnicum fratrem Eſaü habuit, diſertè dicitur: *Eſto Dominus fratrum tuorum.* Quaſi germanitas ſeruitutem augeat, multiplicet, incrementet, ad fratris Domini felicitatem, & ſeruorum fratrum infortunium. 3.

Geneſ. 37. v. 8.

Lipom in Catena.

Qui fratri ſeruit, multiplici ſeruit ſeruitute.

* * *

§. CCVII.

E multis maledicentibus, vnus duntaxat maledicitur, ne omne hominum genus maledicatur?

1. Seneca lib. de vita beat. cap. 26. NIHIL magis, Socrates inquit, perſuaſi mihi, quàm ne ad opiniones veſtras actum vitæ meæ flecterem. Soluta conferte vndique verba, non conuitiari vos putabo, ſed vagire velut infantes miſerrimos. Quod eſt vagitus infantibus, hoc adultis maledicentia eſt. Obſtrepunt, & inquietant, ſed neminem vagitu feriunt. Malè de te loquuntur homines; non ſingulari iudicio hoc faciunt, ſed communi morbo: faciunt non quod tu mereris, ſed quod ipſi ſolitant; communis omnibus maledicendi libido eſt.

2. Hic v. 29. Hic verſ. 29. dum Iſaacus proſperiorem fortunam precatur, & prædicit Iacobo, hâc Benedictione illum felicitat, & aduerſus detractores modulatè clypeat: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Verba quidem ſpecie tenus expedita, ſed ſi attentius cum Hebraicâ origine conferantur, plena emphaſis, plena ingenij ſunt. Caietanus ſic præfatum locum legit, & exponit. *Maledicentes te, maledictus.* Maledici plures ſunt, & vnus tantùm ex illis maledicendus erit? Ecur non maledici omnes maledicendi erunt, vt Hieronymus cenſere videtur? Porro Vulgatus dicit: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus.* Id eſt, quicunque maledixerit tibi, ſit ille maledictus: quæ maledictio de omnibus vniuerſatim intelligitur; quam Caietanus ex Hebræo reſtringit ad vnum ex omnibus maledicentibus, aiens: *Maledicentes te, maledictus.* An ex pluribus maledicentibus, vnus duntaxat maledicendus erit, ne ſi omnes maledicentes forent maledicentiæ rei, omnes ferè homines eſſent maledicendi aut maledicti? Heu quam latè ſerpit humanæ maledicentiæ libido! Conſultò ſeuerioris ſententiæ rigor temperatur, ne omnes omnino homines maledictione, maledicentiæ debitâ ferantur acerbiùs: *Maledicentes te, maledictus.* E cunctis detractoribus, detractionis pœnæ obnoxiis, vnus, aut alter eligatur ad pœnam, (quod fieri ſolet, quando populariter communitas delinquit) ne omne hominum genus diræ maledictioni ſubiaceat, & omnis gens hominum pariter maledicatur. O quàm ſunt pauci, aut propè nulli, à maledicentiâ immunes! Quaſi linguæ maledicentia ſit quædam primæui delicti, aut meditatio, aut æmulatio.

Caiet. hic.

E pluribus maledicentibus vnus maledicitur, ne omnes homines maledicantur.

3. Iacob. 3.6. Iacobi 3. quàm latè & periculosè ſerpat commune linguæ vitium cum emphaſi exponitur. *Lingua, inquit, ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehennâ.* Breui ecphraſi ſingulas perſtringam ſententias. *Lingua ignis eſt*, & vt notat ibi Anſelmus Laud. *Ignis totum virum malè loquendo deuorat.* Nec virtus aliena, nec propria virtus, ſatis tuta eſt à linguæ maledicentia? Lingua eſt carnificina, laniena, & vorago virtutum? Vitio lingua aliquando patet, ſed perpetua virtutum inſectatrix, lingua eſt. *Vniuerſitas iniquitatis.* Græcè, *Mundus iniquitatis*, id eſt, vel ornatus malitiæ, vel iniquitatis vniuerſitas. *En mundo de maldad.* O quam vaſta ſunt maledicentiæ ſpatia! Ecquis extra hunc maledicentiæ mûdum eſt? *Inflammat rotam natiuitatis. Quia merito prima præuaricationis (ait Beda) ab interna felicitate proiecti, huc illucque vaga mente raptantur.* Audis linguæ prauitatem dici primæuæ præuaricationis æmulam: Multa breui compendio Beda inſinuat; & quam latè & periculosè ſerpat, ad rem præſentem perſpicuè demonſtrat. Beda ibi. Certè Syriacus interpres, pro rotâ natiuitatis, *Seriem genealogiarum* tranſtulit, *vt ſignificet omnium generationum ſeriem lingua velut incendio inflammari*, ait Benedictus Iuſtinianus ibi. 4. P. Iuſtin. ibid. Quaſi linguæ velut primordiale delictum, in omnes generationes ſeriatim propagetur, vniuerſatim ſerpente malitia. Niſi mauis, quòd lingua inflammat rotam natiuitatis, id eſt, *ſeriem genealogiarum*, quia res genealogiæ præcipua maledicentiæ materies eſt, quod præuidens Apoſtolus præproperè damnat, aiens, quòd humana lingua *inflammat ſeriem genealogiarum, inflammata à gehennâ.* Nempè de gehennâ trahitur, quod ad tractandam *ſeriem genealogiarum*, lingua ebibit, & maledicentia eructat. Hæc curſim perſtrinxerim, ne non notem rem notatu digniſſimam.

Anſel. ibi. Lingua latè ſerpit in maledicentia vniuerſatim exaggeratur ex eo, paratione ad primæuum delictum.

Maledictio in re genealogie, à gehennâ inflammatur.

Celada de Benedict. Patriarch.

§. CCVIII.

Malus Sacerdos peſtilentiſſimam contagionem Reipublicæ inhalat.

1. Naz orat. 1. Apolog. PIA luctuoſa Nazianzeni vox eſt, quâ publicas opplorat calamitates ſui ætatis, an noſtræ potius? *Hac inquam tempeſtate, quâ mutuo bello membra inter ſe conflictantur, ac perijt quantulumcunque reſtabat charitatis, nomen iam inane eſt Sacerdos, effuſo videlicet in ipſos quoque principes contemptu.* Et paulo ante hæc ſuper re ita ſcripſerat: *Aliorum me puduit, qui cum plebeijs hominibus nihilo meliores ſint, atque vtinam non etiam multo peiores, illotis manibus, profaniſque animis in ſanctiſſima myſteria ſeſe inferunt; ac priuſquam digni ſunt, qui ad ſacra propiùs accedant, ſacrarium ipſum affectant, & circum ſacroſanctam menſam premuntur ac protruduntur; tanquam non virtutis exemplum, ſed vitæ adiumentum atque ſubſidium hunc ordinem eſſe iudicantes..... Ac proinde peſte hâc progreſſu temporis inualeſcente, &c.* Audis ſacerdotium indignè adminiſtratum, dici Reipublicæ peſtem, contagione in omnes fœdè graſſante; funeſtâ morum ſtrage?

Non bonus Sacerdos, eſt rei Chriſtianæ peſtis.

2. 1.Reg.4.17. 1.Reg.4. Hebræi in campum contra pugnaces Philiſthinos deſcendunt, viribuſque ſuis diffiſi, Arcam Dei aduocant auxiliatem: prælium committitur, vincitur Iſraël. Miles autem quiſpiam fugâ elabitur: qui vocatus, *Dixit ad Heli: Ego ſum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodiè. Cui ille ait: Quid actum eſt fili mi? Reſpondens autem ille, qui nunciabat, Fugit, inquit, Iſraël coram Philiſthijm, & ruina magna facta eſt in populo: inſuper & duo filij tui*

Euangelizatur Reipublicæ non bonorum Sacerdotiſ interitus, etiā cum ingenti ipſius populi iactura.

tui mortui ſunt, Ophni & Phinees, & arca Dei capta eſt. Pro illis verbis, *qui nunciabat*, Hebraicè habetur מבשר *Mevaſſer*, id eſt, *Euangeliſta*. Verùm vox Euangeliſta conſtanter in ſacrâ & profanâ eruditione eum ſignificat, qui lætum & fauſtum defert nuntium. Qui Arcam Domini captam, Iſraëlem male ab hoſtibus conciſum, qui duos eius filios cæſos Heli parenti nuntiat; infauſtus, inquam, hic nuntius, dicetur *Mevaſſer*, ſeu *Euangeliſta*? Valde ſudant interpretes, vt hunc nodum extricent, cùm planè ſit inſolens in Bibliis, qui non lætum defert nuntium, Euangeliſtam nominari?

P. Mald in proœm. ad Eua. c. 1. 1. Reg. c. 1. v. 11.

Auctores aliqui apud P. Ioannem Maldonatum in proœmio ad Euangelia, ſetiò cenſent, quòd verbi *Euangeliſtæ* proprietas hîc ſeruata ſit. Audi attentius ipſorum rationem. *Quia bonus erat nuntius malos ſacerdotes occiſos eſſe*, nempe Ophni, & Phinees, qui flagitiosè ſacerdotale munus obibant. Res profectò mitiſſima, & in paucis notáda, tam periculoſum eſſe Reipublicæ habere non bonos ſacerdotes, vt *Euangeliſta*, id eſt, læta, proſpera, & fauſta annuntians dicatur, qui annuntiat, Arcam Iſraëlis (quæ ferè pro Numine erat) captiuam ab hoſtibus duci, & lamẽtabili excidio triginta millia populi occubuiſſe; dummodo denarrauit, non bonos Sacerdotes Ophni & Phineem è medio ſublatos. Heu tam ſunt reipublicæ perniciosi mali ſacerdotes! (Non ibo inficias, hanc præfati loci expoſitionem non eſſe litteraliſſimam, ſed eam in primis cenſeo moraliſſimam) Scilicet nec eiuſmodi Sacerdotum, morum peſtilitás, quæ latiſſimè ſerpit, cælitus ſiſtitur, ne *peſtis hæc progreſſu temporũ inualeſceret*, vt nuper aiebat Nazianzenus.

3. Propheta Sophonias cap. 3. Dei inſtinctu aduerſus Hebræam gentem, ſic grauiter intonat: *Væ prouocatrix, & redempta ciuitas, columba. Non audiuit vocem, & non ſuſcepit diſciplinam.* &c. Vnde ſic moribus deprauatus, & Idololatriæ luxu conſtupratus eſt Iſrael? *Prophetæ eius veſani, viri infideles: Sacerdotes eius polluerunt ſanctum, iniuſtè egerunt contra legem.* Attende ad ſtragis acerbitatem, quam Deus prophetico ore futuram prædicit populo, qui ſub nõ bonis Sacerdotibus, graſſantem morum contagionem imbiberunt, exuberante malitiâ. *Dominus iuſtus in medio eius, non faciet iniquitatem: manè manè iudicium ſuum dabit in lucem.* S. Hieronymus hoc pulchro gloſſemate locum ad rem illuſtrat. *Omnis itaque contra Hieruſalem ſermo eſt. Væ ciuitas quondam columba, ſemper peccans, & captiuitatibus tradita, & rurſum redempta à Domino. Væ ciuitas prouocatrix; quod ſignificantius Hebraicè dicitur, Deum amarum faciens, id eſt, tuo vitio dulcem Dominum atque clementem vertens in amaritudinem.* Et poſtquam longiuſculè prodit Iſraëlis peccata, quæ vno verbo dixerat, *Semper peccans*, ſubdit ad rem: *Sacerdotes in loco ſanctuarij commiſere ſacrilegium, & cùm contra legem facerent, ex lege victimas offerebant. Propterea quia illa egerunt iniuſtè, Dominus Iuſtus non faciet iniquitatem.* Nota voculam illam cauſalem *propterea*, quâ opportunè vſus eſt Hieronymus, poſtquam Sacerdotum retulit vitia. Tunc, tunc quidem Deus quaſi Miſericordiæ oblitus, *Iuſtus* duntaxat dicitur, cùm populum ſeueriſſimè caſtigat. Imò ne aliquis putaret, tam acerbum ſupplicium æquitatis metas ob nimiam ſeueritatem excedere, & potiùs ſæuitiæ, quàm Iuſtitiæ imputandum: addit: *Dominus iuſtus in medio eius, non faciet iniquitatem: manè manè iudicium ſuum dabit in lucem.* Dum Dominus iuſtus *in medio eius*, dicitur, omniſcientiam ſuam vindicat, quaſi propius explorauerit eius malitiam, neque ex relatione, aut coniecturis eorum malitiam agnouerit. Sed quid eſt: *Non faciet iniquitatem: manè manè iudicium ſuum dabit in lucem?* Num diuinæ Iuſtitiæ rigor, tantus erit, vt iniquitatis, iniuſtitiæ, & crudelitatis argui timeat? Quid præmaturâ cautione opus eſt? Profectò ſic profligantur mores populi non bono Sacerdotum exemplo: ſic eos ſolicitat Deus *propterea* acerbè caſtigare, vt attentior Propheta non duxerit ſuperuacaneam cautelam, quâ Deum à ſuſpicione iniquitatis præproperè vindicet, aiendo: *Dominus Iuſtus in medio eius, non faciet iniquitatem: manè manè iudicium ſuum dabit in lucem.* Quid exaggeratius? Iure ergo dicitur Euangeliſta, & bonum deferre nuntium ille, qui inter tot Hebrææ religionis & gentis ſtrages, publicauit, Ophni & Phineen occubuiſſe: *quia bonus erat nuntius malos ſacerdotes occiſos eſſe*; quia Sacerdotum flagitia adeò ſeuerè punit Deus, vt conſultò præcaueat Propheta, ne ſæuitiæ notetur, *Non faciet iniquitatem.*

Deus à ſæuitiâ vindicatur, cum ſacerdotũ peccata vindicat.

Sophon. 3. 5. Hieron. ad eum locum.

1. Reg. 4. 17.

O quàm beneficè conſultum eſt Iſaacidum familiæ, dum agreſtis & efferus Eſau abiectus eſt à Sacerdotio, primogenituræ annexo! Quàm ſublimiſſimè auctus ſit Iacobus ſequens §. ediſſerit. Hic v. 29.

§. CCIX.

Præclarus Sacerdotij nitor vel leuis delicti nubeculâ obſcurè infuſcatur?

NOVÆ legis Sacerdotium, eſt humanæ naturæ decus, diuinæ gratiæ nitor, & velut ſcintilla quædam diuinitatis, puritatis empyreæ de candore æmulum. *Chriſtus authenticus Pontifex Dei Patris*; adumbratus fuit eleganti typo in Melchiſedecho. *Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus eſt in æternum*, (cuius Ieſuani Sacerdotij heredes facti ſunt reliqui Chriſtianæ legis Sacerdotes.) Sed attentius nota quid de Melchiſedecho Chriſti vt Sacerdotis typo, dicat Paulus ad Hebræos 7. *Melchiſedech rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex Iuſtitiæ: Deinde autem & rex Salem, quod eſt rex pacis: ſine patre, ſine matre, ſine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* Scilicet reliqui in Teſtamento veteri figuram Chriſti adumbrarunt, aliquos in eis ſaltem næuos reperies, (quod eſſi expeditum, longum foret ſigillatim oſtendere.) At in Melchiſedech, qui typus Chriſti vt Sacerdotis inducitur, nihil non ſanctum & generoſum inuenies, aut quod vel maledicendi libido queat leuiter reprehendere, aut non debeat vt auguſtiſſimum æſtimare. Primò regiâ purpurâ Melchiſedechus ſplẽdet, quid nobilius?

§. Tertull. l. 4. cont. Marc. cap. 35. ad Hebr. 6. v. 20.

ad Hebr. 7. v. 1. 2. & c. Gen. 14. 18.

Sacerdotij Chriſti eximius nitor, in Melchiſedecho, tam vmbrâ præclarè ſplendet.

bilius? Abrahamo, vt maior minori benedicit; ab eôque decimas accipit, quo eum ſibi vectigalem profitetur, quid ſublimius? Dicitur *ſine patre & ſine matre*, ne aliquod parentum aut maiorum vitium per generationem cum indole expreſſiſſe videatur. Item *ſine genealogia* ne ſoboles aut cognatio aliquam illi maculam affricuerit. Inducitur ſine *initio dierum*, *& fine vitæ*, ne natiuitate aut morte tantiſper degenerâſſe putetur. Imo nec nomen ipſum probitate & generoſitate vacuum eſt: nam Melchiſedech *regem iuſtitiæ, & regem pacis* ſignificat, Paulo interprete. Denique nulla vſpiam alibi vel ante vel poſt eius mentio facta eſt, *Vt ex ipsâ eius*, in Geneſi deſcriptâ, *historiâ de Olympo lapſus*, *vt Olympum receptus videatur Melchiſedech*, quod locuples commentator argutè notauit. Hoc enim Græcum ἀγενεαλόγητος ſignificat. Ecce tibi quàm omni ex parte irreprehenſibilis, defæcata, & ſplendida Ieſuani Sacerdotij vmbra præceſſerit in Melchiſedecho; non in Aarone, & Aaronici Sacerdotij ſucceſſoribus, ne tanti Sacerdotij vmbra eorum maculis infuſcaretur. Vnde ſubiungit Apoſtolus: *Segregatus à peccatoribus; id eſt, à prioribus Sacerdotibus*, Leuiticis inquam, vt præclarè ibi adnotauit Ambroſius (ſi S. Ambroſij, & non potius Hilarij Diaconi ſunt eiuſmodi commentaria.) In tam prorſus immaculato, & omnino ſplendenti typo debuit adumbrari *Christus*, vt *authenticus Pontifex Dei Patris*!

Gen. 14. v. 18.
Caietanus in ad Hebr. 7. 1.
ad Heb. 7. v. 26.
Ambroſius vel potius Hilarius Diaconus ibi.

2. Adhuc emedullare locum Paullinum iuuat ad rem præſentẽ, & curioſius diſquirere, quare Melchiſedech, quæ præclarior præceſſit Dominici Sacerdotij vmbra, dicatur, *Sine patre ſine matre, & ſine genealogia*. An parentum vel maiorum delicta denenuſtabunt Sacerdotium filiorum, etiam qui nulla delicta perpetrarunt? Sacerdotalis officij candor vel progenitorum culpis offuſcaretur? Perbella quæſtio inter Biblicè peritos agitatur, quam ob cauſam Matthæus, qui inclytam Chriſti Dei genealogiam texit, non erubuerit recenſere Thamarem inceſtu infamem, Rahab meretricatu notam, Berſabæam adulterio propudioſam, & progenitores non paucos plurium ſcelerum infamiâ propudioſos, Lucas verò Chriſti progeniem recenſens, quàm potuit ſolerter ab eorum abſtinuit recenſitione? Eleganter Ambroſius his verbis reſpondet. *Neque tamen* (inquit) *abnuo, cum Thamar & Ruth defendo, peccatores quoque inter Maiores Dominici generis computatos: quorum commemorationem ſanctus Lucas declinare deſiderans alium quendam ſucceſſionum ordinem tenuit. Neque enim Achab, neque Iechoniam, neque poſtremò vxorem Vriæ nominandas putauit*, (audi rationem Ambroſio ore, & ingenio digniſſimam) *vt immaculatam Sacerdotalis generis ſeriem declararet*. Nimirum dum Chriſti Dei humana genealogia texitur, nil habet pẽſi Matthæus hoſce homines delictis turpes recẽſere, quamuis inclyta per tot Reges ducta nobilitas declaretur: neque id putat puritatem Chriſti Dei dedecere. Quando verò *Sacerdotalis generis ſeries declaratur*, vſque adeo deducitur defæcata, limpida, pura, & *immaculata*, vt Lucas his flagitioſis progenitoribus referendis conſultò abſtinuerit, ne Ieſuani Sacerdotij nitorem auitæ prauitatis nebulâ tantiſper obſcuraret. Porrò Sacerdos Deo totus, diuinoque cultui deſtinatus, cuius illuſtre munus eſt, offenſum propitiare Numen, vſqueò debet eſſe ſanctus, innocens, & *immaculatus*, & proprijs delictis extraneus, vt neque alienis, ſuorum inquam, maiorum peccatis vllatenus obſcurari dicatur. Candor enim Sacerdotalis officij vel progenitorum malitiæ nebecula tantiſper obſcuraretur, ne præclarè niteret condignâ tanto muneri puritate? Exinde in progenitorum Chriſti cenſu non Matthæus, ſed Lucas abſtinet a ſceleratorum cenſu, *vt immaculatam Sacerdotalis generis ſeriem declararet*: & eandem ob cauſam Melchiſedech Dominici Sacerdotij vmbra, à Paulo inducitur, *Sine patre, ſine matre, & ſine genealogia*.

ad Heb. 7. 3. *Sacerdotalis officij candor vel progenitorum delictis infuſcatur.*
Matth. 1. 1.
Lucæ 3. 23.
Ambroſ. l. 3. in Lucam.

3. Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham*. Quare in Euangeliorum auſpicio Chriſtus Deus dicitur & Dauidis, & Abrahami filius? *Vt per regiam & ſacerdotalem perſonam natura Dei, & hominis monſtraretur*, ait ibi Strabus. Scilicet regia dignitas in Chriſto, humanæ naturæ ſupra reliquas creaturas ſublime faſtigium oſtendit: dignitas autem Sacerdotalis naturã diuinitatis in Chriſto demonſtrat. Sic eſt auguſta Sacerdotij dignitas? Sacerdotio ſe Chriſtus demonſtrat Deũ? ô arcanas in Sacerdote diuinitatis notas! ô reuerendam olim Sacerdotij dignitatem, quæ hodie ſic à pluribus vilipenditur? Deum deuenuſtat, qui non honeſtat Sacerdotium, quod nitorem Diuinitatis in Chriſto demonſtrat. Quid præclarius & illuſtrius Ieſuano Sacerdotio, in quo occulta deitas ſplẽdidius ſcintillat?

Matth. 1. 1.
Strabus ibi. *Eius ſacerdotium diuinitatis notat*

4. Redeat iterum Paulus ad Hebræos 7. *Talis*, inquit, *decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus*. Quorſum cùm agitur de innocentiâ & puritate Chriſti, quâ Sacerdos eſt, dicitur *ſuper omnes cælos, & ſuper omnes ordines cæleſtium ſpirituum eleuatum eſſe*? quæ ſunt Remigij verba: Chriſtus ne vt Sacerdos cælum aſcendit? Ferus exponens illud Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti*, ita ſcribit: *Ieſu Chriſti, id eſt, vncti. Solebant Reges & Sacerdotes inungi. Chriſtus igitur Rex dicitur, quia peccatum, mortem, &c. vicit. Sacerdos quia ſe ipſum obtulit pro nobis. Et iam vt Sacerdos ingreſſus eſt cælum, vt aſſiſtat vultui Dei pro nobis*. Profectò plures tituli vberrim ſuppetebãt Chriſto Deo, vt triumphali pompâ glorioſè in cęlum aſcenderet: at verò ita magnificè Sacerdotium honorat, vt quaſi alijs omiſſis, Sacerdotis titulo in Aſcenſionis gloriâ ad cælum aſcendat? In cælum vnde venerat, ideo Chriſtus Deus rediit, vt glorioſum Sacerdotij munus perpetuò obiret in cælis? Sic Chriſtus ſublimat ſacerdotium? Dignitati & puritati Sacerdotali ſuam in cælos aſcenſionem adſcribit Chriſtus? *Talis enim decebat vt nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus. Et iam vt Sacerdos ingreſſus eſt cælum.*

ad Hebr. 7. v. 26.
Remig. ibid.
Matth. 1. 1.
Ferus ibi. *Sacerdotis titulo aſcendit Chriſtus in cælum.*

§. CCX.

Homo, præ cognato faſtu, interrogatione potiùs quàm exertâ ratione ſæpè ſuadetur.

1. HOMO ſuæ naturæ ingenuitate, arbitrij libertate pollet: at hæc libertas propriè elogium

Homo à veritate non cogi, ſed duci cupit.

elogium voluntatis eſt, non ita mentis: mens enim à perſpicuâ veritate neceſſariò trahitur. Verùm hominis ambitio, neſcio quod libertatis dominium, aut dominij monſtrum menti ſuæ ineſſe præſumit, dum aliena conſilia, tametſi probatiſſima, reſpuit; & ſua, licet improba & improbata mauult; vt faciat ſui iuris, quod eſt alieni, veritatis inquam, quæ eſt mentis domina. Hinc ab hominis cognatâ arrogantiâ perturbatur ſæpè diuinæ & humanæ politiæ debitum obſequium, dum aliena conſilia ſequi recuſat, ne ſibi videatur aliorum menti & conſilio ſeruire. *Quiere el hombre que la accion de aſſentir ſea ſuya, no de la fuerça que tiene la verdad propueſta.* O infelix, ſeruis hominibus, ſeruis rebus, ſeruis vitæ; & veritati non ſeruies? Quid ſi curiam libertatem vindicas, dominæ veritatis iniuriâ? *Puta te nolle ſequi, duceris.* Sed vide mihi ſubtilem ducendi & perſuadendi artem, quam homines ingeniati ſunt, quo alios ad ſuam ſententiam vltro alliciant, ne reſiliat præſumptus peruerſæ libertatis faſtus. Nimirum rem ſuadendam, validis rationibus munitam, dubitanter proponunt, totum iudicium auditoribus permittendo, vt non veritate cogi, ſed allici, non impelli, ſed duci; non alium ſequi, ſed à ſe decernere videantur. Hæc ingenioſiſſima ſuadendi ars, exemplis, & quidem Biblicis, perſpicuè clareſcet.

Seneca epiſt. 78.

2\.

Samaritana [illegible]

Ioannis 4. Chriſtus Deus & diuinis verbis, & occultæ ſcortationis reuelatione, mulierem Samaritanam traxit ad fidem. Vix illa Chriſto credidit, cum ex ſcorti meretriculâ Apoſtolorum obit munus; & ad vrbem feſtinans, conciuibus ſuis Chriſtum annunciat. Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus? .... Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.* Quis leuitatis non arguat vrbanos alioqui Samariæ viros, ob vnius feminæ, ipſiúſque meretricis, ſuadelam, rei tantæ aſſenſum præbuiſſe? Res Chriſtiana, quæ eſt, quæ indiſcuſſa, & ſcorti ore propoſita, prudenter credatur? Quin & Samaritana non planè affirmauit, ipſum eſſe Chriſtum, ſed tantùm eis dixit: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: Numquid ipſe eſt Chriſtus?* Quod leuis mulier dubitando proponit, prudentes viri indubiâ fide credent? Imo quem vocat *hominem*, Chriſtum, id eſt, Deum hominem credent? Sed attentiùs exploranda eſt huius mulieris arcana eloquentia: *Paulatim autem venit ad prædicandum Chriſtum, primò vocat hominem, ne ſi diceret Chriſtum, auditores iraſcerentur, & nollent exire*, ait Alcuinus. Pergit ad rem præſentem Chryſoſtomus opportuniſſimè. *Vnde etiam neque manifeſte annunciauit Chriſtum, neque tamen totaliter ſiluit, ſed dixit: Numquid ipſe eſt Chriſtus? & ideò ſermonem eius acceperunt. Vnde ſequitur: Exierunt de ciuitate, & veniebant ad eum*, &c. Vide piè ingenioſam mulieris rhetoricam, ſuaſione felicem. Primò hominem appellat, ne ſi in primo ſermonis congreſſu Chriſtum affirmaret, auditores auerteret: exinde refert occultæ apertionem conſcientiæ, quam niſi magnus aliquis propheta peruidiſſe non potuit. Tandem dubitanter proponit, quod perſuadere prætendit, quo eis aſſentiendi arbitrium relinquat, nec cogere videatur aſſenſum, aiens: *Numquid ipſe eſt Chriſtus? & ideò ſermonem eius acceperunt.* Non affirmando extorquere, ſed dubitando allicere eorum aſſenſum procurat, quò feliciter perſuadeat. *Sea la accion de ellos, y con eſſo vendran ſin mas facilmente en aſſentir.* Vnde quod feliciter intendit, abundè præſtitit: ſiquidem *ex ciuitate illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris.*

Ioan. 4. v. 29. & 39.

Alcuin. ibi.

Chryſoſt. homil. 33. in Ioan.

3\.

3\. Regum 8. perampla illa Ieroſolymitani templi moles, Deo dedicatur, frequentiſſimo totius Iſraëlis concurſu: Conuertitque rex Salomon faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael. omnis enim Eccleſia Iſrael ſtabat. Et poſt piiſſimas preces ad Deum, templi tam habitatorem, & vrbis velut conciuem, factas, ſic inquit: *Ergóne putandum eſt, quod verè Deus habitet ſuper terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificaui?* Dubitat Salomon præmaturè infidelis, an Deus impleat omnia, & ſpecialiter habitet in templo, quod magnificentiſſimum extruxit, præſertim poſt tot diuinitatis præſentiæ manifeſtiſſima indicia? Quare ſic loquitur coram populo ad idololatriam procliui? *Non itaque dubitat Salomon* (ait aliorſum P. Sanctius ibi) *quod de Ioue fatebatur ſtulta atque deluſa gentilitas; ſed quia ſe ad hominum ſenſus, atque cogitationes attemperat.* Scilicet probè nouerat Salomon ſui populi improbum ingenium, ad infidelitatem, idololatriam, & atheiſmum in primis propenſum: & ideò vt Dei ſui immenſitatem, & peculiarem Dei in templo præſentiam ſuaderet, *ſe ad hominum ſenſus, atque cogitationes attemperans*, quaſi dubitanter ait: *Ergone putandum eſt, quod Deus verè habitet ſuper terram?* Quâ ſpecie dubij, poſt prodigia nuper viſa, ſic Iſraëlitarum animos ad diuinæ in templo præſentiæ aſſenſum vltrò pellexit, vt nil venerabilius, nil ſanctius apud vllas retrò gentes fuerit, quàm apud Iſraëlitas Ieroſolymorum templum. O nouum & extraneum ſuadendi ingenium! Scio aliam eſſe litteralem loci medullam, ſed ex verborum cortice ſic iuuat ad mores velitari. Nota etiam hîc Iſaaci interrogationem.

3\. Reg. 8. 27.

Salomon rem difficilem dubitanter proponit, vt ſuadeat.

Sanct. ibi.

Hîc v. 33.

4\.

Matthæi 2. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?* Ad quæ verba ſic argutè ſcribit Chryſologus: *Quando ſcientes interrogant, neſcientes non ignorant. Quid ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant? Vt quid illis ad hoc humanæ demonſtrationis officium, quibus ad hoc cæli ſidera ſeruiebant?* Quid eſt quod Magi è cælo edocti, quod nouerunt, Iudæis coram interrogant? De ſcholâ cæli, & ſiderum linguâ inſtruuntur, & dubietati relinquitur locus? An diuinæ corporationis ſacramentum vſque adeo eſt ſublime, & vltra humanum captum, vt adhuc de cælo eruditi, plura de illo ſciſcitentur, & repetitâ interrogatione ampliorem notitiam expectant? Nũquam ſatis diſcitur, quod nunquam præ rei amplitudine ſatis poteſt ab homine penetrari. Sed *quid ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant?* Si per Deum noſcunt, tanquam cæli diſcipuli, doceant homines vt magiſtri, non quaſi

Matth. 2. v. 1. & 2.

Chryſol. ſerm. 156.

Quando ſcientes interrogant, neſcientes non ignorant.

inſci

inſcij inſcios homines interrogent. Quæ eſt iſta ſapientia, quam ſcij Magi interrogando neſcientes Iudæos ediſcere ſatagunt? Scilicet interrogando neſcios docet, qui è cælo ſuadere ſapit: *Quando ſcientes interrogant, reſcientes* [illegible]: nam ſæpè interrogando ſuadet, qui palam ſuadendo auertit. Hominis ambitio ad ſublimio[rem] [illegible] potiùs quam doceri. O ſuadendi artē de cælo [illegible] tam! Hanc humano, faſtus rhetoricam exoptat.

---

§. CCXI.

Adamo & Iſaaco diuina ecſtaſis immittitur, ad humanæ iniuriæ fruſtrationem?

1\. NON poteſt quiſquam beatè degere, qui ſe tantùm intuetur, qui omnia ad vtilitates ſuas conuertit: qui paratus non eſt vel ab amiciſſimis pati. Miſerrima eſt fortuna, quæ inimico caret: Sed feliciſſima eſt eius, qui æquo animo iniuriam pati eualet. Magnarum virium eſt magnâ læſione non concuti. Inertia putatur, & Stoicus ſtupor; & vigor virtutis eſt, & magnanimitatis merx. Atq; tâ iniuriâ hominem non inquietari, non commoueri bilem, non accendi iracundiam, non proſilire vindictæ ſubſultus, ſupra humanum faſtigium eſt, & gratiæ faſtus. Sic vel pacatiſſima ingenia, etſi laboribus aſſueta, quanquam calamitatibus fracta, licet pietate morigera, maleſuadum iniuriæ vlcus inquietat!

2\. Rebecca, vt Benedictionem Eſau maioris, in ſuum Iacobum deriuaret, ad verſutias confugit, quibus & Iſaacum fraudulenter mentita maioris perſonâ Iacobus decipiat, & maioratum aſtu ſurripiat. Nec ſubdolum latuit Iacobum, ſenem patrem grauate admodum laturum ſeductionis iniuriam, aiens: Timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducat ſuper me maledictionem pro Benedictione. Tandem aduentu & verbis veri Eſaü, falſati Eſaü, Iacobi inquam, fraus detegitur. Tunc *Expauit Iſaac ſtupore vehementi.* Quis eſt iſte tunc Iſaaci pauor? Quis hic intempeſtiuus ſtupor? Tuncne ſtupeat inſenſilis, cum viuacius acri iniuriâ laceſſitur? Acutè S. Auguſtinus ita ſuper hâc re ſcribit. *Expauit autem Iſaac pauore magno valde. Græci habent ἐξέστη, vbi tanta commotio intelligitur, vt quædam alienatio ſequeretur. Ipſa autem propriè dicitur ecſtaſis.* Pacatiſſimo erat Iſaacus præditus ingenio, & crebris laboribus, & aſſiduo virtutis exercitio, & ætatis longæuitate, patientiæ & manſuetudini aſſuetus; at ſic fraudis iniuriâ commotus eſt, & vel in filium exaſperatus, vt alienatione opus fuerit, quæ acrius erumpentem iram compeſceret. Detecta fraus, & cognita iniuria aduerſus Iuſtum, ne iracundiæ furorem, & vindictæ rancorem procuret, ecſtaſim cælitus negotiatur. Iniuria in ecſtaſim Iſaacum rapit offenſum, vt tota ecſtaſis abalienatio arceat dolorem iniuriæ, & iniuriæ cognatas fruſtretur iras. O arcanum cum iniuriis commercium! ô Patriarcham præmaturè Chriſtianum, & de iniuriæ beneficio ecſtaticum! [illegible] ecſtaſis abalienatio neceſſaria [illegible] *Patriarcha.*

Iniuria Iſaaci offenſum rapit in ecſtaſim.

Hic v. 33.

Auguſt. in q. 93. ſuper Geneſ.

ſaria eſt ad iniuriæ fruſtrationem! Scilicet, vt notionem iniuriæ ecſtaſis comitetur gratię officioſitas eſt, quæ iniuriam ſtupore deludat. Ecſtaſis diuinæ ſtupore, viuacior humanę offenſæ ſenſus hebetandus eſt, ne in vltrices concitentur iras iniuriæ appendices. *Al aduertir la offenſa, arrebatoſe en extaſi Iſac, paraque temple el ſentimento la enagenacion de los ſentidos, y el arrobamiento en Dios.*

3\. Geneſeos 2. Creauerat Deus vniuerſa terræ animantia; *Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* S. Auguſtinus hic, ſecutus Græcos, loco *ſoporis*, exſcribit *ecſtaſim*. Et forè alludit ad velut offenſam creandæ mulieris. Nam præceſſerat, *Non eſt inuentus adiutor ſimilis eius*, id eſt (vt cum Hebræis exponit Caietanus) *auxilium contra ipſum.* Itaque creaturus Deus mulierem, *in auxilium contra ipſum* Adamum, à quâ paullo poſt euerſus eſt; prius *immiſit ſoporem in Adam*, hoc eſt, *ecſtaſim*, vt exponit Auguſtinus, An, vt Adam ecſtaſi fruſtraretur iniuriæ ſenſum! Audiendus eſt Tertullianus, qui quâ ſolet ingenij profunditate ita fatur: *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam. Si enim*, inquit, *Adam de Chriſto figurabat, ſomnus Adæ mors erat Chriſti dormituri in mortem, vt de iniuriâ perinde lateris eius, vera mater viuentium figuretur Eccleſia.* Subtiliter quidem adſpectu ad litteralem, & ad myſticum ſenſum. Mitto lancinatum Chriſtum in cruce, ad cuius punctionem allegoricè alludit.) Profectò expenſione digniſſimum eſt, immiſiſſe Dominum ſoporem, id eſt, *ecſtaſim* in Adamum, *vt de iniuriâ perinde lateris eius, vera mater viuentium figuretur*, quæ futura erat, *in auxilium contra ipſum.* Scilicet arcana *ecſtaſis* femineæ hoſtilitatis, & *iniuriæ* inferendæ offenſam anteuertat; ne vel in felici innocentię ſtatu, & delicijs paradiſeis, *auxiliū cōtra ipſum*, id eſt, femina, doloris ſenſum extorqueat, & Adamum exaſperet. Iſaacus ecſtaſi fruſtratur iniuriam: Adamo ecſtaſis præproperè immittitur ad iniuriæ fruſtrationem? Quid exaggeratius?

4\. 1. Regum 2. hæc Pontificis Heli ſententia legitur, in quâ exponendâ multi ſunt Interpretes: *Si peccauerit*, inquit, *vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Variæ ſunt huius loci tranſlationes, & expoſitiones, quas nunc recenſere operoſum eſſet. Et ſanè ſemper difficile eſt, quo pacto expromptior ſit Dei venia cùm homo contra hominem peccat, quàm cùm in ipſum Deum ſceleroſe delinquit. Negligit ne Deus iniurias hominibus illatas, quarum ipſe eſt vindex, & in ſuis iniurijs implacabilis cenſetur? ô ſententiam a diuinâ pietate, & bonitate peregrinantem, niſi penitiùs claretur! Noſter Cardinalis Toletus in Lucæ cap. 12. Annot. 22. ſic præſcriptum locum ad rem luculenter exponit: *Si peccauerit vir in virum, &c. ſenſus huius ſententiæ mihi is videtur: Quandò quiſpiam peccat in proximum, facilius placatur Deus, quia proximus offenſus placatus orat Deum pro offendente; & peccante in Deum, multúmque valet oratio proximi remittentis apud Deum: ſi enim homo remittit, in quem peccatum eſt, Deus, cuius*

Gen. 2. v. 20. & 21.

Auguſt. hic.

Caiet. ibid.

Adam ecſtaſis immittitur ad Euæ formandæ iniuriam fruſtrandam.

Tertul. lib. de Anima cap. 43.

1. Reg. 2. v. 25.

Card. Tol.

Num pietatem hominis iniurias remittentis, Deus æmulatur?

miſericordia maior eſt, non patitur quodammodo ab homine ſuperari, & remittit etiam. At cum in Deum peccatur, non eſt homo ſic offenſus, qui intercedat; & hoc eſt quod dicitur, Quis orabit pro eo? Non quòd nemo oret; ſed quòd non ſit, qui [illegible] *quam qui remittat, quod in ſe peccatum eſt, atque exemplo inducat quodammodo Deum ad remittendum.* Ecce tibi non modo Deus inducitur ad veniam exemplo hominis veniam offenſoribus tribuentis; ſed quadam velut æmulatione humanæ pietatis præcauet, ne in re beneficentiæ *quodammodo ab homine ſuperetur.* An cùm homo inimicis ignoſcit, extra ſe, an ſupra ſe ponitur, quandoquidem piam pietatis æmulationem Deo ingerere perhibetur? An nō id videtur humanæ virtutis faſtum excellere? Adam, & Iſaacus ecſtaſi ac ſtupore rapiuntur ad velut iniuriæ paſſionem: at in Euangelicâ lege, homo ad offenſas ſenſibilior, velut inſenſilis illas piè negligens, ne otium quodammodò Deo faceſſat, ne in re pietatis *ab homine ſuperari* videatur.

§ CCXII.

Qui de offenſore bonam habet æſtimationem iniuriam condonaſſe videtur.

1. Humanum odium, alienæ probitatis euerſio eſt, ſubitum bonitatis naufragium, & (vt ſic loquar) virtutum vitium. Quem nuper quaſi præclarum, & naturæ & gratiæ dotibus prælucentem diligebas,

Chryſ. hom. 4. in Acta. *Odium faſcinat humana iudicia, vt ſiniſtrè iudicent.*

vnius dieculæ odium, tot præclaris dotibus derepente viduauit. Sic odia noſtra aliorum virtutes infuſcant, faſcinant, conſtuprant, conſpurcant? Pulchrè dixit Chryſoſtomus: *Charitas multitudinem peccatorum tegit;* [illegible] *etiam ea quæ non ſunt,* [illegible]. Hinc humana ſæpe iudicia recuſare licet, erroris præſumptione: nam odium non ex meritis, ſed ex affecta iudicat: exinde oritur non tantum errandi neceſſitas, ſed errorum amor. Magnanimitas cenſetur temeritas, prudentia puſillanimitas; humilitatis notatur; fortitudo dicitur ſtupor, humilitas animi abiectio, & virtutum cumulus, fucata hypocriſis reputatur. Talis eſt maleuolentiæ cenſura, ad bonum cæca, nimis ad malum oculata. Itaque odium non modo faſcinum, ſed etiam venenum alienæ virtutis eſt. Sed heu, (ſic opplorat Nazianzenus) *Ex alienis affectibus æſtimamur!*

Nazianz. Orat. de ſe ipſo, &c.

2. Matthæi 18. multa diſputauerat Chriſtus de condonandis iniuriis, ſeriò ſuadens, vt ſæpè ab inimicis impetitis beneuole ignoſcamus, ad Chriſtianæ pietatis redundantiam. *Tunc accedens Petrus ad Ieſum, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties? Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Alibi expendebamus, quis ſit hic *frater*, qui repetitis offenſis toties ferit: item quid ſit ſeptuagies ſepties. Nunc operæ pretium eſt explicare, quidnam ſit offenſori tot illatas *dimittere* iniurias. Quid, quæſo, eſt offenſas *dimittere* offenſori? Res videtur exploratior & certior, quàm vt debeat in quæſtionem vocari. Porrò non tantum erudita

Iniuriā iam dimiſit, qui de offenſore non malè ſentit. Matth. 18. v. 21 & 22.

Doctorum gymnaſia, ſed etiam vulgus hominum imperitum planè noſcit, *dimittere* offenſori iniurias, nihil eſſe aliud, quàm eas remittere, & condonare, ſeu offenſori offenſam ignoſcere quod vel ex vocis notione omnibus perſpicuum eſt. Nodum in ſcirpo quærit, qui hoc in dubium verterit. Sed audiendum eſt nouum commentum cuiuſpiam ingenio & eloquio, potius quàm pietate celebris; ſic hæc verba commentans, ſcribit. *Duobus modis nos offenſas remittimus, aut ignoſcendo, aut de eo, qui nos offendit, bonam habendo exiſtimationem:* Quaſi bonam opinionem habere de offenſore, idem ſit, quod iniuriam dimittere, quod ſic generaliter non probo. Saltem adeò cognata eſt iniuriæ acceptæ, non bona opinio de offenſore, vt qui bonam habet exiſtimationem, (etſi illam aliàs mereatur) planè cenſeatur odium mitigaſſe, & hoſtilem depoſuiſſe animum. Ac ſi moraliter fieri non poſſit, vt quis alta & ſublimia de offenſore putet, dum offenſa adhuc altè in offenſi animo hæreat. Scilicet qui ſiniſtram non habet de offenſore opinionem, palam oſtendit ſe iniuriam condonaſſe. Quaſi non bona de offenſore exiſtimatio, ſit iniuriæ acceptæ character, & offenſæ appendix. Sic maleuolentia, malitiæ grauida, odio obſtetricante, tetram de offenſore opinionem parturit! Sic odium ſubornat rationem, vt de odioſo ſiniſtrè ſentiat? Sic *alienis affectibus æſtimamur*, vt qui nunc bonam de eo, quem nuper auerſabatur, exiſtimationem habet, planè cenſeatur depoſuiſſe odium, & iniuriam condonaſſe?

Apud Maldonatum in Matthæi 18. v. 22.

3. Tertullianus lib. de Carne Chriſti, ſic alterſum fatur. *Omnis rei diſplicentis etiam opinio reprobatur.* Id eſt, ſi res aut perſona diſplicet, rei aut perſonæ opinio non placebit, quaſi ex diſplicentiâ rei, non ex rei naturâ, rei opinio probetur, aut reprobetur. *Eſt quidem veritas opinione melior: vtramque tamen ſua bona fortuna ſequitur.* Quæ eſt hæc veritatis, & opinionis fortuna? quando alterutra dicetur fortunata, infortunatave? Puto, ſicut fortunata eſt veritas, quæ amico ſpiratur ore, vtpote credibilitatem nacta: (nam amicum os generoſam etiam faciet falſitatem) ſic etiam fortunata eſt opinio, quam amicus ſectatur, quæ amici ſtillatur ore: huic plaudimus, huic de indubiâ veritate gratulamur. Nam opinio cum auctore ſuo diſplicet, & reprobatur: quia *omnis rei diſplicentis etiam opinio reprobatur.* Planè non bona fortuna ſequitur opinionem diſplicenti prolatam ore, ac ſi totus veritatis ſeu opinionis cenſus, non à re ipsâ, ſed à beneuolo dicentis ore depēdeat. Dum Iſaacus hîc ratam habuit Benedictionē, è cælo edoctus, non ita fraudulētum putat Benedictionis raptū, & ignouiſſe raptori videtur.

Tertull. de Car. Chriſti cap. 3.

Philo l. de Migr. Abra. *Rei diſplicētis etiam opinio reprobatur.*

Hîc v. 33.

4. S. Dionyſius Areopagita alludens ad illud Matthæi: *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos,* ſic fatur eleganter, expendens quare malis & iniuſtis largiter Deus benefaciat. *Amanter,* inquit, *adhæret his, qui ſe deſerunt; contendit, rogatque, ne indignus habeatur ab his quos amat.* Quid aliud faceret ſeculi iſtius amator? Sed quare Deus amanter adhæret his, qui illum ſceleſtè & inimicè auerſati ſunt? Cur eos, qui illum impiè offenderunt, ſic beneuolenter rogat, & ſolicitè contendit beneficiis in amicitiam reuocare? Nempe, *Ne indignus habeatur ab his.* Ne inquam, indigna de Deo cogitent, cenſeant, effutiant.

Matth. 5. 45. Dionyſ. in epiſt. ad Demophilum. *Deus, ne indigna de ſe cenſeant, inimicis benefacit.*

Quaſi

Quaſi indigna de inimico, etiam Deo, ſentire, ſit inimicitiæ ſequela. Quid elegantius?

---

§. CCXIII.

Omnis feritur plagâ, qui ſuum æmulum feliciter fortunatum videt.

1. INVIDIA ignauum vitium eſt, & ſæpè acerrimæ indolis viros corripit, acerriméque excruciat; non ſolùm dum vitam facit inquietam, inconſultæ paſſionis tumultu, ſed dum felicitate alienâ miſerè infelicitatur. Mitior eſt Inuido propria calamitas, quàm aliena proſperitas: mauultque bonum ſibi, quàm aliis malum deeſſe, cui aliena felicitas, funeſta calamitas eſt.

2. 1. Reg. 4. Iſraël malè conciſus, Dei arcam aduocat auxiliarem: Philiſthæi nuper victores, mœſto pauore illachrymant exclamantes: *Væ nobis. Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ in deſerto*: ô voces ignorantes barbaras, quas metus potiùs, quàm mens inſipienter extorſit! Deuſne Iſraël percuſſit Ægyptios omni plaga in *Deſerto*, an in mediâ Ægypto? Sic Philiſthæi deſipiunt, vt rem ex viciniâ & conſuetudine cum Hebræis, vulgatiſſimam ignorarint? Hugo Carenſis: *Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ in Deſerto. Hoc, inquit, videtur falſum. Imò in Ægypto. Reſponſio: Omni plaga, ſcilicet conſummatâ percuſſi ſunt Ægyptij, in Deſerto.* Verùm mediocriter verſatus in ſacris Bibliis probè noſcit, vltimam & conſummatam plagam in mari Rubro Ægyptus inflictam fuiſſe: at mare Rubrum non eſt *Deſerti* pars, vt ex chartis chronographicis liquidò conſtat. Quo ergo pacto Deus Iſraël pugnans pro ſuis Iſraëlitis, dicitur percuſſiſſe æmulos Ægyptios omni plagâ in *Deſerto*? Litteraliſſimum ſenſum tibi tradebam, quoad moralem verò ſpectat; legimus in *Deſerto* Deum ſe oſtentaſſe maximè beneficum erga Hebræam gentem. Deuter. 32. *Inuenit eum* populum ſuum *in terra Deſertâ, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis. circumduxit eum, & docuit: & cuſtodiuit eum quaſi pupillam oculi. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.* Scilicet in *Deſerto* Deus populum ſuum diuinâ lege erudiuit, ſplendidâ columnâ deduxit, cæleſti mannâ lautè cibauit, in inſtructo tabernaculo illis vicinauit, victoriis auxit, opulentis ſpoliis ditauit. Fortè tot tantiſque Iſraëlis felicitatibus inuidos & æmulos Ægyptios acerbiùs dicitur Deus percuſſiſſe in *Deſerto*, quàm priùs percuſſerat in Ægypto peracerbis plagis illos diu infeſtando. Æmulus enim & inuidus plus feritur bonis alienis, quàm propriis malis. *Inuidia*, ait S. Baſilius, *nihil ab homine nudo, qui omnibus ſaculis petitur, differre videtur.* Vnde quia in *Deſerto* Deus opulentiore beneficentiâ populum ſuum mirè felicitauit dicitur *percuſſiſſe Ægyptum omni plagâ, in Deſerto.* In *Deſerto* inquam, æmuli & inuidi Ægyptij *omnibus ſaculis petuntur à* Deo Iſraël, dum ipſe Deus ſuum populum exquiſitis de cælo fauoribus mirifficè auxit. Nam inuidus *alienas iacturas ſuos quæſtus exiſtimat, & aliorum felicitatem interitum ſuum arbitratur*: ô crudeliſſimam Inuidiæ paſſionem, quæ æmuli felicitatem, omnes ſibi plagas reputat! Non amas te, niſi Inuidiam odiſti.

3. 1 Reg. 19. deuicto Philiſthæo ouat Dei populus, triumphat Dauid; ſed Dauidis victoria non tam Philiſthæi audaciam, quàm Saülis inuidentiam detriumphauit. In communi lætitiâ ſolus mœret Saül: & iterum malo Dæmone exagitatus, æmulum Dauidem aduocat, qui lyrâ diabolum exterminet. *Et factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul, ſedebat autem in domo ſuâ, & tenebat lanceam: porrò Dauid pſallebat manu ſuâ. Niſuſque eſt Saul configere Dauid lanceâ in pariete. & declinauit Dauid à facie Saul.* Barbaricum planè Saülis facinus, & inuidiâ inſtigatrice digniſſimum! Perbellè Baſilius Seleu. *Quo pacto, Saul, audes talia? quid in te ipſum vaſtitatem vocas? ſi Dauidem ſuſtuleris, quomodo Dæmonem perſequeris? quid eum mori cogis, qui tibi vnicum ſalutis remedium ſupereſt?* Scilicet non latebat Saülem, Dæmonis obſidionem vnicâ Dauidis lyra ſolui; ſed mauult æternum eſſe diabolorum domicilium, quàm ſuum æmulum videre ſuperſtitem, quaſi plus ſauciaretur Saül ob leuem gloriam, quam Dauid ex diaboli excantatione captabat, quàm cruciaretur ex perpetuâ Dæmonis obſidione: ô funeſta & inhumana Inuidiæ facinora! Sic ad ſuas plagas inſenſilis obbruteſcit Inuidia: alienam improſperitatem tanto ſui malo mercatur? plus feritur Saül Dauidis honore, quàm inteſtino Dæmone: ò inuidiam infernalibus furiis crudeliorem!

4. 1 Reg. 4. Philiſthini ſigna iterùm cum Iſraële conferunt magno Iſraëlitarum excidio. Cæſis triginta millibus inter quos ceciderunt etiam Ophni & Phinees, Dei ſacerdotes, & Arcæ miniſtri; Arca quoque captiua in Philiſthæam abducitur. Quiſpiam Beniaminita fugâ prælio ſubducitur, & non boni nuncij baiulus, infauſtum rei euentum Heli Sacerdoti magno denarrat qui funeſti nuncij pretium, propriam obtulit mortem. Nurus autem Heli, vxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui: & audito nuncio, quod capta eſſet arca Dei, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus, incuruauit ſe & peperit: irruerant enim in eam dolores ſubiti. In ipſo autem momento mortis eius, dixerunt ei quæ ſtabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperiſti: Quæ non reſpondit eis, neque animaduertit. *Et vocauit puerum, Ichabod, dicens: Tranſlata eſt gloria de Iſrael.* Quid, quæſo, vſqueadeò grauiter tulit bona iſta femina, vt propriâ morte acerbi doloris pœnas lueric? An ſubitæ partionis intolerabile cruciamentum? An funeſtus interitus ſoceri, ſummi Sacerdotis, à quo totius familiæ gloria pendebat? An chariſſimi coniugis cædes? Tantùm in hâc voce, occaſionis dolendi indice, expirauit præ acerbi doloris impatientiâ: *Ichabod: id eſt, vbi gloria? quomodo à nobis ad inimicos abit?* vt inibi opportunè notauit P. Sanctius, pietate, & eruditio-

Margin notes:
1. Reg. 4. v. 8.
Hugo ibi.
Ægyptij ſcil. citatur Hebræorum potiùs, ſua plaga dicuntur.
Deuter. 32. v. 10. & 11.
Baſil. hom. 2. inter varias, quæ eſt de Inuidia.
Chryſoſt. homil. 2. in Matth.
1. Reg. 19. v. 9. & 10.
Plus cruciatur Saul Dauidis bono, quàm inteſtino Dæmone.
Seleuc. Orat. 15.
Inimicorum gloria, lanierna Inuidi eſt.
1. Reg. 4. v. 21.
P. Sanct. ibi.

ne in hoc æuo magnus. Nempe in eâ infeliciſſimâ tragediâ, quæ tot dolendi cauſas vbertim attulit, nec glorioſi ſoceri ſubiti in caſum memoriâ verſat, nec mariti præmaturè occiſi cædem ſentit, nec peracerbos partionis cruciatus dolet: imò nec fortaſſis angitur de Arcæ (quæ Hebræis velut pro Numine erat) captiuitate; ſed duntaxat in ore, iam iam præ agoniâ expirantis, hæc auditur vox: *Ichabod, id eſt, vbi eſt gloria? quomodo ad inimicos abiit?* quaſi acerbius ad mortem vſque ſauciaretur de æmulæ Philiſthææ gloriâ, quam de tot propriæ familiæ, & gentis, & religionis tragœdiis. Quid exaggeratius? ô carnificem inuidiam! Æmulatione eſt, an laniena?

Hic v. 34. Dum hic audit Eſaü Iacobum paterna Benedictione auctum, *irrugiit clamore magno: & conſternatus*, &c. non tantùm quia ille fraudatus Benedictione eſt, ſed quia æmulum ſuum illâ auctum videt. Quod ſequenti §. magis illuſtrabitur.

---

§ CCXIV.

Bonum quodcunque, ab æmuli poſſeſſione, placendi gratiam fœneratur.

1. Res eſt iniquæ æmuli felicitas. Dignitatem ſuam quiuis contemnit & deſtruit, cùm æmulum ſuum plus dignitatis & gloriæ conſecutum fuiſſe putauerit: putat autem quoties aliquid dignitatis aſſecutus ille eſt, quam propriæ prætulit ſemper. Tunc ſe quiſque felicem iudicat, cùm poſſidet, quod æmulus habet, quaſi ab æmuli ſui poſſeſſione, rei pretium augeatur ad æſtimationem. Nec tamen conſiderat vnde res veniat, aut quo eat, aut quid res illa in ſe ſit, quàm quis eam habuerit. Ad gloriam alienam viſam, propria vileſcit & faſtiditur propriæ poſſeſſionis naſſea. *Nihil charius æſtimamus,* Seneca epiſt. 82. *quàm beneficium, quamdiu petimus: nihil vilius, cùm accepimus.* Nihil ſublimius cenſemus, quàm competitoris dignitatem, quam perdidimus, quam æmulamur: nihil viliùs, etiam id quod accepimus, & diu poſſidemus. Hinc cenſus æſtimationis, ambitio eſt æmulationis. *Sei bien de que goza el emulo, ſube los precios à nueſtra eſtima*: quaſi ab æmuli poſſeſſione bonum grandeſcat & clareſcat, grandi & præclaro bonitatis incremento.

2. *Omne bonum ſibi cenſet Cainus, ſed ſi ſingulare, quod eius æmulus poſſidet.* Geneſ. 4. Cainus ſacrificium mulctæ loco ducens, reiectaneis frugibus honorem detulit honorato. Qui dum viliora offert, & meliora reſeruat, adulterata mente donatiui pretium cauponatur. Abelis verò ſacrificium, ſe optimum, voto maximum, ſigno cœlitùs edito honorat Deus. Mœret Cainus inuidentiæ tormento. Ad ſeceſſum ſubdolus poſtmodum inuitatit fratrem: & qui primus aperuit parricidii curſum, primus infami parricidio morti portas patefecit. Præmaturè ante parricidium adeſt Deus ſceleris vindex, & minis eum terret, præmiis allicit, & veniam ſpondet, ſi deſperatam & cruentam mentem deponat, ſic Gen. 4. v. 6. Cainum alloquens. *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne, ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* Ecce tibi ſupplicium, quod impœnitenti interminat Deus, & præmium, quod reſipiſcenti pollicetur. Mitto ſupplicium, quo illum terret, de quo aliàs: & venio ad præmium, quod illi ſpondet, nunc opportuniſſimum. *Nonne* (inquit Deus Caino) *ſi benè egeris, recipies?* Quidnam, rogo, recepturus eſt, ſi bene egerit? ô ſuſpenſam promiſſionem, & vel verborum auaram! Deerat fortè Deo in omnipotente ſuæ beneficentiæ theſauro, præmium quod Caino polliceretur, ſi cruentam retractaret mẽtem. Eccur nil reſpõdet? Quid eſt, *ſi bene egeris, recipies?* Quidnam Cainus recipiet, ſi bene egerit? Acutè Hugo Carenſis ex Theodotione: *Si benè egeris, recipies.* Id eſt, *Munus* Hugo Car. ibi. *tuum ſuſcipiam, ſicut ſuſcepi munus fratris tui.* Scilicet verbum *recipies*, innumeratum ſeu indeterminatum, & quod omnia bona, quæ Deus donare poteſt ſignificatione ſui capere valet, ſubtiliter Hugo reſtringit ad fauorem ſeu gratiam ipſi Caino negatam, & cõpetitori Abelo cõceſſam. Nulla eſt par homini infelici gratia, & quam ſublimiùs æſtimet, ac illa, quę ipſi negatur, & æmulo ſuo conceditur. Illa, illa inquã, indeterminato, ſeu infinito verbo *recipies*, conſultiſſimè ſignificatur: nam æmuli ſingularis gratia, omnes omninò gratiæ ſunt in æſtimatione æmulantis. Et quaſi omnia dona, quę Deus poteſt conferre, vniuerſatim Caino promitteret, ait illi: *Nonne ſi benè egeris, recipies?* & tamen donum fratri æmulo conceſſum ſignificatur. Id eſt, *Munus tuum ſuſcipiã, ſicut ſuſcepi munus fratris tui.* Quod velut omnium maximum æſtimabat, & ambibat Cainus. Vel fortaſſi: *Si bene egeris, recipies*, dixit, nec quid recepturus erat, expreſſit; quia Cainus, quocum loquebatur, id maximè in memoria verſabat, adeovt opus non fuerit, illud explicatiùs expreſſiſſe: vnde ſat erat dixiſſe. *Recipies* nempe fauorem illũ æmulo tuo conceſſum, quem altè memoriæ infixum, ſemper in animo verſas. Sic maximi facimus, quod æmulus poſſidet?

3. *In Moyſe & Eliâ gratior Apoſtolis apparet gloria, quàm ſi in ipſis appareret Apoſtolis?* Pulchrum planè ſpectaculum, & Deo dignũ in vertice Thaboris apparet. Vocati ſpectaculo adſunt Petrus, Iacobus, & Ioannes, Euangelicæ legis ſummates: pulchris empyreæ gloriæ veſtibus prænitet Chriſtus Deus. E paradiſo, & lymbo euocãtur ad ſpectaculum Elias & Moyſes, antiquæ legis proceres, & ſuppari gloria præditi, glorioſè fulgẽt. Scilicet Chriſtus Deus oſtentare voluit Apoſtolis cognatæ beatitudinis eminentiam, ne in fide nutarent; & ſimul olympiæ gloriæ ſpecimen, quò illã, vt par erat, auguſtiùs æſtimarent Apoſtoli. Sed ſciſcitari iuuat, quam ob cauſam Moyſes & Elias apparent glorioſi, ſecus Apoſtolorũ primates? Nonne ſatiùs foret, vt ipſi Apoſtoli cæleſtis gloriæ dotibus ditarentur, quò illam experti, magnificentius æſtimarent? Quare ipſi gloriâ indotati, aduocantur, vt in Moyſe & Elia propriis oculis gloriã videant? Eleganter Chryſoſtomus ibi, Matth. 17. Chryſoſt. ad illa Matthæi verba: *Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Aduerte ad pulchrum Chryſoſtomi gloſſema. *Ducit autẽ propter hoc Moyſen & Eliam in medium, volebat enim quod diſcipuli illorũ priuilegia zelarent.* Nimirũ nouę legis proceres, Apoſtolico faſtigio ſublimes,

ſuis

ſuis oculis cernant gloriam in Moyſe & Eliâ, antiquæ legis ſummatibus, quos piè æmulantur de ſublimitatis faſtigio; & ita gloria in ſuis æmulis viſa, & viuaciùs ſtimulabit appetentiam & glorioſior apparebit ad æſtimationem: creſcit enim & appetitus, & æſtimatio gloriæ, quæ in æmulo fulget. Magnificentia gloriæ æmulis conceſſa, æſtimationis artificium eſt, quaſi poſſeſſio æmuli, bonitatis cenſum & ſenſum exaggeret. Languet ſæpe appetitus boni, cui non adhæret priuilegium æmulantis, ac ſi gloriam magnificæ æſtimationis ab æmuli poſſeſſione fœneretur.

§. CCXV.

Tenuitas humana, niſi vitiorum nominibus, dignè de Dei clementia non cenſet?

1. OMNIA Dei attributa, vt Deo digna ſunt, ſic & immenſa & infinita; attamen Clementiæ elogium neſcio quid ſublimius repræſentat: nam in miſericordiæ operibus auguſtiùs ſcintillare videtur diuinitatis fulgor. Adeò vt humana tenuitas tantæ amplitudini impar, cùm diuinam bonitatem nec audacter cogitando perfectè aſſequi valeat, per nomina exceſſuum, qui cognati ſunt vitiis, infinitam bonitatis vim audeat explicare. Vſqueadeò enim diuina clementia perfectionis bonitate excellit, vt quaſi confinis foret vitiorum exceſſibus, vitiorum mutuata vocabula quodammodo vſurpet; vt audacia vocabuli, humanæ cogitationis ſuppleat inertiam, & quaſi Deus ſuæ iuſtitiæ bonum erubeſcat, ſe totum miſericordiæ fauentiùs impendat.

2. Matth. 9. 21. Matthæi 9. *Ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero, &c.* Quæ verba, dum aliud agit, curſim expendens Baſilius Seleuc. ſic luculenter de more ſcribit: *Mulier item proprio ſanguine inundans, inteſtino fluctu mergebatur: at ſolo fimbriæ tactu ſiſtit imprudens naturæ tempeſtatem.* Quid eſt *imprudens*? Quæ eſt hæc animoſæ fidei huius feminæ imprudentia? Et quidem perſpicuum eſt id *imprudens*, non ſignificare idem quod *inſcia*: nam antequam fimbriam tangeret, dicebat intra ſe: *Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero.* Ergo *imprudens*, ad animoſam mulieris fiduciam, quæ velut à neſciente Chriſto, ſalutem extorſit, videtur referendum. Quid eſt, quòd decantatiſſima huius mulieris fides, quæ à Chriſti miſericordiâ, irremediabilis morbi remedium piè præſumpſit; & quam ipſe Chriſtus approbauit patratione miraculi, *imprudens* dicitur? *Sola*, inquit, *fimbriæ tactu ſiſtit imprudens naturæ tempeſtatem.* An quia animoſior & perfectior fides, quæ arduum aliquod bonum piè præſumit de diuinâ clementiâ, vix poteſt ſatis exprimi, niſi vitij, aut imprudentiæ nomine? A vitiorum exceſſibus mutuanda ſunt vocabula, quæ rem animoſæ huius fiduciæ aſſequi ſignificando valeant? Datúrne in re pietatis vitiorum virtus? Nil refert, quòd vitij nomine polluatur vocabulum, ne animoſa de Dei pietate polluatur affectio? Scilicet tam ſublimis fuit huius feminæ fiducia de Chriſti Dei bonitate, vt tametſi in ſe pia & prudens fuerit, tamen vltra prudentiæ metam videatur excedere, & præ piâ audaciâ, imprudentiæ vicinari.

Baſil. Seleuc. orat 35.

Animoſior de Dei pietate fiducia, imprudentia vocatur.

3. 1 Reg 4 8. 1. Regum 4 profligarunt Philiſtæi Iſraëlis acies. Tunc Iſraelitica gens conſilij inops, Arcam Dei auxiliatem aduocat. *Timuerúntque Philiſthijm dicentes: Venit Deus in caſtra. Et ingemuerunt dicentes: Væ nobis: Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ.* Sed vide, obſecro, quid inde inferant Philiſtæi. *Confortamini, & eſtote viri, Philiſthijm: Confortamini, & bellate. Pugnauerunt ergo Philiſthijm, & cæſus eſt Iſrael.* Peritè aduertit Lyranus, Philiſthinos non ſatis ſibi cohærere. Muliebriter ingemunt dicentes: *Hi ſunt Dij*, Deus inquam, pluralis pro ſingulari) *qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ*; (vnde puſillanimes reddi debuiſſent) & inde potiùs inferunt: *Confortamini, & eſtote viri Philiſthijm: Confortamini, & bellate?* Ideóne Philiſtinorum exercitus contra Hebræos bellaturit, quia nouerunt ipſorum caſtris adeſſe Deum, *qui percuſſit Ægyptum omni plagâ?* Non bona videtur hæc ſequela. Imò optima, vt refert Lyranus his verbis: *Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ, id eſt, eis poſſibili. Quaſi dicant: Fecerunt tunc totum poſſe ſuum, & ideo non poterunt nunc nobis nocere. Ideò conſequenter dicebant: Confortamini, & eſtote viri Philiſthijm: Confortamini, & bellate, &c.* Elegans planè ſententia inelegantibus deſcripta verbis. Nempe vel ipſi Philiſthæi magnificè ſentiunt de Hebræorum clementiâ. Quaſi dicant: Iſraëlis *Deus percuſſit Ægyptum omni plagâ*, immiſericors & immitis habebitur, ſi etiam nos atrociter feriat. Si Deus verus eſt, ſuum etiam Iuſtitiæ bonum erubeſcet: & qui Ægyptum tot tantiſque plagis percuſſit, proculdubiò *percuſſit Ægyptum omni plagâ ei poſſibili.* Neque enim credendum eſt de Dei infinitâ miſericordiâ, quod velit, aut poſſit tanta exhibere rigorum documenta. Clementia iracundiam cohibebit. Tantæne animis cæleſtibus iræ? Hebræorum Deus *percutiens Ægyptum*, diu multúmque acerbiſſimis plagis, credite, *percuſſit omni plagâ ei poſſibili. Fecit tunc totum poſſe ſuum, & ideo non poterit nunc nobis nocere.* Neque enim Deus, qui verè Deus eſt, eſſe poteſt tam inhumanus & clementiæ expers. Malè de bonitate Dei philoſophantur Philiſthini. Sed quod detrahunt Dei potentiæ, ipſius clementiæ videntur adducere, dum adeò magnificam de bonitate Dei ebiberint opinionem. Vulgatiſſimum Tertulliani locum non pudet exſcribere. Deus, inquit, *Suſtinet ingratiſſimas nationes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem, vt ſuâ ſibi patientiâ*, id eſt clementiâ *detrahat. Plures enim Domino idcircò non credunt, quia ſeculo iratum tamdiu neſciunt.*

Putarúntne Philiſthini Deum ſua iuſtitia bonū erubeſcere?

Lyran. ibi.

Tertull. de Patient. c. 2.

Deuorato

4. Deuorato naufragio in ceti ventre, de eo quaſi de tumulo Ionas exurgit rediuiuus. Sublimiùs Dei ſententiam Niniuæis intonat, qui ambitioſo pœnitentiæ ſquallore iras auertunt diuinas. Erubeſcit Propheta falſidicum dici: & Aſſyriorum ſubſannationem declinans è Niniue egreſſus, ſic querulus Deum alloquitur: *Obſecro Domine, numquid non hoc eſt verbum meum, cùm adhuc eſſem in terrâ meâ? propter hoc praoccupaui vt fugerem in Tharſis. Scio enim quia tu Deus clemens, & miſericors es, patiens, & multa miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia*, &c. Quæ verba hâc eleganti ecphraſi enucleat Baſilius Seleucus: *Hæc eſt occaſio fugæ meæ. Tuâ humanitate cognitâ Propheta partes recuſabam: ſciebam, quòd paucis peccatorum lacrymulis indignari deſinas, commoto non credebam, innatam tibi commiſerationem animo reputans: & nunc ego falſidicus æſtimabor. Niniuita meam prædictionem ridet, tuámque ſententiam ſtuit. Quid tandem Deus, qui peccatores miſeratus, iuſtos etiam ad benignitatem manu ducit? Prophetam non deſpexit inclementiæ morbo tentatum. Ecquid, ait, (clementiam meam vituperas, ô Propheta! etiámne me lenitatis accuſas?* Eccur clementiſſimus Deus Ionam, quem *immiſericordiæ morbo tentatum* dicit, *non deſpexit*? Miſericors quare immiſericordem non accuſit? An quia Propheta Deum tantæ *lenitatis accuſat*? An quia velut nimiam Dei *clementiam vituperat*? An quia innatam Dei miſerationem in animo reputans, Deo durè in Niniuitas *commoto non credebat*? Fortè hæc vitiorum nomina, te vitiorum vacua, & perfectionibus plena, explicatius inuulgant grandius miſericordiæ attributum?

Ionas quaſi nimis pium accuſat Deũ, ad diuina pietatis notionem. Ionæ 4.2.

Baſil. orat. 12.

Adſimili loquendi modo, quod ex mente Auguſtini & plurium ſanctè & piè fecit Iacobus, *fraudulenter* dicitur factum, an vt vitij nomine excelſior innuatur virtus?

Hic v. 35.

---

§. CCXVI.

Vrbanitatis officioſitas eſt, vel ab honore reiectum honorariâ commemoratione honeſtare.

1. QVi honores iudicat grande bonum, puto, & ambitionem iudicabit honeſtam. Torquebit illum ſublimitas aliena. Quamuis enim multum honoris poſſideat, tamen quia aliquis plus habet, tanto tibi videtur deficere quanto vincitur. Honores iudicas bonum. Male te habebit ille Conſul factus, ille etiam refectus: ringeris quoties aliquem in faſtis legeris. Tantus erit ambitionis furor, vt nemo tibi poſt te videatur, ſi aliquis ante te fuerit. Vis habere magnum honorem? dabo tibi magnum imperium: impera tibi; impera affectibus, ambitioni impera, & vanæ gloriæ nugas contemne. Tuum eſt iſta contempſiſſe, ſed Principum, & reipublicæ Præſidentium eſt, bene meritum non contemnere. Alius dignior munere eſt, bene eſt, eligatur, & in faſtigio ſublimetur: ſed dignus eiuſdem honoris candidatus, non indecorè reiiciatur: honeſtetur ſaltem meritorum commemoratione, & quàm proximus fuerit, aut dignus ſit, qui eligeretur, de electorum ore, aut ſcripto innoteſcat. Vnúſne duntaxat omnes exhauriet honores? nec gloriæ guttulâ riganda eſt aliena ſitis? Pleno alueo eat ad digniorem honor; ſed in non indignos, ſed faſtigio habiles, ſaltem condignitatis nomen & fama vrbanè ſpargenda eſt. *Ya que no le dan el pueſto, que llenara vaſtantemente: honrenle ſiquiera, con acordarſe que le merecia.* Electorum, ſiue Magnatum ſeuerior æquitas, non renunciauit vrbanitati.

2. Actorum 3. Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleemoſynam ab introëuntibus in templum. Is cùm videret Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet ab eis. *Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos.* Tunc ait illi Petrus: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Nec adhuc ambulat claudus. Petrus autem apprehensâ manu eius dexterâ, alleuauit eum, & protinùs conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ. Et exiliens ſtetit, & ambulabat. Petrus operaturus erat miraculum, aiens. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula: & quaſi id non ſufficeret, manum dexteram claudi obnixè apprehendit, vt ſurgens ambulet: quorsùm ergo Petrus, qui Ioannem ſecum comitem deferebat, à claudo petit, vt in vtrumque oculos figat? *Reſpice*, inquit, *in nos*. Ad quæ Lucæ verba ita concinnè ſcribit Chryſoſtomus: *Vide æquitatem quomodo oſtendit Petrus ſtatim, vt dixit: Vide in nos.* O vide Petri *æquitatem*, quam oſtendit, aiens: *Vide in nos!* Nempe Petrus ſolus voce & manu miraculum patrat: ſed quia Ioannem Coapoſtolum ſecum deferebat, ne omnino gloriæ exſors foret conſors virtutis, ſaltem à ſanando ægroto expetit, vt oculos ſupplices in vtroque figat, quò arcana tanti miraculi vis, vtrique quodammodo adſcriberetur, ne in tam frequenti hominum concurſu, velut quiſpiam è vulgo adſtante, adſtare Ioannes videretur. *Vide æquitatem quomodo oſtendit Petrus ſtatim, vt dixit: Vide in nos.* Ex vrbanâ æquitate miraculi gloriam cum Ioanne partitur.

Vrbanè exigit Petrus, vt in Ioannẽ etiam Claudus intendat.

Actor. 3.4.

S. Chryſ. homil. 8. in Act.

3. Ioſue 10. Amorrhæorum populi densè conglobati, in phalangas Iſraël audacter irruunt. Malè conciſus Palæſtinorum exercitus, turpi fuga ſe prælio ſubducere ſatagit: quod opportunè fieret, noctis jam iam inſtantis lenocinantibus tenebris, & fugitiuis Palæſtinis latibula præparantibus. Id vt aduertit Ioſue, ſtrenuus Hebrææ gentis dux, imperiali voce, & ſupra humanum faſtum animoſiùs audente; *Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die quâ tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* Steterúntque Sol

Cur Luna, non tunc neceſſaria, à Ioſue pariter cum Sole admonetur?

Ioſue 10. 12.

Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Benè eſt, Ioſue aduocet auxiliatorem Solem, qui radiorum ſuorum ſpiculis hoſtes profliget; ſed quare Lunam etiam ſtitione aduocat in victoriæ partem? Si Sol in cælo ſiſtitur, & tota fulgorum ambitione micat, & dimicat, quid opus eſt aduocare tenues Lunæ fulgores? Putaret aliquis, etiam non valdè neceſſaria minimè eſſe à magno Duce negligenda, vt victoriæ ſpem certius adſtruat.

4. *Vrbanitas Principum in veiuriſ utiliſsimis eruditur.* Aut ſanè Ioſue cùm Solem honorat, eum in auxilium, & victoriæ partem aduocando; Lunam ſimili aduocatione honorare æquum cēſet: nam Sol in Lunæ territorium, in noctem inquam, clarandam aduocatur. Porrò Luna noctis præſes a primordio deſignata eſt. Vnde, etſi non neceſſaria Lunæ præſentia, pariter aduocatione honoratur, ne Sol inurbanè noctem clararet abſque Lunæ conſenſu. *Hazenle corteſia a la Luna, para que permita al Sol entrarſele en ſu Iuriſdiccion.* De quo alibi vberius: *Vel ſuperuacua commemoratione oportet ciuili, animum honorare.* Verùm vt ad rem præſentem notaſſe videtur Lyranus, Lunam Solis tunc conſortem, honorare voluit Ioſue, illam, illiuſque auxilium, etſi ſuperuacuum, pariter aduocans. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Erant enim in tali diſpoſitione, quod vterque apparebat ſuper terram,* ait Lyra. Lyra ibid. Scilicet Luna dicta fuit olim *luminare magnum* ſicut Sol: nunc *vterque apparebat ſuper terram*: Sol duntaxat neceſſarius erat ad ſplendoram claritatem, & inde victorialis gloriæ conſortium; tenuis Lunæ lux tunc vacabat vtilitate. Verum magnus Dux Ioſue, vrbaniſſimè ſaltem commemoratione aduocationis, Lunam honorat, ne Luna, quæ tunc aderat coram, deuenuſtaretur neglectu, ſi eâ pariter præſente, Sol duntaxat ſumptuoſius aduocaretur. *No ſe eſtaua Ioſue entonces del fauor de la Luna, ſino del Sol pero como eſtauan ambos à viſta, muy aduertido y cortes Ioſue, la honro con ſumo ar... fauor, y admitiola en parte de tan illuſtre victoria.* Quid illuſtrius ad hanc rem? ô bonam de cæli ſcholâ vrbanitatis eruditionem!

Hic v.35. Vnde Iſaacus hic v.35. Iacobum eligens ad ſummos magnæ familiæ honores; reiectaneum Eſaü, condigno iure ad Benedictionem conſultiſſimè honorat. Satis auctus erat Iacobus prælibatis Patris Benedictione: ſaltem honoretur Eſaü iuris condigni titulo.

§ CCXVII.

Qui inimico muliebriter detrahit, eidem victoriæ pignus offert.

1. *Fulg. l.7.c.2 Laudatori, non minus quàm laudati, mores inſpiciendi ſunt.* Laert. l.6 c.1. AGESILAVS Lacedæmoniorum rex dicere ſolebat, *Non minus laudatoris inſpiciendos eſſe mores, quam eius qui laudatur.* Significans perrarò contingere, vt aliquis quæ moribus ſuis contraria ſint, laudare velit. Vnde cùm audiſſet Antiſthenes ab improbis quibuſdam ſe laudatum eſſe. *Vereor*, inquit, *ne quid imprudens fecerim mali. Sentiens, a talibus neminem laudari, niſi ob inſignia malefacta.* Profectò procliue hominibus eſt, aut beneficum in ſe animum, aut more ſibi ſimile, laudare: diſſimiles verò, & ſibi, licet meritò iniurium, largius vituperare. Ergo ſicut inſpiciendi ſunt mores, eius qui laudat, ſic etiam eius qui vituperat: ſæpè enim maleuolentiæ meritum, conceptaculum iniuriarum eſt, & maledicentiæ fomes, quæ feminina vitio eſt, & de infauſto omine periculoſa: cùm inimici maledicta, & caſſo vulnere honorem feriant, & inimico felicitatem portendant, certo victoriæ pignore; quaſi contumeliæ à te iactatæ, ſint tui ſuperandi fauſti obſides. Si non times de maledicentiæ probro, time de infauſto, dum hoſtem tuis maledictis victorem inauguras.

2. 1.Reg.17. Præſens aderat Goliath, aduerſus phalangas Iſraelis, Philiſthinorum ductator egregius, ingens robore, grauis aſpectu, immane ſpirans, neque inceſſu diſpari, altum vociferans, & vociferationem aſpectu comprobans. Qui cùm inſtar montis extaret, hoſtem ante conflictum cogebat pugnam detrectare, ſcuto, lancea, galeâ reſplendens; quâ vtebatur lanceâ erat pro modo corporis; tantoque haſtæ communis modum ſuperabat; quantò ſupra humanæ naturæ terminos ille ſe efferebat. Alienigenarum exercitu in orbem, & ſtationem compoſito, Iſraëlitarum optimos ad ſingulare certamen euocabat, victorum ſeruitute in præmium victori promiſſâ. Terribilis aſpectu, & voce terribilior, terrorem terrore geminabat. Saül interim in tumultu erat, Iſrael in expectatione ſeruitij, terror ipſe vires refrænabat: hoſtilis aſpectus Iſraëlitas vel armatos de ſtatione deturbat, & barbaricæ minæ intempeſtiuè animos percellebant, antè viri mente quàm corpore ſternebantur. *Maledica Inimici lingua, victoria pignus exiſtit.* Cùm autem nullus e toto exercitu probaretur ſatis, eſſetque in periculo cum Rege regnum; tunc militem ſuum Deus producit in medium, dum pugnæ prouocationem Dauid ad ſe rapit, & oratione conſauciatum Saülis animum præſanat. Ergo Dauid paſtoritio baculo & fundâ, quinque limpidiſſimis lapidibus in perâ cōditis, ruſticanè armatus, in Philiſthinorum fertur propugnatorem. Deinde Goliath videns puerum pugnæ incenſum amore; oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à belli ſtudiis ſchema, in riſum effuſus eſt, ſpectaculum ludicrum dicens armaturam eiuſmodi: *Et dixit Philiſthæus ad Dauid. Numquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philiſthæus Dauid in dijs ſuis: dixitque ad Dauid. Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & beſtiis terræ.* 1.Reg.17: v.43.& 44. Verùm non ignorans Dauid, quòd inimicus terror verbis præmonſtratus, ſibi victoriam ſponderet, ad pugnam indè acriùs exacuitur, aiens (vt luculenter aduertit Seleucianus Baſilius) Baſil. Seleuc. orat.15. *Maledicam illam inimici linguam, victoriæ pignus teneo.* Quid accommodatius? Scilicet Dauid cùm aduertit pugnaciſſimum illum gigantem ore trucia quæque minitantem, & inimico populo contumeliis iniurium; auſpicium victoriæ opportunæ arripit, & in duellum animoſus proſilit, *maledicam illam inimici linguam victoriæ pignus tenens*, inde antequàm manus conſereret, reportans mente fauſtum victoriæ trophæum; inimici Philiſthæi maledi

maledicam linguam, & iactatas contumelias, tanquam victoriæ obſides petitè captans: ô bonam pertinaciter hoſtium eruditionem! Si non times de maledicentiâ, time ſaltem de infauſto, quaſi feminina maledici oris vindicta, ad maſculam vltionem vires effeminet.

3. Vix vllam perleges paginam in veteri teſtamento, in quâ non identidem Idolorum deteſtatio inculcetur, tanquam veri Numinis religioni inimica. Quod nunc ipſum Exodi 20. Deus præcipit. Verum cap. 22. hæc iubet Deus: *Dijs non detrahes*. Hebraicè, *Deos non vilipendes*. Mirabile planè eſt, quòd qui abiiciendos & proculcandos Gentium Deos tanquam inimiciſſimos & pernicioſiſſimos mandat, eundem hortari, vt iiſdem non detrahant. Alibi aliorſum notabamus, nonnullos interpretum, vt hanc difficultatem declinarent, exiſtimaſſe, *Deorum* nomine aut iudices, aut ſacerdotes intelligi. Sed S. Cyrillus ſeriò cenſet *Deorum* vocabulo inimica Gentium idola accipienda eſſe. Et diſputans contra Iulianum Auguſtum ſic dubium proponit. *Quis Iſraelem iuuat ad altaria & delubra, dicens oportere in ipſis exuri Deos, Dixitne etiam de illis: Dijs non maledices?* Ita quidem. Falſata numina ſunt, & inaniſſima Deorum vocabula, ſub quibus aduerſarius Dæmon ſubdole delitescit. Peſſundare inimica Idola, expedit, proculcare, conterere, & in ipſis aris deuicta comburere: at non ita generoſum videtur muliebri maledicentiâ in Gentium Deos debacchari: feminina vltio eſt illis detrahere: *Dijs non detrahes*. Quid enim tam inglorium, quàm aduerſarium, quem pugnando non vincis, maledicendo incuſare? Caue ne tibi irridens, inſultet dicens: *Maledicam inimici, linguam victoriæ pignus teneo*. Tenet etiam Iacobus victoriæ pignus maledicam inimici Eſau linguam. Efferus alias vir maledicentiâ ſe effeminat & exanimat.

Exod. 22. 28

Vel inimicis Gentium Dijs detrahendum non eſt.

Cyril. lib. 11. in Ioan. c. 2. & 19.

Hom. l. 7. contra Iulia.

Hic v. 36.

§. CCXVIII.

Præluſtris aliorum bonitas, & aſpectabilis nitor, maledicorum linguas exacuit.

1. MALE de te loquuntur homines. Sed mali: & indè maledici. Moueret, ſi iudicio id facerent: nunc vel inuidiæ, vel maledicentiæ inſtinctu faciunt: benè neſciunt loqui de bono, quod vituperio ambitioſiùs & peruerſo laudant. Eo loco res humanæ ſunt, vt bona meliorum, vituperonum linguas male exagitent, & inſtigent ad probra. Quorundam ſatyræ nihil mihi videntur à panegyri diſtare. Niſi quod Panegyriſtæ res bene geſtas laudando magnificè prædicant; eaſdem verò Detractores maledicè vituperando, ſumptuoſiùs commendant, peruerſo maledicentiæ ſtylo, & nigro vituperationis atramento. Diſſimiles mores approbare ſolitant, nec niſi aliquod grande bonum illis

Satyra improborum, nihil à panegyri diſtat.

diſplicere poteſt. Sub vitij nomine virtutes arrodunt. Improborum lingua improbis parcit, ne ſibi contumelioſa ſit, & tota in probitatem amarulentiùs exacuitur. Adeò vt quorundam vituperium ſit meriti ſublimioris argumentum.

Iobus ille, fortunæ pila, tolerantiæ ſimulachrum, patientiæ trophæum, & virtutis meta; prædiris calamitatibus agitatus, aliquod tanti mali leuamen in querelis quærit. Itaque tantiſper exaſperatus, (neque enim caro eius ænea erat, nec pectus ſaxeum, & inſenſile) nocti, in quâ conceptus eſt, acerbius maledicit. Noctem illam, inquit, tenebroſus turbo poſſideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna. (Diligentiùs adnota verba quæ ſubnectit, *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan*. Locus planè nimis arduus, & in quo extricando valdè ſudat commentatorum induſtria. Annon ſatis ſupérque à ſe maledicta eſt nox, in quâ Iobus conceptus fuerat? vt quid auxiliatem aliorum maledicentiam aduocat? Quid, quæſo, addere poſſunt ad dira, quæ illi nocti Iobus ipſe imprecatur? Sed ſententioſa pende verba, vt moraliſſima pandas ſacramenta: *Maledicant*, ait, *ei qui maledicunt diei*. Quaſi dicat, acerbiores his contumelias opto iactari in obſcuram illam noctem: vnde rei obſcuræ vituperones non aduoco, ſed eos qui puro, præclaro, & nitido diei effutiùs maledicunt. Scilicet qui præclariſſimis quibuſque rebus ſolent probroſiùs maledicere, obſcuriſſimis parcunt. Ne ergo eorum maledicentia obſcuræ nocti pareat, quin illi ſuas tenebras exprobret. Qui in clara Diei luce, næuum reperit, quem lingua acerbiùs culpet, non culpet obſcuræ nocti, de meâ natiuitate infauſtæ, & de tenebrarum lenocinio ſuſpectæ. *Maledicant ei, qui maledicunt diei*. Nimirum atrociorem maledicentiam expetit; cupitque ne de more parcat tenebris, quæ luci parcere non ſolet. Imò vt maledicentia edocta culpare etiam ea, quibus nihil ineſt culpandum, ſed potius laudandum, tranſeat ad noctem caliginis ream, & facinorum officinam. Ergo *maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare luctum ſuum*, vt vertunt Pagninus, & Vatablus. Luctum ſuum excitat, & ſe atrocius ferit, qui inculpatos culpat.

2.

Qui clarum diem detractione vituperat, obſcuræ nocti parcit.

Iob 3. v. 8.

Vatabl. in Annotat.

Regius Pſaltes ſic graphicè impiorum maledicentiam pangit: *Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam*: (id eſt, quod temerariè cogitant, quaſi factum garrulè reprehendunt) *iniquitatem in excelſo locuti ſunt*. (id eſt, palàm, publicè, impudenter) Addit tempeſtiuè: *Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra*. Lyranus ita locum explicat. *Poſuerunt in cælum os ſuum, præcipientes ſe adorari ſicut Deum. Et lingua eorum tranſiuit in terrà. Id eſt, lingua eorum in tantum tranſiuit metas rationis, ac ſi non eſſent homines terreni, ſed magis Dij cæleſtes*. Meliùs, puto, & opportuniùs Anſelmus Laudunenſis, de infeſtiſſimis detractoribus locum exponit, aiens: *Poſuerunt in cælum os ſuum. Superba loquuntur de cælo, & alijs. Et lingua eorum tranſiuit in terra, aliàs ſuper terram.*

3.

Pſal. 72. v. 9.

Lyranus ibi.

Detractores in cælum latrant, & terram linguis morſicant.

Anſel. ibi.

Ac

Ac ſi dicat, maledica detractorum lingua primò titillatur inuidiâ cæli, innoxioſque cælicolas impudenter culpat; pluraque in illis repetire ſibi videtur, quæ probros reprehendat: *Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam*: hoc eſt, cogitatione fingunt, quod maledica lingua vituperet. Cælum non eſt humanæ maledicentiæ aſylum, ſed acerbæ detractionis proritamentum? Nec ipſum cælum empyreâ aut ſidereâ perfectione & ſublimitate, immune eſt ab iis, qui perfectiſſima quæque acerbius morſicant, & impudentiùs lacerant; quaſi conſummata eorum perfectio, & ſplendidior innocentia, ſit detractionis illex, & fomes maledicentiæ. Sed quorum primus ardor eſt, cælos, & cælicolas dehoneſtare petulantis linguæ licentiâ, non inibi ſiſtitur ſerpens eorum malitia, ſed poſtquam *poſuerunt in cælum os ſuum*, & cæleſtes homines deuenuſtarunt, *lingua eorum tranſiuit ſuper terram*. Id eſt, Lingua eorum edocta, inculpata criminosè culpare, & in cæli nitore næuum inuenire: inde innoxia reprehendere aſſueta, in terram tranſit, & eius ignobilitatem, & ſqualorem publicat, & exaggerat, ne quid non vituperet, reprehendat, & abrodat. Ecquid tutum erit à vituperonum maledicentiâ? Nec ſublimis eminentia, & nitidus ſplendor cælos defendit, nec terræ aut miſerenda miſeria, aut larga beneficentia illam à maledicorum linguis tuetur. Nec bonitati, nec miſeriæ parcunt, ne cui parcant. Aſt qui in cæli nitorem iniurius eſt, innoxiâ maledicentiâ in cuncta graſſatur: ea potiùs detractione venuſtans. Non enim niſi grande bonum putatur, quod maledica prauitas tam effusè & petulanter condemnat. Contemne linguas, quæ dici in primis maledicunt, & noctes tranſeunt: quæ ſuperbè de cælo loquuntur, & inde in terras deſcendunt.

Hic v. 36. Præclarior hìc Iacobi felicitas maledici Eſaü linguam egregiè exacuit.

---

§ CCXIX.

Quæ notamus in aliis ſcelera, noſtrorum notitiam ad nos reuerberent.

1\. MERODAS aliorum ſuſpiciones ferre, aut fortis, aut felix poteſt. Porrò ſuſpicax hominum natura, de aliis cogitat, non quod eſt, ſed quòd ſubeſt: dum de ſe neque quod eſt animaduertit. Vt ad alienos defectus oculatiſſimus quiſque eſt, ita eſt ad ſuos videndos, aut lippus, aut potius cæcus. Quaſi aliena culpa oculos noſtros aperiat, noſtra claudat. Verùm ſagaci quodam naturæ inſtinctu, dum defectus noſtros in nobis inuiſos, in aliis videmus & notamus, in nobis animaduertimus: ô ſeram notitiam!

2\. Aſtutus ille ſerpens, totus de inferno eruditus, feminam, imbecilliorem viri partem, callidè adoritur. Palato & ambitioni inſidiatus, gulæ delicias, & ſuperbiæ arrogantiam perſuadet; & immortalitatis ſpebus inaniſſimis, cognatam mortalitatem reſculpſit, cū toto mortalitatis cenſu. Iraque mulier, quæ pomi ſaporem oculis vidit, vetitæ comeſtionis inuſtas ſibi notas ignorauit. *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum.... tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit. Et aperti ſunt oculi amborum.* Haud dubium eſt, Euam priùs ſerpentis maleſuadi illecebris, comediſſe de interdictæ arboris eduli fructu; poſteà ipſam Euam, & blandâ ſuadelâ, & non incurſæ mortis experientiâ, Adamo eſum perſuaſiſſe. Pulchrum hinc dubium expoſitorum ſagax acumen, ſubtiliter excitat. Quo pacto fieri potuerit, vt toto illo tempore, quo Eua comedit, quo expectauit virum, quo viro retulit magnificas ſerpentis promiſſiones, quo illi verborum blanditiis comeſtionem vetitam perſuaſit, quo vir pomum decerpſit, & comedit; nota veſtigia, & notas amiſſæ gratiæ in ſe non animaduerterit. Annon ſtatim ſimul cum gratiâ, originalis etiam gratiæ gratias appendices Eua perdidit? Perdidit quidem; at quare id non animaduertit in non modico illo temporis interuallo? Fortè cæca tunc erat, quouſque iuxta Dæmonis verba, pomi collyrio, eius oculi aperirentur? Abſtruſam huius rei cauſam ſacer Hiſtoricus non omiſit; & in relationis verbis non palàm eſſe, ſed diſſimulanter ſubeſſe maluit: *Tulit*, inquit, *de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.* Et confeſtim, ac vterque præuaricatus eſt, *aperti ſunt oculi amborum.* Scilicet vbi primum Eua peccati notas, & nota præuaricationis ſtigmata, in alio vidit, in ſe quoque animaduertit. Vterque in alterutro notat, quod in ſe erubeſcat. Videt Eua Adamum gratiâ viduatum, nudum, pudendum: & eoſdem characteres, quos in alio vidit, in ſe ipsâ ſcriptos legit. Et vitium quod in ſe, ante alterius præuaricationem non viderat, vbi primùm in alio cernit, in ſe animaduertit. *Dedit que viro ſuo, qui comedit. Et aperti ſunt oculi amborum.* Sic cæci ſumus ad noſtra flagitia, & perſpicaces ad aliena? ô vtinam ſaltem aliena peruerſitas, ſit ſpeculum, quod ad noſtros oculos reuerberet noſtram! Serò, opinor, vitium alienum noſtræ virtuti militat. Degenerat bonitas, quæ eſt alienæ malitiæ ſtipendium.

Geneſ. 3. v. 6. & 7.

Proprium defectum non vidit Eua, quem, quæ ſimilem in Adamo vidit.

Non tam mirarer Dauidem, Dei amicitiâ ſpectabilem, femineæ venuſtatis præſtigiis, à ſublimitate virtutis turpiter degeneraſſe; nec homicidij non meriti atrocitatem libidini adaggeraſſe: Homo erat, & nihil humanum ab homine alienum puto. Sed miriſſimum ſanè eſt, hominem Dei familiaritati adſuetum, & ſanctiori pietate innutritum, tot menſes in ſcelere perduraſſe, quin morſicantibus teneræ aliàs conſcientiæ ſtimulis; ad reſipiſcentiam exaſperaretur. Perdurat in ſcelere Dauid, ſed Deus ingenioſam admouet machinam, vt eius cor emolliat, & ſcelus perpetratum cognoſcat, cognitumque lachrymis eluat. Miſit ergo Dominus Nathan ad Dauid. Qui cùm veniſſet ad eum, dixit ei: Reſponde mihi iudicium. Duo viri erant in ciuitate vnâ, vnus diues, & alter pauper. Diues habebat oües, & boues plurimos valdè; pauper autem nihil habebat omninò præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nu- 3.

Ex alieno ſcelere cernatur, & taxetur proprium.

[illegible] nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius ſimul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens, eratque illi ſicut filia. Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus, & de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini illi, qui venerat ad ſe. Quorſum tam prolixa prophetæ narratio, præſertim ad Regem?
2 Reg. 12. v. 5. 6. 7. & 13. Attende quid reſpondeat Dauid: *Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis dixit ad Nathan: viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui hoc fecit. Ouem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum iſtud, & non pepercerit. Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir, qui fecit hanc rem,* &c. *Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino.* Vide arguitum Prophetæ ingenium. Non e veſtigio incuſat culpam, & minatur pœnam, ne reus flagitium ſuum excuſet, & extenuet, neque omnino recognoſcat, etiam poſt admonitionem. Sed conſultiſſimè ſcelus extraneo [illegible] impingit, vt Dauid ſuam in alterum [illegible] facilius videat, perſpicacius recognoſcat, & ſeuerius damnet. Quod apprimè notauit An-
Anſel. ibi. ſelmus Laudunenſis: *Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis,* &c. *Poſt ſimilitudinem*, inquit, *rectam ſententiam contra ſe [illegible] in alterum [illegible] [illegible]*. Scilicet ſuam culpam prius videat in alio, in alio illam abominetur, & damnet, vt in ſe culpam eſſe, & tanto dignam ſupplicio recognoſcat. Quaſi timeat Propheta, ne qui tot menſes ad proprium ſcelus non aduerterat; ſi in ſe prius videndum foret, lippis oculis teneretur, & mitius damnaretur. Videat à ſe peregrinam culpam, vt eam ſibi peregrinam benè videat, & iuſtè taxet: ô vtinam idem eſſet ſenſus & cenſus alieni ſceleris, & noſtri! Sed vſu compertum eſt, vt qui ad noſtra cæcutimus, lynceis oculis aliena perſpicimus. Quod deteſtaris in alio, in te cuſtodiſce. Saltem alieni defectus manuducant ad noſtros, & cenſoria curioſitas de peruerſo auxiliabitur conſimili cenſurâ.

Ibi. v. 36. Videbit iam [illegible] & violentus homo in alienâ (vt putat) furacitate, ſuam rapacitatem: & quod deteſtatur in Iacobo, & in ſe ſaltem animaduerteret Eſaü.

§. CCXX.

Suendi artem non abſque furacitate [illegible] dedicauit Adamus.

1. ARs omnis & de honeſtate, & de ingenio ſcientias æmulatur. At artes quædam ſunt, quæ vix hodie ſine vitio exercentur. Sutilis quidem ars, de ſe inculpata, miniſteriali quidem officio apud querulum vulgus egregiè de rapacitate culpatur. Nec noſtris temporibus ſubtracta videtur impunitas, quam mos priſcus indulſerat; imò præſtante tempore impunitas pro lege eſt, præſcriptione malitiæ. Priuatus enim quiſque [illegible] & [illegible] defenſor ſui eſt [illegible] ſubtilium forfícum præſtigiis [illegible] ſubripit, quo magis de rapina [illegible].

Tobiæ vxor vt depauperati coniugis, & 3.
pauculæ familiæ inopiam leuaret, proprio la- Tob. 2. v. 20.
bore victum quærebat ſollicita. *[illegible] factum eſt, vt hædum caprarum accipiens detuliſſet domi. Cuius cùm vocem balantis audiſſet, dixit: Videte, ne fortè furtiuus ſit, reddite eum dominis ſuis.* Valde laborant commentatores vt ſanctum Tobiam vindicent à ſiniſtræ ſuſpicionis reatu. Propriam vxorem furti arguit? *Videtur quod malè fecerit* (ait Lyranus) Lyran ibid.
hoc quærendo: quia cum Anna diu fuerat, & eius fidelitatem multipliciter probauerat: propter quod non debuit habere ſuſpicionem de ipſa, nec [illegible] dicere [illegible]. Nonne cæcum tibi videtur cæci hominis iudicium? Propriam vxorem [illegible] de fidelitate probatam, infamis furti ſuſpicione culpare non debuit, ne tunc totam familiam, & poſteritatem exinceps infamaret. Ecquid ſanctum & prudentem virum in hanc mentem impulit, vt ſiniſtram furti ſuſpicionem de ſuâ & nobili & fideli vxore conciperet? Neque etiam potuit non eſſe magnum ſic ſuſpicandi incentiuum, quod Tobiam induxit. Profectò, niſi ego valde fallor, in verbis verſiculi præcedentis refertur non inidonea eiuſmodi ſuſpicionis occaſio. Ita enim ſcribitur: *Anna vero* Tob. 2. v. 19.
vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat, deferebat. Vnde factum eſt, vt hædum caprarum, &c. Quæ verba ſic exſcribunt LXX. interpretes: *Anna [illegible] in [illegible], & mittebat dominis.* &c. Vnde [illegible] ille Bibliorum interpres P. Sa [illegible] cen- Sa. [illegible]
ſet; Annam Tobiæ vxorem, *Veſtes elaboraſſe; aut ſutiles, aut textiles.* Scilicet Tobias, homo minimè ſuſpicioſus: tametſi probè nouerat, eius vxorem, nobili genere ortam, & diuturno ſecum conuictu benemoratam, & perdiu fidelem expertam; tamen dum illi innotuit, eam *veſtes elaborare ſutiles*, non temerè apud eum clanculariæ furacitatis ſuſpecta fuit. Vnde prudentiſſimus ſenex, cautè querulus acclamat: *Videte, ne fortè furtiuus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Nouit hominem, qui miniſterialem tantùm conſuendis veſtibus nauabat operam, qui paucorum hebdomadum tempore, ſupra ſexcentos regales Hiſpanicos ex veſtium pittaciis ſagaciſſimâ rapacitate vſurpauit: vixque potuit adduci vt crederet, id ſibi non licere, artis fortè priuilegio. Tobiæ Ibi. v. 36.
vxor ſartoriæ operam dans, furti ſuſpecta eſt; & Rebecca non niſi hœdi pelliculas conſuens, *ſurripuit Benedictionem.*

Adamus & Eua vbi vetitum fructum inter- 5.
dictæ arboris deguſtarunt, *Aperti ſunt oculi* Gen. 3. v. 7.
amborum, cùmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Non hic omittam, quod ad rem præſentem aduertit Caietanus, quærens quo pacto Adamus & Eua veſtes ſibi conſuerint. *(Vtendo* in- Sutriā Adamus dedicauit non abſque rapinā.
quit) *pediculis frondium pro acu & filo, conſeruerunt cincinulos..... Hinc habes primum opus artis fuiſſe ſutoriæ.* Vide humani generis protoparentem, vbi primùm ſceleſtiſſimè deliquit,
factum,

factum Sartorum Patriarcham, & ad ſuendi exercendam artem donatum. Vide ſartoriam artem habere auſpicium à primordialis delicti pœnâ. Gratulabor huic arti, quòd in Adamo [illegible] primò dedicata ſit? Quid & [illegible] ſurto raperet, qui ſolus cum vxore erat in toto orbe, cuius erat Dominus? Audiendus tamen eſt Baſilius Seleucus: Baſil. or. 3.
Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Ipſi (inquit) *nudati nudant arbores.* Verum [illegible] Adamus omnium dominus, nil poterat furto rapere; ne tamen ſuendi officium ſine rapinâ dedicaretur, dum ad facienda ſibi ſuccinctoria, ſuendi dedicat artem, *ipſe nudatus nudat arbores*; vt etiam vbi impoſſibile erat furtum, Sartorum furacitas non deeſſet. Non negauerim, plurimos eſſe, qui ſuendi officium inculpatè exerceant, ſed aliquorum ſagacitſſimam rapinam peſſimè ingere [illegible], ne impunitas pro lege ſit, malitiæ præſcriptione.

§. CCXXI.

Malum, quod quiſque patitur, acerbiſſimum omnium eſſe putat.

1. PROSPERA in plebem ac vilia ingenia deueniunt. At calamitates terroreſque mortalium ſub iugum mittere, proprium magni viri eſt. Semper verò eſſe felicem, & ſine morſu animæ velle tranſire vitam, ignorare eſt rerum naturæ alteram partem. Sed videant qui aduerſam fortunam patiuntur, ne de ſuâ opinione calamitati multum adiiciant. Cognatum eſt hominibus nihil nimis acerbum putare, niſi quod ipſi ſuſtinent; reliquos felices, aut inuulneratos exiſtimant, niſi infelicitate vulneris ſui affligentur. *A nadie le pareçe, que ay mal como el ſuyo.* Exinde de ſuo dolore ceteros metiri ſolitant. Quaſi nihil ſit pergraue & intolerabile, niſi quo ipſi degrauantur.

2. Marci 6. diem natalis ſui feſto plauſu & tripudio Herodes celebrat. Coniunx cum Rege ſedent Galilææ ſummates. Saltat Herodiadis filiola. Reſpondit ſuo turpis generi, dum Patri complacet turpiori: de adulterio namque non niſi turpis debuit procreari: quæ fractis greſſibus, corpore diſſoluto, diſiunctâ compage membrorum, fluentibus ex arte viſceribus, tota patri fieret deformitate formoſior. Et te verâ ſuam credidit tunc Herodes, cùm talem vidit: nam putaſſet alienam, ſi pudicam vel aliquantulùm peruidiſſet. Optionem petendi dat, largiorem de medio pollicitationem offerens: *Quæ cùm exiiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ. Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petiuit dicens: volo vt protinùs des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Pede impudico caſtum Ioannis caput atrociter ferit? Luculenter S. Petrus Chryſologus, ita tempeſtiuè fatur: *Volo vt protinùs des mihi in diſco caput*

Serpens capite fractus, Ioannis caput petere ſatagit.

Marci 6. v. 24. & 25.

Chryſolog. ſerm. 174.

Ioannis Baptiſtæ. Serpens, inquit, *tunc latebat in feminâ, quæ reptans greſſibus fluxis, lethale toto corpore virus effudit.* Mirandum eſt, quod hæc ſerpens femina capitis abſciſſionem petierit, & non atrociora alia tormenta, quæ inuidia & odium regali potentiâ armata, intentare ſolent in martyres. Vbi cataſtæ & rotæ membra diſcerpentes? vbi vngues adunci, ferrei pectines, ſerræ ictus reciprocantes, & ſæuæ crates incendium euaporantes, quò viuum martyris cadauer acerbiùs exuſtulent? Vbi barbaricæ crudelitatis ingenia? An non mulierculæ odio Herodes [illegible] permiſit? Puto, mitiùs actum eſt cum Ioanne. Imò ſæuiſſimè, & atrociſſimè. Caput petit, quia ſerpens tunc latebat in femina. Nonne ſerpenti dictum eſt. *Ipſa conteret caput tuum?* Ergo ſerpens, cuius caput contritum eſt, qui capite malè ſaucio laborat, etiam nunc de ſuo cenſu & ſenſu caput Baptiſtæ petit. Serpens contrito capite laborans, dum in feminâ illâ tectus latet, quid tam inhumanè petat, quàm caput? Vndè *ſerpens tunc latens in femina*, hæc atrociter ſibilat: *Volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Nimirùm malum, quo ſerpens ipſe angitur, inimico nimis infenſo apprecatur: nil putans æquè acerbum, quàm negotiari inimico malum, quo ipſe affligitur. Vnde cùm Eſau acerbiùs dolet, eò quòd videt ſuum æmulum Benedictione paternâ auctum, hic cum *eiulatu magno* paternam ſibi Benedictionem negociatur, quò adſimile experiatur malum, quod cenſet calamitoſius.

Gen. 3. v. 15.

Hic v. 35.

Lucæ 23. inter duos latrones Chriſtus pendet in cruce patibulatus. Latronum alter Chriſtum blaſphemat ore impio; quem alter meliora ſapiens, ſeuerè increpauit, aiens: *Neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es..... Et dicebat ad Ieſum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Super quibus verbis ita eleganter philoſophatur Diogo de Sacramento Domin. Paſſionis, ſic aiens: *In eo quod imaginem meam in te video, ſimilem & eandem mecum miſeriam pati. Quia ergo reſtas*, &c. ô latronem nouitiè pium! Quid increpas impium latronem, quia cum *in eadem damnatione* ſit, non compatiatur de Chriſti tormento? Cauſam Chriſti Dei deuenuſtas, cùm eius Paſſionem, paſſioni iſtiuſmodi latronis ſimilem dicis? Imo & tu, antiquus latro, & pietatis tyro, quid ad compaſſionem flecteris, quia imaginem tuam in Chriſto vides, *ſimilemque & eandem tecum miſeriam pati?* Similem tecum miſeriam ſuſtinet Chriſtus? Eſto, crux non ſit diſſimilis, vbi eſt in capite tuo ſpinea corona, diuè delicata terebrans tempora? vbi tot furui vibices, & cruentæ plagæ verberibus inflictæ? Vbi vultus colaphis violatus, & ſputis fœdè ſaliuatus? Vbi diſpar cauſſa, & Dei innocentia ab homine caſtigata? Vbi latentes Dei crucifixi curæ, quas animitùs decoquit? Hæc maxima omittit, & tantùm commemorat, *ſimilem, & eandem ſecum* crucis *miſeriam pati?* Videt illa per obſcuram fidei lucem; ſed quod eius compaſſionem blandè ciet, eſt adſimilem ſecum pati miſeriam, ſuo ſenſu maximam: quia non *eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*, ait dixit Ieremias. *El mal que yo padezco, es el mayor ſiempre.*

3.

Lucæ 23. v. 40. & 42.

Latro, quod ipſe patiebatur, acerbiſſimum putabat in Chriſto?

Diogo de Sacram. Domin. paſſion.

Thren. 1. 12.

§. CCXXII.

Opus alioqui præcelſum, patratoris vilitate decreſcit, deuenuſtatur, vileſcit.

1.
Tertull. de Anima c. 1.

PLANE *non negabimus Philoſophos* gentiles *iuxta noſtra ſenſiſſe. Teſtimonium eſt veritatis etiam inuentus ipſius :* nonnunquam enim ſæuis Auſtris æſtuante, & naufragium minitante pelago, aliquis oſtenditur portus, proſpero errore, & cæcâ felicitate. Verùm propè excluſa eſt virtus à priſcâ Græcorum, Romanorumque philoſophiâ, quantumuis eius ſectatores benemorati viderentur. Plurima de eis narrantur virtutum moralium egregia facinora ; & licet non diſcredamus relationibus, eorum probitati non credimus. Vitiorum vituperones, & virtutum caupones habentur : nam in homine improbo, quis veram & meram, & non potiùs mentitam & falſatam probitatem cenſeat ? Vnde vſu venit, vt cenſus æſtimationis, ſit, non operationis, ſed operantis æſtimatio. Contemnunt homines veriorem diſciplinam, quam ex ruſticano excipiunt ore : (Hinc acris illa Septimij ironia : *Deliquit, opinor, diuina doctrina, ex Iudæa potiùs quàm ex Græciâ oriens. Errauit & Chriſtus piſcatores citiùs quàm ſophiſtam mittens*) vituperant virtutem, quam non virtuoſus edit ; & ex anteactâ vitâ metiuntur rei præclaræ geſtæ eminentiam. *Nunca tienen los hombres por accion grande, ſi no la hiço perſona de quien tenian gran concepto.*

Tertull ſuprà, c. 3.

2.
Matth. 19. v. 21.
Socrates ſpõte pauper, ſpõtaneam paupertatem dehoneſtauit?

Chriſtianæ perfectionis incitatus deſiderio, acceſſit ad Chriſtum neſcio quis adoleſcens, vt diues opibus, ſic ditior diuinæ legis perpetuâ obſeruatione. Cui de cæli ſcholâ reſpondit Chriſtus : *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & de pauperibus.... & veni ſequere me. Cùm audiſſet adoleſcens, abijt triſtis. Erat enim habens multas poſſeſſiones.* Ecce tibi quàm ſit arduum opulentiæ renunciare, & mundi penuriâ vitam perpetuò agere. Hàc occaſione incitatus, dixit Petrus ad Ieſum : *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis ?* Verùm attende diligentiùs ad Chriſti reſponſum. *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, &c.* Videtur Chriſtus non ſatisfeciſſe plenè interrogationi Petri, cùm in recenſitione, rerum omnium deſertionem omittat ? Petrus enim dixerat : *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis.* Chriſtus autem ſuæ duntaxat ſequelæ meminit, & palàm intermittit illud, *Reliquimus omnia.* Eccur à Chriſto non computatur, bonorum omnium pro virtute deſertio ? An præclarum eiuſmodi abrenunciationis opus contemnit ? Nonne id quaſi præcelſum, & in paucis arduum exteruit, & planè exanimauit pium illum adoleſcentem, à cunis totam legem obſeruare adſuetum? Rem adeò grãdem non cõputat Chriſtus? Quare eiuſmodi præteritione depretiabitur eximiũ ſpontaneæ paupertatis opus? Eleganter rem tetigit Hieronymus ad illa verba : *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, &c. Non dixit: Qui reliquiſtis omnia. Hoc enim & Socrates fecit philoſophus, & multi alij diuitias contempſerunt. Sed qui ſecuti eſtis me, quod propriè Apoſtolorum eſt.* Scilicet præluſtris virtus eſt volũtaria paupertas, & quæ aliàs princeps Beatitudinũ cenſetur. Quid enim auguſtiùs quam omnem vitæ ambitionem ſpontaneâ opum deſertione iugulare? At quia in Socrate, & alijs huius fæcis hominibus reperta eſt, adeo cenſet Hieronymus, à Chriſto Domino inglorè præteriti ; eamque duntaxat recenſuiſſe virtutem, quæ in Apoſtolis reperitur. Ecce tibi virtutem, alioqui de ſe excelſam, planè deuenuſtatam, quia in Socrate, homine infideli, & ambitioſo inuenta eſt, quaſi opus non tam ex opere, quàm ex operante cenſeatur. *Tal vez la perſona deſacredita, ô acredita la virtud.*

Hieronymus ibi.

Sterilis quondam Abrahamus venit in obli- 3.
uionem ſuæ conditionis ; natura dum ſpe renouatur. Accepta promiſſione habuit filium ante filij partum, & ſpes ipſa priùs Iſaacum peperit, quam alius. Sed ecce quaſi magnum non fuiſſet egredi de terrâ ſuâ, de ſuâ cognatione, & patris ſui opulentâ domo, adhuc vnici filij parricidio pertentat Deus præclarum illud patientiæ & conſtantiæ ſimulacrum. *Tolle*, inquit, *filiũ tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis : atque ibi offeres eum in holocauſtum : ô animi fortitudinem !* (exclamat Seleucus) *non gemuit, non illacrymauit, non naturæ fractus eſt, non emiſit vocem patre dignam, non dixit quæ ab ingenio valuiſſet.* Nemo ferè eſt ſanctorum Eccleſiæ Patrum, qui huius decantatiſſimi facinoris encomiaſtes non ſit, nec ſcio, an par tantæ conſtantiæ & virtuti laus inueniatur. Verùm, quia ſuper hâc theſi, Socratis virtutem induxit Hieronymus, eumdem Socratem inducat Tertullianus æmulãtem Abrahami magnanimitatem. Socrates inquam, nefandorum criminum inuidè accuſatur, demum iniuſtè damnatur, & capitis ſupplicio mulctatur. *Etiam in carcere* (ait Tertullianus) *Socratis de animi ſtatu velitatam eſt.... Iam ſcio naufragio regreſſo, iam exitis damnationis exhauſtis, iam morte præſente vtique conſternata anima ad aliquem motum ſecundum naturam, aut externum, ſi non ſecundum naturam. Quãuis enim placida neque tranquilla,* (anima inquam Socratis) *quam nec coniugis ſtatus ſtatim vidua, nec liberorum conſpectus exinde pupillorum, lege pietatis inflexerat, vel in hoc tantùm mota, ne moueretur, ipſa conſtantia concuſſa eſt aduerſus inconſtantiæ concuſſionem. Quid autem aliud ſaperet vir quilibet iniuriâ damnatus præter iniuriæ ſolamen, ne dum Philoſophus gloriæ animal, cui nec conſolanda eſt iniuria, ſed potius inſultanda. Denique poſt ſententiam obuiæ coniugi, & muliebriter inclamanti, iniuſtè damnatus eſt Socrates, iam de gratulatione reſponderat.... Ipsâ morte coram, immortalitatem vindicat anima neceſſaria præſumptione ad iniuriæ fruſtrationem.* Stupes tantam Socratis 4.
virtutem in tanto diſcrimine ? audi verba quæ ſubdit idem auctor. *Adeo omnis illa tunc ſapiẽtia Socratis de induſtriâ venerat conſulta æquanimitatis, non de fiducia cõpertæ veritatis.* Longiuſculè præter morem meum, ſed viuacius res coloratur arguto Tertulliani calamo. Nimirùm Socrates philoſophiæ vertex, & Græcæ retrò virtutis meta, cinædus audit, & atheos ; ob hæc nefanda crimina innocens ſqualet in carcere, & tandem morti addicitur.

Auguſtini magnanimitas, in Abrahamo ſuſpicitur, in Socrate meritò culpatur.

Geneſ. 22. 2.

Baſil. Seleuc. orat. 7.

Tertull. de Anima c. 1.

Venenatum exhaurit poculum, adeſt iniuſtè moribundo marito muliebriter inclamans vxor ſtatim vidua, adſtant patri teneris perfuſi lachrymulis filioli, exinde pupilli; nec deeſt diſcipulorum turba, neque amicorum grex. Demum adeſt omnibus ipſe Socrates in tanto rerum diſcrimine, acerbioris tragœdiæ funeſtior fabula; ſed vſque adeò placidus & tranquillus, vt *de gratulatione reſponderit*: ô patientiæ ſimulachrum! ô magnanimitatis prodigium! De cæde, de iniuria, de probroſâ contumeliâ non fuerat Socrati conſolandum, ſed inſultandum? De tantâ calamitate gratulationem placidus audit? Quid ſublimius de noſtro Abrahamo prædicant Patres, buccinat Philo? Verum enimverò, *Omnis illa tunc ſapientia* (virtus inquam) *Socratis de induſtria venerat conſulta æquanimitatis, non de fiducia comperta veritatis*, & inde fucata, mentita, falſata virtus iure cenſetur. Nam (vt dixit Hieronymus nuper laudatus) *Hoc Socrates fecit philoſophus.* Vides oculis, ſæpè non tam ex opere, quod foris apparet, quàm ex virtute, quæ medullitùs ineſt operanti, nos metiri rei geſtæ ſublimitatem. Improbitas operantis, grandioris operis contumelia eſt: excelſum facinus, præcelſum patratorem requirit: de exiguo nil magnum putatur: auctoris vitio præclarum aliàs opus ſæpè infuſcatur. Glorioſum Eſaü, & Eſaüitarum regnum, quod totis octingentis annis obtinuerunt; non ſceptri nomine, ſed excutiendæ

Hic v. 40. ſeruitutis vocabulo hic deſignatur. Vix aliquid grande de Eſaü credibile videtur?

5\. *Veritas à dicente, ſæpe credibilis, aut incredibilis eſt.*

Quod dictum eſt de eximiis virtutum facinoribus, dictum puta de præſtantia doctrinæ, de veritatis felicitate, de opinionis credibilitate, quæ ipſiſſima in ore magni viri reperta, velut in regio auctoritatis throno ſedet nitida; in viro ſordido eadem ſqualet, nec vſquam fidem

Philo l. de Migr. Abrah. In comment. ſuper Iudith ad c. 11. n. 134.

auditorum inuenit. Pulchrè Philo: *Eſt quidem veritas opinione melior: vtramque tamen ſua bona fortuna ſequitur.* Sat eſt intendiſſe digitum ad hunc locum, olim enucleatum; ſed ad hoc thema nuſquam expenſum, expendendi facilem.

---

§ CCXXIII.

Nemini ſeruire, quàm omnibus imperare, gratius eſt.

1\. Diogen. l. 7.

DIOGENES cùm Xeniadæ ſeruiret, amici agebant de illo redimendo. At ille: *Nequaquam*, inquit, *an neſcitis leones non iis ſeruire, quibus aluntur; ſed alteres potius ſeruire leonibus? Nam leo vbicumque eſt, ſemper leo eſt.* Quod ſolatium ſeruitutis potiùs captâs dixit, quàm ex vero. Ipſe enim paulò antè interrogatus, *Quid eſſet in vitâ optimū, libertas inquit.*

Libertas dicitur res vita optima.

Quid enim æquè graue & acerbum homini accidere poteſt, quàm naturæ ingenuitatem dediſcere; & qui ſui iuris eſt, iuris alieni ſeruitute fieri? Seruus enim, adhuc dum viuit, exul vitæ eſt; quippe qui non ſibi, ſed Domino viuit: viuum cadauer eſt, viuum ad doloris ſenſum, emortuum ad operandi dominium: & qui ſe ipſo præmaturè viduatus, viuam agit mortem, dum viuendi ius, & actiones vitæ, ſimul cum libertate tumulauit, in alieni dominij ſepulchro.

Hic verſ. 40. inſaniit præ furore Eſaü, dum aduertit, ſe Iacobi fraude orbatum fuiſſe paternâ Benedictione, & primogenij iure. Aliā Benedictionem, (heu quantula reſtat!) obortis lachrymis, quas iniuria vel à ferino extorſit ingenio, à patre poſtulat peramanti. Cúmq; eiulatu magno fleret, motus Iſaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit Benedictio tua. *Viues in gladio, & fratri tuo ſerues: Tempuſque veniet, cùm excutias, & ſoluas iugum eius à ceruicibus tuis.* Profectò Eſaüitæ non modò excuſſerunt à ceruicibus ſuis graue & probroſum Iacobæorum iugum; ſed etiam longè latéque totos octingentos annos glorioſiſſimè in Idumæâ priùs regnarunt. Cur ergo in Benedictione nulla fit ſceptri mentio, ſed ſoluendæ ſeruitutis prædictio? An quia Regum corona nobilis ſeruitij character eſt? An potius quia ſeruitutis iugū excutere, præ regni

2\. *Eſaüitas ſeruitutis excuſſiſſe iugū, præ regni gloriâ conſetur.* Hic v. 40.

ſolio æſtimatur? Caietanus ad has argutias non aduertens, ſic hunc locum & exſcribit ex Hebræo, & de ſuo commentatur: *Et erit, quando dominaberis, & excuties iugum eius.* Verum S. Hieronymus in vulgatâ editione, quam è cælo afflatus edidit, dominationem conſultiſſimè omiſit, & tantùm iugi ſoluendi mentionem fecit. Quaſi ſceptrum diu inclytum comparatione ſeruitutis ſoluendæ, minimè computetur. Nempe diu Eſaü regnabit potenti & auguſto imperio, ſed quia aliquando ſubiectus, ſeruitutis iugum excutiet, quaſi hoc præniteat glorioſius, huius tantùm in Benedictione meminit. *No tiene por igual felicidad reinar ochocientos años con tanta gloria y mageſtad, como ſacudir el yugo de pocos años de ſeruidumbre, y reſtituirſe à la libertad de que gozaua.* Præ excuſſæ ſeruitutis gloria, ſceptrum non fulget, non renidet corona, imperium non eminet. Sic eſt magnificum nulli ſeruire! ſic eſt auguſtum ſe in ſibi cognatam aſſerere libertatem!

Caietan. ibi.

Pſalmo 67. Sic Chriſto Deo Inferorum de- 3.
triumphatori, in cælos aſcendenti, feſto plauſu Pſal. 67. v. 19.
occinit Dauid: Currus Dei decē millibus multiplex millia lætātium: Dominus in eis in Sinâ in ſancto. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem*, &c. Quæ eſt iſta captiuitas, quam Chriſtus in altum aſcendens, cepiſſe dicitur? Longum facerem, ſi expoſitiones ſingulas, quibus hunc locum onerant interpretes, recenſerem. Mitto plura, vt citò dem Lyræ expoſitionem. *Aſcendiſti in altum, id eſt, in cælum empyreum. Cepiſti captiuitatem, id eſt, accepiſti illos, qui in limbo detinebantur captiui, eos tecum ad cæleſtia deducendo.* Aſcendunt ſancti Patres è limbi captiuitate cum triumphali pópâ cæleſtia regna æternùm poſſeſſuri; & non dicuntur victoriâ aucti, trophæis opulenti, triumpho nobiles, regno inclyti, gloriâ beati; ſed ſoluti captiuitate, quâ in limbo detinebantur captiui? Sic eſt ſublime, ſic auguſtum eſt, excuſſiſſe ſeruitutis iugum, & diuturnam captiuitatem, tandem aliquando ſoluiſſe, vt hæc etſi magnifica, & in primis auguſta ſileantur, & veniſſe tempus, quo excutiāt & ſoluant iugū glorioſè prædicetur? *No ſe haçe mencion de que los Padres del limbo van à tomar poſſeſſion del reino de los cielos, à viſta de verſe libres de tan moleſta ſeruidumbre.*

Captiuitatē ſoluiſſe præ empyreâ gloriâ cenſetur.

Lyra ibid.

Ouant Patres, triumphant, regnant, beantur empyreâ gloriâ. Magna hæc ſunt, & ſupra humanum faſtigium. At quaſi gratius foret, iugum excutere, & ſeruitutem ſoluere, hoc buccinat Propheta; illud apud homines diſſimulat: apud quos tanti habetur à ſeruitute liberari, vt Iſaacus omiſſâ regni gloriâ, hâc Benedictione poſteros Eſaü felicitarit: & Pſalmographus Iſaacum imitatus, ſolutæ captiuitatis glorias ſumptuoſius modulatur.

---

§. CCXXIV.

Dira ſeruitus, libertati de oppreſſione affinis eſt.

1. INTER naturales animi dotes præcipua eſt, in primis liberum animum habere. Hæc res efficit non è iure Quiritum, vt ſis liber, ſed à iure naturæ. Liber autem eſt, qui ſeruitutem effugit ſuam, etſi prematur alienâ. Sibi ſeruire grauiſſima ſeruitus eſt, ineluctabilis, & per diem ac noctem æqualiter premens, ſine interuallis, ſine commeatu. Aliena autem ſeruitus per interualla premit, nec diuturna ſemper eſt: ſed quò durior eſt in calamitate, eò eſt proximior libertati. Omnes cum fortunâ copulati ſumus. Aliorum aurea catena eſt & laxa, aliorum ſtricta & ſordida; ſed quæ omnes æquâ inæqualitate circumagit, rotatque: adeò vt duriori ſeruituti de felicitate libertatis gratulari poſſis. Summa quæque diu non patitur rerum humanarum vertigo volubilis.

2. Exod. 6. v. 9. Exodi 6. Moyſes Hebrææ gentis Princeps inauguratus, alacer in Ægyptum pergit ad ſuos dirâ Pharaonis tyrannide oppreſſos: *Narrauit ergo Moyſes omnia filijs Iſraël: qui non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus.* LXX. interpretes exſcribunt: *Qui non acquieuerunt ei præ puſillanimitate.* Scilicet ingens calamitas ſic animum anguſtat, vt ex magnanimis reddat puſillanimos. Quin & nunc cernimus puſillanimitatem facere inobſequentes, & animosè refractarios. Hebræus autem textus illud, *propter anguſtiam ſpiritus*, effert, *Non acquieuerunt ei propter ſeruitutem.* Res profectò admiratione digniſſima! Nempe Hebræus populus propter ſeruitutem non acquieuit Moyſi imperanti. Ecquis eſt tam idoneus ſeruiendo, quàm ſeruus? Seruitus obſequio obligata eſt, & vectigalis præcipientis nutui. Libertas verò ingenuitatis priuilegio, imperij iugum excutit, & præceptionem detrectat. At filij Iſraël, *Non acquieuerunt Moyſi propter ſeruitutem*: & qui fuerat obſequij præſtandi titulus, fit non parendi licentia. Nemo minùs obedit, quàm qui magis obedire debuiſſet. Dura ſeruitus puſillanimes facit, puſillanimis refractario affinis eſt. Magnanimos obedientia expetit. An potiùs nemo ad obſequendum expromptior eſt, quàm qui idoneus magis eſt ad præcipiendum?

Magnanimos obedientia expetit.

Non acquieuerunt Moyſi propter ſeruitutem quaſi abiecta & puſillanimis ſeruitus, impar ſit excelſo obedientiæ faſtigio. Niſi fortè ad rem præſentem malis, quod Hebræus populus *non acquieuit Moyſi propter ſeruitutem*: ac ſi ærumnoſior ſeruitus, ſit properantis libertatis auſpicium. Qui diuturniùs & calamitoſiùs ſeruiuit, fauſtè ſibi libertatem ominatur, & quaſi iam excuſſiſſet ſeruitutis iugum, parere detrectat: *Non acquieuerunt Moyſi propter ſeruitutem.* Exinde qui foret obediendi titulus, factum eſt libertatis omen, & ingenuitatis priuilegium: & vnde debebatur ſeruitium, inde libertatis licentia fauſtè vindicatur. 3.

Dura ſeruitus eſt properantis libertatis omen.

4. Hîc verſ. 40. inſanè ferocit Eſaü, eò quòd præproperâ fratris aſtutia paternam illi Benedictionem ſagaciſſimè præripuit: & anxiè patrem ſupplicat, vt illi quoque benedicat. Annuit Iſaacus: Cumque eiulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum: In pinguedine terræ & in rore cæli deſuper erit Benedictio tua. *Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies: tempuſque veniet, cùm excutias & ſoluas iugum.* Idne beneuolæ Benedictionis mereatur nomen, an diræ maledictionis? Prædicit duram ſeruitutem, & ſub Benedictionis titulo illam recenſet? *Fratri tuo ſeruies*, inquit, & id Benedictioni imputandum eſt? ô infeliciſſimum Eſaü, cui frater Benedictionem aſtu ſurripit, & pater benedicendo maledicit! Verùm enimverò duræ ſeruitutis nomine, nobilem diu libertatem fauſtè ominatur, & benedictione prophetat. Nam dùm dicitur: *Fratri tuo ſeruies*, ſtatim additur: *Tempus veniet, cùm excutias & ſoluas iugum.* Hoc eſt, (vt ibi tempeſtiuè adnotauit Gloſſa) *præualebis, ſiue dominaberis.* Quaſi calamitoſior ſeruitus, quâ maior frater minori infortunatè ſeruit, ſit ingenuæ libertatis prognoſticum, & amplioris imperij auſpicium. *Fratri tuo ſeruies; excuties iugum, vel præualebis, ſiue dominaberis.* Portò ſicut Iacobæi mandatis obtemperare recuſant, *propter ſeruitutem*: ita dum Eſaüitis in Benedictione prædicitur: *Fratri tuo ſeruies*, velut auſpicium fauſtè ſubiungitur, quòd *Iugum excutient, vel præualebunt, ſiue dominabuntur.* Sic dura ſeruitus libertati confinis eſt? Nemo in dirè aduerſis animo cadat, dum dira captiuitas libertatem fauſtè ominetur. *Quando llega à no poderſe leuar el iugo, por vn camino ò por otro ſe ſacude. Lo que no ſe puede ſuffrir, cerca tiene el remedio.*

Hic v. 40.

Benedictio Eſaü eſt fratri ſeruire.

Gloſſa ibi in notis margina.

§. CCXXV.

§ CCXXV.

Iudicij audacter temerarij officina, iudicantis maleuolentia eſt.

1\. ANimvs odio ſaucius, eius, quem exoſum habet, actiones omnes vitio vertit, & leuiſſimas noxas grauiſſima reputat flagitia; & vbi nullum adeſt crimen, ipſe flagitioſiſſimum inuenit, malitioſo odij lenocinio. An non ſemper verum eſt illud Salomonis decantatiſſimum prouerbium: *Odium ſuſcitat rixas: vniuerſa delicta operit charitas?* Porrò odium non eſt bonus actionum interpres, ſed omnia ſiniſtrè interpretatur, dum inuidentiæ oculis alienam mentem & opera contemplatur, & cenſet. *Quemadmodum* (ait Nazianzenus) *eadem terra ſtat quidem ſanis, mouetur autem vertiginoſis, & qui ſe circumuoluerunt: cum videntium paſſio ad id quod cernitur, tranſmutatur..... Ita & nos facilè decipimur in inimicitijs.* Contra verò *vniuerſa delicta operit charitas.* Delicta ſcilicet eius, quem diligimus, quantumuis magna, charitas non extenuat tantùm, & eleuat, ſed operit atque tegit. Ea enim eſt amoris natura, vt omnia interpretetur in bonum: ita præfatum Salomonis locum ex Hugone, Caietano, Ianſenio, & Rodolpho, Salazarius noſter inibi commentatur. Inde, opinor, temeraria hominum de alienis rebus iudicia, quibus aliorum facta damnant, ex odio concipiuntur, & in maleuolentiæ officinâ cuduntur. *Charitas* enim, docente Paulo, *Non cogitat malum; ſed vniuerſa delicta operit charitas.* Hinc putauerim, ſiniſtras ſuſpiciones & iudicia, defectu amoris animari, propagarique ex odij ſeminario, & inde latè ſerpere diffamiæ alienæ (quin & propriæ) incremento. Hoc Eſau erga Iacobum odium ſiniſtrarum (quas retulit) ſuſpicionum conceptaculum fuit. Furtum & fraudem putat, quod erat myſterium. Maleuolo ſacramentum pro iniquitate eſt.

Iudicij iniuſti, temerarij, conceptaculum eſt. Prou. 10. 12.

Naz. orat. de pace.

1\. Cor. 13. 5.

Hic v. 41.

2\. Ad hunc Prouerbiorum locum alludit S. Petrus, ſic fatus: *Ante omnia autem, mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam* (Græcum ἐκτενῆ, non tantùm ſignificat *continuam*, ſed etiam, *extenſam, liberalem, profuſam*) *habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Profectò nimis liberalis & profuſa videtur charitas, quæ nullum in dilecto ſuſpicatur defectum, nullamque in eo noxam videt aut cenſet, quis enim hominum mundus eſt a delicto? ergo lippus eſt, qui ea, amore præſtrictus, non videt. Et quidem olim & nunc cæca habentur amantium iudicia. Charitas igitur velamen oppandit, quo operiat, & ideò non videat multitudinem peccatorum, quibus dilectus verè ſqualet. Verùm τὸ καλύψει, *operit*, ſignificat etiam, *operiet, hoc eſt, operire poteſt & ſolet, multitudinem peccatorum*, vt interpretatur Cornelius. Neque enim cæcè, ſed perſpicuè & oculatiſſimè operire poteſt charitas multitudinem peccatorum, dum maleuolentiæ ſiniſtris ſuſpicionibus non laxat habenas, ſed beneuolentiæ blandimento, omnia æqui bonique conſulit, & in meliorem quam poteſt partem, amoris lenocinio interpretatur. Acutè ad rem S. Baſilius amatorem Deo, & Soli his verbis comparat: *Sicut igitur*, inquit, *Deus* (& Sol) *promiſcuè omnibus lucem impertitur: ſic imitatores Dei, charitatis ipſorum radium æqualiter communicare omnibus debent.* Audis *charitatis radios*, inſtar Solis perſpicuos, & cæca amantium iudicia putas? Nimirum Charitas dum enixè ſatagit, & omnes ingenij vires contendit, vt operiat multitudinem peccatorum; nullum, aut vix vllum reperit excuſationi non peruium delictum, dum beneuolentiæ *radijs* claratur via, quâ aut excuſationi, aut non malæ cenſuræ pateat locus: *Quia charitas operiet, hoc eſt, operire poteſt* (nota τὸ *poteſt*) *multitudinem peccatorum.* Belle pariter ac verè Baſilius. *A quien jamas falto camino para eſcuſar al que deueras quiere bien?*

1\. Petr. 4. 8.

Charitatis radio multitudo peccatorum operitur.

Cornel. ibi.

Baſil. ſerm. de inſt. Monach.

3\. Diuinæ omniſcientiæ perſpicacia rerum humanarum præſtigiis falli non poteſt, quin quod eſt, quâ ratione eſt, ad amuſſim exploret: *Viuus eſt enim ſermo* (Græcè λόγος, id eſt, *ratio*, *Dei*, *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Verùm quia Deus non tantùm mente eſt perſpicaciſſimus, ſed voluntate hominum amantiſſimus, animaduerſione digniſſima eſt elegans, & piè audax S. Bernardi interpretatio verborum Petri, quæ nuper verſabamus: *Charitas operit multitudinem peccatorum*, qui *charitatem*, de quâ Petrus loquitur, ad Dei charitatem refert (literaliter, an concionatoriè non hîc definio.) Sic ſcribit mellito calamo Bernardus: *Stat propoſitum Dei, ſtat ſententia pacis ſuper timentes eum, ipſorum & diſſimulans mala, & remunerans bona: vt miro modo* (id eſt, prædeſtinatis) *non modo bona, ſed & mala cooperentur in bonum.* Mentis libra quæ ſubnecit verba adæquè trutinanda ſunt. *Hoc ergo aduerti quaſi nunquam peccaſſe, quoniam & ſi qua deliquiſſe videntur in tempore, non apparent in æternitate: quia charitas Patris operit multitudinem peccatorum.* Quid exaggeratius dici potuit? imò quid beneuolentius potuit de Deo cogitari? Num quæ aliqui Prædeſtinati impiè deliquerunt in tempore, Deus (*charitatis radiis*, velut illuſtratus) non videt in æternitate, quia *charitas operit multitudinem peccatorum?* Diuinæ charitatis radij ſic quaſi clarant diuinam mentem, vt quod in tempore erratum eſt, in æternitate non appareat? Scio in ſacris Biblijs, cùm Deus dicitur non ſcire hominum peccata, intelligi de ſcientiâ approbationis; quem loquendi modum ſancti Patres vltrò imitantur: ſed mirificè biblicâ phraſi rem præſentem exaggerauit Bernardus.

ad Hebr. 4. v. 12.

Quæ prædeſtinati deliquerunt in tempore, non apparent in æternitate.

S. Ber. ſer. 23 in Cant.

4\. Marci 16. *Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.* Quomodo autem Chriſtus ad dexteram Dei ſedeat, Cyrillus inexplicabilem putat eſſe quæſtionem: nam neque Chriſtus in cælo ſedet, neque Deus dexteram habet. Et quamuis metaphoricè & Chriſti ſeſſio, & Dei dextera accipiatur, (nempe *ſeſſio* pro iudicandorum hominum poteſtate, & dextra

Marc. 16. v. 19.

Cyrill. Catech. 14.

Quare ſpiritus ſanctus nunquam ſedere, id eſt, gubernare dicitur.

dextra pro æqualitate perſonarum) adhuc arduum explicatu eſt, quid horum habeat Chriſtus in cælis, quod non præhabuit in terris. Mitto huius quæſtionis ſalebras ad litteraliſſimam præfati loci diſcuſſionem. Et quidem, vt perſpicuum eſt ex Athanaſio, Baſilio, & Auguſtino, per *dexteram* ſignificatur æqualitas Filij cum Patre; ita veroſimilius eſt, per ſeſſionem ad dexteram exprimi honorem iudiciariæ poteſtatis, quam homo Deus Chriſtus Ieſus in magno Iudicij vniuerſalis die palam obibit. Audiendus nunc eſt P. Maldonatus, vir planè ingenio & eruditione magnus. *Animaduerto autem*, inquit, *in litteris ſacris nuſquam Spiritum ſanctum, ſed ſolum Patrem & Filium dici ſedere; quòd ſedere, vt dixi, gubernare ſit, & non Spiritus ſanctus, ſed Pater & Filius dicantur gubernare, gubernare, inquam, extrinſecus: nam intrinſecus quidem animos hominum regere Spiritus ſancti proprium eſt.* Iure quidem optimo intrinſecum per gratiam regimen Spiritui ſancto, qui ex ſuâ characteriſticâ proprietate amor eſt, in Scripturis ſacris tribuitur: nam intrinſeca & ſecretior animarum gubernatio, amore peragitur, & tota conſtat amore. At Spiritui ſancto, qui amor eſt, nuſquam in ſacris litteris ſeſſio, ſeu extrinſeca gubernatio adſcribi dicitur. Et cur ex tribus diuinis perſonis ſolus Spiritus ſanctus, iudex, ſeu extrinſecus gubernator nuſquam nuncupatur? An quia Amor non *cogitat malum*? iudicium autem præcipuè aduerſus malitiam exercetur? Id fortè in cauſa eſt, cur iudicandi munus infinito Amori nunquam in Bibliis adſcribatur? & ſanè moraliſſimè ad humani iudicij arcanam eruditionem. Nam quod in diuinis periculo vacat, periculis plenum eſt apud homines, qui amoris affectum in iudiciis ſeriò recuſant. Sat eſt intendiſſe digitum ad notationem, moralitatum grauidam. Adde etiam Spiritum ſanctum, qui amor infinitus eſt, merito nunquam dici ſedere: magnus enim amor otia ſeſſionis neſcit, ſemper actuoſus & negotioſus eſt, nunquam otioſus.

Athan. orat. 2. contra Aria. Baſil. l. de Spir. ſan. c. 6. Auguſt. l. de Agone Chriſt. c. 26.

Mald. ad eum locum Marci.

Spiritus ſanctus, quia Amor eſt, nunquam ſedere dicitur.

---

§. CCXXVI.

Tam opulentum reportatur de Perſecutionibus lucrum, vt cum ſæuo perſecutore amicitias conciliet.

1\. Matth. 5.10.

NEMINEM aduerſa fortuna comminuit, niſi quem ſecunda decepit, niſi quẽ latet æqua Perſecutionum æſtimatio. Chriſtianæ felicitatis cenſus eſt, perſecutio æquanimiter tolerata: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Forti viro de calamitate, quaſi de beatâ felicitate, aut beatitatis pignore gratulabor. *Miſerum te iudico, quòd non fuiſti miſer: tranſiſti ſine aduerſario vitam.* Si aduerſarius dici poteſt, tam munificè è peruerſo beneficus; cui virtutis gratiam, & gloriæ obſidem ex occaſione debes.

Seneca lib. de Prouid.

2\. Ioannis 15. exaggeratiorem amoris magnitudinem hac meta claudit Chriſtus Deus: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Magnum planè eſt amoris documentum, ſe ſe morti pro amicis obiicere, quaſi martyres excudat amor. Quid enim habet homo vitâ pretioſius? Omnia amico dedit, qui vitam pro amico donauit. Verùm (niſi ego valde fallor) maiorem dilectionem habere videtur, qui non pro amicis duntaxat, ſed pro inimicis etiam animam poneret, & vitam pro aduerſariis beneuolè profunderet. Porro amicorum dilectio homini cognata eſt; amor autem erga inimicos peregrinatur in homine, Chriſtianâ benignitatis redundantiâ. Ergo maiorem exhiberet, & præmonſtraret charitatẽ, quiſquis animam ſeu vitam pro inimicis & perſecutoribus poneret, quàm qui mortem pro amicis oppeteret. Vidit has pietatis argutias S. Gregorius re & nomine Magnus, & ſic acutè ad rem præſentem reſpondet: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Mori pro inimicis Dominus venerat, & tamen poſiturum ſe animam pro amicis dicebat, vt nobis oſtenderet, quia cum lucrum facere de inimicis poſſumus, etiam ipſi amici ſunt qui perſequuntur.* Quid illuſtrius? Scilicet tanta eſt ex inimicâ perſecutorum hoſtilitate nobis perueniens gratiarum vſura, & opulentum empyreæ gloriæ lucrum, vt æquus ſuæ vtilitatis æſtimator, perſequentem atrociter inimicum, non in locum inimici, ſed in amicorum cenſu generoſè reputet. Fortè antequam perſequendo ſæuiret, inimicus putabatur; at dum ſæuiendo perſequitur, tantum gratiæ lucrum Perſecutione commodat, vt è peruerſo obligata pietas, dediſcat hoſtilitatem, & grata in perſecutores, ex inimico reddat amicum, agnoſcens gratiæ *lucrum*, & certum gloriæ pignus, quod perſequendo fœnerat. Vnde quia proprium è Perſecutionibus *lucrum* inimicitias deſueſcit, maior charitas dicitur, quæ animam pro amicis ponit: *Vt nobis oſtenderet, quia cum diligendo lucrum facere de inimicis poſſumus, etiam ipſi amici ſunt qui perſequuntur.* O miſerum te iudico, quòd non fuiſti miſer. Tranſiſti ſine aduerſario vitam, immunitus Perſecutionum lucris, quibus gratia maximè incrementatur. Apud æquum rerum æſtimatorem, hoſtilitas amicitiam negotiatur de lucri opportunitate. Quod hinc in Iacobo videas.

Ioan. 15. 13.

Tantum eſt ſer, cum ſubus lucrum, vt cum perſecutore amicitias concilies.

Greg. hom. 27. in Euan.

Hic 1.41.

3\. Hoc gratiæ *lucrum*, quod in perſecutionibus agnouit Gregorius, mirè explicuit Chriſtus Deus apud Ioannem cap. 17. ſic Patrem pro Diſcipulis (quos ſicut agnos inter lupos mittebat) ſollicitè ſupplicans: Sicut tu, ait, me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego ſanctifico me ipſum. *Vt ſint ipſi ſanctificati in veritate.* Quænam eſt hæc *ſanctificatio in veritate*, quam ſuis electis precatur Chriſtus? Mitto plura, vt citius exſcribam expoſitionem in paucis luculentam, quam ſapientiſſimus noſter Maldonatus, Sanctorum Patrum eruditione imbutus, tradit ex mente Chryſoſtomi, Theodori Heracleotes & Mopſueſt. Cyrilli, Leontij, Auguſtini, Bedæ, Theophylacti, Euthymij, Ruperti, quorum medullam his verbis Maldonatus expreſſit:

Ioan. 17. 19.

Sanctitas in veritate dicitur, quæ ex Perſecutionũ lucris reportatur.

P. Mald. ibi.

Sanctifica

Sanctifica eos in veritate. Fere omnes, inquit, *docent, Sanctificare, eſſe Spiritu ſancto confirmare; vt mundi perſecutiones, de quibus agebatur, ſuperarent.* O illuſtriſſimum Perſecutionum patiendarum elogium! *Sanctificatio in veritate* eſt illa, quæ ex Perſecutionum *lucris* reportatur? Sine Perſecutionibus ſanctitas acquiri poteſt; aut baptiſmi felicitate, aut pœnitentiæ contritione, ingenti bonorum operum auctario. Et quidem vera ſanctitas, quod bonâ Hæreticorum veniâ affirmare nobis liceat. Quis tam malitioſe cæcus, qui id in Bibliis non legat? quis tam bardus ac truncus, qui id ex Eccleſiæ traditione, ex œcumenicis Conciliis, & concordibus Sanctorum Patrum monumentis, impudenter ignoret? Tamen antonomaſticè *Sanctitas in veritate*, ea dicitur, quæ ex Perſecutionum *lucris* feliciter reportatur. *Es ſanctidad mas de dura, en la que el contraſte de la perſecucion no hizo mella; ſino que ſe gano à punta de lança.* Quid luculentius?

§. CCXXVII.

In occulto loquitur nihil, qui multa ſecretò loquitur?

1\. QVIDAM ſic ſunt ſecretorum prodigi, vt quæ nec erant amicis committenda, obuiis narrent, & in quaſlibet aures, quicquid illos vrit, exonerent: quidam rurſus etiam chariſſimorum conſcientiam reformidant, & ſi poſſent, ne ſibi quidem credituri, interius premunt omne ſecretum. Sed quantumuis contra adnitantur, ſemper verum extat illud: *Nil abſconditum, quod non ſciatur.* Te etiam time, quaſi tui proditorem: nam vel te inſcio, tuum in vulgus effluet ſecretum.

Lucæ 12. 2.

2\. Dolo (bono, an malo, hîc non definio) Iacobus Benedictionem Eſaü maioris ſuffuratur: grauatè tulit Eſaü, quòd Iacobus natu minor, & fraudulenter contra ſe egerit, & quòd primogenij priuilegia ſibi debita præripuerit. Oderat ergo ſemper Eſaü Iacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater: *Dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nunciata ſunt hæc Rebeccæ: quæ mittens, & vocans Iacob filium ſuum, dixit: Ecce Eſaü frater tuus minatur, vt occidat te.* Tacitus in corde ſuo id verſat offenſus Eſaü, & Rebeccæ nunciatur? *Quonam pacto* (inquit Acacius) *Rebecca audire potuit, quæ Eſaü in corde ſuo dixit?* Vix retulit ſacer Hiſtoricus, quòd hæc *dixit in corde ſuo* Eſaü, & confeſtim denarrat, *Nunciata ſunt hæc Rebeccæ?* Quis id denunciauit? Vnde hæc denunciator nouit? Vel quod latet in abſtruſis animi latebris innoteſcit? Cordis etiam adyta attento obſeruatori peruia ſunt? Vel arcana cordis ſecreta æmulo innoteſcunt? æmulo denunciantur? An nihil tam occultè latet in humani cordis receſſu, quod ore non effluat? Sic ſunt rimoſæ mentis latebræ! Nil tam eſt reconditum in hominis corde, quod non legatur inſcriptum in ore diſſimulare conanti; vel in vultu inconſultè adnuente, aut conſultius renuente; aut in nutibus conſilio præcurrentibus. O quoties vel taciturnitatis pertinacia ſecretum prodidit, & rem totam attentis obſeruatoribus manifeſtat! Vix Eſaü *Dixit in corde ſuo: occidam Iacob fratrem meum*; & *nunciata ſunt hæc Rebeccæ.* Quis committat aliorũ auribus & linguis, quod nec ſuo cordi, aut fidei permittere fas eſt?

Hîc verſ. 41. & 42.
Quod Eſaü in corde dixit, confeſtim nunciatur Rebeccæ.

Acacius in Caten.

Ioannis 18. ſiſtitur Chriſtus Deus in Iudæorum ſenatu, cui Caiphas illius anni Pontifex præſidebat. Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrinâ eius. *Reſpondit ei Ieſus: Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagogâ, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus ſum nihil.* Gnauiter laborant interpretes, vt hæc Domini verba vindicent. Quo enim pacto ipſa Veritas dicere verè potuit, *In occulto locutus ſum nihil?* Et vbi eſt illud, *Aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis*, &c. Et illud, *Nemini dixeritis viſionem*, &c. & alibi ſæpè. Secretum ſolerter exigit, & in occulto locutus eſt nihil? Quo modo qui rem ſecretò loquitur, & nemini dicenda ſeriò mandat, in occulto locutus eſt nihil? Rupertus Tuitienſis in Geneſeos caput 27. ſuper hâc re ita fatur opportunè: *Dixit in corde ſuo* (Eſaü) &c. *Nunciata ſunt hæc Rebeccæ. Vnde* (ait Rupertus) *Dominus qui multa ſecretò dixerat, dicit tamen Pontifici: Ego palam locutus ſum mundo, & in occulto locutus ſum nihil.* Belliſſimè quidem. Scilicet vſque adeo increbreſcit conſuetudo ſecreta propalandi, *vt in occulto locutus ſit nihil, qui multa ſecretò dixerat.* Secretò Diſcipulos alloquitur, ſed duodecim omnino Diſcipulos. Quis putet eum in occulto loqui, qui duodecim ſimul hominibus ſecretò aliquid dicit? Secretum nomine eſt, & ſegregatione à turbis arcanum: at vſqueadeò eiuſmodi ſecreta publicè increbruêre, vt ipſa Veritas dicere potuerit: *Ego palam locutus ſum mundo, & in occulto locutus ſum nihil.* Scilicet, aliud eſt, ſecretò dici, aliud ſecretò ſeruari. Multa nos ſecretò dicimus, & diſcimus; paucula ſecretò ſeruamus. (Sic concionatoriè iuuat ex hoc loco ad mores velitari.) Rara hodie ſecreti fides eſt. Heu, vetus eſt illud, & deſuetudine antiquatum, inter Romana incunabula celebre: *Arcana conſilia PP. Conſcriptorum multis ſeculis nemo Senator euulgauit.* Addit auctor. *Cum non vnum, ſed neminem audiſſe crederes, quod multorum auribus fuerat commiſſum.* Nunc verò quod nemo audit, ſed friuolis ſæpè coniecturis diuinat, omnes garriunt, dubiâ ſerpente notitiâ.

3\.

Ioan. 18. 20.
Nil loquitur in occulto, qui multa ſecretò dicit!

Matth. 20. v. 17.

Matth. 17. 9.

Rupertus hîc.

Apud Polirico. Chriſt. l. 2. c. 20.

***

§. CCXXVIII.

§. CCXXVIII.

Qui ſuum ſecretum alicui credit, & ſecreti exigit fidem, publicationem ſubornat.

1\. NESCIT quantum ſit ſecreti pretium, qui non intelligit multum ſe illi dediſſe, cui pectoris ſui arcana credidit; & inde expoſcit taciturnitatis vectigal, rem non domibus tantùm, ſed ſeculis raram: quæ non alicubi magis deeſt, quam vbi magis credi ut abundare. Interueniunt ſæpè quædam quæ conſuetudo tegit arcana; ſed neque cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas miſcere oportet, niſi velis eas confeſtim publicari. Quod tu tibi ſecretum non ſeruas, vis ab alio tibi ſeruari? Diſrumperis, niſi tu ſecretum tuum ore parturias, animi leuitate obſtetricante; & præſumis ab alio eam tibi fidem ſeruandam, quam tu tibi ſeruare non uales? Tu tibi infidelis, alienæ infidelitatis magiſter es: & doces non fieri, quod fieri præſumis. O nimis verum! *Nihil opertum eſt, quod non reueletur: neque abſconditum, quod non ſcietur. Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis.* Porrò rem tectius celando, ſæpè publicationem ſubornas: & arcanior occultatio, artificium publicationis eſt, & rei propalandæ arbitrium.

Rarum eſt inter homines ſecretũ.

Lucæ 12. 2. & 3.

2\. Matthæi 27. vbi Chriſtus Deus cruci affixus, in altum ſublatus eſt, Sol obſcuratur. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Varias aſſignant cauſas interpretes, cur Sol radios prohibuerit ſuos, & terras cæcâ obnubilarit caligine, cùm Chriſtus Deus ſummum crucis ſupplicium pateretur. S. Leo non vulgarem exhibet rationem, ad thema præſens opportunam. Sic Magnus Leo fatur: Cùm ergo Dominus crucifixi corporis eleuatione ſublimis, reconciliationem mundi exequeretur in quadam arce ſupplicij, latronemque conuerſum ad paradiſi vocaret habitaculum, vos principes Iudæorum, legiſque Doctores, nec conſcientiæ impietate compuncti, fixuris clauorum addebatis tela linguarum, dicentes: Alios ſaluos fecit, ſe ipſum non poteſt ſaluum facere. Et tempeſtiuè addit: *Sed his vocibus veſtris ſtultis atque blaſphemis reddunt omnia elementa reſponſum, & vnam in vos ſententiam ferunt, cælum, terra, Sol, ſideraque, indignos vos ſuo miniſterio proteſtantes terribili motu, inſolitòque defectu, tenebras mundo veſtræ cæcitatis oſtendunt.* Scilicet Sol defectu ſuo, cæcis offundens mundum tenebris, Phariſaicam obſtinationem, atque inſanam malitiam mundo palam oſtendunt, & perſpicuè demonſtrant. Pulchrum planè & argutum ænigma; ſed quod thema propoſitum eximiè clarat. Defectu lucis, & tenebrarum ſecreto proditur Iudæorum ſcelus: & quò aliàs ſecretum abſconditur, ſecreti malitia propalatur. Offuſa caligine clareſcat delictum, vt tenebris ſecreti lenonibus ampliùs publicetur: & quod erat occultandi arbitrium, fieret publicationis ingenium. Dum abſconſio publicationem procurat, & è peruerſo propalationi auxiliatur: Vnde *Sol inſolito defectu, tenebras mundo Iudaicæ cæcitatis oſtendit.*

Math. 27. v. 45.

Leo ſer. 10. de Paſſione cap. 5.

Moriente Chriſto ſol obſcuratur, vt abſtruſam Iudæorum malitiam oſtendat.

3\. Marci 7. Exiens de finibus Tyri, venit Ieſus per Sidonem ad mare Galilææ. Et adducunt ei ſurdum & mutum, vt imponat illi manum. *Et apprehendens eum de turba ſeorſum,* miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius..... Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. *Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis prædicabant, & eo ampliùs admirabantur dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Sic ex hoc loco mores inſtruit inibi Theophylactus: *Docemur autem,* inquit, *ex hoc, cùm alicui beneficia largimur, minimè applauſus & laudes petere: cùm verò accipimus beneficia, benefactores prædicare & laudare quamuis nolint.* Quaſi exlex ſit gratitudinis obligatio, nec teneatur taciturnitatis præcepto. De quo alias. Sed acutè notat ad rem Auguſtinus, quare præcepit ne cui dicant ſecretum beneficij, quod etiam *ſeorſum à turbâ* largiri voluit? Sic addubitat Auguſtinus: *Si autem Ieſus ſciebat eos (ſicut ille qui notas habebat & præſentes & futuras hominum voluntates) tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat, vt quid hoc præcipiebat?* Cui dubitationi ſic ex Beda reſpondet P. Maldonatus: *Videtur non ſerio Chriſtum prohibuiſſe, ne quid dicerent; ſed potiùs, vt magis ad dicendum incitaret.* Nimirum valde cupiebat Chriſtus, vt illuſtre hoc miraculum confeſtim euulgaretur; & ideò non publicè illud patrat; ſed mutum & ſurdum *apprehendit à turbâ ſeorſum, & præcipit illis ne cui dicerent, vt magis ad dicendum incitaret.* Rem publicam & omnibus notam, perſæpè taciti tranſeunt homines: at neſcio quæ ineſt libido publicandi ſecreta, & de occultis garrire. Ergo miraculum fiat *ſeorſum à turbâ,* credatur illis fides ſecreti, quò ad illud citius prouulgandum incitentur. Quaſi ſecretum ſit illius reſerandi fomes, ingenium publicandi, & euulgationis arbitrium. Quiſquis ſecretum alicui credit, & ſecreti fidem exigit; ſecretum negat, & publicationem ex aduerſo ſubornat, occulto propalationis lenocinio. *Et præcipit illis ne cui dicerent, vt magis ad dicendum incitaret.* Quid elegantius, & verius? *Pideles que guarden ſecreto, para que les de gana de publicarlo. Dezir algo en ſecreto, es diligenciar que ſea publico mas preſto.*

Marci 7. v. 36. & 37. *Ex ſe gratuito eſt*

Theophyl. ibid.

S Aug. l. 4. de Conſ. Euang.

Mald. hic *(Chriſtus) ſerio ſile... magis prohibitus fuerunt.*

§. CCXXIX

§. CCXXIX.

Ille maſculâ virtute viget, qui à paſſionibus ſuſtinet violentiam, & ſapienter viuit.

1. Stob. ſer. 96. Homini⟨s⟩ in⟨…⟩ ARISTOTELES olim interrogatus, quidnam eſſet homo? reſpondit: *Imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludus, inconſtantiæ imago, inuidiæ & calamitatis trutina: reliquum verò pituita, & bilis.* Itaque homo non tam vitæ commodatus, quàm damnatus videtur. Quin & nullum eſt moroſius homine animal, nullúmque tam varium, multiplex, verſipelle, malitioſum, incertum, niſi eius appetitiones timore cohibeantur, aut ratione mitigentur, aut diſciplinâ coërceantur. Neminem fallat bona hominis indoles, & pacatum ac mite ingenium: ſopitæ ſunt paſſiones, non emortuæ: quæ ſi è temperantiæ caueâ exiliant, cognata feritate exorbitant, furent, ferociunt. Tutius te crede agreſti aliàs ingenio, quod diu contumax; Chriſtiana virtus fregit, mitigauit, & domuit; & non bono genio reluctante, benè adhuc viuit, aduerſus refragantis naturæ, & prauæ conſuetudinis impetum.

2. *Ille vir bonus eſt, qui à paſſionibus ſuſtinet violentiam, & ſapienter viuit.* Ioannis 3. in hunc modum Chriſtus Deus Nicodemo, clandeſtino diſcipulo, palam loquitur. *Qui credit in eum* (Filium Dei inquam) *non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc eſt autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: Erant enim eorum mala opera.* Ioan. 3. v. 18. & 19. Veroſimile non eſt omnes omnino homines citra veram fidem degentes, peruerſo & effero ingenio deturpatos eſſe; ſed multos probâ indole, & pacato genio felices fuiſſe. Pulchrè Chryſoſtomus ad ea Ioannis verba: *Erant enim eorum mala opera*, ita fatur: *Si autem Gentiles ſunt rectè viuentes, hoc manifeſtè non noui. Non enim mihi dicas eos, qui à naturâ ſunt mites & honeſti. Non enim eſt hoc virtutis, ſed eum dic, qui à paſſionibus ſuſtinet violentiam, & ſapienter viuit.* Chryſ. homil. 27. in Ioan. Quid illuſtrius? Ille, ille inquam, verè virtuti militat, non qui naturâ ſuâ mitis, & honeſtus eſt; ſed qui viuido ingenio acer, cognatis paſſionibus ſtrenuè reluctatur, & violentiam ſuſtinens, pacatè viuit. Huic tutò te crede, qui adſurgentes iræ, libidinis, ambitionis, & inuidiæ, ſubſultus cohibere conſueuit, cuius armis vitioſitas omnis obnoxia eſt: cuius *ſi bella numeres, tot inuenies, quot triumphos: cuius congreſſui nullus hoſtium, niſi qui laudibus adderetur, occurrit: cuius militauit trophæis, qui reſtitit voluntati*, vt aliorſum dixit Ennodius. Ennod. in Paneg. Hic de ſacrario pectoris, vel prauis rebellionibus, virtutis pretium dedit, aduerſus naturæ & conſuetudinis violentiam.

3. *Magdalena libidinis incentiuum, fecit virtutis incitamentum.* In hoc virtutis ſtadio, non pauci ſunt, quibus contigit degenerare nobiliter; & à proprio vulnere, & cruore largius effuſo, non tantùm non animo cadere, ſed nouos & ſtrenuos ſpiritus mutuare ad hoſtes profligandos. Lucæ 7. Rogabat Ieſum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd Ieſus accubuit in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Lucæ 7. v. 37 & 38. Phariſæus humanis oculis rem taxans, protinus deſperat de reſtauratione feminæ, quæ & diuitiarum & ætatis & venuſtatis fomite ad libidinem ſuit inflammata, & inolita luxuriandi conſuetudo, incendij reſtinguendi ſpem omnem negaſſe videbatur. Sed audiendus eſt S. Gregorius, ad rem præſentem eleganter oppoſitus, vt oculis videamus, quam nobiliter degenerauerit Magdalena, quæ ipſis hoſtilibus iaculis, quibus proſtrata erat, in hoſtem animosè reſumptis, illum glorioſè detriumphauit, perilluſtri pietatis violentiâ. *Lachrymis cœpit rigare*, &c. *Oculis enim*, inquit, *terrena concupierat, ſed hos iam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed iam capillis lachrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Vnguentum ſibi pro odore ſuæ carnis exhibuit. Quod ergo ſibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum Deo ſeruiret in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpâ. Sic igitur meretrix effecta eſt honeſtior virginibus.* Greg. hom. in Euang. Longiuſculè, ſed acutè pariter ac eleganter. Imò non eſt longum, cui nihil eſt, quod detrahere poſſis. Vide mihi incredulam Phariſæi deſperationem; & feminam diu libidini adſuetam, maſculâ fortitudine, & ſe ipſam & omnes paſſionum illecebras, piâ violentiâ ad virtutem conuertiſſe, vt quod vitijs ſeruierat, virtuti militaret. Vnde contigit, vt omnes hoſtiles caros & Satan machinas feliciter detriumpharet. 4. Vici⟨t⟩ ⟨…⟩ paſſiones, arma geminat. Ergo mulier olim peccatrix, vigore violentia clypeata, irrideat Inferni & paſſionum vires, & Phariſæi & malignam fidem, & ſupercilium: nam vt tempeſtiuè dixit S. Diodochus: *Mens benè memor Domini Ieſu, diſſipat quidem illam auram inimici, quæ ſuauis eſſe falsò apparebat, mouetúrque exultatione ad pugnandum cum eo, tanquam habeat deinceps poſt gratiam velut ſecunda arma, ipſam de experientia gloriationem.* Diodoch. cap. 32. Vnde tametſi acriùs bellum ſit contra violentiam paſſionum, tamen pia gloriatio orta de vincendi experientia, geminata arma, & valentiores animos ſuggerit aduerſus Paſſionum contumaciam.

O exinceps improbi Eſaù vitam, Paſſionum caueam! ô, quando deferueſcet furor, quem exortum Dei oraculum nunquam mitigauit! Efferæ Paſſiones, quæ pijs ad virtutem militant, impios inhumaniter detriumphant. Hic v. 44.

*

§. CCXXX.

§. CCXXX.

Qui immodicè indignatur, non tantùm iræ reus eſt, ſed & cauſæ iraſcendi.

1. NE illud quidem iudicandum eſt, aliquid iram de magnitudine animi trahere. Non eſt illa magnitudo, tumor eſt. Omnes quos vecors ira animos ſupra cogitationes extollit humanas, altum quiddam & ſublime ſpirare ſe credunt; ceterùm nihil ſolidi, nihil virtutis ſubeſt; ſed in ruinam prona ſunt, quæ ſine virtutis fundamento creuêre. Non habet ira rationem, cui inſiſtat, non ex firmo manſuroque oritur; ſed ventoſa & inanis eſt, imbecillum cui innititur, vitium prodens. Qui ſæpè iraſcitur, quotidie damnatur. Nec tantùm iræ reus eſt, ſed cauſæ iraſcendi. *Quien ſe enoja demaſiado, culpa tienè de enojarſe, y de lo que ſe enoja.*

2. *Iacob iraſcitur de re, cuius culpâ non vacat.* Geneſeos 31. Iacob Patriarcha de miti ſæpè ingenio laudem in Biblijs habet; qui flecti neſciâ magnanimitate, & mutâ patientiâ tot tantaſque calamitates tulit. Verùm dum fugit è ſoceri domo, vt remearet ad ſuos, ſua Rachel idola patris furata eſt. Queritur Laban de clandeſtinâ fugâ, & de idolorum rapinâ queritur. Quæritur furtum inter ſarcinas; ſed ſagaci Rachelis induſtriâ deluſa eſt quæſitoris ſollertia. Geneſ. 31. v. 36. *Tumênſque Iacob cum iurgio, ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me?* Putaſne bene Iraſceris Iacob? Ille tu quondam mitiſſimus, iracundiâ turges, & iurgiis rixaris? Aliquis de tuâ familiâ furtum fecit: ſub ſtramentis cameli latet furtum, chariſſima coniux delicti rea eſt. Quid ad veras iniurias mutus, nunc præ irâ turges, & acerbius indignaris? Audi Rupertum, qui ſuper Rupert ibi. hâc re, ſic opportunè philoſophatur? *Mirâ proprietate dictum eſt, Tumenſque Iacob cum iurgio ait. Tumor namque vel iurgium, ſeruilis motus eſt, neque hoc quicquam de liberi vel ingenui hominis irâ rectè dixeris, aut propriè. At verò Iacob in hâc vtique causâ liber non erat.* (Nota verba quæ ſubdit:) *Quamuis enim neſciret, penes ipſum tamen cauſa ſeruilis, id eſt, culpa furtiuaque erat; & nunc tanquam omnino munda eſſet ſupellex, quia ille nihil nouerat, cum iurgio loquitur.* Planè mirarer vel Iacobum iraſcentem, & prorsùs immunem ab obiecta ſibi culpa. Qui numeroſam habet familiam, non ſatis tutus eſt in propriæ innocentiæ aſylo. Ad te pertinet furti reatus, & ſic excandeſcis, & præ irâ tumes? Vide ne ira latentis culpæ index ſit, quam in indignatione inſcriptam legit Rupertus, & moraliſſimè publicat. *Que cierto es que callara Iacob, y no ſe enojara, ſi tubiera noticia del caſo.*

3. In eodem Geneſeos lib. cap. 4. ita ſcribitur: Fuit Abel paſtor ouium, & Cain agricola. Factum eſt autem poſt multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. *Ad Cain verò & ad munera illius non reſpexit: Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Gen. 4. 5. *Caini ira eius reatum manifeſtat.* Si ſuperficie tenus vibretur cenſura, non facile apparet Caini delictum dignum fuiſſe tam acerbo Dei renutu. Eſto, paſtor Abel gregis opima mactauit, quod pergratum Deo fuit. At Cain agricola, terræ obtulit fruges, quod ſuum erat: nec dicitur ſelectiſſimas obtuliſſe, ſed neque reiectaneas. Quod ordinarium eſt in oblationibus. Quis niſi religioſiſſimus ſelectiſſima quæque offert? Neque id tam ſeuerâ Dei cenſurâ dignum videtur. Æquumne eſt, vt referat Moyſes ſeueriorem Dei renutum, & repulſæ cauſam prætereat tacitus? Verùm enimuerò ſuſpicari liceat in Caini acerbiſſimâ irâ, eius delictum diſſimulanter expreſſum, aut tectius indicatum. Ennod lib. 2. epiſt. 12. Offert Cain de fructibus terræ munera Domino; *& ad Cain & ad munera illius Deus non reſpexit. Iratuſque eſt Cain vehementer.* Ecce indicatum Caini reatum: nam (vt belliſſimè aliàs dixit Ennodius,) *Reum ira manifeſtat.* Quid neceſſe fuit, vt Moyſes explicatius traderet Caini delictum, quod ipſe indignatione prodit? Proculdubio reiectaneas obtulit fruges, ſerò obtulit, coactus tandem obtulit, non bono animo obtulit homo minimè bonus; quod ira ſceleris proditrix, perſpicuè manifeſtat, & clarius buccinat: nam *Reum ira manifeſtat. Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.*

Ergo hic verſ. 44. Iacob è cæli oraculo per matrem edoctus, piâ fraude benedictionem accipit. Hic v. 44. Inde Eſaü omnem prauitatem; quam animo in innoxium fratrem moliebatur, irâ prodit: quam Rebecca, *indignationem, & furorem* appellat, ex quo ipſa fortè ſuſpicata eſt, quod nuper Eſaü in *corde ſuo* dixerat: nam reum ira manifeſtat.

§. CCXXXI.

A Præfecto offenſo nullum ſatis tutum effugium eſt.

MISERA eſt fortuna, quæ inimicô caret, ſed miſerrima eſt 1.
eius, qui Superioris inimicitias incurrit. Peiora ſunt tecta odia, quàm aperta; & quæ ſeueræ iuſtitiæ prætextu armantur, quàm illa, quæ palam fatetur, ſe priuatam offenſam vltione conſolari. Hic priuato roboré ferire contendit: ille armatæ iuſtitiæ, vel potiùs iniuſtitiæ, viribus ſæuit, & totâ publicâ poteſtate inſidiatur, lædit, ferocit. Quis quantumuis circumſpectè & ſcrupuloſè iuſtus, inuenietur innocens, quem falſata hoſtiliter iuſtitia circumuenit maleuolentiæ cauillis?

Geneſeos 43. penuriæ malo vrgetur Iaco- 2.
bus, vt iterum filios in Ægyptum remittat, qui annonam reportent. Illi verò niſi abducto Beniamino, redire detrectant, cauſati moroſum Ægyptij Præfecti ſupercilium, quem anxiè timent. Igitur Iſrael pater eorum dixit ad eos; Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis: ſumite de optimis

Paupertas in tribunalibus, reatum damnabilis eſt!

Geneſ. 43. v. 12.

optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera, modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi, & amygdalarum. *Pecuniam quoque duplicem ferte vobiſcum, & illam, quam inueniſtis in ſacculis, reportate.* Eſto, pecuniam, quam in ſacculis repererunt, reportent, (tametſi indubiè ſciebant, tantundem probatæ monetæ Præfecto tradidiſſe) quid ad hæc neceſſe erat, adhuc duplicem reportare pecuniam, in itinere à latronibus obieſſo? Iam electa munera infeſto Præfecto deferunt. Periculum defert, qui theſaurum portat in viâ. An Iacobus duplici, quin & triplici pecuniâ onuſtos, ad iudicem mittit filios perduellionis inſimulatos, vt illos pluris æſtimet iudex, apud quem ſpeculatores audiebant? Puto, pecunia litigantis, meritum cauſæ eſt. Paupertas, reatus eſt, vilipendium eſt. Periclitatur innocentia, quam in litibus non armat opulentia. Æquior eſt diuitis cauſa; innocentia in paupere, reatus eſt. Nil tam miſerum habet infelix paupertas, quàm quòd homines in tribunalibus, & iniquos & ridiculos facit. Itaque conſultiſſimè Iacobus & filios ſuos opibus armat, & munera præmittit, quò Præfectum inuidioſum exarmet. Niſi ad

3. rem præſentem, malis cum Præpoſito ſcrupuloſo, ſcrupuloſè agendum eſſe, & cum moroſo moroſè nimis, vt vel leuis calumniandi occaſiuncula prorſus amputetur. Sciunt pecuniam illi pro frumento dediſſe, tantundem nihilominus aſportent: quin præter munera, quæ illum mitigent, deferant pecuniam duplicem, adhuc grauiora mala timentes, quæ pecuniis redimant. Neque tot, tantaque prudentiſſimi ſenis præſidia illos ab offenſi Præſidis cauillis (quantum apparebat) tutari potuerunt.

Cum præpoſito offenſo ſcrupuloſè & moroſè agendum eſt.

Geneſ. 44. Eoſdem enim mox furti arguit, & ſubdolâ arte conuincit; valdeque inquietat, turbat, fatigat, nec obiecti tunc reatus innocentia, diuitiis vallata, illos defendit, quibus vetus proditionis offenſa, Præfecti ingenio & viribus armata, clanculum inſidiatur. Pergit.

4. Nec fuit contentus Iacob, filios ſuos numeroſâ pecuniâ inſtructos miſiſſe, & munera præmiſiſſe, quæ Præfecti placarent odium; ſic præterea Deum anxiè ſupplicat: *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem.* Nullum breuiſſimæ orationis verbulum energia vacat. Hebraicè pariter & Chaldaïcè ſic exſcribitur: *Deus meus omnipotens det vobis miſericordias vel miſerationes coram viro.* O iras auerſi Præpoſiti! Parum viſum eſt Iacobo ad illum mitigandum, inuocare Deum, Deum inquam ſuum, *Deus meus*, inquit, quo blandiori vocabulo multa amoris ſigna & documenta compendiauit; niſi adderet, *Omnipotens*, ac ſi opus eſſet totas omnipotentiæ vires contendere ad offenſo Præfecto reluctandum, & illius furorem mitigandum. Et quaſi parum foret infinita Dei ſui omnipotentia; miſericordiam quoque diuinam aduocat auxiliarem, vt ſe omnipotentiæ ad auxilium ferendum adſociet. Nec miſericordiam duntaxat, ſed *miſericordias*, & *miſerationes*, amplificans, & quadantenus velut multiplicans vniſſimam Dei miſericordiam, illam inuocans pluratiuo miſericordiarum, & miſerationum vocabulo. Sic ſæuire ſolet infenſus Præfectus, vt ad illi obſiſtendum exaggeratius aduocetur præſidium?

Geneſ. 43. v. 14.

Tota Dei omnipotentia cum auxiliatrice miſericordia inuocatur contra offenſum Præfectum.

Celada de Benedict. Patriarch.

Quin & demortuo Iacobo patre, timentes fratres Ioſephi, & mutuò colloquentes: Ne fortè memor ſit iniuriæ quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus, mandauerunt ei, dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te: *Nos quoque oramus vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc.* Nota quam acutè perſtringat noſtri æui iudices Caietanus, ſic inquiens: *Iuxta Hebræum habetur: Et nunc parce obſecro rebellioni ſeruorum Dei patris tui. Exaggerant crimen; tanquam rebellionem à diuinâ ordinatione de principatu Ioſephi immiſſo.* Crimen eorum erat, malè vexaſſe puerum Ioſephum, ob inuidiam ſomniatæ præfecturæ. Nunc autem videntes eum ſummum regni Præfectum, timent ne priuatum crimé in minorem fratrem, iam putetur rebellio, & eos acerbius puniat, quaſi diuinæ & humanæ maieſtatis ſceleſtiſſimos reos. Offenderant priuatum Ioſephum, à ſomno duntaxat tunc Proregem, & anxiè formidant ſupplicium, non priuatæ proditionis in fratrem, ſed imputatæ rebellionis in Proregem. Vide quàm verſutè & iniquè ſe vindicent nonnulli Præfecti! Sic vltionis ſæua libido exaggerat offenſoris flagitium? Priuatam iniuriam ob ſomniatam præfecturam, velut rebellionem imputant? *De quien ſe podia ſoſpechar que dieſſe eſte viſo à la offenſa, ſino de quien es Iuez, y offendido?* Si vel Ioſephus apud offenſores fratres, huius aſtutiſſimæ malitiæ ſuſpectus fuit, quid putas de reliquis non ſuſpicandum, non cauendum, non timendum? ô immites & barbaricas iudicis læſi iras!

5. *Fratres Ioſepho timent, ne proditionem, quaſi rebellionem puniat.*

Geneſ. 50. v. 17

Caiet. ibi.

Matthæi 2. nouâ noui Regis natiuitate veterator Herodes offenditur; ferocit inhumanè aduerſus imbellem Innocentium populum, ſi fortè infantem Ieſum, communi infanticidio trucidet. Tantæ ſtragis clamor cælum ſæuitiâ pulſat, & quamminaturè Angelus mittitur, qui Ioſepho dicat: *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* In Ægyptum fuge à tuis ad extraneos, ad ſacrilegos à ſanctis, à templo tuo ad Dæmonum fana: ad idolorum patriam è regione ſanctorum. Sic ad declinandas offenſi Principis iras, Iudææ non ſufficit latitudo? ſic anguſtatur ſeculi diffuſa poſſeſſio, non capit ſecretum templi, ſacerdotum turba non ſuſcipit, non abſcondit numeroſitas inueſtigabilis cognatorum, vt ad Dei latebras profana Ægyptus conducatur? Sic res vrget? Luculenter de more Chryſologus: *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Reuerentius*, inquit, *diceret, vade in Ægyptum, vt eſſet profectio, non fuga.... At nunc mandatur fuga, mandatur cælitus, mandatur per Angelum, vt videatur cælum timor ante tenuiſſe, quàm terram.* Princeps offenſus eſt, & profectionis nomen experis? Non ſufficit ad latibulum Iudææ latitudo, nec inueſtigabilis cognatorum numeroſitas, vbi Principis offenſio vrget. Quin & fuga *mandatur cælitus, mandatur per Angelum, vt videatur cælum timor ante tenuiſſe, quàm terram.* Cælúmne pro cæleſti puero, offenſi Principis iras timet? ô moraliſſimam Chryſologi hyperbolem! Quid tutum in terris erit, quando cælum antequam terra timere videtur?

9.

Matth. 2. 13.

Offenſi Principis iras, cælum priùs quam terra timere videtur!

S. Chryſol. ſerm. 151.

Hic v. 44.

Humana Poteſtas vel innoxiâ offenſâ prouocata, ſic furit, vt cælo inſidietur? Heu, quod erit mortalibus aſylum, aduerſus offenſi Principis inſanum furorem? Fugâ conſulitur Iacobo, ne efferus & offenſus Eſaü, vel perditi principatus priuilegio, in illum ſæuius ferociat, vt hîc tectius minitatur.

---

§. CCXXXII.

Iniuriarum memoria, ſic atrociter ad vltionem inſtigat; vt Satan meritò nuncupetur.

1. GRAVES te habere inimicos doles. Quomodo aduerſus feras munimenta conquiris, quomodo aduerſus ſerpentes, ſic aduerſus inimicos auxilia circumſpice, quibus illos aut arceas, aut compeſcas, aut quod optimum eſt, places. Quam magnarum vitium eſt, negligere lædentem: qui enim vindicat, ſentit. Miſerrima autem eſt fortuna, quæ inimico caret: caret enim probatiori virtutis exercitamento. Nocentiſſimum ſanè eſt odio nocentis perdere innocentiam. *Iniuriarum vero remedium obliuio eſt.* Æquus tuorum affectuum erit auriga, ſi memoriæ iniuriarum habenas teneas. Compeſce offenſæ memoriam, & vilem vltionem detriumphaſti: Memoria enim iniuriæ fomes vindictæ eſt, proritamentum vltionis.

Iniuriarum remedium, obliuio eſt.

Seneca ex Publ. Mi.

2. Matthæi 5. *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* In decernendo quinam ſint hi Pacifici, quibus diuina filiatio repromittitur, valdè diſſident Auguſtinus, Leo, & Chryſoſtomus; quorum quilibet ſuos habet ſectatores, & quidem locupletes. S. Hilarius aliâ incedit viâ, & ſic eleganter ſcribit: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Pacificorum beatitudo adoptionis eſt merces. Parens enim omnium Deus eſt. Neque aliter tranſire in nuncupationem familiæ eius licebit, niſi obliuione earum rerum aſſumptâ, quibus poſſumus offendi.* Vis eſſe, & ab omnibus haberi filius Dei, atque in auguſtam familiæ ſuæ nuncupationem beatè tranſire? Parum eſt, vt Pacifici elogio ſublimeris, quòd offenſas condones, & offenſori ignoſcas; niſi etiam iniuriæ memoriam oblitteres. Quin etiam *niſi obliuione earum rerum aſſumptâ, quibus poſſumus offendi.* Non tantùm ob inflictam olim offenſam memoriæ miniſterio præſentatam inſanimus ad vltionem, ſed & recordatione eorum, quibus offendi poſſumus, ad vindictam inſtigamur? Vel poſſibilis offenſæ memoria deponenda eſt, & ſapienti obliuione delenda, ne ad ſæuam proritet vltionem? Sic vel iniuriæ poſſibilis, re iniuriæ vacuæ, recordatio, iram ſuſſlammat, & furorem accendit? Sic ſæuæ vltionis ſcintillas flabellat necdum iniuriæ memoria? ô fuge has crudelioris vindictæ minas, doloſo recordationis cinere tectas! Iniuriarum oblitterare memoriam, ſui Iacobi fugâ negotiatur Rebecca.

Matth. 5. 9.

Hilar. can. 4. in Matth.

Vel à poſſibili iniuriæ memoriâ cauendum eſt

Hic v. 45.

3. Geneſeos 50. demortuo patre Iacobo, & in auitis loculis, celebri exequiarum pompâ ritè tumulato, eius filij in Ægyptum remeant, cui penè regio imperio Ioſephus præerat. Reliqui verò fratres benè conſcij infidæ traditionis: cum deſtitutos ſe aduertunt communis parentis tuto præſidio; offenſi & potentioris fratris iras timent, quas iam non frenat paterna reuerentia. *Quo mortuo, timentes fratres eius, & mutuò colloquentes: Ne fortè memor ſit iniuriæ quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus, &c.* O agreſtem ruſticanorum hominum cautelam! Memoriam iniuriæ illatæ timetis, an acerbam vltionem, potentiæ viribus inferendam? ô inſipientiam! Eane eſt iniuria immerenti Ioſepho atrociſſimè illata, vt è memoriâ vnquam excidere queat? Deprecari oportet ſupplicium, non abolere memoriam. Quid tam ab iniuriæ memoriâ timent, qui tam certi ſunt de iniuriati fratris beneficâ humanitate? Obſeruant eruditiores interpretum, pro illis verbis *memor iniuriæ*, in Chaldaïcâ paraphraſi, haberi [illegible] *Satan*. Recordatio illatæ olim iniuriæ, *Satan* dicitur? Nomen atrociſſimi & nequiſſimi Diaboli, & res nominis, in offenſæ recordationem congruit? Sic iniuriæ recordatio inſtigat ad malum? Offenſæ memoria, Diabolorum nequiſſimus, aſtutiſſimus, & nocentiſſimus eſt, malus Satan eſt. Vnde, quaſi vltio foret neceſſaria recordationis ſequela, timentes iniuriæ vltionem, offenſæ recordationem reformidant: ac ſi memoria iniuriæ ſit inteſtinus Dæmon. Scilicet nouerant fratres, Ioſephum eſſe placido & miti ingenio virum, virtuti morigerum, & ſe eſſe illi ſanguine coniunctiſſimos: & offenſam condonaſſe & pacatis verbis, & beneficiorum largitate: ſed quia probè etiam norant, vel condonatæ offenſæ recordationem, eſſe diſſimulatum & furioſum Dæmonem, de iniuriæ recordatione anxiè timent, *mutuò colloquentes: Ne fortè memor ſit iniuriæ.* O nimis verè!

Memoria iniuriæ etiam condonatæ, Satan dicitur

Chaldaïca para[illegible]

4. Eccleſiaſtici 10. *Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ.* Videlicet ſicut vltio, eſt memoriæ iniuriarum appendix; ita condonatio offenſæ, illius obliuio eſt. Sed aduerte quòd, *nihil agere in operibus iniuriæ*, non eſt nihil agere in re vindictæ; ſed, *Benefacere his, qui oderunt nos*, vt Anſelmus Laud. ibi aduertit. O vacationem difficillimè actuoſam! Fusè narrat S. Gregorius Nazianzenus, quàm durè & contumelioſè Ponti Præfectus egerit cum Magno Baſilio. Quod ſimul ac reſciuit ciuitas, in Præfectum impudentiſſimum armatur. Qui pietatem cenſebant impium hominem atrociſſimè trucidare. Quod ille anxius, & conſilij inops, in tanto periculo aſylum quæreret? Audi S. Nazianzenum: *Quid igitur audax ille, & inſolens iudex? Supplex erat, miſerabilis, calamitoſus, quouis homine deiectior: quoad in conſpectum prodiens ille martyr, (Baſilius inquam,) & ſine plagis victor, ac populum pudore correptum per vim retinens, ſupplicem ſuum ac vexatorem à periculo vindicauit.* Scilicet Baſilius immemor erat iniuriæ, etiam dum præſens illi irrogabatur iniuria: vnde meruit ore Nazianzeni appellari, *Martyr, & ſine plagis victor.* Qui impiè illatam iniuriam beneficiis piè rependit, *Martyr* dicitur? ô quàm paucis multa! Sic illuſtre & magnanimum eſt, barbarum & carnificem vindictæ affectû perdomare, & offenſas beneficentiâ vindicare, vt qui

Eccli. 10.

Anſelmus Laud. ibi.

Qui inimicis benefacit, Martyr ſine plagis dicitur.

Naz. Orat. pro Baſil.

qui inimicis benefacit, *Martyr* tituletur? ô incruentam affectuum carnificinam, tanto elogio digniſſimam! ô lauream ſine plagis victricem! trophæum Martyre dignum! Et Satan, id eſt, iniuriarum memoriam, detriumphauit, & triumphalem arcani martyrij palmam, piâ virtutis pertinaciâ, ſoſpes reportauit. O viuum virtutis martyrem!

---

§. CCXXXIII.

Concordiam cum hominibus ſeruare, aliquis humanæ virtutis faſtus eſt.

1\. Plutar. in Politicâ.

NON ſemper incendia de ſacris publicisve ædibus initium ſumunt, ſed ſæpenumerò è domuncula, lucernâ parumper neglectâ, ingens erumpit flamma, & ignis ſenſim conceptus, paleâ deinde & fomentis refocillatus, mirum in modum ardere incipit, & primis quibuſque correptis, longiùs ſerpere, & maximam ſtragem dare. Ita ſeditiones in ciuitatibus non magnæ ſemper contentiones, nec de publicis rebus diſſidia incendere concitareque ſolent. Ad huiuſmodi verò ſeditiones componendas, nulla mihi videtur potior ratio, quàm ſi inducas animum, in tuis priuatis diſceptationibus manſuetum te ipſum & exorabilem exhibere; atque in primis perſiſtere cauſſis, nullâ per contentionem concitandæ iræ gratiâ, adiectâ materiâ; nullis irritatis affectibus, quibus negotium magis exaſperetur, & æquo acerbius fiat. Hucuſque moraliſſimè Plutarchus. Nec leue putes pacis gratiâ, leuiſſimis rebus in principio obſtare, ne excreſcant; vel creſcentes ſiſtere, ne maiora incrementa ſuſcipiant: tot enim ſunt occaſiones; quæ pacem turbant, & concordiam inquietant, ortæ vel ex leuiculâ offenſâ, aut ex inciuili conuictorum ingenio, aut ex tetrâ imaginationis officinâ; vt maximo ſudore & labore concordia ſemper conſtet. Multa negligenda ſunt, multa prætereunda, voranda multa, & prudentiæ calore excoquenda, ne concordia virgo vel leuiter violetur. *No queſta poco acallar ſentimientos, por conſeruar concordia con todos.*

Quid agendum Pacis ſtudioſo.

2\. Ioannis 14. Chriſtus Deus morti proximus, mœſtos de ſuâ abſentiâ Diſcipulos blandè cõſolatur, & Spiritus ſancti mittendi promiſſione confortat, atque ad mutuum amorem, pacis fidum cuſtodem, hortatur. Nota verba, & ſigna ſacramenta: *Pacem*, ait, *relinquo vobis*, *pacem meam do vobis*. Peruestigant ſagaciſſimè interpretes, quare cùm dixit Chriſtus, *Pacem relinquo*, non addit *meam*; cùm verò ait, *Pacem do*, addit *meam*? Quodnam inter vtramque pacem verſatur diſcrimen? & cur relictam pacem non appellat ſuam? S. Auguſtinus ſubtiliſſimè pariter ac moraliſſimè ſuper præfatis Chriſti verbis, ita philoſophatur: *Sed quid eſt, quòd vbi dicit, Pacem relinquo vobis, non addit Meam: vbi verò ait, Do vobis, ibi ait, Meam?* (Aduerte ad rationem Auguſtino dignam) *Pax*, inquit, *iſta, quam nobis relinquit in hoc ſeculo, noſtra potius dicenda eſt, quàm ipſius.* Nempe duplicem pacem Auguſtinus agnoſcit, alteram in hoc ſeculo, in futuro alteram. Pacem pacatiſſimam & beatam, quam habituri ſunt Diſcipuli in futuro Beatitudinis ſeculo, *Suam* Chriſtus appellat: vnde ait, *Pacem meam do vobis*. At verò pax quæ in hoc ſeculo eſt, & concordia, non tantùm cum inimicis, ſed cum amicis etiam, cum condiſcipulis, cum familiaribus, cum conciuibus, cum domeſticis, cum extraneis, tam ardua res eſt, tamque ſeruatu difficilis, tanta ſunt deuoranda, quæ concordiam exaſperant, & pacem inquietãt, vt tametſi cæleſti opitulatione opus ſit, non tam ſua, quàm noſtra ab Auguſtino dicatur: *Pax iſta, quam nobis reliquit in hoc ſeculo, noſtra potius dicenda eſt, quàm ipſius.* Quid illuſtrius? *Pone vno tanto de ſu caſa en tener paz con todos, por haber tantas occaſiones que la turben; que aunque es meneſter ſingular ayuda del cielo para tenerla, nos quiere Chriſto honrar con llamarla nueſtra.* Nempe appelletur Pax noſtra, quæ tanto labore, prudentiâ, & patientiâ conſtat. Vnde ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Beatam cæleſtium concordiam appellans *Suam*; Pacem verò in hoc ſeculo, *Suam*, non appellans, vt noſtra, honoris causâ nuncupetur.

Ioan. 14. 27. *Humana cõcordia, nobis citiùs quàm Chriſto zelus tribuenda eſt?*

Aug. tract. 77 in Ioan.

3\. In eodem Ioannis Euangelio cap. 15. ad reciprocum amorem, & mutuam concordiam Diſcipulos ſuos adhortans Chriſtus Deus, ita eos alloquitur: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Mutuam inter ſe charitatem, pacis & concordiæ officinam, Chriſtus exigit à Diſcipulis. Sed indagare lubet, quid ſublimi illâ ſuæ ſimilitudinis analogiâ innuat, aiens, *Sicut dilexi vos.* Sicut Chriſtus dilexit Diſcipulos, & pacatam cum illis ſeruauit vnionem; ita Diſcipuli redamare debent Chriſtum, & inter ſe reciprocam ſeruare concordiam? S. Auguſt. hâc ſuper re ita ſcribit: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Diſcernitur* (inquit) *iſta dilectio ab eâ, quâ ſe inuicem diligunt homines ſicut homines. Vnde dictum eſt, Sicut dilexi vos.* Scilicet parum eſt ad conſeruandam mutuam inter ſe concordiam, quòd homines ſe diligant vt homines, hoc eſt, cognationis aut amicitiæ vinculo, aut humanâ politiæ tolerantiâ: has enim concordiæ cauſas non grauis ſimultatum occaſio grauiter inquietat. Sicut Chriſtus dilexit nos, nos debemus alios diligere, vt pacis ſtudio experita ſeruetur concordia; non ſicut ſe inuicem diligunt homines vt homines, quæ delicatè fragilis concordia eſt. Diu Chriſtus rudes & indiſciplinatos tulit Diſcipulos, infidum aliquando Thomam, negatorem Petrum, Iudam proditorem. Hunc blando *amici* nomine compellauit, illum amicè *reſpexit*, alij ſe exhibuit *palpandum*, omnes diu patienter tolerauit: eiuſmodi enim in concordiâ ſeruandâ conſtantiam nemo hominum exhiberet. *Diſcernitur iſta dilectio ab eâ, quâ ſe inuicem diligunt homines vt homines.* Moraliſſimè quidem Auguſtinus. *Amor mas que de hombres es meneſter para conſeruar paz entre los hombres.* Magnum planè & arduum eſt, & vltra humanum faſtum, quod in hac parte Chriſtum Deum æmulari exambit.

Ioan. 15. 12. *Ad concordiam ſeruandam ſatis nõ eſt, homines vt homines diligere.*

Aug. tract. 83. in Ioan.

§. CCXXXIV.

Nemini quantumuis concordiæ ſtudioſo, inter rixantes pax eſſe poteſt?

1\. VT illud ſemper verum: Quiſquis Regum pacem volet, arma paret: nam in pace bella meditari, prudentis Principis eſt: Sic etiam priuato homini pacem amanti, non ſufficit arma deponere, niſi cum his, qui depoſuêre arma conuiuat. Tumultuat regnum, vrbs, domus? nemo eſt tam pacis ſtudioſus, & concordiæ riualis, qui communi tumultu non tangatur. Cum partiariis viuis? Crede mihi, aut factiones, etſi nolens ſequêris, aut ſaltem factioſus audies, & ſeditionis reus. Nulli quantumuis pacifico inter rixantes pax eſt.

2\. Geneſeos 2. ſic ſacer hiſtoricus ſcribit: *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat: & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo quod creauit Deus vt faceret.* Bene eſt, requieſcat Deus in hoc die ſeptimo, illumque humanæ quieti deſtinet, nilque nouum in eo patret: ac cur hæc ſeptima dies viduabitur ſolenni reliquorum dierum clauſulâ: Et factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus? quod acutè notauit Rupertus. Hæc dies, inquit, *primùm hoc à ceteris diebus differt, quòd veſpere & mane non habet: neque enim dixit Scriptura: Factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus, ſicut dixerat, factum eſt veſpere & mane dies ſextus*, &c. Eccur hæc ſeptima mundi dies, Dei & creaturarum exinceps quieti mancipata, nô dicitur habuiſſe veſpere & mane, ſicut & dies reliqui? Quare dies in quâ aliquid operis fit, habet veſperum & mane; & dies in quâ ceſſatur, & conſecratur diuinæ ceſſationi, & humanæ quieti, veſpere & mane caruiſſe dicitur? An quia dies quieti deſtinatus, dici non debuit habuiſſe contrarietatem diei ac noctis, id eſt, lucis ac tenebrarum? Profectò nulla inter contrariorum rixas quies vlli homini eſt. Etiamſi tu quietus ſileas, & pacis amator pacatus ceſſes, ſi cum rixantibus conuixeris, illorum tumultuoſa contentio te vel nolentem neceſſariò inquietat. Conſultò igitur dies mundi ſeptima, quieti adſcripta, careat veſpere & mane, careat lucis ac tenebrarum pugnâ, vt pacata ſit, tranquilla & quieta. Nam ſi in conuictorum ſeditionibus ſaltem gaudeas victori, vel victo compatiaris, vtriuſque ex diuerſâ cauſâ conciliabis inuidiam. Funambuli ſubibis periculum, ſi in alterutram partem inclines, ſeu inclinare videaris. At quis eſt tam peritus, qui tumultuantium ſuſpiciones ſiſtat? Plures timeat, qui paucos amat, neceſſe eſt.

Geneſ. 2. v. 2. & 3.

Rupert. l. 2. cap. 15.

Nemo qui eſt rixantibus conuixit, quiete fruitur, quin ſeditionibus inquietetur?

3\. Magna pulchritudo ſterilitati obnoxia eſt, naturâ pellaciam venuſtatis arcanè fruſtrante. Sic Geneſeos 25. formoſa olim Rebecca infœcunditatis angebatur iniuriâ; quam vt auerteret, totos viginti annos Deum cum marito deprecatur, ne perduret improles, cuius proli Abrahæ benedictiones promiſſæ ſunt. Deprecatuſque eſt Iſaac pro vxore ſuâ, eò quòd eſſet ſterilis: qui exaudiuit eum, (Iſaaci precibus preces etiam Rebeccæ meritò adſociat Lipomanus,) & dedit conceptum Rebeccæ. *Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Perrexitque vt conſuleret Dominum.* Quænam eſt hæc puerorum in vtero colliſio? S. Hieronymus: *Et mouebantur filij eius in eâ. Pro motione Septuaginta interpretes poſuerunt ἐσκίρτων, id eſt, ludebant.... Symmachus verò ἐπλέοντο, id eſt, in ſimilitudinem nauis in ſuperficie ferebantur.* (Hanc Symmachi tranſlationem myſteriorum grauidam, fors ad alia themata examinabimus.) Quid lenis hæc (vt par erat) infantium in vtero motio, ſic matrem inquietat? Quæ toto vicennio conceptum à Deo deprecatur, ſic grauatè tulit leuiculam puerorum motiunculam, ſeu ludicram pugnam, præ optato partu oppido mitiorem? ô non bona verba, quæ impatientia extorſit: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Opinor, non tam cruciatu, quàm portento matrem exagitari, vnde confeſtim ad ſacrarium accurrit, vt inchoatæ in vtero fraternæ ſeditionis omen ſciſcitetur, & ſi poſſit, auertat. Pulchrè Anſelmus Laudunenſis: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Quaſi quid facient nati, qui ſic luctantur innati?* Tranquilla & pacata fœmina prognoſtico domeſticæ diſſenſionis terretur; nec tam infantilis motionis ſenſu tangitur, quàm futuri tumultus præmonſtrato excruciatur augurio, aiens: *Quid facient nati, qui ſic luctantur innati?* Eſto grauiter vterum doleat Rebecca, plus dolet ob domeſticæ diſcordiæ metum; ad omen ſeditionis expaueſcit, expalleſcit ad tumultuum prognoſticum, in eius vtero acerbius incius vtero acerbius inchoatum. Nam quæ optatiſſimi partus cruciamentum expectat, quomodo ad leuem & typicam pugnæ vmbram, ob doloris impatientiam, ſic exanimata corrueret? Vnde eleganter Tertullianus, turbatam potiùs quàm acerbè excruciatam Rebeccam dicit ob vmbratilem infantium pugnam, quam ſic graphicè deſcribit. *Aſpice*, inquit, *viuentes vteros ſanctarum fœminarum, nec modò ſpirantes illic infantes, verùm etiam prophetantes. Ecce viſcera Rebeccæ inquietantur, & longè adhuc partus. Ecce duplex fœtus in locis maternis tumultuatur, & nuſquam adhuc populi duo. Portentoſa forſitan petulantia infantiæ ante certantis quàm viuentis, ante animoſa quàm animata, ſi tantummodò matrem ſubſultando turbaſſet. At cùm partus aperitur, & numerus inſpicitur, & auguratus recognoſcitur, puto iam non animæ ſolummodo probantur infantium, ſed & pugnæ. Detinebatur qui præuenerat naſci à præuento necdum pleniùs edito, tantum manu nato..... Nondum opinor ſpirans plantam fratris inuaſerat, etiam nunc calens matre ſe priorem prodiſſe cupiebat. O infantem & æmulum & validum, & olim contentioſum!* Longiuſculè, ſed ſi Tertulliani verba interſecarem, maſculam ipſius eloquentiam planè euitaſſem. Ecce tibi, ob geminam in vtero prolem tumultuantem, turbari Rebeccam, futuræ ſeditionis augurio, tot exinceps tumultuum prophetiâ, quos ex præcoquo certamine ſuſpicata, ex oraculo primùm, mox ex euentu didicit. Ex peremptæ autem domeſticæ

Lipoman. in Catena ibi.

Geneſ. 25. v. 22.

Hieronym. in qq. Hebr.

Rebecca acerbiùs fertur ob infantium præcoqua diſſidia.

Anſelm. ibi.

4\.

Tertull. de Anim. c. 26.

Iacobi & Eſau præpropera tumultuandi libido, Rebeccæ præ morte acerba eſt.

ſticæ concordiæ prognoſtico ſic grauiter Rebecca perturbatur, vt angor animi has voces expreſſerit: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Vel, vt Vatablus exponit: *Si ſic futurum erat, vt quid viuo, & non potius morior?* Mortem præoptat, ne cum ab vtero rixantibus inquieta conuiuat. Quid exaggeratius?

Vatabl. ibi.

---

§. CCXXXV.

Aliqua beneuolentia in aduerſarios Homines, aut Gentilium Deos, illorum vincendorum arbitrium eſt?

1. Seneca epiſt. 95.

IPſa *felicitas ſe niſi temperat, premit.* Quid inter homines feliciùs, quàm poſſe de cæde inimici, acceptæ iniuriæ dolorem conſolari? Temperanda eſt, ne te premat, hæc felicitas. Viciſti inimicum, ſed viciſſim victus es inſano vltionis affectu, & barbaricæ ceſſiſti iracundiæ. Cupis omnifariam illum vincere, & prælustris victoriæ erigere trophæum? Illi ignoſce, gratiæ officioſitate iniurias condona, ſupera beneficiis offenſam; & inimicum ſumptuoſiùs detriumphaſti. Bellè Ambroſius: *Vindicare ſe non eſt actus fortitudinis, ſed abiectionis & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui ſe vindicat.*

Ambr. l. 1. offic. c. 36.

2. Vulgare eſt, beneuolentiâ patientis, odium iniuriantis fatigari, frangi, deuinci. Sed non eſt omittendus Dauid, qui inuidiâ Saulis factus de militiæ Principe, profugus; de palatinorum optimate, ſyluicola; de genero Regis, infeſtior Regis hoſtis, quaſi dotis nomine maleuolentiam acceperit. Fugiat errabundus Dauid per arduas montium crepidines, cum agreſtis Saul barbaricè inſequitur: & in modum coronæ auxiliares ſocios diſtribuens, non tam montem coronat, quàm Dauidis clementiam. Tandem Dauid opportunam perimendi Saulis occaſionem nactus, chlamydis laciniâ contentus, commilitonibus fruſtra refragantibus, vitæ ſuæ periculo Saulicæ vitæ periculum mercatur. Dauidicæ humanitatis facinora hoſtis Saul demiratus, ſui impos occlamat. *Et nunc ſcio quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* Quæ verba ſic eleganter expendit Chryſoſtomus: *Illuſtriorem tulit victoriam ſeruato Saule, quam ſi eum mactaſſet.* Et poſt multa ſubdit. *En hic noſter Dauid, etiam regnum adeptus eſt, nec tamen inquinauit cæde manus, ſed dexteram habens puram, ſic coronâ redimitus eſt, ſic ad thronum aſcendit, honeſti nominis argumentum geſtans, purpurâ ac diademate magnificentius, videlicet quòd hoſti pepercisſet, quod eundem extinctum luxiſſet.* O nouam vincendi artem præmaturè Chriſtianam! Nempe vbi animaduertit inimiciſſimus Saul ſibi amiciſſimè parcitum à Dauide, illi regnum feliciſſimo prophetat augurio. Vides, hîc, vt beneuolentiâ victus Saul, regalia inſignia vltrò victori cedat. Iam hinc purpuratus fulget Dauid, hoſtile ſceptrum manu geſtat, & aduerſarij diademate redimitus, ouat inimicæ beneuolentiæ triumpho. O illuſtre inſpectatæ charitatis trophæum!

Dauidis erga Saulem beneuolētia, illi regalia inſignia præmaturè præripit.

1. Reg 24. v. 21. Chryſoſt. t. homil 2. de Dauid & Saule.

3. Non ſolùm iniuriatorem hominem humanior in illum beneuolentia vincit, ſed & Dæmonem ipſum infernali potentiâ trucem. Diuus Paulus ſic loquitur ad Romanos: *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: Si ſitit, potum da illi, hoc faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Hos ignis carbones, totam inferni gehennam interpretantur Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, & Eucherius. Quaſi dicat: Si cibas inimicum, hâc ratione eum, ſi necdum victus perſiſtat nocere, æternaturi incendij reum facies. Pergit ad rem Paulus. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Quid *Mali* nomine intelligat Apoſtolus; non conuenit inter expoſitores. Non inidoneè Cornelius, Dæmonem interpretatur. Num aduerſarius Dæmon, *bono*, id eſt, beneuolentiâ & indulgentiâ vincendus eſt? ô nouum paradoxon! Sed huius loci ſenſum ad Euangelij cotem examinemus. Matthæi 5. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in viâ cum eo.* Quis ſit hic *Aduerſarius*, cui dum in via verſamur, conſentire debemus, nimis ambiguum eſt. Athanaſius cenſet Carnem intelligi *Aduerſarij* vocabulo. Quæ ſententia moralitatum grauida, aliàs fors examinabitur. Origenes verò *Aduerſarij* nomine, malum Angelum intelligit: Dæmonem Tertullianus. Quid? huc alludit Paulus aiens: *Vince in bono Malum,* id eſt, malum Angelum, aut Dæmonem, qui Aduerſarij nomine deſignatur? ô ſententiam à Chriſtianâ Doctrinâ peregrinantem! Dæmoni iurato inquam, hominum *Aduerſario* adnuendum eſt, vt eiuſmodi adnutu illum vincamus? Quis innoxiâ conſcientiâ Dæmoni conſentiat? Sed quis ſæuas gerens inimicitias vt plurimum culpâ vacat? Vel *Aduerſarius* Dæmon, dum diuinæ legi contraria non ſuggerit, aliquâ Chriſtianâ beneuolentiâ, aut compaſſione proſequendus eſt, ad Chriſtianæ benignitatis redundantiam? Sic refractariam Diaboli malitiam, & ſæuam in homines hoſtilitatem, ſpecie aliquâ ceſſionis frangere, & aliquali beneuolentiâ vincere expedit? Hæc in gratiam Tertulliani & Origenis interrogando potiùs quàm aliquid aſſerendo, dixerim. Scio enim aliam eſſe verborum Matthæi intelligentiam, vt inibi nuper diſputabamus.

Ad Romanos 12. v. 20. & 21.

Malus Dæmon bonâ hominis beneuolētiâ euincendus eſt?

Corn. ibi.

Matthæi 5. v. 25.

Athanaſ. q. 62.

Orig. homil. in Lucã 35.

Tertul. l. de Anima.

4. Ad illud Matthæi 1. *Ioatham autem genuit Achaz*, ita ſcribit Abulenſis. *Contra Achaz ſurrexit rex Iſrael, & occidit centum & viginti millia in vno die. Rex quoque Syrorum vaſtauit terram eius, & tulit prædam magnam in Damaſcum. Et ipſe Achaz coluit Deos Syrorum, qui perſecuti fuerant eum.* Scilicet rex Achaz tot cladibus debilitatus eſt, fractus non eſt. Adhuc enim ſpes affulget recuperandi priſtinam regni gloriam, & gazam. Adorat Deos victricis Syriæ, qui ipſum hoſtiliter oppreſſerant, ſi fortè Syrorum Dij admirati eius pietatem, etſi regni ſui euerſores, deuicti hoſtis beneuolentiâ victi, auxilientur offenſo cultori. Hâc mente Syriæ Deos rex Achaz re-

Matth. 1. 9. Abul. in Comment.

Achaz aduerſarios Syrorum Deos adorando, illos vincere præſumit?

uerenter adorat, vectimarum fumo placat, munerum beneficentiâ adornat. Quò dum pius & beneuolus apparet in ſibi infenſos Syriæ Deos, & eos pietate viciſſe, & ab illis victoriam ſperaret. Hoc arbitrio fucatæ beneuolentiæ in aduerſarios Deos, Achaz putat ſe, & hominum æſtimationem mercari, & deuictum numen ſibi conciliare, vt humanâ & diuinâ æſtimatione imminentis iam iam euerſionis periculum redimat. Sic olim æſtimatur, offenſas non modò non exequi, ſed beneficiis etiam ſuperare? Quod extorquere præſumpſit aſtuta Achazij politia, diuinæ gratiæ impoſſibile reputabitur? Ediſce hinc Chriſtianiſmi virtutem è vitij ſcholâ.

5. *Deus ſub Aduerſary nomine diligendus proponitur.* Matth. 5. 25. Aug. l. de Sermone Dom. & in qq. noui Teſt. q. 7.

Mirabitur fortaſſe quiſpiam, quòd Matth. 5. vbi opulentior erga aduerſarios indulgentia à Chriſto ſuadetur, ipſum Deum, *Aduerſary* vocabulo deſignari, cenſeat Auguſtinus, ſic exponens præfatam illam ſententiam: *Eſto cõſentiens Aduerſario tuo citò dum es in via cum eo:* per *Aduerſarium* intelligens, verum Deum, vt citè legiſlatorem, & diuinas præceptiones ſeuerè euulgantem. An Deus ſub *Aduerſary* nomine beneuolentiæ humanæ velut inſidiatur, ad humanæ perfectionis auctarium? An ſub *Aduerſary* vocabulo amorem hominis allicere exambit? An ſub *Aduerſary* nomenclaturâ perfectiorem hominis beneuolentiam ſubornare prætendit, ad humanæ benignitatis redundantiam? *Toma Dios nombre de enemigo, para ſubir de quilates nueſtro amor?*

---

§. CCXXXVI.

Noua quedam & arcana aduerſarijs parcendi genera propalantur.

1. CHRISTIANA inimicorum venia, etſi malitiæ reos inueniat, gratiæ martyres quodammodo facit. Sed quęrat aliquis, aut ſtolidus nimis, aut nimis curioſus, quid ſit inimicis parcere, & iniuriam dimittere? Vulgaris planè in ſuperficie quæſtiuncula, ſed medullitus, opinor, arcana. Porrò Inimicis parcere plura videtur ſignificare, quàm dicit.

Matth. 18. v. 21. *Qui bonam habet de offenſore exiſtimationem, illi iam pepercit.*

Matthæi 18. perſtrinxerat Chriſtus eos, qui aut parcere inimicis, aut eos amicè corrigere negligunt: *Tunc acedens Petrus ad eum, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Sed vellem vt priùs Petrus, aut à tanto Magiſtro ſciſcitaretur, aut de ſuo definiret, quid ſit fratri *dimittere*; & poſtea diſquireret, quoties ei dimittendum foret. Rem in primis perſpicuam omiſiſſe Petrus videtur. Porrò fratri *dimittere*, nihil aliud ſonat, quàm ei parcere, offenſam condonare, relaxare iniuriam, & bono pacatoque animo eſſe aduerſus offenſorem. Non eo inficias. Sed obſeruandus eſt nouus parcendi modus, quem ſubtilis interpres (vtinam pietas par acumini foret) apud

Mald. in Matthæi 18. v. 22.

P. Ioannem Maldonatum excogitauit, ſic aiens, dum exponit præſcripta Petri verba: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Duobus*, inquit, *modis nos offenſas remittimus, aut ignoſcendo, aut de eo qui nos offendit, bonam habendo exiſtimationem.* Accipe bonam pro re morali notam, è non bono auctore, quam aliàs multis expendebamus. Nimirum primo offenſoribus parcimus, cùm eis ignoſcimus; ei quoque videmur ignoſcere, de quo poſt offenſam, bonam habemus exiſtimationem. Sic eſt hominibus cognatum, non bonam de offenſoribus, etſi alioqui bonis & optimis, exiſtimationem habere! ô malum! *El que ayer era el mejor del mundo, ſi ſoſpechamos que nos offendio, oy es el peor.* Sic noſtra offenſa alienam bonitatem deprauat? Bonam de offenſoribus exiſtimationem habere, arcanus quidam parcendi modus eſt.

Matthæi 2. adorato & munerato puero Ieſu, ad propria regna per aliam viam Magi reuertuntur. Qui cùm receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: 2.
Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Reuerentiùs fortè diceret, Vade in Ægyptum. Fuga Deo cælitus mandatur? Videtur timor cælum ante tenuiſſe quàm terram. Verùm cauſam ſuam facit, qui alterius vult cauere. Et, vt ad præfata verba philoſophatur Chryſologus: *Perſecutorem qui prouocat, facit; corrigit, qui declinat.* Et vt nuper explicatius ad rem præſentem, dixerat de Chriſto Deo: *Et abſcondit ſe. Deus peccatorem cùm fugit, parcit.* Audis arcanum alium parcendi modum? Scilicet dum quis iniuriâ laceſſitus, offenſores fugit, & rixarum occaſiones pacatus declinat, inimicitias præſcindit, & inimico ignoſcit, illi perpetrandas in ſe offenſas præmaturè condonans, arcano parcendi genere. Quod acutè notauit Hugo Carenſis ad illud Matthæi 4. *Seceſſit in Galilæam. Quaſi fugiens à Phariſæis ſibi inſidiantibus, quod fecit Ieſus hoſtibus parcendo.* Ecce tibi cum Ieſus ſibi inſidiantes Phariſæos fugit, illis parcere dicitur, præcoquâ iniuriarum veniâ. Sic Iacobus hîc fratri Eſaü parcit.

Matth. 2. 13. *Qui aduerſarios fugit, illis ignoſcit.* Chryſol. ſerm. 151. Idē ſer. 131. Matth. 4. 12. Hic v. 45.

3. Geneſis 9. poſtquam Deus generali mundi eluuione homines aquis delendo, præuaricatricem eorum libidinem expiauit; ne locus vltra ita præuaricationi peruius pateret, pauculis præceptionibus contentus, antiquas leges abrogaſſe videtur, aiens: *Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. Et omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto*, &c. Hîc adludi videtur ad edendarum carnium interdictum, cap. 1. relatum: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, vt ſint vobis in eſcam.* (Non diſputo an hoc fuerit ſtrictè præceptum) Adſpectu ad hanc legum velut abrogationem, ita ſententiosè fatur Tertullianus: *Omnis itaque*, inquit, *iuſtitiam iudicij præmonſtrans, materiam libertatis emiſit*; (ſignanda ſunt verba quæ ſubdit) *per veniam ſupparans diſciplinam; permittens omnia, vt demeret quædam.* Ecce tibi antiquarum legum reſciſſionem, & humanæ reipublicæ œconomiam ad paucas leges redactam, appellat *Veniam*, veniam inquam, anticipatam admittendarum exinceps præuaricationum. Nouum planè, ſed conſultiſſimum genus veniæ. Nam vbi non eſt lex, nec præuaricatio: ergo Superior qui leges abbreuiat, aut reſcindit, præproperam concedit ſubditis præuaricationum veniam, & illarum mortem

Geneſ. 9. 3. *Legum abrogatio, arcanũ veniæ genus eſt.* Geneſ. 1. 29. Tert. adu. Pſych. c. 4.

ad

ad diſciplinæ obſeruationem ſubornat; dum *per veniam ſupparat diſciplinam.* Nimirùm meditatur Tertullianus, neſcio quas agnatas velut inimicitias inter Gubernatorem & ſubditos? & cùm Gubernator præcepta condit, velut tela quædam vibrare in ſubditos, & occultâ quâdam iniuriæ ſpecie illos afficere: ſiquidem *lex eſt pædagogia puerorum inſolentium.* Cùm vero leges aut non condit, aut abrogat, aut ad breuiorem numerum redigit, tunc occulto parcendi genere; ſubditis anticipatâ veniâ futuras præuaricationes videtur ignoſcere, & exactiori obſeruantiæ ſuffragari, dum *per veniam ſupparat diſciplinam.*

Clem. Alex. l. 1. Pæd. c. 11.

---

§. CCXXXVII.

Diligere eum, qui dubius eſt de noſtro erga eum Amore, eximia Amoris exaggeratio eſt.

1. AMOR amoris eſt illex, dilectio mutuam parturit dilectionem; nam magnes amoris amor eſt; qui reciproco affectu amorem reuerberat in amantem, neſcio quo occulto dilectionis ſacramento, aut affectionis arcano philtro. Vis amari? Ego tibi monſtrabo amatorium, ſine medicamento, ſine herba, ſine vllius veneficæ carmine. Si vis inquam amari, ama. Quod ſi in te languet amor, in alio etiam reciprocam languere dilectionem neceſſe eſt; nam tepiditas tui amoris, in amorem alienum omnes naturæ niues ſpargit. Dubius amor redamantem non quærat, ſed ſi fortè inueniat; mera dilectionis, & amoris exaggeratio eſt. Quin & diligere eum, qui dubius eſt de noſtro erga eum Amore, eximium amoris exceſſum demonſtrat. Quod huius §. argumentum eſt.

Languidus Amor redamantem non quærat.

2. Ioannis 21. poſt prandium Chriſtus diſcipulis apparet; & Petrum, qui præ ceteris fide animoſâ, & amoris impatientiâ, ſiccò veſtigio pelagus tranat, quò curſum contendat, & ocyùs Redemptoris ſui reſurrectioni adgaudeat, ſic alloquitur Chriſtus; *dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* Quid Chriſtus interrogat, quaſi dubius de Petri amore? Mitto SS. Patrum, & interpretum ſolutionem, ne onerem locum, quem ornare cupio. Et rurſùs interrogo, eccur Petrus diminutè reſponderit? Chriſtus interrogat: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Et Petrus reſpondet: *Domine, tu ſcis, quia amo te.* Bonâ quod dixerim, veniâ, ô Petre, non ſatis idoneè ad interrogationem videris reſpondiſſe. Saluator rogat, an tu eum præ reliquis diligas, & tu reſpondes te eum diligere? Potes quidem Saluatorem diligere, nec eum præ ceteris amare. Notant Theodorus Mopſueſtienſis, Chryſoſtomus, Theophylactus, & Bernardus, non auſum reſpondere Petrum, ſe plus Chriſtum, quàm ceteros amare; ſed modeſtiùs dicere ſe quidem eum amare ipſumque, qué nihil latet, proferre teſtem, factum ſcilicet cautiorem poſt negationem. Suſpicio ſolutionem Patrum, multorum è recentioribus ſuffragio obfirmatam. Sed vix adducar vt credam, Petrum Apoſtolorum & Eccleſiæ verticem, arcanè de cælo edoctum, ſuper re tantâ diminutè reſpondiſſe. *Mihi verò*, (ait P. Ioannes Maldonatus, ingenio, eloquio, & eruditione magnus) *ita videtur Petrus modeſtiæ rationem habuiſſe, vt tamen non obſcurè ſignificauerit, ſe plus ceteris Chriſtum diligere.* Vndenam id non obſcurè colligi poteſt? Alia ſentiant alij, ego vero ex Petri reſponſo cum Chriſti interrogatione collato, id argutè poſſe colligi cenſeo. Nonne Chriſtus quaſi dubius de Diſcipuli amore, eum interrogat, an ipſe plus à Petro, quàm à ceteris diligatur? ergo Petrus reſpondens, ſe Chriſtum (qui velut dubius videbatur de Petri amore) diligere, non obſcurè ſignificat, ſe eum præ ceteris amare. Porrò qui amat eum, qui poſt plures amoris ſui notas, adhuc de ſuo dubitat amore, haud dubiè indicat ſui amoris eminentiam, ſeque illum amare præ reliquis adteſtatur. *Amar à aquel, que deſpues de muchas fineças de mi amor, no pareçe eſtar ſatisfecho de que le quiere bien, es la eminentia del mas esforçado amor.* Aliena dubietas mei atteſtatiſſimi amoris, meæ dilectionis languor eſt, quem nòn valuerunt tot obſequia curare. Quis credat redamaturum, quem dubium amoris explorat? Dubietas meę amicitiæ, magnetem amoris habeat. Exindè Petrus interrogatus, an plus ceteris Chriſtum diligat, dum reſpondet duntaxat, ſe illum diligere, non obſcurè indicat, ſe Chriſtum præ reliquis amare: quippè quem de ſuo amore aliena velut dubietas, ab amando minimè retardauit. Plus ceteris diligit, qui eum diligit, qui de ſuo amore adhuc dubius eſt. *Grandemente entibia el amor, ver que deſpues de muchas demonſtraciones, aun no ay del ſatisfacion.*

Quare Petrus dicens, ſe Chriſtum diligere, ſignificat, ſe eum diligere præ ceteris.

Theo. Mopſ. Chryſoſt. Theophylact. ibi Bern. ſer. de diligendo Deo.

P. Maldon. ibi.

Geneſeos 22. præſentatur Abrahamus in animoſâ Iſaaci immolatione, patientiæ ſimulacrum, miraculum obſequij, magnanimitatis ſtupor, ſpei ſceptrum, fidei decus, charitatiſque meta. Magnus ille Seleuciæ præſul Baſilius, de ingenio æquè ac de eloquio laudatiſſimus, tota Oratione ſeptimâ, Amorem Abrahami in Deum, in hoc gratiæ facinore feliciter deprædicat. Ibi Iſaacum appellat, *Fidei exercendæ materies, & ſtadium apertum Amori in Deum.* Et poſt multa, de Abrahami amore ſubdit: *Enſe ius dicit, & victoriam Dei dilectioni tribuit.* Et ipſum Abraham nuper *admiratur amicitiæ diuinæ nundinatorem. Mercader caudoloſo que en riquecio al mundo de Amor de Dios.* Vnde tanta exurgit Amoris eminentia, quæ ſupra reliquos priſcæ ætatis Abrahami charitatem attollat, & poſterioribus ſeculis piam faciat dilectionis inuidiam? Prætereo, ne moroſus ſim, quàm eleganter Philo, poſtquàm de Abrahamo dixerat, fuiſſe *Amore Dei ſaucium*, ſtatim eruditè attexuit, quam longè pietate vicerit reliquos, qui adſimile facinus egregie perpetrarunt, quos longâ ſerie recenſet. Venio ad rem. Vnde ergo tantus Amoris exceſſus, qui reliquos facilè ſuperaret, in Abrahami elucet facinore? Multa ſunt, quæ hanc diuini Amoris eminentiam commendant, illud verò minimè contem-

3. *Dum Abrahamus Deū, velut de ſuo amore dubiū, amat, Amoris eminentiā exaggerat.*

Baſil. orat. 7.

Philo. lib. de Legibus non ſcriptis, hoc eſt, de Abrahamo.

 nendum,

nendum, quod à Moyſe obſeruatum eſt, in tanti facinotis procemiolo: *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum, Abraham, Abraham..... Tolle filium tuum vnigenitum*, &c. Quid eſt *tentauit*? Deusne is eſt, qui quaſi dubius, tentet, & tentando exploret? Peritè ad rem, hunc locum explicat Strabus in Gloſſa, ex illo Deuteronomij: *Tentat vos Deus veſter, vt ſciat, ſi diligatis eum.* Scilicet, cùm Deus Abrahamum *tentat* quaſi dubius, *vt ſciat, ſi diligat eum*, (loquitur Scriptura de Deo more humano) & exploratus, inuenitur diligens Deum; tunc, tunc quidem exceſſus Amoris, quo in Deum Abrahamus flagrabat, ambitioſiùs prædicantur. Tunc enim dicitur, *Dei amore ſubactus, amicitia diuina nundinator, & victoriam Dei Dilectioni tribuiſſe.* Tunc iure à Philone præfertur reliquis, qui adſimile facinus generosè patrarunt. Tunc enim ſic Abrahamus interrogaretur à Deo, ſicut Petrus à Christo: *Abrahame diligis me plus his?* Et ipſe cum Petro reſpondiſſet: *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te*; non obſcurè ſignificaſſet, ſe, præ omnibus ſui æui, Deum dilexiſſe. Nam velut dubietas Dei, Abrahamum tentantis, *vt ſciat, ſi diligat Deum*, ſic exceſſum amoris explorat, & manifeſtè probat, vt Abrahamus, qui velut dubium ſui amoris diligit, plus ceteris dilexiſſe videatur. *Es rara fineça amar à quien dà mueſtras que no eſta ſatisfecho de nueſtro amor, quando nos pareçe que le tenamos mas merecido.*

Gen. 22. v. 1.

Strabus in Geneſ. 22. Deut. 13. 3. Sic adducitur à Gloſſa, etſi aliter ſit in textu.

Hic v. 45. Etſi Rebecca ſciebat, filium ſuum Eſaü dubium eſſe de matris amore, tamen æqualem hîc prouidentiam & amorem erga eum oſtendit, ad beneuolentiæ exaggerationem.

---

§. CCXXXVIII.

Humani gaudij ſequela, mœror eſt.

1\. MORALISSIME inquit Eccleſiaſtes cap. 2. *Riſum reputaui errorem: & gaudio dixi: Quid fruſtrà deciperis?* Errat qui ridet, nam cùm lætitiam vultu ſignificet, lacrymas riſu prophetat: gaudium enim luctus ſequitur: *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudy luctus occupat.* Damus tamen animo corporique aliquod laxamentum, quod perpetes curas, labores, & anxietates tantiſper remittat: ſed caue tibi ne præſens lætitia te decipiat, & futuræ inſidietur mœſtitiæ, & gaudij initia conſummet mœror. Heu lacrymis vectigale gaudium; quod dum hilaritatem oſtentat, luctum prophetat? Et dixi gaudio: *Quid fruſtrà deciperis?* Decipitur enim cùm decipit, & fine fruſtratur, quem intendit. Suſpectam habe gaudij propinquationem, veluti ſi fur clanculùm ingrederetur animi penetralia, & inſidians; & lætitiam quam ſpondet, ſubripiens, futuræ mœſtitiæ obſidem ſupponeret. Verè ingens mœror, vel exigui gaudij appendix eſt.

Ecclæ. 2 v. 2.

Prouerb. 14. v. 13.

Gaudium decipiendo, decipitur.

2\. Ioannis 11. ægrotat Lazarus, & eius ſorores breuem epiſtolam ad cæleſtem medicum mittunt: Ecce quem amas, infirmatur, inquiunt. Sic dicentes affectum pulſant, interpellant amorem; nec multiloquium amori congruit. Sed Chriſtus, cui plus eſt mortem vincere, quàm remouere languorem, biduò proficiſci cunctatur. Tandem ſerus adeſt morbi curator, ſed opportunus mortui reſuſcitator. Aduentu Domini luctus reſtauratur, pæ geminantur querelæ. Plorat Maria, plorant Iudæi, plorat & Chriſtus: *Et lacrymatus eſt Ieſus.* Putaſne ſimili compaſſione? Eſto, quòd Maria ſoror fleret, quia nec fratrem retinere potuit, nec morti potuit obuiare; vnde amiſſi fratris ſtipendiarias ſoluit oculis lacrymas. Flebant Iudæi, & conditionis ſuæ memores, & futuræ vitæ deſperatione poſſeſſi. Niſi ſolennes & honorarias putes eorum lacrymas, & quas alienus dolor pro conſuetudine indolenter extorſit. Aut forſan de morte non poteſt non dolere mortalis. *Quid horum Chriſtus?* (ait venuſtè Chryſologus, *& ſi nihil horum quare flebat*? (Pende perbellam rationem) *Certè ipſe qui dixerat: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo: de quo gaudet mortuo, ipſum cùm reſuſcitat, tunc lamentatur.* Vel modicum Chriſti gaudium lacrymis tributarium eſt? Ante biduum temperatè *gauiſus* eſt, & tam citò largiùs opplorat? Sic luctus gaudio cognatus eſt? Sic erit mœſtitia gaudij ſequela? Sic breue gaudium lacrymas vbertim euaporat? *Qui dixerat: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo: de quo gaudet mortuo, tunc lamentatur.* Prophetatas gaudio lacrymas pendit? Debitum ſoluit non chariſſimo defuncto, mox ad vitam reuocando; ſed modico gaudio, cui luctum debet? *Extrema gaudy luctus occupat*, vt vnius beati gaudij priuilegium ſit, eſſe immune à lacrymarum cenſu. *Vn rato de placer, es viſpra del peſſar.*

Plorat Chriſtus in Lazari morte, quia nuper dixit, Gaudeo propter vos.

Ioan. 11. 35.

S. Chryſo ſerm. 64.

3\. Angelus vicarias Dei vices gerens, numeroſam ſobolé ſeni Abrahamo largiùs promittit; & *cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Sequenti verò capite, tres illi Angeli, Abrahami cæleſtes conuiuæ, cùm comediſſent, dixerunt ad eum: Vbi eſt Sara vxor tua? ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore iſto, & habebit filium Sara vxor tua. *Quo audito, Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.* Ridentem Saram Angelus confeſtim reprehenſione caſtigat; & Abrahamum ex ſimili hæſitantiâ (vt cenſent Hieronymus & Chryſoſtomus) ridentem, negligit? Eſto, inculpatus fuerit vtriuſque riſus, & in carne naſcituri filij nomine inſcribendus; quare cùm ſtatim Sara, reprehenſionis erubeſcentiâ, & mendacij detectione, ſeuerè mulctatur, Abrahamus riſûs eiuſdem reus, impunè dimittitur? An impunis reſeruatur Abrahamus, vt vel innoxij *riſus* de promiſſione Iſaaci, & effuſi gaudij de eiuſdem natiuitate, in eius luctuoſâ immolatione, acerbiùs contriſtetur? Eleganter Baſilius Seleucus hâc ſuper re ſic philoſophatur: *Lœtatus eſt Deus, & heres in vicino eſt; ſpes ipſas res commutabantur. Eum Deus dedit, qui antequam naſceretur, erat in deſiderio. Abrahamus accepit, grauiſus eſt.*

Gen. 17. v. 17.

Gen. 18. v. 10

Abrahamus riſum purgat funeſtâ Iſaaci immolatione.

Seleu. orat.

4

Iu

In lucem infans (Iſaac, id eſt, *riſus*) *prodijt fidei exercendæ materies, & ſtadium apertum eſt amoris in Deum..... Tentauit Deus Abraham. Quid enim? an athleta periculum fecit, quod eius virtutem ignoraret? ideone, vt animi propoſitum diſceret, eius ſpecimen Deus expectabat? Tentatione purgat Abrahamum patientiæ ſimulacrum.* Scilicet Iſaac, *riſus* interpretatur; & vtriuſque parentis *riſus* in nomine Iſaaci impreſſus eſt, quem dum ſenis pater accepit, etiam *gauiſus eſt*: Ergo accipiat innoxiam lætitiam immolationis mœror; & nuper *ridentem* & *gaudentem* Abrahamum funeſtâ filij immolatione Deus *purgat*. Nam *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat: inde riſum reputaui errorem.* Subriſit Abrahamus in Iſaaci promiſſione, gauiſus eſt in acceptione; corde etiam animitùs triſtabitur in immolatione, dum eâ tentatione purgatur, ſi quid fortè humanum, etſi innoxium, paſſus eſt in riſu & gaudio. Vel innoxij *riſus*, & inculpati *gaudij* ſequela, mœror eſt? ô, fuge hæc falſata naturæ laxamenta, lacrymis luenda! Iſaacum, an riſum funeſtâ immolatione iugulare Abrahamus intentat? Dum à patriâ cæleſti exules peregrinamur; nullum adeſt ſecurum gaudium; dum vel in
Lucæ 9.v.31. Transfigurationis melleâ lætitiâ, recordatione miſcentur amaræ Paſſionis fella.

Hic v.44. & 45. Vix Iacobus, & Rebecca Iacobææ felicitatis artifex, optatâ fruuntur felicitate, cùm Iacobus diu exulare cògitur, & dilecti filij exilio mater mœſtiſſimè angitur.

---

§. CCXXXIX.

Ad nuptias idoneè conciliandas, Princeps pacis conſulitur.

1. *Repetita coniugum rixa.* VT coniugibus matrimonij vinculo ſtrictior amor & vnio congruit; ita etiam ex indolis diuerſitate, ex conditionis inæqualitate, & ex continuâ in omnibus familiaritate, frequentata, indignatio exurgit, reciprocum tædium nauſeat; inde ex leuiculis etiam occaſionibus exardeſcit ira, cuius exitus odium eſt, & plerumque acerbiſſima è domeſticâ conſuetudine odia naſcuntur. Id adeò ex eo prouenit, quòd ſummus amor, ſi exaſperetur, in ſummum odium tranſeat; vt ſumma clementia & mitítas, ſi efferentur, in extremam crudelitatem & ferociam degenerant.

2. Gen.2.v.18. Geneſeos 2. *Dixit quoque Dominus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Quem conſulit Deus, vt
Chryſ. ibi. vxorem Adamo prouideat? S. Chryſoſtomus ad ea verba, ſic eleganter ad rem ſcribit: *Faciamus ei adiutorium, &c. Cui hoc dicit? Non creatæ alicui potentiæ, ſed ei qui ex ſe natus eſt, conſiliario admirabili, potenti, Principi pacis, vnigenito filio ſuo.* Cùm agitur de condendâ feminâ, quæ in viri coniugium deſtinatur, & confeſtim collocatur, *admirabilis conſiliarius* adhibetur, vnigenitus Dei Filius. Tanto conſiliario, & pronubo opus fuit? Sed nota quò nomine vnigenitus Dei Filius appelletur, cùm ad prouidendam Adamo vxorem conſulitur: *Faciamus ei* (Adamo) *adiutorium. Cui hoc dicit? Ei qui ex ſe natus eſt, conſiliario admirabili; Principi pacis.* Eccur inconſulto *pacis Principe*, non producitur futura Adami coniux? Deuſne ad locandam viro feminam, conſilioſo indiget aſſeſſore? Eſto, egeret, an non ſatis erat *conſiliarius admirabilis*? cur *Princeps pacis* ſub hoc nomine conſulitur? Scilicet noluit Deus producere feminam, iurgiorum fomitem, ſeditionum facem, diſcordiarum illecebram, familiæ tumultum, non priùs conſulto *pacis Principe*. Quaſi ad Principem pacis ſpeciatim ſpectet, & feminæ efformatio, & conſultior nuptiarum celebratio. Ita familiaribus rixis, & domeſticis ſimultatibus obnoxia connubia ſunt? Ergo mulieris conditioni, & eiuſdem in matrimonium locationi, *Princeps pacis* conſultiſſimè præſit, & tota Iſaaci & Rebeccæ cura ſollerter inuigilet in idoneâ ſuo Iacobo vxore quærendâ: Hic v. 46. quandoquidèm nuptiæ Eſau infeliciter ceſſerant.

Princeps pacis conſulitur ad nuptias celebrandas.

Præfata verba: *Faciamus ei adiutorium* 3.
ſimile ſibi, ita ſcribit, & explicat inibi Caietanus: *Iuxta Hebræum habetur: Faciamus ei auxilium contra ipſum.* Mulierne eſt auxilium contra ipſum virum? ô non bonum adiutorium, & peruerſum auxilium, quo viri languent vires, & eius robur domeſticâ conſuetudine & pugnaci altercatione cicuratur, & ferè euiratur. Subtiliter Lipomanus exponens illud: *Cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, &c.* ita ſcribit: *Quo certè facto magnum quoddam, & mirum neſcio quid indicare voluit omnipotens Dominus, nempe ex coniunctione mulieris cum viro in matrimonio, aliquid & non parum ſoliditatis, conſtantiæ, & virilis fortitudinis virum amittere, quaſi coſtâ oſſeâ ereptâ, pro quâ carnis mollitiem induit, fierique ſeipſo neſcio quomodo fragiliorem, atque minorem, blanditiis imbutum femineis ac affectibus, quanquam id ægrè profiteri mariti ſuſtineant. Vnde & ſapientes patres, cùm immorigeros & indiſciplinatos, ac ſuis præceptis nequaquam obtemperantes habent filios, optimè eis conſulunt, ſi maritali eos vinculo copulauerint. Nullus enim adeò efferus & effrenis animus, quem breui feminea cohabitatio non deijciat atque emolliat, vt vſu videre quotidie licet.* Longiuſculè pariter ac verè Lipomanus. Quod vno verbo Hiſpanè dicimus: *Caſaras, y amanſaras.* Nempè cùm mulier præparatur viro, auxilium contra virum aduocatur ad illum perdomandum.

Caiet. in c.2. Geneſ.

Gen.2 v.21.

Lipoma.ibi.

Vxor quantumuis efferũ maritum domat.

Sed adhuc ad rem præſentem emedullare 4.
iuuat alia illius cap. verba: *Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius.* Vnde decernit Deus illi create adiutorium ſimile. Chaldaicè ita exſcribitur, & explicatur. *Et adæ non inuenit* (Deus) *adiutorium quaſi eum.* Vide quantam ſimilitudinem naturæ, ingenij, & morum requirat Deus inter coniuges, *Principe pacis* conſulto. Geneſeos 41. Pharao ob arcanam ſomniorum interpretationem, ſummum Ægypti Præfectum conſtituit Ioſephum. Gen.41.45.
Vertitque nomen eius, & vocauit eum linguâ Ægyptiacâ, Saluatorem mundi. Deditque illi vxorem

Geneſ.2.20.

Ioſephus diuinitate aliquã ſpirans, congruè ducit Sacerdotis filiam.

vxorem Aſeneth filiam Putiphare ſacerdotis Helioполeos. Plures cum Hieronymo cenſent, hunc Putipharem eſſe illummet, qui erat olim Ioſephi Dominus: hoc enim appellabatur nomine. Et pulchra inde oboritur quæſtio, cur ille Putiphar qui hucuſque dictus eſt, Princeps militiæ, nunc cùm filiam Aſenetham nuptui tradit Ioſepho, appelletur Sacerdos Heliopoleos? Subtiliter S. Auguſtinus hoc dubium mouet, & ſic dilucidè ſoluit: *Reſpondetur duos illum honores habuiſſe, & ſacerdotium Solis, & militiæ principatum. Congruenter autem alibi ille honor eius commemoratus eſt, qui talibus actibus congruebat. Hic vero poſtquam in Ioſeph apparuit non parua diuinitas, ipſe honor debuit nominari ſoceri eius, qui pertineret ad diuinitatem non paruam ſecundum opinionem Ægyptiorum, in ſacerdote Solis.* Scilicet

S. Aug in qq. ſuper Geneſ.

5\. congruat cum generi Ioſephi moribus, ſoceri Putipharis inſtitutum, vt eius filia arripiens & exprimens patris indolem & inſtitutum, marito etiam in diuinis congruat. Exindeque fiat, non corporum duntaxat, ſed morum etiam idoneum coniugium. Ioſephus maritus neſcio quid diuinitatis in ſomniis interpretandis ſpirat; Aſenetha eius futura vxor, de ſummo Solis ſacerdotio quadantenùs ſuboleat diuinitatem, quâ mariti, & honori, & cōditioni adaptetur. Ita *Princeps pacis*, nuptiarum Præſes, Ioſepho vxorem conciliat, vt vterque coniux nec in re tantulâ diſſidens, maritalem concordiam æqualitate ſeruent: (ô quàm facili & procliui flexu hæc poſſunt conuerti ad Ioſephum Deiparæ ſponſum. Niſi quod diuinitatis nota, quæ ex Deiparæ nomine priùs inuenitur in ſponſâ, quæritur in ſponſo, qui Chriſti Dei legitimus, etſi non naturalis pater, dicitur à Bruxenſi. De quo aliàs) Niſi fortè aliorſùm malis, quòd cùm Putiphar filiam ſuam marito locat, non dicitur *militiæ Princeps*, ſed *ſacerdos Heliopoleos*, vt amplam dotem Ioſepho datam Scriptor exaggeret. Scribitur enim in Teſtamento Patriarcharum, Ioſephum *centum talenta auri cum eâ accepiſſe.* Opulenta planè dos, in vetuſto illo & rudi æuo. Inde dicitur Rex ſuo familiariſſimo Ioſepho has nuptias procuraſſe. Sic opulenter dotatur Gentilium ſacerdotum ſoboles!

Ioſephi elogium.

Sacerdotes opulenter dotabant filias. In Teſt Patriarch. c. 11.

§. CCXL.

Coniugium non minùs virtutum, quàm corporum eſto, religioſiori copulâ mentium.

1\. Sanctvs Paulinus his verbis de morte ſuæ vxoris Alethium conſolatur: *Habes iam in Chriſto magnum tui pignus, ambitioſum ſuffragium, coniugem:* quaſi partem ſui in cælum præmiſerit, quæ de ſtipendiis nuper corporeæ vnitatis, ambitioſo precum ſuffragio, non iam pro ſe ipsâ, ſed pro marito, alterâ ſui parte, Deo adſit: ac ſi poſt carneum vinculum funere diſſolutum, aliquis animarum ſuperſit inter coniuges nexus. Origenes exponens huius ſecundi capitis verſiculum 23. ita ſcribit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ. Nec tamen addidit, Et anima de animâ meâ. Sed velim mihi diceres, ô Adam, ſi os de tuis oſſibus agnouiſti, & carnem de tua carne ſenſiſti, cur non intellexiſti etiam animam de tuâ animâ proceſſiſſe? ſi enim omnia quæ in te erant tradidiſti, cur non etiam animæ facis cum ceteris mentionem, quæ melior totius hominis pars eſt? Sed videtur per hæc intelligentibus* 2. *indicium dare, quod cùm dicit, os de oſſibus meis, & caro de carne meâ, quæ de terrâ ſunt, ſua eſſe profiteri; non audere verò ſua dicere, quæ ſcit non eſſe de terrâ.* Penſanda ſunt hæc vltima Origenis verba. Scilicet Adam omnia ſua coniunctiſſimæ coniugi largè communicat præter animam, quæ non de terrâ, ſed de cælo eſt. Omnia mundialia bona ſint vtrique communia, & cum vxore communicanda; vnam animam ſibi vindicat, ſibi ſeruat Adamus, nec pro coniuge, re omnium chariſſimâ, anima eroganda eſt. Adam creaturarum ſublunarium conſtitutus princeps, poſt eſtatim, *Non audet ſua dicere, quæ ſcit non eſſe de terrâ.* Quibus verbis multa compendiauit, quæ alibi emedullanda erunt. Verùm enimuerò tametſi Adamus vxori ſuæ duntaxat dixerit: *Hoc nunc os* 3. *ex oſſibus meis, & caro de carne meâ, nec tamen addidit, Anima, de animâ meâ,* vt aduertit Origenes: tamen non tantùm corporum nexus, ſed aliquod etiam animarum vinculum in coniugibus reperiri debet: quod Baſilius Saleucus adnotauit, ita ſcribens de Euæ formatione: *Neque verò,* inquit, *ex terrâ, ſed ex latere membrum mutuatur: partitur corpus, vt mentem coaptet, & natura vna diſſipetur arte formantis, vt vna mens conſtituatur ad imitationem naturæ.* Ita vt vir & vxor, non corpore duntaxat, ſed animo etiam, animique virtutibus coniugati ſint. Sit vterque coniux, vna caro, mens vna; vt animi & corporis affectus & mores, ſi non iidem, ſaltem adſimiles ſint, tanquam coniugio copulati.

Paulin. ep. 11. Ambitioſum eſt demortui coniugis ſuffragium.

Gen. 2. v. 23. Orig. hom. 1. in Exod.

Mulier eſt os de oſſe, caro de carne viri, non anima de animâ.

Adam non audet ſua dicere, quæ ſcit non eſſe de terrâ.

Baſil. orat.

Matthæi 1. *Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph.* Poſt celebratas etiam nuptias cum ſanctiſſimo Ioſepho, ſponſam adhuc appellat Deiparam, vt Marianæ virginitatis nitorem explicatiùs inſinuet. *Nonne fuit verum matrimonium?* (ait S. Thomas) *Reſpondendum, quòd ſic: quia ibi fuerunt tria bona matrimonij. Proles ipſe Deus: & fides, quia ibi nullum adulterium: ſacramentum, quia indiuiſibilis coniunctio animarum.* Diligens & attentus aduerte S. Thomæ verba, quibus Chriſtus Deus non tantùm dicitur proles Mariæ virginis, ſed etiam *proles* huius matrimonij inter Mariam & Ioſephum initi. Hinc Ioſephus non ſolùm appellatur pater putatiuus Chriſti Dei, ſed etiam legitimus pater, etſi non naturalis; & Chriſtus Deus Ioſephi legitimus filius, non naturæ operâ, ſed beneficio coniugij, vt ex Auguſtino latè tradit Franciſcus Lucas Bruxenſis, quod nos ibi copioſè examinauimus. Notanda prætereà eſt, *Indiuiſibilis coniunctio animarum* inter Mariam & Ioſephum coniugem ſuum, quæ ad primas Ioſephi prærogatiuas pertinet. Quid quæſo, tam magnificum & auguſtum, quàm *indiuiſibili*

4\. *Matth. 1. 18.*

S. Thom. ibi. Matrimonio Mariæ & Ioſephi indiuiſibilem animarum coniunctionem operatur.

Brux. in c. 1. Matth.

coniunctione

coniunctione animæ Deiparæ adglutinari ? Mariæ & Ioſephi anima indiuidua eſt ? vna plures eſt ? alia ipſa eſt ? ô felicem dualitatem in vnitate *indiuiſibilis coniunctionis animarum !* ô ſingularem Ioſephi excellentiam, vel ſanctorum proceribus piè inuidioſam ! Vbi inter coniuges *vna mens conſtituitur ad imitationem naturæ, indiuiſibilis coniunctio animarum* eſt. Itaque Eua, os de oſſe, & caro de carne Adami dicitur ; non anima de animâ : quia vtriuſque *vna mens conſtituitur indiuiſibili coniunctione animarum.*

5\. Match. 1. 20. In eodem 1. cap. Matthæi, ſic in ſomnis ad Ioſephum Angelus loquitur : *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Ad quæ Angeli verba ita ſcribit Hilarius. *Ergo & coniugis nomen ſponſa ſuſcepit, & poſt partum in coniugem recognita, tantùm Ieſu mater oſtenditur : vt quemadmodum iuſto Ioſeph deputaretur eiuſdem Mariæ in virginitate coniugium, ita venerabilis eius oſtendatur in Ieſu matre virginitas.* Nempe Mariæ & Ioſephi coniugium in virginitate etiam fuit ? Vtriuſque ſanctiſſimi coniugis illibata, & perpetua virginitas, coniugata etiam fuit ? ô arcanum virtutum quoque coniugium ! Non tantùm mutuo corporum iure, ſed etiam reciproco virginitatis nitore, vtriuſque ſponſi animæ coniugantur ? ô qualis fuit Ioſephi perpetua & venerabilis virginitas, quæ in virgine ſponsâ, & illibatâ Ieſu matre oſtenditur ! Ex Mariæ virginitate virginitatem Ioſephi metiri licet, ſiquidem *iuſto Ioſepho deputatur eiuſdem Mariæ in virginitate coniugium.* Quid luculentius ?

S. Hilar. ibi can. 1.

Mariæ & Ioſephi coniugium in virginitate deputatur.

Paulus 1. Corinth. 7. ita ſcribit : *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem*, inde eiuſmodi connubia permittit Apoſtolus. Sed planè explicatu arduum eſt, quo pacto bonæ vxoris ſanctitas infidelem virum ſanctificet. Et valde ſudant interpretes, vt Pauli verba extricent. Anſelmus ſic locum exponit : *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem : quaſi ſanctitatis aſpergine.* Gregorius Nazianzenus fortè adludens ad hunc Pauli locum, ſic fatur de ſanctiſſimis S. Baſilij parentibus : *Quanquam autem coniugij parentum ipſius, quod non minus virtutum, quam corporum erat,* &c. Audis in coniugibus, virtutum etiam coniugium ? ô coniugum virtutes arcanè coniugatas ! Merita, virtutes, & ſanctitates, quodammodò matrimonium reciprocat ? Quid ſancto Ioſepho, Deiparæ ſponſo gratulantius ? quid pro animorum inter coniuges vnione illuſtrius ? 6. 1. Cor 7. 14.

Virtutum coniugium, magis quam corporum.

Anſel. ibi.

S. Naz Orat. pro Baſil.

7\. Lucæ 8. venerunt ad Ieſum mater, & fratres eius, & non poterant adire eum præ turbâ. Et nunciatum eſt illi : Mater tua, & fratres tui ſtant foris volentes te videre, *Qui reſpondens, dixit ad eos : Mater mea, & fratres mei ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.* Super quibus verbis ſic piè & eleganter ſcribit S. Ambroſius : *Nec iniurioſè*, inquit, *refutantur parentes, ſed religioſiores copulæ mentium docentur eſſe, quam corporum.* Nuper ex Nazianzeno audiſti, Coniugium non minus virtutum, quàm corporum ; nunc doceris ex Ambroſij ore, religioſiorem eſſe mentis copulam, ô mentis coniugia piè fœcunda ! ô pulchram & numeroſam virtutum ſobolem ! Lucæ 8. 21.

Ambr. ibi.

Religioſiores ſunt mentium quàm corporum copulæ.

BENEDICTIO

BENEDICTIO QVINTA.
DE EPHRAIM, ET MANASSE.

Iacobus duos Ioſephi filios Ephraim, & Manaſſen ſibi peramanter adoptat in filios; eiſque largiùs Benedicens, iuniorem Ephraim præponit Manaſſe ſeniori. Et agrum Sichimiticum extra ordinem donat Ioſepho in communi hereditatis partitione.

CAPVT XLVIII.

GENESEOS.

1 HIs ita tranſactis, nunciatum eſt Ioſeph quod ægrotaret pater
ſuus: qui aſſumptis duobus filiis Manaſſe, & Ephraim,
ire perrexit.
2 Dictumque eſt ſeni: Ecce, filius tuus Ioſeph venit ad te. Qui
confortatus ſedit in lectulo.
3 Et ingreſſo ad ſe ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ eſt in terra
Chanaan: Benedixitque mihi.
4 Et ait: Ego te augebo, & multiplicabo; & faciam te in turbas populorum: daboque
tibi terram hanc, & ſemini tuo poſt te, in poſſeſſionem ſempiternam.
5 Duo ergo filij tui, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti ante quàm huc venirem
ad te, mei erunt: Ephraim, & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur
mihi.
6 Reliquos autem, quos genueris poſt eos, tui erunt, & nomine fratrum ſuorum
vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.
7 Mihi enim, quando veniebam de Meſopotamia, mortua eſt Rachel in terrâ
Chanaan in ipſo itinere, eratque vernum tempus, & ingrediebar Ephratam,
& ſepeliui eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethleem.
8 Videns autem filios eius dixit ad eum: Qui ſunt iſti?
9 Reſpondit: Filij mei ſunt, quos donauit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit,
eos ad me, vt Benedicam illis.
10 Oculi enim Iſraël caligabant præ nimiâ ſenectute, & clarè videre non poterat.
Applicitoſque ad ſe deoſculatus, & circumplexus eos,
11 dixit ad filium ſuum: Non ſum fraudatus aſpectu tuo: inſuper oſtendit mihi
Deus ſemen tuum.
12 Cumque tuliſſet eos Ioſeph de gremio patris, adorauit pronus in terram.
13 Et poſuit Ephraim ad dexteram ſuam, id eſt, ad ſiniſtram Iſraël: Manaſſen verò,
in ſiniſtrâ ſuâ, ad dexteram ſcilicet patris, applicuitque ambos ad eum.
14 Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris:
ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans
manus.
15 Benedixitque Iacob filijs Ioſeph, & ait: Deus in cuius conſpectu ambulauerunt
patres mei, Abraham, & Iſaac, Deus qui paſcit me ab adoleſcentiâ meâ
vſque in præſentem diem.
16 Angelus, qui eruit me de cunctis malis, Benedicat pueris iſtis: & inuocetur
ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Iſaac,
& creſcant in multitudinem ſuper terram.
17 Videns autem Ioſeph quòd poſuiſſet pater ſuus dexteram manum ſuper caput
Ephraim, grauiter accepit: & apprehenſam manum patris leuare conatus
eſt de capite Ephraim, & transferre ſuper caput Manaſſe.
18 Dixitque ad patrem: Non ita conuenit pater: quia hic eſt primogenitus; pone
dexteram tuam ſuper caput eius.

19 *Qui renuens ait: Scio fili mi, ſcio: & iſte quidem erit in populos, & multi-*
plicabitur: ſed frater eius minor, maior erit illo: & ſemen illius creſcet in
gentes.
20 *Benedixitque eũ in tempore illo, dicens: In te Benedicetur Iſraël, atque dicetur:*
Faciat tibi Deus ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe. Conſtituitque Ephraim
ante Manaſſen.
21 *Et ait ad Ioſeph filium ſuum: En ego morior, & erit Deus vobiſcum, redu-*
cetque vos ad terram patrum veſtrorum.
22 *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhei in*
gladio, & arcu meo.

COMMENTARIVS
LITTERALIS.

1. VERS. 1. QVOD ÆGROTARET. Senectutis languore deficeret. Agebat enim tũc Iacobus 147. annum, totumque vitæ curſum in magnis laboribus & ærumnis exegerat. *Anni Manaſſe, & Ephraim.* MANASSE, ET EPHRAIM. Manaſſes vigeſimum ſextum agebat annum. Ephraim verò vigeſimum quintum. Manaſſes enim primo anno ſui principatus Ioſepho natus creditur; Ephraim verò anno ſequẽti. An Manaſſes, & Ephraim filios eo tempore ſuſcepiſſent, diſputant interpretes, valdéque ambiguum eſt. Mihi verò certum, Ioſephum tunc hos duos duntaxat filios habuiſſe ſuperſtites: alioqui illos etiam ſecum adduxiſſet, ſicut Manaſſem, & Ephraim adduxit, vt pariter Benedictionem acciperent.

VERS. 2. S. Chryſoſt. Rupert. CONFORTATVS, & Chariſſimi filij aduentu, ait Chryſoſtomus, & ſpiritus prophetici vigore, addit Rupertus lib. 9. c. 21. SEDIT. Qui defectis viribus priùs *An ſedens Iacobus nepotibus Benedixerit.* iacebat, alacer caput erexit, vt propior eſſet ſedenti, quàm iacenti. Neque neceſſe eſt ad proprietatem verbi *ſedit*, vt Iacobi crura è ſpondâ dependerent; etſi in Benedictione duodecim filiorum poſteà dependiſſe conſtet ex capite ſequenti verſ. 32.

2. VERS. 3. DEVS AVTEM OMNIPOTENS APPARVIT MIHI IN LVZA. Bis in Luza Deus Iacobo apparuit. Primò in itu ad Meſopotamiam, Geneſ. 28. verſ. 1. iterùm in Meſopotamiæ reditu, c. 35. v. 9. ad vtramque apparitionem videtur alludere: in vtraque enim idem illi promiſit Deus. Antiquo vocabulo *Luzam* appellat, quæ à ſe Bethel nominata eſt: quo nomine ab eius filiis exinceps nuncupatur. BENEDIXITQVE MIHI. Quænam fuerit iſta Benedictio confeſtim exponit, verſu ſequenti.

DABOQVE TIBI TERRAM HANC, ET SEMINI TVO POST TE. VERS. 4. *Oſtendit Iacob quo iure poſſideat terram promiſſionis.* Nempe Iacobus antequam terram Chanaan diſtribuat, oſtendit quo iure illam poſſideat, & diſtribuere poſſit, ex certâ Dei promiſſione ius habere demonſtrans, ad eam poſſidendam, & diſtribuendam in poſteros: & inde ſe poſſe Ioſephi liberos ad geminam hereditatis poſſeſſionem adſciſcere. SEMPITERNAM. *Sempiternũ id eſt longiſſimum.* Vox Hebræa עולם *Holam*, æuum, aut longiſſimum tempus ſignificat, id eſt, in poſſeſſionem ſeculi. Neque enim terram promiſſionis in æternum Iſraëlitæ poſſederunt.

MEI ERVNT. VERS. 5. In Chananææ diuiſione ſinguli ſingulas accipiant ſortes, ac ſi eos ego genuiſſem. Heredes eos habere volo, ſicut Ruben, & Simeon. In Hebræo, & Græco dicitur in præſenti: *Mei ſunt.* Quaſi dicat: Iam nunc eos habeo non nepotum, ſed filiorum loco.

QVOS GENVERIS: VERS. 6. Si quos genueris. Nec vllibi legimus alios Ioſephum filios genuiſſe. NOMINE FRATRVM SVORVM VOCABVNTVR. Hoc eſt, ad alterutram tribum pertinebunt: & ſub Ephraim & Manaſſe cenſebuntur. Hi erunt duarum tribuum duo capita. Ita S. Hieron. Hieronym. Chryſ.

in

in qq. Hebr. & S. Chryſoſtomus homil. 66.

3. Vers. 7. Mihi enim qvando veniebam de Meſopotamia mortva est Rachel. τὸ enim vim habet cauſalis : & reddit rationem quare geminos Ioſephi filios adlegerit ad duplam Chananææ portionem ; id enim præceſſerat. Ideò ergo inducit mentionem mortis & ſepulturæ Rachelis, vt probet conſentaneum eſſe rationi, duos Ioſephi (de totâ familiâ benemeriti) filios, & nepotes dilectiſſimæ Rachelis, quæ præproperâ & immaturâ obiit morte ; in Iacobi filios aſſumi, loco illorum, quos illa gignere potuiſſet, ſi longior illi contigiſſet vita. Ita Rupertus, Cornelius, & Salianus ann. m. 2345. num. 11. qui reliquas huius facti rationes velut frigidas reiicit. Præfertur Ioſephus Beniamino eiuſdem Rachelis nepoti, vt maior natu, vt de ſe, & tota familiâ benemerito. Dicit Rachelis mortem contigiſſe, quando veniebat de Meſopotamiâ. Nempe quovſque tandem veniret ad Iſaacum, illum reducem diu expectantem: eòvſque enim ſemper cenſebatur eſſe in reditu, tametſi totos decem annos iam tunc erat in Chananæâ.

Cur ingerit Iacobus mentionem mortis Rachel?

Rupert. Cornel. Salian.

4 Eratqve vernvm tempvs. Curſim, & aliud agens, inducit Iacobus mentionem Rachelis, & *verno tempore* emortuam ediſſerit? quid ad rem pertinet, an brumali, an verno tẽpore defuncta fuerit? Id fusè tractant interpretes ad Geneſeos cap. 35. verſ. 16. Scilicet cauſam inſinuat, cur dilectiſſimum coniugem in viâ ſepelierit ; fortè quia calidior veris aura vetuit, ne Rachelis cadauer ad auitum Hebronis ſepulcrum aſportari curarit ; ne forſitan in viâ putreſceret. Vide interpretes ad præfatum Geneſeos locum, qui in origine Hebræâ valde ambiguus eſt. Videtur Rachel obiiſſe propè quinquagenaria. Nam Iacob moratus eſt in Haran viginti annos, decem poſuit in itinere ; & ipſa iam erat nubilis quando Iacob peruenit in Haran.

Cur in viâ ſepelitur Rachel, & non in Hebron?

Vers. 8. & 9. Videns, &c. Videbat Iacob duos Ioſephi comites, ſed confuſim, & quaſi per nebulam, vt eſt hebes ſenum aſpectus ; longiuſculè enim adeſſe videntur. Addvc eos ad me. Secum iam eos Ioſephus adduxerat, propiùs admoueri mandat Iacobus.

Vers. 12. De gremio patris svi. Celada *de Benedict. Patriarch.* Manaſſes & Ephraim iubente eorum patre, flexis genibus ad aui genua in lecto reſidentis acciderant, caputque in eius gremium demiſerant. Ergo Ioſephus ne auum diu grauarent, & vt congruè ad Benedictionem componeret, inde eos amouit. Adoravit pronvs in terram. Toto tempore quo ipſe in filiis a patre, Dei inſtinctu Benedicebatur, voluit pronus permanere : ita Bonfrerius hic. Bonfr.

Et posvit, &c. Ipſe Ioſephus dum ante patris lectum genuflectit, exemplo ſuo, ſic geminos flexis expectare aui Benedictionem filios iubet : & ſimul ſic compoſuit filios, vt iuxta ætatis priuilegium congruè Benedictionem acciperent. Vers. 13.

Commvtans manvs. Nempe decuſſatis brachiis dexteram poſuit ſuper caput Ephraim, quo præferri voluit Manaſſe, etſi natu maximo. Dextera manus vbique Scripturarum, felicitatis præſagium eſt. Porrò tribus Ephraim inſignior fuit, & principatu Ioſue, & Iſraelis ſceptro, multitudine ſobolis, & terræ amplitudine. Scilicet præſagâ mente nouit Iacobus minorem maiori præferendum. Vers. 14.

Benedixitqve Iacob filiis Ioseph. Quænam fuerit iſta Benedictio, in proximè ſequentibus verſiculis exhibetur. In cvivs conspectv ambvlavervnt. Id eſt, quem coluerunt, & cui placere ſtuduerunt. Vers. 15.

Angelvs. Cuſtos meus, ita Abulenſis, Vatablus, plures. Non quòd Angelum parem Deo faciat, vt effutit Caluinus ; ſed Dei beneficium agnoſcit, quod ſibi per Angelum diuinitùs tributum eſt. De cvnctis malis. Id eſt, periculis. Invocetvr svper eos nomen mevm. Vocentur filij Iacob, ſicut reliqui mei filij, qui tribuum principes futuri ſunt. Itaque *Inuocabitur nomen tuum ſuper nos*, idem eſt in Scripturis. ac, Nos vocabimur nomine tuo. Crescant in mvltitvdinem. Hebræa vox à piſcibus ſumpta eſt. Quaſi dicat : Poſteri veſtri, ô Ephraim, & Manaſſes, ebullient ſicut piſces, & ſi dici licet, *piſceſcant*, Nota eſt piſcium fœcunditas. Vers. 16. 6.

Abulenſ. Vatab.

Quàm fuerint numeroſæ tribus Ephraim & Manaſſe.

Crescet in gentes. Manaſſe tribus quia bifida fuit, terram & cis Iordanem, & vltra Iordanem ſortita, creuit, velut in *populos* : at tribus Ephraim, quòd numero & potentiâ auctior fuit, Vers. 19.

creſcere etiam *in gentes* dicitur, quia imperatura erat decem tribubus, quarum ſingulæ velut vnam gentem conſtituũt. Vel ita creſcet tributis Ephraim & numero & amplitudine, vt non modo plures populos, ſed etiam plures gentes poſſit conficere.

Vers.20. In te Benedicetur Israel.
7. Id eſt, inſtar tui, teque in exemplum adducet, ſi quis fœcunditatem alicui apprecar cupiat, aiens: Faciat tibi Devs sicvt Ephraim, et sicvt Manasse. Hic accipio *Iſrael*, non pro Iacobo ſed pro populo Iſraelitico. Numerum mutat, cum dixit *In te*, etſi ante dixerit, *Fiis*; filiorum enim & patris, vna & eadem cenſetur Benedictio, & proſperitas. Nam multiplicatâ vtriuſque filij ſobole, patris etiam ſobolem multiplicari neceſſe eſt. Constitvitqve Ephraim ante Manassen. Non aliquid vitra agens; ſed præfata Benedictione Ephraimum iuniorem ſeniori Manaſſe prætulit.

Vers.21 Dabo tibi partem vnam. Agrum,
8. inquam, illum in ſuburbio Sichem, quē centum agnis emit à filiis Hemor patris
Geneſ. Sichem, Geneſ.33. verſ.19. Et inde ager ille forte Sichem etiam appellabatur ab vrbis Sichem viciniâ. Id explicatiùs tradunt LXX interpretes, ſic locum exſcribentes: *Do tibi Sichimam electam*, id eſt, luculentum Sichimæ prædium. Itaque per *partem vnam* intelligitur fundus Sichimiticus, vbi tandem ſepultus eſt ipſe Ioſeph, tanquam in propriâ hereditate extra ſortem accepta, Ioſue vltimo cap. verſ. 32. quod etiam traditur Ioan.4. v.5. vbi Sichar, ponitur pro Sichem, poſterioribus ſeculis corrupto vrbis vocabulo. Ioſue. Ioann.

Extra fratres tvos. Futuræ inter fratres Chananææ diuiſioni hoc prædium eximens, illud Ioſepho tribuit ſepulturæ causâ, vt ex Rabbi Chimhi tradit Maſius in Ioſue cap. vltimum. Qvam tvli de manv Amorrhæi in gladio et arcv meo. Prophetæ de futuris, quaſi de rebus præſentibus loquuntur. *Tuli*, id eſt, auferam per poſteros meos, vi & armis expulſis Amorrhæis, Chananitidi dominantibus. (Ita nonnulli apud Iacobum Bonfrerium.) Alioqui non ab Amorrhæis, ſed ab Heuæis accepit prædium Sichimorum, Geneſ.33. verſ.19. Nec *gladio & arcu* (nulla enim bella cum illis geſſiſſe legitur, vt prædium illud Iacobus poſſideret) ſed centum agnorum pretio illud poſſedit. *Gladius & arcus* pro omni armorum genere ſynecdochicῶs paſſim accipitur in Bibliis. 2. Regum 1. v.18. Pſal.43. v.7. In Hebræo eſt in hoc loco pulchra paranomaſia, quam nulla alia lingua valet exprimere. Non infarcio hic quæ ex c.33. Geneſis, collato cum verbis Stephani Actorum 7. copioſè diſputant interpretes. Nam verba huius cap. 48. id non expetunt. Animus non eſt dicere quantùm dici non inidonee poteſt, ſed quantùm dici inidonee ſufficit.

9. Maſius. *Iacobus per ſuos filios debellauit Amorrhæos, non per ſe.* Bonfr. 2 Reg. Pſal.

COM

COMMENTARIVS MORALIS.

§. CCXLI.

Medicorum ars vices cum funeratore reciprocas?

1. *Plin. l. 24 c. 1. ex Catone.* NATVRALIS hiſtoriæ Princeps ita declamat in Medicos: *Diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt: Medicoque tantum hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt.... Quid enim venenorum fertilius?* Et Arceſilaus apud Laërtium (*Laërt. l. 4. c. 6*): *Sicut vbi multæ ſunt leges,* inquit, *ibi plurimùm vitiorum eſt: ſic vbi plures ſunt Medici, ibi multi ſunt ægrotantes.* Hinc teſte Plutarcho (*Plut. in Lacon.*) Diogenes Cynicus Medicos vocabat *Communes carnifices.* Et ſanè Nicocles Medicos felices appellabat: *Quoniam eorum ſucceſſus Sol intuetur; errores autem tellus operit.* Et Antonius in Meliſſa (*Anto. in Meliſſa. part. 1. ſer. 76.*) allegat Stratonicum dicentem ad Medicum: *Laudo tuam experientiam, quia non ſinis infirmos computreſcere, ſed illos ſtatim è vitâ liberas.* De imperitis Medicis hæc & ſubſcribenda elogia decantantur: nam peritos alibi copioſè dilaudauimus.

Conglobata Medicorum elogia.

2. *Gen. 50. v. 2.* Geneſeos 50. diu ægrotans Iacob, tandem moritur. tunc Ioſephus pro defuncti patris tenero amore, infuſus lacrymis, in eius amplexus ruit: *Præcepitque ſeruis ſuis Medicis, vt aromatibus condirent patrem.* Vide Ioſephi prudentiam, & ſingulare ſtudium erga patris ſui vitã. Diu ægrotauerat chariſſimus eius pater, vt refertur hîc v. 1. nec vllam in longâ infirmitate inuenies Medicorum mentionem: (inde fortaſſis totos centum quadraginta ſeptem annos Iacobus vixit) at vbi expirauit, confeſtim Medicos accerſit, qui defuncti patris cadauer curent: quaſi Medicinæ ars non tam verſetur circa ægrotantia corpora, quàm circa defunctorũ cadauera. Adeò vt LXX. interpretes non dicãt, ſicut vulgatus, *Præcepit ſeruis ſuis Medicis,* ſed, *Præcepit ſeruis ſuis funeratoribus.* Ac ſi omninò ſynonyma reputentur, *Medicus,* ac funerator. Medicum ægrotus vocaſti? funeratorem tè vocaſſe puta: non qui ſanitatem faciat, ſed qui mortem accerſat; cadauerque aut faciat, aut condiat. Hinc idem Ioſephus chariſſimum patrem periculoſè ægrotantem hîc (*Hic v. 1.*) inuiſit; nec ipſo viuente Medicos accerſit, ne funeratores aduocet: quo mortuo eos aduocat, vt cadauer cõdiant, quaſi cadauera ſit Medicinæ ſubiectũ.

Medicus artẽ cum funeratore reciprocat.

3. *Eccli. 38. v. 1. 2. Pædag. c. 8. Ben-Sira alphabeto 1. litera Aleph.* Illud Eccleſiaſtici 38. *Honora Medicum propter neceſſitatem,* ita exſcribit interpres Clemẽtis Alexandrini: *Honora Medicum propter vtilitatem eius.* Nam Græca vox χρεία ſignificat vtilitatem, caritatem, commoditatem. Et quidem Ben-Sira ſententioſè inquit: *Honora Medicum dum non indiges eius.* Quaſi dicat, dum benè vales, & integrâ valetudine vteris, *Honora Medicum,* id eſt, reuerentiâ, obſequiis, & muneribus illum affice; (tria hæc in Scripturis ſignificat *honor*) vt illum placatum reddas in tempore ægritudinis. Velut auerruncatoriis votis Medicos quaſi mortis arbitros, præmaturè redde placatos, ne cùm aliquandò ægrotes, *Creſcat potiùs de Medicinâ calamitas;* vt eleganter dixit Caſſiodorus (*Caſſiod. l. 6. Epiſt. 19.*). Medicæ artis ſtipendiis illos etiam in valetudine, munera, ne aduerſus te in ægritudine deſæuiant. Heu ſæpe remediis, potiùs quam morbis laboramus!

Honorandus eſt Medicus dum illo non egemus, ne creſcat de medicinâ calamitas.

4. *Marci 5. 26. & Lucæ 8. v. 43.* Marci 5. acceſſit ad cæleſtem Medicum mulier duodecim annos ægra: *Et fuerat multa perpeſſa à compluribus Medicis, & erogauerat omnia ſua, nec quicquam profecerat, ſed magis deteriùs habebat.* Vide quãtum profecerit Medicorum ope hęc mulier infirma, quæ poſt diuturnæ curationis cruciatus, vel potius lanienam, *magis deteriùs habebat:* inſuper & totum cenſum in Medicos erogauerat; & quidem opulentum, vt ex modo loquendi Euangeliſtæ notant interpretes (*Toletus in Lucæ 8.*). Ecce tibi hanc bonam feminam à Medicis malè pauperem, & peiùs ægrotantem. Nec ſatis candidè, nec ſine alluſionis aculeo, putauerim, Tertullianum in l. de Anima (*Tertull. de Anima c. 13.*) dixiſſe: *Ipſi Medici faciem operis, frontemque materiæ, de Animâ vnuſquiſque proſcripſit.* Profectò verbũ *proſcripſit,* dum agit de Medicis, (quos nuper multis inſectatus fuerat) non tãtùm ſignificare videtur operum epigraphen, ſed etiam iuris *Proſcriptionem,* peracerbã apud Iuriſconſultos pœnam. Quis neſcit *Proſcriptũ,* & bonis ſpoliari, & exilio mulctari? (Hinc illud Macrobij (*Macrob. in Saturnal.*), *Non eſt facilè ſcribere cõtra eum, qui poteſt proſcribere.* En quantum timoris ingerat Proſcribendi poteſtas?) Ergo Medici dum libros de arte medicâ præſcribunt, homines *proſcribunt:* quandoquidem illos & bonis ſuis ſpoliant, & migrationem ex communi vitæ patria indicunt. Quiſquis Medicos ægrotus accerſit, ipſe ſe vltrò *proſcribit?*

Qui Medicos ægrotus accerſit, ipſe ſe vltrò proſcribit.

5. *Eccli. 38. v. 2.* Poſtquam dixerat Ieſus Sirac: Honora Medicũ propter neceſſitatem, ſubdit: *A Deo enim eſt omnis medela, & à Rege accipiet donationẽ.* Rabanus legit δόμα *donatiuum.* Complut. δόξαν *gloriam.* Quaſi ars medica Reges faciat Medicis vectigales, & quadantenùs ſubiectos. Exinde Rex Theodoricus apud Caſſiodorum (*Caſſiod. l. 6. Epiſt. 19.*), Medicum his verbis accerſit: *Fas eſt tibi nos fatigare ieiuniis: fas eſt contra noſtrorum ſentire deſiderium: & in locum beneficij dictare, quod nos ad gaudia ſalutis excruciet. Talem tibi denique licentiam noſtri eſſe cognoſcis, qualem nos habere non probamur in ceteros.* Medicus eualet in Regem, quod Rex nõn eualet in ſubditos? Celebris Plinij (*Plin. l. 24. c. 1.*) ſententia eſt, conquerentis Medicos Romanis Imperatoribus etiam dominari: *Paremus externis, & vna artium* (medicina) *Imperatoribus quoque imperat.* Et Hadrianus Imperator moriens dixit illud Menandri: *Turba Medicorum Cæſarem perdidit,* ita Dio.

Reges Medici ſubiecti ſunt, & vectigales.

Hæc diximus contra imperitos Medicos: nam peritos Scripturá probât: & Raphaël nobilitat medicinâ à Deo miſſus Tobiæ Medicus.

§. CCXLII.

Diuturnos diu patiendi labores, mellea virtutis voluptas compendio è abbreuiat.

1 ILLVD certè non eſt quod homines impediat, quominùs de nobis benè ſperemus de adipiſcenda virtutis perfectione, quòd malitia nos tenet, quòd diu in poſſeſſione noſtri eſt. Ad neminem ante bona mēs venit, quam mala. Imò cùm omnis moralis virtus ſit ſecundum hominis naturam, vitium verò contra naturam hominis; omnes quodammodo præoccupati ſumus, virtutes diſcere, vitia dediſcere. Inde nulla eſt tam inolita & obdurata malitia, de quâ corrigendâ, naturæ indole diuini fauoris ope adiutæ, deſperandum ſit: nihil enim eſt quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quantumuis flexa, reuocabis. Curuatas trabes calor explicat, & aliter natæ, in id finguntur, quod vſus noſter exigit: quanto faciliùs animus accipit formam, flexibilis, & omni humore obſequentior? Profectò imbecillæ mentis atque ægræ eſt formidare inexperta. Itaque cogenda eſt mens, vt cognata deſerat vitia, vt virtutem ſectari incipiat. *Deinde non eſt acerba medicina: protinùs enim delectat, dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt: Philoſophia* (id eſt, ſtudium virtutis) *pariter & ſalutaris & dulcis eſt*, adeò vt ſic in ipſis ſectandæ virtutis acerbitatibus homo delicietur, vt breues reputet horas, quas patiendo impendit: ô beatas Iuſtorum calamitates, temporis auaras! Vt voluptabilibus diuturnum æuum, breuis mora eſt: ſic & tempus, quod ærumnoſæ aliàs virtuti patienter impenditur, perbreui morulâ ocyſſimè euolare videtur præ voluptatis dulcedine.

Virtutis acerbitas, dulcis Iuſtis eſt.

Senec. ep. 51.

2 Geneſis 47. Iacob ille virtutis alumnus, laboribus innutritus, pietati natus; penuriæ malo cogitur è Chananitide peregrinari in Ægypto. Pharaoni ſenex ſiſtitur, & interrogatus ab eo: Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ? Reſpondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali.* Quid eſt, annos vitæ Iacobi dici *paruos & malos*, vel *puſillos, & malignos*, vt tradit Auguſtinus: vel *modicos*, vt commētatur Eucherius? *Neque enim vita alicuius, quàm ceterorum dies poſſunt eſſe ſpatio breuiores*, vt inibi aduertit Auguſtinus. Et quidem neſcio quo pacto vnus integer annus alio longior, aut breuior ſit, iiſdem diebus ac menſibus conflatus. Eucherius ibi. Chryſoſtomum ſecutus, ita ſcribit: *Dies Iacob modici dicuntur eſſe & mali, eò quòd ea quæ Iacobus ſuſtinuit, per varia eum exercuerunt tormenta*, quæ latè ibidem recenſet Chryſoſtomus. Scilicet Iacob dies annorum vitæ ſuæ *paruos* appellat, quos ærumnarum & calamitatum plenos diu tranſegit. Imò (vt opinor) ærumnoſior dies, & calamitate moleſtus, longior & diuturnior videtur, dirâ acerbitate patiendi. *Vn dia de peſadumbres, es dia de vn año*, quaſi calamitas adampliet tempus, & durationem exaggeret. Sed, ô beatas Iuſtorum calamitates! Tanta eſt enim patiendi voluptas, ſic Iuſtus in ærumnis deliciatur iucundè, vt *paruos, puſillos, modicos*, id eſt, perbreues putet annos, quos in diris calamitatibus tranſegit. Sic longam annorum ſummam abbreuiat patiendi iucunditas? Sic patientiæ voluptas diuturnitatem patiendi breuem non inuenit, ſed facit? *El guſto que tenian los Sanctos en padecer, les haçia breues los ſiglos que paſſaron en trabajos.* Quod Regi coram palatinis, quaſi aliquid nouum & grande ingenuè Iacobus proteſtatur, inquiens: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali.* Hinc pulchrè, ſi alicubi, Philo, *Virtutes carent tempore.* Sic virtutis voluptas, prolixa alioqui tempora arctiſſimè abbreuiat!

Gen. 47. v. 9. *Anni parui ſūt, quos virtuti moleſtijs impendimus.*

Aug. de Locut. in Gen.

Euch. ibi.

Hic verſ. 1.

Philo. l. de Sacr. Abel.

Similis ſui fuit Iacobus, Geneſeos 29. cùm 3.
Rachelis amoribus actus, optatiſſimi connubij pretium, ſeptennij alacer ſpondet ſeruitium: *Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Quod ſanè difficile eſt; cum ardentior amor, impatiens moræ ſit: & breue tempus, quo fruitio differtur, diuturniſſimum reputet, quod nemo ibi ex Auguſtino non notat. Verùm cùm pulchra Rachel, aut virtutis aut beatitudinis typum gerat, conſultiſſimè longiſſimum tempus, quod Iacobus bonus virtutis riualis, in eius perfectè aſſequendæ ſtudium impendit, quantumuis tribulationibus & ærumnis moleſtum, breuiſſimum putat: *Et videntur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Siquidem *virtutes carent tempore.*

Gen. 29. 20. *Cur Iacobus longū ſeptennij tempus, paucos dies reputet.*

Geneſ. 2. *Compleuitque Deus, die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo; & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo.* Perſpicuum eſt hanc ſeptimam mundi diem, in quâ ceſſauit Deus ab omni opere nouiter creando, deſtinatam fuiſſe hominum quieti, illis verbis: *Benedixit diei ſeptimo & ſanctificauit illum.* Hoc eſt ſabbatum Deo ſacrum, virtuti excolendæ à rerum primordio à Deo deſtinatum. Reliqui ſex dies ſeculari operi permittuntur: hæc ſeptima dies Deo elucet tota, tota virtutis laboribus mancipanda. Verùm acutè notauit Rupertus, quòd ſeptima hæc mundi dies *Primùm hoc à ceteris diebus differt, quòd veſpere & mane non habet: neque enim dixit Scriptura: Factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus, ſicut dixerat: Factum eſt veſpere & mane dies ſextus.* Quare hæc ſeptima mundi dies, (ſabbatum inquam) Dei cultui, & virtutis laboribus mancipata, non dicitur habuiſſe veſpere & mane, ſicut dies reliqui? Quam ob cauſſam reliquarum dierum communi clauſulâ ſingulariter viduatur? Caretne hæc dies tardò exoriente mane, & feriùs aduentante veſpere? Quis diei ſeptimi, id eſt, ſabbati, repigrat veſperum, & mane demoratur? Eſtne aliquis piger Bootes, qui vt noctis tenebras, ſic & diei luces moroſius, ne aduenient, retardet? Cur nulla moratum veſpere & mane mentio? Scilicet reliquæ ſex dies rerum ſecularium laboribus deſtinatæ, retardentur veſperi & mane morâ? prolixus eſt enim ſecularium labor, & qui horas protelat ad ærumnarum moleſtiam: at

4. Gen. 2. v. 2. & 3. *Dies virtutis laboribus deſtinatus non dicitur habere veſpere & mane: quia virtus caret tempore.*

Rup. l. 2 c. 3.

vſque adeò eſt dulcis & melleus laborioſæ virtuti impenſus labor, vt dies virtuti adſcriptus, patiendi morulas nuſquam habuiſſe dicatur: nam *Virtutes carent tempore*. Quid luculentius? Viderint homines ne humana impatientia moleſtias virtutis prolixiùs dilatet, & diuturnè acerbum putet, quod ſuauitate diuturnitatem abbreuiat. Noſtrum vitium eſt, quod putamus alienum, quod monſtrum foret, id eſt, virtutis vitium. Nimis ad doloris ſenſum delicatus eſt, quiſquis non obduratur virtutis blandimento.

§. CCXLIII.

Profunda triſtitia, ſæpè de inferno eſt; energumenúmque aut inuenit, aut facit.

1.

LÆTITIAM exultatio, exultationem tumor, & nimia æſtimatio ſui ſequitur. Dabimus ergo aliquod corpori laxamentum: modica enim voluptas congruè animos laxat, idoneéque temperat, vt nimius feruor deſpumet, ne abſorbeatur triſtitiâ, virtutis plerumque nouercâ, nec bonâ agendorum conſiliatrice. Humidioribus, ſiccioribus, & frigidis temperamentis, non eſt ab irâ periculum, ſed maiora vitia metuenda ſunt, difficultas, ſuſpiciones, pauor, mœſtitia, & deſperatio, mœſtitiæ affinis. O caue tibi à nimiâ triſtitia, quaſi à voluntario & elaborato furore, Dæmoniaci furoris cognato. Helcana vir bonus audit in Bibliis, & bonæ Annæ dignus maritus. Venit ergo dies, & immolauit Helcana, deditque Phenennæ vxori ſuæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes: *Annæ autem dedit partem vnam triſtlus, quia Annam diligebat.* Caietanus inibi ſic locum exponit. *Dictio interpretata Triſtis, iuxta Hebræum ſonat, furoris.* Nimirum mœſtitia plurariuus furor eſt; & quidem qui ſæpè de inferno accenditur.

Triſtitia multiplex furor dicitur.

1. Reg 1. 5.

Caiet. ibid.

2.

1. Reg. 16.

v. 13. & 14.

1. Regum 16. poſtquam Samuel Dei inſtinctu in regem Iſraël clanculum inaugurauit Dauidem; *Direttus eſt ſpiritus Domini à die illâ in Dauid, & deinceps. Spiritus autem Domini receſſit à Saül, & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino.* Magna ex his verbis oboritur quæſtio, quam erudita commentatorum induſtria peritè verſat; quiſnam fuerit hic ſpiritus nequam, à Domino, qui exagitabat Saülem. Sunt qui hunc ſpiritum bonum eſſe putent, qui miſſus ſit à Deo, vt excruciaret Saülem, & pœnas ab eo ſumeret violati præcepti. Communis autem Patrum, Doctorumque ſententia tenet, energumenum fuiſſe Saülem, id eſt, obſeſſum; & intùs exagitatum à Dæmone, quos longâ ſerie inibi allegat, & ſequitur Sanctius. Alij verò morbum eſſe putant ex atrâ bile natum, qui in furorem agit, & à mente commouet affectos. Mitto huius ſententiæ ſectatores, & vnius Caietani verba reſcribam. *Spiritus autem Domini receſſit à Saül, & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino. Quemadmodum*, inquit, *ſpiritus bonus in Dauide, non ſignificat Angelum ſanctum: ita ſpiritus malus in Saüle, non ſignificat Dæmonem, ſed ſpiritum melancholicum.* Sic conſimiles ſunt mores Energumepi, & Melancholici? Inteſtinus & familiaris Dæmon, Melancholia putatur? Dæmon dum humanum obſidet corpus, ſic illud occupat, vt mens hominis putetur: fœda ſuggerit, ad fœdiora inſtigat; & homo de mentis faſtigio eiectus, in Dæmoniacum agitur furorem, domeſtici Dæmonis inſtinctu. Idem cenſe de homine cui melancholia dominatur. Energumeno ſimilis eſt, velut inteſtino exagitatur Dæmone; & nec ſibi viuere licet, nec aliis conuiuere. O infelix reſpublica, quam eiuſmodi diſſimulati & permiſſi Energumeni, melancholiæ furiis infeſtant! Quod infrà explicatiùs tradit idem Cardinalis, ad illud: *Inuaſit ſpiritus Domini malus Saül, & prophetabat in medio domus ſuæ.* Sic fatus: *Hoc eſt, inuaſit ad ſimilitudinem prophetantium aliena à communi ratione agentium, & dicentium. Et hoc erat primum nocumentum conſequens commotionem ſpiritus melancholici.* Ecquis tutus erit à malitioſis Melancholicorum ſuſpicionibus, ad quas infernali tetræ bilis ſpiritu pernicioſè exagitantur? Quo excantamento effumigabitur inteſtinus Melancholiæ Dæmon? De inferno totus eſt, qui ſe, & reliquos ſic exagitat.

Profundè mœſtus, energumenus appellatur.

Sanctius ibi.

Caiet. ibi.

Caiet. in lib. 1. Reg. c. 18. verſ. 9.

3.

Miritiſſimum planè eſt, eiuſmodi à melancholiâ energumenos, Saülis adinſtar audaciſſimè prophetare: *Inuaſit ſpiritus Domini malus Saül, & prophetabat. Hoc eſt, inuaſit ad ſimilitudinem prophetantium aliena à communi ratione agentium, & dicentium. Et hoc erat primum nocumentum conſequens commotionem ſpiritus melancholici.* Miriſſimum, inquam, eſt, eiuſmodi à melancholiâ energumenos, in ſuſpiciones, velut in prophetias, triſtem mœſtitiæ ſpiritum pernicioſiſſimè euaporare: cùm nihil tam ſit à Prophetâ alienum, quàm mœſta triſtitia. Audi Samuëlem, ſic loquentem cum Saüle, dum illum vngit in regem: *Cum ingreſſus fueris vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes.* Opportunè inibi noſter Mariana, vt in recenti æuo, in omni litteraturâ veteranus: *Lætus datur ſpiritus prophetiæ, non mœſtus.* Quid igitur mœſtus prophetas, quod lætus non prophetabas? Niſi lætus ſis, Dei ſpiritu non prophetabis. (Inde *confortatur gaudio* Iacobus hîc, ad ſequentem prophetiam, quod aduertit ibi Rupertus.) Qui mœſtus prophetat, melancholiæ ſpiritu energumenus, inſtar Saülis prophetat. Suſpecta ſit tibi prophetia, quam triſtitia afflat, quam melancholia ſuggerit, ad quam mœſtitudine inſtigaris. *Lætis datur ſpiritus prophetiæ, non mœſtis:* nam mœſtus propheta, de inferno prophetare videtur.

Idem auct.

Lætis datur ſpiritus prophetiæ, non mœſtis.

1. Reg. 10. 5.

P. Mariana.

Hîc verſ. 2.

Rup. Ibi.

Et quidem, neſcio quæ arcana cognatio inferni, & infernalium ſpirituum, cum triſtibus ineſt: de infernalibus furiis prophetat mœſtus; inferno proximus dicitur triſtis. Geneſeos 42. filij Iacob obnoxiè expetunt à patre ſene, vt ſuum Beniaminum in Ægyptum ire permittat quò impunè frumentatum ire poſſint. At ille: Non deſcendet, inquit, filius

Triſtitia ad inferos deducit?

meus

meus vobiſcum : frater eius mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit : ſi quid ei aduerſi acciderit in terrâ, ad quam pergitis, *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Sanctus Auguſtinus in qq. ſuper Geneſim. *Et deducetis ſenectam meam cum triſtitia ad inferos. Quæritur vtrùm ideò ad infernum, quia cum triſtitia?* Infernum à triſtitiâ timet ſanctiſſimus Patriarcha, & electorum typus? Sic periculoſa nimia triſtitia eſt? ô, time profundam triſtitiam, de inferno prophetantem, ad inferos deducentem, & ad omnia mala latenter inſtigantem!

Geneſ. 42. v. 38. Auguſt. ibi.

§. CCXLIV.

Magiſtratuum ardor pro ſuâ iuriſdictione nimis tuendâ, periculoſum tentamenti genus eſt.

1. MAGISTRATVS omnes haud ingrati iuriſdictionis ſuæ interpretes ſunt, nihil illis magnum eſt, quia nihil illis ſatis eſt. Hinc quaſi immetatum foret eius territorium, in alienum ſeſe latè inferre ſedulò procurant. Hinc tumultus, diſſenſiones, rixæ: hinc flagrant tribunalia ardore propriæ Poteſtatis pro virili tuendæ. Videas Præpoſitos aliàs bene moratos, humiles, morigeros, prudentes, tranquillos & mites, pro ſuâ, à præſumpto inuaſore, iuriſdictione tuendâ, antiquos mores deſueſcere, & in negotioſa efferari litigia: adeò vt vix humanarum paſſionum vlla, ſic Magiſtratus ad litigia inſtiget, fortè quia hominibus agnata ambitio bono iuſtitiæ prætextu coloratur.

Vel mites Præpoſiti immites gerunt lites pro Dignitate tuenda.

2. Matth. 4. Chriſtus ſub Diabolo eſurit, & infectas dapes frugaliſſimè refutat. De ciborum delicijs ad vanæ gloriæ blanditias tranſit Tentator, nec adhuc captatur indicium; an Filius Dei ſit. Fruſtrato gulæ, & ſuperbiæ ſpiculo; aliud de infernali pharetrâ quærit telum, quo Chriſtum feriat Diabolorum aſtutiſſimus, & humanarum paſſionum, velut per anatomiæ artem, ſcientiſſimus. Ecquod eſt hoc telum, quo Dæmon ſemel & iterùm victus, victorem vincere ſic præſumit? *Iterùm aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Non facilè quiuis adducetur vt credat, adeò Dæmonem deſipuiſſe, vt iteratâ Chriſti Dei victoriâ detriumphatus, ſibi ſeriò perſuaſerit, ab eo, quem filium Dei ſuſpicabatur, adoratum iri, inaniſſimis allectum regni ſpebus. Quid ſi vaferrimus Dæmon tentare voluit Chriſtum, cui *Data erat omnis poteſtas in cælo & in terrâ,* ſuper humanæ iuriſdictionis negotio, ſi fortè Filius Dei præſumptus, gulæ, & vanæ gloriæ victor, huic humanæ paſſioni tantiſper cederet? Quod ſubinſinuat locuples auctor P. Ioannes Maldonatus, ita ſcribens ad illa verba Matthæi 4. *Hæc omnia tibi dabo,* &c. *Lucas ſcribit Diabolum addidiſſe, quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa. Nempe quia à Chriſto, an filius Dei eſſet extorquere non potuit, fingit ſe filium*

Matth. 4. 8.

Damnû Chriſtum deijcere intentat, ſeſe inſtrendo in humanam eius iuriſdictionem.

Matth. 28. v. 18. P. Maldon. Matth. 4. 9. Lucæ 4. 5.

eſſe Dei, qui ſolus verè potuit dicere: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ. Dicitur autem Diabolus princeps huius mundi. Vide Tentatoris peritiam, reſumit mentitum nomen, quo *Princeps huius mundi* appellatur, & vel in Chriſti fauorem terrarum regna, velut propria diſtribuat, ſi fortè gulæ & ſuperbiæ victor, tuendæ iuriſdictionis ambitione tactus, plus æquo, pro ſuâ defendendâ poteſtate litigioſus, vincatur? *Toquemos le en punctos de Iuriſdicion, que ſi en eſto no flaquea, ſe entendera que es mas que hombre.* Sic viuidè inſtigat iuriſdictionis tuendæ zelus? ô nimis ſæpe vera S. Bernardi vox, ita in auribus Eugenij reſonans: *Vides omnem Eccleſiaſticum zelum feruere ſolâ pro dignitate tuendâ? Honori totum datur, ſanctitati nihil aut parum.*

Ioan. 12. v. 31. & c. 14. v. 30. & c. 16. v. 11.

Ber. l. 5. de Conſid. ad Eugenium Papam.

Ioannis 19. Deus homo Chriſtus Ieſus ſiſtitur reus ante Pilatum, Iudææ Præſidem: ab eo de reatu obiectorum criminum interrogatus, mutè tacet. Dicit ergo ei Pilatus: *Mihi non loqueris? neſcis quia Poteſtatem habeo crucifigere te, & Poteſtatem habeo dimittere te?* Chriſtus autem audiens, quòd ſemel & iterum inculcat Pilatus, ſe habere Poteſtatem eum crucifigendi, & Poteſtatem eum dimittendi, quaſi hæc interrogatio vocem illi dediſſet, ſic reſpondit: *Reſpondit Ieſus: Non haberes Poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Id eſt,* (vt acutè Auguſtinus exponit) *quantulamcumque habes,* Poteſtatem, *niſi hoc ipſum quicquid eſt, tibi eſſet datum deſuper, ſed quia ſcio quantum ſit: non enim tantum eſt, vt tibi omnino liberum ſit.* Scilicet Chriſtus, cui *data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra,* tametſi coram Præſide reus, etſi ad reliquas interrogationes mutus; cùm audit Pilatum ſibi plenam iuriſdictionem vſurpare, illam arctius reſtringit, & liberè illi intimat, *quantulam habeat* Poteſtatem, & *deſuper* illi permiſſam, neque ei, *Crucifigere aut dimittere omnino liberum eſſe.* O illuſtrem Chriſti Dei magnanimitatem pro ſuâ tuendâ Poteſtate! Præſidi Pilato Chriſtus Deus amplam ſuam Poteſtatem in cælo & in terrâ inuulgat, & vrbanè anguſtat Romanæ præſidentiæ terminos, *quantula* illa ſit, & *deſuper* acceptam intimans. At non inſiſtit pertinaciter pro illâ vindicandâ, nec obſtinato litigio; in quo miraculorum teſtimonio vti poterat, flectineſcius perſeuerat; quò humanos erudiat iudices, ne totus tribunalium ardor tuendæ Poteſtati perperam erogetur, magnâ publicæ vtilitatis iacturâ. 3.

Ioan. 19. v. 10. & 11. *Chriſtus etiã dum reus eſt, ſua iuriſdictionis amplitudinem aduerſus Pilatum tuetur.*

Aug. Tract. in Ioannem 116.

3. Reg. 17. Deus Eliæ arbitrium ſiccitatis concedit, & *cælos frænandi* Poteſtatem facit: *Seruo permittit res conditas gubernet,* ait Baſilius Seleuciæ. Sed vbi gubernandi ius obtinuit, ita ſeuerè ad regem Achab loquitur. *Viuit Dominus Deus Iſraël, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Acceptæ *Poteſtatis* voce cælum claudit Propheta, ecquis illud valeat aperire? *Eliæ Poteſtatem fecit Deus*; num acceptam *Poteſtatem* ſic tuetur Elias, vt vel Deo ſe præbeat inexorabilem? *Dederat enim Deus Prophetæ ſiccitatis Poteſtatem,* & eam ſic ſolerter tuetur, vt Deus ingenio pietatis modis omnibus conetur, quòd Propheta tantiſper cedat. Primo coruis præcipit Deus, vt Eliam paſcant, vt videns filiorum ſæuos proditores, eſſe illi humanos alimenti 4.

Baſil. Seleu. Orat. 11.

3. Reg. 17. a.

Seleu. ibi. *Eliæ Poteſtas nimis cedendi auara.*

ſuppedi-

ſuppeditatores, aliquantulum flectatur, & pluuiam concedat. Secundò, pauperculæ & gentili viduæ imperat, vt Prophetam alat, vt qui voce totam regionem pluuiâ viduarat, viduæ inopis exemplo clementiam ediſceret. Vt enim vidit Deus Eliam nil adhuc de Poteſtate ſibi datâ remittentem, tertiam admouet machinam, quò tantiſper de Poteſtate remittat. Viduæ illius filio vitam adimit, Prophetam circumſtat benefica mater, & chari pignoris mortem illacrymans, eius vitam exorat. Dubius hærebat tanto in caſu Elias, & hoſpitalitatem mulieris admiratus, filij necis cauſam percunctatur; ſuſcitanſque inuenit pueri mortem vnam diuinarum contra ſe machinarum eſſe. Deo accedit ſupplex, & ſolers repertum exponit. Hei mih. Domine, *etiamne viduam afflixiſti, vt interficeres filium eius?* Video quo me machinamento petas; ſentio quibus à te artibus circumuentus ſim. Humanitate me reſpondere poſtulas, vt cùm pro viduæ filio ſupplicauero: Libera, ô conditor, à morte filium viduæ, occurras & ipſe mihi hâc concluſione:
3\. Libera igitur & tu filium meum Iſraël à ſiccitatis decreto. Vides quibus ingenioſæ charitatis artibus Deus intenderit, quòd Elias, ſeuerus cæli arbiter, & conſtans ſuæ Poteſtatis tutor, de acceptâ iuriſdictione tantiſper cederet.
Seleu. ib. d. *Deterat enim Deus Prophetæ ſtrictam Poteſtatem*, & vel aduerſus Dei pietatem: (ſic fari liceat,) illam, zelo iuſtitiæ defendere; ſic conſtanter præſumit; & *vt Deus Eliam vidit inexorabilem*, tot clementiæ ſuæ machinis conatur, quòd aliquantulum de Poteſtate remittat. O humana Poteſtas nimis cedendi auara!

Hic verſ. 2. Patriarcha etiam Iacob, æger in lectulo iacens, Ioſepho filio Præfecturæ inſignia gerenti, honoris & reuerentiæ cauſa hîc aſſurgit? Ius naturæ contentiones recuſat cum Præfectorum iure?

§. CCXLV.

Præpoſitorum zelus, ne totus ferueat pro tuendâ Dignitate.

1\. S. Bern. l. 5. de Conſid. VALDE intereſt reipublicæ, vt eius Magiſtratus ſint in zelo dignitatis ſobrij. Videmus, & cum Bernardo dolemus, Præpoſitorum zelum magnâ ex parte feruere pro ſolâ dignitate tuendâ: honori totum datur, ſanctitati aut nihil aut parum. Quaſi quod ſublime eſt, id ſalutare & proficuum cenſendum ſit; & quod ſuam redolet gloriam, id iuſtum. Quod verò ſublimitati dignitatis tantillum derogare videtur, id infandum crimen, nullo dignum expiandum ſupplicio: ac ſi Potentia ſobrietati renunciarit; aut totum officij negotium, ſit otium tuendæ dignitatis.

2\. Ionæ 4. mittitur à Deo Propheta ſceleſtiſſimis Niniuitis imminens detonare excidium; ipſe verò diuinæ clementiæ gnarus in Tharſis profugus excurrat: naufragus ceto velut portu excipitur. Impendentem Niniuitis calamitatem altiùs buccinat, & vrbis euerſionem proclamat. Pœnitentia Dei minas auertit; & ſtragis comminatio, facta eſt incolumitatis promiſſio. *Et afflictus eſt Ionas afflictione magnâ, & iratus eſt: & orauit ad Dominum, & dixit: Obſecro Domine, numquid non hoc eſt verbum meum cùm adhuc eſſem in terrâ meâ? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharſis. Scio enim quia tu Deus clementia, & miſericors es, patiens, & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitiâ. Et nunc Domine tolle quæſo animam meam à me, quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* Quare ſic altè mœret Propheta Dei? Cur fugâ ſe diuino obſequio ſubducit? Quam ob rem tantâ angitur mœſtitudine, vt eum vitæ tædeat, & mortem expetat, velut diræ calamitatis confugium? Quid, quæſo, pium aliàs, & religioſum Dei Prophetam ſic exagitat peracerbè? Citò dicam: nimius ſuæ Dignitatis tuendæ zelus. Quod acutè vidit, & eleganter deſcripſit Baſilius Seleuc. ſic inducens loquentem Ionam: *Et nunc ego falſidicus æſtimabor.* Et ante dixerat. *Ego verò euerſionem proclamans, mendax vates inueniar. Ex duobus hiſce malis mœrore conficiar, & mendax videbor.* Profecto quid tam zelabile vero veri Dei Prophetæ, quàm ſuæ prophetiæ veritas, cui Dei auctoritas adnexa eſt, & arctè conglutinata eſt? Bono igitur pioque prætextu ſuam Prophetæ dignitatem pro virili tuendam Ionas colorat: & tamen Propheta ſic negotioſus pro illâ aſſerenda, Deum meruit vitij increpatorem, ita enim ſubdit: *Et dixit Dominus: Putaſne bene iraſceris tu?* Et vt inibi notauit Strabus: *Propheta nihil reſpondit, ſed interrogationem Dei ſilentio comprobauit.* Ecquis, quæſo, qui negotium Ionæ humanis oculis metiretur, ſententiam non ferret pro Iona? Prophetam veri Dei agit, iuſtè ergo ſic ſolerter ſatagit, ne *falſidicus æſtimetur, ne mendax vates inueniatur.* Non quia ipſe mendacij coargutus videbitur, ſed quia Dei dicentis auctoritas apud aliquos non parum deuenuſtabitur. At nimius hic Prophetæ zelus à Deo palam vituperatur; & ipſe Propheta coram annuit vituperationi diuinæ. Et per me licebit coniectari, plus doluiſſe Ionam, quòd ipſe *falſidicus æſtimaretur, & mendax vates inueniretur*, quàm quòd Dei auctoritas detrimenti aliquid pateretur. Viderit Magiſtratus qui totus eſt in Dignitate tuendâ, quod Dignitas inſtituta à Deo non eſt, vt ſe tueatur, ſed vt tueatur iuſtitiam, vt ſit frænum Potentium, inualidorum tutamentum, æquitatis promptuarium. Verùm ferè inexpugnabilis eſt ambitio, quæ in zeli arce, falſatâ pietate obarmatur.

Ionæ 4. 3. *Ionam Dei ſuam Auctoritatem Ionas zelat.*

Seleu. Orat. 12.

Strabus inibi ad v. 8.

Chriſtus homo Deus, virtutum omnium norma & magiſter apparuit in terris. Aliquando mater filiorum Zebedæi, & chari pignoris amore, & ambitione cognationis audax, ſublimiores in regno ſedes impetrare præſumit. Cui Chriſtus conſultiſſimè reſpondit: *Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* O inexpectatam Chriſti vocem! Eſto, Domine, non expediret ambitioſæ annuere petitioni, quid neceſſe fuit tuam ſpecie tenus auctoritatem extenuare? Pulchrè Seleucianus Præſul. *Quid ſibi vult: Non eſt meum? Cur vocem appoſuiſti, ex quâ Ario prabeatur impietatis* 3.

Matth. 20. v. 23. *Chriſtus mauult ſuæ Poteſtati, quàm communi vtilitati derogare?*

Baſil. Seleu. Orat. 24.

pietatis occaſio? cur tuis ille verbis in te inſoleſcit? cur mendacium à veritate mutuatur? qui mundum produxiſti, impar ſis ad remunerandum? Tenemus verba tua Poteſtatis tuæ pignora. Audiuimus te clamantem: Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorant Patrem. (Ioan. 5. 23.) *Honoris æqualitas Poteſtatis æquilibritati reſpondet.* Sed Græco Baſilio Seleuco reſpondet Latinus Baſilius Seleucus, Ambroſius inquam, non impar de ſententiarum acumine, & verborum nitore. Vulgatiſſima eius verba non pudebit reſcribere, ſi non vulgariter expendero. *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus*, &c. *Sanctus*, inquit, *& bonus Dominus, qui mallet aliquid diſſimulare de iure, quàm de charitate deponere.* O bonum, & Optimatibus neceſſarium Chriſti documentum! Summæ *Dignitatis* Chriſti Dei, atteſtatiſſima Euangeliorum habemus ſuffragia, plaudente Eccleſiarum conſenſu; & tamen Chriſtus Deus, aiens: *Non eſt meum dare vobis*, &c. *mauult aliquid diſſimulare de iure*, quàm aliquid de Diſcipulorum charitate deponere. (Ambr. l. de Fide ad Gratianum c. 2.) Mauult apparenter ſuæ *Poteſtatis* detrahere, quàm ſuorum profectui quicquam derogare. Aſſumat licet imperitè Arius ſacrilegij occaſionem, & meæ Poteſtatis iura diminuat; non tamen idcirco hac proficuâ, & in paucis neceſſariâ eruditione Eccleſiam viduabo. Sciant Chriſtiani Magiſtratus, communi vtilitatis iacturâ, indecens eſſe nimis Poteſtati ſuæ militare. Diſcant, diſcant mei exemplo, ne totus eorum ardor ſit pro Dignitate tuendâ, ſed pro republicâ æquè gubernandâ. Sciant diſſimulare de ſuæ poteſtatis iure, ne quid de ſubditorum vtilitate deponant. *Pundonores de ſu dignidad, muchas veçes hacen intolerables los iueçes.* Sobriè imperet, qui ſobrietatem imperat.

---

§. CCXLVI.

Vrbanitas ingenuitatis ſtemma eſt, & illuſtre nobilitatis inſigne.

1. HOMINES plerumque illiberales & ignobiles, inurbanitatis næuo fœdari ſolitant: quippe qui ipſi agreſtes, inciuili ingenio, & politiæ inope, præditi ſunt. Homo verò ingenuus, ingenuitatis agnatæ liberali generoſitate, atque nobilitatis ſuæ ſecurus; ciuilior & vrbanior eſt, & in politicis obſequiis conſpicuus. Adeò vt exprompta comitas habeatur ingenuitatis ſtemma, & illuſtre nobilitatis inſigne.

2. Marci 16. (Marc. 16. v. 19.) Chriſtus Deus, Dei corporatus filius, Patri Deo ſecundum diuinitatem æqualis; peracto Redemptoris munere, deuictis Tartarorum phalangibus, inferno expoliato, nobilis triumphator, glorioſè in cælos aſcendit: *Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.* Magnum planè honoris faſtigium, ad dexteram Dei Patris ſublimari. (*Chriſtus non ſedet ad Patris dexteram, niſi iubente Patre!*) Hinc pulchram excitat quæſtionem Petrus Damianus; an ipſe Chriſtus Deus vltrò ſederit in hoc empyreo cæli ſolio, ad Patris dexteram, an à Patre Deo ſedere iuſſus ſit: & adludens ad agreſtem apoſtatæ Angeli ſuperbiam, ita eleganter ſcribit: *Sedebo, inquit, in monte teſtamenti.* (Iſaiæ 14. 13.) *Omnes ſtant, (& omnes Angeli ſtabant) & tu ſedere præſumis? Ipſe filius, idem quod Pater, ſedere neſcit, donec dicat ei Pater: Sede à dextris meis.* (P. Dam. ſerm. 52. Pſal. 109. 1.) Scilicet ipſe Chriſtus Deus, etiam in magnifico triumpho, ſecurus magnitudinis & diuinitatis ſuæ, ſedere neſcit ad Dei Patris dexteram, (loquitur Petrus Damianus concionatoriè potius quàm rigoroſè) donec Pater Deus illi dicat: *Sede à dextris meis?* Eiuſdem diuinitatis indiuiduè conſors, nutum Patris Dei expectat, vt ſedeat? ô olympiæ curiæ cæleſtem vrbanitatem! Quid opus fuit velut ſtando expectare, vt ei inſinuetur ſedendi facultas, cui debebatur eiuſdem ſolij auguſtus conſeſſus? ô bonam hominibus eruditionem! Diſcat humana ruſticitas vrbanam cæleſtis curiæ politiam: & mortalibus innoteſcat, quòd *ipſe Filius, idem quod Pater, ſedere neſcit, donec dicat ei Pater: Sede à dextris meis.* Quo nobilior & auguſtior eſt perſona, eò magis comis, vrbanaque magis ſuſpicitur: & Dei Filius iuſſionem Dei Patris quodammodò expectat, vt ſedeat. Sic cælorum metropolis de vrbanitate curat?

3. Matthæi 1. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* (Matth. 1. 3. Geneſ. 38. v. 27. & 28.) Nota eſt ex Geneſis 38. hiſtoria partus Thamaris, cùm Phares & Zaram gemellos peperit. Ignotum autem, & explicatu arduum, quare cùm Zara Chriſtum non genuerit, in ſerie progenitorum Chriſti ſingulariter cenſeatur. Non enim ſine magno aliquo ſacramento, Zara, qui Chriſtum Deum non genuit, in catalogo progenitorum Chriſti Dei, ab Euangeliſtâ ſolus recenſetur. (*Zara comitas illum retulit in progenitorum Chriſti catalogum!*) Intermitto plures cauſas, quas in re abſtruſâ interpretes de ſuo meditantur. S. Chryſoſtomus rem hanc inibi attentius conſiderans, Zaram priùs protuliſſe manum, & confeſtim ſe in vterum maternum retraxiſſe, vt fratri Phares primum naſcendi locum vltrò concederet; ſic fatur: *Quid igitur*, inquit, *hoc ænigmate deſignatur? ... Neque enim erat ordinis naturalis, vt is qui emiſiſſet manum, eamdem, poſtquam eſſet vincta, reuocaret. Neque enim à ratione profecti motus hoc fuit, ſed ordinis abhorrentis à rerum naturâ. Nam præmiſſâ quidem huius manu alterum priùs egredi, naturale fortaſſe ſit: retrahere verò illam, & tranſitum alteri cedere, non iam fiebat lege naſcentium.* (Chryſoſt. homil. 3. in Matth.) Recognoſce hæc vltima verba, in quibus præmaturè arcana Zaræ comitas micantiùs elucet: *Retrahere*, inquit, *manum, & tranſitum alteri cedere, non iam fiebat lege naſcentium.* Porro admiranda Zaræ necdum nati vrbanitas, quâ tranſitum Phare ceſſit, & primum conceſſit naſcendi locum, & expeditam primogenij prærogatiuam, otioſâ taciturnitate ab Euangeliſtâ omittenda non erat; quâ vſque eò decoratur Zara præcoquę politiæ honeſtamento, vt inter Chriſti Dei progenitores ſolus recenſeri meruerit, dum tacitè hanc Geneſeos hiſtoriam perſtringit Euangeliſta; vt inſinuat Chryſoſtomus. Tametſi Chriſtum Deum non genuit Zara, quia tamen vrbaniſſimè *tranſitum alteri ceſſit*, ſic præproperæ comitatis merito ſublimatur, vt ipſe ſolus in illuſtriſſimo progenitorum Chriſti catalogo, honoris cauſâ cenſeatur. Honoraria hæc recenſitio tantum reuerberat

dignitatis

dignitatis honorem in Zaram, *tranſitum alteri cedentem*; vt Chriſtus Deus quaſi exambierit, ſuæ proſapiæ illuſtrem catalogum Zaræ recenſitione decorare: dum eius ſingularis & non neceſſaria commemoratio, mentibus ingerit generoſi infantis exquiſitam vrbanitatem, quam tanti æſtimat Chryſoſtomus.

4. Hic verſ. 2.

Hic verſ. 2. Nunciatum eſt Ioſeph quòd ægrotaret pater ſuus: qui, aſſumptis duobus filiis Manaſſe & Ephraim, ire perrexit. Dictumque eſt ſeni: *Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te. Qui confortatus ſedit in lectulo.* Quorſum Iacob ſenectute effœtus, & morti iam proximus, adueniente Ioſepho ſurgit in lectulo? Lipomanus ibi: *Annunciatur itaque Ioſephus veniens patri ſuo Iacob, qui ſupra vires quippiam moliendo, ſeſe in lectulo erigit, ad filij ſui aduentum vt potuit aſſurgendo.* Mirabile planè eſt, quod Iacob Iacobææ gentis ſublimiſſimus Patriarcha, ætate grandæuus, dignitate pater, auctoritate familiæ princeps; ſenio & ægritudine pergrauis; vt vt potuit, venienti Ioſepho honoris causa adſurgat, neque tunc, cùm reliqui ægritudine excuſantur, vrbanitatis obſequia languidus intermittat, aut negligat. *El gran Patriarcha en el trançe mas apretado de ſu enfermedad, eſtubo muy aduertido à las corteſias, aun no debidas.* Tunc, tunc vel maximè ſublimiſſimus Patriarcha, tametſi graui morbo correptus, attentus curat de ciuilitate, & illi, vt potuit comiter aſſurgit, & vrbaniùs tractat. Diſcant ægroti quantalibet nobilitate ſublimes, erga eos, qui illos inuiſunt, moroſos & inurbanos non eſſe, præſumpto morbi priuilegio. Præſtat eoſdem vrbanè non admiſiſſe, quàm aliquid inurbanum in eos admittere, ægritudinis licentiâ. Sæpè ægritudo inurbanitatis prætextus eſt, & agnati faſtus non benè tecta excuſatio. O diſſimulatas ſuperbiæ latebras!

Lipomanus in Catena ibi.
Iacob etiam morti proximus, de ciuitate curas.
Comitas in ægritudine negligenda non eſt.

---

§. CCXLVII.

Dei templum nemini obſequium præſtat; cui humilia obſequia præſtare, humanitas tota vectigalis naſcitur.

1. CVm Templum in vrbe erigitur, pariter felicitas vrbis perpetua naſcitur: flagitiorum aſylum, imbecillitatis præſidium, arx miſericordiæ, gratiæ officioſitas, beneficiorum promptuarium, hoſtilitatis trophæum, cæli colonia, & empyrei Numinis terrenum palatium dedicatur. Quid non ſibi boni ſpondeat populus, qui non inquilinum Deum, ſed incolam, vicinum, & conciuem habeat? *Sicut aues volantes, ſic proteget Dominus exercituum Ieruſalem, protegens, & liberans, tranſiens & ſaluans..... dixit Dominus: cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem.* Hiſpanè diceres: *Tiene Dios caſa y hogar en Ieruſalem.* Quaſi dicat Iſaias; Omnia quæ arcentur hoſtilitatis mala; & omnia quæ indubiè ſperantur, & vbertim affluunt pietatis bona in Ieruſalem, inde ſuppetunt, quòd Deus Domicilium habens in Sion, aliquis ſit ex ciuibus Ieruſalem. Hinc penſandum, quantâ cum deuotione, fiduciâ, & reuerentiâ veri Dei ſacroſancta templa ſint ab omnibus frequentanda; quámque ingenuâ gaudeat immunitate Dei Palatium, Olympio priuilegio.

Deus in Templo non eſt inquilinus, ſed incola.
Iſaiæ 31.9.

Poſt viginti peregrinationis annos, tandem è Meſopotamiâ Iacob cum ſuis in Palæſtinam redit: agreſtis Eſaü diu fratri offenſus, armatus illi in viâ occurrit; pauidè cum timet inermis Iacob, reuerenterque adorat cum vxoribus & liberis: ſed necdum natus erat Beniamin, & exinde eum non adorauit. Item Iacobi filij, annonæ reportandæ cauſa in Ægyptum pergunt: *Et Ioſeph erat princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cùmque adoraſſent eum fratres ſui, & agnouiſſet eos, quaſi ad alienos durius loquebatur*, &c. Et tamen tunc idem Beniamin domi cum patre remanſerat in terra Chanaan; ac proinde ipſe ſolus, ſicut neque Eſaü, ita nec Ioſephum adorauit. Eccur vnus Beniamin fratrum omnium poſtremiſſimus, ſemel & iterùm ab adorationis obſequio tam ſolerter eximitur? Græcus (antiquus & locuples auctor) apud Lipomanum in Catena, perbellam hanc quæſtiunculam ciet, & ſic ad rem præſentem acutè ſoluit. *Cùmque adoraſſent eum fratres ſui*, inquit: *Notandum verò, quòd Beniamin, neque Eſaü, neque Ioſephum, quemadmodum reliqui fratres adorauit; ideò quòd in partem tribus Beniamin ceſſit templum.* Nempe natus non erat Beniamin quando Iacob cum filiis omnibus adorauit fratrem Eſaü: & conſultò abeſt Beniaminus quando reliqui fratres Ioſephum adorant, quia in Beniamini tribu & ſorte, Dei Templum fuerat extruendum. Quaſi dedeceret areæ Templi futurum poſſeſſorem, alium quempiam adorare. Templum Dei ab omnibus adorandum, nec in typo quempiam adoret. Sic ædes Deo ſacra maturat ab omnibus coli, & vel typicè nemini cedere? O cautelam præproperè religioſam! Empyrei Numinis terrena domus, immunis ſit ab humano obſequio, cui omne obſequium humanum naſcitur tributarium. Exempta ſit ab humano cenſu diuina Domus, in quâ Deus ipſe humanis precibus quaſi vectigalis apparet. 2.

Geneſ. 33.
Beniamin nemini adorat, quia in eius ſorte Templũ erigitur.
Geneſ. 42.6.
Græcus in Catena ad Geneſ. 42.

3. Reg. 8. dum Salomon magnificè à ſe extructum Templum dedicauit, ſic fatur: *Ergòne putandum eſt, quòd Deus verè habitet ſuper terram? ſi enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificaui?* Adſpectu ad hunc locum, quo Dei immenſitas Salomoniani Templi parietibus velut concluditur, addubitat Auguſtinus, quare cùm Deus vbique ſit, in ſolemni Eccleſiæ oratione à Chriſto inſtituta, iubemur dicere; *Pater noſter, qui es in cælis*, &c. Exſcribam verba Auguſtini plena acuminis, plena ingenij, ad hanc theſim comprobandam luculenter idonea. *Illud*, inquit, *eſt multo mirabilius, quòd cùm Deus vbique ſit totus, non tamen in omnibus habitat.... Vnde fatendum eſt, vbique eſſe Deum per diuinitatis præſentiam. Propter hanc enim habitationem, vbi proculdubio gratia dilectionis Dei agnoſcitur, non dicimus: Pater noſter, qui es vbique, cùm & hoc verum ſit; ſed, Pater noſter, qui es in cælis, vt Templum* 3.

3. Reg. 8.27.
Deus in cælo velut in Templo orandus.
Matth. 6.9.
Aug. tom. 2. epiſt. 57. ad Dardan.

eius

eius potiùs in oratione commemoremus. Nimirum, tametſi Deus per immenſitatis attributum nobis præſentiſſimus ſit; (in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus) tamen quem neque cælum, nec cæli cælorum, neque totus mundus capere eualet, non oramus ad ipſum per immenſitatem vbique exiſtentem, etſi propior nobis ſit; ſed ad ipſum in cælis habitantem, aiendo: *Pater noſter, qui es in cælis, vt Templum eius potiùs in oratione commemoremus.* An quia vis noſtræ orationis, & energia humanæ impetrationis, non tam ſæpè à beneficâ Dei clementiâ, quàm à Templi ſanctitate eſſe videtur? Dicendum non eſt: *Pater noſter, qui es vbique* per miſericordem immenſitatem; ſed, *Qui es in cælis*, velut in Olympio Templo, vel, Qui es in Templo, velut in humanâ domo, & quaſi hominum concius in ciuitatis viciniâ, *Vt Templum eius potiùs in oratione commemoremus?* In cælo, velut in Templo potiùs orandus eſt Deus, quò liberaliùs beneficam humanitatem ſuam exhibeat, & auguſtiùs ſuam munificentiam oſtentet, & citiùs humanas preces exaudiat? Quia in cælo, velut in Templo eſt Deus, ideò è terris dicendum ab hominibus eſt: *Pater noſter, qui es in cælis,* (non, Qui es vbique præſentiſſimus) *vt Templum eius potiùs in oratione commemoremus!* Sic Templum religione plenum, plenum numine eſt!

4. Geneſeos 28. (quò hîc alluditur) è paternâ domo exul Iacobus egreditur in Meſopotamiam: dum longum iter ageret, poſt Solis occaſum ſubſtitit in Bethel; vbi poſtea Templum ædificatum fuiſſe, cenſent Lyranus & Caietanus, magno Hebræorum conſenſu. Inibi ſub dio dormiens: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ, dicentem ſibi: Ego ſum Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac.* Et poſtquam ex Dei ore magnificas audiuit promiſſiones: *Cum euigilaſſet Iacob de ſomno, ait: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pauenſque: Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hic aliud niſi Domus Dei, & porta cæli.* Tertullianus, cui vulgò ſubſcribunt interpretes, putat per hanc ſcalam intelligi viam, quâ è terris itur in cælum. Per eam Angeli, id eſt, homines iuſti per contemplationem aſcendunt in cælum, & per actionem deſcendunt ad terram, vt ait Gregorius. Vidit ergo Iacob *Dominum innixum ſcalæ*; vel in ſublimiſſimo eius gradu, *Vt laſſis manum porrigeret, vt aſcendentes ſuo ad laborem prouocaret aſpectu*, vt docuit Hieronymus: vel (quod valde veroſimile noſtro Alcazari viſum eſt) *In imâ ſcala parte innixum, quaſi ſcalam teneret atque firmaret, quò Angeli & aſcendere & deſcendere poſſent ſecuriùs.* Quod, vt euigilans aduertit Iacob, empyreâ loci maieſtate attonitus, confeſtim exclamat: *Quàm terribilis eſt locus iſte!* id eſt, quàm religioſus, ſublimis, auguſtus, quantâ reuerentiâ, tremore, & humilitate colendus: quia, *Non eſt hic aliud niſi domus Dei,* (hoc eſt, Dei Templum, poſtea ibi ædificandum, & iam Dei præſentiâ ſacroſanctum) Addit: *Et porta cæli.* Scilicet feneſtra illa in cælis velut pertuſa, quâ è Templo in cælum aſcendunt & deſcendunt viri iuſti, appellatur *Porta cæli*: an quia è Templi loco per ſcalam in cælum aſcenditur? an quia è cælo in Templum, id eſt nouum Dei cælum, deſcenditur? Profectò in eo loco, quem *Domus Dei* appellat Iacob, ſtat Deus, illud ſuo numine complens, dum ſcalam tenens & firmans, propiùs loquitur cum ſuo Iacobo; nec nouum & inſolens eſt Eccleſiam ſeu Templum appellari cælum: *Eccleſia,* (ait Chryſoſtomus) *eſt locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipſum Cælum: quod ſi non credis aſpice ad hanc menſam, id eſt, altare,* vt interpretatur Cornelius. Ergo cùm Dei Templum nominetur cælum, diuino numine plenum, quid vetat *Cæli portam* verſus *Domum Dei* pertuſam, non tam myſticè *Portam cæli* appellare, quia in cælo aperta eſt, & per eam in ſublime cælum aſcenditur, quàm quia per eam in nouum, & terrenum Templi cælum deſcenditur? ô grande Templi elogium, quo Deus in imo Templi viſibiliter apparens, adhæreſcit ſcalæ, & eam firmat, vt in cælum poſſit ſecuriùs aſcendi: vel in ſummo ſcalæ ſublimis cernitur, vt manum porrigat aſcendentibus, & ſuo aſpectu laſſos ad aſcenſum prouocet. Ecce tibi quàm auguſtus & empyreus honor Templis debeatur.

Hîc verſ. 3.

Geneſ. 28. v. 12. & 13. & 17.

Tertull. l. 3. cõtra Marc. in fine.

Hiero. in epiſt. ad Iulian. Alcazar in Apocal. 4. Not. 1. ſect. 1. & 2.

Adglomerata Templi laudes in Iacobæa ſcala demorantur.

Chryſ. homil. 36. in 1. ad Corinth. Cornel. in Geneſ. 28. ad v. 17.

---

§. CCXLVIII.

Adeò delicatus eſt Sacrorum ritus, vt vel oculis parum fauentibus profanetur?

ERRAT, ſi quis putat Deum nocere velle, imò noceri poſſe. Nec facere iniuriam queit, nec accipere. *Lædere enim, lædique coniunctum eſt. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quem periculo exemit, nec periculoſum quidem fecit.* Primus eſt Dei cultus, Deum credere. Deinde reddere illi maieſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine quâ nulla maieſtas eſt. Et licet optimus animus, pulcherrimus Dei cultus ſit; tamen illum exteriori aliqua religione venerari, iure naturæ, & Gentium iure ſanctum eſt. Quantâ autem animi & corporis reuerentiâ Deo litandum ſit, vtraque eruditio altè buccinat. Non quia Deo vel leuiter noceat, qui eius etiam aras impiè euertit. Sed malum propoſitum apparet, malumque conſilium, etiam vbi nocere non potuit. Porrò res valdè tenera eſt ſummi Dei cultus, & qui vel leuibus maximè infeſtatur. 1.

Senec. epiſt. 96.

Deus nec lædere, nec lædi poteſt.

Exodi 5. Ingreſſi ſunt Moyſes & Aaron, & dixerunt Pharaoni: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto.* Eccur non poſſent in Ægypto Deo ſuo Iſraël offerre ſacrificia, mactare victimas, & debitum illi cultum exhibere? Alligaturne vni loco immenſa Dei immenſitas? An non expromptius apparare in Ægypto poſſent Hebræi, quæ ad ſacrorum ritum magnificentiùs pertinerent? Quid vaſtum & horridum expetunt deſertum, omiſſâ regione accommodatiſſima? Iam non miror petitionis inconſultæ repulſam 2.

Exod. 5. v. 1.

Oculi parum fauentes infeſtant ſacrificium.

repulſam à Pharaone indecorè tuliſſe, dum rem friuolam poſtulant, & quæ fugæ ſpeciem præferebat. Conſultiorem aliam rationem obtendant, vt copiam diſcedendi à Pharaone

Philo apud Catenam.

extorqueant. Audiendus eſt hâc ſuper re Philo Hebræus, qui ſic eleganter ſcribit: *Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto. Aiebant enim ſolitudine opus eſſe ad peragendos ritus patrios, diuerſos ab aliorum ceremonijs: & ideò ſeceſſum requirentes, ne vel offendant ipſi alios, vel profanentur exterorum oculis parum fauentium ſpectaculo.* Vide mihi quam ſit tenera veræ religionis valetudo, quàm ſit delicatus ſacrorum ritus, qui *oculis parum fauentibus profanatur.* Non tantùm publicâ detractione, & clanculario contemptu; ſed & aſpectu ipſo parum fauente, & diſſimulato oculorum renutu, religionis cultus ſubruitur, violatur, inceſtatur? Vel oculi parum fauentes faſcinant ſpectatores, & ſerpente malitiâ, velut quadam religionis peſte, ritum profanant, violant, conſtuprant. Oculorum aut mentis abnutus, profanatæ religionis reus eſt. O grande piaculum magno luendum! Conſultiſſimè ergo Iſraelitæ, *ideo ſeceſſum quærunt ad peragendos ritus patrios, ne profanentur exterorum oculis parum fauentium ſpectaculo.* Quid exaggeratius? *Vn deſden ligero de la viſta, profana encarecidamente el culto ſagrado.*

3. Matthæi 27. Chriſtus Deus, Dei agnus, immaculata Deo hoſtia, in crucis arâ ritè immolatur. Sed à prætereuntibus blaſphematur, à Scribis irridetur, à latronibus ſubſannatur. Id ipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. Tunc ait Euangeliſta: *A ſextâ autem horâ tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Quorſum hæ tenebræ? Eccur nunc Sol ſuos contrahit radios? An non præſtaret ſplendidiori fulgorum ambitione auguſtiorem victimam mũdi redemptricem, præclariùs propalare? Quid hoſtia tunc abſconditur? Pulchrè S. Gregorius: *Omnia quippe*, ait, *elementa auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt. Vt enim de eis quiddam vſu humano loquar; Deum hunc cæli eſſe cognouerunt, quia ſtellam protinus miſerunt. Mare cognouit, quia ſub plantis eius calcabile ſe præbuit. Terra cognouit, quia eo moriente contremuit.* (Attende diligentius ad verba, quæ ſubdit) *Sol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit.* O ſententiam ænigmati ſimilem! Cæli Deum eſſe teſtantur, quia in eius natiuitate nitidam ſtellam mittunt, quæ ſidereo fulgore infantem Deum publicet; & Sol Deum agnoſcit, & teſtatur, dum *lucis ſuæ radios abſcondit*, & tenebrarum inſolentiâ homines obcæcans, ſpectaculum abſcondit? O ſordidum Solis teſtimonium, & de obſcuritate ſuſpectum! ô non bonum obſequium, de fulgorum obſcuritate ſordidum! Imò obſequium opportuniſſimum, quo de obſcuritate adulatur ſacrificio, quod in cruce peragitur. Porrò Moyſes ideò ſeceſſum deſerti quærit ad Deo ſacrificandum, ne ſacrificium *profanetur exterorum oculis parum fauentium ſpectaculo.* Exinde dum placatior hoſtia Deo immolatur in cruce, cùm Iudæorum verbis & nutibus deuenuſtari aduertit Sol, opportuno tunc obſequio homines obcæcat, ne parum ſacrificio fauere videantur. Vnde Sol tenebrarum lenocinio blanditur victimæ, quam Deum eſſe, Deoque immolari teſtatur: *Sol agnouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit*: ne coram appareat, quòd oculi & renutus Iudæorum minùs immolationi fauentes, profanent ſacrificium. Itaque conſultiſſimè tunc *Sol, lucis ſuæ radios abſcondit*, vt inopinatâ cæcitate, victimæ profanationem abſcondat, & de obſcuritate ſacrificio aduletur; & peregrinis tenebris parum fauentes occultans homines, profanationis omen auertat, & magnum crucis ſacrificium, non ambitione fulgorum, ſed tenebrarum velut ſqualore ſumptuoſius honoret.

Matth. 27. v. 45.
Sol Crucis ſacrificium honorat, dum radios abſcondit.
Greg. homil. 10. in Euang.

Vnde poſt *Solis occubitum* in Bethel prope Luzam, ſcala hæc myſtica, plena numinis, religionis plena, Iacobo apparet, ab eoque in ſacrorum templum præproperè conſecratur.

Hîc v. 3. Geneſ. 28. n. 11.

---

§. CCXLIX.

Expulſus è paradiſo, contra paradiſum impudenter armatur.

EVSEBIVS Emiſſenus in quadam exhortatione ad Monachos, hæc ſcribit ad quoſdam, qui vt quondam ſeculo, ſic nunc religioni renunciare ſtudebant: *Clamat autem in contumeliam diſciplinæ, in peccato animæ ſuæ: Malo diſcedere quàm emendare, quàm ſatisfacere, quàm implere quod præcipis*, (nempe monaſterij ſtatuta.) *Quid eſt hoc aliud quàm iugum Chriſti à ſe rebelli ceruice diſcutere? Iſti tales neſciunt quid nouerunt, obliti ſunt propter quid huc venerunt. Iſti tales non bene petunt, ſed male vitiis appetuntur. Non fide pulſant, ſed infidelitate pulſantur. Quid prodeſt quòd diſcedis, qui vndique adſtrictus es vinculis paſſionum, quem hinc atque inde circumuallant vitia tua? Quid inquam prodeſt quòd diſcedis, qui quocumque locorum vadis, te tecum portas? Meritò diſcederes, ſi quoquam te fugere poſſes. Dignè aliquis diſceſſit, ſi illò ire poſſit, vbi illum Diabolus non inuenire poſſit.* In religionis clauſtris te diabolus inuenit, & in ſeculi frequentiâ, & licentiâ, te à Diabolo non inueniendum præſumis? Tecum affers, quem fugere dicis, *in contumeliam diſciplinæ.* Eſto, tuam imbecillitatem & inconſtantiam fateri recuſes; quid vt tibi conſulas, vt virtuti ſtudere poſſis, exiiſſe te iactas *in contumeliam diſciplinæ*, quæ obeſſe virtuti garrulè ſubmurmuras?

1.
Emiſſen. homil. 5. ad Monach.
Nil prodeſt quòd è Religione diſcedis, ſi te tecū adfers.

Hîc verſ. 3. ingreſſo ad ſe Ioſepho ſic Iacobus ait: *Deus omnipotens apparuit mihi in Luzâ, quæ eſt in terrâ Chanaan, benedixitque mihi, & ait: Ego dabo tibi terram hanc, & ſemini tuo poſt te in poſſeſſionem ſempiternam.* Terra Chanaan, eſt Terra promiſſionis, quam Deus Iacobæis promiſit, de quâ ſic fatur Lipomanus: *Terra Chanaan Patriarchis fuit peregrinatio, Prophetis patria, impiis pernicies, fidelibus omnibus figura futuræ beatitudinis.* Nempe ille ipſe locus & habitatio, in quâ

2.
Hîc v. 3. & 4.
Habitaculū Sanctorum ferax, quibuſdam perniciei eſſe dicitur.
Lipoman. in Catenâ, ad c. 6. Exod. v. 4.

natali deſerto ſolo, peregrinati ſunt ſanctiſſimi Patriarchæ; quæ tot Prophetas tulit, amico Dei ſpiritu afflatos; & quæ paradiſeam Beatitudinis gloriam præclare adumbrat; illa, illa ipſa, *pernicies* quibuſdam dicitur. O non bene modulatas quorundam voces! Religionis clauſtra, tot Patriarcharum officinam, tot Prophetarum patriam, & Olympiæ gloriæ typum, ideò deſerere molior, vt bene viuere liceat, & expromptiùs euaporare conſcientiam: merito ſuo deſerendum eſt, quod *pernicies* mihi eſt. Profectò *impiis eſt pernicies, quæ fuit Patriarchis peregrinatio, Prophetis patria, fidelibus omnibus figura futuræ beatitudinis.* Cui Terra promiſſionis *pernicies* eſt, opinor, mundi profanitatem, inferno confinem, & de gehennali incendio vſtulatam, eſſe eius natale ſolum. Id'aut imbecillitati tuæ imputa, aut noli *in diſciplina contumeliam* ſic garrire.

3. Geneſ. 3. v.23.& 24. Geneſeos 3. flagitioſè in paradiſo præuaricatur Adamus, & in ſceleris ſui pœnam, *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt. Eiecitque Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim*, &c. S. Hieronymus ſecutus LXX. interpretes, ita hunc locum exſcribit & exponit:

Hieronym. in qq. Hebraic. *Et eiecit Adam, & habitare fecit contra paradiſum voluptatis.* Meritò præuaricator Adam è paradiſo expellitur: neque enim paradiſus præuaricatores ſuſtinet, (expellere indignos, paradiſi prærogatiua eſt.) At ille condignè è paradiſo pulſus, confeſtim habitaculum fixit *contra paradiſum.* O, quid peccauit paradiſus, vt à ſe expulſum, contra ſe aduerſarium haberet? Adamus deliquit, & præuaricationis ſuæ merito expulſus eſt; non deliquit paradiſus, qui Adæ potiùs flagitiis violatus eſt: & quos non ſuſtinet præuaricatores, ſtatim eiicit. Contra paradiſum armatur, aduerſus innoxium paradiſum ſæuit, qui ſuo merito expulſus è paradiſo eſt? Fateor, paradiſus impatiens præuaricatorum eſt: & quidem à principio hæc paradiſi impatientia laudatur: nec paradiſus foret, ſi præuaricatorum patiens eſſet. Eſt etiam aliqua bona impatientia, & paradiſo digna: Impatientia malorum exaggerat laudem bonorum. Sed hanc bonam malorum impatientiam ægrè ferens præuaricatur Adam, è paradiſo *eiectus*, ſtatim *habitat contra paradiſum.* Profectò tali hoſte paradiſus gaudet, & eiuſmodi hoſtilitatis dedicatore ſuperbit. Quo habitatore violatur, expulſo & aduerſario gloriatur. Nec timet hoſtem', quem reiecit colonum. Securus vernat paradiſus, præſidiario è cælis milite contra expulſos valenter armatus: *Et collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium.* Opportunè S. Auguſtinus inibi: *Eiecitque Adam, & collocauit*, &c. *Et hoc ſignificandi gratia factum eſt, vt contra paradiſum, quo beata vita etiam ſpiritualiter ſignificatur, habitet peccator, vtique in miſeriâ*, quæ fuit eiectionis ſequela, exilij appendix, & indiuidua totius vitæ comes.

E paradiſo eiectus, contra paradiſū armatur.

Auguſt. ibi.

4. Profectò ſi intra religionis clauſtra, ſolo quis corpore tenetur, & toto extra illa corde verſatur & voto; exterior homo ab ſpiritu ſuo diuiſus ac ſeparatus in religione habitat: & quod eſt in homine pretioſius, hoc à diuinis obſequiis peregrinatur, dum corpus in præſenti terrâ tenetur, anima verò per paſſiua ludibria in multiplices diſcurſus captiua diſtrahitur, & in religione ſecularia ſuſpirat. Deum in religione non inuenit, qui in corpore intus apparet, & animo foris errat. Dei vox eſt: *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* At qui ab homine potiorem hominis partem abſentat, hanc Dei auertit promiſſionem. *Nam qui dixit* (verba ſunt Euſebij Emiſſeni) *vbi ſunt duo aut tres congregati, quo modo probatur congregatus, ſi à ſemetipſo cogitationum euagatione diſperſus eſt? Aut quomodo erit Deus in medio tui, ſi tecum ipſe non fueris?* Si meliore ſui parte deeſt ille qui poſcit, quo modo aderit ille qui poſcitur? Si extra te es, & corpore intra clauſtra degente, animi deſiderio in ſeculo peregrinaris, religionis inquilinus; *quomodo erit Deus in medio tui?* Ad te redi (vt filius prodigus, qui *in ſe reuerſus* dicitur) & Deum inuenies. Tibi imputa, quod Deum non inuenis in religione, ne audacter culpes religionis diſciplinam, quæ non patitur in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, reſpuit indeuotum. *Lentum enim & parum gratum quærere gratiam diuini muneris, maxima eſt iniuria remuneratoris.* Multa breui compendiauit Euſebius.

Si in te ipſo ipſe non es, Deus in te non erit.

Matth. 18 v.20.

Emiſſen. in ſum ad hæc verba.

Lucæ 15.17.

Euſeb. hom. 5. ad Monac.

§. CCL.

Dignitas ingenio negotiationis parta, etſi perilluſtris ſit, vix ad honorem computatur.

SVNT qui idem habeant, eadem aut paria poſſideant, ſed non eodem acquirendi merito; atque adeò diſpari habendi felicitate. Putas te magnum honorem acquiſiſſe, & modum acquirendi celare iuuat, referre pudet? Non it ad honores, ſed errat, quiſquis per pudenda media ad dignitatem aſcendit. Qui munerum arbitrio, negotiationis artificio, aut ſubdolæ fraudis ingenio, prælationem obtinuit, deprimit honoris faſtigium, & dignitatis gloriam dehoneſtat. 1.

Hîc verſ. 3. Iacobum morti proximum, Ioſephus cum duobus filiis inuiſit. Pius pater, & beneuolentiæ, & obſequiorum vinculis Ioſepho adſtrictus, quo ſumptuoſius Manaſſæ & Ephraimo benedicat, vt vt potuit, ſedit in lecto, & ingreſſo ad ſe Ioſepho cum filiis, ait; *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ eſt in Terrâ Chanaan: Benedixitque mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum.... Duo ergo filij tui, qui nati ſunt tibi in terrâ Ægypti, antequam hùc venirem ad te, mei erunt; Ephraim & Manaſſes quaſi Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* Et poſtmodum vtrique nepoti decuſſatis brachiis vberrimè benedixit. Quare Iacob patriarchali auctoritate filius benedicturus, hoc præmittit proœmiolum: *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, benedixitque mihi?* Et 2.

Hic v.3. 4.& 5.

Quare ſubiicit Iacobus, ſe à parente Iſaaco benedictum?

Et cur ſe à Deo benedictum, non tamen ab Iſaaco parente, à quo proximiùs benedictionis, & felicitatis cenſus hauriebatur, patriarchali ritu: quod Rupertus Tuitienſis his verbis ſub- (ct. ibi.) tiliter adnotauit: *Non dixit Iacob: Pater meus Iſaac benedixit, quamuis & hoc factum ſit; ſed, Deus omnipotens benedixit mihi.* Nonne aptiùs dixiſſet: Sicut pater meus Iſaac mihi filio ſuo in Dei nomine benedixit; ita nunc ego filiis meis Dei etiam nomine benedico? Cur tam altum ſilentium de ſummâ ſuæ ab Iſaaco benedictionis auctoritate? Putauerim, quia tametſi præluſtris erat dignitas ab Iſaaco parente, præ Eſaü fratre, benedici, tamen dolo & fraude vulgò benedictio obtenta putabatur. Saltem Eſaü, & inde Eſaüitæ *fraudulenter* iactabant vſurpatam; etſi arcanâ id contigit fraude, & typico dolo. *No toma Iacob en la boca, la dignidad y prerogatiua que alcanço con maña y artificio, y (ſegun ſe decia) con fraude.* Maluit occultare ſilentio, quam commemoratione præcelſæ illius auctoritatis, illam recenſendo deuenuſtare. Ingloriùm putauit Iacob meminiſſe ſublimiſſimæ dignitatis, cuius acquirendæ modum meminiſſe pudet. Diſſimulat ſingularem prærogatiuam, quò ipſius obtinendę fraudem tectius diſſimulet. Vnde conſultiſſimè, *non dixit Iacob, Pater meus Iſaac benedixit; ſed, Deus omnipotens benedixit mihi.*

3. Marci 10. v. 35. Matth. 20. v. 21. *Non reputatur habere dignitatem, qui illam nō bene quærit, & acquirit.*

Matthæi 20. acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi, (vel ſicut narrat Marcus, ipſi filij, nempe Iacobus & Ioannes) cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. *Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Aſperius reſpondiſſe, & petitionem abnuitu refutaſſe Chriſtus videtur; dum inſcitiæ eos inſimulat, ad paſſionis calicem perbibendum excitat, & eiuſmodi donationem ad ſe pertinere diſſimulat, aiens: Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Multi interpretum cenſent, mundialis regni ſedes petiuiſſe, & Chriſtum eas conſtanter pernegaſſe. Verùm audiendus eſt Auctor operis imperf. antiquus & locuples Matthæi commentator: *Non dicimus,* inquit, *quòd rectè peteret hæc mulier: ſed hoc dicimus, quia non terrena, ſed cæleſtia filijs ſuis optabat.* (Imperfect. homil. 35. in Matth.) Vnde exiſtimat voti pro filiis compotem euaſiſſe, ita poſtmodum ſcribens: *Qui autem ſe ipſum donauit hominibus, quo modo ergo regni ſui ſocietatem non donabit? Petentis negligentia reprehenditur, vbi de dantis miſericordia dubitatur.* Ecce Apoſtoli honorarias, quas ambibant, ſedes, impetrarunt. Aſt quare ſpecie repulſæ eas nanciſcuntur & poſſident? Quam ob rem tantæ dignitatis faſtigium non computatur; & Apoſtoli quaſi abiicerentur ingloriè, præclaras ſedes tunc obtinuiſſe non dicuntur? Vide mihi illius ſublimiſſimæ dignitatis obtinendæ pudendum modum. Merita non allegat, reliquos Apoſtolos ambitu coram proritant, vicaria interceſſione electionem ſollicitant, cognatæ feminæ preces adhibent. Ergo non computatur tunc dignitas, quam ingloriùs obtinendi modus deuenuſtat. Dicantur repulſam pati, etius quam ſic obtinuerunt, dignitatis. Profectò humilis habetur ſublimitas, ad quam abiecto & inuidioſo modo aſcenditur. Dignitatis adipiſcendæ modus, menſura dignitatis eſt. Nemo propudiis honoratur.

---

§. CCLI.

Patientia, paradiſeæ felicitatis conſummatio eſt, & hominum menſura.

RES inquieta felicitas eſt, ipſa ſe exagitat, & mouet cerebrum, non vno modo grauis. Alios in alio irritat: hos infatuat, illos inflat, alios mollit, omnes effeminat. Securius felices erimus, ſi ſciremus quàm non ſit graue infelices eſſe. Incipe cum infelicitate habere commercium, & felices Patientiæ fructus copioſè percipies: qui ſecuriùs felicitant, & vberiùs beant. 1.

Adamum recens creatum, naturæ gazis, & gratiæ ornamentis felicem, ad paradiſum Deus tranſtulit, ne quid eius felicitati deeſſet. *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Pulchrè addubitat Rupertus de huius præcepti vtilitate. *Dicat aliquis* (inquit) *cur non abſque vllâ conditione, abſque vllo præcepto poſuit Deus hominem in paradiſo? Nonne melius fuiſſet, nullum dediſſe præceptum, quàm poſitione præcepti facere præuaricationis locum? Si enim præceptum non eſſet, nec præuaricatio.* Quid ergo neceſſe fuit, Adamum paradiſi fruentem deliciis, & amœnioris innocentiæ florentem ſanctitate, diuinâ tunc obſtringi præceptione? Quare expetitur obſequium cum tantæ ruinæ periculo, ab eo qui paradiſeâ vernabat innocentiâ? An non parendi ſubiectio, & præuaricationis diſcrimen, felicem innocentiæ ſtatum fortè inamœnaret? Eleganter S. Baſilius: *Sciendum autem mandatum, quod obedientiam hominis probaret, datum fuiſſe, vt manus ab eſu ſuauiſſimi fructus abſtinendo, Patientia coronam ſibi iuſtè compararet.* Infelixne quodammodo foret Adam in paradiſiacis naturæ & gratiæ deliciis, tot virtutibus innocentiæ ſtatui congruis, ornatus, ſi Patientiâ aliquâ caruiſſet? In ſtatu quidem innocentiæ nulla Patientiæ ſuppetebat occaſio: imponatur ergo illi aliquod præceptum, cuius ſubiectione exerceat Patientiam, quæ proſperum innocentiæ ſtatum vberius feliciter, ſanctitatem conſummet, & reliquas virtutes beet, *Patientia coronâ*, ne fortè Patientiæ defectu, naturæ & gratiæ felicior ſtatus patiatur defectum. Quaſi Patientia ſit paradiſi voluptatis gratia, ſanctitatis conſummatio, corona virtutis, & menſura felicitatis.

(2. Geneſ. 2. 16. — Rupert. ibi. — *Paradiſi deliciæ, & virtutes Patientiâ coronantur.* — Baſil. in Hexaëm. ibi.)

Iſaiæ 9. *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Quæ illuſtriſſima de Chriſto verba, ita exſcribit Ambroſius. *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius principium ſuper humeros eius. Aquila enim interpretatus eſt: Et facta eſt menſura in humeris eius.* Solerter aduerte, puerum Ieſum dici à Hieronymo habere *principatum* 3.

(Iſaiæ 9. 6. Ambroſ. in 3. in Lucam. — *Eſt Patientia Chriſti Dei principium.*)

ſuper humeros ſuos; ab Ambroſio habere *principium* ſuper humeros ſuos; ab Aquila habere *menſuram* in humeris ſuis. Vis noſſe Chriſti Dei *principium*? Præſtat de Prophetæ diſciplinâ perſpicacius ignorare, quàm præſumere in hâc mortali vitâ penitius agnoſcere: *Iſaiæ 53.8.* *Generationem eius quis enarrabit?* Nimirum æternus Pater ſine matre, ante temporis principium, æternum arcanè *principium eſt* Chriſti, quia ipſe Deus eſt: quà verò homo Deus, regali orta ſtirpe inclyta Virgo abſque patre Deipara. Suſpice generoſos Chriſti natales, à quibus Ieſuanæ nobilitatis cenſus eſt. Quid ergo eſt, quod addit Ambroſius, Chriſti *principium* incumbere ſuper humeros eius? Tolerantia per humeros idonee expreſſa, erit etiam Chriſti *principium*? Suam Chriſtus Patientiam inter ſuos natales numerat? Saltem Chriſti Dei *menſura* dicitur ſuper humerum eius, id eſt, ſuper tolerantiam eius. Ac ſi Chriſti Patientia ſit eiuſdem idonea *menſura*. Chriſtine *menſura* erit à Patientia? an à Patre Deo? an a perſonâ Verbi hypoſtaticè humanitati coünitâ? An a Virgine quoque matre, Olympiâ ſanctitate, & auguſtis maiorum ſtemmatibus inclytâ? Verùm ſi vis Chriſtum Deum adæquè metiri, ſcito Patientiam quoque eſſe eius *menſuram*: *Patientiam enim eiuſmodi nemo hominum exhiberet*: moraliſſimè quidem. Scire cupis quotus quantúſque homo quiſque ſit? metire eius tolerantiam, & inueniſti eius menſuram: nam *facta eſt menſura in humero eius*. O grande Patientiæ elogium! *A la medida de ſu Paciencia, es vn hombre grande, ô pequeño.* Heu quot viros alioqui magnos, videmus ab impatientiâ puſillos! Iacobus tolerantiæ ſimulachrum, hîc à Deo audit, *ſe augendum* & multiplicandum. Puto, non minùs patientiæ arbitrio, quàm numeroſæ prolis beneficio, nam tolerantiæ merito Iacobus excelluit, quod nemo non notat.

Patientiáne eſt Chriſti, & reliquorum hominum menſura?

Tertull. de Patien. c. 3.

Hic v. 4.

---

§ CCLII.

Proſperior fortuna vices cum aduersâ reciprocat.

1. CALAMITAS virtutis occaſio & ſæpè incentiuum eſt; proſpera in plebem ac vilia ingenia plerumq; deueniunt. Illos meritò quis dixerit miſeros, qui nimiâ felicitate torpeſcunt; quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſeruat. Erratis enim ſi quem iudicatis exceptum, veniet ad illum diu felicem ſua perditio. Quiſquis videtur dimiſſus eſſe, dilatus eſt. Cùm omnia quæ exceſſerint modum noceant, periculoſiſſima felicitatis intemperantia eſt. Quid ni id ſatius ſit, perpetuam infelicitatem aduocante virtute ſuſtinere, quàm infinitis atque immodicis bonis rumpi? Hinc apud ſapientes & probatos viros, proſperior felicitas parum aut differre, aut diſtare ab infelicitate cenſetur, quaſi fortuna proſpera vices cum aduerſâ reciprocet.

Humana felicitas parum ab infelicitate diſſidet.

Hîc verſ. 5. periculoſo languore grauiter Iacobus in lecto decumbit. Dictum que eſt ſeni: Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te. Qui confortatus ſedit in lectulo. Et ingreſſo ad ſe ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ eſt in terrâ Chanaan: Benedixitque mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, & ſemini tuo poſt te in poſſeſſionem ſempiternam. Duo ergo filij tui, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, mei erunt, *Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* Magno planè verborum & rerum apparatu ſeſe comparat Iacobus, vt nepotes Ephraim & Manaſſen coaptet in filios, illiſq; largius benedicat; dum ſe ab Omnipotéte benedictum, & Terrâ Chananæorum muneratum, in quâ inſignem portionem Ephraimo & Manaſſe deſtinat in poſſeſſionem æternam. Sed penſitare verba oportet, quibus terrenam felicitatem nepotibus prædicit & impertit: *Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* Hæcne eſt illa Ephraimi & Manaſſe decantatiſſima benedictio, & proſperrima felicitas; nempe comparari Rubeno & Simeoni ſtatim durè maledicendis? Si Ephraim & Manaſſes ſicut Ruben & Simeon reputantur, puto, non benè cum illis actum eſt: nam Ruben & Simeon diris confeſtim addicti, miſerâ infelicitate mulctantur. O arcanum humanæ benedictionis ænigma! An id conſultiſſimè dixit Iacobus, totus de cælo inſtinctus, vt poſteros ſuos ſapienter edoceret, benedictionem in rebus mundialibus parum à maledictione diſtare? Ephraim & Manaſſes, dum fortuna illis blandius adridet, & temporariâ felicitate dotantur, *reputantur* ſicut Ruben & Simeon, acerbius ſtatim maledicendi, & pergraui infelicitate mulctandi. Quaſi conſpicua felicitas ſit infelicitas diſſimulata, ſiue res, auguriumve infortunij calamitoſi. O caue à bracteatis fortunæ donis, quæ veræ felicitati clanculum inſidiantur! Vocabulum felicitatis auditur, ſed re felicitatis vacuum, dum mera infelicitas eſt, aut infelicitatis teſſera. Niſi fortè malis, (ne id vel in tranſitu non notem) non putaſſe Iacobum Ephraimo & Manaſſe humano more ſatis benedixiſſe, niſi de bonis Rubeno & Simeoni ablatis, Ephraimum & Manaſſem felicitaſſet. Quod acquirimus ex aliorum diſpendio, proſperitatis humanæ compendium eſt? Quia quod Rubeno & Simeoni natu maioribus debebatur, donatur Ephraimo & Manaſſe, terrenæ felicitatis prærogatiua ſumptuoſiùs exaggeratur? Quoniam quibus detractum eſt, eoque alij carent, homo donatur, eò humanum donum amplificatur ad gratiam? ô humanorum munerum inuidiam!

2. *Hic v. 5.*

Benedictio in rebus mundialibus parum à maledictione differt.

Gen. 45.

Gratius eſt donum, quod quibuſdam detrahitur vt mihi donetur.

3. Percharum ſuum Ioſephum è chariſſimâ & formoſiſſimâ Rachele ſuſceptum, quem à truculentâ beſtiâ dilaniatum putabat, tragicè deflebat Iacobus: qui leuamenti exors, ſic euntibus lachrymis, lugubri voce ſingultibus interclusa, identidem occlamabat: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernū.* Ioſephus intereà ſomnio

Geneſ. 37 v. 35.

ſomniorum interpretandorum arbitrio, Ægyptiis præficitur, & à Pharaone ſecundus, Princeps heroum audiebat. Dumque auguſtioris

Gaudij felicitas, & infortunia triſtandi vices reciprocant!

gloriæ faſtigium prætulſtis teneret, tandem aliquando ſeſe fratribus cognoſcendum humaniſſime exhibet: curruſque & animalia præmittit, quæ patrem ſenem cum tota familia, & familiæ impedimentis in Ægyptum deportent. Curſum contendit Iacobus, & Ægypti terminos ingreſſus, ſubſiſtit in Geſſen. Quò cùm Ioſephus perueniſſet, iuncto curru ſuo, aſcendit obuiam patri ſuo ad eundem locum: videnſque eum irruit ſuper collum eius, & inter amplexus fleuit. *Dixitque pater ad Ioſeph: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo.* Hebraicè ſic ſcribitur, *Iam lætus moriar nunc.* (LXX. *ex nunc*) *quia vidi faciem tuam.* Res profectò mira, & digniſſima

Geneſ. 46. v. 30.

quæ attentius expendatur. Cum Iacob ſuum Ioſephum quaſi mortuum lugebat lachrymis irremediabilibus, *aut: Deſcenda ad filium meum lugens in infernum*, id eſt, moriar præ dolore filij mei defuncti; (vt expoſitores Catholici contra hæreticos cenſent) & cùm eundem Ioſephum ſoſpitem & glorioſum oculis cernit, inquit: *Moriar ex nunc, quia vidi faciem tuam.* Feſtiuiſſimi filij triſtiſſima mors, mortem patri amantiſſimo infert, & eiuſdem lætiſſima vita adæquè mortem adſciſcit? Alterutrum planè ex altero redarguitur. Eundem fortunæ caſum, quem à filij vita ſperat, ab eiuſdem morte timet? Quid timet à chariſſimi morte, niſi quod ſperat eiuſdem vitâ? Ipſiſſima res ſic anxiè timetur, & fauſtè ſperatur? Sic lætitia expetit, quod horret triſtitia? ô diſce quàm parum diſtet proſperior felicitas à funeſtâ calamitate! Sub diuerſo vocabulo res eadem latet, nam felicior mundi fortuna, aut medullitus infortunium eſt, aut certum inſtantis infortunij prognoſticum. Qui in altiori faſtigio eminet, potiùs caſuro ſimilis imminet. Ne te tutò fortunæ credito, inſidioſa eſt, & ſub doloſo felicitatis cinere latet gehennæ ſcintilla.

4. Ferus, eruditus & acutus auctor, ſuperiori æuo celebris, ad illud Matthæi 1. *Abraham genuit Iſaac*, ſubtiliter quærit, quare Matthæus, ab Abrahamo potiùs quàm ab alio è priſcis Patriarchis, lineam Ieſuanæ genealogiæ exorſus ſit, & ita moraliſſimè reſpondet. *Ab Abraham incipit* Euangeliſta, *vt oſtendat qualis eſſe debeat qui benedici vult per Chriſtum. Abrahæ facta ſunt promiſſiones. Proponuntur beneficia Dei tam bonis, quàm malis: bonis in bonum; malis autem in argumentum ſuæ damnationis.* Expende hæc poſtrema verba, in quibus tota ſententiæ energia viget. Nempe diuinas promiſſiones, & vberiora Dei beneficia, eſſe malis *ſuæ damnationis argumentum.* Beneficia diuina quæ homines felicitant, impiis erogata, arguunt illorum damnationem? Mundialibus bonis impios reprobat Deus? Ne inuideris improbo felici; nam eius felicitas, *argumentum damnationis* dicitur. Heu infelicem malorum felicitatem! Eſto bene infelix in hâc vitâ, vt ſis bene felix in futurâ: ſiquidem mundialium bonorum exuberantia, damnationis ſæpè argumentum eſt, quod tibi accenſam gehennam probat.

Matth. 1. 2.
Ferus ibi.

Felicior proſperitas argumentum damnationis eſt.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

§. CCLIII.

Senum agnatum vitium eſt, nil vnquam magnum putare de eo, quem puerum aliquando nouerunt.

DIOGENES interrogatus, quid eſſet ſenecta? reſpondit: *Vita brumalis, tempeſtatibus obnoxia.* Et quæ ſunt hæ tempeſtates, quibus obnoxia ſenectus eſt? Opportune Plutarchus: Cum ſenectuti adſint multa probra, dicebat, non eſſe addendum malitiæ dedecus; ſentiens ſenectutem multis nominibus vulgò malè audire: *Veluti, cùm audit deformis, edentula, lutcoſa, imbecillis, obliuioſa, indocilis*; & etiam ſuperciliosa, præcipuè in iuuentutem, & eos omnes, quos in minori cognouit ætate. Adeò vt vix adduci poſſit, vt aliquo in loco habeat, quos pueros, iuueneſve vidit; tametſi iam, vt ætate, ita & litteris, virtute, & prudentiâ adoleuerint. Quaſi pueros, aut iuuenes, iam benè viros deprætiat; fortè diſſimulatâ ſenectutis inuidiâ, vt pauciores habeat honorum competitores; & ille ſolus canorum ſuffragio habeatur idoneus, qui ceteris præſit, aut perpauci illius de ſeniori ætate æmuli. Magnum, per cæleſtia, ridiculum, hominem quadragenarium, & quinquagenarium ſæpè, eruditione & prudentiâ bene inſtructum, adhuc iuuenem audire, quia aliquando à ſenioribus iuuenis viſus eſt! Puto, quòd ſenex apud quem quinquagenarius adhuc eſt iuuenis, ipſe decrepitus eſt: dum propter ſenectutis inuidiam non aduertit, quòd in puero aut iuuene vſque ad perfectam ætatem creſcit, quod in ſene vſq; ad delirium decreſcit. Quid viri extranei & nuſquam noti, in gradu ſuo apud te ſunt, & quos nouiſti pueros vilipendis? an naturæ & gratiæ dotes oculi tui in puero faſcinarunt? ô ineuitabile ambitioſæ ſenectutis faſcinum! Fugit ætas, & fugaciſſimæ ætatis cenſus adhuc durat?

1.
apud Stob.

Plutar. in Rom. Apo.

Senex depretiat quantumuis ornatos viros, quos in minori ætate cognouit.

Hic verſ. 5. & 6. audito grandæui patris graui morbo, quàm maximis itineribus feſtinat Ioſephus, & deſiderio percharum parentem videndi, antequam decederet; & benedictionem expetendi liberis ſuis, piâ cupiditate. Ruit in patris infirmi amplexus Ioſeph, & duos filios ſuos Manaſſen & Ephraimum coram auo ſiſtit. Tunc Iacobus benè memor & Palæſtinæ ſibi à Deo promiſſæ, & obſequiorum Ioſephi erga ſe, & totam ſuorum familiam; ſic ait ad Ioſephum: *Duo ergo filij tui, qui nati ſunt tibi in Terrâ Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris poſt eos, tui erunt, & nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.* Quam ob cauſam æquiſſimus Iacob ſic præfert & æſtimat hos duos tantùm nepotes, qui ſoli ex Ægyptiâ feminâ, & in Ægypto nati ſunt, velut repudiatis ceteris nepotibus, qui reliquis filiis ſuis in Terrâ promiſſionis progeniti ſunt? Imò & præferuntur etiam ceteris eiuſdem Ioſe, hi liberis, qui in Ægypto

2.
Nepotes tantùm quos nõ vidit pueros, Iacobus benedictionibus auget ſupra reliquos.

Hic v. 5. & 6.

exinceps naſcentur in amantiſſimi aui ſinu. Quod tempeſtiue his verbis inibi aduertit Lipomanus. *Notanter autem*, inquit, *eos vult, qui ante aduentum Iacob in Ægyptum geniti ſunt: alios autem filios non dignatur ho. honore.* Quid deliquerunt filij, qui in Ægypto naſcentur Ioſephò, poſtquam illùc venit Iacob? Quid iridem peccauerunt reliquorum Patriarcharum liberi, qui in Terrâ promiſſionis, & in ipſo aui gremio nati ſunt? quod ſolet blandius auorum ſenum amori blandiri. Citò dicam. Illos duntaxat, ex generoſo tot nepotum grege, quos nunquam vidit pueros, quos velut iuuenes ipſe ſenex non deſpexit; quorum nugaces infantiæ luſus propius neſciuit, & iuuentutis crudos adhuc mores ignorauit; illos, illos inquam, tantummodo ſic ſublimiſſimè æſtimat, ſic reliquis anteponit, & repudiatis ceteris, numeroſarum tribuum Patriarchas conſtituit. O quoties ſenex Præfectus depretiat viros tunc magni meriti, & ad ſumma quæque idoneos, quia eoſdem olim pueros vidit, aut iuuenes agnouit, & ineruditionem minori ætate cognatam expertus eſt: & minoris fortè meriti ignotos, etiam in propudioſâ Ægypto natos, & Ægyptiam conſuetudinem ſubolentes, pluris æſtimat, & ſublimius honorat! Semper iuuenis, & immaturus erit, quem ſemel iuuenem & immaturum agnouiſti? Ecquis ex ſenibus non priùs puer & iuuenis fuit? In virili ætate adhuc iuuenis erit, quia quem cernis iam virum, in iuuenili ætate cognouiſti? Fortè tuo aſpectu gradus ætatum immobiles ſiſtuntur. Quod de cælo inſtinctus Iacobus cenſuit, ob Ioſephi ſingulare priuilegium; latentis inuidiæ faſtu ſenior ætas perſæpè factitat, quò faſtigium dignitatum fiat ſenectutis ſtipendium, & reliquos exgreges faciant ab honorum ſuffragio. Viderint, ne diſſimulata ambitio canorum auctoritatem clanculum ſubornet.

Lipom. in Cat. ibi.

3\. Marci 6. totam Iudæam peragrabat Ieſus, infirmitates ſanans, Dæmones abigens, & Euangelium prædicans, magno hominum concurſu, & plauſu. Ne autem Nazareth doni cæleſtis exors fieret, tandem abiit in patriam ſuam: & ſequebantur eum diſcipuli ſui: & facto ſabbato cœpit in ſynagogâ docere: & multi audientes admirabantur in doctrinâ eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ ſapientia, quæ data eſt illi: & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? nonne & ſorores eius nobiſcum ſunt? Et ſcandalizabantur in illo. *Et dicebat illis Ieſus: Quia non eſt Propheta ſine honore niſi in patriâ ſuâ, & in domo ſuâ, & in cognatione ſua. Et non poterat ibi virtutem vllam facere.* Ne quem delicatè ſcrupuloſum, aut imperitè cenſorem, moueant Euangeliſtæ verba: *Non poterat ibi* Ieſus *virtutem vllam facere*, peritè occurrit Theophylactus, aiens: *Quòd autem dicit, Non poterat, intelligere oportet, non volebat: quia non ipſe impotens, ſed illi infideles erant. Ergo ibi non operatur virtutes, parcens eis, ne maiori reprehenſione digni eſſent, etiam factis miraculis non credentes.* O infeliciſſimos illos, quibus diuina beneficia ſubtrahere, maius beneficium eſt, & ſumptuoſior gratia! Intermitto hæc alibi fors vbertim expendenda. Et vide mihi agreſtem & faſtuoſam Nazarenorum imperitiam. Audiunt Chriſtum Deum in ætate integra, de cæli ſcholâ arcanè concionatem, cernunt oculis miracula, ad quæ ſuſpenſi hærent, experiuntur prodigia ſupra humanum faſtigium, & magno Prophetâ digniſſima; & tamen illa & egregiè deuenuſtant, & inhonorè vituperant; adeo vt diceret illis Ieſus: *Quia non eſt Propheta ſine honore niſi in patriâ ſua.* Eccur Propheta qui vbiuis magno in honore eſt, & ab omnibus reuerenter colitur, in patriâ ſuâ irreuerenter tractatur? Perbellè Venerabilis Beda in horum verborum commentario. *Non ſolum autem*, inquit, *ipſe Ieſus, qui Dominus eſt Prophetarum, & Elias, & Hieremias, & ceteri Prophetæ, minores in patriâ ſuâ, quàm in exteris ciuitatibus habiti ſunt: quia propemodum naturale eſt, ciues ſemper ciuibus inuidere: non enim conſiderant præſentia viri opera, ſed fragilem recordantur infantiam.* Quid accommodatius? Sic fatuè ſtulteſcit prudens & cordata alioqui ſenectus, & reuerenda canicies, vt miracula, quæ communi exterorum plauſu celebrantur, & quæ ſuis oculis ipſi vident, ſatius putent, aut pernegare, aut iactatis contumeliis tectius obnubilare, quàm ſibi ſeriò perſuadere, & palam fateri, quem puerum cognouerunt, tantâ miraculorum gloriâ fulgere. Nec ſibi credunt, dummodo nil magnum de illo credant, ac ſi qui aliquando iuuenis fuit, vir eſſe non poſſit: & qui olim fuit puer, a[...] retrò pueritiæ malo, indoneus euadat, qui, aliquo ſene ſuperſtite, vir vnquam ſit, & virtutes cualeat operari. Deliquit opinor diuina prouidentia, quæ ſuum Chriſtum puerum aliquando eſſe permiſit, quo miraculorum credibilitate, apud maiores ætate, homines nimis detraxit? Gratulor Adamo hominum fortunatiſſimo, quem mortalium nemo vidit iuuenem. Ingrata eſt ſenibus iuniorum ætas, quam, ſi fieri poſſet, vltrò omnes repetiiſſent. Quid, quod vituperas, eſſe deſideras? aut de deſiderio vituperandus ipſe, quia rem malam, quam effugiſti, deſideras; aut de vituperio, quia rem bonam & omnibus neceſſariam vituperas. Heus tu, *Inſcioſam & indocilem* ætatem erudire exambis? Taceo.

Marci 6. v. 4 & 5.

Infelix eſt, cui beneficia detrahere, maius beneficium eſt.

Theoph. ibi.

4\. *Chriſti virtus improbabilis fit Nazarenis quia ipſum puerū aliquando viderant*

Beda ibi.

---

§. CCLIV.

Benignitatis lenocinium eſt, in ſe ipſo experiri rigores, quibus alios ſeuerè addicit.

VIRTVTIS doctrina non eſt cuiuſmodi ſtatuarum artifex, vt ſigna fingat, quæ in baſi muta ſtent, & ſenſus expertia, quemadmodum dixit Pindarus; ſed agilia ſtudet facere, quæcunque aggreditur, negotioſa, viuaque. Addit impetus, quibus excitentur: addit iudicium, quod inuitet ad vtilia: addit delectum, quo ſequamur potiora: addit prudentiam animique magnitudinem, cum manſuetudine cautelaque coniunctam. Hæc omnia peritus Præceptor non ſolis verbis 1.

Pindar. apud Plutar. lib. de Diſput. Philoſoph.

à

à rudi diſcipulo extorquet, ſed opere, & exemplo. Dura faciat, qui dura mandat. Delicatus eſt virtutis magiſter, qui totus in deliciis, aſperiora præcepta ore dictat. Plus diſcant cùm te vident, quam cum te audiunt. Saltem nihil arduum à te audiant, quod in te non viderint.

2. Exod. 3. v. 2. & 4. & 5. Exodi 3. Moyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui: cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. *Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Ne appropies huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Magna planè viſio, quòd rubus ardens incombuſta, ſic locum ſanctificaret, vt deponere calceamenta Moyſes iubeatur, ne terram illam rubi ſplendore illuſtratam calceatis pedibus tereret. Porrò ſic acutè Euſebius ſciſcitatur: *Num igitur calceamentum terram inquinabat? Eſto, ſoluit Moyſes calceamenta, nonne ſuper terram illa depoſuit?* Argutum ſanè dubium! Si calceamenta iubetur Moyſes deponere, ne terram ſanctam calceamentis inquinet, licet calceamenta pedibus exempta ſint, terram illam inquinabunt? Neque enim calcei iubentur extra terram illam deponi. Scilicet neque pedes, neque calcei viſionem infeſtant, ſed calceati pedes. Nudipedem vult per ſenticoſum deſerti ſolum incedere, quia Deus in rubo eſt. Incedat nudis pedibus Moyſes per terram ſenticoſam, quandoquidem tunc Deus in rubi ſentibus eſt. Pulchrè Aloiſius Veronenſis: *In rubo eſt, qui calceamenta ſolui iubet.* Non prius iubet Deus, vt nudo pede Moyſes incedat per ſpinoſa deſerti, quàm ipſe Deus in rubo ſit. Inciuilis tunc præ rei inſolentiâ, quaſi de cælo attonitus Moyſes, videns Deum inter rubi ſentes, calceatus accedere propiùs feſtinat: ſoluat priùs calceamenta, & nudipes experiatur ſpinas; quandoquidem Deus in rubo eſt. Nec ipſe ab homine exigit, quod ipſe priùs (quo poteſt modo) non experiatur. *In rubo eſt, qui calceamenta ſolui iubet.*

Eſto, ſoluit Moyſes calceamenta, nonne ſuper terram illa depoſuit?

Euſebius in Catena ibi.

In rubo eſt, qui calceamenta ſolui iubet.

Aloiſ. Veron. lib. 2.

3. Exod. 3. 2. Sed ad rem præſentem iuuat præfatum Exodi locum enucleatiùs expendere. *Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi.* Ecqur in rubo, & non alia nobiliori arbore? Arbuſcula humilis, ſylueſtris, & ſpinoſa præ reliquis eligitur, vt in eâ Deus appareat? Deuſne in ſenticosâ rubo? Spinæ rubi Deum non pungunt, Deitatis priuilegio: ſed quare in ſpinosa rubo Deus? Animaduerſione digniſſimum eſt, quòd olim Deus ſpinis Adamum præuaricatorem, & eius poſteros ſeuerè puniuit, aiens: Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi.* Grande quidem ſupplicium! Vni Adamo terra ſpontiuas germinat ſpinas? Tribulorum ſpinoſitate vnus pungetur, & ſolus cruentabitur! ô infelices Adæ poſteros pœnaliſſimæ punctioni mancipatos! Terrenus homo ſpinas ſibi exacutas naſci videt, quas velut ſagittas de terræ pharetrâ Deus eiaculatur. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Acerbiori huic pœnæ Dei maledictione, & cruento ſupplicio homo addicitur.

In rubo eſt, qui ad ſpinas & tribulos hominem damnauit.

Gen. 3. v. 17. & 18.

Ergo apparuit ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi. Quod peracutè notauit Auguſtinus, ad præfata verba ita ſcribens: *Rubus enim ſpinarum eſt quoddam genus: Nec in laude aliquid pom potuit quod peccatori terra produxit. Nam primitùs peccanti homini dictum eſt: Terra ſpinas & tribulos pariet tibi.* Bellè quidem Auguſtinus. Et vt ibi aduertit Lipomanus: *Volunt nonnulli labóath hic idem eſſe quòd* לב *Lev, id eſt, cor, vt dicatur, de corde ignis, de medio rubi.* Scilicet terra ſpinas & tribulos Adamo germinat, & extrinſecùs eorum ſpinoſitate pungitur: Deus autem cùm auguſtior Moyſi apparet, cum arcanum Iehoua nomen præfert, pro ſidereo ſolio, de corde ignitæ rubi loquitur, ſenticoſæ arbuſculæ intrinſecus incumbit, vt quo poteſt modo, humanis oculis repræſentet, in medio rubi eſſe, ille qui maledicendo dixit homini, *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Et de corporato Deo ab Euangeliſtâ ſcribitur: Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, &c. *Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius.* Quid accommodatius?

S. Auguſt. tom 6. tract. ſuper *Ego ſum qui ſum.*

Lipom. in Catena ibi.

Matth. 27. v. 29.

Opportunè ſe excuſat hîc Iacob, quòd ſuam Rachelem in viâ ſepelierit, cùm ipſe illuſtri maiorum ſepulchro humari expetat. Quod §. ſequenti ampliùs illuſtrabitur.

Hîc v. 7.

---

§. CCLV.

Præcipientis exemplum, vigor præceptionis eſt ad ſequelam.

1. LEGISLATORIS exemplum, officioſa obſequij præceptio eſt. Lex quæ obedituris friget in chartâ, Inſtitutoris exemplo calet in opere. Exemplum enim ſuperioris viua lex eſt, quæ viuidè extórquet obſequium. Lex ore mandantis conſummatur, legis faciendæ vigor, præcipientis opere conſtat; quod neſcio quo arcano lenocinio ad obſequium ſubornat. Quid faciat bonus Deus, qui antequam corporaretur in Chriſto, auguſtioris naturæ ſuæ ſublimitate præpeditus erat, ne poſſet exemplo præire decem Decalogi præceptis, quę in eremo ſuo populo intimauit? Aures arrige, & attentius adſta Decalogi promulgationi, quæ Exodi 20. Dei ore facta eſt. Sic enim refert ſacer Hiſtoricus: Locutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos. Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. & poſtquam præcepta retulit, notanter ſubiungit: *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem.* O rem prodigioſam, & humanis oculis inſolentem! Oculi adſtantis populi, Dei legislatoris voces percipiunt? Puto, vox res aurium eſt, non oculorum negotium. Sed tu oculis vide quàm ad rem præſentem eleganter Hebræus Philo hâc ſuper re philoſophetur. Eâ die, quam præſtituerat Moyſes, adeſt populus è Dei ore legem diuinam auditurus: *Tum, inquit, vox de medio flammæ supernè ruentis horrendum inſonuit, diſerta & articulata iuxta communem*

Exod. 20. 18.

Videat ſubditus oculis præcipientis vocem.

Philo l. de Decalogo.

 captum

captum auditorij, tam manifeſtè ſe ingerens, vt videre magis quàm audire ſe putarent: ſicut in lege ipsâ ſcriptum legitur his verbis: Vniuerſus populus videbat vocem apertiſſimè. Humana enim vox auditu, diuina viſu percipitur. Quare? (nota rationem Philonis ingenio digniſſimam) *quia quæcunque Deus dicit, non verba ſunt, ſed opera, quorum iudicium non tam eſt penes aures, quàm penes oculos.* Bellè quidem. Scilicet cùm Deus in monte Sina, adſtante ſub tecto populo, ſedet Legiſlator, & verba faciendæ legis dictat, ipſius Dei præcipientis *voces populus videt*, quaſi vox Dei, pro dignitate præcipientis, & pro extorquendâ obedientiâ à populo grauatè obſequente, quodammodo aſſumat operis priuilegium, exinde Deus leges ferens, non mera verba auribus loquitur, ſed velut facta verba oculis facit: ne obſeruandarum legum ſtructura tam ſit oris locutio, quàm verborum factura. Ergo, *Vniuerſus populus videbat vocem apertiſſimè. Humana enim vox auditu, diuina viſu percipitur: quia quæcunque Deus*, præcipiendo *dicit, non verba ſunt, ſed opera, quorum iudicium non tam eſt penes aures, quàm penes oculos.* Quid exaggeratius?

2. 1. Corinth. 11. ſic Apoſtolus naſcentis Eccleſiæ fideles adloquitur: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Laudo autem vos fratres quòd per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Ex quibus verbis reſpondet Saluianus his, qui laxioris vitæ deſiderio, nimis eſſe aſpera Apoſtolorum præcepta querebantur. Paulus enim Corinthios laudat, quòd eius præcepta opere tenent, ſed eorum obſeruationem ſui imitamento præmunit, & lenit. Sic fatur Saluianus Maſſilienſis præſul. *Sed dura forſitan quidam putant Apoſtolorum eſſe præcepta. Dura planè exiſtimanda ſunt, ſi plus ab aliis officiorum exigunt, quàm ſibi ſumunt. Porrò autem ſi multo minus ceteris imperarunt quàm ſibi, non modo non graues magiſtri, ſed parentes indulgentiſſimi iudicandi ſunt: qui onera quæ ceruicibus filiorum per amoris indulgentiam detrahunt, ſibi per affectum religionis imponunt. Quid enim vnus ex ipſis ad Apoſtolos Eccleſiaſticos dicit? Imitatores, inquit, mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, &c.* Nempe dura ſunt præcepta, quæ homo in hominem vibrat, ni illa ipſe exequatur. Cognata præceptorum acerbitas dulceſcit imitatione præcipientis. Præcipiendo loquitur, non loquendo præcipit, quiſquis imperat aliis, quod ipſe non præſtat. Saltem quod attinet ad obſequium, loqui potiùs, quàm imperare videtur. Velut fictitius auditur ſermo, quem non informat Inſtitutoris exemplum. O Apoſtolos, bonos Eccleſiæ præceptores, qui onera quæ ceruicibus ſubditorum per amoris indulgentiam detrahunt, ſibi per affectum religionis imponunt! Phariſæorum eſt, *Alligare onera grauia & importabilia, & imponere in humeros hominum, digito autem ſuo nolle ea mouere.*

1. Corint. 11. v. 1. & 2.

Dura præcepta miteſcũt exemplo præcipientis.

Salu. l. 3. de Gub. Dei.

Matth. 23. 4.

3. Exodi 19. conſtitutâ à Moyſe die adeſt Deus in monte Sinâ Hebræo populo leges laturus: *Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clamorque buccinæ vehementius perſtrepebat..... Totus autem mons Sinaï fumabat, &c.* Quod his verbis graphicè depingit Philo Iudæus. *Interea, vt pareret in præſentiâ Numinis, omnia perſtrepebant prodigioſis tonitribus aures obtundentibus, coruſcabant fulguribus micantiſſimis, ſonus tubæ inuiſibilis è longinquo exaudiebatur è nube, quæ inſtar columnæ in axe terræ è baſi tendebat ad æthereum celſitudinem cæleſtis ignis impetu, profundâ caligine ſiue fumi offuſcante circumuicinum aërem.* Quorſum tam prodigioſa elementorum commotio? pergit Philo: *Oportebat enim ad Dei aduentum turbari mundum omnibus ſui partibus, & exciri ad miniſterium.* Scilicet cùm Deus leges condit, & euulgat, commouentur omnes mundi partes, poli concutiuntur, & elementa excientur, quò diſſimulanter ſignificent, dum Deum Legiſlatorem ſentiunt, ſe præſtò eſſe ad parendum. *Conmueuenſe los elementos quando ſienten que Dios viene à haçer leyes, dando à entender quan promptos eſtan para obedecerle, ſi les toca algun precepto.* Obſequij auiditate Præceptorem elementa anteuertunt, & omnes mundi partes concitatæ expectant, ſi fortè illis quicquam præcipiatur, quò tacitâ commotione, velut linguato fragore ad exprompturn obſequium homines erudiantur exanimalium creaturarum exemplo. Non miratur inſenſibilium creaturarum exemplo homines adhuc legi contumaces extitiſſe, neque enim Legiſlator præibat exemplo. Sed opportunè S. Stephanus Actor. 7. ſic Iudæis inobedientiam cum epithaſi exprobrat: *Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis*, quaſi Angelus Dei nomine leges condiderit in monte Sinâ, quæ eſt communis interpretum ſententia. Audiendus nunc eſt Saluianus agens de hâc legis diuinæ promulgatione: *Adde*, inquit, *tonitrua, adde fulgura, terribiles buccinarum cæleſtium ſonos, tremendum vndique totius aëris fragorem.... loquentem cominùs Dominum, diſcentem populum, ac mixtis penè hominibus atque Angelis, vnam cæli ac terræ ſcholam.* Vides, monſtrante Stephano, Angelos Dei nomine legem dantes hominibus; vide etiam docente Saluiano, cum hominibus legem accepturis immixtos Angelos; & *Vnam cæli ac terræ ſcholam, mixtis penè hominibus atque Angelis*: vt lex quæ in diſpoſitione Angelorum data eſt, Angelos etiam velut obſequentes, ſeu quaſi ad obſequium expromptos inueniat. Angeli legem condunt hominibus; ſed adſtent Angeli cum hominibus mixti, & quaſi ad obediendum parati. Parum enim foret, Angelo promulgante leges, *mundum omnibus ſui partibus exciri ad miniſterium*, niſi etiam, *mixtis penè hominibus atque Angelis, vna cæli ac terræ ſchola* appareret. Conſultiſſimè ergo, quandoquidem datur hominibus lex miniſterio Angelorum, cum obedituris hominibus adſtant Angeli velut ad obſequium parati.

Exod. 19. v. 16. & 18.

Philo l. de Decalogo.

Cùm adeſt Deus legiſlator, elementa commouentur, ſi fortè aliquid illis præcipiatur.

4.

Actor. 7. 53.

Lex data per diſpoſitionem Angelorum, hîc Angeli velut ad obſequium parati.

Salu. l. 1. de Gubet. Dei.

§. CCLVI.

§. CCLVI.

Blandus amor duras lachrymas exprimit, & lamenta concinnat.

1. AMOR animi arbitrio ſumitur, non ponitur: nam cùm exaſperatur, iracundiâ mentitur odium; ſed magis tunc amor recrudeſcit, tectus doloſo offenſionis cinere. Vix huic animi morbo ſuccurrit medicina: nam, vt ſententiosè dixit Seneca: *Amoris vulnus idem qui ſanat, facit.* Plerumque enim amoris remedia amoris ignem conflabellant, quo magis ac magis affectus ſufflammatur. Vnicum remedium eſt obliuio: nam amor vt extorqueri non poteſt, elabi obliuione poteſt. Sed amans cum philtro amoris, remedij quoque obliuionem ebibit: & blando affectu perpetim durè torquetur. Porro, (vt alibi vbertim expendebamus) amor grata tyrannis eſt, viua mors, iuge martyrium: dilectio enim hominem martyrem excudit.

Seneca ex Publ. Mim. *Amoris vulnus idem qui ſanat facit.*

2. Tandem optatiſſimus naſcitur Iſaac, formæ elegantia, & morum lenitas parentum ſauciauit beneuolentiam, totúſque parentum amor indiuiſus in illum conferebatur, in quo vno omnes generis ſpes vnicè conſtituebantur. Graue fuerat olim Abrahamo optatiſſima carere prole; ſed grauius, opinor, erit dilectum ſuſcepiſſe filium. Delectamenta in cupitâ ſobole, an in chariſſimo filio cruciamenta, animi votis ſuſpirabat? *Tolle* (ait illi Deus) *filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.* Cui heredem promiſeras, eum heredis carnificem deſignas? auctorem cædis iubes eſſe parentem? & à patre filium iugulari poroptas? Saltem hoſtium manibus dedatur, hoſtes iugulum petant, cædem perficiat dextera ab amoris nexibus libera. Ferrum natura repudiat; ad rem tam acerbam fatiſcit dextera, oculi ſpectaculum refugiunt. *Cur tandem* (ait Baſilius Seleucus) *cur qui me vt genitor eſſem parricidium iubes admittere? Quid me partu delectari docuiſti? An vt deinde lugere doceres? Quid amorem mœrore commutas? Quid ex amore lamenta concinnas?* Hæc non dixit magnanimus Abraham, ſed ab ingenio hominis, & patris, (quæ eſt geminata infirmitas) hæc dicere valuiſſet. Nota diligenter poſtrema verba: *Quid ex amore lamenta concinnas?* An mœror amoris ſequela eſt, & dilectionis appendix? Lachrymas euaporat amor? Charior dilectio luctus funeſtioris conceptaculum eſt? Neſcit duriùs dolere, qui ignorat blandiùs amare. O amorem, otiosè negotioſum carnificem, inteſtinâ viſcerum carnificinâ placidè peracerbum! *ex amore* enim *lamenta concinnantur.* Expoſitas & elegantes lachrymas amor exprimit. Quaſi amor ſit luctus officina, & lacrymarum politior ſchola.

Gen. 22. v. 2.

Ex amore lamenta ſubcordè concinnantur.

Seleuc. orat. 7.

3. Lucæ 15. prodigus ille adoleſcens, effronti petulantiâ cenſum à patre exigit, vt quod benè pater ſeruabat, malè ipſe expendat. Et peregrè profectus, ætatis licentiâ voluptuoſiùs ſcortatur. Subſtantiâ cum meretricibus expensâ, adhæret vni ciuium, vt immundum paſcat gregem, qui non habet vnde paſcatur. Diræ famis vocibus ſobriis admonetur ad reditum. Et ſurgens, venire properat ad patrem ſuum, charitatis paternæ benè conſcius. *Cum autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Accurrit pater non tam greſſu corporis, quàm pietatis affectu. Nonnulli, (vt alias aliorsùm notabamus,) feriò cenſent, ìâ *miſericordia motus*, patris lachrymas inſinuare. Quâ ſuper re ſic acutè addubitat, & eleganter philoſophatur Chryſologus: *Cur eſtus pater luxurioſum filium, non quando abijt, ſed quando recepit, tunc deplorat?* Siccis oculis videt pater certam filij ruinam, & charum reditum lachrymis celebrat? Plorare debuit, cum perdidit; & gaudere, cum accepit: non illachrymare cùm accipit, & velut negligere cùm perdit. Quid eſt, quòd non quando abiit, ſed quando recipit, tunc deplorat? Scilicet abalienatus filius patris dilectionem exaſperat, & affectum auertit; redux verò, & meliora ſapiens, vt amoris affectum excitat, ſic lachrymas ciet. Dum adhuc longè eſſet, nuper exoſum filium pater incipit amare, & ipſe incipit lachrymari: mitiſque affectus acerbas lachrymas exprimit, & extorquet. Sic amor lamenta concinnat? Sic fletus eſt amoris appendix? Profectò lachrymæ amoris ſtipendia ſunt. Amor enim hominem martyrem excudit, gratâ dilectionis tyrannide.

Luc 15. v. 20.

Pater filium prodigum nō cum abiit, ſed cum amanter excipit, tunc deplorat.

Chryſol. ſerm. 64.

4. Adſimili expenſione illucidari poteſt illud Geneſis 29. cùm Iacob viſa Rachele, quam ardentiſſimè ſemper adamauit, *Oſculatus eſt eam: & eleuatâ voce fleuit.* Quas præproperè lachrymas dilectio expreſſit, dulci amoris tyrannide, quas hîc reconcinnari video prœmaturæ mortis memoriâ. Quin & Chriſtus Deus, Ioann. 11. de amici Lazari languore admonitus: *Ecce quem amas, infirmatur.* Cùm poſteà quatriduanum audit, infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum..... *Et lachrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum.* Ad quæ verba ſic ſcribit Seleucus: *Lachrymatus eſt Ieſus; neque hactenus reſurrectionis vllum prodit indicium; & ſic comploraturo, quàm reſuſcitaturo propior venit. Nam quod lamentaturo, quàm reſuſcitaturo propior veniſſe videretur, audi Euangeliſtæ ſententiam: Dixerunt nonnulli, Ecce quomodo amabat eum?* Procliue eſt cuipiam vtrumque locum non abſimili illuſtrare expenſione. Sat mihi intendiſſe digitum. Nollem onerare, ſed illuſtrare themata.

Gen. 29. 11.
Hîc v. 7.
Amor lachrymas elicit.

Ioan. 11. v. 35. & 36.
Baſil. orat. 41.

* * *

§. CCLVII.

§ CCLVII.

Terrenum monimentum, quo ſuum nomen cum famâ perpetuare, mortales procurant, æternæ obliuionis prophetia eſt.

1. ANimvs noſter nunquam magis immortalis apparet, quàm vbi hominis mortalitatem cogitat, & ſcit in hoc natum hominem, vt vitâ defungeretur: nec domum eſſe hoc corpus, ſed hoſpitium, & quidem breue hoſpitium: quod relinquendum eſt, vbi te grauem eſſe hoſpiti videas. Maximum argumentum eſt animi ab altiori origine venientis, ſi hæc in quibus verſatur, humilia iudicat, anguſta, & in matricem puluerem caduca. Omnes reſeruamur ad mortem. Totum hunc quem videmus populum, quovſque cogitas eſſe? Citò natura reuocabit & condet: nec de re, ſed de die quæritur. Eòdem citiuſve tardiuſve veniendum eſt. Nec modò hominum, ſed nominum quoque mortes videmus, & memorialium cadauera. Quò tendis ambitio, vt ſaltem nomen tuum in terris glorioſè æternet ad gloriam? quod mortale eſt, immortalitatis candidatum cupis? An non excelſiores pyramides, & inſana Mauſolea, mortalitatis inſignia ſunt, temporis ſpolium, & ingentium ruinarum monumenta? Fatuus eſt, qui non à Deo, ſed ab homine; non è cælo, ſed è terrâ nominis immortalitatem exambit. Omnia caduca obliuioni inſidiantur.

Nominũ etiã mortes, & memoria cadauera.

2. Matth. 1. 1. Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.* Quæ verba fortè ſcripſit Euangeliſta adſpectu ad librum generationis Adæ, & reliquorum mortalium, vt

Geneſ. 5. 1. vtriuſque animaduertatur diſcrimen: *Hic eſt,* inquit, *liber generationis Adam, in die quâ creauit Deus hominem,* &c. Quâ ſuper re ſic

Ruper. inibi. ſcribit Rupertus: *Liber iſte* (generationis Ieſu Chriſti inquam) *liber cæleſtis eſt: liber generationis Adam, liber terrenus eſt, de quo ſic ſcriptum eſt: Hic eſt liber generationis Adam, in die quo creauit Deus hominem. Sicut primus ille homo de terra terrenus, nouiſſimus verò de cælo cæleſtis: ita liber generationis Adam, liber terrenus: & iſte liber generationis Ieſu Chriſti, liber eſt cæleſtis. In illo libro terreno, omnes*

Perdit nomẽ quiſquis illud in terris perennare ſatagit.

Iere. 17. 13. *reprobi ſcripti ſunt; iuxta illud: Domine omnes qui te dereliquerunt, confundentur: recedentes*

Lucæ 10. 20. *à te in terra ſcribentur. In isto ſcripti ſunt electi, quibus ipſe Dominus: Gaudete, inquit, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* O quam ſatagit cognata mortalibus arrogantia, vt eorum caduca nomina perennent in æuum! Hinc ſuperbo ſtructuræ genere pendentia Mauſolea, pyramides & obeliſci ſideribus minaces, ſtatuæ è minimè putri materiâ, ſaxea monumenta, hinc longiſſimæ poſteritatis ſtudium. Quid ambis, ô homo, niſi nominis tui ſepulchrum, aut obliuionis monumentum? Quid ſumptuoſiùs ſtudes in terrâ cæcis litteris deſcribi? *Recedentes à te in terra ſcribentur.* Tenui puluiſculo credis æternaturi nominis votum? Vel leuis aura non leuem lituram ſpargit in puluere. Deſipit quiſquis perennatura nomina terræ mandat. Pie ſatage, vt nomen tuum in cælo ſcribatur, quod nulla delebit obliuio, nulla temporum iniuria arrodet. O beatos characteres in cælo ad æternitatem ſculptos, pij operis piè ambitioſo merito! Sit hic mortalium labor, quò mortales eſſe deſinant. Præproperè bea tuum nomen, mox ipſe

Prou. 10. 7. beandus. Annon hanc ſpem cælum ſpirat: *Me-*

Hic v. 7. *moria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet?* Vide hîc & Rachelis, & ſepulchri eiuſdem cadauer.

Nomina in cælis ſculpenda ad omnem æternitatem.

3. Gen. 4. 17. Geneſis 4. Damnatiſſimus Cain, *Cognouit vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui Henoch.* Profugus & vagus Cain, mortalium primus vrbem condit? adhuc in vrbe palabundus errabit? an errorum aſylum, vrbem conſtruit? Sed quare nomine filij ſui eam vrbem inſcribit Henochiam? Eleganter Chryſoſtomus: *Vide quo modo res noſtræ paulatim ſinciariores fiant. Quippe hominibus factis mortalibus ſtudium fuit, vt immortalem ſuam memoriam facerent, partim ex filijs, quos generabant; partim ex locis, quibus filiorum nomina imponebant. Hæc omnia rectè quis diceret peccatorum, & ruinæ primæ monumenta.* Nempe tam impenſum ſtudium æternam ſui memoriam in terrâ ſculptam, poſteris relinquendi, primordialis *ruinæ monumenta ſunt*, & infamiſſima columna, in quâ amiſſa immortalitas inſcribitur, & quæ eorum probroſam publicat mortalitatem, immortali infamiâ. O irrita mortalium vota! ô hominum ſtudium in peruerſum ſolers! ô tot inſignium retrò vrbium cadauera, quæ omnium mortalitatem clariùs buccinant! Studium æternam ſui memoriam relinquendi, primæuæ ruinæ monumenta ſunt.

Studiũ æternam ſui memor[illegible] relinquẽdi, eſt primordialis ruinæ monumentum.

E mundi naufragio præclara emicuit arrogantiæ ſcintilla, quæ exinceps magno hominum incremento, maiora incrementa ſuſcepit. Cumque proficiſcerentur de Oriente inuenerunt campum in terrâ Sennaar, & habitauerunt in eo. Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat in cælum.

Geneſ. 11. 4. *Et celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras.* Ecce radicem mali,

Chryſoſt. ibi. (ait inibi Chryſoſtomus.) *perpetuam memoriam conſequamur; vt noſtri perpetuo memores ſint poſteri; tale erit noſtrum opus, vt nunquam obliuioni tradatur. Adhuc, inquit, congregati gloriam noſtram operemur, vt poſteritati perpetuum nomen relinquamus.* O inſanos ſuperbiæ conatus! Putridum nomen caduco opere perpetuare molimini? Ad quem hominum veſtra nomina huc uſque peruenerunt? Cupitam à vobis gloriam alta occupat obliuio; memoria, quos neſcit, infamat; & poſterorum linguas acuit ad deteſtationem blaſphemiæ. Lipomanus ita locum eruerit ex Hebræo vertit, & de ſuo peracutè explicat: *Quod ſi iuxta He-*

Lipom. in Catena. *bræum legimus: Et faciamus nobis nomen, ne forte diſpergamur; voluntate Dei prauitas contra ſe ipſam vaticinatur. Sic enim Scribæ & Phariſæi de ſe ipſis prophetarunt futurum, cùm*

Ioan. 11. 48. *dixerunt: Ne fortè veniant Romani, & tollant*

Terrenum æternãdo nomini monimentũ, ruinæ prophetia eſt.

locum

ſerum noſtrum & gentem. Scilicet ipſi ſuperbiæ conatus,quibus impij ſuum perpetuare nomen affectant,tacitè prophetant, deinceps futurum eſſe,vt tanquam leuis vaguſque puluis in terras diſpergantur, nullámque ſui memoriam, ſed perennaturam obliuionem poſt ſe relinquant. Adoranda ſunt hîc arcana diuinioris prouidentiæ conſilia; quæ ipſiſmet impiorum verbis, quibus æternum ſui nomen relinquere poſteris moliuntur, prophetant, inſtar pulueris *diſpergendos* in terram, nullúmque ſui nomen relicturos,ſed inchoatam ſine auctorum nomine molem,ad æternæ ruinæ monimentum, & infamem caduci nominis columnam. Quam
Sap.2.v.4. impij in libro Sapientiæ, explicatiori vaticinio deſcripſerunt: *Nomen noſtrum obliuionem accipiet per tempus,& nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Vmbra enim tranſitus eſt tempus noſtrum*. Ecce tibi in ipſâ æternandi nominis arrogantiâ, geminata delitescit ruinæ prophetia. O caduca mortalium immortalitatis vota, quæ fundat terra, réſque terræ, & ad ruinam potiùs, quàm ad ſtabilitamentum fulciunt! Moritura,terræ; æternatura, cælo mandantur. Memoria Iuſti perpetuat cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet. Arrogantes terrenæ immortalitatis ſpes, æternæ ruinarum minæ ſunt.

---

§. CCLVIII.

Propria laus, illius rei, quam in ſe commendat, defectum aliquem præſentire ſignificat.

1. Politico-Chriſt.c.2. CVM in aliorum laudibus fueris effuſior, parciſſimus ſis in tuis, imò nullus. Nam quid laudes? opes & dignitates? ſtultum eſt aliena laudari, aut quæ in alium
Parcitas in laude propria laudatur. momento transferri poſſunt. In homine id vnum laudandum quod ipſius eſt, quod à nullius fortunæ manibus pendet:animi bona hæc ſunt, quorum nemo in re ſuâ iudex eſſe poteſt. Ita cæcutimus in noſtris: nam quæ virtutes nobis, reliquis vitia ſunt. Obtenebrat quemque amor ſuus,& denſâ tegit nube, ſpiſſâque inuoluit nebulâ. Quin & (dicam ingenuè quod ſentio) propria laus non bonæ conſcientiæ ſæpè affinis eſt: & noſtra extrorsùm laudatio,introrsùm latens prodit vitium, quod laudum ambitione celare prætendimus. O quoties ſumptuoſiùs in nobis laudamus illud, de quo nos,noſtri defectus bene conſcij, meritò coniectamus non bonam apud alios eſſe noſtri famam! Exinde noſtra laudatio, nihil aliquando differt à vituperio; cùm malè reſtaurare laudatione affectamus, quod egere in nobis reſtauratione ſentimus.
2. Geneſeos 3. Adam ille, qui nuper adeò con-
Gen.3.20. gruentia rebus nomina impoſuit, vt nulla ea obliteraret malitia; poſt præcepti tranſgreſſionem, *Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Heua*. Heua autem,Hebraicè חוה *chauua*, id eſt, vita, à radice חיה *chaia*, *vixit*. vnde LXX. interpretes pro Heua, *Vitam* tranſtulêre. Super hâc nominis impoſitione ſic acutè philoſophatur Rupertus: *Quid inſanius quàm in* Rupert. ibi.
tali articulo Euam dicere eam, quæ non habet vitam? Eua namque transfertur in Vitam. Dixerat autem Deus: In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. Et illa comederat, & viro ſuo dederat, & dando occiderat; & nunc in præſentiarum dicebat, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Quid ergo inſanius,quàm in illo tali cauſa iudicio, illam nuncupare Euam, id eſt, vitam, quæ nec ſaltem habebat vitam? O nomenclaturam nec veram,nec tunc opportunam! Vbi ſe ob præcepti tranſgreſſionem, reum mortis vidit Adamus, confeſtim vxorem ſuam, eius damnationis conſortem,Heuam,id eſt, Vitam appellat? Puluis es,& in puluerem reuertêris, audit, & has mortis aut minas, aut reliquias transfert in vitæ elogium? quando ineuitabilem incurrit mortem, ſe de vitâ ambitioſiùs iactat? Nempe hîc expreſſit Adamus hominum ingenium, qui in ſe & in ſuis opportunè importunè laudant id vel maximè, quod vitiatum animaduertunt. Conſcientia vitij ſæpe virtutis laudes expreſſit, quò vitium laudatione diſſimulet. Sic Adamus mortis pœnâ cum vxore, & ſobole probroſè mulctatus, Heuæ, id eſt, Vitæ nomen vxori moraliſſimè impoſuit. *El que tiene à pleito la executoria, ſe jacta mas de noble*. Itaque propria laudatio non tantum ob vanam gloriam vapulat, ſed vitij conſcientiam è peruerſo prodit.

Adam vbi vxorem ſuâ mortis ſententiâ incurriſſe vidit, eam Euam,id eſt, vitam appellat.

Oſee propheta,vt Iacobi ſoboles, ſic egregius illius encomiaſtes, ita fatur cap.12. Viſitatio ſuper Iacob: iuxta vias eius,& iuxta ad- 3.
inuentiones eius reddet ei. *In vtero ſupplantauit fratrem, & in fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt*. Breui perſtringit hîc Propheta, quod Moyſes multis in Geneſi denarrauit de luctâ Iacobi cum Angelo, & de eius partâ victoriâ, cæleſti antagoniſtâ ſuperato. Verùm arduam ingerit difficultatem commentatoribus,quo modo Propheta verè dicere potuerit, Iacobum *in fortitudine ſua* Angelum deuiciſſe: vires enim hominis quantumuis robuſtiſſimi & pugnaciſſimi, imbelles ſunt & languidæ, ſi cum Angeli viribus conferantur. Vnde fors Haymo ſpiritualem orationis pugnam & victoriam putat: *In fortitudine*(inquit)*ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad Angelum, precibus impetrans, vt ſibi benedictionem daret*.Sed eſto, corporalis pugna & victoria fuerit, quod verius eſt, Auguſtinus, & Thomas Angelicus, vel potiùs Anglicus, ſic interpretantur illud: *Qui*(id eſt, Angelus)*cum videret, quod eum ſuperare non poſſet*, hoc eſt, nollet. Hocne erit, Iacobum *in fortitudine ſua* præualuiſſe in Angelum? an Angelum noluiſſe Iacobum vincere? Pereira & Cornelius cenſent, additum eſſe à Deo robur Iacobo. Caietanus verò, quem ſequuntur noſter Martinus del Rio,& Sanctius,autumat, impediente ſeu attemperante Domino concurſum, non totis viribus Angelum dimicaſſe, quia ad conatum illum non totas, quas habuit à natura vires, conferre potuit. Aut Angelo vires impedit Deus,aut vires Iacobo Deus addit, & ait Propheta, *In fortitudine ſuâ* in Angelum præualuiſſe?

Oſee 12 v. 3 & 4. Geneſ.32. à v.24.

Oſee in ſua gentis Patriarcha laudat, quod aliàs ambigua fidei videri poterat.

Haymo in Oſee 12.

Aug.l. 16.de Ciuit.c. 39. Thomas in Geneſ.32.

Pereira & Corn. in Geneſ 32. Caietanus & Rio ibi. Sanctius in Oſee 12.

luiſſe? Hâc fortè difficultate oppreſſus Syrus
interpres, abſtinuit à voce *ſuâ*, quæ difficilem
4. reddit locum, & ita tranſtulit: *Et Iacob po-
tuit fortitudine Angeli, fortitudine congreſſus
eſt cum Angelo.* Syro conſentit Arabicus Ale-
xand. *Et corroboratus eſt in Angelo*, & Arabi-
cus Antioch. *Reſtitit Angelo, & potuit.* Cur
ergo Oſee diſertè ait, quod Iacobus *In forti-
tudine ſuâ* directus eſt cum Angelo, & præua-
luit? Scilicet ſublimem huius victoriæ gloriam
illud duntaxat tantiſper deuenuſtare potuit,
quòd ſpectato humano robore, videri poſſet,
Iacobum, (quem ſuæ gentis Patriarcham Oſee
dilaudandum ſuſcepit) tantum facinus præ-
ſtare non potuiſſe: quod indubiè Iacobus no-
uit; nec Oſee ignorare potuit. Ideò ne in ali-
quo vero ſenſu, (vt par eſt Prophetæ) addidit,
In fortitudine ſuâ, vt id quod aliquam imbe-
cillitatem in præclariſſimo ſui Protoparentis
facinore innuere videbatur, maximè commen-
daret, & auguſtiùs prædicaret? Quaſi dicat;
Gen. 32. non me latet, quàm ſit creditu difficile, &
apud plures ambiguum, quo pacto noſter Pa-
triarcha luctatus ſit corporaliter cum Angelo,
illumque luctando viribus ſuperarit; credite
mihi, Dei afflatu prophetanti, *In fortitudine
ſuâ* Angelum vicit. *Alaba eſpecialmente el
Propheta en la cabeça de ſu linaje, lo que mas
increible parecia en tan iluſtre victoria.* Et ta-
men etiam hodie, etſi dubium non ſit, id verè
dictum fuiſſe à Prophetâ, tamen, vt ex ſupra
notatis conſtat, ſatis adhuc ambiguum eſt, quo
ſenſu id Propheta dixerit, & quo modo Iaco-
bus *in fortitudine ſuâ* Angelum potuerit ſu-
perare, Angelum inquam, viribus oppidò ſu-
periorem, & totâ hominum armatâ phalange
valentiorem. De quo inibi litteraliſſimè nuper
agebamus.

Hîc v. 7. Commemorat hîc Iacobus apud Ioſephum,
quòd vel in itinere honorarium ſepulchrum
Racheli ſtruxerit: nam præſentiebat eius
amorem deuenuſtari poſſe, quia ad auitum ſe-
pulchrum non detulerit chariſſimam coniu-
gem. Nempe laudat, quod vituperij ſuſpectum
opinatur.

---

§. CCLIX.

Rem cupitam, non per vicarios, sed per ſe ipſum exequi, magni amoris character eſt.

1. AMOR, acer affectus eſt, viuidus,
actuoſus: vicarias aliorum operas
malè expectat, quò feliciùs deſi-
derium opere compleat. Exodi 2.
ferali Pharaonis edicto, è matrum aluo, flu-
minis alueo naſcuntur Hebræorum infantes,
ante vitæ auſpicium, ſæuam mortem exper-
ti. Interim naſcitur Moyſes, formæ ele-
gantiâ, & indolis bonitate, gratiarum ma-
Propria manus, expromptior famulus eſt. nibus factus puer. Qui trimeſtri occultatus,
dum vagitu ſe, & parentes proderet, ſcir-
peâ fiſcellâ incluſus, vndis committitur. Ec-
ce autem deſcendebat filia Pharaonis animi
Exod. 2. v. 5. & 6. cauſâ, vt ad vernantem fluminis ripam exſpa-
tiaretur. *Quæ cùm vidiſſet fiſcellam in papyrio-
ne*, (muliebri & curioſitate, & appetentiâ) *miſit
vnam è famulabus ſuis: & allatam aperiens,
cernénſque in eâ paruulum vagientem*, &c.
Alij ex Hebræo vertunt: *Miſit brachium
ſuum, & accepit*, &c. Brachium tuum eſt
vnus è famulis? Puto, brachium, aut manum
meam eſſe obſequentiorem ſeruum. Vtere 2.
hoc exprompto, frugali, & ad nutum parente *Non vicaria*
ſeruitio: quod cuique ſemper præſtò adeſt. *ſed propria*
Manus ſua, facilè cuique parabilis ſeruus eſt. *operatio,*
Nimirum Pharaonis filia, cùm femineâ curio- *character amoris eſt.*
ſitate, aut auidâ compaſſionis teneritudine,
principali affectu rem percuperet explorare,
quod Hieronymus dixit, *Miſit vnam è famu-
labus ſuis*, alij ad rem præſentem opportunè
tranſtulerunt, *Miſit brachium ſuum.* Quod
enim auidè percupimus, non per adminiſtros,
ſed per nos ipſos ſolerter exequimur. Serò,
languidè, & cunctanter fit, quod per vicarios
adminiſtratur. Viuidus amoris affectus, ope-
ris præſtandi impatiens, non expectat longas
miniſtrorum moras, nec deſides aliorum ope-
ras. Amanti proprium brachium vel manus,
familiarior ſeruus eſt. *Miſit vnam è famula-
bus ſuis.* Vel auidiùs, & amantiùs: *Miſit bra-
chium ſuum, & accepit*, &c. Non vicaria, ſed
propria operatio ardentiorem denotat affe-
ctum, atque amoris character eſt.

Exodi 3. Moyſes paſcebat oues Iethro ſo- 3.
ceri ſui ſacerdotis Madian. Cúmque minaſſet
gregem ad interiora deſerti, venit ad montem
Dei Horeb. *Apparuítque ei Dominus in flam-* Exod. 3. 2.
mâ ignis. Cùm Hebræus textus, Chaldaica
paraphraſis, & Lxx. interpretes, non *Domi-
nus*, ſed *Angelus Domini* conſtanter exſcri-
bant, meritò ambigunt interpretes, cur ipſe
Deus appelletur Angelus, & cui Trinitatis
perſonæ hoc Angeli nomen conueniat. S. Au- August. 2. de
guſtinus ſic acutè hâc ſuper re philoſophatur. Trinit. c. 13.
Apparuit ei Dominus. Non poteſt, inquit, *hîc* *Spiritus ſan-*
Deus Pater intelligi, ſed aut Filius, aut Spiri- *ctus quia*
tus ſanctus. Quanquam Spiritum ſanctum ali- *amor eſt, An-*
cubi Angelum dictum non recolam..... Et vti- *gelus, id eſt,*
que Angelus Græcè, Latinè Nuncius interpre- *Nuncius non*
tatur. Quare ergo Spiritui ſancto nullibi Scri- *appellatur.*
pturarum, Angeli nomen accommodatur?
Cur Angeli nomen, quod Dei filius non de-
trectat, peregrinaretur in Spiritu ſancto? Ec-
quid habet peculiare Spiritus ſancti perſona,
quò Angeli, id eſt, Miſſi, aut Nuncij nomen
refutet? An quia cùm Spiritus ſanctus ex pro-
prio hypoſtaſeos charactere ſit amor, magni
amoris deuenuſtaretur elogium, ſi miniſteria-
le Angeli, id eſt, Miſſi, munus vel nomine ob-
iret? Ipſe per ſe amor rem exequitur, quin
egeat, aut vtatur vel miniſtri nomine. Non
valdè fieri amas, quòd vicario exequendum
committis. Verus amor vel nomen miniſtri
moraliſſimè reſpuit, ne dum Miſſi, ſeu vicarij
aſſumit nomen, tantiſper frigeat feruidi amo-
ris vocabulum. Vnde nuſquam Scripturarum
meminit Auguſtinus, Angeli ſeu Nuncij no-
men, Spiritui ſancto, qui ex characteriſticâ
proprietate amor eſt, vſpiam accommoda-
ri. Actuoſior eſt amor, quàm vt per alios ob-
eat, quòd per ſe citiùs, certiùs, & feliciùs
poteſt adminiſtrare. Deuenuſtat beneuolen-
tiæ artem, qui quod per ſe amat, per alios
exercet.

Adami præuaricatio, humanæ malitiæ 4.
promptua

promptuarium exiuit, latè in ſobolem ſerpente nequitia, per generationum traducem. Confeſtim in conſultiſſimo Trinitatis conſiſtorio, Dei filius corporandus decernitur, dignior & opportunior humani generis Redemptor. In quo ſublimiſſimè elucet diuinæ dilectionis celſior eminentia. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* E diuini amoris ſacrario venit, quòd Deus Filium ſuum miſerit in mundum, homines redempturum. Sed in quonam ſita ſit tanta amoris vis, non eodem modo exponunt interpretes. S. Chryſoſtomus hæc Ioannis verba his verbis elucidat: *Sic Deus dilexit mundum, multam indicat amoris intentionem.* Sed vnde innoteſcit tanti amoris intentio? *Ex, inquit, quæ poſt hoc ponit, oſtenſiua ſunt magni amoris. Non enim ſeruum, non Angelum, non Archangelum dedit, ſed Filium ſuum.* Plura ſignificat Chryſoſtomus, quàm dicit. Nempe Theologorum proceres, antiquitate, & ſubtilitate conſpicui, ſeriò cenſent, purum hominem, Angelumve coproſâ Dei gratiâ inſtructum, potuiſſe humanum genus condignè reparare. Vide ergo excelſam diuini amoris intentionem: Sic Pater Deus dilexit mundum, vt ad redimendos homines, non ſeruum hominem, non vicarium Angelum, non adminiſtrum Archangelum dederit; ſed Filium ſuum vnigenitum, etſi hypoſtali diſtinctum, deitatis naturâ eundem ſecum, in mundum miſerit, vt mundum redimeret. Tanto enim beneuolæ charitatis affectu Deus dilexit mundum, vt illius redimendi negotium nulli (tametſi ritè poſſet) delegarit, ſed vicariâ ſubſtitutione repudiata, ipſemet Deus in perſonâ Filij, munus per ſe laborioſæ redemptionis obiret in quo diuini amoris eminentia maximè elucet. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Multam indicat amoris intentionem. Non enim ſeruum, non Angelum, non Archangelum dedit, ſed filium ſuum*, qui verè dicere potuit: *Ego & pater vnum ſumus.* Ecce tibi pulchrum amoris centrum, per ſe obire, quod per alios poſſet; adminiſtros nolle, vicarios refutare. Per ſe rem exequi, character beneuolentiæ eſt, & certior amoris nota, qui moroſam aliorum deſidiam, proprio opere actuoſus redimit.

Diuinum amorem oſtenditur à quia Deus non per alios, ſed per ſe mundum redemit. Ioan.3.v.16.

Chryſ. homil. 26. in Ioan.

Apud P. Vaz. tom 1. in 3. p. diſp. 4. c. 1.

Ioan. 10. v. 37.

Eximium amorem erga ſuam Rachelem oſtentat hic Iacobus, dum vel lugubre officium erga chariſſimam coniugem, per ſe ipſum opere mandarit.

Hic v. 7

---

§ CCLX.

Inurbanitatis culpa, præproperè ſeueriſſimâ multtatur pœnâ.

1\. *Inurbanitas ſeuerè caſtigatur.*

LIBERALES ingenuique mores valdè de vrbanitate curant, & vt eam circa ſe ipſos negligũt, ita ipſi erga alios curãt eximiè. Profectò inurbanitas incultos & agreſtes mores arguit. Hinc vulgò faſtiditur ab omnibus, omnes offendit, culpatur ab omnibus: & vt immunis à reatu non eſt, ſic à

Celada *de Benedict. Patriarch.*

reatus pœnâ immunis non eſt. Inurbanitatem (quam tu erga vrbaniſſimos negligis) popularis inuidia ſeuerè culpat, & abundè caſtigat. Nec Dei prouidentia, & cæli politia, inurbanitatis reatum impunitum omittit: quin potiùs inciuiles & ruſticanos mores acerbiùs quàm credi poteſt, plectit.

Quærit Theodoretus, quare Deus hominem lapſum reparare benigniſſimè ſtatuit, Angeli verò reparationem ſeuerè neglexit? Nonne Angelus nobilioris naturæ eſt, quàm è terræ fæcibus formatus homo? Par fuit ſuperbiæ culpa; eſto, non ſit impar gehennæ pœna, par etiam ſit redemptionis remedium, & ſpes amiſſæ gratiæ aliquando recuperandæ. Exſpes erit Angelus lapſus, & homo ſpe fouebitur, Redemptore potietur, vberrimâ gratiæ reſtauratione? Plura plures ſuper hâc pulchellâ quæſtione, quam nos etiam alicubi agitabamus. Liceat nunc ad rem præſentem, Duce Petro Damiano, illam ventilare, præmiſſo Iſaiæ loco. Audi ergo Angelorum delictum, Prophetæ ore euulgatum: *In cælum* dixit Angelus, *conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.* Moroſus non ero in referendis de Angelorum peccato ſententiis, quod alias negotij otium erit. Deſcribam tamen verba Petri Damiani (alibi aliorſum expenſa) ad hanc theſim opportuniſſima. Exponens illa Apocalypſis verba: *Vidi turbam magnam, &c. ſtantes ante thronum...... Et omnes Angeli ſtabant*, Sic fatur: *Sed virgo ſingularis ſtat à dextris in veſtitu deaurato? Moyſes vt videat tranſeuntem Dominum, ſtat in petra: Elias ſtat in conſpectu Domini. Solus ille transfuga Spiritus, diſſenſionis principium, princeps malitiæ, malorum ſumma, voluit conſedere. Sedebo, inquit, in monte teſtamenti. Omnes ſtant, & tu ſedere præſumis? Ipſe filius, idem quod Pater, ſedere neſcit, donec dicat ei Pater: Sede à dextris meis.* Audis agreſtem apoſtatæ Angeli ſuperbiam, inciuilem Luciferi ambitionem, de inurbanitate damnandam? Profectò *Angelica vrbanitas* apud empyreos ciues magno in pretio habetur: ergò irremediabiliter è cælo corruat inurbanus Angelus, non enim inurbanos cælum capit. (ſic iuuat concionatoriè rem cum Petro Damiano meditari.) Exſpes è cælo exul, confeſtim deſcendat ad Tartaros, qui naturæ & gratiæ donis ſuperbiens ſedere ambit inurbanè vbi cæli proceres, ſtantes aſſiſtunt. Ibi, vbi *Angelica vrbanitas* de comitate certat, nullus inurbanis relinquitur locus. Sic ſuperbiæ inurbanitas punitur?

2\. Theodoret. alibi aliorſum expenſa.

Irremediabiliter Angeli corruunt in pœnam inurbanitatis

Iſaiæ 14. v. 13.

Apoc. 7. v. 9. Petr. Dam. ſerm. 52.

Pſ. 109. v. 1.

Chryſ. in c... Ioan.

Geneſeos 13. Abrahamus & Lot, ex fratre nepos, ex Ægypto reduces, in Chananitide iterum pariter conuiuunt: Amborum gregibus & armentis paſcua Palæſtinæ vberrima vix ſufficiunt. Rixantur vtriuſque paſtores, dum quiſque vberiora paſcua, & nitidiores lacus, ad paſcendum, & adaquandum gregem ſollicitiùs perquirit. Suorum tumultum ægrè fert Abrahamus, & vt erat concordiæ amans, pia comitate optionem dat nepoti, vt eligat quem Palæſtinæ tractum mauult, quò ab inuicem diſcedant, tumultuum vitandorum causâ. *Ecce*, inquit, *vniuerſa terra coram te* 3.

Lot in ipsâ inurbanitate, inurbanitatis ſupplicium inuenit.

eſt: recede à me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. Quàm comiter Abrahamus, quàm vrbanè, quamque ciuiliter! Profectò virtus non renunciauit politiæ. Sic maior cum minore agit. Sed vide mihi qualiter agat nepos Lot cum patruo, imò cum patruiſſimo Abrahamo. Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, (quæ vniuerſa irrigabatur, antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini. *Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente: diuiſique ſunt alterutrum à fratre ſuo. Abram habitauit in terra Chanaan.* Inurbanè quidem Lot amœniorem Sodomorum elegit agrum. Sed aduerte inurbanitatis pœnam in ipsâ inciuili electione prouidenter repoſitam. Porrò tunc Perſæ prædones Sodomorum hoſtes, armantur ad Pentapolim hoſtiliter diripiendam: & vnà Lotum abducunt, eius bonis magnâ ex parte profligatis, & abductis ab hoſte. Quid deliquit Lot, vt ſimultatum inter Pentapolitanos & Perſas, pœnas lueret? Vix diſcedit à patruo Abrahamo, cùm hoſtes in Lotum etiam coniurant? Cuius delicti tam feſtinata adeſt punitio? Putauerim, hanc calamitatem, aliàs immeritam, Loto accidiſſe ob inurbanitatem erga vrbaniſſimum in primis Abrahamum commiſſam. Quin & ipſe Sodomiticus ager, quem ruſticanè elegit, hanc calamitatem Loto accerſiuit; quo ipſa inurbanæ electionis materia, fieret ſimul materia & occaſio ſupplicij. Siquidem ſera foret ruſticanæ inurbanitatis pœna, niſi in ipsâ inurbanitate inflicta & expreſſa foret. Inurbanè Lot Sodomam inhabitandam eligit, cum Sodomâ à ſe inurbanè electâ, fiat ipſe bellicæ rapacitatis præda, & Barbarorum mancipium: puniaturque Lot habitatione ipsâ, quam inurbanus elegit. *En ſu miſma deſcorteſia halle el deſcortes el caſtigo de ſu inurbanidad: que llegara tarde otro qualquier ſupplicio.*

Genes. 13. v. 11.

Hic v. 13. Vide hîc Ioſephus quàm ſit attentus ad ſuam, & ſuorum vrbanitatem: virtus enim inurbana non eſt: nam pietas non renunciauit ciuilitati.

---

§. CCLXI.

Arcanâ Dei electione, primus fratrum reperitur, qui erat poſtremus.

1\. QVEMADMODVM nos habemus aduerſus pueros; ſic erga ſenes, quibus etiam in virili & canâ ætate puerilitas ineſt. Imò longè deterius. Inſtructa equidem ſtultitia eſt multorum annorum inſipientia; & oppidò contemnenda, imperitia ſenilis. Nil eſt enim abſurdiùs, quam prouectâ ætate homo, qui præter ætatem, nullo alio argumento probat, ſe diu vixiſſe. Merè grandior ætas, magis caduca eſt; nihilque aliud habet, niſi quod prior ducit ad interitum. Aptior eſt ad ſumma quæque qui in minori ætate, ætatis maioris habet ſtipendia. Gratulor prouidentiæ diuinæ, quòd ſæpiùs natu maioribus abdicatis, minimos quoſque ad præclariora elegerit munia, vt quod ambitiosè præcurrenti naturæ deberi videbatur, arcana Numinis diſpenſatione ætas minor capeſſit, quo ambitionem deſueſcat annoſitas, cæli ſuffragio.

Merè grandior ætas reprobatur.

2\. Ad viſendum iam morientem patrem, cum primogenito Manaſſe, & ſecundò nato Ephraim, Ioſephus properat. Quo etiam reluctante, Ephraim minor maiori Manaſſe cælitùs in recenſitione præfertur. *Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi*, ait Iacobus. Super quibus verbis ita ſcribit S. Cyrillus: *Sed & Ephraim iam nunc nominas ante Manaſſen, iterùm primogenitorum ius infringendo; ſpiritum carni præfert. Et notandum, primogenitis minores natu à Deo in diuinis Scripturis præferri. Nam Abel Cain prælatus eſt, & Sem ipſi Iapheth, & Iſaac Iſmaeli, & Iacob ipſe Eſaü, & Ioſeph ipſis Ruben & Iuda, & Ephraim Manaſſe, & Moyſes Aaroni, & Dauid fratribus ſuis.* Secularis faſtus magni facit antiquitatis prærogatiuam, quam toties in Scripturis Deus reprobat, iuniores præferendo. Homo æſtimat annoſitatem, Deus merita, in quâuis etiam nouellitate recenti. Detumeſcat ergo humana maioritatis ambitio, cùm Deus *iterùm ius primogenitorum infringit*, vt ſuperbiam frangat.

Abiectis primogenitis, natu minimos Deus eligit. Hic v. 5.

Cyrillus in Catena ibi.

3\. 1. Regum 16. Dixit Dominus ad Samuelem: Vſquequò tu luges Saül, cùm ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſraël? Imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Iſaï Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem. Fecit ergo Samuel, ſicut locutus eſt ei Dominus, venitque in Bethlehem. Sanctificauitque Iſai & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium. Ecce præſto erat Samuel, & filiorum Iſaï chorus circumſtabat, & quem eligeret dubius hærebat, errabat oculis, nec quibat dignoſcere. In omnes iacit oculos, & quò mitteretur Gratia, præſtolatur. Conſpectum Eliab maiorem natu & humanis oculis menſus, demiratur, & ait: *Num coram Domino Chriſtus eius?* Et cornu inuergens reiectaneum vt vngeret, cogebat. Sed oleum fluere recuſabat, ne cum errante Prophetâ faceret. Præſtò erat & alter ſecundò natus, qui cum primo dedecus idem referebat. Tertius quoque cum germanis cognatam germanamque tulit repulſam. Ordo quartum vocabat ſilente Gratiâ, vocandi ordo naſcendi ſequebatur ordinem, ſed Gratia naſcendi ordinem refutabat. Quid opus verbis? Conſumpta erat vteri vbertas, nec quem Deus inuenerat, Propheta reperiebat, quaſi filiorum numerus, quod quæritur, ſuffuraretur. Sed rogatus pater, an alius ſupereſſet filius: *Adhuc*, inquit; *reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* Quid, ô Samuel, eum, qui ne ad gregem paſcendum ſufficit, ad regnum flagitas? Quid ætate, & inſtituto cognito, contentioſiùs ei tantùm adiungere dignitatis allaboras? Minor eſt, qui derelictus. Sed ſuffragante Deo non præualuit, generationis ignoratio. Derepentè puer Dauid producitur, paruus ætate, animo magnus. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus eſt*

Dauid natu minimus ſubitò primus fratrum repertus eſt.

1. Reg. 16. v. 13.

eſt Spiritus Domini à die illâ in Dauid, & deinceps. Ad quæ verba ſic fatur eleganter Baſilius Seleucus, ad rem præſentem opportunè: Nondum cornu inuergebatur, & oleum properanter defluebat, vnctioque ſententiam
Baſil. orat. 14. confirmabat: *Et rex erat Dauid prophetica manu ad regnum prouectus, & cœleſti approbatione gratiam conſecutus, ſubitoque primus fratrum comperiebatur, qui poſtremus ordoque naturæ cedebat gratiæ, & legi partus ſuccumbebat. Arcana erant regni exorata, neque ab ipſa naturâ illuceſcebat imperium. Fratres enim primatu exciderant, & quos primos natura produxerat, primos deiici cogebat gratia.* Quid luculentius?

4. Hîc verſ. 13. & 14. vt nuper denarrauimus, Ioſephus ad Iacobum iam capularem properanter venit, vt Manaſſen primogenitum, & Ephraim minorem Iacobo ſiſteret, & optatam benedictionem acciperent. Applicatos autem ad ſe, oſculatus & amplexatus eſt eos Iacobus.
Hîc v. 13. & 14. Primogenitus Manaſſes, cui dextera procuratur, ait, ei deuenuſtatur ſiniſtrâ. Cumque tuliſſet eos Ioſephus de gremio patris, adorauit pronus in terrâ: *Et poſuit Ephraim ad dexteram ſuam, id eſt, ad ſiniſtram Iſrael: Manaſſen vero in ſiniſtra ſua, ad dexteram ſcilicet patris, applicuitque ambos ad eum. Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans manus.* Quo factum eſt, vt Ephraim natu minor, cui Ioſephus iure naturæ ductus, ſedulò
Euſebius in Catena. ſiniſtram patris negotiatur, *Vtramque dexteram patris ſcilicet & aui habuerit*, quòd acutè notauit Euſebius. Itaque Ephraim minor duplici honoratur dextrâ, cui ſiniſtra tam ſolerter procuratur: & Manaſſes primogenitus, cui dextera ambitur, duplici deuenuſtatur ſiniſtrâ. Ecce tibi ipſa vilipendij negotiatio, factum eſt geminatæ ſublimitatis arbitrium. Nec duplicis dexteræ dignitate minor Ephraim ſublimaretur, niſi tantoperè & Manaſſe fratri maiori dextera, & Ephraimo minori procuraretur ſiniſtra. O Dei gratiam quodammodo etiam de peruerſo auxiliantem! Procurata alicui vilitas geminatos parturit honores. *Subitoque primus fratrum comperiebatur, qui poſtremus fraterque primatu exciderat; & quem primum natura produxerat primum deiici cogebat gratia, iterum ius primogenitorum infringens.* quò maior ætas meæ ætatis arrogantiam dediſcat.

---

§ CCLXII.

Feliciórne fortuna, virtuti aliquando militat?

1. Optaverint tibi alia parentes tui; ſed ego tibi contrà, omnium tibi eorum contemptum opto, quorum illi copiam. Opum, dignitatis, & gloriæ nitor, foris ſplendet, intrinſecùs vrit. Qui omne bonum honeſto circumſcripſit intra ſe felix eſt; & paruo contentus, nec fora litibus fatigat, nec alienis inhiat opibus, nec honores ambitione ſuſpirat. Et, vt alia mala humanæ felicitati deſint, fomes vitiorum eſt, & ſcelerum promptuarium.
Celada *de Benedict. Patriarch.*

Hoc cenſu fortunæ bona iure à ſapientibus æſtimantur. Quid ſi aliquando (ô quàm rarò!) humana proſperitas (vitiorum transfuga) pietati militat, & virtutis ſtipendium, felicitas eſt? Peruia eſt omnibus virtutis via, & quandoque per obſtantia Iuſtus feliciùs graditur.

Geneſ. 27. verſ. 4. Iſaacus præmaturè prouidus, ſuum Eſau acceſſit, vt illi largiùs benedicat. Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius: vocauitque Eſaü filium ſuum maiorem, & dixit ei: Vides quòd ſenuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras: cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi pulmentum, & affer vt comedam: *Et benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Non facilè quiuis Iſaaci vindicem aget. Num is eſt Iſaacus, qui ferinæ voluptate eſculenta delinitur? Sic palati obſequia apud Patriarcham eualent? Totus patris amor adæquè impendendus in filios, probum, ſincerum, vrbanum, & pium repudiat Iacobum; improbum, verſutum, agreſtem, & ruſticanum Eſaü mauult: Quid probi parentis in improbo filio ſanciauit amorem? Eſto, Eſaü natu maior erat: at princeps Iacobi indoles, regij & exculti mores, exquiſita pietas, priuilegio virtutis præferenda videbatur. Cur ſic præmaturè feſtinat familiæ gazis, gentis principatu, & auguſta benedictione illum exornare? Bellè Philo Iudæus, & eloquio & ingenio nobilis, ita ſuper hâc quæſtione philoſophatur: *Iſaac*, inquit, *cùm duos filios haberet, vnum bonum, & alterum peccatorem; peccatorem tamen benedicere voluit: non quia bono præferret, ſed quia nouerat bonum bonitate propriâ ſibi ipſi ſatis auxilio fore: malum filium benedictione adiuuare volebat, ſine quâ non niſi infeliciſſimus eſſe poterat.* Scilicet Iacobus eximiè pius, ſatis auctus eſt virtutis hereditate: at Eſaü improbitate notiſſimus, augeatur paternæ benedictionis felicitate, id eſt, abundantiâ frumenti, & vini, & olei, & in totam familiam principatu. Bonus Iacob bonitate propriâ ſibi ipſi ſatis auxilio eſt, compenſemus in Eſaü peccatore virtutis defectum, dignitatis & diuitiarum largiori copiâ, ſi fortè quod in fratre minori præſtat virtutis ſublimitas, in maiori præſter auctioris fortunæ felicitas. Æquali & indifferenti amore in vtrumque fertur Iſaacus, præcelſam pietatem & religionem in vtroque deſiderat. Videt Iacobum virtute præſtantem; vacant ergo in illo fortunæ bona, quæ cumulatiùs congerit in improbum Eſaü; non quia improbus eſt, ſed ne improbus vltrà ſit: non vt honore, & diuitiis augeat peccatorem; ſed vt auctus honore & diuitiis peccator eſſe deſit; dum diræ neceſſitatis facinora opibus cohibere deſiderat, & ambitionis impotentiam honore iugulare exambit. Inde ſanctiſſimus Iſaac improbum Eſaü ornare feſtinat paternâ benedictione, id eſt, familiæ gazis, & gentis principatu: *Quia nouerat bonum Iacobum bonitate propriâ ſibi ipſi ſatis auxilio fore: malum filium benedictione adiuuare volebat, ſine quâ non niſi infeliciſſimus eſſe poterat.* Et ſanè nunc etiam aliquos ſuſpicimus, quorum fortunæ bona virtuti militant, dignitatiſque ſublimitas & ſplendor pietati auxiliatur, & inſidiatur vitiis. *Tal vez las obligaciones del pueſto grande le hacen à vn hombre cumplir con las ſuyas.* Quod

[Margin, right column: 2. — Geneſ. 27. 4. *Iſaacus opibus & honore ſuum Eſaü ad virtutem ſtimulat?* — Philo apud Rio ibi.]

Ephraimus præ Manaſſe præſtitit; celſiori dignitate animoſior.

3. Lucæ 15. pius & opulentus ille pater Prodigum dimittit filium, bono & frugali apud ſe retento, qui primogenij, & pietatis iure prædiuitis cenſus heres ſit, auctus familiæ principatu. Paternæ domus opulentiâ, honore, & dignitate lætus fruitur ſenior frater, dum Prodigus iunior diræ egeſtatis infelicitate admonitus, domum redit. Audit ſenior frater procul ſymphoniam, videt ſumptuoſioris epuli apparatum, quo pius pater reducem excipit filium Prodigum; & arcanè querulus, non tam vt cum patre expoſtulet de improbo excepto filio, quàm vt ſuam publicet probitatem, dixit patri ſuo: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterini*, &c. Cui reſpondet pater: *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Quid felicius, quam perpetuo frui paternâ prænobilis & opulenti patris domo, vnici hæredis titulo; quaſi totius cenſus præproperâ poſſeſſione, & peramplæ dignitatis anticipatâ ſucceſſione? Quid tam proſperum, quàm ab ore tanti patris audire: *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt?* Omnia fortunæ bona huius ſententiæ compendio Euangeliſta exaggerauit. Sed vide mihi in tantâ fortunâ viri innocentiam: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterini. Non autem pater* (acutè inquit Auguſtinus) *eum quaſi mentientem redarguit, ſed ſecum perſeuerantiam eius approbans, ad perfectionem potioris atque iucundioris exultationis inuitat. Vnde ſequitur: At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Ecce tibi inſignem huius ſenioris fratris probitatem, qui in tantâ opum & dignitatis felicitate, dicere audet annuente patre: Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterini. Et cui pater adæquè reſpondet: *Fili, tu ſemper mecum es, per obſeruationem iuſtitiæ. Et omnia mea bona gratiæ & gloriæ, tua ſunt; quadam ſpe, quadam re,* vt inibi eleganter Hugo Carenſis commentatur. Quod virtutis hic peramans filij ſui pater, in primogeniti dignitate & opulentiâ experitur, Iſaacus in ſuo primogenito Eſaü percupit, dignitatis & opulentiæ priuilegio. Minùs ſæpè licet, cui omnia licent. Aliquando proſperior fortuna, pietatis lenocinium eſt, & virtutis felicitas, dum agnata egeſtati, & ambitioni vitia reſecans, vberiorem virtuti materiam non ſemel feliciter offert, ne ſemper fortuna ſit infortunium virtutis. Præſtat de humanæ felicitatis ſpoliis pietatem ditiùs ornare.

Dignitas & opulentia nō ſemel virtuti militant?

Lucæ 15. v. 29 & 31.

S. Auguſt. l. 2. qq. Euang. c. 33.

Hugo ibi.

§ CCLXIII.

Quaſi auritæ forent ſubditorum manus, manibus ad obſequium ornantur.

1. VENERATIO in Principe neceſſaria eſt, quæ opinione magis, quam viribus continetur. Sed videat, vt dum maieſtatem tuetur, faſtum deponat. Gubernatoris faſtus ſubditos auertit, auerſio contemptum parit: non imperat, qui contemnitur: precarium enim magis quàm verum obſequium extorquet, qui ſubditos conciliare neſcit. Gubernatoris peritia ſic beneuolentiæ vinculis ſubditos ſibi deuincit, vt nec latum vnguem ab eius nutu diſcedant. Et ſanè miſerum eſt, affectu carere ſuorum; beatum, arcana pectorum ſuorum poſſidere. Affectus autem quantumuis duros & agreſtes mores emollit, & flexiles facit ad obſequium, ita vt vltro ſubditus eat, quò alioqui vix trahi poſſet inuitus. Affectus enim Gubernatoris ſic vices reciprocat cum affectu parendi, vt ſubditus non tantum affectuum præſtigiis velut cæco impetu præceptionibus obtemperet; ſed quaſi mens & affectio abierint in naturam, ipſo quodammodo naturæ impetu duce, rem præceptam expromptiùs exequatur, quæ videtur perfectioris obedientiæ exaggeratio. Porrò cæcum ſubditorum obſequium, affectu parendi actum, putatur obedientiæ meta. Verùm ſi affectus ſuperioris deuinctus, diuturnâ parendi conſuetudine, velut abierit in naturam, executrices potentiæ arcano quodam impetu in obſequium quodammodò erumpunt.

Subditus Superioris affectu deuinctus, cæcè fertur ad obſequium.

2. Geneſ. 24. demortuâ Sara, nuptias Iſaaco Abrahamus procurat. Chananæas feminas, quaſi leuiculas, aut ſuperſtitioſas, aut illiberales reiicit, & cognatam virginem, congruam Iſaaco vxorem perquirit. Rem totam œconomo credit. Ille pergit in Meſopotamiam, Abrahæ natale ſolum. Indicia eligendæ puellæ mente cælitùs œconomus deſtinat: ſuccedit è re votum. Obuia prodit Rebecca, in quam omnes arcanæ mentis præmeditata indicia apprimè quadrant; & protinùs futuram domini ſui ſponſam pretioſis monilibus onerat rigente auro. Addit ſacer hiſtoricus: *Cùmque* Laban *vidiſſet inaures in manibus ſororis ſuæ, & audiſſet cuncta verba referentis,* &c. In Hebræo non *inaures*, vt in vulgato, ſed *inaurem* in ſingulari habetur. Ad quæ verba ſic fatur Lyra: *Per hoc verò quòd in Hebræo dicitur, Inaurem in ſingulari, intelligitur etiam alia ſibi correſpondens: quia non ornatur vna auris ſine aliâ: & qualibet inauris erat æqualis ponderis.* Qui vnam dedit inaurem, aliam quoque eiuſdem materiæ, pretij, & ponderis cenſetur dediſſe. Quo diſſimulanter carpit eos, qui vnam duntaxat inaurem accipientes, vtramque accepiſſe dicuntur. Si vnam occupauit aurem, aut ſuſurro, aut ſycophanta, aut delator; ne quæſo, occupet vtramque; quæ audiendo reo reſeruanda eſt, ſi fortè accuſationem detergat, & aliam occupet & exornet aurem

Qui inaurem vnam Superiori donat, non donet vtramque.

Gen 24. 30.

Lyra ibi ad v. 22.

ſutem veritate, quod verum eſt aurium ornamentum. O bonum gubernatoribus documentum! Sed reſtat adhuc ſubditis aliud, ad rem præſentem opportunum. Nempe quòd prudens Abrahami procurator & ſponſæ paranymphus, dederit *inaures in manibus* Rebeccæ. neque id inficiari poteſt cùm oculatus teſtis Laban viderit *inaures in manibus ſororis ſuæ*. Puto, inaures congruentiùs ex auribus ſuſpenderet, quàm indoneè in manibus collocaſſet. Manus ne ornandæ ſunt aurium blandimento? auritæ ne ſunt manus? manuſne ſubſtituant aurium officia? Si illa ſubſtituant, planè alienum munus & peregrinum vſurpabunt. Imò obibunt egregiè ſuum: neque enim manus ſolùm obeant operis exequendi miniſterium; ſed etiam ſuperioris nutum quodammodo exaudiant, & obedienter percipiant ad obſequium. O arcanam manuum audientiam, quin & intelligentiam! *In intellectibus manuum ſuarum deduxit eos*. Scilicet ſerum foret obſequium & tardum, quod priùs auribus diſertè intimaretur: manus auditum quadantenùs anteuertant, & nutibus pareant, & anticipato obſequio præueniant auditum. Vide oculis *inaures in manibus* Rebeccæ, id eſt, Eccleſiæ: aureis enim ornentur inauribus manus, quæ aurium ſubſtituunt obſequia. ô Iuſtorum manus parendi conſuetudine benè de cælo auritas, ad expromptiora ſubditorum obſequia! Arguta planè hyperbole.

Manus, ac ſi aurita forēt, inauribus ad obſequium ornantur.

Pſ. 77. v. 72.

3\. Senectute confectus languet Iacob Gen 48. audito incurabili patris morbo, adeſt Ioſephus cum duobus filiis Manaſſe & Ephraim, vt Iacobus familiæ princeps & Patriarcha illis benedicat. Ille verò totus de cælo inſtinctus, *Extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, ſiniſtram verò ſuper caput Manaſſe qui maior natu erat, commutans manus.* Pro *commutans*, Hebraicè eſt שכל *ſiccbel*, à radice שכל *ſachal*, quod docente Lipomano, & aliis Hebraicè peritis, *ſignificat intelligere, prudenter agere, aſpicere, & ſuperponere.* Vndè pro *commutans manus*, nonnulli ex Hebræo vertunt: *Fecit intelligere manus ſuas*. Scilicet Iacobus de cælo afflatus, dum diuino nutui obtemperans, ordinem natiuitatis interturbat; non modò miniſterialem rei executionem; ſed quodammodo etiam auditum & intelligentiam à manibus expetit, & in manibus agnoſcit, quas dum ad Dei nutum commutat, *Fecit intelligere manus ſuas*. ô benè auritas & intelligentes Iacobi manus! ô quàm altè ſapit hominis manus, quæ de Superioris nutu ſapit! Dum obſequio exprompta, quaſi non expectaret ſuæ mentis conſilium, aut proprij arbitrij iuſſionem; ac ſi ipſa ſubditi manus, aurita foret, & iuſſa intelligeret, adſuetæ virtutis impulſu tota ferretur ad obſequium: explens decantatiſſimum illud Tertulliani votum: *Non tantùm Deo obſequi debeo, ſed & adulari.* Sed hanc ſententiam alibi vberiùs emedullauimus. O arcanam manuum audientiam, imò & obaudientiam, quâ obediens cælo adulatur!

Ille v. 14. Manuum ad parendum intelligentia, obſequio adulatur.

Lipoman. in Catena ibi.

* * *

Celada *de Benedict. Patriarch.*

§ CCLXIV.

Non tam excæcata mens, quàm voluntas vitiis inſoleſcens, hæreſeos conceptaculum & officina eſt.

1\. SI verè reſpiciamus ad hæreſes, quæ mentem humanam tot erroribus proſtituunt, rara aut nulla inuenietur, quam culpata criminibus conſcientia non concipiat, aut parturiat, aut paſcat, aut nutriat. Exinde plures viri ingenio & eruditione magni, hunc ſpiritualibus medicis velut aphoriſmum tradiderunt: Contra Hæreticos non tam argutâ & eruditâ ratiocinatione, quàm victrice ad puriorem vitam ſuadelâ agendum eſſe. Quaſi Hæreſum conceptaculum non tam ſit humani intellectus pertinacia, quàm inolita malæ voluntatis peruerſitas. Porrò homo in vitiorum cœno perdiu volutatus, ad emergendum elumbis, auxiliares adſciſcit errores, quibus morſicantem conſcientiam quadantenùs inhibeat, & oblatrantem compeſcat. *Muchos viendoſe atollados en vicios, toman por medio los errores de la hereija, para acallar la conſciencia.* Scilicet voluntas prauitatis vdore, vitiis diu immerſa, mentis euaporat errores. Quotidianâ experientiâ clarè conſtat apud eos hæreſim inualeſcere, vbi ſtudium bonæ vitæ neglectui habetur. Annon ambitio primum Hæreſiarcham Simonem Magum fecit? & Tertullianum quid aliud Montaniſtam excudit? Aerius apud Auguſtinum Epiſcopatu fruſtratus ab infulis repulſam erroribus non conſolatur? & Lutherus, Ochinus, Duccius non adſimili ambitione negati, de fide infidè apoſtatarunt? Nec modò ambitionis libido, ſed libido effuſiùs laſciuiendi hæreticos fecit. Quid enim ſunt olim Nicolaus Diaconus, Marcion, Montanus, Nouatus: quid nuper Lutherus, Caluinus, Menno, Beza, Bucerus, Martyr, niſi ob incontinentiam ab Eccleſiâ naufragi? Opportuniſſimè Chryſoſtomus: *Malè viuentes*, inquit, *ne futurorum metu & expectatione crucientur, perſuadere ſibi omni ſtudio curant, falſa eſſe omnia, quæ noſtra Religio continet: nempe de peccatis, de reſurrectione, iudicio futuro, & ſimilibus.* Itaque hæreſum ſylua, quæ denſis in intellectu ramis opaca pullulat, frondet, (ô malum) floreſcit; fertilis fructu, æternaturis ignibus nunquam ad maturitatem decoquendo, in praua voluntate, in quâ altas radices egit, exſcindenda eſt. Ambitionis pompam detrunca, libidinis ſcabiem compeſce, conſcientiæ puritatem ore & exemplo ſuade, & ſerpentes errores funditùs extirpaſti.

Voluntas vitiis cœnulēta per mentē, hæreſes euaporat.

Victor. Pamelius & Baron. apud Cornel. 1. ad Tim. 1. Auguſt. lib. de Hæreſ.

Chryſoſt. in 1. ad Tim. 1. cit. à Cornel. paulò aliter in exemplaribus.

Euangelicus vates Iſaias id præſagâ mente vidit, & diſertiſſimis verbis ad hæreticæ contagionis medicinam, diligentiùs aduertit, vt ibi notat Hieronymus cófeſtim allegandus.

Sic cap. 30. fatus Propheta: *Nunc ergo,* inquit, *ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud; & erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum, populus enim ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.* Fere conuenit inter expoſitores antiquos & recentiores, hîc agi de Iudæis deficientibus à lege Domini, & confugientibus ad Gentium errores; & ſub Iudæorum defectione adumbrari Hæreticorum apoſtaſiam. Vide ergo mihi errorum originem, quam prædixit Iſaias, vt *ſit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum.* Quid dicunt filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei? *Qui dicunt,* inquit Propheta, *Videntibus: Nolite videre: & aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtrâ ſanctus Iſraël.* (Iſaiæ 30. v. 10. & 11.) Audis quid expectant *Filij mendaces*, filij perfidi, ideóque adulterini & degeneres à fide Patriarcharum, & Apoſtolorum? hi, hi inquam, *dicunt videntibus, id eſt, viris prophetis,* (ait Lyra) *Nolite videre nobis ea quæ recta ſunt.* Populuſne ſuggerat Prophetæ Dei, quid videre debeat? quid Deus illi reuelet? ô quales Prophetas expetit refractarius Nouatorum populus! *Spiritu prophetico, propriâ induſtriâ*, ait Anſelmus Laudunenſis. Quod ab *humanâ induſtriâ* venit, & ipſi videndum dictant, *ſpiritum propheticum* dici ambiunt? *Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt.* Quid ergo hi flagitioſiſſimi homines & obſtinatâ malitiâ dementati, videndum ſuggerunt Prophetis? *Nolite nobis videre quæ recta ſunt; loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* (Hieron. ibid.) Quæ verba ſic exponit S. Hieronymus, magnus Scripturarum arbiter. *Qui dixerunt: Noli nobis videre quod nolumus, nec quæ recta ſunt prædices: ſed loquere quæ nobis placent, quod cumulet peccata peccatis. Quid nobis ingeris quod non libenter audimus? quid monſtras viam, per quam ingredi nolumus? Quid frequenter ingeminas auribus noſtris: Hæc dicit Dominus ſanctus Iſraël? Ceſſet à nobis iſta prædicatio. Secundum tropologiam, omnes hæretici, mendaces filij appellantur. Ex nobis enim exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: qui non audiunt interioris hominis auribus legem Dei, & Eccleſiarum loquuntur magiſtris: Nolite nobis videre quæ recta ſunt, nec gehennæ flammas comminemini, ſed promittite nobis regna cælorum: vt poſt luxuriam, & delicias, pandatur nobis paradiſus. Quid mihi oſtendis viam Domini, per quam non libenter ingredior?* Longiuſculè; ſed quid omitterem? Et adhuc iuuat præfata Iſaiæ verba vlterius enucleare.

3. Parùm fuit dicere videntibus, id eſt, veri Dei prophetis: *Videte nobis errores*, per quos quaſi à Deo monſtratos, nos (noſmetipſos fallentes) velut rectâ viâ ambulemus, & addunt: *Auferte à me viam, Declinate à me ſemitam.* ô effrontem hæreticorum impudentiam! Sic inuidioſa erronibus eſt vera Catholicorum via, & recta mandatorum ſemita, vt ſolertiſſimè intentent, illam orbe toto auferre? Eſto, tu ambules erro per errorum viam, quam à tuis Videntibus à Deo monſtrandam expetiſti, dicens: *Videte nobis errores*; cur aliis prohibes rectam Catholicæ veritatis viam? Quare tam audacter clamas: *Auferte à me viam, declinate à me ſemitam?* Ne tu per eam incedas, ſed eam aliis ne obſtruito. Heu! integrum erit Lutherum, Caluinum, Melanctonem, Bezam, Bucerum, & his pares Sectariorum ſectari nugas, & auitæ, & Catholicæ religionis regiam viam auferre & obſtruere ſatagis? Sed in hoc Iſaiæ loco non dimittamus inexpenſum, quod ſubtiliter aduertit inibi Sanctius. Nota, inquit, tranſitum eſſe à numero plurali ad ſingularem, nam cùm priùs dixiſſet: *Loquimini nobis, videte nobis*; poſtea mutato numero dixit, *Auferte à me viam, declinate à me ſemitam.* Nempe Hæretici populariter & regionatim ſuis Videntibus & Prophetis dicunt: *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores*, vt populari ſectatorum plauſu auctoritatem peruerſum dogma mutuetur, & amplæ prouinciæ ſuffragio veroſimile appareat; ne ipſe ſingularitatis periculum ſubeat. Sed vide vt non ſtudeat communi vtilitati; quia id vnum ſingulariter intendit, *Auferte à me viam, declinate à me ſemitam.* Nempe arctam Catholicæ veritatis ſemitam, multis impeditam præceptis *à me* auferri intendo, & declinare cupio. Error videatur à noſtris Prophetis, & à nobis vniuerſatim accipiatur, vt vnus ego libidinis cœno merſus, ambitionis compedibus irretitus, vitiorum ſarcinis onuſtus, laxiorem & planiorem inueniam viam, per quam expeditius & liberiùs incedam. Ecce tibi Hæreticorum ſcopum, id vnum erroribus negotiantur.

4. (Matth. 25. v. 1. & 2.) Matthæi 25. hanc eruditionem de cæli gymnaſio Chriſtus tradit. *Tunc,* ait, *ſimile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*, &c. Sedulò indagant interpretes quidnam ſignificauerit Chriſtus Deus per has decem virgines, quarum quinque dicuntur *fatuæ*, quinque verò *prudentes.* S. Hilarius ad ea verba, Fideles, & infideles ſignificari peritè exiſtimat: (Hilarius in Matt. can. 27.) *Tunc,* ait, *aſſimilabitur regnum cælorum decem virginibus,* &c. *De die magno Domini omnis eſt ſermo, in quo occulta humanarum cogitationum diuini iudicij cognitione prodentur: & vera expectati Dei fides non ambiguæ ſpei meritum conſequetur. Abſolutè enim in quinque prudentibus, & quinque fatuis fidelium atque infidelium eſt conſtituta diuiſio.* Bene eſt, per quinque prudentes virgines intelligantur Fideles, qui fidei lumen accenſum præferunt; per fatuas virgines, Infideles, ſeu Hæretici intelligi non poſſunt, quibus fidei lumen extinctum eſt: hæ autem fatuæ virgines non dicuntur tuliſſe lampades omnino extinctas: nam ipſæ poſtmodum Prudentibus dicunt: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades extinguuntur.* Nec expetunt fidei lumen, ſed operum oleum. Nam vt ibi notat Strabus: *Quinque ex eis erant fatuæ, id eſt, bonis operibus vacuæ. Et quinque prudentes, id eſt, opera bona habentes.* Per *oleum* autem bona opera, & puram à vitæ ſordibus conſcientiam intelligi, cenſet cum Strabo Hieronymus & Hilarius, quibus ſubſcribunt plures. O bonam Hæreticis eruditionem! Nemo, nemo inquam, adeò ſit fatuus vt ſeriò cenſeat lumen fidei in infidelibus & Hæreticis extingui aduerſo ventorum flatu, hoc eſt, argumentorum argutiis; nam ipſi dicunt: *Videte nobis errores*, & ad noſtrum arbitrium religionem

Dei

Dei nomine adaptare; *olei* defectu, quo vaſculum conſcientiæ caret, lampades extinguuntur, & fidei lumen langueſcit & emoritur. Lumen fidei purioris vitæ oleo nutritur & ardet: deficiente bonorum operum pabulo, lumen fidei extinguitur. Fatuus eſt, quiſquis Hilario admonente, adhuc reſupinus ignorat, hos fatuos infideles ſeu Hæreticos, non olei defectu, fidei lampades extinctas geſtaſſe. Plenum gere conſcientiæ vas bonorum operum, & purioris vitæ oleo; non ambitionis inanitate, non auaritiæ cupiditate, non vdore libidinis; & non extinguetur fidei lumen. Audis vel fatuas has virgines, non lumen quæſiſſe, ſed oleum? Habe bonorum operum oleum, nec deerit lumen fidei. Vitam corrige, puram gere conſcientiam, & ſic cæleſte lumen expromptius accendes.

5. Non tam hîc exſcribendus & expendendus, quàm non omittendus eſt locus Pauli 1. ad

1. ad Timoth. 1. 19.

Timoth. 1. vbi illum adhortans vt militet bonam militiam, ad rem præſentem concludit: *Habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes*, (id eſt, *quà bonâ conſcientiâ repulsâ*, vt tradunt Caietanus & Vatablus) *circa fidem naufragauerunt*. Adeò perſpicuè id docet Apoſtolus cum omnium interpretum plauſu, vt pigeat & pudeat eius verba expendere. Illud tantùm aduertere oportet, nuper dixiſſe inibi Paulum: *Finis autem præcepti charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ*. Vo de *fide non fictâ*, exponi ab Anſelmo Laud. *De fide non fictili*. Quaſi conſcientia non bona, diuinam fidem reddat *fictilem*, luteam, & de figulinâ fragilem. O teneram & delicatam flagitioſorum hominum fidem, à non bona conſcientiâ fictilem! Fides *fictilis* falſæ fidei affinis eſt: nam mala vita deſinit in hæreſim, quia quæ grauatur exequi, deteſtatur. Pulchrè Saluianus: *Paucißimis ſaltem præceptis Dei quis obſequatur, interrogo: nec illa dico quæ ita multi refugiunt, vt penè & execrentur. Tantum apud nos honor & reuerentia Dei perijt, vt quæ in deuotione non facimus, etiam odio digna eſſe ducamus.*

Fides diuina à non bonâ conſcientiâ fictilis redditur?

1. ad Timoth. 1. 5. Anſelm ibi.

Saluia. de Gub. Dei l. 3.

6. Ioannis 2. *Cùm Ieſus eſſet Ieroſolymis in paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes.* Horum verborum explicatio magnum negotium commentatoribus iure faceſſit, & S. Auguſtinus ſic ſubtiliter addubitat: *Quid ſibi vult hoc, Illi credebant in nomine eius, & ipſe Ieſus non credebat ſemetipſum eis? An fortè non credebant ei, & fingebant ſe credidiſſe? Sed non diceret Euangeliſta: Multi crediderunt in nomine eius. Magna ergo res, & mira: Credunt homines in Chriſtum, & Chriſtus non ſe credit hominibus.* Nimis vrget hæc difficultas Auguſtini acumine digniſſima. Sed cui fortè reſponderat Origenes his verbis: *Dicendum* (ait) *quòd Ieſus non ſe credidit credentibus in nomine eius, & non in illum. In illum enim credunt, qui anguſtam viam vadunt ducentem ad vitam.* Pulchrè quidem. Verùm cùm Rupertus ſeriò cenſeat, hæc verba ex Euangeliſtæ intentione edita eſſe contra Hæreticos, ſic ad rem quam verſamus, acutè fatur: *Multi crediderunt in eum. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis. Iſti*, inquit, *credentes in eum, credendo quoque errabant, itaut meritò Ieſus ſemetipſum illis non crederet. Nam credebant quidem, quod ipſe eſſet Chriſtus: ſed humilitatis eius vias recipere non merebantur.* Quid luculentius? Nempe Hæretici noſtri æui credunt Chriſtum, & fortè fide diuinâ; ſed quia eius arctas vias recipere dedignantur, vt per latas & ſpatioſas, quæ libidinem, & ambitionem non reſpuunt, obſtinatè cupiunt incedere; talia, tanquam indigna de Chriſto credunt, tanquam abſurdam diſpenſandæ gratiæ, & regendæ Eccleſiæ œconomiam, pro ſuæ malitiæ nutu fingunt, vt *Iſti credentes in eum, credendo quoque errarent*. Quid exaggeratius? Non quod à veritate aberrarent, credendo Chriſtum Deum, (procul calumnia) ſed quia talem Chriſtum, tanquam Scripturis diſſonum efformant, qualem ſuæ ambitioni & libidini vellent. Sicut illi refractarij apud Iſaiam, Hæreticorum vmbræ, *filij mendaces*, filij nolentes *audire legem Dei*, ingenuè fatebantur verum eſſe Iſraëlis Deum, & tamen, *Dicunt Videntibus: Nolite videre: & aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt: Loquimini nobis placentia: videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtrâ ſanctus Iſrael.* Id eſt, ne vltrà dicant nobis Prophetæ repetitam illam cantilenam: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael*, vt modo dicit Eccleſia orthodoxa, & Petri vicarius: Hic eſt Scripturarum verus ſenſus: Hæc perpetuæ traditionis velut traduce, olim & nunc Catholica obſeruauit Eccleſia.

Ioan. 2. v. 23. & 24.

Aug. Tract. 11. in Ioan.

Hæretici credentes in Chriſtum, credendo quoque errant?

Orig. to. 10.

Ruper. l. 3. in Ioan. ad ea verba c. 2.

P. Gaſpar Hurtad. Doctor & Decanus Complutenſis tract. de Fide diſp. 7. diff. 5.

Iſaiæ 30. v. 9. & 10.

Geneſeos 24. ſeruus Abrahami ſenior è Palæſtina in Meſopotamiam proficiſcitur, vt ex Abrahami cognatione eligat ſponſam Iſaaco. Stabat ad fontem prope vrbem Charan, & ecce Rebecca aduenit, ex Abrahami cognatione pulchra & innupta puella; re probè cognitâ, Eliezer illam confeſtim deſtinat in domini ſui vxorem, ipſamque nuptialibus onerat monilibus. Sed vide quàm non aptè (vt apparet) monilia diſtribuit: *Cùmque Laban vidiſſet inaures..... in manibus ſororis ſuæ, & audiſſet cuncta verba referentis*, &c. Puto, inaures congruentiùs ſuſpenderentur ex auribus, quàm in manibus ponerentur. Manuſne ornandæ ſunt aurium blandimento? Sed quis neſciat ex interpretum allegoricis expoſitionibus, Rebeccæ nomine Eccleſiam deſignari? opportuniſſimè ergo *inaures*, id eſt, aurium ornamenta (nam fides ex auditu) in manibus reponuntur, hoc eſt in operibus: quò perſpicuè innuatur, ornamenta fidei non tam ex auribus, quàm è manibus dependere: quaſi fides non tam conſtet aurium audientia, quàm manuum, per bona opera, intelligentiâ. *Inaures* videt Labanus in ſororis ſuæ manibus, quia fides Catholica manus in bono opere ſedulas, pulchrè adornat. An non de Iacobo, Rebeccæ filio, dictum eſt: *Fecit intelligere manus ſuas?* Manus res cæli audiunt, ergo manus auribus ornandæ erant. 7.

Manus Rebeccæ inauribus arcanè ornantur.

Geneſ 24. v. 30.

Hîc v. 24.

Secundùm aliquorum translationem.

* * *

§ CCLXV.

Æternat nomen in tenellâ pueri carne velut ſubſtantialiter inſcriptum.

1. PROPRIETAS nominum ſalus eſt proprietatum: quippe quod non tam rem forinſecus videatur inſcribere, quàm medullitus inſculpere, & denitè aſſerere, elogio altè impreſſo. Animantia omnia recens creata adduxit Deus ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Quaſi diceret illi Deus, ait Baſilius Seleucus: *Inde nomen, quibus ego eſſentiam: non appellationem euerto, non gratiam refingo: Omne enim quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius. Non potuit vel ipſa tranſgreſſio nomina labefactare, neque legis violatio appellationes alienare.* Sic nomina rebus inſculpta, & velut cum earum naturis immixta erant, vt nec primæui delicti iniuria, nec perpetuò ſuccedentis malitiæ adroſu, nec exundantis diluuij ruinâ, recens inditorum nominum proprietas oblitterari vnquam potuerit.

Nulla transgreſſio nomina labefactat. Seleuc. orat. 1. Gen 2. 19.

Geneſeos 41. poſtquam è mentiti reatus iniuriâ, & diuturni carceris ſqualore, ad ſummam Ægypti præfecturam aſcendit Ioſephus; nati ſunt ei filij duo antequam veniret fames: quos peperit ei Aſeneth filia Putiphare ſacerdotis Heliopoleos. *Vocauitque nomen primogeniti Manaſſes, dicens: Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. Nomen quoque ſecundi appellauit Ephraim, dicens: Creſcere me fecit Deus in terrâ paupertatis meæ.* Id enim filiorum nomina Hebraicè ſignificant. Super quorum nomenclaturâ ſic eleganter philoſophatur Lipomanus: *Poſteros igitur meminiſſe voluit Ioſeph beneficiorum Dei, ideò nominum impoſitione, velut in propriam illorum carnem inſcripſit miſericordias Domini.* Sententioſè planè dicitur nomen in tenellâ recens nati infantis carne *velut inſcriptum.* Sic nomen rei inſculptum hæret. Nomen eſt corporis inſcriptio altè illi impreſſa?

Hic v. 16. Geneſ. 41. v. 51. & 52. *Ioſephus nomen inſcribit in tenerâ infantium carni?* Lipom. in Catena.

2. Lucæ 2. *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur.* Notum eſt, *Ieſu* nomen à ſalute ſignificationem mutuare, Angelo interprete: *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Paſchaſius Ratbertus, quo ſolet ingenij acumine, ſic fatur hâc ſuper re: *Licet multi Ieſus olim fuiſſent, hic tamen ſubſtantialiter ſalus eſt appellatus.* Et dixerat paulò antè: *Et nomen Ieſu, quod ſubſtantialiter illi inerat, Angelo dicendum reſeruaret.* Et antea ſcripſerat: *Ieſus autem ſub figurâ nominis in alio iam præmiſerat.* (in Ioſue, inquam) *Sed quod ille typicè vocatus eſt, hic tandem ſubſtantialiter deſignatur.* Verè Chriſtus eſt vir ſui nominis; & implens nominis ſignificantiam, rem nominis adimplet. In pluribus ſæpè hominibus apparet *nominis phantaſma*, & vocabuli grandiloquentia, quæ rem extrinſecus buccinat, & micanter fulgurat ſyllabarum fugitiuo ſplendore, aëri ad momentum credito: *Ieſus autem ſubſtantialiter ſalus eſt appellatus, & nomen Ieſu illi ſubſtantialiter ineſt.* An ſacroſanctum nomen Ieſu de ſubſtantiâ Chriſti eſt, & non forinſecus aſſutum proprietatis elogium? Chriſto Deo *ſubſtantialiter ineſt*, ſalutare & auguſtum nomen Ieſu? Sic officij nomen, & rem officij Chriſtus adimplet, vt nomen Ieſu *ſubſtantialiter Chriſtum deſignet*, non ex fluxo vocabuli accidenti? ô grande elogium huius arcani nominis, quod Ioſephus Deiparæ ſponſus, inſtar Ioſephi Patriarchæ, *in propriam illius carnem inſcripſit!* In tenellâ Manaſſe & Ephraimi carne beneficiorum nomen inſcripſit olim Ioſephus, vt illorum memoriam perpetuaret: in octo dierum infante Deo noſter Ioſephus Ieſu nomen *inſcribit*, quod *nomen Ieſu illi ſubſtantialiter ineſt.*

Lucæ 2. 21. Matth. 1. 21. Paſch. in c. 1. Matth. *Ultimo Ieſu nomen Chriſto Deo conſubſtantiale.*

3. *Et vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, dixit Ioſepho Angelus: & Chriſtus ſuo Ignatio. Vocabis nomen Societatis Ieſu: quia ex proprio inſtituto ſolerter procurat ſaluos facere omnium gentium populos à peccatis eorum. Conſultiſſimè à ſuæ natiuitatis auſpicio, Ieſu nomine eius Societas inſignitur; & quidem *Cum nominis propagine, cum traduce Spiritus ſancti*, vt altè dixit Tertullianus. Præcelſum Ieſu nomen feliciter propagatur & ſoboleſcit in Societate Ieſu: & ſanè *cum traduce Spiritus ſancti*, cui imputa magnalia, quæ breuiſſimi æui ſpatio, in vtroque orbe ſtrenuè patrauit. Addit Tertullianus: *Et eritis odio omnibus hominibus, &c. In nobis, in quibus conſederit nomen cum odij ſui lege.* Priuilegium Ieſuani nominis eſt, plures oſores pati, & perſecutionibus obnoxium eſſe. *Cum odij ſui lege* nomen Ieſu *conſidet* Societati Ieſu: & inde vectigalis eſt tot inſectatoribus glorioſi nominis ſui priuilegio. *Nunc igitur, ſi nominis odium eſt, quis nominum reatus! quæ accuſatio vocabulorum? niſi ſi aut barbarum ſonat aliqua vox nominis, aut infauſtum, aut maledicum?* Annon vides oculis indies impleri hanc propheriam, quâ nomen Ieſu perſecutores prophetat? vide etiam quàm altè illi hæreat Ieſu nomen, quod ei à primâ inſtitutione *inſcriptum* eſt, & glorioſè *conſidet, cum nominis propagine, & traduce Spiritus ſancti:* dum iuxta nominis ſui priuilegium, *ſubſtantialiter* in ſalutem animarum ſolertius incumbit. *Omne enim quod vocauit* nouus *Adam, ipſum eſt nomen eius.* Sic conſidet nomen! ſic ſubſtantialiter ineſt! ſic altè inſcriptum illi eſt!

Matth. 1. 21. *Nomen Ieſu propagatur cum odij ſui lege.* Tertull. in Scorp. c. 9. Lucæ 21. 17. Tertul. Apolog. c. 3.

4. *Et vocabis nomen eius Ieſum.* Præcelſum Ieſu nomen, quod *ſubſtantialiter* Chriſto ineſt, quia humanæ ſalutis eſt auctor, & Saluatoris vocabulum re implet; nomen eius eſt, & quidem proprium: neque enim *nominis phantaſma affectauit.* Tamen quia Societas Ieſu toto ſui inſtituti adnixu ſolerter incumbit in totius orbis procurandam ſalutem, iuxta ſui nominis etymologiam, idoneè nobilitatur eodem Ieſu vocabulo. Nam *Chriſti* Ieſu *nomen, non ex naturâ veniens, ſed ex diſpoſitione, proprium eius efficitur, à quo diſpoſitum inuenitur*, vt acutè mihi Tertullianus edifferit. Quod eſt hoc diſpoſitionis meritum, ſeu meritoria diſpoſitio ad nomen Ieſu, quod ſaluationem ſonat, niſi

Matth. 1. 21. *Diſpoſitionis merito nomen Ieſu Societati tribuitur.* Tertull. l. 3. adu. Marc. c. 15. Idem ibid.

exſomnis

exſomnis ſolertia, quâ Societas Ieſu, vicarias Saluatoris vices ſedulò gerens, procurat in vtroque orbe animarum ſalutem, tot voluminum doctrinis, tot Apoſtolicis præconum tubis, tot operariorum ſudoribus, hominum ſalutem hiantibus? Hæc diſpoſitio tanto Nomini poſſidendo Ieſuitis apprimè militat. Neque velut nouum admittens præſidium nominis, quo mihi vendico Christum, mihi defendo Ieſum, quæ ſunt eiuſdem Tertulliani verba. Et vt opportunè inquit Chryſoſtomus: *Non Principatus, non terrenæ alicuius poteſtatis, non Angeli, non Archangeli, ſed ipſius omnium regis Nomine, appellari dignati ſumus.*

S. Chryſoſt. hom. 18. in Ioan.

4\. Magnum planè decus, Dei nomine feliciter inſigniri, & quod nec humana ambitio præſumeret; niſi fortè æmula damnatiſſimæ elationis Adami. Aſtutus ille ſerpens hominibus recens creatis, ita de inferno ſibilat, quò tranſgrediantur præceptum: *Eritis*, inquit, *ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Non adducar vt credam, ſic callidum ſerpentem obbrutuiſſe, vt prætenderit homini perſuadere, è ligni vetiti eſu, ſe, euacuatâ humanitate, Deum euaſurum. Imo nec humanis ſpebus propoſuiſſe ſimilitudinem cum Deo, quam præhabuiſſe indubiè norant. Quid ergo magnificum ſerpens homini pollicetur? S. Hilarius: *Eritis ſicut Dij. Diuini nominis ambitio eos corruperat.* Scilicet aſtutus ſerpens hominem vafrè inſtigauit, vt auguſtum Dei nomen ambiret, & arroganter expeteret, prematurâ elatione. O miram cæli dignationem! Quod ſuperbè Adamus ambiuit, minimæ Societati Ieſu erogatur, dum *nominis propagine, & Patris & Spiritus ſancti*, eſu nomine *inſcribitur*, & Saluatoris vocabulum illi altè hæret, & medullitus *conſpicit*, ad arrogantis Adami inuidiam.

Gen. 3. *Societati Ieſu erogatur nomen Dei, quod ambiret Adam.*

Hilar. Can. 1. in Matth.

§. CCLXVI.

An auguſtum Chriſti IESV *nomen Ieſuitis ſic arcanâ fœcunditate filietur, vt ipſius Solis radio videatur deſcriptum?*

1\. ARCANVM planè *Nominis ſacramentum* eſt, quaſi pater non tantum filiorum naturam faciat, ſed Nomen etiam filiorum faciat, velut naturæ aut generationis naturalem ſequelam: *Cum verò* (Tobias, ait ſacer Hiſtoriographus) *factus eſt vir, accepit vxorem Annam de tribu ſuâ, genuitque ex eâ filium, Nomen ſuum imponens ei, quem ab infantiâ timere eum docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Ecce tibi Tobias iunior, alter ſenior Tobias; naturâ, Nomine, indole, alter ipſe. Ac ſi non duntaxat fuerit pater naturæ, ſed etiam indolis, & Nominis pater extiterit; & Tobias, id eſt (ſi nomen interpreteris) *Honor Dei*, Tobiam, id eſt, *Honorem Dei* ipſe genuerit, quaſi cum ipsâ naturâ Nomen, aut rem Nominis fecerit filio, quò perfectior euaderet patris imago. Neque enim aliqua velut Nominis generatio, præſertim in ſacroſancto Ieſu nomine, quod totum *Honorem Dei* ſonat, à ſacris litteris peregrinatur.

Tertull. l. 4. adu. Marc. c. 16.

Tobiæ 1. 9. *Tobias nomē ſuum fecit filio ſuo.*

2\. Regius Pſaltes lynceis prophetiæ oculis Deum contemplatus, de æternâ Verbi generatione, ſiue de temporali Verbi eiuſdem incarnatione, ſic ſubtiliſſimè fatur: *Sit nomen eius benedictum in ſecula, ante Solem permanet Nomen eius.* Multis contendit Agellius à *Nomen* accipi pro poſteritate ſeu ſobole, neque id eſſe inſequens in Bibliis eruditè probat. Caietanus verò pro illis Vulgati verbis; *Ante Solem permanet nomen eius*, ex Hebræo vertit: *Ad faciem Solis filiabitur nomen eius.* Alij, *Quamdiu fuerit Sol propagabitur nomen eius*, vel *coram Sole filiabitur nomen eius.* Campenſis, *inſtar Solis iuueneſcat nomen eius*, vel, *Ante Solem filiabit nomen eius*, vel, *naſcetur nomen eius.* Ex Rabbinis Galatinus, multa recitat teſtimonia, de filiatione diuinâ, quam hîc tribuit Chriſto explicant. Aſt quam ob cauſam cùm de Chriſti Ieſu æterna, aut temporali generatione agitur, quâ Dei naturalis filius exiſtit, Nomen eius *propagari, filiari, naſci* dicitur? Nomenne filiatur in Chriſto Ieſu, an res nominis? Non eſt hîc omittendus M. Alfonſus de Mendoza, polito vir ingenio, rei litterariæ, pariter ac Auguſtinianæ familiæ Hiſpanum decus; qui exquiſitâ erudi tione ſerio probat, ſacroſanctum illud Dei nomen, in primis ineffabile, quod Græci *Tetragrammaton*, Hebræi *Iehoua* nominant, eſſe ipſiſſimum *Ieſu* nomen. Quaſi à *Iehoua* non tantùm ipſe Chriſtus Ieſus generetur, ſed à nomine *Iehoua*, arcano *Nominis ſacramento*, ſacroſanctum Nomen *Ieſu* quodammodo *filietur*, iuxta Pſalmographum: *Ante Solem permanet nomen eius*, vel *Facie bus Solis propagabitur, filiabitur, naſcetur nomen eius.*

Pſal. 71. 17.

Agellius ibi. Caietanus ibid. Lege Laitinam ibi. *Iehoua nomē filiat Ieſum, auguſtâ Nominis ſucceſſione.*

Galat. l. 3. c. 2. & l. 4. c. 3 & l. 12. c. 3.

M. Alfonſus de Mendoza q. 3. Quodl. expoſit.

3\. Verùm quoad litteraliſſimum ſenſum attinet, indubium eſt Biblicè peritis, Nomen paſſim in Scripturis accipi pro re nominis, quod probare piget & pudet. Vnde *Ante Solem propagabitur* aut *filiabitur*, aut *naſcetur nomen eius*, id eſt, Ieſu Chriſti, idem erit, ac ipſe Ieſus Chriſtus ab æterno & in æternum, è Patris Dei ſinu filiatur & naſcitur. At cùm nec Bibliorum apices myſterio careant; & Dei nomen *Iehoua* ſit ipſiſſimum *Ieſu* nomen; & hîc Nomen expreſſius, quam res nominis (etſi per nomen propiùs res ibi ex licetur) *filiari* dicatur; non inidoneè fortaſſis ſuſpicabitur aliquis, opportunam porrigi occaſionem ad ſenſum aliquem myſticum, quo illud ipſum ſacroſanctum Ieſu nomen, in Ieſuitis *propagari, filiari, & naſci* videmus. Quaſi ad litteram dicat Deus: Nomen meum Iehoua cum re nominis, ab æterno filiatur in meo naturali filio, Chriſto Ieſu, ſeu Iehoua, *Ante Solem filiabitur nomen meum Iehoua.* Et myſticè: (vt etiam *Ieſum tranſnominaret*:) *In faciebus Solis* (id eſt, palam in tempore) *propagabitur, filiabitur nomen eius*, id eſt, ineffabile nomen Ieſu: cùm Societas Ieſu, *Nominis Dominici inauguratur figurâ, & Ieſu cognominatur.* Profectò cùm Societas Ieſu, non tantùm ſit hoc auguſtiſſimo nomine inſignita; ſed etiam Inſtituti ſui inſtinctu in animarum ſalutem incumbẽs, tota ſit ad Nomen Ieſu immeratè toto orbe propagandum, Ieſum ore & nomine latè buccinans, velut rem in Meſſiæ temporibus admirabilitate

Sacroſanctū IESV *nomen arcanè in Ieſuitis filiatur.*

Tertul. l. 4. contr. Marc. c. 39.

Tertull. l. 3. contr. Marc. c. 16.

mirabilitate digniſſimam, ante tot retrò ſecula, præſagâ mente regius Vates euulgat. En *Nominis ſacramentum*, dum ſacroſanctum Ieſu Nomen arcanâ propagatione vocabuli, Ieſuitis augeſcit & filiatur. Audi non tam Iacobi, quàm

Heb. v. 16. Chriſti Ieſu vocem: *Inuocetur ſuper eos nomen meum.* Clemens Alex. adſpectu ad verba quædam Iſaiæ cap 56. & 65. ita fatur: *Seruis meis imponetur nomen nouum. Nomen nouum dicit, quod eſt recens, æternum, impollutum, ſimplex, ineffabile, & verum, quod benedicetur à terrâ.*

Clem Alex. 1. Pæd. c. 5.

4\. Præfata Pſalmi verba: *Ante Solem permanet Nomen eius*, alij apud Lorinum efferunt, non ſolum: *Ante Solem filiabitur Nomen eius*, ſed: *Ante Solem iuueneſcet Nomen eius.* Quaſi hâc arcanâ Nominis Ieſu *filiatione*, generoſæ appellationis priuilegio, Ieſu Nomen dum Ieſuitis filiatur, floreat, *iuueneſcat*, & viueſcat, ineffabili quadam quaſi vitâ Nominis. Nec videri debet nouum & inſolens inueniri velut vitale Nomen, quod *filiatur & iuueneſcit*, cùm Tertullianus agnouerit *Vocabuli mortem*, ſeu Nominis cadauer.

Pſal. 71. 17. Lorinus ibi. *Nomen Ieſu iuueneſcit & viueſcit in Ieſuitis.*

Tertull. de Reſur. carn. c. 4.

5\. Verùm enimuerò tantæ appellationis inuidia, inuidioſâ præſcriptione nouitatis, Hæreticos infuſcauit, qui in tantâ Nominis Ieſu Luce, aut lippi cæcutiunt, aut cæci caligant, præclaris Nominis fulgoribus obcæcati. Audiant Scripturam: *Ante Solem filiabitur Nomen eius*, id eſt, Nomen Iehoua, ſeu Ieſu, quod idem ipſiſſimum eſt. Sed nota ad rem, Caietanum ex Hebræâ origine vertiſſe: *In faciebus Solis filiabitur Nomen eius*; alios verò, *Pernoctabit Nomen eius.* Profectò qui in faciebus Solis, ad videndam oculis arcanam Nominis Ieſu filiationem, Ieſuitis factam, velut in nocte caligat, puto, *noctis meridiem* agnoſcet cum aliquo Erudito. Adhuc in nocte inuidiæ aut cæcitatis verſaris, in faciebus Solis huius Nominis præclariſſimi? Quis clarabit, quod faciebus Solis obſcuratur? Verùm arcanâ nomenclaturæ filiatione, ſacroſanctum nomen Ieſu in Ieſuitis, *Ipſius Solis radio* (In faciebus Solis filiabitur Nomen eius) *putem ſcriptum, ita claret: qualiter accipient Lucifugæ iſti Scripturarum?* dixit aliorſum Tertullianus, & ad rem præſentem opportuniſſimè.

Nomen Ieſu ipſius Solis radio ſcriptum eſt in Ieſuitis.

Lipſ. in Satyr. Menip.

Tertull. de Reſur. carn. c. 47.

6\. Redeo ad theſim: à quâ tantiſper Nominis priuilegio deflex imus Paulus ad Hebræos 7. ſic Melchiſedechum inducit: *Melchiſedech rex Salem, ſacerdos Dei ſummi.... Sine patre, ſine matre, ſine genealogia.* Ardua in paucis quæſtio, quis fuerit hic Melchiſedech reg Salem, qui, homo cùm ſit, dicitur ſine patre, ſine matre, & ſine genealogia, quod nulli vnquam hominum accidit. Lyranus putat, eſſe Sem Noëmi filium: & cùm ſibi obieciſſet, quod Semus patrem agnoſcit Noëmum, & plures eius filios deſcribit Moyſes; ſic reſpondet: Dicitur, *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia; quia Scriptura de patre eius, aut matre non loquitur ſub hoc nomine Melchiſedech.* Nempe etſi idem ſit natu maximus Noëmi filius, qui binomius, appellatur & Sem, & Melchiſedech; at quia Scriptura ſub nomine Melchiſedech, nullam illi tribuit genealogiam, ſed ſub Semi duntaxat nomine, ideò Melchiſedech dicitur ſine patre, & matre, & genealogiâ. Quaſi Noëmus Semum genuerit ſub Semi nomine, quo dicitur eius filius; non ſub Melchiſedech

ad Heb. 7. 3.

Sem ſub nomine Melchiſedech dicitur ſine patre, & ſine matre.

Lyra ibid.

nomine, quod nomen ipſe ſibi poſtea fecit regio amore iuſtitiæ. Sic nomen nouum, & denuò acquiſitum, ſuos dediſcit parentes, & totam deſueſcit maiorum genealogiam, vt idem homo ſub Semi vocabulo, auctoritate Moyſis dicatur habere patrem & matrem, & numeroſam proſapiam, ſub Melchiſedechi verò nomine, Pauli iudicio, ſine patre, & matre, & ſine genealogiâ dicatur? Sic rem ipſiſſimam, diuerſum nomen euariat? Sic genitores ſub diuerſis vocabulis, filios aut agnoſcunt, aut penitus ignorant? Quaſi pater non ſit tantùm ſubſtantiæ filij genitor, ſed Nominis filij factor & opifex, & arcano quodam Nominis ſacramento, Nominis etiam filij pater. Vnde Sem dicitur à Paulo, *Sine patre, ſine matre, ſine genealogiâ, quia Scriptura de patre eius, aut matre non loquitur ſub hoc nomine Melchiſedech.*

---

§. CCLXVII.

Principis nutus Curialium doctorum extorquet ſuffragia.

OMNIA *ſiue excluſerit opulenta felicitas, monſtrabo tibi cuius rei inopia laborant magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu concentuque falſorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa: dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet diſſuadetque: ſed adulandi certamen eſt, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quibus blandiſſimè fallant?* Non intelligunt Reges in hâc ſcenâ, & vanis & citò fluentibus bonis fulgente, ex ipſo tempore ipſos nihil recti decernere, nihil non aduerſi expectare debuiſſe, ex quo nihil veri audire potuerunt. Regis nutus pro lege aulicis eſt. 1.

Seneca lib. 6. de Benef. c. 3.

Aulicorum fides in obſequium ſeruile ſubmittitur.

Exodi 4. diu exulauerat Moyſes in Madian, fugiens iras Ægyptij regis, in cuius palatio à cunis fuerat educatus. *Dixit Dominus ad Moyſen in Madian: Vade, & reuertere in Ægyptum: mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Argutè addubitat S. Auguſtinus hæc verba diligenter examinans, quare plures dicantur quæſiuiſſe Moyſen ad necem, cùm de vno duntaxat Pharaone, id legatur? *Multa*, inquit, *in his verbis genera locutionum notanda ſunt*, &c. *Deinde, Mortui ſunt enim qui quærebant animam tuam, cum ſolum regem Ægypti Scriptura dixerit mortuum; & de ſolo antea dictum fuerit, quod Moyſen quærebat occidere.* Nempe nunquam Rex in conſilia it incomitatus. Principis nutus pro ratione & iure aulicis conſiliariis, & doctoribus ſæpè eſt. Quem ſolus damnauit Rex, quem Rex ſolus perſequebatur, à regij nutus appendice grege adulatorum, Moyſes damnatus quoque eſt; quia benè geſſit quod cælitus illi fuerat 2.

Exod. 4. 19.

Nunquam Princeps incomitatus it in ſententiam.

fuerat imperatum, vel certè eiuſdem poteſtatem obiit. O vtinam aliquando vnius Principis ſententia foret ſingularis, nec plurium ſuffragiis & approbatione laudata! Minimum eſt, raro aut nunquam Principem velle aliquid, quod non ſit in iure licitum, in Theologia ſanctum, in politia idoneum. Conſiliorũ ſapientia in obſequium ſeruile ſubmiſſa eſt? Viderit Principum conſcientia, an ſatis tuta ſit in aſylo ambitioſi ſuffragij. Virgo Iuſtitia eſt, & inde Dignitatum riuales, non bonos ſemper conſultores, velut procos recuſat, ne ſpecie honeſtatis clanculum ſcortetur. Occultus conſiliarij ambitu, publicus Iuſtitiæ conſtuprator eſt. Conſilium dant, vt fiat, non quod ipſi cenſent, ſed quæ Regi placebunt. Exinde Rege defuncto, vela vertunt: & vno Pharaone mortuo, vere dicitur: *Mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Scilicet in Regis funere, eorum olim ſuffragium vnà tumulatur: & naſci illud, aliud ve expectat è noui Principis nutu: mali quidem reguli venenata & exitialis regno ſoboles.

3\. Exod. 1. v. 8. 9. & 10. In eodem Exodi libro, cap. 1. ita ſcribitur: *Surrexit interea Rex nouus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Ioſeph: & ait ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſrael, multus & fortior nobis eſt.* (egregiè mentitur.) *Venite, ſapienter opprimamus eum.* O præclaram & impiam Regis ſtultitiam! Inciuilis *ignorantia* notatus eſt, & *ſapienter* rem gerere ſeſe iactat? *Sapienter* inquam, quia regni ſapientes ad conſilium aduocat, nec ſine illorum ſuffragio rem decernit: *Et ait ad populum ſuum:* (ad ſuos conſiliarios.) *Venite, ſapienter opprimamus eum. Hoc eſt* (ait Græcus in Catena) *arte ac fallaciâ eum affligamus.* Scilicet impudenter, barbaricè, tyrannicè rex Ægypti prætendit opprimere Dei populum ſibi ſubiectum, & ſe *ſapienter eum opprimere* dicit? Quod *arte & fallaciâ* facit, *ſapientiæ* imputat? Sapientia Principum, erit populorum oppreſſio? Oppreſſio populorum, *ſapientia* nominatur vel in Ægyptij regis aula? Sapientes adhuc dicuntur, qui ſtultam hanc ſapientiam eructant? ô curialium doctorum ſapientiam, in ambitionis academiis eruditam! Qui à candidatis Sapientibus ſuffragium petit, ſtultam exigit ſapientiam, ſapientiæ Pharaonis æmulam. Dignitatum faſtigia oppreſſione populorum mercantur, & paucorum euectio, multitudinis euerſio eſt: dum quod *arte & fallaciâ* fit, *ſapienter* actum præclarè buccinant. Quis credat fallaciæ cum ſapientiâ affinitatem? At Ægyptiacæ aulæ *ſapientia*, mera & vera *fallacia* eſt.

Ægyptiaca aula fallacia, nomen ſapientiæ vſurpat.

Græcus in Caten.

Hic v. 17.

Sceptrifer Ioſeph vel patris Iacobi dexteram è cælo gubernatam, pro ſuo nutu, humanis rationibus amouere intentat?

* *

§ CCLXVIII.

Quàm ſint homines propriæ ſententiæ peramantes: quamuis ſæpe ſint riuales.

NIMIS volupe homini eſt aliena detrectare conſilia, ſua audius exequi, etſi aliis improbata. 1.
Quod ex animo eſt, menti animus ſuadet, & optimum cenſetur. Si lingua, animi interpres, palam loquitur, ſi licet ſin minùs, diſſimulanter ſilentio aut nutibus indicat, aut ambiguis verbis ſubinſinuat, aut ſaltem in alieno, quod loquitur aut exequitur, conſilio, clanculum intermiſcet, adeò vt perraro, reluctante aut non conſentiente animo, alienæ rei aut conſilium ſincerè exigeretur. Exinde proprij ſenſus impetu, aut denatæ mentis fides, aut rei veritas identidem conculcatur, quin & in diſſentientis ore egregiè ſcortatur. Quo nemo viri etiam litteris conſpicui, & modeſtiâ illuſtres, deuenuſtari ſolent, dum æquitatis prætextu propriis ſenſibus nimis adhæreſcunt: ſæpeque fit, vt aliena conſilia, quæ non poſſunt non ſequi, ſuis ſaltem imbuant, colorent, & adulterent, propriæ ſententiæ libidine.

Ornatum [illegible]

Matthæi 10. Chriſtus Deus Diſcipulos ſuos armat, quò tyrannos in ſe ferocientes, facilè examinent. Cauete, ait ab hominibus. Tradent enim vos in conſiliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: & ad præſides & ad reges ducemini propter me in teſtimonium illis & gentibus. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Locus ſpecietenus expeditus, ſed medullitus, opinor, arcanus. Et primò quidem difficultatem ingerit, quòd cùm, *quid loquantur*, ſit tantùm Diſcipulis ſuggerendum, prohibeantur præmeditari, *quo modo, aut quid loquantur.* Porrò rei dicendæ modus, ſæpe præ re ipſâ aut mulcet aut ferit. Si, quid loquantur duntaxat è cælo illis afflandum eſt, quid vetat quo modo illud loquantur, ante meditari? Præterea, eſto, à Deo ſuggerendum Diſcipulis ſit, quid in ſuâ, & Dei causâ coram Regibus & Præfectis loquantur; quid neceſſe erat illos tam præpropere & ſeriò hortari, ne quid, quove modo loquantur, priùs excogitarent? Fateor cum Chryſoſtomo, quòd Chriſtus *per hoc ad Prophetarum dignitatem Diſcipulos reduxit, qui ſcilicet Dei ſpiritu ſunt locuti*, dum illis pollicetur, *Dabitur vobis in illâ horâ quid loquamini.* Sed quid referret, vt dum in periculosâ capitis causâ, coram truci & barbaro ſiſtuntur tyranno, priùs conſultè meditarentur, quomodo loquerentur? modus enim ſuggerendus non dicitur, imò etiam *quid* loquerentur. An Apoſtoli à ſe præmeditata verba, verba diuinæ inſpirationi, aut prophetiæ anteferrent? Tempeſtiuè Remigius ad ea verba: *Dabitur enim vobis in illa horâ quid loquamini*, ita ſcribit: *Vos verba editis, ſed ego ſum qui loquor. Hinc Paulus*

Matth. 10. v. 19.

2.

[illegible]

Chryſ. apud Caten. ibi.

Remig. ibi.

2\. Cor 13. v. 3.

Paulus ait. An experientiam quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Nimirum rem omnem dicendam, omnemque ſermonis modum ſibi vendicat Chriſtus, vnde conſultiſſimè vetat, ne de re à ſe dicendâ, aut de rei dicendæ modo, quicquam priùs ipſi apud ſe cogitent, & proprio ſenſu loquenda coram tyrannis concipiant; ne fortè è proprio ſenſu aut conſilio aliquid intermiſceant. *Vos verba edetis, ego iam quæ loquor.* Id eſt, vt mihi adſcribatur, quod dicetis eſt: *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini.* Imparatos vos inueniat colloquium, vt totum poſſit mihi attribui, quin proprios veſtri ſenſus redoleat. Sic procliue eſt hominibus vel rem Dei, proprio ſenſu & conſilio tractare, vt rei tractandæ cogitatio arcenda ſit, vt Deo tota poſſit adſcribi? *Es demaſiadamente entremetido el ſentimiento, ò parecer proprio.* O cautelam non tam Apoſtolis, quàm nobis neceſſariam! Diſcamus hinc quàm ſit procliue & peruium, vt conceptam priùs mentem humana lingua inconſultius eructet.

3\. Exodi 7. dixit Dominus ad Moyſem: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Diu multúmque cauſatus fuerat Moyſes linguam impeditam & blæſam, vt ſe ab arduâ legatione excuſaret. Reſpondet illi Deus: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Prophetâ opus eſt Mòyſi, an interprete, qui copioſiùs & elegantius Pharaoni intimet, quæ ipſe gracili voce, & balbutienti ſermone ſuggeſſerit intimandum? Sat Moyſi eſt, ſi fideli donetur interprete, qui illud met quod ipſe ſuccinctius ad interpretis balbutiuit aurem, facundus interpres copioſius ediſſerat. Planè hìc vacare videtur prophetiæ miniſterium vbi munus fidei interpretis requiritur, & ſufficit. Vnde Lipomanus ex Paraphraſte Chaldæo ſic locum explicat. *Aaron frater tuus erit Propheta tuus, id eſt, interpres tuus, vt habet Chaldaica, hoc eſt, exponet voluntatem meam, quam à te audiet.* Et Acacius in Catenâ, ita totum locum eleganter explicat: *Quemadmodum Deus per prophetas loquitur hominibus; ita Moyſes per Aaronem Pharaoni: quare & ſermonis ſui mentem interpretatur, dicens: Et Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Profectò vſqueadeò diſcordare hòmo ſolet ab alienâ *mente* & conſilio, vt ſi fortè Moyſis mentem aliquando non aſſequatur Aaron, aut Moyſis menti mentem ingerat ſuam, proprij ſenſus exponendi, & exequendi cognato hominibus inſtinctu; ideò quem merum *interpretem* vocat Chaldaica, *prophetam* Vulgatus appellat. Prophetiæ ſpiritus requiritur, vt aliorum *mentem*, & alienum ſenſum & conſilium, ſic fideliter homo exponat, vt ſuum latenter non parturiat? Sic prona & exprompta ſunt verba, vt propriæ mentis ſenſus eructent? Sic aliena conſilia in linguâ noſtrâ peregrinantur? ô rerum, quibus non aſſentimur, familiaria hominibus adulteria! Quiſquis alienam ſequitur, proponit, aut exequitur ideam, ſpiritum prophetiæ requirit, ne longius exorbitet: ò caue, ne humanus ſenſûs diuina contaminet! ô homines ſuæ ſententiæ peramantes, & quidem ſæpè ſine trutinâ! Non diſputo modò, an Aaron propriè fuerit Propheta, de quo ibi copioſius, ſat nunc eſt, non interpretem, ſed Prophetam appellari.

Exod. 7.

Ne de ſuo ſenſu aliquid miſceat Aaron, Propheta inauguratur.

Lipom. ibi.

Acacius in Catena.

Vide hic quàm tenaciter flectine ſcius proprio ſenſui hæreat Ioſephus, perſiſtens in auertendâ Patris manu. Hic v. 17.

§ CCLXIX.

Nemo quantumuis pius & ſapiens, ſuæ humanæ Rationi tutò ſe credit.

POST primæui delicti præuaricationem, adeò infuſcatum eſt Rationis naturalis lumen, vt Sapiens vix illi tutò ſe credat. 1.
Perſæpè ſenſus fallaciæ arguuntur; exinde intellectus erroris infametur neceſſe eſt: quippè qui quod renunciatur à ſenſibus duntaxat percipit. Quin & humana mẽs imaginationi obnoxia, rerum opinione implicatur. Hinc multiplex hominis paſſio, quæ proculdubiò à Ratione exorbitat, rationalis homini videtur, & indignationis aut concupiſcentiæ affectu. Itaque humana Ratio (id eſt, quod ſæpè homini conſentaneum Rationi apparet) Rationi diſſona non rarò deprehenditur, adeò vt celebre ſit illud Chryſologi laudatiſſimum votum, quòd *In hominibus Deus Mens ſit.* Sic humana Ratio irrationalitatis ſuſpecta eſt! *Lo que nos pareçe raçon, no ſiempre lo es.*

Humana ratio ſuſpecta irrationalitatis eſt?

Chryſol. ſerm. 67.

Geneſeos 50. tandem viuendi & merendi ſatur, Iacobus in Ægypto moritur. Conditur à funeratoribus eius cadauer, pio Ioſephi imperio: *Quibus iuſſa explentibus tranſierunt quadraginta dies: iſte quippe mos erat cadauerum conditorum.* Ad quæ verba ſic ad rem præſentem ſcribit Strabus Fuldenſis: *Ethnici nouem diebus mortuos flebant. Verùm quando ſepeliebantur Dei cultores, ſeptem diebus exequias celebrabant.... In ſeptenario enim tria ſunt & quattuor: ternarius pertinet ad animam, quæ iraſcibilis, & concupiſcibilis, & rationalis eſt. Quaternarius ad corpus, quod quattuor conſtat elementis.* Nota mihi, in piorum etiam funere, tres dies animarum expiationi impendi; quia anima & *iraſcibilis, & concupiſcibilis, & rationalis eſt.* Non mirarer ſingulos dies tribui expiationi animæ, quà *iraſcibilis & concupiſcibilis eſt*: nam iracundiæ furore, & concupiſcentiæ blanditiis multa deliquit. At valdè mirabile eſt, non impar expiationis tempus animæ tribui, quà *Rationalis eſt.* Elui & expiari etiam oportet, quod homines etiam pij Rationis ductu & inſtinctu feciſſe putantur? Sic eſt ſæpè irrationalis humana Ratio? Sic paſſionum præſtigiis, non ſemel aberrat à rectâ Rationis regulâ, etiam dum ſe putat Rationem ſectari? Sic concupiſcentia aut iracundia Rationem ſubornant, vt ſecundum Rationem putetur, quod à rectâ Ratione longiùs exerrat? Sic humana Ratio examinanda eſt amico conſultorum iudicio? Suus etiam aſſignatur dies, qui ipſam Rationem expiet? ô pernéceſſarium hominibus documentum!

2\. Gen. 50. v. 3.

Strabus ibi.

Suus etiam deſtinatur dies Rationi expiandæ.

Matthæi 2. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem* 3. Matth. 2. v. 1.

hem Iuda, &c. Super præfatis Euangeliſtæ
Chryſolog. ſer. 156. verbis ſic philoſophatur Chryſologus: *Cùm naſcitur Ieſus, oritur origo rerum, generatur largitor generis, naſcitur auctor naturæ, vt repararet naturam, genus redderet, originem recrearet..... Hinc eſt quod Chriſtus naſcendo, naturam reddidit.* Noua Chriſti Dei natiuitas hominì *naturam reddidit*, an gratiam? *Genus reddidit*, an illuſtrem generis ſublimitatem? *Originem recreauit*, (ſeu creauit iterùm) an vitiatam primæuo delicto originem gratiâ nouæ natiuitatis reparauit? Sed quid eſt quòd Chriſtus naſcendo, homini *naturam reddidit?* Homo primordialis delicti reus, naturam ſuam, id eſt, rationalem, dediſcit? A gratiâ ſic humana Ratio, (quæ velut obbruteſcit per peccatum) eruditur, vt Chriſtus naſcendo, homini rationalem *naturam reddat?*

Chriſtus noſtrâ rationalem naturam homini reddidit?

Pſal. 31. v. 9. An non ille qui ob geminatum ſcelus dixerat,
Pſ. 118. v. 34. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*; ad Deum ita ſupplex orat: *Da mihi intellectum?*

4.
Matth. 2. v. 1. Præfatum Matthæi locum (*Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda*) aliter verſat Strabus, ita ſcribens: *Bethlehem domus panis; quia ibi naſciturus erat panis viuus, qui de cælo deſcendit; qui ponitur in præſepio, vt irrationabiles paſtos faciat ſocios Angelorum.* Strabo Fuldenſi conſentit Eſychius: *Libens*, inquit, *reconditur in præſepi, vt qui ſunt pecuini accurrant, & reperiant λόγον, id eſt, ſermonem & Rationem in præſepi conſtitutam, vt ex eo recipiant dignitatem rationalem.* In domo panis naſcitur Chriſtus, vt homo pecuinis moribus exagitatus, *pane vitæ & intellectus* ſuſtentetur: in præſepio reponitur, vt homines *irrationabiles*, Logo, id eſt, *Ratione* paſti, ex eo recipiant *dignitatem rationalem*. Vnde humana Ratio, vtpote ſæpè irrationabilis, deponenda eſt, vt homo irrationabili Ratione euacuatus, reficiatur Dei Ratione, & reformetur in *rationalem dignitatem*: ô irrationalem ſæpe hominis Rationem! Homini eximiè rationabili ſua Ratio de irrationabilitate ſuſpecta eſt?

Strabus ait Chriſti gratia ex irrationabilibus rationales facit?
Eſych. de Laud. Virg.
Eccli. 15. v. 3.

5.
Quod errorem putat Ioſephus, Dei Ratio & prouidentia eſt.
Hic v. 18. & 19.

Geneſis 48. moribundo Iacobo ſtatim adeſt Ioſephus cũ Manaſſe primogenito, & Ephraim ſecundò nato, vt filijs etiam ſuis benedicat ſuus pater. Iacobus è cælo edoctus, manus commutat, ſeu *fecit intelligere manus ſuas*, vt alij exſcribunt, & Ephraim minorem maiori Manaſſe præfert. Grauiter id Ioſephus tulit, & ſic illum alloquitur: *Non ita conuenit, pater: quia hic* (Manaſſes) *eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius. Qui renuens, ait: Scio fili mi, ſcio*, &c. Ad quæ verba ſic inibi fatur
Lipoman in Catena ibi. Lipomanus: *Ioſeph itaque ignarus prouidentiæ Dei, errorem quem putabat, cupiens corrigere; ſanctus quidem vir, propheta, & à puero Spiritu-ſancto plenus, hoc tamen ignorans, ſenſu carnis permotus*, &c. Scilicet Ioſephus vir erat ſanctiſſimus æquè ac ſapientiſſimus, à pueritiâ Propheta, & rerum diuinarum in primis gnarus; & tamen dum *ſenſu carnis permotus*, quod Dei inſtinctu à Iacobo fiebat, *errorem putabat, cupiens corrigere dixit: Non ita conuenit.* Viderit pius & ſapiens quiſque, an *ſenſu carnis permotus* de re iudicet: nam ſic cenſens, quod è cæli ſcholâ eſt, & Dei Ratio & prouidentia dictat, *errorem putabit*. Non quicquid errorem putat ſapiens, error eſt: ipſe potiùs corrigendo periculoſiùs aliquandò errat. Sic humana Ratio ſuſpecta debet eſſe ſapienti. Nemo eximiè ſapiens ſuæ Rationi tutò ſe credit; non ſemel quod ipſe putat errorem, mera & vera Dei ſapientia eſt. Siquidem *Ioſeph, ſanctus quidem vir, propheta, & à puero Spiritu-ſancto plenus, ignarus prouidentiæ Dei, ſenſu carnis permotus, errorem quem putabat, cupiens corrigere, dixit ad patrem: Non ita conuenit, pater. Qui renuens, ait, Scio fili mi, ſcio*, &c. Quod errorem putat Ioſeph, Dei ratio & prouidentia eſt. Eheu non tantùm paſſione, ſed etiam Ratione noſtrâ laboramus! & quidem eò periculoſiùs, quò errorem Rationi conformem reputamus.

---

§. CCLXX.

Diuina electio quem non inuenit dignum, facit.

CONTEMNERE omnia aliquis poteſt, omnia habere nemo poteſt. Breuiſſima ad honores per contemptum honorum via eſt. Non habet fortuna longas manus, neminem occupat, niſi hærentem ſibi. Relinque ambitum; tumida res eſt, vana, ventoſa, nullum habet terminum: tam ſolicita eſt, nè quem ante ſe videat, quàm ne alium poſt ſe: laborat inuidiâ, & quidem duplici. Vides autem quàm miſer ſit, is cui inuidetur, & inuidet. Confragoſa in faſtigium dignitatis via eſt. At ſi conſcendere hunc verticem libet, meritorum arbitrio, non ambitionis ſcalis conſcendere licet. Ambitio indignum ſemper inuenit: virtus, cùm ſupra fortunam ſit, has ambitionis nugas ſeriò negligit. In gradu ſuo ſtat vir bonus, timens dignitatis faſtigium, ne ſublimitati impar ſit, humanæ tenuitatis benè conſcius; benéque ſcius, quòd diuina ad celſiora munera electio, dignum non ſemper inuenit, ſed facit. Quiſquis dignitatum culmini ſeſe vltrò ingerit, vltroneæ ambitionis merito, ſe reddit immeritum. Sola diuinæ prouidentiæ conſultiſſima electio, dignum operis ſui adminiſtrum reddit, & quod ſuo deeſt coadiutori, de ſuo ipſa ſupplet. 1.

Ambitio dignitate indignos facit.

Matthæi 3. Ioannes Baptiſta, præcoquâ maturus gratiâ, Prophetarum ſilentium, Verbi vox, naturæ fautor, Euangelij nitor, ſanctitatis meta; totus erat in ſuo adminiſtrando baptiſmate. Frequens vndique populus illi adeſt: ad quem, vt ſuum Præcurſoris obiret munus, ſic fatur: Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, *cuius non ſum dignus calceamenta portare*. Valde hærent interpretes in exponendo hæc Ioannis verba, nec ſatis inter ſe conſentiunt, quid ſit *calceamenta portare*, cuius miniſterij obeundi Ioannes ſe palàm fatetur indignum. Ecquis dignè hoc exerceat munus, ad quod Ioannes tot meritorum ſanctitatibus ſublimis, impar dignitate cenſetur? Dignus eſt Ioannes Chriſti Dei Præcurſor,

Matth. 3. 11.
Vel Ioannes Baptiſta indignus eſt obeundo miniſterio, ad quod electus non eſt.

& indignus erit qui eiuſdem calceamenta deportet? Hugo Carenſis quo ſolet ingenij acumine ſic tempeſtiuè rem explicat, & Matthæi locum extricat. *Cuius non ſum dignus calceamenta portare. Id eſt*, inquit, *Euangely ſacra verba circumferre. Se autem indignum dicit, quia non eſt ad hoc deputatus.* Quid accommodatius? Scilicet tunc temporis Ioannes Baptiſta Apoſtolos adhuc nouitios & rudes diſcipulos excellebat & ſanctitatis & doctrinæ merito: quippe qui à materni vteri tenebris, è cælo claratus, ineffabile Incarnationis myſterium citiùs & perfectiùs nouerat, & Chriſtianæ œconomiæ doctrinam penitiùs penetrauerat. Aſt ad exercendum quod obibant miniſterium, eius dudum Diſcipuli, mox Chriſti Apoſtoli, ſe indignum ingenuè fatetur: quia tametſi tunc Apoſtolos meritis excellat, ad Apoſtolicum verbi Dei circunferendi munus, deſtinatus non erat: *Se autem indignum dicit, quia non erat ad hoc deputatus.* Quaſi Dei ad dignitates electio, non inueniat dignos, ſed reddat. Quid dignitates votis ſuſpiras, & ſedulâ ambitione fatigas? dignitate indignus eſt, quiſquis à Deo electus non eſt. Qui ſe ad dignitatem eligi ſolerter expetit, indignam electionem ſubornat. Expecta Dei nutum, & dignus tanto munere eris. Quid te dignum meritorum allegationibus ambitioſè probas, qui dum ambis probaris indignus?

Hugo inibi.

3\. Pſalmo 32. ſic pangit regius Pſaltes: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Pro cæli *firmati ſunt*, exſcribit Tertullianus, *confirmati ſunt*, Cyprianus, *ſolidati ſunt*; Hebræus textus, Aquila, & Symmachus, *facti ſunt.* Peculiari ratione cælorum effectio, illorum *firmitas* dicitur, quia ex eorum conſtanti motu pendent inferiora; & conſultâ Dei ordinatione electi ſunt Vniuerſi præſides, dum lucis & influxuum beneficio terram fouent, & tempora gubernant. S. Baſilius cælorum nomine myſticè Angelos intelligit, qui rerum vniuerſitati præſunt: S. Auguſtinus Apoſtolos ſignificari arbitratur, qui Eccleſiæ tanquàm luminaria præſident: Didymus cælorum vocabulo cæleſtes homines, qui ſibi præeſſe norunt, inſinuari putat. Sed iam nota verba, quæ ſubtexit vates: *Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quid habent hi cæli myſtici ſpiritu diuini oris? *Omnis virtus eorum* à ſpiritu diuini oris eſt, ait Pſalmiſta. Hieronymus *omnis ornatus eorum*, Aquila *omnis exercitus eorum*, opportuniùs Theodotio. *Et ſpiritu oris eius omnia potentia eorum*, & Tertul. *vniuerſa virtutes eorum.* Nempe quòd dignè cæli terris præſint; quòd Angeli mundo, quòd Apoſtoli Eccleſiæ, quòd homo cæleſtis ſibi idoneè præſideant; non tam propriæ naturæ dignitate, quàm oris diuini ſpiritu habent: quoniam non ſuæ indolis merito, non ſui meriti ambitione præſident; ſed *Spiritu oris eius omnis virtus eorum, vniuerſa virtutes eorum, omnis potentia eorum.* Non affectauit Sol diei, non Luna noctis præſidentiam, etſi naturâ ſuâ ſplendidiſſimi, non ambierunt empyrei Angeli vniuerſitatis, non Apoſtoli eccleſiæ præfecturam, quantumuis merito ſuo digniſſimi; ſed *ſpiritu oris eius omnis virtus & potentia eorum*, de diuini oris nutu cæleſtis præſidentiæ virtus & potentia afflatur. Homunculus exambiat, quod cæli & Eccleſiæ proceres non præſumunt? ô vltra humanum faſtum mortalium arrogantiam! quid iuuat eſſe, quod eſſe non mereris? Diuina electio etſi malè merentem reperiat, benemeritum faciet. Aſpice ad Moyſen, qui palam ſe profitetur diuinæ legationi inidoneum, & tamen congruè *Deus Pharaonis* diuinâ electione renunciatur. Aſpice ad Iacobum hîc Ephraimum eligentem, quem vel Ioſephus putabat indignum; qui diuinâ electione tanto faſtigio dignus euaſit.

Pſ. 32. v. 6.

Decantata cælorum præſidētia, à Dei electione eſt!

Tertul. cont. Herm. c. 25.

Exod. 7. v. 1.

Hic verſ. 19.

---

§. CCLXXI.

Auguſtior eſt gloria, vltrò victoriæ generosè cedere, quàm victoriam feliciter reportare.

1\. PROBE noſcit quiſquis verè ſapiens eſt, *Neminem naſci ſapientem, ſed fieri*, officioſitate gratiæ humanam naturam elimante ad veram virtutis ſapientiam. Nemo enim naturæ ſanus naſcitur, primæuæ ægritudinis hereditario languore, quò maiora ſe expetit cognatâ ſuperbiâ turgens, dum maioribus & ſublimioribus nequaquam cedendum præſumit, nedum æqualibus, aut ſibi inferioribus. Infimiſſimus quiſque ita infima, mediana, & ſublimia, infra ſe habere ſtudet, ambitionis titulo, vt cuilibet cedere, & inglorium & probroſum putet. Vnde humanam naturam dediſcit, & de gloriæ ſublimitate heroës æmulatur, qui magnanimitatis priuilegio vltrò aliis cedere didicit. Oculis videre licet quantâ in laude ponatur, Sublimiori cedere. Iobi 38. v. 7. cum eo loquens, ſic ſe velut iactat Deus de aſtrorum fulgore, dum Creatoris gloriam vocali luce modulatiùs prædicant: *Vbi eras quandò ponebam fundamenta terræ..... Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina?* Eccur non potiùs nocturna aſtra, cùm ſplendidiùs micant, dicuntur Dei gloriam ſumptuoſiùs modulari ſidereâ linguâ? Quis neſciat plus ſtellas nitere mediâ nocte, lenocinantibus tenebris aſtrorum ſplendori? Porrò *aſtra matutina* ad Solis ortum interſtinguuntur, & diſparent; atque vltrò fugiunt, & toto cælo ſponte cedunt ſplendidiori aſtro. Exindene tantam gloriæ opulentiam *aſtra matutina* fœnerantur, quia videlicet omnium maximo Luminari cedunt, conceduntque prælucendi palmam? Cùm aſtra ſe victa fuiſſe à potentiori fatentur, ſic gloriam ſuam exaggerant, vt tunc diuinas laudes glorioſiùs decantare dicantur; non tam ſplendidioris luminis voce quàm pauſâ cedendi, & humilis obſequij artificio? Sic eſt ſublime, vel Maiori ſponte cedere? Sic eſt auguſtum de ſe victoriam vel potentioribus annuere? Sic eſt glorioſum vincendi gloriam refutare?

Valde illuſtre eſt lucidiori & ſublimiori cedere prælucendi gloriâ.

2\. Si tantam promeretur laudem, qui ſe à Maiori planè victum agnoſcit; quia ſe (arcanâ virtutis hoſtilitate) priùs vicit, quàm fateretur ſe

ſe ab aduerſario victum; quam gloriam merebitur, qui victoriam cedit æquali? Geneſ. 38. verſ. 27. Thamar myſterio potiùs, quàm inceſto fœcunda, gemellos parturit Phares & Zaram. *Ecce duplex fœtus in locis matris tumultuatur, & longè adhuc partus. Portentoſa forſitan petulantia infantiæ antè certantis quam viuentis, antè animoſa quàm animata. At cùm partus aperitur, & numerus inſpicitur, & auguratus agnoſcitur, puto iam non animæ ſolummodò probantur infantium, ſed & pugnæ. Detinebatur qui præuenerat à præuento necdum plenius edito, tantùm manu nato.* Hucuſque Tertullianus, qui cothurnatâ relatione præcocem adhuc crudæ infantiæ pugnam tradit. Sed cùm tandem Phares vicerit, & iure primogenituræ, & priuilegio progenitoris Chriſti Dei ſit potitus, pulchra exurgit quæſtio; quare Zara inter Chriſti progenitores recenſeatur, Matth. 1. v. 3. aiens: *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Fateor ſtrenuè certauit Zara cum germano infantulo, & antè animoſus quàm animatus, manum extulit prior: ſed confeſtim manum vltrò extraxit, & Phares certaminis victor egreſſus eſt prior. *Illo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter,* inquit Moyſes. Quare ergo Zara tantâ donatur gloriâ ab Euangeliſtâ, vt eum in myſticâ deuictum pugnâ, in generoſo progenitorum Chriſti Dei catalogo meruerit recenſeri? Solus Zara meruit hanc gloriam, & præter Zaram nemo? Quam ob cauſam auguſtiori hoc priuilegio glorioſiùs ornatur? Opportunè Chryſoſtomus: *Manum Zara protulit, qui ſecundò egreſſus eſt. Quid igitur hoc ænigmate deſignatur?* Reſpondet. *Præmiſſâ quidem Zara manu alterum prius egredi naturale fortaſſe ſit; retrahere verò iſtam, & tranſitum alteri cedere, non iam fiebat lege naſcentium, ſed Dei gratia pueris aderat, ita diſpenſans.* Nota illud, *Detrahere manum, & alteri tranſitum cedere,* vt alter prior adeat maioratum, & ius progenitoris Chriſti Dei. Scilicet, par erat vtriuſque cauſa, æqualis ætas, maiorum nobilitas æqualis; nec infantulo Zaræ deerat ſupra ætatulam vigor; quippe qui prior fratrem luctando præuenerat, quò illum vinceret, & præluſtrem primogenituræ gloriam anteuerteret. At generoſus infans, ſupra ætatem robuſtus, ſupra naturam magnanimus; etſi non deerat ad luctandum vigor, & ad vincendum robur; auguſtiùs putauit, vltrò *tranſitum alteri cedere* ad maioratus prærogatiuam, & ius tantæ progenituræ, quàm fratrem vincere. Glorioſiùs æſtimans victoriæ ſpontè cedere, quàm parem ſuperaſſe. O generoſum infantem præmaturè magnanimum, qui vltrò victoriæ cedendo, illuſtriorem victoriam reportaſti. Tuum eſt, inclyte, cedendo vincere, ceſſioni pretium dare: tuæ modeſtiæ obnoxiam feciſti alienæ victoriæ glorioſam felicitatem. Inæqualis viciſſitudo compenſat laudibus quod adepta eſt de virtute. Glorietur Phares de victoriæ gloriâ; glorioſius eſt, victorem facere, quàm eſſe victorem. Glorietur & Manaſſes quod facile ſceptrū permiſit Ephraino.

Generoſus extitit Zara victoriā fratri cedendo, quā ſi victor extitiſſet.

Tertull. l. de anima, c. 23.

Chryſoſt. homil. 3. in Matth.

Hic verſ. 19.

3. Imponat huic themati coronidem, arcana illa Iacobi cum Angelo lucta, Geneſ. 32. v. 24. Iacob traductis omnibus quæ ad ſe pertinebant, *Manſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. Qui cùm videret quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me,* &c. Et ſanè indubium eſt in hâc luctâ Iacobum victoriam reportaſſe; ait enim vir qui cum eo luctabatur: *Dimitte me,* &c. & infrà v. 28. *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis?* Quod etiam expreſsè traditur Oſee 12. v. 4. *Et in fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt.* Angelusne homini cedit? Homo Angelum detriumphet? ô quot hominum myriades exiguo temporis momento vel vnus Angelus eualet profligare! Ecquis eſt hic Angelus, qui adeò ſe imbellem exhibet, vt ab homine pauido, inermi, & minimè pugnaci potuit ſuperari? S. Dionyſ. Hieron. Euſeb. Auguſt. Rupert. Ioſeph. allegati à Cornelio, cenſent eſſe bonum Angelum. Imò & putauerim, fuiſſe vnum è ſublimiori aliquâ hierarchiâ. Nam Concilium Sirmienſe, Tertull. Iuſtin. Hilarius, Cyrill. Ambroſ. putant fuiſſe Dei filium. Quod ſaltem indicat grande aliquid & auguſtum de hoc luctatore Angelo, & ſtrenuo palæſtritâ concepiſſe. Sed lubet ſciſcitari, quidnam adeò ſublime in hâc cum Iacobo luctâ peruiderint, vt tam altam mentem de Angelo luctatore illo imbiberint? Itane illuſtre eſt, præpotentem Angelum cum imbelli homine decertare, ab illo inducias poſtulaſſe, & tandem ſe ab eo deuictum ingenuè fateri? Verùm enimverò vnde huius Angeli impotentia adſtrui videtur, inde eius eximia laus exurgit ad gloriam. Porrò grande elogium eſt, & immortali laude digniſſimum, vt Angelus, qui naturâ & viribus hominem excellit, victoriam homini imbecillo conceſſerit, & ſe ab eo victum, vltrò paſſus & confeſſus ſit. Non eſt valdè magnum vincere inferiorem; at naturâ ſuperiorem & viribus præſtantiorem, diſſimulare robur, & Inferiori victoriam & palmam ſpontè conceſſiſſe, auguſtiſſimum eſt, magnanimis heroibus dignum, & quod creaturæ captum videtur excellere. O moraliſſimum ſuperiorum & magnatum documentum! Illuſtrius planè eſt, cum potentiâ & viribus ad vincendum, victi repræſentare impotentiam. *Es empleo del mayor caudal, ſaber tal vez, ceder al inferior, y hacer del vencido, y dar ſu braço a torçer.* Sententiosè dixit Plutarchus: *Non ſolùm vincere, ſed etiam vinci ſcire, ſpecioſum eſt: in iis præſertim rebus, in quibus victoriam detrimentū parit.*

Auguſtiſſimū fuit Angelo, luctanti Iacobo ceſſiſſe.

Cornel. ibi.

Plutarch. de liber. educ.

4. Matthæi 1. *Ioram autem genuit Oziam,* &c. Nemo non notat, tres omnino Reges Euangeliſtam omiſiſſe, inter quos tertius fuit Amaſias, de quo ſic fatur Abulenſis præfata verba exponens. *Amaſias filius Ioas, fuit à principio rex bonus. Iſte pugnauit contra Idumæos, & obtinuit. Et Deos eorum, quos in bello cœpit, coluit, & cremabat incenſum eis.* Admirabilitatem fortè ciet, quòd Ioas olim victores Idumæorum Deos non coluerit, & poſteà à ſe deuictos adorârit. Fortè à victoriâ, quâ detriumphati ſunt, Deitatē mutuarūt, aut vinci character Deitatis eſt. An auguſtiorem opinionem de Idumæorum Diis ebibit Amaſias, dum illos animaduertit ſæpè alioqui victores, victoriç aliquādo ceſſiſſe? Diis victoriæ cedentibus diuinos dat Amaſias honores, quos iiſdē victorib. denegauit? Sic vel Deo honorū & illuſtre habetur, honori ceſſiſſe, & ſe velut vinci ab alio pati, aut diſſimulare?

Matth. 1. 8.

Abul. ibi in comment.

Idumæorum Deos ſibi cedentes colit Amaſias.

§. CCLXXII.

Qui ſemel cadere incipit, gradiendo, non præcipitando deſcendere, rarum priuilegium eſt.

1\. Plut in orat. conſolat.

ES igitur viri haud rectè res ipſas cogitantis (ait Plutarchus) in re nequaquam ſtabili ac firmâ conſtantiam quærere. Rotæ enim circumactæ nonnunquam altera pars supernè extat, nonnunquam altera. Inconſiderata namque eſt fortuna, & ad ea quæ elaboraueris auferenda vehemens, nullúmque habens ad perturbandam felicitatem tempus. Nihil firmi habet, qui in incerta propenſus eſt, & incertis dependet. Nil ſperat aut cupit ſapiens, nec ſe mittit in dubium ſuo contentus: incipit fortunæ eſſe ſubiectum, ſi quam ſortem ſui foris quærit. Vel ſublimis ex humili, vel humilis ex ſublimi, æquale fortunæ trophæum eſt. Quæ poteſt eſſe vera felicitas in alternante rerum humanarum viciſſitudine? *Redige te ad parua, ex quibus cadere non poſſis*, ait ſententioſè Seneca. Nam ſi potes cadere, iam cecidiſſe te puta, & quidem velociſſimo caſu. O quàm pedetentim ad culmen aſcendis, & quàm celeriter à culmine ad ima vſque corruis! Rarus eſt, qui citò aſcendit; & rarior, qui præceler non corruat. Hinc recognoſce Chriſti Dei & hominis ſingulare priuilegium, & pauculorum, quos typicè paulatim deſcendere voluit.

Redige te ad parua, ex quibus cadere non poſſis.

Senec. ep. 15.

2\. Matth. 1. v. 1. & 2.

Chriſtus duobus ſaltibus aſcendit, & numeratis gradibus deſcendit.

P. Mald ibi.

Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac*, &c. Celebris quæſtiuncula eſt, & perſæpè agitata, quare in recenſenda Saluatoris proſapiâ, Dauid iunior præponatur Abrahæ ſeniori, & totius Hebrææ gentis principi. Hanc quæſtionem eruditè verſans P. Ioannes Maldonatus, Sanctorum Eccleſiæ Patrum ſententiis imbutus, ſic argutè ſcribit: *Matthæus à Chriſto ad Dauidem, & à Dauide ad Abrahamum, non numeratis gradibus, ſed duobus veluti ſaltibus aſcendit, vt inde rurſùm non ſaltando, ſed gradiendo deſcenderet.* Ecce tibi Chriſti humanam nobilitatem, non numeratis ſui aſcenſus gradibus ad ſummum generoſitatis ſtemma faſtigiatam vſque ad Abrahamum. Cùm verò à tanto faſtigio deſcendendum eſt, *non duobus ſaltibus*, vt *aſcendit*, ſed numeratis gradibus, paulatim, & pedetentim *gradiendo deſcendit*, vſque ad Ioſephum. Non ruit præceps, etſi duobus ſaltibus faſtigium nobilitatis tenuit. Vſque ad Ioſephum humilem fabrum, non cadendo, ſed gradiendo deuenit ex Abrahamo, vetuſtæ & generoſæ nobilitatis apice, vt Chriſtum à communi hominum lege eximeret. Reliqui homines, qui citò aſcendunt, citiùs deſcendunt. Chriſtus verò ſingulari priuilegio, quod in Euangeliorum auſpicio euulgatur, *duobus ſaltibus aſcendit*, ſed paulatim *gradiendo deſcendit*. Porrò ſic eſt auguſtum & rarum quiſquis ſemel cadere incipit, non præcipitem ruere, vt quaſi grande, Chriſti Dei elogium, de ſingularitate famoſum, recenſeatur, quod qui duobus ſaltibus culmen tenuit, non præcipiti caſu, ſed pedetentim gradiendo deſcendat. *Es coſa rara entre los hombres, que el que ſubio muy preſto, y comiença à caer, no baje mas apriſa que ſubio.*

Exhauriendis Iacobææ ſcalæ ſenſibus vix charta ſufficit, nec ſatisfacitur. Igitur egreſſus Iacob de Berſabee, pergebat Haram. Cúmque veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere poſt Solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco. *Vidítque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Per Angelos aſcendentes & deſcendentes, intelligi homines, ſentit Theodorus cum aliis. *Hæc eſt prima pars ſomni* (inquit Caietanus) *ſcala à terrâ vſque ad cælum ſtans firma in terrâ.* Sed mirum non eſt, ſcalam à terrâ vſque ad cælum ſtantem, firmam eſſe in terrâ, ſi Deus ipſe ex infimâ parte ſcalæ, ſcalæ incumbebat, & ita illá firmabat, vt multis probat noſter Alcazar, & Hebræa videntur indicare. Scilicet quando homines è ſummo faſtigio ad ima deſcendunt, opus eſt, vt ipſe Deus ſcalam è parte inferiore firmet, ne ſcala nutet, & ad ima deſcendentes præcipitent. *Aſcendentes per profectum de bono in melius*, ait ibi Hugo, *Deſcendentes per humilitatem.* Vt iuſtus aſcendat de bono in melius, vt Deus ſcalam ſuſtentet, opus eſt: at verò, vt è culmine deſcendendo, pedetentim numeratis gradibus gradiantur vſque ad ima humilitatis, tunc, tunc quidem vt Deus ſcalæ innitatur, & illam obnixiùs firmet, neceſſe eſt. Sic enim ſolitant homines è ſublimi loco ad humilem cadere, vt non deſcendere, ſed præcipitare videantur. Annon verum ſemper illud Prophetæ? *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.* Aſcenſum multis modis molitur, & ſecum conſilioſè tractat; ſed præceleri ruinâ corruit. Vix legitur aſcendiſſe, & corruiſſe proditur? Deſcenſum præcipitat, qui molitur aſcenſum.

3\.

Geneſ. 28. v. 12. & 13.

Deus ſcalam firmat, ne deſcendentes corruant.

Theodor. & Caiet. ibi.

Iſaiæ 14. 12.

Hic v. 20.

Miriſſimum eſt, quòd Manaſſe, qui ſublimitatem ambibat, & ſemel cadere incepit, & fratri poſtponi, non ceciderit vſque ad ruinam infimiſſimam, quod protectioni Iacobi imputandum eſt, qui nepotem ſtitit, & aliquâ benedictione felicitauit.

§. CCLXXIII.

§. CCLXXIII.

Indignus laude, laudandus etiam eſt, vt laude dignus laudari impunè permittatur.

1. Laërt. lib. 6. cap. 1.

ANTISTHENES Athenienſium philoſophus, cùm audiſſet ab improbis quibuſdam ſe laudatum eſſe: *Vereor*, inquit, *ne quid imprudens fecerim mali.* Probitas laudari non ambit ab obuio quoque laudatore, ſed laudari timet; Laudanda facere ſatagit, tametſi illaudata ſileantur. Improbitas verò, ſicut nihil laude dignum agit, ita ambitioſiùs expetit laudes: & auara laudandi meriti, prodigè ſatiſcit laudis ambitione: adeò vt nemo præter ſe, aut niſi ſecum laudari permittat: ipſaque meritorum ſterilis, fœcundam laudum ſegetem vel in virtute alienâ demetere præſumat: quaſi virtus, in vitium quoque laudes reuerberare cogatur, arrogantiæ merito.

2. Iudicum 5. Siſara Princeps militiæ regis Iabim, præualidum armauit exercitum, vt Iſraëlem penitus aut ſubiugaret, aut deleret. Pauet Hebræa gens, Chananæorum minas ſuſtinere non eualens. Tunc Debbora, quæ regundo populo præerat, cum decem millibus Zabulon & Nephthali, Siſaræ phalangibus animoſa occurrit, totamque Chananæorum Principum potentiam fregit, profligauit, deuicit, fugauit, præinſtri in paucis victoriâ, quam Zabuloniana & Nephthalitica duntaxat tribus reportauit; reliquis aut otio torpentibus, aut inertiâ otioſis, aut metu madidis. Et tamen Propheteſſa Debbora dum ſacrum Pæana Deo canit ob partam victoriam, non tantùm Zabulonis & Nephthali laudes occinit, ſed reliquarum etiam tribuum, quæ prælio minimè præſentes adfuerunt: *Saluatæ*, inquit, *ſunt reliquiæ populi; Dominus in fortibus dimicauit. Ex Ephraim deleuit eos in Amalec, & poſt eum ex Beniamin in populos tuos ô Amalec: de Machir principes deſcenderunt, & de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.* Hinc argutum exoritur inter expoſitores litigium, quare Debbora ſic magnificè reliquas tunc otiantes tribus, ſimul cum Zabulonianâ laudarit? Quid laude dignum aduerſus hoſtes geſſerunt, qui nec prælio adfuerunt, ſed in propriis laribus torpebant otioſi? Commendentur victrices tribus; reliquæ, ſi ob inertiam non vituperantur, ſaltem minimè dilaudentur; ne laudes tribui victrici debitas, impendat in plures, non exiguo gloriæ detrimento. Opportunè & ad litteram, & ad mores inibi Caietanus, ad illa verba: *Ex Ephraim deleuit eos, &c. Hinc habes*, inquit, *per modum laudis commemorari à Debborâ hæc, quæ impertinentia videntur. Ex hoc enim quòd tribus Zabulon, quam perſpicuum eſt ad bellum hoc concurriſſe, inſinuatur quòd reliqua quæ de aliis tribubus commemorantur, non niſi laudabiliter commemorantur. Et rationi conſentaneum eſt, vt Debbora iudex (ac per hoc perſona communis vniuerſo Iſraël) in publicâ laude illarum tribuum quæ adfuerunt, ne inuidiam excitaret in aliis tribubus (ac per hoc, diſſenſionem) laudes aliarum tribuum pro bono pacis inſeruerit.* Nempè eò peruenit ambitionis inſolentia, vt cùm benemeritus dignè laudatur, extra chorum laudandus etiam ſit laude indignus, pro bono pacis, ne diſſenſionibus illaudatus tumultuet populus: ô ventoſiſſimam ſuperbiæ impudentiam! Nemo, te illaudato, laudandus eſt? Torpes ad rem laudis, & vocabula laudationis affectas? vacillat manus ad meritum, & prurit auditus ad laudem? Laudem alienam reputas vituperium, niſi tu pariter prædiceris. Sic laudes extorquet ambitio? Virtutis alienæ expers, laudis tamen particeps eſſe non pudet? ô ſcabiem, propriæ laudis opportunè vel importunè audiendæ!

Nonniſi reliquis tribubus laudatis Zabulonianam Debbora laudat.

Iudicum 5. v. 13. & 14.

Caietan. ibi.

3. 1. Reg. 18. ita ſcribitur: Porrò cùm reuerteretur percuſſo Philiſthæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël, cantantes, choroſque ducentes in occurſum Saül regis, in tympanis lætitiæ, & ſiſtris. *Præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia. Iratus eſt autem Saül nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo iſte: dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt*, &c. Quis non miretur Iſraëlitides puellas, feſto plauſu & tripudio prædicantes victoriam de Philiſthæis partam, in partem gloriæ Saülem aſciuiſſe? Et diligenter perueſtigant interpretes, quo pacto verè dici poſſit, tunc Saülem mille peremiſſe. Strabus Fuldenſis ita ſcribit: *Percuſſit Saül mille. Scilicet eos qui fugientes occiſi ſunt. Et Dauid decem millia. Scilicet Philiſthæum, qui vno deiecto omnes in fugam miſit.* Omnes in fugam miſit ſolus Dauid, & quia Saülis acies fugientes Philiſthæos perſecutæ ſunt, Saül laudum particeps fuit, & quaſi auaras laudis ſuæ voces, querulus eas refutat? Imò prodigas puta, cùm vnius Dauidis encomium cum Saüle partiuntur; & victoriæ exortem, (mendaci, opinor, ſiue vrbanitate, ſiue adulatione) participem triumphi faciunt. Minimè laudari debuiſſet Saül, & parcè ſe laudatum expoſtulat? Eleganter ad rem Sanctus Chryſoſtomus ita fatur: *Percuſſit Saül mille, &c. Iratus eſt autem Saül nimis. Etiam ſi hæc præter meritum Dauidis fuiſſent dicta, ne ſic quidem oportebat hoſtilem in eum gerere animum. Nam ſi indignandum erat, Dauidem potiùs conueniebat indignari, qui cùm ſolus totum geſſiſſet, alterum haberet laudis participem.* Vide laudis auaritiam in eo qui laude indignus eſt. Dauid totam laudem meretur, qui ſolus ſuo periculo redemit alienum; & vnicè victoriam reportauit: & quaſi parùm foret partem laudis cum illo communicaſſe, querulus Saül iraſcitur, de partitâ laude, quam Dauidi detrahebant, vt illum vel ſupra merita dilaudarent. Quid inſolentius? Parùm fuit in partem Dauidicæ laudis Saülem aſciuiſſe, ne benè merentem laudarent, quin laudarent etiam minimè merentem; niſi immeritus Saül omnem omnium laudem ſibi arrogare arroganter exambiret. Ille, ille inquam, laudes appetentiùs ambit,

1. Reg. 18. v. 7. & 8.

Saül hiat ad laudem, nauſeat ad laudis meritum.

Strabus ibi.

Chryſ. hom. de Dauid & Saül.

 quem

quem laudes ambitioſè faſtidiunt. Hiat ad laudes, qui nauſeat ad laudum meritum.

Hic v. 20. Inter meritas Ephraim laudes, laudes etiam Manaſſe hic Iacobus intermiſcet, ne feliciſſimam tribum deprædicet, quin aliam inferiorem dilaudet.

---

§. CCLXXIV.

Memoria inſtantis ſibi mortis, aſtrorum adornat fulgores, & paradiſæam conſummat felicitatem.

1\. MORS eorum vitam conſecrat ad omnem felicitatem, qui eius obeundæ aſſiduâ recordatione meminerunt. Profectò, ſicut bona mors, & infelicem vitam feliciter abſoluit, atque coronat; ſic inſtantis perpetuò mortis repetita memoria vitam ſoſpitat, felicitat, beat, arcano beatæ felicitatis auctario, dum ex amaræ mortis radice præcoces fructus, ad omnem ſuauitatem & probitatem vberes, felix demetit mortis recordatio. Iob 38. ſic Iobum ſuum alloquitur Deus.

Iob 38. v. 7. Aſtra matutina occaſui proxima, pluſquam noctu ſplendentia Deo placent.

Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ...... Cum me laudarent ſimul aſtra matutina? Locus à me alibi expenſus, nunc altorsùm genuinè emedullandus. Quam, rogo, ob cauſam *aſtra matutina* effuſiùs prædicant Dei opificis laudes linguato luminis ſplendore? Imo potiùs *aſtra matutina*. Hiſpanè, *Las eſtrellas de la mañana*, quæ totâ nocte ſplendidiùs ſcintillauerant; auroræ exortu ſuos contrahunt radios, & ſui occaſus metu raræ albeſcunt inſtante vicinæ mortis præſagio: cumulantur enim Solaris luminis opulento iubare. Quare, non cùm plenâ lampade noctu micant, ſui occaſus immemores, laudes Dei modulari dicuntur, ſed dum eorum ſplendor langueſcit inſtantis lethi ſui pauore? ô rem expenſione digniſſimam! Scilicet, dum *aſtra matutina* inſtante ſuæ mortis metu expaueſcunt, & expalleſcunt, & *Velut funereæ faces in occaſus ſuos quaſi quibuſdam deducuntur exequijs*, (vt eleganter loquitur Zeno Veron.) tunc, tùnc quidem languidæ ſuæ lucis ſumptuoſiori pompâ diuinis laudibus ambitioſiùs militant; & obitus ſui pallido aſpectu ſplendidiùs Deo ſcintillant, quaſi placendi gratiam, & officioſitatem modulandi, non ab opulentiâ nocturnæ lucis, ſed à matutino languore mutuentur. Sic aſtra occaſus ſui ambitioſo nitent ornatu? Sic matutinus pallor ſidera adornat ad gratiam? Sic ſpectati obitus ſui ſqualore inornantur? Tantam vicinia mortis ſideribus conciliat gratiam? Itane mortis aſpectus placendi fauorem meritorum blandimento ſubornat?

Zeno ſer. de Reſurrect.

2\. Quid neceſſe eſt paradiſi pulchritudinem enarrem, cuius cultor conditor eſt? Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formauerat. Sic porrò diuinæ bonitatis imber delatus eſt in Adamum, vt gratiâ originali (ô quot, quantaque dona vno verbulo denotantur!) dotatus, paradiſi deliciis, & vitæ immortalitate frueretur. Namque Deus velut parturiens magnificentiæ ſuæ munera, habere clauſum penes ſe cæleſtis gazæ theſaurum quaſi impotens, non eſt contentus; ſed eo vberrim Adamum munerauit. Aſt quorsùm inter tot naturæ & gratiæ delicias, mortis memoria inſoleſcit? *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Quare mortis reſcriptum in immortalitatis veſtibulo legitur! ô vocem intempeſtiuam! Puto, vel cruda amaræ mortis memoria, felle tot delicias aſperget, quò infeliciter felicem alioqui innocentiæ ſtatum, ad omnes voluptates & ſanctitates factum. Verùm enimverò id vnum deeſſe videbatur feliciſſimo illi innocentiæ ſtatui, ſublimioribus gratiis adornato, vt homo tunc à diuino priuilegio immortalis, mortis memoriâ dotaretur, ad felicitatis & gratiæ opulentiam. Sic enim mortis memoria ad virtutes extimulat, pietati militat officioſitate merendi; vt ne quid vberioris gratiæ Protoparenti deeſſet; inter amœniores paradiſi delicias, & magnificas originalis gratiæ dotes, nouum mortis vocabulum reſonaret, quò aliàs immortalem vitam, nouo virtutis fomite ad omnes ſanctitates accendat.

Imm ortalis innocentiæ ſtatus, in eius recordatione exaggeratur ad gratiam.

Gen. 2. v. 17.

Nunquæ inde perire
Poſſe datum eſt cunctis, vt viuere dulciùs eſſet.

Modulatè cecinit Mar. Victor. *Dulciùs*, id eſt, (in vitâ illa paradiſiaca & innocenti) feliciùs ad meritum, beatiùs ad gloriam, quâ amara mortis memoria melliitur, & dulceſcit. Sic mortis recordatio ad pietatem ſtimulat? Sic delinquendi libidinem frenat? Itaque mortis memoria, vitiorum eſt tumulus, & virtutis aſylum. Exinde hanc gratiæ diuinioris arcem primò labefactare innitur Inferorum dux, homini ſuggerens: *Nequaquam morte moriemini.*

Marius Vict. in ſacro Geneſeos poëmate, lib. 1.

Gen. 3. v. 4.

3\. Pſalm. 18. ſic de Sole modulatur regius Pſaltes: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe* (Sol inquam) *tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Pergit propius ad rem. *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius; & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Græcè, & Hebraïcè, *Vſque ad finem, ſeu terminum eius*, id eſt, vſque ad occaſum. Ecce Sol, tanquam ſponſus, aurei luminis decore indutus, & ſplendentium radiorum coronâ redimitus; ab Oriente exultat vt gigas ad ſtrenuè currendam viam. Vnde tam alacriter exurgit, & tam ſplendidè viam peragit? *A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad finem*, ſeu occaſum eius, quem ab Orientis exordio ſemper oculis ſpectat, & claris obtutibus perpetuò obuertat. Luculenter S. Zeno Veron. *Sol quotidie naſcitur, eademque die, quâ naſcitur, moritur: nec tamen inſtantis finis ſorte terretur; ſuos vt repigret curſus; vt horas ac momenta producat, & ſaltem paulo diutius dies ſui demoretur in vitâ; ſed fidelis ſemper, ſemperque intrepidus ad ſepulcrum mortis cognatæ contendit, ſcius in ipſo ſe habere quod viuit: denique adimitur*

Pſal. 18. v. 6. Sol ab occaſu ſemper à ſe ſpectato, vitâ & ſulgore funeratur.

Zeno Veron. ſer. de Reſur.

tur ei ortus, ſi ei adimatur occaſus. Scilicet ſplendida Solis vita, nitidior ab Oriente excurſus per cæli ſpatia impiger & intrepidus, inde prouenit, quòd ad cognatæ mortis perpetuò ſpectatæ Occaſum contendit, ſcius ſe in ipsâ & ab ipsâ habere quòd viuit vitâ fulgidâ, & Sole dignâ. Sol enim ab orientis ſui exortu, ad alia omnia velut cæcus, totus oculatus eſt, vt occaſus ſui mortem videat, vnde præmaturè immortalem & ſplendidam vitam iugiter fœneratur. Quid accommodatius?

Hic v. 21. Tantam virtutum opulentiam, quam admiraris in Iacobo, inde originem ducit, quod hæc vox illi erat præſentiſſima: *En ego morior.*

§. CCLXXV.

Mors, quæ inurbanè de tædio ſui naſcitur; in ſui deſiderij ſepulcro tumulatur.

1 Seneca de Conſol. ad Marciam c. 20. MOrs (inquit Seneca) *omnibus finis, multis remedium, quibuſdam votum; de nullis melius merita, quam de his, ad quos venit, antequam inuocetur.* Imò rarò, aut

Multorum votis mors excitata. nunquam inuocata venit. Fugit enim ſe quærentes; & à ſe fugientes ſedulò quærit, peruestigat, inuenit. *Tot metus, tot curæ, toties inuocata*

Plin. l. 7. c. 50. *mors, vt nullum frequentius ſit votum.* Vnde verè dixit ille quicumque: *Optima mors, eſt inex-*

Iul. Cæſar. *pectata.* Expectantem enim, & auidè illam optantem fugit, fugientem perſequitur, hominum votis ſemper inimica.

Seneca in Hercule Oetheo.

Par ille eſt ſuperis, cui pariter dies,
Et fortuna fuit. Mortis habet vices
Lente cum trahitur vita gemitibus.

Ardens enim mortis deſiderium mortem fugat; ardentius vitæ votum, mortem acceſſit. Itaque diutius viuendi ſtudium, ſollicita mortis negotiatio eſt; & certior vitæ iactura. *La ſolicitud de viuir mas, ſon diligencias de morir mas preſto.* Moraliſſimam ſanè vitæ cupidis eruditionem!

2\. 3. Regum 19. impiæ Iezabeli renunciat Achabus pſeudoprophetarum omnium piis ſtrages. Muliebri iracundiâ ferocit Regina impiè religioſa; & ſæuam minitatur cædem Eliæ, tanti facinoris patratori ſeuero. Hæc mihi faciant, inquit, dij, & hæc addant, niſi hâc horâ cras poſuero animam tuam ſicut animâ vnius ex illis: *Timuit ergo Elias, & ſurgens abijt quocumque eum ferebat voluntas; & perrexit in deſertum, viam vnius diei.* Sed nota mihi quàm parum ſibi cohæreat Elias, ſubdit enim ſacer hiſtoricus: *Cumque veniſſet, & ſederet ſubter*

3 Reg. 19. v. 3. & 4. *vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt morere-*
tur, &c. Quid eſt, quòd Elias ſic nauſeat ad vi-

Sollicitior mortis fuga, illius aſſequendæ artificium eſt. tam, vt mortem expetat? Imò ſi mortem expetit, cur mortem fugitans declinare conatur? Fugitiuus per deſertum exertat Elias, vt mortem effugiat, & ibi ſedens, mortem votis acceſſit? Si tædio mortis afficitur, cur illam expoſcit? & ſi mortem expoſcit, cur illam fugit? Aut non debuit expetere, quod fugit, aut fugere non debuit, quod expetit. Luculenter Angelomus, antiquitate & acumine locuples ſcriptor, ita difficultatis nodum opportunè extricat: *Conſidero,* inquit, *Eliam timore perculſum, de manu Dei mortem petere, nec accipere; de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem dum fugeret.* Subtiliter planè de

more Angelomus. Scilicet optata mors rarò adeſt optanti: præſto adeſt eam metuenti, refugienti, detrectanti, fugit ergo Elias mortem, quam ardentius percupit, vt mortis fugâ mortem quærat, & inueniat: *Quærebat enim mortem dum fugeret.* Parum mortem optaſſet ardenti cupiditæ mortis voto, ſi illam duntaxat quæſiiſſet: fugit enim ſe quærentes: conſultiſſimè ergo Elias mortem vt inueniat, mortem fugit: quaſi mortis fuga feſtinet ad mortem, cui fugiendo appropinquamus. Porrò ſollicitior mortis fuga, illius aſſequendæ artificium eſt, quæ vt illam quærenti longius abeſt, ſic eam detrectanti propiùs adeſt. Angel. ibi.

Iobi non querulè expoſtulantis, ſed calamitosè dolentis, hæc lugubris vox eſt: Quare miſero data eſt lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt? *Qui expectant mortem,* Iob 3. 21.
& non venit. Verbum *expectandi*, quod in Hebræâ origine eſt חָכָה *hhacah*, vehementem quendam animi affectum importat, quo quis inhiat in rem aliquam vel conſequendam vel apprehendendam, illamque ardentius aſſequi impatienti voto ſuſpirat. Qui ſic auidè mortem expetunt, cupito fruſtrantur affectu, illamque optando longius abigunt, non propius acceſſunt. *Et non venit.* Mors cupidiſſimè vocata & expectata, *non venit.* Hebraicè, *Et non ipſa.* Nempe ardenter expetis & deſideras mortem? Non modò *non venit*, ſed *non ipſa*, periit mors illam inuocanti. Parum foret, quòd vocata mors non veniret; eam cupidè deſideranti, *non ipſa*; abiit, inquam, euanuit, periit, mortua illam cupienti mors eſt. Deſiderij tui ſepulcro tumulatur: & de faſtidij tui vuluâ naſcitur. Cupis longius viuere? mortem impenſius votis ſollicita. Optas citius emori? illam effugere ſolerter ſatage: *Elias enim quærebat mortem dum fugeret.* Iam Iobo atteſtante: *Qui expectant mortem, & non ipſa.* Periit in ſui deſiderio, quæ naſcitur ex ſui faſtidio. Opportunè Euangelicus propheta Ioannes: *Quærent homines mortem, & non inuenient eam; deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* O inurbanum, & agreſte mortis ingenium!

3 *Quærenti mortem, mors perijt.* Apoc. 9. 6.

Sera occurrit Iacobo mors, illam ſemper expectanti: ſed expectantem fugit, vt fugientem perſequitur. Hic v. 21.

***

§. CCLXXVI.

Humana vita ſic eſt caduca, vt fuga à morte, moraliſſimè dicatur.

1. O Homo vindica te tibi, & tempus quod adhuc aut à negotiis tibi auferetur, aut tibi à commodis ſurripitur, aut inertiâ excidit; collige & ſerua. Cùm perbreue noſtræ vitæ tempus ſit, turpiſſima eſt iactura, quæ per negligentiam venit. Heu magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus! Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc omnes fallimur, quòd mortem procul eſſe cenſemus; magna pars eius iam prætetiit, quidquid ætatis retrò eſt, mors tenet, quidquid futurum eſt, in incerto pendet. Quin & ſic ocyſſimè floret, & deflorеſcit homo, ſic vitæ auſpicium funeſtus ſuccedit interitus, vt vitam, breue mortis cadauer, inidoneè dixeris.

Humana vita; breuis morula eſt.

2. Geneſis 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Eruditè notat Oleaſter Hebræum verbum *Nephſa.h*, pro quo S. Hieronymus exſcripſit, *inſpirauit*, ſignificare Hebraïcè, & *inſpirare*, & *ſpiritum emittere*. Nempe primum vitæ exordium, & ſimul extremum vitæ finem, eodem verbo Moyſes deſignat. Sic cadaueraſcit vita hominis, vt vitæ auſpicium, ſit funeris monumentum, id eſt; *vitæ inſpiratio* dicatur *ſpiritus emiſſio*? Naſcentis infantuli cunæ pro funeſto cenotaphio reputantur? ô funeſtè ſepulcralem mortalium natiuitatem! ô nimis fatuas hominum curas! Velut ex vtero tranſlatus es ad tumulum, & quaſi immortalitatis candidatus viuis? Curſum aduerte, diuino velut halitu vitam homini *inſpiratam* fuiſſe, quò mortalibus innoteſcat, diuina præcordia eſſe quaſi hominis, ſiue vterum, ſiue matricem, & humanæ vitæ & mortis honorarium in primis conceptaculum. Nimis multa hîc paucis perſtringimus.

Genel. 2. 7. Oleaſter litterali comm. *Prima noſtra vitæ inſpiratio, dicitur Spiritus emiſſio.*

Dei præcordia eſt velut hominis matrix.

3. Geneſis 4. ob immane patricidium ſeueriori Dei ſententia ferітur Cainus, qui in has impatienter erupit voces: *Ero vagus & profugus in terrâ: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Vagum & profugum ſe appellat ille, qui mortalium primus vrbem condere feſtinauit? An quia imminentem ſibi videt mortem, dum viuit, mortis *profugus* ſibi videtur? Huc alludere videtur Baſilius Seleucus, dum de mortuo ab Eliâ ad vitam reuocato, ita ſcribit: *Elias primum liberauit à morte mortuum, & mortuus contactu mortuum expergefecit ad fugam.* Mortuus expergefit ad fugam, an ad vitam? Num vita hominis fuga eſt? eſt quidem fuga à morte. Quiſquis viuit, mortis ſententiam audiuit, & reus eſt mortis: ergo dum reus mortis, mortem viuendo declinat, *vagus & profugus* à morte exerrat, & mortis fugam init. Quot vides homines, tot mortis fugitiuos puta, & ad mortem proſcriptos. Hinc querula illa Iobi vox: Homo natus de muliere, breui viuens tempore...... Qui quaſi flos egreditur, & conteritur: *& fugit, velut vmbra.* O vitam hominis vmbraticè fugitiuam! Sed quæ præcedunt immediatè Iobi verba, ad rem præſentem enucleanda ſunt.

Genel. 4. 17.

Vita humana, mortis fuga eſt.

Baſil. Orat. 13.

4. Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore.... Qui quaſi flos egreditur & conteritur.* Hebraïcè pro *homo* habetur *Adam* appellatiuè ſumptum: & pro *mulier*, Hebraïcè etiam ſcribitur *Iſa*, quæ Geneſ. 2. dicitur, *Virago, quia de viro ſumpta eſt*: & Philippus quidem vult alluſionem fieri ad *Euam*, quæ quodammodo hominibus immortalitatem eripuit, dum illius occaſione homo ſententiam illam incurrit: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Addit Iobus: *Qui quaſi flos egreditur, & conteritur.* Vbi notant Biblicè periti, quòd frequentèr in Scripturâ continens duorum verborum collocatio & coniunctio, coniunctionem etiam, & continentem ſubſecutionem in re ſignificatâ adferet; quam rem eleganter expreſſerunt LXX. interpretes, ſic exſcribentes: *Tanquam flos, effloreſcens decidit.* Vix è papillis erumpens flos, totam explicat conſpicui nitoris elegantiam, & ſtatim marcidus effloreſcit, deciduus marcet, & caducus in matricem tellurem decidit. Breuiſſimum florum æuum eſt: Sic & humanæ vitæ: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore. Tanquam flos, effloreſcens decidit. Nos nati continuò deſinimus eſſe.*

Iob 14. v. 1. & 2.

Geneſ. 2. 23. Philippus ibi.

Geneſ. 2. 17.

Sapientiæ 5. v. 13.

Vita hominis, tanquam flos, effloreſcens decidit.

Sapient. 5.

Canticorum 2. *Flores apparuerunt in terrâ noſtra: tempus putationis aduenit.* Vix apparuerunt flores, & verſicolori nitoris ambitione prata vernant ad viſus & odoratus gratiam, & è veſtigio marceſcunt, & amputandi ſunt? dum vix vernant, iam demum autumnant flores? Quod acutè notauit Gregorius Nyſſenus præfata verba exponens. *Oſtendit* (inquit) *& prata floribus ſcatentia, venuſtéque picta. Flores ipſos maturitatem ſuam conſecutos, & iam idoneos eſſe dicit, qui amputentur. Flores apparuerunt in terrâ noſtrâ: tempus putationis aduenit.* Vix plantæ gemmant, & nitent flores, cùm caduci defloreſcunt, marcent; decidunt? è pulchrâ papillarum matrice, in volatico aëris pheretro, ad paratum terræ tumulum, ſic ocyſſimè properant? *Homo natus de muliere, breui viuens tempore: tanquam flos, effloreſcens decidit*: quia vbi primum vitæ *flores apparuerunt in terrâ noſtrâ: tempus putationis aduenit.* Sic qui immaturus eſt ad recentem vitam, immaturè interitum matureſcit?

Cant. 2. 12.

Nyſſenus ibi. *Vita humana flos eſt, ſtatim defloreſcens, & amputandus.*

5. Illud Iobi de humanæ vitæ breuitate elogium: *Fugit velut vmbra*, id eſt, *continuè*, vt exponit Gloſſa; explicatius traditur Sapient. 5. *Et nos nati continuò deſinimus eſſe.* O prematurè caducam hominis vitam! ô humanæ vitæ tempus emortuum! Geneſis 18. ſic Angelus ad Abrahamum fatur: *Reuertens veniam ad te tempore iſto.* Lipomanus; eruditus auctor ibi. *Alij vertunt: Redire redibo ad te, ſicut hora viua.* Tempuſne viuit? Quâ, rogo te, vitâ viuit tempus? Num vitâ hominis in illo viuentis? Opinor, etiam ſic tempus emori. Heu tot annorum cadauera! At vix vnâ *horâ viuâ* potiuntur tot homines qui ſeriò aiunt: *Nos nati continuò deſinimus eſſe.* O mortuas mortalium

Iob 14. 2. Gloſſa ibi. Sapient. 5. vers. 3.

Geneſ. 18. 10. Lipom. ibi. *Homines vix vnâ horâ viuâ potiuntur.*

talium horas planè æternas! ô vix vnam *horam vinam* mortalium!

6. Præfatus Angelus ſub humanâ ſpecie Abrahamos apparens, ita loquitur: *Reuertens veniam ad te tempore iſto, vitâ comite.* Quid eſt, *Vitâ comite?* Hiſpanè *Dandonos Dios vida.* Idne ex Angeli ore excidat? Dubitatne Angelus de æui ſui perpetuitate? Scio recentiores interpretes ſenſum verborum aliorsùm detorquere. Sed vnus pro omnibus Hieronymus, ita explicat, quo pacto Angelus dixerat: *Reuertens veniam ad te tempore iſto, vitâ comite: Reuertar* (inquit) *ad te tempore vita, quaſi dixerit, Si vixero, ſi fuerit vita comitata. Hæc autem anthropopathôs quo modo & cetera.* Aduertis Angelum humano corpore vel apparenter aſſumpto, dum loquitur de reditu ad Abrahamum poſt aliquot menſes, ſemel & iterum addidiſſe, *Vitâ comite*, id eſt, *Si vixero.* Timetne mortem immortalis Angelus; quia ad perbreue tempus vel phantaſiam corporis geſtat? Sic mors, apparenter corporali vitæ inſidiatur? Sic fragilis & caduca habetur Angeli vita ſub mortalis apparentiâ corporis? ô moraliſſimam hyperbolem!

Geneſ. 18. v. 10.

Timetne Angelus in aſſumpto corpore mortem?

Hieronym. in qq. Hebr.

Eodem c. 18. v. 14.

Hic v. 21. *En morior*, ait, & tandem moritur, qui à vitæ auſpicio mori cœperat; & viuas exequias dum viueret, ſumptuoſius celebrabat.

---

§. CCLXXVII.

Negotium, cui homo ſuam fidem viuens obſtrinxit adhuc poſt mortem negligendum non eſt.

1. NON eſſet adeò glorioſum (etſi per ſe glorioſiſſimum ſit) plenâ fide explere negotium; cui te obſtrinxeris, niſi obuium & vulgare foret, eiuſmodi curam facilè negligere. Bonæ fidei homo, qui aut ex munere, aut ex promiſſione rem exequi debet, nunquam cogitauit, plura eſſe verba, quàm res; imò ſeriò cogitat, plures res eſſe quàm verba. Rei debitum, verborum ſolutione malè liberatur. Rem debes? manibus pedibuſque obnixè ſatage, vt illam plenè exequaris, quò fidem tuam generosè liberes. Reliqua aliis debes, hoc tibi, & aliis. *Gran coſa es, dar vn hombre buen cobro de lo que eſta à ſu cargo, y corre por ſu quenta.*

2. Suaſore Ioſepho tota Iſraëlis familia ingreſſa eſt in Ægyptum, aduena & peregrina; ſed bonâ ſpe in patriam ſibi promiſſam remeandi: Ioſephus verò, cuius auſpiciis patriam reliquerant, & in Ægyptum peregrini intrauerant, præſagâ mente noſcens, quàm arduus futurus erat, & ex Ægypto egreſſus, & in deſerto tranſitus, & in ſuam Palæſtinam ingreſſus; iam iam morti proximus, ita ſuos adloquitur: *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram quam iurauit Abraham, Iſaac, & Iacob.* Satis feciſſe videtur Ioſephus, vt ſolueret fidem ſuam, quam Iſraëlitas euocando, illis oppignerarat pro virili reditus procurandi, dum præfatâ Dei reuelatione illos repedandi ſecuros facit; & tamen conſultiſſimè addit: *Cùmque adiuraſſet eos, atque dixiſſet: Deus viſitabit vos: aſportate oſſa mea de loco iſto: mortuus eſt, &c.* Quare Ioſephus tam ſolicitè adiurat totam Iacobæam gẽtem, vt dum ex Ægypto remeent in patriam, eius oſſa laborioſa vectatione in pheretro ſecum deportent? Plura plures ſuper hâc quæſtiunculâ. Sed in primis eleganter inibi Chryſoſtomus ita ſcribit: *Aſportate oſſa mea vobiſcum. Et videre licet rem nouam & admirabilem..... illum* (Ioſephum inquam) *& ducem reditus, & in terram Iſraël inducentem.* Nempe Ioſephus dudum fuerat incentor & auctor ingreſſus Iſraëlis in Ægyptum, & ideò morti vicinus, ſua oſſa mandat cum reduce populo aſportari, quo ipſe vel mortuus ſit reditus dux, & Iſraëlem inducat in terram promiſſionis, vnde illum ipſe euocauerat. Sua oſſa ſuſtituit vt Ducis gerant officium; & diù mortuus felicius ductat, quàm olim Ægypti Præfectus opulentè euocauerat. Quaſi dicat: Per me exulant, per me etiam defunctum ad patriam, vnde illos extraxi, ſoſpites redibunt. *Aſportate oſſa mea vobiſcum*, vt ſim etiam Dux reditus veſtri. *To os ſaque de vueſtras caſas, por mi quenta corre bolueros à ellas, aun deſpues de muerto.* Frigidum meum cadauer mei viuentis geret vices, mea oſſa præſtabunt, quod viuus ipſe præſtitiſſem. O ſollertiam officij præſtandi, ex nobili humanitate ſolummodo debiti! Reditum etiam in Palæſtinam pollicetur etiam Iacobus hîc morti proximus, ne ipſe mortuus deſerat, quos viuus è propriis laribus euocarat.

Ioſephi oſſa deducunt Iſraelem, quem ipſe à terrâ promiſſionis euocauerat.

Geneſ. 50. 23

v. 24.

Chryſ. ibi.

Hic v. 21.

3. Ab Incarnationis auſpicio Chriſtus Deus humanæ Redemptionis, & implendarum Scripturarum negotium ſuſcepit. Vnde morti proximus: *Sciens Ieſus quia iam omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura dixit: Sitio.* Aliàs addubitabam, quo modo potuit dicere Ieſus, iam omnia conſummata, ſi adhuc deerat Scripturarum conſummatio. Auguſtinus in Pſalmum 68. ad quem hîc adluditur, acetum interpretatur metaphoricè de amaritudine & acerbitate ſuæ Paſſionis: vnde rectè dicere potuit Chriſtus ante acetum deguſtatum, iam omnia conſummata fuiſſe. At vt magis ac magis conſummaretur Scriptura, cuius implendæ negotium acceperat, dixiſſe, *Sitio*, vt propriè aceto potaretur, & ſic munus implendi Scripturas, non tantùm impleret, ſed ſuperimpleret etiam, & ſuperconſummaret. Sed enedullare oportet ad rem præſentem verba, quæ ſubdit Euangeliſta.

Ioan. 19. 28.

Chriſtus munus implendi Scripturas implet, & ſuperimplet.

4. *Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt (opus redemptionis humanæ,* ait Lyra) *Et inclinato capite tradidit Spiritum.* Scilicet videns Ieſus iam omnia perfectè conſummata, vltrò inclinat caput, & emittit ſpiritum. At quid ſignificat hæc capitis immediatè ante mortem arcana inclinatio? Reſpondet Athanaſius: *Inclinato capite tradidit ſpiritum. Sola mors adhuc reſtabat, atque hæc metuens appropinquare non audebat: ideò Chriſtus inclinato capite vocauit eam; antequam enim inclinaſſet caput, propius accedere verebatur.* Aliter Chryſoſtomus. *Et inclinato capite, quod affixum non erat, tradidit ſpiritum.... per quod oſtendit eum Euangeliſta eſſe omnium Dominum.* Noua planè & ſubtilis ratio, nec tranſ-

Ioan. 19. 30.

Lyra ibi.

Athan. q. 76 ad Antioch.

Chryſoſt. hom. 84. in Ioann.

curſim

Hugo ibi. curſim enucleanda. Aliter Hugo Carenſis: *Inclinato capite, vt oſtendat, quòd porrectas aures habet, & inclinatas ad audiendum preces humilium.* Nempe inclinato capite moritur Chri-

Deipara precibus ante petitionem adnuitur?

ſtus, quò denotet ſe perpetuò exinceps adnuere ſupplicantium precibus? *Item inclinato capite ex parte Matris ſuæ. Quaſi dicat: Per ipſam veniam petite: ipſa eſt oraculum miſericordiæ. Nihil enim boni nos habere voluit, quod per manus Mariæ non tranſiret.* Quid pro Marianis precibus luculentius? Pergit Hugo ad rem præſentem opportuniſſimè: *Item inclinato capite quaſi ſupponens humerum ad portandum nos & onera noſtra. Ac ſi dicat, Caput inclino, vt videatis me paratum ad onera veſtra portanda, & ponatis ea ſuper me.* Mirum planè & in paucis

5.
In ipſo mortis articulo Chriſtus ſupponit etiam humerum ad portandum nos.

mirum, quod vbi Chriſtus Deus vidit impleta omnia, quæ ipſe in terris agenda ſuſcepit: & attentus ad omnia, *Dixit: conſummatum eſt*; confeſtim, vt emittat ſpiritum, *Inclinat caput, quaſi ſupponens humerum ad portandum nos.* O exactiſſimum & officioſiſſimum iniuncti muneris officialem! de te dum adhuc viueres di-

Oſee 11.2. xit Propheta: *Ego quaſi nutricius Ephraim, in humeris meis portabam eos*; at in ipſo mortis tuæ momento, poſtquam dixiſti, *Conſummatum eſt*; vt emittas ſpiritum, *Caput inclinas, quaſi ſupponens humerum ad portandum nos?* Nec cum vitâ finitur officij cura tibi viuenti commendata? In ipſo etiam mortis momento, poſtquam dixiſti, omnia conſummata, denuò ſupponis humerum ad portandum nos? Quando ærumnoſo tuo officio finem impones, qui dum animam agis, denuò humerum vltrò ſupponis ad onera noſtra portanda? O immeritam officij tui curam! ô præclarum hominibus documentum! Parùm eſt vſque ad vltimum vitæ ſpiritum negotio tibi credito inuigilare; niſi eo plenè etiam iam abſoluto, in ipſo exeuntis animæ articulo iterum illi obeundo humerum ſponte ſupponas. *Aun con la muerte no ſe acaban las obligaciones de viuo?*

---

§. CCLXXVIII.

Qui inopiâ laborat, & humeris & manibus mutilus eſt.

1.
Iuuen. Sat. 3.

NIl habet infelix paupertas durius in ſe,
Quam quod ridiculos homines facit.

Eleganter ſimul & verè ille quicumque antiquorum pangit. Et addit: *Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat Res anguſta domi.* Pauper enim inopiæ ma-

Paupertas, membrorum diſſolutio eſt.

lo, velut paralyſi laborat, & membrorum diſſolutione eneruis iacet. *Al meneſteroſo, el achaque de la pobreça pareçe que le à valdado los miembros.* Sic inutiles & enerues paupertas facit!

2. Hic verſ. 22. Iacobus iam iam morti proximus, vice teſtamenti, ita ad ſuum Ioſephum fatur: En ego morior, & erit Deus vobiſcum, reducétque vos ad terram patrum veſtrorum.

Hic verſ. 22. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Indubium eſt, hîc Iacobum dono dediſſe Ioſepho agrum Sichimorum. Sed non bene ſibi cohærere videtur ſacer textus: nam illa verba, *In gladio & arcu meo*, bellicam vim & apparatum ſonant. Nuſquam autem pacatiſſimus

Bellico apparatu opus eſt vt iuſtitia in tribunalibus adminiſtretur?

Iacob legitur pro agro Sichem, aut acquirendo, aut reſtaurando bella cum Amorrhæis geſſiſſe. S. Hieronymus litteræ rigorem tradens, ita ſcribit: *Quod autem dicit ſe eam in arcu & gladio poſſediſſe, arcum hîc & gladium, Iuſtitiam vocat.* Putauerim, his verbis Hieronymum tribunalium mores præſtrinxiſſe. Scilicet Iacob, vt ſuprà denarrauit Moyſes, illud emerat prædium centum agnis: & modò aſſerit ſe illud arcu & gladio poſſediſſe. Quod mihi iure emptionis ex iuſtitiâ debetur, *arcu & gladio*, id eſt, bellicâ vi & armis opus eſt, vt in Iuſtitiæ tribunalibus illud vendicem mihi? Impenſis quibus bellum geri poſſet, odiis & inimicitiis, quibus res belli adminiſtratur, Litigator eget, vt obtineat, quod illi ex iuſtitiâ debetur? Aſtræa, id eſt, iuſtitiæ Dea, in Palladem, auarâ & iniuſtâ metamorphoſi, verſa eſt.

Hieron. de qq. Hebr.
Gen. 33.19.

Verùm illud luculentum prædium, quod Iacobus iuſto pretio emerat, & gladio & arcu forſan vendicauerat, & quo Ioſephum ſuum munerat, *partem vnam* ſententioſè appellat. Quâ ſuper re, ita nuper laudatus Hieronymus eruditè fatur: *Do tibi, ait, partem vnam. Quia igitur Sichem* (pro quâ *partem*, id eſt, prædium, Vulgatus tranſtulit) *linguâ Hebræâ transfertur in humerum, pulchrè alluſit ad nomen dicens: Et ego dabo tibi humerum vnum.* Nimirùm locuples prædium, & perampla poſſeſſio, pulchrè *humerus* nuncupatur. Pauper humeris caret ad portandam occurrentium laborum molem? Diues tot robuſtos habet humeros, quot prædia poſſidet?

Luculentus ager, humerus poſſeſſoris dicitur.

3.
Quintâ fructuũ partem, barbarus rex à mancipijs exigit.

Frumentum in Ægypti horreis vbertim conditum, Ægyptiis Præfectus in pecorum ac poſſeſſionum ſuarum pretium, paulatim diſpenſat. Dixit ergo Ioſephus ad populos. En vt cernitis, & vos & veſtram terram Pharao poſſidet: accipite ſemina, & ſerite agros, vt fruges habere poſſitis. *Quintam partem Regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum familiis & liberis veſtris.* Scilicet etiam ſub Rege barbaro, qui ſubditos omnes (præter ſacerdotes) in mancipia emerat, & omnia eorum prædia emptione poſſidebat; quintam duntaxat partem tributi nomine accipit, ne regnum habitatoribus vacuum inaniter poſſideat. Sibi conſulit Princeps, qui non nimiis tributis populos degrauat. Quin ſecùs faxit, ſemel omnia poſſidet, aut expendit; confeſtim nihil quod poſſideat, aut impendat, habiturus. Oues non eſſe deglubendas, ſed tondendas, vidit quantumuis agreſtis politia. Sed emedullanda ſunt Ioſephi verba: Accipite, inquit, ſemina, & ſerite agros, vt fruges habere poſſitis. Quintam frugum partem Regi dabitis: *quatuor reliquas permitto vobis.* Hebraicè ſic ad præſens thema opportunè locus exſcribitur: *Quatuor manus erit vobis.* Noua planè ſynonyma, *fruges*, & *manus*! Tot *manus* habet agricola, quot fructuum ſuorum partes illi ſuperſunt ad victum. Sine manibus eſt, qui nullos aut malignos habet fructus. Ne nullimanos agricolas facito. Scilicet quemadmodum prædites

Gen. 47.24.

Terra fructus, manus agricolæ dicuntur.

ager-

ager, dicitur poſſeſſoris *humerus*: ita prouentus, agricolæ *manus* appellatur.

4\. *Geneſ. 29. v. 24.* *Idemne eſt, vincula aurari, ac diſſolui?*

In Ioſephi fauſtâ benedictione planè alluditur ad vincula, quæ in carcere ſuſtinuit, non adulterij, ſed pudicitiæ reus: *Sedit*, inquit, *in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob.* Caietanus ſic locum tranſtulit, & tranſlatione hæc vincula ad rem præſentem extricat: *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius. Iuxta Hebræum habetur: Et aurata ſunt brachia manuum eius.* Idemne eſt, *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius*, ac, *Aurata ſunt brachia manuum eius?* Aurata brachia, vinculorum diſſolutio eſt? Aurum non patitur vincula, quæ confeſtim pretioſitate diſſoluit. Auratæ manus vincula neſciunt. Sciunt hoc pauperes egenorum manus, ipſa egeſtate compeditæ. Heu gemina olim pauperculi Ioſephi vincula! Sed quæ aurata Præfecturæ, & opulentæ dotis brachia, ſtatim diſſoluerunt. Ecce tibi, opes *humerum* præſtant, *manus* porrigunt, & brachiorum vincula auro ſoluunt.

---

§. CCLXXIX.

Præuius labor & induſtria, paradiſo & beatitudini impenſa, vtriuſque delicias facit gratiores?

1\. NVLLI rectè ſapere caſu obtigit, nec fortè iucundius deliciari. Pecunia veniet vltro, abſque negotiationis lucroſo commercio; gratia & dignitas fortaſſe ingerentur tibi, non candidato, nec rem ambitionis tractanti: honor inquæſitus afferetur, quem nec meritis ſollicitaſti, nec muneribus mercatus es; magna autem voluptas, in te ſine te non incidet, quæ aut magno labore, aut leui ſaltem operâ dulciùs ſapit, & animum iucundiùs implet. In opere alieno ſæpè aut vacat, aut torpet voluptas noſtra. Ambis ex animo gaudere? in opere tuo gaude, aut ſaltem in eo, quod aliqualis induſtria & labor fecit tuum. Noſter labor, & induſtria delicias ipſas condit & mellit. Non ſit tanti laborare, vt de tuo, id eſt, plenè gaudeas, vt ex tui laboris flore, maturos & melleos decerpas fructus. Specietenus paradoxon videtur, & explorata veritas eſt, è Bibliorum arcanis comprobanda.

2\. *Geneſ. 2. 15.* *Præuius agricolationis labor, grati res reddat paradiſi delicias?*

Geneſeos 2. diuinâ manu pro matrice vſus, primum hominem formauit Deus, naturæ & gratiæ donis vberrim dotatum. Plantauerat autem Deus paulò antea voluptatis paradiſum, floribus vernantem, fructibus maturum, edulibus pomis onuſtum, topiariaſque delicias latè oſtentantem; & qui vel in ipſo nomine inſcriptam præferret gratiam voluptatis. In hunc voluptatis paradiſum recens creatum hominem Deus formatrice manu humaniſſimè defert. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Magna hinc inter expoſitores lis oboritur, quorſum paradiſi colendi labor Adamo iniungitur. Nam ſi paradiſus ſpontaneâ glebæ fertilis bonitate, fructus copioſè fundebat & optimiſſimos & ſapidiſſimos, fruſtrà agricolatio exigitur. Quòd ſi egebat agricolatione paradiſus, vnius hominis labor peramplo rure colendo ſatis non erat. Quare ergo Deus felicem innocentiæ ſtatum, & vnius hominis imparem colẽdo paradiſo induſtriam, huic ſuperuacuo labori deſtinat? Nec voluptatis paradiſus laboris indigus eſt, nec ſine agriculturâ horret: & fortè abhorret principis Adami dignitas ab hoc ſuperuacaneo labore. Fruatur Adamus paradiſo voluptatis, non vt eius agricola, ſed vt eiuſdem Dominus. Verùm S. Thomas, vel potiùs Thomas Anglicus, poſtquam multa tentauit hâc ſuper re, ita demum concludit: *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Per hominis induſtriam poſſet facere locum illum aliquantulum amœniorem.* Nempe vel leuiter laboret Adamus in paradiſi agriculturâ, vt fruatur paradiſi amœnitate & fructibus, quaſi re, in quâ ſuam impendit induſtriam. Non egebat paradiſus Dei manibus conſitus, Adami labore; quin etſi egeret, exiguam & inſufficientem Adamus contuliſſet operam; egebat tamen ipſe aliqualem operam colendo paradiſo impendere, vt quaſi rem ſuam paradiſi fructus æſtimet, & paradiſi amœnitate iucundius perfruatur. *Lo que es parto de nueſtra induſtria, mas bien nos pareçe ſiempre, y mas guſto nos da.* Quid iucundius paradiſo voluptatis? At vt gratius amœnet, aliqualem operam illi Adamus impendat: excolat Adamus paradiſum, vt *faciat locum illum aliquantulum amœniorem.* Bellè quidem Angelicus, aut Anglicus Doctor.

S. Thomas ibidem.

Opportunus eſt locus Pſalmi 127. vbi ſic pangit regius Pſaltes: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* In quibus verbis quia Metonymiam agnoſco, non morabor nonnullos ex Patribus tranſtuliſſe: *Labores fructuum tuorum quia manducabis*, arcanè improprio dicendi modo; non enim manducamus labores fructuum, ſed fructum laborum. Quam tranſlationem eruditè noſter Lorinus inibi examinat. Mitto hæc, quod aliûs fortè theſis argumentum erit, & enucleatius iuuat expendere, quid eſt: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit?* Quæ verba ſic Apollinarius effert, & exponit: *Delectaberis, quæ laboraſti comedens ſuauem fructum.* Quaſi à præuio labore, fructus non modo edules ſint, ſed etiam ſuaues. Benè dulcis eſt tibi fructus, cui ad natiuum ſaporem; propriæ induſtriæ & laboris ſuauitas accedit. Nempe cùm arborem tui fructus comedis, non tam ſapiunt arborum, quàm laborum tuorum fructus. Quod in poſteriori hemiſtichio explicatius, & exaggeratius expreſſit, aiens: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Quænam eſt hæc beatitudo, de quâ Pſalmographus gratulatur, ei qui non tam fructus, quàm labores manuum ſuarum manducat? Pro τὸ *beatus es*, Hebraicè ſcribitur אשריך *aſchreka*, *Beatitudines tibi.* Quod Paraphraſtes expoſuit: *Beatus tu in mundo iſto, & bonum erit tibi in mundo venturo.* Et quidem de empyreâ etiam beatitudine præfata verba S. Iſidorus Peluſiota inter

3\. *Pſal. 127. 2.* *Beatitudo præſens & futura, à noſtro labore dulcius ſapit?*

Lorin. ibi. Apollinar. apud Lorin.

Iſidor. lib. 1. epiſt. 414.

interpretatur, ita ſcribens: *Labores manuum tuarum*, &c. *Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Vos qui ſancta atque honeſta vita curam geritis, ipſius fructus comedetis, immortalibus ſcilicet coronis à Deo coronati.* Nempe propria induſtria, & manuum ſuarum labor, non ſolùm paradiſum Adamo amœnat, & eius fructum adipat & mellit: Sed etiam iuſtus, qui labores manuum ſuarum comedit, *beatus* eſt. *Beatitudines* ipſi, & in mundo iſto, & in futuro olympiæ beatitatis mundo. Quaſi dicat regius Pſaltes: Beatitudo huius mundi labore manuum noſtrarum parta, dulcius ſapit: quin & cæleſtis beatitudo, gratior & iucundior quodammodo eſt, ei qui illam propriâ induſtriâ, & meritorum labore poſſidet. Labor operandi, lenocinatur guſtui poſſidendi: & præuia induſtria, quæ rem facit magis propriam, ſaporis blandimentum eſt, laboris ſtipendium, & voluptatis poſſeſſæ exaggeratio. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es. Beatitudines tibi in mundo iſto, & in venturo mundo.*

4. Hic v. 22. Vnde hic Iacobus tot prouinciarum certâ ſpe Dominus (quas inter filios ſuos diſtribuit) gratiori ſibi fundo ſuum Ioſephum munerat: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Proprius Iacobi labor, & bellica induſtria, huius fundi cenſus eſt, & æſtimationis hyperbole, quâ ſuam in Ioſephum beneuolentiam ſumptuoſius oſtentat. *Mejora à ſu Ioſeph el patriarcha Iacob, en lo que el mas eſtima, por ſer poſſeſsion, que le gano ſu induſtria.*

---

§ CCLXXX.

Precaria Orationis omnipotentia, ex impoſſibili facit neceſſarium.

1. Tertull. Apol. c. 39. TERTVLLIANVS in ſuo pro Chriſtianis Apologetico, ſic Romanos præſides alloquitur: *Edam iam nunc ipſe negotia Chriſtianæ factionis, vt qui mala refutauerim, bona oſtendam. Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinæ vnitate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, quaſi manu factâ precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt.* Humana Oratio quaſi manu factâ vim infert Deo? Hominum preces velut neceſſariò beneficium extorquent? Liberrimum Dei arbitrium humanæ Orationis vi velut cogitur ad donandum? Hæc orationis vis Deo grata eſt, & piè hominibus ambitioſa.

Humana oratio vim Deo infert.

2. Geneſ. 1. 1. Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Eccur Angelus, creaturarum apex, ante mundi opificium creatus non eſt? Profectò tametſi idoneè homo ante mundum, eius domum, ederetur; Angelus verò corporeæ habitationis exors, congruentius creaturarum primogenitura polleret. Verùm enimuerò cùm magna opinio apud retrò Philoſophos, ſapientiæ tyrannos, diu fuerit, mundum neceſſariò extitiſſe, multifariam hic error precludendus erat: non tantùm ex temporali mundi creatione, ſed etiam quia mundus omnis intellectualis naturæ formationem præcucurrit; ne quis putaret, vllam præceſſiſſe intellectualem creaturam, quæ Orationis vi ſuppliciter omnipotenti, Deum velut coegerit ad mundi creationem. Quod ſubtiliſſimè Baſilius Seleucus ſubinſinuat his verbis: *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. *Deus ipſius eſſe fons, vita theſaurus: hic ea quæ non ſunt vocat, non rogatus.* Scilicet tanta eſt humanæ orationis efficacia, tantùm eualet precationis vis, vt præmonendum ſit, ante mundi fabricam, nullam præceſſiſſe intellectualem creaturam, quò omnibus innoteſcat, Deum non modo arbitrij ſui licentiâ mundum fabricaſſe, ſed nec vllum monitorem aut rogatorem præceſſiſſe, qui gratâ humanæ Orationis vi Deum velut cogeret ad creandum: *Deus ipſius eſſe fons, ea quæ non ſunt vocat, non rogatus.* Nempe dum preces à rerum creatione remouentur, plenior Dei libertas in mundi opificio vindicatur. O arcanam erga Deum humanæ Orationis vim! Seleuc. Orat. 12.

Deus non rogatus mundum condit, vt liberè mundum creaſſe putetur?

Geneſeos 25. Iſaacus quadragenarius, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis. *Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſuâ, eò quòd eſſet ſterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Quare Rebecca naturæ vitio ſterilis, & toto vicennio improles, audacter affirmat, quòd *neceſſe fuit concipere?* Impoſſibile eſt infœcundam parere, & id Rebecca *neceſſarium* appellat? Quod naturæ viribus impoſſibile eſt, *neceſſarium* putat? Vnde tanta Rebeccæ fiducia? An quia quod pulchra & prædiues femina auidius concupiſcit, & ſi impoſſibile videatur, poſſibile faciet, ne dicam, *neceſſarium*? An potiùs, quia quod naturæ impoſſibile eſt, precariâ orationis omnipotentiâ, non tantùm poſſibile, ſed etiam *neceſſarium* redditur? Impoſſibile eſt infœcundam concipere; ſed poſtquam *deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſuâ, eò quòd eſſet ſterilis*, audacter pronunciat, quòd *neceſſe fuit concipere.* Sic rerum naturas potenter demutat grata Orationis vis, vt nuper impoſſibile, confeſtim poſſibile, imò & *neceſſarium* reddat? Omnia ritè oranti poſſibilia ſunt; quin & ea quæ animoſâ fide poſtulat, *neceſſaria*; dum ſpes impetrationis vertitur in fidem adeptionis. O nimis humana Oratio apud Deum audeat, ſupplici precum omnipotentiâ piè ſuperba! 3. Geneſ. 25. v. 21. & 22.

Humana Oratio de impoſſibili facit neceſſarium?

3. Regum 17. Ægrotauit filius mulieris viduæ, apud quam vtcumque hoſpitabatur Elias: confeſtim mater onuſta planctu, plena luctu, accurrit ad Prophetam, & emortui filioli vitam deprecatur. Tunc Elias clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius. *Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ: & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit.* Prophetæ preces ſubſecuta eſt pueri vita, & contra homines mors inuicta, per Eliam vinci didicit, ac linguæ propheticæ vim paſſa lugubre cecinit. Primum enim mortuum ab ſe abſtractum hominum more lugere cœpit. Sed lugubres Mortis voces modulatè reſonant in aureo Baſilij ore: Quænam hæc, inquit, rerum præter ſpem conuerſio? Mortui recurrunt ad vitam, 4. 3. Reg. 17. v. 22. Baſil. Seleu. Orat. 1.

Deus Iuſti Orationem veretur?

animæ

animæ poſt fata in veteres corporum colonias reducuntur ; laxantur leges in paradiſo morti conſcriptæ. Dolebat mihi vnicum Enochum mea ſceptra vitæ experimento calcaſſe, quia licet naturæ pars eſſet, ſententiam mortis ſuperior euaſit. Nunc verò quæ etiam poſſidebam, eorum à me vita exigitur. Inanes foui ſpes ; iras Dei contra homines inſolubiles futuras rata. (Aduerte ad verba, quæ ad rem præ-
Geneſ. 2. 19. ſentem opportuniſſima ſubdit.) *Fortè ſingulatim exoratus illud ſoluet : Puluis es, & in puluerem reuerteris. Nam ſi vnius iuſti vocem veritus, mortuorum dominatu me exuit, vereor, vt ho-*
1. Cor. 15. v. 55. *mines nobis dicant inſultantes : vbi eſt, mors, victoria tua ?* Videlicet Summus Deus legem mortis in paradiſo ſcripſit, & palam euulgauit; ſed tanta eſt Orationis vis, vt prope timeatur, ne Deus humanis precibus exoratus, ſoluat ratum illud in paradiſo edictum : *Puluis es, & in puluerem reuerteris, vnius iuſti vocem veritus.* Deuſne is eſt, qui humanas preces vereatur ? De ſummo, & abſoluto Deo timetur, ne hominum Oratione exoratus, ſoluat æternale cõmunis mortis edictum ? Tanta eſt Orationis vis, vt Dei edicta potenter exarmet? vt ſeueriores iuſtitiæ leges ſoluat in clementiæ lenitatem ? ô quanta Orationi licent ! Aſt quid non licebit Sanctorum precibus, quæ conceptum ſterili impoſſibilem, faciunt *neceſſarium ?*

Hîc v. 22. Hîc verſ. 22. pro, *In gladio & arcu meo*, Chaldæus Paraphraſtes explicat de Oratione, quæ cælum tundit, & gratam infert cælo vim, & ſupplici omnipotentiâ quantum velit, precariè extorquet.

5. 1. Regum 2. Hæc Heli ſacerdotis ad preuaricatores filios, verba leguntur : *Si peccauerit*
1. Reg. 2. v. 25. *vir in virum, placari ei poteſt Deus ; ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo ?*
Abulenſ. Sanctius Toletus. Hunc locum luculenter verſant inibi Abulenſis & Sanctius, quem etiam ſuprà ex Cardinali Toleto expoſuimus, qui in c. Lucæ 12. Annot. 22. plures eius tranſlationes adducit. Pro τὸ *Quis orabit pro eo ?* alij legunt, *Quis iudicabit, aut quis diſceptabit pro eo.* Quod apprimè eruditus Doctor ad grauidam Hebræi verbi ſignificantiam peritè reducit. ô grande in paucis Orationis elogium ! Parùm eſſet, quòd ad Deum pro aliquo orare, foret diſceptare, aut litigare pro illo, & cauſſidicorum more cauſſam illius in tribunali agere ; viuaciùs Heli Pontifex rem expreſſit, cùm eum qui orat, rei à ſe petitæ *Iudicem* conſtituit, ac ſi forent ſynonyma, *Quis orabit pro eo ?* ac, *Quis iudicabit pro eo ?* Quaſi qui pro alio ſupplex orat, in iuſtitiæ tribunali ſedens, rem non tam petat voto precario, quàm de re precibus decernat, de eâ *iudicet*, ac ſententiam tanquam Iudex ferat. Hæcne eſt illa precaria *neceſſitas*, à Rebeccâ nuper exaggerata ? ô magna precum vis, dignitas, & auctoritas !

.

---

§. CCLXXXI.

Infinita Dei liberalitas, donando ad vlteriùs donandum quodammodo obligatur.

INTER varios errores temerè atque inconſultè viuentium, nullus ferè incautior, quàm quòd homo beneficia nec dare ſcit, & accipere neſcit. Iſta enim non pereunt, cùm dantur : neque enim proiicienda ſunt, ſed potiùs collocanda ; & in eo quidem collocanda cui donantur, & in tenaci etiam donantis memoria : ſecus proieciſti beneficium, & integram benefaciendi gratiam perdidiſti. Vulgare eſt beneficij memoriam, in eo, qui beneficium accipit, exigere, cuius ſæpè recordatione gratus eſt. At in eo qui dedit, muneris obliuio expoſcitur, ne dono reciproco munerari delectet, aduerſus liberalitatis leges., ne mutuum, potiùs quàm beneficium donaſſe videatur. Ego verò beneficij memoriam in munifico largitore expoſco, non quâ gratiam exprobret accipienti, aut ſimili munere redonari ambiat, (quod liberalitatem haud dubiè corrumpit) ſed quâ donator accipienti obæratus exiſtat, aliorum beneficiorum nouus & inſolens debitor. Ita vt benefactor ob datum alicui beneficium, alia atque alia eidem donandi, ſe debitorem agnoſcat, accepti beneficij merito, quò integram liberalitatem largus munerator adimpleat, vt vlterius donando, ſemel donandi debitum exoluat, quò præluſtre Munifici nomen impleat. Ita rem perfectæ liberalitatis, boni Munificentiæ interpretes commentari ſolitant, vt ſingulare munus ſit aliorum donandorum pignus & debitum, ad liberalitatis redundantiam. Rem hanc binis declarans exemplis, comprobabo. 1.

In munerator debet eſſe tenax beneficij memoria.

S. Hieronymus in argumento ad Euangelium ſecundum Matthæum, quod in antiquis Bibliis Euangelio præſcribitur, & à priſcis interpretibus ſolleter exponitur, ita de Christo ſcribit : Deus Chriſtus eſt, factus ex muliere, factus ſub lege, natus ex Virgine, paſſus in carne : omnia in cruce fixit, vt triumphans ea in ſemetipſo, reſurgens in corpore : *Et Patris nomen in patribus Filio, & Filij nomen Patri reſtituens in filijs.* Sublimiſſimè quidem Hieronymus. Sed bene eſt, glorioſum Filij Dei nomen Chriſtus homo Deus quodammodo compenſet, tot Patri Deo ſanctiſſimos adoptionis filios ſuo ſanguine adoptans, & Dei patris filios generosè reddens, ineffabili diuinæ gratiæ filiatione, quid autem eſt, quod Patris nomen Filio reſtituit in patribus ? & Filij nomen Patri reſtituit in filijs ? Annon æternus Pater quodammodo Filio debet auguſtum Patris vocabulum ? neque enim ſine filio nomen patris vnquam reperitur, ſicut nec Filij nomen ſine patre. Itaque ſicut nomen Filij naturalis, Verbum quadantenus Patri debet ; (liceat ſic loqui de Deo more humano) ita Deus Pater generoſum Patris nomen Filio velut debere videtur. 2.

S. Hieron. in Argumento Euang. ſecundum Matth.

Chriſtus Deus filij nomen Patri reſtituit in filijs.

detur. Quæ eſt hæc Filij Dei *reſtitutio*, quam alte Hieronymus prædicat? Pende verba, vt pandere poſſis verborum ſacramenta: *Filij nomen Patri reſtituit in filiis*, adoptiuis inquam. Scilicet Dei Filius quodammodo largitus eſt Patri æterno, ſublime Patris vocabulum, quo velut reſtituit generoſum Filij Dei nomē, quod à Patre accepit. Imò quid maius non in rei ſubſtantia, ſed in vocabuli prærogatiua. Pater enim, vt eſt origine prior Filio, ſic etiam nomen Patris, neſcio quam auctoritatis vocabuli excellentiam importat. Ergo ſi ad nomina duntaxat Patris ac Filij attendamus, ſublimius nomen Filius donauerat Patri, quàm à Patre acceperat. Sed quaſi vnde plus donaſſe videtur, debitum aliquod contraxiſſet; adhuc Chriſtus, *Filij nomen Patri reſtituit in filijs*, quos factus homo, propriæ Paſſionis merito, illi glorioſius peperit. Sed iuuat Hieronymi verba, vt explicatu ardua, ſic & conceptuum fœcundè grauida aliis proponere, vt eos in lucem felicius ederent. Nec interim omittam, quanti adoptiua iuſtorum filiatio æſtimetur à Chriſto, cùm dicat Hieronymus, quod Chriſtus Deus, *Filij nomen Patri reſtituat in filijs*. Quod alibi expendimus.

3. Iudith illa, ſanctitatis decus, pudicitiæ trophæum, & magnanimitatis hyperbole; re Bethuliæ humanitus deſperatâ, ad oratorij ſecretum fidenter aſcendit, & ſacco & cinere voluta, ambitioſo pœnitentiæ ſqualore nitens, ſic

Iudith. 9. 4. Deum affatur: Subueni, quæſo te, Domine Deus meus mihi viduæ. *Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti: & hoc factum eſt quod ipſe voluiſti*. Et longuam exinceps recenſet beneficiorum catenam, quibus ſuum populum Deus munificè obſtrinxit. Quorsùm vetuſta Dei beneficia commemorat, & alia poſt alia conſtanter exhibita, vt nouum fidentius expoſcat? Imò potiùs illa ipſa beneficia Deus commemorare debuiſſet, vt quàm eſſe ipſa, & populus beneficiis obæratus, oſtenderet. Hebræa gens ſoluendo non eſt tot gratias illi beneficè à Deo collatas, & priorum merito nouas repoſcit? Eccur non potiùs imminentem ſibi miſeriam ad mouendam miſericordiam proponit; ſed beneficiorum immenſum debitum allegat, vt ſibi percupitam extorqueat gratiam? ô conſultiſſimas Iudithæ preces, de adytis diuinæ liberalitatis conceptas, quibus beneficia priora, & alia poſt alia pro ſe conſultiſſimè allegat! Scilicet maiori commemorato debito, non tam ſe, quàm diuinam miſericordiam ad nouas miſericordias obſtringit, quaſi accepta beneficia ſit accipiendorum meritum. *At tu*

Deus prioribus beneficijs ad vlteriora donande quodammodo obligatur.

Caſſiod. l. 1. var. epiſt. 3. (ô Iuditha potiùs) *eo nos obligaſti munere, quo tibi putabamus omnia reddidiſſe: inde amplificando debitum, vnde credi poterat abſolutum.* Nouerat Iuditha, velut effuſam Dei liberalitatem, ob priora beneficia, ad alia, & alia munificentius præſtanda, arcano immenſæ miſericordiæ quaſi debito, quadantenus obligari; vnde omiſſa imminentis excidij calamitate, priora beneficia cumulatius commemorat, vt iiſdem Deum obliget muneribus, quibus Hebræo populo Deus putabatur omnia reddidiſſe: inde amplificando debitum, vnde credi poterat abſolutum. Quaſi debitum prioris beneficij, ſit congruum poſterioris gratiæ meritum; & Deus benefaciendo, ad vlteriores gratias obligetur, ac ſi prior beneficentia, ſit pignus poſterioris. O incomprehenſibilem Dei largitatem, quæ prioribus beneficiis, ad alia, & alia deinceps præſtanda, quodam velut liberalitatis debito teneatur! In quo diuinioris beneficentiæ elucet infinitas, immeritè munifica.

Quaſi iure ſibi debitum exigit Iacobus, Hic v. 21. quod Orationis armis extorquet. Sic Deum rogat, qui plura ab ipſo beneficia vbertim acceperat.

---

§. CCLXXXII.

Quàm acerbè animum ſupplicantis excruciet, rei petitæ negatio.

CHARO homo dedit, qui roganti beneficium dedit, tormento ſupplicandi; qui ſupplicat emit, quam impetrat gratiam; ſi gratia dicenda eſt, quam ſupplicationis pretio mercamur. Qui rogaturus accedit, & ſe fatetur miſerum & indignum; & illum à quo aliquid rogat, felicem & potentem prædicat. Voluntati voluntate ſatisfacimus, rei rem debemus; ei verò qui rogandi probroſo rubore tuam commendat potentiam dum rogat, quod rogauit ita debes, vt ſi illud dederis, ſtipendium rogandi conceſſeris; ſi negaueris, propudioſæ verecundiæ ſupplicandi, probroſum adieceris negandi tormentum; quod ſi non effundit ſanguinem, ſuffundit, acerbiori ſæpè cruciatu. 1.

Supplicanti debet [illegible] quod petit.

Geneſeos 4. Caino parricidali ſcelere cruentato, Deus tanti flagitij ſeuerus vindex apparet. Quid non mali timeat Cain, qui conſcientiâ flagitioſiſſimi reatus, & præſentiâ irati Numinis terretur acerbius? Dixitque Cain ad Dominum: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tuâ abſcondar, & ero vagus & profugus in terra. Addit ad rem præſentem: *Omnis igitur qui inueneris me, occidet me. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet.* Lyranus ita hunc locum ſingulariter exponit. *Cain,* inquit, *videns ſe derelictum à Deo, & in tantâ miſeriâ conſtitutum, deſiderauit citò mori, & ideò quaſi mortem deſiderans, dixit Domino: Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me petens à Domino, vt iſtud fieret. Et littera ſequens videtur ad hoc concordare, cùm ſubdit: Dixitque ei Dominus: Non vt tu petis.* Scilicet Cain mulctandus ob tam enorme ſcelus, mortem optat, & cædem poſtulat; in tanti flagitij pœnam. Quaſi dicat Cainus: vitam ſuſtuli, vitâ priuer: par pari rependo; mortem vltrò ſubibo, ob cædem quam vltrò intuli. Quod acerbius ſupplicium à me expeti poteſt? Obuius quiſque ſit mei carnifex, id rogo; *Omnis qui inuenerit me, occidat me.* At Deus tanti piaculi ſeueriſſimus vindex, mortis pœnam commutat in petitionis repulſam: *Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet,* id eſt, (Lyra interprete) *Non vt tu petis.* Sic eſt pœnale & acerbum ſupplicanti rem anxiè poſtulatam negari, vt pro obuio carnifice ſæuius trucidante, rei expetitæ repulſa reponatur? *Con tanta difficuldad ſe oye vn No,* 2.

Geneſ. 4. v. 14. & 15. Lyra ibi.

Loco pœnæ parricidij petitionis repulsâ mulctatur Cain!

quando

quando ſe pide lo que mucho ſe deſea! Mortem rogat Cainus? vice mortis vitam habeat exacerbatã renutu eius rei, quam anxiè poſtulauit.

§ 3. Geneſ. 50. v. 4. & 5.

Geneſis 50. tandem moritur Iacobus, Iacobææ gentis Patriarcha: *Et expleto planctûs tẽpore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis: Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis: eo quod pater meus adiurauerit me, dicens, &c. Aſcendam igitur, & ſepeliam patrem meum, ac reuertar.* Ioſephuſne is eſt, qui egeat, vt palatini proceres intercedant apud Pharaonem ad eam rem impetrandam? Nonne Ioſephus ille ipſe eſt, cui nuper Pharao dixerat: *Ecce conſtitui te ſuper omnem terram Ægypti, & vno tantùm regni ſolio te præcedam?* Regis nomen duntaxat Pharaoni relictum eſt, & ipſe Regis familiariſſimus regiam obit poteſtatem, & nunc apud Regem vicariâ aulicorum interceſſione indiget? An quia Ioſephus aliquid ſibi poſtulat? Scilicet regius familiaris omnia poſſit erga reliquos, ſibi ipſi nihil poſſit. (Vel barbarorũ politia ſuggerit hoc minimè malum documentum.) An forſitan interceſſores aduocat, *Quandoquidem* (ait Lipomanus) *difficile impetrandam tranſlationem putauit corporis, quod fortè Pharao ob ſanctitatem patris cedi voluit in loco aliquo Ægypti?* Quaſi vel Pharao, omni regni ſui gubernandi curâ Ioſepho commiſſâ, id vnum ſibi reſeruauerit, ne Sanctorum reliquiæ ſuo regno abeſſent. Diffidit Ioſephus omnia fidenter adminiſtrans, ſe id impetraturum? Pharaonis factorum cinerum æſtimatio, ſit honorus reliquiarum cenſus. An potiùs *locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis*, vt copiam eundi in Palæſtinam, parenti funerando à Pharaone ſibi rogent, *quandoquidem difficilè impetrandam putauit?* Qui moleſtam fratrum inuidiam paſſus erat? qui foueam æquo animo ſuſtinuit, & vile barbarorum ſeruitium mancipij nomine? qui in Ægyptio ergaſtulo ſqualidus iacuit? qui tot ærumnis, probris, & diris calamitatibus erat diu patiendo obduratus, vicariæ interceſſionis artificio, velut alienâ manu, aut ore extorquere eundi facultatem intentat, ne coram patiatur repulſam? Scilicet, petant alij rem impetratu difficilem, ne præſens mihi negari audiam. Non puduit Ioſephum faſtigio dignitatis reliquis ſublimiorem, cum non exiguo ſuæ auctoritatis diſpendio, id regiis miniſtris, ſe inferioribus, demandare, dummodò declinet repulſæ periculum. Sic vel Ioſephus timet auditæ repulſæ acerbitatem? Aulicorum maximus, ſui faſtigij immemor, in honoro obſequio ſe reliquis ſubdit, & velut ſe potentiores apud Regem fatetur, ne coràm audiat rei quam rogat peracerbum renutum? *Tanto teme vn No, aunquien eſta hecho à ſuffrir tanto!* Et Iacobus hîc arcu & gladio, id eſt, oratione petit, ne patiatur repulſam?

Geneſ. 41. v. 4[?]. *Regius familiaris nihil ſibi poſtulet.*

Lipoman. in Caten. [illegible]

Quanto in [illegible] dicenda [illegible] repulſa.

Hîc v. 24.

4\. Matthæi 15. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à Dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum.* Rogantibus autem diſcipulis, vt mulierem moleſtè rogantem dimitteret, ipſâ audiente, reſpondit Ieſus: *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael.* Grauius ſilentio reſponſum, & quod repulsâ ſauciauit Chananæam. Perbellè Baſilius Seleuc. quid moleſta rei petitæ negatio mulieri ſuggeret, his verbis expendit & eleganter exaggerat quàm ſit toleratu acerbus rei poſtulatæ renutus. *Niſi enim*, inquit, *talis eſſet mulier, fortè inhumanitatis, aut impotentia Saluatorem condemnans auolaſſet: ô diram inhumanitatem! non luctu abiectam miſeratus eſt, non matrem filiæ doloribus lancinatam ſolatus, non naturâ ſuas agente partes commiſeratione ictus eſt. Supplicantem auerſabatur, & clamantem refugiebat. Ac primùm quidem taciturnitate voces abyciebat, neque clamans tacentem moui: & quando bonas curationis ſpes alebam, quandò mihi miſeria ipſa patronos dabat, quandò fui in expectatione humaniſſimæ orationis, quandò mihi ad ſolam eius vocem leuamentum ſomniabam, quandò vocem, quæ laxamentum afferret, expectabam, quandò hiabam: commodior erat tacens, quàm loquens. Ab eo inſuper tunc dictis ſpes excuſſit concepto mœrore.... Fortè etiam ipſe Dæmoni ius in eam permittit. Fortè mea filiæ calamitas huius poteſtatem ſuperat: Fortè humilitatis, tenuitatiſque ſuæ confeſſionem celat obtentu contumeliarum; hoc vnum ſupplicando lucrum tuli, Carnificis filiæ meæ indignationem exaggeraui, vocibus in eum iactis iras accendi, agreſtiorem in filiam aduerſarium reddidi. Sed non tam abiectum orationis genus ſeſe demiſit.* Quibus verbis potuit elegantiùs depingi, quàm acerbè animum exaſperet petitionis indecora repulſa? quaſi hæc in negatorem ſuggereret. Viderint, quibus libido quiduis negandi ab ingenio ineſt, quam mentem negatio ingeneret. *Mala ſangre cria vn No.*

Matth. 15. v. 24.

Seleu. orat. 20.

Quàm exaſperet animũ petitionis repulſa.

BENEDICTIO SEXTA. DE DVODECIM PATRIARCHIS.

Iacob morti proximus accerſit duodecim filios ſuos, (quos totidem tribuum Principes futuros nouerat) vt illis futura prædicat. Benedicit nonnullis ; ſed à Deo inſtinctus, aliorum Benedictionem, ob peccata in maledictionem & acrem obiurgationem commutat. Multáque illis proſpera & aduerſa præſagâ mente antedicit. Quibus finitis, datíſque de ſepulturæ loco mandatis, tandem moritur Iacobus. Inſcribimus autem hoc Caput, *Benedictio Patriarcharum*, quia olim, & nunc ſic inſcribitur. Vel à prophetiâ erga ſingulos, vt quidam volunt, vel quia verſ. 28. *Benedixit ſingulis Benedictionibus proprijs* ; vel quia ſic vulgò inſcribi conſueuit.

CAPVT XLIX.

GENESEOS.

1 VOCAVIT *autem Iacob filios ſuos, & ait eis: Con-*
gregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis
in diebus nouiſſimis.
2 *Congregamini, & audite filij Iacob, audite Iſraël patrem*
veſtrum.
3 *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & prin-*
cipium doloris mei: prior in donis, maior in imperio.
4 *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & macula-*
ſti ſtratum eius.
5 *Simeon, & Leui fratres: Vaſa iniquitatis bellantia.*
6 *In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria*
mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſuâ ſuffoderunt
murum.
7 *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura:*
diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël.
8 *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum,*
adorabunt te filij patris tui.
9 *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti, vt*
leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?
10 *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui*
mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.
11 *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Laua-*
bit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.
12 *Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.*
13 *Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad*
Sidonem.
14 *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos.*
15 *Vidit requiem quòd eſſet bona: & terram quòd optima: & ſuppoſuit hume-*
rum ſuum ad portandum, factúſque eſt tributis ſeruiens.
16 *Dan iudicabit populum ſicut & alia tribus Iſraël.*
17 *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemitâ, mordens vngulas equi, vt cadat*
aſcenſor eius retro.
18 *Salutare tuum expectabo Domine.*
19 *Gad, accinctus præliabitur ante eum, & ipſe accingetur retrorsùm.*
20 *Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.*
21 *Nephthali, ceruus emiſſus; & dans eloquia pulchritudinis.*
22 *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt*
ſuper murum.
23 *Sed exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt, inuideruntque illi habentes iacula.*
24 *Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum*
illius per manus potentis Iacob: inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſraël.

25 *Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens Benedicet tibi, Benedictio-*
nibus cæli deſuper, Benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, Benedictionibus
vberum & vuluæ.
26 *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt Benedictionibus patrum eius: donec*
veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite Ioſeph, & in vertice
Nazaræi inter fratres ſuos.
27 *Beniamin lupus rapax manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia.*
28 *Omnes hi in tribubus Iſraël duodecim: hæc locutus eſt eis pater ſuus, Benedixit-*
que ſingulis benedictionibus proprijs.
29 *Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: ſepelite me cum pa-*
tribus meis in ſpelunca duplici quæ eſt in agro Ephron Hethæi.
30 *Contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron*
Hethæo in poſſeſſionem ſepulchri.
31 *Ibi ſepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi ſepultus eſt Iſaac cum Rebecca*
coniuge ſuâ: ibi & Lia condita iacet.
32 *Finitiſque mandatis, quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum,*
& obijt: appoſituſque eſt ad populum ſuum.

COMMENTARIVS
LITTERALIS.

VERS. I. 1. *Hæc nouiſſima Iacobi verba, vaticinia potiùs ſunt, quàm Benedictiones.*

VT ANNVNCIEM. Communi vſu receptum eſt, vt nouiſſima verba, quę Iacob morti proximus dixit filiis ſuis, qui fuerunt duodecim tribuum Patriarchæ, Benedictiones duodecim Patriarcharum inſcribantur, & vulgò nominentur; cùm tamen Benedictiones non ſint, ſed continuata quædam prophetia eorum, quæ futuro tempore eorum filiis euentura erant. Ita S. Ambroſius de Benedictionibus Patriarcharum cap. 1. Ruffinus Aquileienſ. eodem titulo, Theodoretus q. vltimâ in Geneſ. P. Pereira in præfat. ad hoc cap. P. Martinus del Rio hîc, P. Coſmas Magalianus de Bened. Patriarch. Proluſ. 2. & alij plures. (Ambroſ. Ruffin. Theodor. Pereira. Rio. Magal.) Porrò dum Deuteronomij 33. Moyſes ſingulis tribubus Benedixit, ita admixta eſt Benedictionibus prophetia, vt ægrè poſſit diſcerni; hîc autem manifeſtè quibuſdam maledicit: erga alios tamen Patriarchas merum vaticinium eſt, non verò, *Sanctificationis & gratiarum votiua collatio*, quæ eſt Benedictionis definitio ab Ambroſio inibi tradita. (Ambroſ.) Et quidem nulli præter Iudam, & Ioſephum Benedixit. At Ruben, Simeoni, & Leui diſertè maledicit; ceteris verò ſimpliciter ventura prædicit. Vnde non conuocauit filios, vt illis Benediceret, ſed vt ventura annunciaret, ſic fatus in huius capitis auſpicio: *Vocauit autem Iacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, vt annunciem, quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis.* Et inde poſtea verſ. 28. ſcribitur, quòd *Benedixit ſingulis Benedictionibus proprijs.*

2. *Occurritur euaſioni.*

Reſpondet Bonfrerius (vt omittam Hebræorum fabellas de Iacobi delirio) Iacobum paratum fuiſſe omnibus benedicere; nam etſi quibuſdam re ipsâ maledixerit, qui peccatis ſuis ſe indignos Benedictione fecerunt, ex ſe tamen paratus erat cunctis benedicere, quod ſufficere inquit, vt Benedictiones appellentur. Aſſentirer Bonfrerio, ſi vnum vel alterum Benedictione viduaret. At cùm duobus duntaxat Patriarchis benedixerit, tribus durè maledixerit, ſeptem aliis ventura tantummodo prædixerit, & in omnibus prophetiam miſcuerit; cur Benedictiones, & non Maledictiones; vel potiùs prophetia non dicatur? Profectò in toto filiorum numero,

numero, quia paratus erat omnibus benedicere, ſi vnum, aut alterum omitteret, imò & malediceret, dici poſſent Benedictiones, à maiori numero, & beneuolâ animi præparatione.

3. Ceterùm notare oportet, ea quæ Iacobus hîc prædicit non eodem tempore impleta fuiſſe; ſed quædam paulò poſt; quædam tempore Ioſue, & exinceps; alia ad Meſſiæ ſeu Saluatoris noſtri æuũ neceſſariò referenda ſunt: quędam etiã ad tempora Antichriſti. Scripturarum enim mos eſt, quod alicui promittitur, in poſteris potiùs, quàm in ſe adimpleri, quod ex S. Chryſ. homil. 8. in Matthęũ, & ex Euthymio, aduertunt paſſim recentiores interpretes, quod ſacra volumina euoluenti perſpicuum eſt.

Hæc vaticinia non tunc, ſed diu poſt impleta ſunt.

Chryſoſt. Euthym.

Itaque Iacob poſtquam Ephraimo & Manaſſe benedixerat, filios ſuos conuocat. In more quippe poſitum fuit apud Hebræos, quoſcumque curæ ſuæ cõmiſſos, & prælertim filios, morte iam impendente cõgregare, & benè illis precari, dare ſalutaria monita, & aliquando pręſagâ mente nõnulla pręd care. Quod fecit Moyſes Deuter. 33. & Ioſue c. 24. & Samuel 1. Reg. 12. Tobias c. 3. Mathatias 1. Machab. 2. & Chriſtus Deus Ioannis cap. 14. & 15.

Deuter. Ioſue. 1. Reg. Tobiæ. 1. Machab. Ioann.

4. Vt annunciem quæ ventura sunt vobis. Ea apud priſcos Philoſophos increbruit opinio, quæ aſſerit hominis animum vi quâdam propheticâ & diuinatrice vrgeri in morte, & cygni ad inſtar, ſi virtutis ſectator in vitâ fuerit, præclarum neſcio quid modulari. Vnde Socrates apud Apologiam Platonis, ita fatur: *In illud tempus incidi, quo homines ſolent maximè ventura prædicere, cùm iam morituri ſunt*, Et apud Xenophontem lib. 8. Cyropædiæ, Cyrus inducitur aſſerens, cùm iam efflaret animam, animam hominis ſub tempus mortis vi afflari futurorum diuinatrice. Mitto alios eiuſdem mendacij teſtes, ſi vim naturæ ſpectemus. Quis enim neſciat eiuſmodi vim propheticam animo naturaliter non ineſſe? imò appropinquante morte, languoris incommodis, & mœroris vi animus non acuitur, ſed egregiè hebetatur. Legi poteſt hâc ſuper re noſter Coſmas Magalianus de Benedictionibus Patriarchar. Proluſione 3.

An morti proximus diuinatrice vi polleat?

Plato. Xenoph. Magal.

In novissimis diebus. In poſterum inquã. Hebræum verbum אחרית *acharit*, quod vulgatus *nouiſſimum* tranſtulit, ſignificat poſterius ſeu futurum. Nempè præmaturè filijs Iacobus denunciat, quę accident futuris temporibus.

5. Rvben primogenitus mevs: Natiuitate, non primogeniti prærogatiuis, quas condignâ nefarij inceſtus pœnâ in alios transfert, nempe in Ioſeph duplam hereditatis portionem, & Iſraëlis ſceptrum: in Iudam regnum Iudæ; in Leui ſacerdotium. Quæ omnia ad Rubenum primogeniti iure pertinebant. Fortitvdo mea. Quem adhuc robuſtus primò genui, cùm nondum eſſem ætate, & laboribus fractus. Principivm doloris mei. Quod videtur eſſe epithetum omnibus primogenitis commune: quia nati filij multas curas, ſollicitudines, & anxietates parentibus pariunt, vt eos educent, & copioſam eis relinquant hereditatem. Ita P. Iacobus Bonfrerius, idque probat ex Deuteronom. 21. verſ. 17. & Pſalm. 77 verſ. 51. & Pſalm. 104. verſ. 36. Prior in donis, maior in imperio. Per Ellipſim, ſicut etiam in Hebræo, ſubintel igitur, eſſe debuiſſes, niſi impio inceſtu demeruiſſes. Explicatius id tradit Chaldæus: *Tu occupaturus eras partes tres, primogenituram ſcilicet, ſacerdotium, & regnum. Sed quia ſecutus es*, &c. Et quidem ſacerdotium etiam Leuiticum potiori quodam iure debebatur Rubeno: quia cùm ſacerdotium ſuæ familiæ deberetur primogenito quouſque minores filij ſuam familiam conſtituerent; æquum videbatur, vt ſi vna ex omnibus familia coaleſceret (quod accidit in Iacobęâ familia) ſacerdotio primogenitus fungeretur.

Vers. 3. Ruben proſcriptio, & maledictio.

Bonfr. Deuter. Pſalm.

Primogenitura Rubenus viduatur.

Chald.

6. Effvsvs es sicvt aqva. Diffluxiſti inceſtuosâ libidine. Porrò ſicut cùm aqua diffunditur, nil reſiduum manet in vaſe; non color, non odor, non ſapor ita effuſio: libido mentem, iudicium, opes, famam, viréſque profundit. Vide de hâc loquendi formulâ noſtrum Martinum del Rio in Adagiis ſacris, §. 58. Non crescas. Non creſces, Maledictio ſimul & prædictio. Tribus Ruben etſi non fuit minima, fuit tamen ex minimis, Deuteronom. 33. verſ. 6. Vel non creſces ſicut plures aliæ tribus, habens in reliquas imperium, quod ſanè tibi debebatur. *Non creſces*, id eſt, non ſublimaberis ſolio regio. Ascendisti cvbile &c. Inceſtando Balam nouercam, totam ſimul familiam conſtupraſti. Hæc

Vers. 4. Rubeni tribus exiguitate mulctatur.

Rio. Deuter.

fuit

fuit Iacobi de primogenito Rubeno maledictio, & prophetia: propheticam ipſius Benedictionem audi ex Moyſis
Deuter. ore, Deuteronomij 33. verſ. 6. *Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero.*

7.
Vers. 5. *Simeonis & Leui maledictio, & prophetia.* Simeon, et Levi fratres. Non tam naturâ, quàm moribus, dolo, fraude, furore, crudelitate. Vasa iniqvitatis bellantia. Id eſt, inſtrumenta iniqui Sichimorum excidij, & crudeliſſimæ ſtragis. Vos auctores & executores fuiſtis nefarij belli, quod infidè geſſiſtis, magno totius familiæ periculo. *Vaſa* pro quouis inſtrumento in Bibliis poni, notiſſimum eſt.

Vers. 6. In consilivm eorvm non veniat anima mea, &c. Quaſi dicat: Abſit, vt ego nunc probem, aut
Deteſtatur Iacob bellum adu. ſuos Sichimitas, vt quã adprobauerim ſceleſtum & crudele eorum *conſilium* de proditoriâ Sichimorum ſtrage. Abſit longè, vt ego, nunc de perfidâ illa vltione glorier; ſic enim gloriarer de probro, de ſcelere, de crudelitate. *No permitta Dios que jamas aprueba ſu reſolucion, ô me glorie de ſu temeridad.* In fvrore svo. Irâ perciti. Occidervnt virvm. Viros, inquam, Sichimitas cum ſuo Principe, tragœdiæ occaſione. Eſt ſynecdoche. Lxx. pro *viro* habent *homines*, eodem ſenſu. In volvntate sva. Lxx. *In ſuâ concupiſcentiâ*, hoc eſt, ſæuiendi libidine. Svffodervnt mvrvm. Vrbem Sichem depopulati ſunt, quam vſque ad murorum ſubuerſionem euerterunt. Senſus perſpicuus abſque vllius metaphoræ nubilo.

8.
Vers. 7. Maledictvs fvror, &c. Maledictionem infligit, & maledicendi ſubiungit cauſam. Qvia pertinax. Non ſubitò exarſerunt iracundiæ impetu, ſed diu meditato, peruicaci, & temerario furore. Dividam eos. Sapiens pœna eos diſiungit, qui malè adſociati, atrociſſimè in alios conſpirarunt; ne ſimilem exinceps perniciem vnà machinentur. Vnde Leuitæ
Ioſue. per omnes tribus diſſipati ſunt, Ioſue 19. & Simeon reiectus in extremum Chananææ angulum meridianum: & in terræ ſorte Iudæ aſſignatâ, Simeoniana tribus quaſi precario accepta eſt: & hominum numero excreſcente, compulſa eſt nouas ſedes in deſerto quærere, pars
1. Paralip. in Gador, pars in montem Seir. 1. Paral. 4. verſ. 27. & 29. & 42. Quomodo autem hoc Simeonis & Leui factum, quod Iacobus hîc vituperat, laudarit Iuditha, cap. 9. verſ. 2. inibi copioſè diſputauimus §. 9. *In Iudith.*

Moyſes Deuteronomij 33. vnius Simeonis Benedictionem omiſit, cum ceteris vndecim tribubus largiùs benediceret. Cauſam ibi interpretes indagent. Conſule Lorinum noſtrum in illius capitis argumento. Benedictionem autem Leui, his verbis expreſſit verſ. 8. *Leui quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione, & iudicaſti ad Aquas contradictionis. Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos; & fratribus ſuis: Ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Iſraël: ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum. Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius ſuſcipe. Percute dorſa inimicorum eius: & qui oderunt eum non conſurgant.* Hucvſque Moyſis Benedictio, quæ fauſta ſuis Leuitis & precatur, & prædicit. *Benedictio Leui ex Deuteronomio.* *Lorin.* *Deuter.*

Ivda te lavdabvnt. Adludit ad nomen *Iuda*, quod laudare ſignificat. Elegans eſt paranomaſia, quæ in Hebræis vocabulis manifeſtiùs apparet יהודה יודוך *iehuda ioduchа.* Quaſi dicat: Rectè vocaris *Iuda*, ideſt, laus, quia *te laudabunt* ceteræ tribus, quas *fratrum* nomine deſignat. Tribus enim Iuda fuit nobiliſſima, & fortiſſima, 1. Paralip. 5. verſ. 2. Ab hâc Iacobæi omnes dicti ſunt Iudæi, ab hâc Dauid, Salomon, & omnes Iudæ reges, tandem Chriſtus Deus per Mariam Deiparam ab hâc ortus eſt. Manvs tva in cervicibvs, &c. Ideſt, manu victrice in fugam vertes, & ſubiugabis inimicos tuos, Pſal. 17. verſ. 41. Impleta eſt hæc prophetia primò in expugnatione Chananææ, mox in Dauide, Ioſaphat, Ezechia, vt paſſim traditur in libb. Ioſue, Regum, & Paralipom. Adorabvnt te. Et ciuili adoratione in Dauide, & aliis Iudæ regibus; & latria adoratione in Chriſto Deo. Hîc prærogatiuam Ruben primogenito debitam, transfert in Iudam. 9. Vers. 8. *Iuda benedictio.* *1. Paralip.* *Regnũ transfertur in Iudam.* *Pſalm.*

Catvlvs Leonis Ivda. Tribus Iuda inter alias tribus erit leonis adinſtar, fortiſſima, bellicoſiſſima, impauida, generoſa, victrix, quod expreſſiùs 10. Vers. 9.

preſſiùs iuxta litteram in Dauide impletum eſt; myſticè in Chriſto Deo. AD PRÆDAM. Hebraicè vox ſignificat prædam, quæ fit cum laceratione, & rapinâ, conſectaniè ad metaphoram leonis, quod Dauidi accommodare procliue eſt. QVASI LEÆNA, quæ catulos lactans ſæuior leone eſt. QVIS SVSCITABIT EVM? Nemo impunè Iudam bello laceſſere audebit.

11. VERS. 10. NON AVFERETVR SCEPTRVM DE IVDA, ET DVX DE FEMORE EIVS, DONEC VENIAT QVI MITTENDVS EST. *Difficultas huius loci proponitur.* Ardua in paucis difficultas, & in quá valde à pleriſque laboratum eſt, quo modo id verè dicatur, cùm indubiè conſtet, quòd tempore captiuitatis Babylonicæ ceſſauerit Iudæorum regnum, & principatus omnis, & exinceps vſque ad Meſſiæ aduentum pluſquam quingentis annis, quo tempore Machabæi ex Leui orti, diu principatu ſunt cùm ſummâ poteſtate. Mihi non eſt animus ſingulas expoſitiones referre, & refellere quod minùs placet, longum enim facerem, & de hâc re eruditè tractarunt P. Franciſcus Suarez 3. part. diſput. 1. ſect. 1. Benedictus Pererius, Martinus del Rio, Cornelius à Lapide, & Iacobus Bonfrerius in hoc loco, & Barradas tom. 1. Concord. Euangel. lib. 3. cap. 2. (Suarez. Perer. Rio. Cornel. Bonf. Barrad.) Verùm non omittam quid ſuper hâc re nuper tradidit præluſtre illud Auguſtinianæ familiæ decus, M. Baſilius Legionenſis (Baſil. Legio.), vir ingenio & eruditione magnus, ſi quem alium ætas noſtra tulit. *Conditionata Iudæ promiſſio.* Hic ſapientiſſimus Magiſter, in parte 1. variarum quæſt. 4. expoſit. cap. 4. in eâ eſt ſententiâ, vt ſerio exiſtimet, hanc prophetiam eſſe intelligendam de ſola Iudæ tribu. Attamen cùm requiritur

12. quo modo Iudæ regnum defecerit paulò ante Meſſiæ aduentum, reſpondet prædictionem illam eſſe conditionatam, ſicut comminatorias alias, (quin & promiſſorias) ſubintelligendúmque eſſe, Non auferendum regnum de tribu Iuda, donec veniret Chriſtus, niſi aliter eius peccatis exigentibus diſponeretur. Quod confirmat ex quodam Concilio coacto apud Osborium ſub Alexandro II. contra Cadaloum Pſeudopontificem, anno 1062. (Concilium apud Osborium.) in cuius actis inſerta eſt diſputatio inter regium aduocatum, & Romanæ Eccleſiæ defenſorem, quam reperimus inter Petri Damiani ſcripta, retulitque illam ad verbum Cardinalis Baronius tom. 2. anno 1062. à num. 15. (Petr. Dam. Baronius.) Et, vt omittam alia exempla, quæ ſe menti cateruatim obiiciunt, quibus poſſet Legionenſis Baſilij commentatio adſtrui, de conditionatâ Iudæ promiſſione; notanda eſt præcedens Rubeni, & Leui, ſiue prædictio, ſiue maledictio, quam ob inſignia merita Leuiticæ tribus, & ob alias cauſas in tribu Rubeniana, licuit Moyſi magnâ ex parte reſcindere, aut temperare, (de quo legi poſſunt expoſitores huius capitis Geneſeos, & illius Deuteronomij, præſertim Lorinus noſter ibi ad verſ. 6.) (Lorin.) Quod accidere non poſſet, niſi maledictiones Rubeni, & Leui, conditionatæ forent: ergo ſi prima & ſecunda maledictio, quas Iacobus vibrauit in Ruben & Leui, magnâ ex parte conditionatæ fuerunt, quid vetat aſſerere, hanc Iudæ Benedictionem hâc duntaxat ex parte conditionatam fuiſſe?

Verùm, niſi res ipſa ita vrgeat, vt aliter non poſſit donec locus extricari, ad conditionati vaticinij aſylum confugiendum non eſt. *Refellitur Legionenſis.* Et licet in aliis Bibliorum prophetiis id expromptè dici poſſet, id renuendum eſt in hoc loco, ex quo Catholici validum in Iudæos telum contorquent ad Meſſiæ aduentum indubiè adſtruendum. Id præſtrictim libaſſe ſat eſto.

Veriùs quidem exiſtimandum eſt, 13.
τὸ *Iuda* accipi non pro tribu Iuda, ſed pro ſorte tribus Iudæ, ſicut accipitur Pſalm. 77. verſ. 67. dum ait regius Pſaltes: *Repulit tabernaculum Ioſeph, tribum Ephraim non elegit; ſed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit.* (Pſalm. *Idonea loci interpretatio & argumenti ſolutio.*) Item τὸ *&*, cùm dicitur, Non auferetur ſceptrum de Iuda, *&* dux de femore eius, accipi debet iunctim aut copulatim; ſicut accipitur ſuprà cap. 15. v. 13. dum Abrahæ dicitur: *Scito, prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terrâ non ſuâ, & ſubycient eos ſeruituti, & affligent eos quadringentis annis.* (Geneſ.) Scilicet quadringenti anni conflari debent, non ex ſeruitute, quod falſum eſſet; ſed ex peregrinatione & ſeruitute ſimul. Ait ergo Iacob: Non auferetur ſceptrum de Iuda, id eſt, regni ſedes erit in tribu Iuda: & dux ſiue princeps de eius femore, de poſteris inquam, donec Meſſias veniat. Quaſi dicat: Ecce ſignum iam aduentantis Meſſiæ, & illuſtris Iudæ prærogatiua, quòd

quòd de eius poſteris non deficient reges: quòd ſi deficiant, non deficiet ſaltem ſedes regni in Iudæ ſorte, donec veniat Meſſias. Si quando autem videritis defeciſſe reges ex progenie Iudæ, & ſimul ex eius ſorte defeciſſe regni ſedem, hoc erit ſignum aduentus Meſſiæ. Quod accidit quandò Herodis tempore Iudaicum regnum tranſlatum eſt ad Romanos. Itaque τὸ *donec* in tam longo vaticinij tempore, accipiendum ſtrictè non eſt, ſed ita vt ſignificet, prope illud tempus, quod ſic accidiſſe perſpicuum eſt. Tempus etiam captiuitatis Babylonicæ exiguum reputatur; & certâ redeundi ſpe obtigit. Vnde parùm de eâ interruptione curant interpretes. DE FEMORE. Metonymicè accipitur pro partibus genitalibus, id eſt, dux ex Iudæ poſteris.

14. *Quomodo Meſſias ſit deſideratus cunctis Gentibus, à quibus ignorabatur.* DONEC VENIAT QVI MITTENDVS EST. Chaldæus, *Donec veniat Meſſias, cuius eſt regnum.* Hebraicè pro *qui mittendus eſt*, habetur שילה *ſilo*, quod nomen, etſi variè deducant, omnes tamen Meſſiæ, ſeu Chriſto aptè explicant. IPSE, Meſſias. ERIT EXPECTATIO GENTIVM. Non loquitur Iacobus de expreſsâ aut elicitâ expectatione, ſiue de Gentium deſiderio; nihil enim minus expectabant, aut deſiderabant; ſed de appetitu velut innato. Quo modo Deuteronom. 11. verſ. 11. terra deſiderare vel appetere pluuiam dicitur. Sic ab Aggæo cap. 2. verſ. 8. Meſſias appellatur, *Deſideratus cunctis Gentibus.* Quaſi dicat: Sic ſtudioſè & populariter Meſſias excipietur à Gentibus, ac ſi diu ab ipſis deſideratus & expectatus foret.

Deuter.

Aggæus.

15. VERS. 11. & 12. *Sors Iuda fuit vini & lactu feraciſſima.* LIGANS AD VINEAM PVLLVM SVVM, &c. Id eſt, ſors quæ Iudæ obueniet in Chananitide diuidunda, tam erit vini ferax, vt ad palmitem vnum poſſit quis aſinum ſuum ligare, & eius fructu eum affatim onerare (eſt inquam, Metalepſis) Tanta erit copia vini, vt in eo poſſint Iudæ poſteri lauare (velut in aquâ) veſtimenta ſua. Quin & virorum Iuda oculi ab ipſo vino pulchrè rubeſcent. Sic vbertim terra illa vinum proferet. Lactis quoque in ſorte Iudaicæ tribus tanta ſuppetet abundantia, vt ipſius dentes ex frequenti lactis potu & eſu, albicare videantur. Ita Lyra, Lipomanus, Varablus, Oleaſter, Mariana, Tirinus, plures. Non ibo inficias paſſim ſanctos Patres hanc prophetiam de Chriſto intellexiſſe; ſed ſenſu myſtico, etſi principaliter intento à Spiritu-ſancto.

Lyra. Lipoman. Vatabl. Oleaſter. Mariana. Tirinus.

Hanc longiuſculam Iudæ Benedictionem, ſic breuiauit Moyſes dicto capite 33. Deuteronomij, verſ. 7. Hæc eſt Iudæ Benedictio: *Audi Domine vocem Iudæ; & ad populum ſuum introduc eum: manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduerſarios eius erit.*

ZABVLON. Sextus hic ex Liâ filius, quinto loco ponitur: aut quia facta Meſſiæ mentione, ſtatim Iacobo occurrit Zabuloniana tribus, in quâ annunciatio, conceptio, frequentior habitatio, prædicatio, & commoratio Meſſiæ futura erat. Aut fortè eo ordine erant filij in patris conſpectu, vel ita memoriæ caligantis ſenis occurrebant. ZABVLON IN LITTORE MARIS HABITABIT. Alludit ad nomen: Zabulon enim ab habitando dicitur. In Hebræo eſt: *In littore marium.* Ab ortu enim habet mare Galilææ, ab occaſu mare mediterraneum. ET IN STATIONE NAVIVM. Non dubium quin tribus Aſer interiaceat verſus mare mediterraneum; ſed Zabuloniana tribus vſque ad Carmelum pertingens, flumen habere potuit, & emporia, è quibus ſuas merces in mare Mediterraneum deriuaret. Conſule Ioſephum lib. 1. Antiquitat. Iudaic. cap. 1. PERTINGENS VSQVE AD SIDONEM. Non eſt intelligendum de ipsâ vrbe, ſed de Sidonis & Phœniciæ finibus, quos Zabuloniana tribus attingit, vt tradit Adrichomius.

16. VERS. 13. *Zabulonis prophetia.*

Vaticinium de Zabulon.

Ioſephus.

Adrich.

ISSACHAR ASINVS FORTIS. Hebraicè, *oſſeus.* Id eſt, robuſtus, & inſtar oſſis fortis ad ferendos ſedulæ agriculturæ labores. ACCVBANS (perſequitur aſini metaphoram) INTER TERMINOS. Vberrimo rure ſuæ ſortis contentus, domi verſabitur, inter limites ſuos quietus; nec vicinos metuens, nec vicina concupiſcens.

17. VERS. 14. *Vaticinium de Iſſachar.*

VIDIT REQVIEM, QVOD ESSET BONA. Abiciens curas militares, & mercatorias, ruſticanæ & quietæ vitæ commoda eliget. ET TERRAM, QVOD OPTIMA. LXX. *pinguis*, Chaldæus, *fructifera.* Nempe ſolum pingui glebâ in primis fertile. SVPPOSVIT, velut aſinus fortis. HVMERVM VERS. 15.

RVM AD PORTANDVM., inſanos agriculturæ labores. FACTVSQVE EST TRIBVTIS SERVIENS. Ruſticani homines plus ceteris vectigales ſunt, à quibus pendendis Militia immunis eſt.

Zabuloni & Iſachari ſimul his verbis
Deuter. Moyſes Benedicit, Deuteron. 33. verſ. 18. & 19. *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iuſtitiæ. Qui inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.*

18. DAN IVDICABIT. Adludit ad
VERS.16. nomen Dan. Hebraïcè ſic ſcribitur
Vaticinium de Dan. דן ידין *Dan iadin*, id eſt, *iudex iudicabit.* Aliam cauſam nominis hîc aſſignat
Geneſ. Iacob, ac aſſignauerat Rachel, Geneſ. 30. verſ. 6. Scilicet reſpexit Iacob ad Samſonem Danitam, qui viginti annis iudicaturus erat Iſraël, illumque vindicaturus à Philiſthinorum ſeruitute. SICVT ET ALIA TRIBVS. Id eſt, non minus quàm alia tribus. Neque exinde fit omnes alias tribus dediſſe iudices Iſraeli. Neminem enim inuenies in tribu Ruben, Simeon, & Aſer. An Iephte ex tribu Gad, an ex tribu Manaſſe fuerit, dubium eſt, alibi exagitandum.

19. FIAT DAN COLVBER IN VIA.
VERS.17. *Fiat*, ideſt, fiet, more prophetico. Cre-
In vaticinio de Dan, Samſon adumbratur. diderim τὸ Dan eſſe tertium caſum. Quaſi dicat Iacobus: *Fiat*, hoc eſt, fiet Dalila à Philiſthæis inſtigata, ipſi Dan, id eſt Samſoni ex Dan naſcituro, inſtar colubri; quia cum aſtu ſerpentino de-
Hieronym. Emiſſen. Gennad. cipiet. Ita Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. Emiſſenus, & Gennadius in Catena. Porrò Samſon potiùs robore, quàm dolo Philiſthæos profligauit, & eorum dolis profligatus eſt. Et ſanè cùm Dan ſit indeclinabile, non conſtat ex Hebræo, primus, an tertius caſus ſit. Itaque Samſon eſt aſcenſor equi, quem ſerpens femina deiecit. CERASTES ſerpens eſt quadrigemina
Plinius. habens cornua, vt tradit Plinius lib. 8. capite 29. à κέρας, id eſt, cornu, *ceraſtes*, id eſt, cornutus. MORDENS VNGVLAM EQVI, &c. Cùm ceraſtes non valeat equitem attingere, equi vngulam ſeu calcaneum mordet, vt ſic equum, & aſcenſorem deiiciat, & eiectos enecet. Ita Philiſthini cùm non eualerent aperto Marte ſuperare Samſonem, eius vitæ per Dalilam ceu ſerpentem, inſidiati ſunt. CADAT ASCENSOR EIVS RETRO. Perſiſtit in metaphora. Equitem à tergo cadentem facilè quis inuadet, & proſtratum trucidabit. Hæc expoſitio valde idonea eſt, etſi communem non reiicio, ſed ſuſpicio.

SALVTARE TVVM EXPECTA- VERS.18.
BO. Præuidens Iacob Danitam Samſonem ad breue tempus liberaſſe Iſraelem à duro ſeruitutis iugo, æternum Saluatorem expectandum dicit, τὸ *Salutare* paſſim pro Saluatore in Bibliis accipitur. Itaque hæc prophetia ad litteram de Samſone intelligitur; de Chriſto, & Antichriſto etiam myſticè, in quo ſenſu poſſunt Patres intelligi.

Danitis ſic Benedicit Moyſes cap.
illo 33. Deuteronomij, verſ. 22. *Dan* Deuter.
quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Baſan.

GAD ACCINCTVS, &c. Hebraïcè 20.
ita ſcribitur, גדוד, *Gad gedud, accin-* VERS.19.
ctus accingetur. Hoc eſt, tribus Gad *Prophetia de Gad.*
iuxta nomen ſuum, accincta erit, armata, & pugnax. PRÆLIABITVR ANTE EVM. Ante Iſraelem inquam, qui verſ. 16. præceſſerat. Scilicet quando relictis vxoribus, liberis, & gregibus, armis validè accincta, Iordanem tranſiuit; & reliquas tribus, quaſi dux præcedens, totos quatuordecim annos ſtrenuè pugnauit, donec reliquæ
tribus in ſuam ſortem venirent. Nu- Numer.
mer. 32. ET IPSE ACCINGETVR RETRORSVM. Quando ceteris tribubus in ſua hereditate ritè collocatis, ipſa rursùs accincta & armata, ad ſuam ſortem trans Iordanem glorioſè regreſ-
ſa eſt, Ioſue 22. Ita S. Hieronymus in Ioſue.
Tradit. Hebr. & ferè interpretes. Ibi- Hierony.
que Gad poſt regreſſum, multa cum Arabibus bella feliciter geſſit. 1. Paralipom. 5.

Tribui Gad his verbis Benedicit
Moyſes dicto cap. 33. Deuteronomij, Deuter.
verſ. 20. *Et ait Gad: Benedictus in latitudine Gad: quaſi leo requieuit, cepitque brachium & verticem. Et vidit principatum ſuum, quod in parte ſuâ doctor eſſet repoſitus: qui fuit cum principibus populi, & fecit iuſtitias Domini, & iudicium ſuum cum Iſraël.*

ASER PINGVIS PANIS EIVS, &c. 21.
Prædicit fertilitatem ſortis Aſer, & VERS.20.
omnigenos terræ fructus, adeò ſapi- *Prophetia de Aſer.*
dos, vt regibus Iſraelis, & Tyri in delicijs futuri ſint. Idem poſteà repetiuit

Moyſes

Deuter. Moyſes in Aſeris Benedictione, Deutoronom. 33. verſ. 24. *Aſer quoque ait: Benedictus in filiis Aſer, ſit placens fratribus ſuis, & intingat in oleo pedem ſuum. Ferrum & æs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua. Non eſt Deus alius vt Deus rectiſſimi: aſcenſor cæli auxiliator tuus. Magnificentiâ eius diſcurrunt nubes, habitaculum eius ſursùm, & ſubter brachia ſempiterna: eyciet à facie tuâ inimicum, dicétque: Contere.*

22\. Vers.21. Prophetia Nephthali. NEPHTHALI CERVVS EMISSVS, DANS ELOQVIA PVLCHRITVDINIS. Nempe ſicut ſeruus emiſſus & liber, huc uſque iam venatorum indaginibus interclusus in amœnis herboſiſque ſaltibus paſcens, exultim cum aliis ludit: ſic Nephthali tribus in vberi collocata regione, exultabit ſuaui otio, & gratâ libertate. Præterea Nephthali blandis appellationibus, & vrbanâ humanitate omnium gratiam ſibi conciliabat. Ita Salianus ex Maſio in Ioſue 19. (Salian. Maſius.) Moyſes verò ita huic tribui benedicit, dicto cap. 33. Deutoronom. (Deuter.) verſ. 23. *Et Nephthali dixit: Nephthali abundantiâ perfruetur, & plenus erit Benedictionibus Domini: mare & meridiem poſſidebit.*

23\. Vers.22. Benedictio Ioſephi. Geneſ. FILIVS ACCRESCENS IOSEPH. Adluditur ad Ioſephi nomen, quod *incrementum* ſignificat, dicente Rachele in eius partu ſuprà cap. 30. verſ. 24. *Addat mihi Dominus filium alterum.* Incrementum accepit Ioſeph, & ex proregiâ Ægypti præfecturâ, & ex duplici tribu è filiis ſuis, & ex regiâ tribu Ephraim, auctâ hominum numero, & illuſtrium victoriarum triumphis. Propter quæ appellatur Ioſeph, *filius accreſcens.* DECORVS ASPECTV Laudat venuſtam formæ ipſius dignitatem, filio venuſtiſſimæ Rachelis conſentaneam. FILIÆ DISCVRRERVNT SVPER MVRVM. Ægyptiæ puellæ admiratæ bellum iuuenem, regio inſignitum cultu; non contentæ ſemel vidiſſe, in varia loca excurrebant, vt læto eius aſpectu fruerentur. Innuitur plures alias præter Putipharis vxorem, decorum Ioſephum attentiùs aſpexiſſe, laudaſſe, ſuſpiraſſe.

24\. Vers.23. EXASPERAVERVNT EVM. Ioſephum quantumuis ſuauem & amabilem, felleâ amaritudine fratres impleuerunt. ET IVRGATI SVNT, cùm non poterant ei pacificè loqui, & dixerunt: Ecce ſomniator venit; venite occidamus eum. INVIDERVNT. Et propter arcana & magnifica ſomnia; & quia à patre plus cunctis amabatur. HABENTES IACVLA. Hebraïcè, & apud LXX. *Domini ſagittarum.* Et ſanè cùm fratres cædem Ioſephi deſignaſſent, non dubium eſt, quin ſagittis, aliiſve armis, illum perimere molirentur. Itaque *ſagittæ*, aut *iacula* metonymicè pro armis in genere accipi poteſt: & etiam pro conſiliis, & machinationibus, quibus ei malum & mortem moliti ſunt, vt benè notauit Bonfrerius. Porrò verſ. proxime ſequenti (Bonfr.) videtur Iacob perſiſtere in metaphorâ *arcus*, vbi propriè, & abſque metaphora capi non poteſt.

25\. Vers.24. SEDIT IN FORTI ARCVS EIVS. *Arcus*, id eſt, arma robur, præſidium. *In forti*, Hebraicè אל el. vbi *fortis* eſt Dei nomen, quo eius fortitudo per eſſentiam ſignificatur. Senſus ergo eſt: Inuidioſi fratres ſagittis odij, innocentiæ iaculis, & machinationibus intentatæ necis, Ioſephum configere & perdere conati ſunt; ſed in eius protectionem & præſidium inſurrexit *fortis* Deus, quaſi armatus arcu ad fortiter retundendos fratrum aduerſariorum ictus, & opem Ioſepho ferendam. τὸ *ſedit* permanentiam diuinæ erga Ioſephum protectionis deſignat. DISSOLVTA SVNT VINCVLA BRACHIORVM EIVS, &c. Sicut qui tenſo arcu ſagittam eiaculari parat brachia ſua diſtendit: ſic ſeruitutis & captiuitatis vincula, quæ Ioſephi brachiis & manibus iniecta erant, à Deo, qui eſt potens Deus Iacob, diſſoluta ſunt. INDE PASTOR EGRESSVS EST LAPIS ISRAEL. τὸ inde cauſam ſignificat, non locum. Quaſi dicat: Quia Ioſeph omnem fiduciam in Deo Iacob poſuit, *inde*, id eſt, idcircò. EGRESSVS EST, è carcere, in quem eum impegerant, eductus eſt. PASTOR, Ægyptiorum, qui eos rexit, & pauit calamitoſæ ſterilitatis ſeptennio. LAPIS. Firmamen ſuæ gentis. Eccleſiaſtici 49. v. 17. (Eccli.) *Neque vt Ioſeph, qui natus eſt homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, ſtabilimentum populi.* ISRAEL. Firmamentum Iſraëlis, mei, inquam, & filiorum, quos mediæ periculo eripiens, diræ famis tempore vbertim pauit.

BENEDICTIONIBVS CÆLI DESVPER. 26. Vers.25.
Dabit tibi Deus meus clementem cælorum aſpectum, beneficos influxus, opportunos imbres, & rores. CÆLI nomine

mine aër etiam deſignatur, vt ſæpè aliàs. Abyssi. De abyſſo, quæ ſub terrâ eſt, per flumina, & fontes copioſam irrigationem ſuget hereditas tua, & inde vberrima erit. Vbervm, et vvlvæ. Liberorum, ac gregum ingentem copiam pollicetur. Oſee 9. v. 11. Oſeas.

27. Benedictiones patris tvi
Vers. 26. confortatæ svnt benedictionibvs patrvm eivs. Quaſi dicat: Benedictiones, id eſt, beneficia, & promiſſa, quæ ego à Deo accepi, non fuerunt minora, imò potius maiora his, quæ patres mei Abraham & Iſaac à Deo acceperunt: (vidit enim Iacob duodecim filios, è quibus coaluit Dei populus: expreſſiores habuit promiſſorũ reuelationes) nec ceſſabit Deus ea complere, donec veniat *deſiderium collium æternorum*, id eſt, Meſſias ex ſemine meo mihi promiſſus. Ne ergo, ô Ioſeph, dubites de multiiugâ felicitate, quam tibi polliceor. Nunquam adducar, vt iis aſſentiar, qui putant, Ioſephi Benedictionem à Iacobo acceptam, potiorem eſſe Benedictione, quâ ipſe Iacobus benedictus eſt. Tum quia Benedictio Ioſephi, Benedictio & felicitas eſt patris ſui Iacob: tum maximè quòd ex Iacob, non ex Ioſeph oriundus erat Meſſias, quæ eſt felicitatum ſumma.

28. Donec veniret, Nempè *donec veniat*, eſt enallage temporis. Deſiderivm collivm æternorvm. Abſtractum pro concreto deſideratus & expectatus Meſſias, Chriſtus inquam. *Colles æternos* vocat excelſos illos retrò Patriarchas, qui animi celſitudine, & ſanctitate, quaſi *colles* fuerunt eleuati à vulgi ſapientiâ, & moribus. Iique *æterni*, id eſt, antiquiſſimi olim ab Adamo, (cui facta eſt in illâ ecſtaſi Meſſiæ venturi reuelatio) & qui ad æternitatem aſpiciebant. Vnde ſic habet Chaldæus. *Quas* (Benedictiones) *deſiderauerunt principes, qui à ſeculo fuerunt.* Fiant in capite Ioseph. *Fiant*, ſubintellige, hæ omnes Benedictiones, & affluant in caput eius, hoc eſt in ipſum Ioſephum. Nazaræi inter fratres svos. Ioſephum perſpicuè appellat Nazaræũ, à נזר, *nazar*, *ſeparare*, hoc eſt, ſeparatum à fratribus. Domi fuit Ioſephus ſegrex à fratrum moribus; poſteà ſeparatus ab illis vixit in Ægypto. Quin & poſt aduentum patris & fratrum, remotus ab eis habitauit in Pharaonis palatio. Ioſepho ita benedixit Moyſes cap. illo 33.

Cur antiqui Patriarchæ dicuntur colles æterni.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

Deuteronom. verſ. 13. *Ioſeph quoque ait: de Benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore, atque abyſſo ſubiacente. De pomis fructuum Solis & Lunæ: & de frugibus terræ, & de plenitudine eius. Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilauit Gentes vſque ad terminos terræ: hæ ſunt multitudines Ephraim, & millia Manaſſe.* Deuter.

Beniamin lvpvs rapax. Prædicit Beniaminææ tribus violentos mores, ferox & bellicoſum ingenium, (ita Euſebius, Procopius, Diodorus, Theodoretus) Qui etiam de Silonitis vxores pararunt raptu: ſicut de Sabinis ille lupæ lacte nutritus Romulus. Alludit etiam ad victorias & prædas Saülis: & fortè etiam Eſtheris & Mardochæi, qui Beniaminitæ fuêre. Mane comedet prædam, et vespere divídet spolia. Idem (quò ad rem attinet) ſignificat, comedere prædam, & diuidere ſpolia. Scilicet prædari, ex prædâ comedere, & prædam diuidere. Profectò rapacis lupi metaphora indecorè accommodatur templo, in quo non ſolum veſpere, ſed etiam mane victimarum diuidebantur ſpolia: nec inter Beniaminitas, ſed inter Leuitas. Hæc prædictio apprimè quadrat in Paulum, ſed myſticè. 29. Vers. 27. *Prophetia de Beniamin.* Euſeb. Procop. Diodorus. Theodor.

Tribui Beniamin ſic benedixit Moyſes dicto cap. 33. Deut. v. 12. *Et Beniamin ait: Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo; quaſi in thalamo totâ die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Deuter.

Omnes hi in tribvbvs Israel dvodecim. Id eſt, ab his duodecim Iacobi filiis, & propagatæ, & denominatæ ſunt duodecim tribus Iſraël. Quin reſpectu ſortitionis duodecim etiam ſunt: nam etſi excludenda ſit tribus Leui, pro vno Ioſepho, duplex ab eo exurgit tribus, nempe Ephraim, & Manaſſe. Benedixitqve singvlis, poſtquam præfata vaticinia enunciauit. Hinc conſtat hactenus recitata Benedictiones non fuiſſe, ſed vaticinia, vt notabamus ad verſ. 1. Hìc ergo ſingulis filiis nominatim benedicit. Benedictionibvs propriis, quæ peculiariter in ſingulos quadrarent. Tacet autem Moyſes, quid ſingulis benè apprecatus fuerit. 30. Vers. 28.

31. PRÆCEPIT. Auctoritate patris.
VERS.29. CONGREGOR AD POPVLVM MEVM. Hebraiſmus, pro morior. Populum ſuum mortuos intelligens, quibus omnes aggregari neceſſe eſt. IN SPELVNCA DVPLICI, de quâ agitur ad cap.23.v.25.
Geneſ. Geneſeos.

VERS.31. IBI SEPELIERVNT EVM, id eſt, poſteà. IBI LIA CONDITA EST. Hebraicè, *Ibi ſepeliuit Liam.* Vnde conſtat Liam mortuam eſſe in terra Chanaan, non in Ægypto, vt falsò nonnulli opinantur. Rabbini quadraginta quatuor annos vixiſſe ferunt; noſtri illam ſeniorem faciunt.

COLLEGIT PEDES SVOS SVPER LECTVLVM. VERS.32. Nam priùs & prophetans, & filiis benedicens, demiſſis è ſpondâ cruribus ſederat. Collegit ergo pedes in lectulum, & ſenſim expirauit. APPOSITVS EST AD POPVLVM SVVM, nempè mortuus eſt. Ad ſimili loquendi formulà ipſe Iacobus nuper dixerat verſ.29. *Ego congregor ad populum meum.*

COM

COMMENTARIVS

MORALIS.

§. CCLXXXIII.

Quis ſit Deus, declarat rigor finalis iudicij: quod hominum peccatis offendi dicitur.

1\. DEVS omniſcientiæ ac prouidentiæ oculis vniuſcuiuſque affectum ac naturam haud ignorat, vt pote qui magis animæ quàm corporis ſcrutator exiſtere apparet. Quapropter eouſque ſæpè pœnam differt, quoad violentia manibus, impudentia voce, intemperantia libidine perficiatur. Exinde medicinæ gratiâ mœchum, auarum, & flagitioſum quandoque impunitum omittit, ne malitiæ morbus ſuppliciis recrudeſcat. Verùm etſi ſuâ ſibi patientiâ detrahere Deus videatur; tamen quò tardiùs in ſceleſtos animaduertit, eo tandem acerbiùs punit, quaſi diuturna Dei patientia, ſit iræ conceptaculum, & rigoris fomes. O time finalis iudicij acerbitates, quibus Deus ſuæ diuinitatis faſtigium ſumptuoſiùs publicabit, peracerbâ iuſtitiæ ſeueritate, & exaggeratiore rigorum clauſulâ.

2\. Exodi 6. Dixit Dominus ad Moyſen: Nunc videbis quæ facturus ſim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſtâ eiiciet illos de terrâ ſuâ. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente; & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Beda inibi: *Et nomen meum Adonai, quod omnipotens interpretatur, non indicaui eis.* Quid eſt, quòd Deus dicit: *Apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente; & nomen meum Adonai (id eſt, omnipotens) non indicaui eis?* Experti ſunt Patriarchæ Deum omnipotentem, & eis indicatum non eſt, eſſe omnipotentem? Quid noui nunc indicatur Moyſi, & filiis Iſraël, (quod quaſi magnum & ſingulare beneficium venditat Deus) quod non fuerat priſcis Patriarchis olim indicatum? An peculiaris & valdè eximij beneficij loco habendum eſt, vt quem præſentiſſimâ prouidentiâ *omnipotentem* experti ſunt, ſciant *Adonai*, ſeu *omnipotentem* nominari? Sic nomen facit ad rei opinionem? Sic res à nomine cenſetur? Profectò nominis appellatio, rei vindex eſt, & proprietatis aſſertio. Pergit ad rem præſentem Beda: *Quòd autem ait Dominus Moyſi: Et nomen meum Adonai non indicaui eis, ſic myſticè poteſt intelligi, quaſi dixerit: In veteri Teſtamento non indicaui ſicut in nouo: vel in nouo non indicaui ſicut in die iudicij.* Res planè & admiratione & expenſione digniſſima. Dei verbum propter homines corporatum, in præſepio natum, à magis adoratum, in cruce patibulatum; Chriſtus inquam, Deus, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat: qui morte ſuâ vitam noſtram emit, diuinioris beneficentiæ elogio: & Spiritus ſanctus diuini amoris charactere inſignitus, & in homines liberaliùs effuſus; non tam mundo indicarunt, quis ſit Deus, quàm apparebit in magnâ finalis iudicij die. Tantus erit iudicij apparatus in magno illo orbis theatro; tanta iudicantis maieſtas, tantus tandiu repreſſi furoris rigor, vt quis ſit Deus explicatius publicent, quam corporati Verbi, & effuſi in homines Spiritus ſancti velut effuſa largitas? Ineffabile nomen *Iehoua*, nomine *Adonai* expreſſum, quod ipſiſſimam Dei eſſentiam exprimit; Iuſtitiæ potiùs rigor, quàm blandimentum miſericordiæ declarat? Sacroſanctum nomen *Iehoua in nouo Teſtamento non indicatur, ſicut in die iudicij?*

Exod.6.v.3.

Beda ibi.

Nominis appellatio, rei vindex, & ſignũ eſt.

Quis ſit Deus, non tã Miſericordia quàm finalis iudicij rigor declarat?

3\. Lucæ 21. his verbis ſupremi iudicij terrores Chriſtus Deus mundo proponit: *Et erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi: nam virtutes cælorum mouebuntur: & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magnâ & maieſtate*, &c. Eheu, quis non timeat, horrendi Iudicij ſupremos rigores, quibus Iuſtitia Dei culpas hominum diſcutiet, damnabit, & æternaturis ignibus caſtigabit? Sanctus Cæſarius Arelatenſis ex Iudicij timore ſic hortatur homines ad pœnitentiæ & mortificationis opera: *Membris*, inquit, *ſubtrahunt fortitudinem, ſed conſcientijs addunt timorem. Nihilominùs de contritione animi redimuntur crimina voluptatum, & per dura Crucis exercitia, decepta dudum*

Luc.21.v.25. & 26. & 27.

Mortificationis & pœnitentiæ elogiũ.

Cæſarius homil.1.

Quoduis peccatũ tremendi iudicij finalis offenſa eſt.

carnis

31. PRÆCEPIT. Auctoritate patris.
Vers.29. CONGREGOR AD POPVLVM MEVM. Hebraiſmus, pro morior. Populum ſuum mortuos intelligens, quibus omnes aggregari neceſſe eſt. IN SPELVNCA DVPLICI, de quâ agitur ad cap.23.v.25.
Geneſ. Geneſeos.
Vers.31. IBI SEPELIERVNT EVM, id eſt, poſteà. IBI LIA CONDITA EST. Hebraïcè, *Ibi ſepeliui Liam.* Vnde conſtat Liam mortuam eſſe in terra Chanaan, non in Ægypto, vt falsò nonnulli opinantur. Rabbini quadraginta quattuor annos vixiſſe ferunt; noſtri illam ſeniorem faciunt.

COLLEGIT PEDES SVOS SVPER LE- Vers.32.
CTVLVM. Nam priùs & prophetans, & filiis benedicens, demiſſis è ſpondâ cruribus ſederat. Collegit ergo pedes in lectulum, & ſenſim expirauit. APPOSITVS EST AD POPVLVM SVVM, nempè mortuus eſt. Adſimili loquendi formulâ ipſe Iacobus nuper dixerat verſ.29. *Ego congregor ad populum meum.*

COM

COMMENTARIVS

MORALIS.

§. CCLXXXIII.

Quis ſit Deus, declarat rigor finalis iudicij: quod hominum peccatis offendi dicitur.

1. DEVS omniſcientiæ ac prouidentiæ oculis vniuſcuiuſque affectum ac naturam haud ignorat, vt pote qui magis animæ quàm corporis ſcrutator exiſtere apparet. Quapropter eouſque ſæpè pœnam differt, quoad violentia manibus, impudentia voce, intemperantia libidine perficiatur. Exinde medicinæ gratiâ mœchum, auarum, & flagitioſum quandoque impunitum omittit, ne malitiæ morbus ſuppliciis recrudeſcat. Verùm etſi ſuâ ſibi patientiâ detrahere Deus videatur; tamen quò tardiùs in ſceleſtos animaduertit, eo tandem acerbiùs punit, quaſi diuturna Dei patientia, ſit iræ conceptaculum, & rigoris fomes. O time finalis iudicij acerbitates, quibus Deus ſuæ diuinitatis faſtigium ſumptuoſiùs publicabit, peracerbâ iuſtitiæ ſeueritate, & exaggeratiore rigorum clauſulâ.

Exodi 6. Dixit Dominus ad Moyſen:
2. Nunc videbis quæ facturus ſim Pharaoni: *Exod. 6. v. 3.*
per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſtâ eiciet illos de terrâ ſuâ. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente; & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Beda inibi: *Et nomen meum Adonaï, quod omnipotens interpretatur, non indicaui eis.* Quid eſt, quòd Deus dicit: *Apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai (id eſt, omnipotens) non indicaui eis?* Experti ſunt Patriarchæ Deum omnipotentem, & eis indicatum non eſt, eſſe omnipotentem? Quid noui nunc indicatur Moyſi, & filiis Iſraël, (quod quaſi magnum & ſingulare beneficium venditat Deus) quod non fuerat priſcis Patriarchis olim indicatum? An peculiaris & valdè eximij beneficij loco habendum eſt, vt quem præſentiſſimâ prouidentiâ *omnipotentem* experti ſunt, ſciant *Adonaï*, ſeu *omnipotentem* nominari? Sic nomen facit ad rei opinionem? Sic res à nomine cenſetur? Profectò nominis appellatio, rei vindex eſt, & proprietatis aſſertio. Pergit ad rem præſentem Beda: *Quòd autem ait Dominus Moyſi: Et nomen meum Adonai non indicaui eis, ſic myſticè poteſt intelligi, quaſi dixerit: In veteri Teſtamento non indicaui ſicut in nouo: vel in nouo non indicaui ſicut in die iudicij.* Res planè & admiratione & expenſione digniſſima. Dei verbum propter homines corporatum, in præſepio natum, à magis adoratum, in cruce patibulatum; Chriſtus inquam, Deus, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat: qui morte ſuâ vitam noſtram emit, diuinioris beneficentiæ elogio: & Spiritus ſanctus diuini amoris charactere inſignitus, & in homines liberaliùs effuſus; non tam mundo indicarunt, quis ſit Deus, quàm apparebit in magnâ finalis iudicij die. Tantus erit iudicij apparatus in magno illo orbis theatro; tanta iudicantis maieſtas, tantus tandiu repreſſi furoris rigor, vt quis ſit Deus expliciùs publicent, quam corporati Verbi, & effuſi in homines Spiritus ſancti velut effuſa largitas? Ineffabile nomen *Iehoua*, nomine *Adonai* expreſſum, quod ipſiſſimam Dei eſſentiam exprimit; Iuſtitiæ potiùs rigor, quàm blandimentum miſericordiæ declarat? Sacroſanctum nomen *Iehoua in nouo Teſtamento non indicatur, ſicut in die iudicij?*

Nominis appellatio, rei vindex, & ſtatio eſt.

Beda ibi.

Quis ſit Deus, non tā Miſericordia quàm finalis iudicij rigor declarat?

Lucæ 21. his verbis ſupremi iudicij terrores Chriſtus Deus mundo proponit: *Et erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi: nam virtutes cælorum mouebuntur: & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magnâ & maieſtate*, &c. Eheu, quis non timeat, horrendi Iudicij ſupremos rigores, quibus Iuſtitia Dei culpas hominum diſcutiet, damnabit, & æternaturis ignibus caſtigabit? Sanctus Cæſarius Arelatenſis ex Iudicij timore ſic hortatur homines ad pœnitentiæ & mortificationis opera: *Membris, inquit, ſubtrahunt fortitudinem, ſed conſcientijs addunt timorem. Nihilominus de contritione animi redimuntur crimina voluptatum, & per dura Crucis exercitia, decepta dudùm* 3. *Luc. 21. v. 25. & 26. & 27.*

Mortificationis & pœnitentia elogiū.

Cæſarius homil. 1.

Quoduis peccatū tremendi iudicij finalis offenſa eſt.

carnis

carnis gaudia puniuntur : ac ſic mortificatione præſens futuræ mortis ſententia præuenitur ; & dum culpa auctor humiliatur, culpa
4. *conſumitur.* (Addit Cæſarius eleganter ad præſentem theſim) *Dumque exterior afflictio voluntaria diſtrictionis infertur, tremendi Iudicij offenſa ſedatur ; & ingentia debita labor ſoluit exiguus, quæ vix conſumpturus erat ardor æternus.* Attentius nota illa Cæſarij verba : *Tremendi iudicij offenſa ſedatur*, quaſi quodnis delictum ſit tremendi Iudicij offenſa, & contempti Iudicij reatus. Porrò quiſquis fide diuinâ indubiè agnoſcit illius ſupremæ diei acerbitates, quibus ſeuerior Dei Iuſtitia in peccatores diſtringetur ; & tamen necdum peccare deſiſtit, tremendum Iudicium quodammodò offendit, & illius contempti reus dicitur. Offenſa in Deum, *Tremendi iudicij offenſa* eſt ? ô time ſeueriſſimum tribunal offendiſſe ! Supplex eris in finali iudicio, & finale Iudicium offendis ? *Son tantos los rigores del juicio final, que ſe dà por offendido del que ſe atreue à peccar, como de quien à menoſpreciado ſus rigores :* ô nouam offenſam, ſed quæ valdè exaggerat timendam illius diei ſeueritatem !

Hic v. . O quàm meticuloſè pauidi hîc *congregantur* filij Iacob, vt ſuam felicitatem aut infelicitatem audiant prophetico Patris ore ; vt ſupplicium aut præmium excipiant ! ô quàm pauent Ruben, & Simeon, & Leui, qui hanc diem impudenter delinquendo contempſere !

---

§. CCLXXXIV.

Beneuola multorum concordia, auguſtioris gloriæ officina eſt.

1. QVI in paruis rebus cedit, maximas & pulcherrimas obtinet. Non eos ſumptuoſiùs commendari ſolitos ſcimus, qui aliis iniuriam intulerint, quive pertinaciter & obnixè ſuperare contendunt ; ſed qui illatam iniuriam animo æquo, vel certè forti tuliſſe videntur. His à difficiliori concordiâ ingens laus. Impendiò celebramus (ait

Plutar. lib. de Amicit. Plutarchus) iuuenis illius apud Menandrum inſigne elogium : *Præclarum, ait, æſtimes optimum quemque virum, cui amici etiam contingit etiam vmbra.* Ingenium præclaræ æſtimationis amicitia eſt ; quæ beneuolentiâ, & patientiâ conſtat ; illâ innititur, hâc conſeruatur, vtrâque præclaram ſui famam

Seneca ex Publ. Mim. emit. Adeò vt de pace & amicâ concordiâ ſublimior fama exurgat, & gloria erudiatur ad magni nominis ſaporem. *Semper diſſenſio ab alio incipiat, à te reconciliatio.* Hoc virtutis artificio concordia ſtat, amicitia naſcitur : & inde perennis gloriæ cumulus ad honorem conflatur : quaſi amica concordia ſit acquirendæ famæ piè ambitioſum arbitrium.

Ioannis 17. Chriſtus morti proximus, & 2. pro diſcipulis ſollicitus, ſic Patrem Deum Ioan. 17. alloquitur : *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos v. 22. vnum ſumus.* Dubium quidem celebre, quam hîc intelligat *claritatem*, Græcè δόξαν *gloriam* : Chryſoſtomus, Theophylactus & Euthymius, *claritatem* illam intelligunt, quam ſibi Chriſtus volente Patre, ex doctrinâ ſuâ, & miraculorum effectione comparauerat, quam eandem dicit ſe cum Diſcipulis communicaſſe. Auguſtinus, Beda, & Rupertus, eam intelligunt *claritatem* ſeu gloriam, quam in vitâ æternâ erant habituri. Cyrillus & Leontius intelligunt, diuinum honorem, qui humanæ naturæ Chriſti ex coniunctione cum diuinitate acceſſit. Non diſceptabo cum Patribus an hæc *claritas*, quam Chriſtus ſuis Diſcipulis dediſſe fatetur, ſit gloria prædeſtinatæ beatitudinis ; ſeu ex ſuâ doctrinâ & miraculis parta, ſiue ſimilis diuino honori, qui humanæ naturæ Chriſti ex communione cum diuinitate acceſſit : ſed animaduerſione digniſſimum eſt, ex concordiâ, ſeu mutuâ charitatis beneuolentiâ, & beneuolâ animorum conſenſione, illuſtrem hanc *claritatem*, ſeu auguſtam gloriam experti. Eruditè, & peracutè P. Ioannes Maldonatus ita locum exponit : *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Senſus igitur eſt. Sicut tu me dilexiſti, ita ego eos dilexi : fac vt & ipſi ſe inter ſe diligant, quæ erat vnitas illa, quam illis poſtulabat.* Quaſi dicat : Pater ſancte fac vt Diſcipuli mei ſe inter ſe diligant concordi beneuolentiâ, & charitatis vinculo ſeſe mutuò amiciſſimè nectant ; & ſic *claritatem* ſeu *gloriam* illis communico, beatæ gloriæ ſimilem ; aut æmulam eius gloriæ, quæ mihi ex coniunctione cum diuinitate acceſſit. Quid aut exaggeratius, aut illuſtrius ? Porrò vt in diſſenſionibus honor diſſidentium periclitatur, maleuolentiæ garrulitate : ſic inter mutuâ amicitiâ concordes, beneuoli affectus ingenio, ſic beneuolentia de amicis magna & ſublimia concipit, præclara prædicat & euulgat, amoris linguâ omnia in id ipſum augente, vt Chriſti Dei *claritatem*, & empyream cæli *gloriam* poſſit æmulari : *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum* (hoc eſt) *vt ipſi ſe inter ſe diligant, quæ erat vnitas illa, quam illis poſtulabat :* ô piam ex concordiâ auguſtioris gloriæ ambitionem !

Iudicum 9. Abiit Abimelech filius Ierobaal 3. ex concubinâ in Sichem ad fratres matris ſuæ, & locutus eſt ad eos, & ad omnem cognationem domus patris matris ſuæ, dicens : Iudicum 9. Loquimini ad omnes viros Sichem : *Quid v. 2. vobis eſt melius, vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vnus vir ?* Nempe ſtrenuus ille Hebræi populi

Vnius fratris furore ſeptuaginta alij fratres ſubiguntur.

popuIi

Iudicum 9. v. 2.

Vnius fratris purpurâ, ſeptuaginta alij fratres fulgent.

Loquimini ad omnes viros Sichem: *Quid vobis eſt meliùs, vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vnus vir?* Nempe ſtrenuus ille Hebræi populi dux Ierobaal ſeu Gedeon, nuper vitâ functus, ſeptuaginta filios ex legitimo matrimonio natos ſuperſtites reliquerat, & ipſum Abimelechum ex concubinâ progenitum. Hic ergo ex Sichimitide matre natus, apud Sichimitas Iſraëlis principatum exâbit, & ſic aſſenſum eorum ſollicitat: *Quid vobis eſt meliùs, vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri omnes filij Ierobaal, &c.* Miriſſimum ſanè eſt, Abimelechum dixiſſe ſeptuaginta viros omnes filios Ierobaal, dominaturos in Iſraël pro patre ſuo; & hoc Sichimitis perſuadere potuiſſe. Septuagintane viri, defuncti Ducis filij, ſimul principarentur, an natu maximus, vel è minoribus qui idoneus magis ad ſceptrum cenſeretur? iuxta pactum ſuprà cum Ierobaal ſeu Gedeon initum: *Dixerunt omnes viri Iſraël ad Gedeon:*

Iud. 8. v. 22.

Dominare noſtri tu, & filius tuus; & filius filij tui: quia liberaſti nos de manu Madian. Quid ergo affirmat, & affirmando perſuadet, omnes ſimul ſeptuaginta Ierobaal ſeu Gedeonis filios dominaturos Iſraëli? Hoc dubium ſic proponit Lyra:

Lyra ibi.

Dominentur veſtri ſeptuaginta viri omnes filij Ierobaal. Per hoc innuebat, quòd omnes alij filij Gedeonis vellent ſuper populum dominari.

P. Serar. ibi. q. 3.

Propiùs ad rem noſter Serarius, eruditionis, & ſapientiæ antiſtes. *Exiſtimari vult, omnes, vno ſimul conſenſu, populum gubernaturos.* Vel potiùs, vno Gedeonis filio, iuxta fœdus cum patre initum, gubernante, *omnes, vno ſimul conſenſu populum gubernaturos.* Nempe tanta erat inter ſeptuaginta fratres, Gedeonis filios, concordia, tanta beneuolentiæ generoſitas, vt Abimelechus, degener filius, cenſuerit, quolibet eorum principatum gerente, omnes ſimul principaturos. Quod niſi foret veroſimile, non ita facilè Sichimitis perſuaſiſſet, ſeptuaginta ſimul viros dominari potuiſſe. Magnum profectò concordis beneuolentiæ elogium, dum vnius purpurâ ſplendent reliqui, & cuiuſlibet faſtigium omnes pariter ſublimat. Sic *claritas* ſeu *gloria* vni conceſſa, beneuolâ concordiæ communione in omnes ſplendidè reuerberat? Sic concors beneuolentia gloriam exaggerat?

Huic filiorum concordiæ, (quos Patriarchas Hebræi populi præuidebat) ſic Iacobus ſtudet, vt dum ſingulis Benedictiones parat, hanc concordiæ vocem ingeminet: *Congregamini*, vt annunciem vobis, &c. *Congregamini*, & audite filij Iacob, &c. vt ex mutuâ omnium beneuolentiâ, aliquorum felicitatem reciprocet, in omnes, concordiæ arbitrio.

Hic v. 1.

***

§. CCLXXXV.

Mitior in hominem inimicus, eſt Dæmon; homo verò ſæuior & atrocior ſui hoſtis eſt.

O Quàm contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit! Quandiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? Etiam ſi ſuperiores ſimus, portenta vincimus. Quid eſt cur ſuſpiciamus noſmetipſos, quia diſſimiles deterrimis ſumus? Non video quare ſibi placeat, qui robuſtior eſt valetudinario. Effugiſti vitia animi, non eſt frons ficta, nec in alienam voluntatem ſermo compoſitus, nec cor inuolutum: nec auaritia, quæ quidquid omnibus abſtulit, ſibi ipſi negat: nec luxuria, pecuniam turpiter amittens, quam turpiùs reparet: nec ambitio, quæ te ad dignitatem, niſi per indigna non ducet. Nihil adhuc conſecutus es. *Multa effugiſti: te nondum.* Qui ſe non fugit, cum domeſtico & infido hoſte periculosè luctatur. Quid eſt homini inimiciſſimum, niſi ipſe ſibi homo? Aut ſe homo, hilaris amat; aut mœſtus, odit; nihil eſt tertium: & in his grande ſibi patet periculum. Suis ſe expugnat armis homo, qui ſæuior ſui hoſtis eſt, & acerbior inimicus. Nemo præter hominem, homini nocere potenter eualet: ô caue tibi à te! 1.

Seneca in Præfat. lib. 1. Natur. quæſt.

Periculoſam hoſtilitatem ſecum agit homo.

Matthæi 27. Iudas, Chriſti, ex diſcipulo proditor, vt omnibus ſceleſtior, ſic & infelicior extitit: quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Vbi vidit Magiſtrum ſuum, quem infidè prodiderat, iniuſtè dãnatum, proditoris conſcientiam tot Domini miracula, tot dona torquebant: Et pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui, tradẽs ſanguinem iuſtum. *Et proiectis argenteis in templo, receſſit: & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Ad quæ Matthæi verba, ſic ad rem præſentem ſubtili facundiâ S. Leo ſcribit: *Sed homo inconuertibilis, ſpiritus vadens & non reuertens, cordis tui ſecutus es rabiem; & ſtante Diabolo à dextris tuis, iniquitatem, quam in ſanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorſiſti:* (penſanda ſunt attentiùs quæ ſubdit verba) *vt quia facinus tuum omnem menſuram vltionis exceſſerat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem.* Sed eſto, infidi & inconuertibilis Iudæ ſceleſtiſſimum facinus omnem menſuram vltionis excederet, cur Diabolo gehennalis carnificinæ deputato tortori, & atrociſſimo hominum hoſti, non deputatur tanti inferendi ſupplicij negotium; cùm Iudæ adeſſe dicatur, & à dexteris eius ſtetiſſe? Quis Diabolo in hominem inimicitior? quis inhumaniùs ferociat in homines? Verùm acerbiùs Iudas Iudæ traditur, & ipſe ſibi ad vltionem permittitur: & qui in proditione Domini *cordis ſui ſecutus eſt rabiem*, in ſumendâ Dominicæ proditionis pœnâ, non perditum adſtantis ſibi Diaboli furorem, ſed *ſui cordis rabiem ſequatur.* Moraliſſimè pariter 2.

Matth. 27. 5.

Leo ſer. 3. de Paſſione.

Flagitium, quod ſupplicij menſuram excedit, homo contra ſe dignè caſtigat.

fuit Iacobi de primogenito Rubeno maledictio, & prophetia: propheticam ipſius Benedictionem audi ex Moyſis
Deuter. ore, Deuteronomij 33. verſ. 6. *Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero.*

7.
Vers. 5. Simeonis & Leui maledictio, & prophetia. Simeon, et Levi fratres. Non tam naturâ, quàm moribus, dolo, fraude, furore, crudelitate. Vasa iniqvitatis bellantia. Id eſt, inſtrumenta iniqui Sichimorum excidij, & crudeliſſimæ ſtragis. Vos auctores & executores fuiſtis nefarij belli, quod infidè geſſiſtis, magno totius familiæ periculo. *Vaſa* pro quouis inſtrumento in Bibliis poni, notiſſimum eſt.

Vers. 6. In consilivm eorvm non veniat anima mea, &c. Quaſi dicat: Abſit, vt ego nunc probem, aut
Deteſtatur Iacob bellum aduerſus Sichimitas. vt quã adprobauerim ſceleſtum & crudele eorum *conſilium* de proditoriâ Sichimorum ſtrage. Abſit longè, vt ego, nunc de perfidâ illa vltione glorier; ſic enim gloriarer de probro, de ſcelere, de crudelitate. *No permitta Dios que jamas aprueba ſu reſolucion, ô me glorie de ſu temeridad.* In fvrore svo. Irâ perciti. Occidervnt virvm. Viros, inquam, Sichimitas cum ſuo Principe, tragœdiæ occaſione. Eſt ſynecdoche. Lxx. pro *viro* habent *homines*, eodem ſenſu. In volvntate sva. Lxx. *In ſuâ concupiſcentiâ*, hoc eſt, ſæuiendi libidine. Svffodervnt mvrvm. Vrbem Sichem depopulati ſunt, quam vſque ad murorum ſubuerſionem euerterunt. Senſus perſpicuus abſque vllius metaphoræ nubilo.

8.
Vers. 7. Maledictvs fvror, &c. Maledictionem infligit, & maledicendi ſubiungit cauſam. Qvia pertinax. Non ſubitò exarſerunt iracundiæ impetu, ſed diu meditato, peruicaci, & temerario furore. Dividam eos. Sapiens pœna eos diſiungit, qui malè adſociati, atrociſſimè in alios conſpirarunt; ne ſimilem exinceps perniciem vnà machinentur. Vnde Leuitæ
Ioſue. per omnes tribus diſſipati ſunt, Ioſue 19. & Simeon reiectus in extremum Chananææ angulum meridianum: & in terræ ſorte Iudæ aſſignatâ, Simeoniana tribus quaſi precario accepta eſt: & hominum numero exreſcente, compulſa eſt nouas ſedes in deſerto quærere, pars
1. Paralip. in Gador, pars in montem Seir. 1. Paral. 4. verſ. 27. & 29. & 42. Quomodo autem hoc Simeonis & Leui factum, quod
Iacobus hîc vituperat, laudarit Iuditha, cap. 9. verſ. 2. inibi copioſè diſputauimus §. 9. In Iudith.

Moyſes Deuteronomij 3. vnius Simeonis Benedictionem omiſit, cum ceteris vndecim tribubus largiùs benediceret. Cauſam ibi interpretes indagent. Benedictio Leui ex Deuteronomio.
Conſule Lorinum noſtrum in illius capitis argumento. Lorin. Benedictionem autem Leui, his verbis expreſſit verſ. 8. *Leui quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione, & iudicaſti ad Aquas contradictionis. Qui dixit patri ſuo; & matri ſuæ: Neſcio vos; & fratribus ſuis: Ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Iſraël: ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum. Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius ſuſcipe. Percute dorſa inimicorum eius: & qui oderunt eum non conſurgant.* Hucvſque Moyſis Benedictio, quæ fauſta ſuis Leuitis & precatur, & prædicit. Deuter.

Ivda te lavdabvnt. Adludit ad nomen *Iuda*, quod laudare ſignificat. 9. Vers. 8. Iuda Benedictio.
Elegans eſt paranomaſia, quæ in Hebræis vocabulis manifeſtiùs apparet יהודה יודוך *iehuda toducha.* Quaſi dicat: Rectè vocaris *Iuda*, ideſt, laus, quia *te laudabunt* ceteræ tribus, quas *fratrum* nomine deſignat. Tribus enim Iuda fuit nobiliſſima, & fortiſſima, 1. Paralip. 5. verſ. 2. Ab hâc Iacobæi omnes dicti ſunt Iudæi, ab hâc Dauid, Salomon, & omnes Iudæ reges, tandem Chriſtus Deus per Mariam Deiparam ab hâc ortus eſt. 1. Paralip. Regni translatio in Iudam. Manvs tva in cervicibvs, &c. Ideſt, manu victrice in fugam vertes, & ſubiugabis inimicos tuos, Pſal. 17. verſ. 41. Pſalm. Impleta eſt hæc prophetia primò in expugnatione Chananææ, mox in Dauide, Ioſaphat, Ezechia, vt paſſim traditur in libb. Ioſue, Regum, & Paralipom. Adorabvnt te. Et ciuili adoratione in Dauide, & aliis Iudæ regibus; & latria adoratione in Chriſto Deo. Hîc prærogatiuam Ruben primogenito debitam, transfert in Iudam.

Catvlvs Leonis Ivda. 10. Vers. 9.
Tribus Iuda inter alias tribus erit leonis adinſtar, fortiſſima, bellicoſiſſima, impauida, generoſa, victrix, quod expreſſiùs

preſſiùs iuxta litteram in Dauide impletum eſt; myſticè in Chriſto Deo. AD PRÆDAM. Hebraicè vox ſignificat prædam, quæ fit cum laceratione, & rapinâ, conſectariè ad metaphoram leonis, quod Dauidi accommodare procliue eſt. QVASI LEÆNA, quæ catulos lactans ſæuior leone eſt. QVIS SVSCITABIT EVM? Nemo impunè Iudam bello laceſſere audebit.

11.
VERS. 10. NON AVFERETVR SCEPTRVM DE IVDA, ET DVX DE FEMORE EIVS, DONEC VENIAT QVI MITTENDVS EST. Ardua in paucis difficultas, & in quâ valde à pleriſque laboratum eſt, quomodo id verè dicatur, cùm indubiè conſtet, quòd tempore captiuitatis Babylonicæ ceſſauerit Iudæorum regnum, & principatus omnis, & exinceps vſque ad Meſſiæ aduentum pluſquam quingentis annis, quo tempore Machabæi ex Leui orti, diu principatu fuit cùm ſummâ poteſtate. Mihi non eſt animus ſingulas expoſitiones referre, & refellere quod minùs placet, longum enim facerem, & de hac re eruditè tractarunt P. Franciſcus Suarez 3. part. diſput. 1. ſect. 1. Benedictus Pererius, Martinus del Rio, Cornelius à Lapide, & Iacobus Bonfrerius in hoc loco, & Barradas tom. 1. Concord. Euangel. lib. 3. cap. 2. Verùm non omittam quid ſuper hac re nuper tradidit præclarè illud Auguſtinianæ familiæ decus, M. Baſilius Legionenſis, vir ingenio & eruditione magnus, ſi quem aliam ætas noſtra tulit. Hic ſapientiſſimus Magiſter, in parte 1. variarum quæſt. 4. expoſit. cap. 4. in eâ eſt ſententiâ, vt ſerio exiſtimet, hanc prophetiam eſſe intelligendam de ſola Iudæ tribu. Attamen cùm requiritur

Difficultas huius loci proponitur.

Suarez. P. rer. Rio. Cornel. Bonf. Barrad.

Baſil. Legio.

Conditionata Iudæ promiſſio.

12. quo modo Iudæ regnum defecerit paulò ante Meſſiæ aduentum, reſpondet prædictionem illam eſſe conditionatam, ſicut comminatorias alias, (quin & promiſſorias) ſubintelligendúmque eſſe, Non auferendum regnum de tribu Iuda, donec veniret Chriſtus, niſi aliter eius peccatis exigentibus diſponeretur. Quod confirmat ex quodam Concilio coacto apud Osborium ſub Alexandro II. contra Cadaloum Pſeudopontificem, anno 1062. in cuius actis inſerta eſt diſputatio inter regium aduocatum, & Romanæ Eccleſiæ defenſorem, quam reperimus inter Petri Damiani ſcripta, retulitque illam ad verbum Cardinalis Baronius tom. 2. anno 1062. à num. 15. Et, vt omittam alia exempla, quæ ſe menti cateruatim obiiciunt, quibus poſſet Legionenſis Baſilij commentatio adſtrui, de conditionatâ Iudæ promiſſione; notanda eſt præcedens Rubeni, & Leui, ſiue prædictio, ſiue maledictio, quam ob inſignia merita Leuiticæ tribus, & ob alias cauſas in tribu Rubeniana, ſicuit Moyſi magnâ ex parte reſcindere, aut temperare, (de quo legi poſſunt expoſitores huius capitis Geneſeos, & illius Deuteronomij, præſertim Lorinus noſter ibi ad verſ. 6.) Quod accidere non poſſet, niſi maledictiones Rubeni, & Leui, conditionatæ forent: ergo ſi prima & ſecunda maledictio, quas Iacobus vibrauit in Ruben & Leui, magnâ ex parte conditionatæ fuerunt, quid vetat aſſerere, hanc Iudæ Benedictionem hâc duntaxat ex parte conditionatam fuiſſe?

Concilium apud Osborium.

Petr. Dam. Baronius.

Lorin.

Verùm, niſi res ipſa ita vrgeat, vt aliter non poſſit idoneè locus extricari, ad conditionati vaticinij aſylum confugiendum non eſt. Et licet in aliis Bibliorum prophetiis id expromptè dici poſſet, id renuendum eſt in hoc loco, ex quo Catholici validum in Iudæos telum contorquent ad Meſſiæ aduentum indubiè adſtruendum. Id præſtrictim libaſſe ſat eſto.

Refellitur Legionenſis.

Veriùs quidem exiſtimandum eſt, 13.
τὸ *Iuda* accipi non pro tribu Iuda, ſed pro ſorte tribus Iudæ, ſicut accipitur Pſalm. 77. verſ. 67. dum ait regius Pſaltes: *Repulit tabernaculum Ioſeph, tribum Ephraim non elegit; ſed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit.* Item τὸ *&*, cùm dicitur, Non auferetur ſceptrum de Iuda, *&* dux de femore eius, accipi debet iunctim aut copulatim; ſicut accipitur ſuprà cap. 15. v. 13. dum Abrahæ dicitur: *Scito, prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terrâ non ſuâ, & ſubycient eos ſeruituti, & affligent eos quadringentis annis.* Scilicet quadringenti anni conflati debent, non ex ſeruitute, quod falſum eſſet; ſed ex peregrinatione & ſeruitute ſimul. Ait ergo Iacob: Non auferetur ſceptrum de Iuda, id eſt, regni ſedes erit in tribu Iuda: & dux ſiue princeps de eius femore, de poſteris inquam, donec Meſſias veniat. Quaſi dicat: Ecce ſignum iam aduentantis Meſſiæ, & illuſtris Iudæ prærogatiua, quòd

Pſalm.

Idonea loci interpretatio & argumenti ſolutio.

Geneſ.

quòd de eius poſteris non deficient reges : quòd ſi deficiant, non deficiet ſaltem ſedes regni in Iudæ ſorte, donec veniat Meſſias. Si quando autem videritis defeciſſe reges ex progenie Iudæ, & ſimul ex eius ſorte defeciſſe regni ſedem, hoc erit ſignum aduentus Meſſiæ. Quod accidit quandò Herodis tempore Iudaicum regnum tranſlatum eſt ad Romanos. Itaque τὸ *donec* in tam longo vaticinij tempore, accipiendum ſtrictè non eſt, ſed ita vt ſignificet, prope illud tempus, quod ſic accidiſſe perſpicuum eſt. Tempus etiam captiuitatis Babylonicæ exiguum reputatur; & certâ redeundi ſpe obtigit. Vnde parùm de eâ interruptione curant interpretes. DE FEMORE. Metonymicè accipitur pro partibus genitalibus, id eſt, dux ex Iudæ poſteris.

14. *Quomodo Meſſias ſit deſideratus cunctis Gentibus, à quibus ignorabatur.*

DONEC VENIAT QVI MITTENDVS EST. Chaldæus, *Donec veniat Meſſias, cuius eſt regnum.* Hebraïcè pro *qui mittendus eſt*, habetur שִׁילֹה *ſilo*, quod nomen, etſi variè deducant, omnes tamen Meſſiç, ſeu Chriſto aptè explicant. IPSE, Meſſias. ERIT EXPECTATIO GENTIVM. Non loquitur Iacobus de expreſsâ aut elicitâ expectatione, ſiue de Gentium deſiderio; nihil enim minus expectabant, aut deſiderabant; ſed de appetitu velut innato. Quo modo Deuteronom. 11. verſ. 11. terra deſiderare vel appetere pluuiam dicitur. Sic ab Aggæo cap. 2. verſ. 8. Meſſias appellatur, *Deſideratus cunctis Gentibus.* Quaſi dicat: Sic ſtudioſè & populariter Meſſias excipietur à Gentibus, ac ſi diu ab ipſis deſideratus & expectatus foret.

Deuter.

Aggæus.

15. Vers. 11. & 12. *Sors Iuda fuit vini & lactis feraciſſima.*

LIGANS AD VINEAM PVLLVM SVVM, &c. Id eſt, ſors quæ Iudæ obueniet in Chananitide diuidunda, tam erit vini ferax, vt ad palmitem vnum poſſit quis aſinum ſuum ligare, & eius fructu eum affatim onerare (eſt inquam, Metalepſis) Tanta erit copia vini, vt in eo poſſint Iudæ poſteri lauare (velut in aquâ) veſtimenta ſua. Quin & virorum Iuda oculi ab ipſo vino pulchrè rubeſcent. Sic vbertim terra illa vinum proferet. Lactis quoque in ſorte Iudaicæ tribus tanta ſuppeteret abundantia, vt ipſius dentes ex frequenti lactis potu & eſu, albicare videantur. Ita Lyra, Lipomanus, Vatablus, Oleaſter, Mariana, Tirinus; plures. Non ibo inficias paſſim ſanctos Patres hanc prophetiam de Chriſto intellexiſſe; ſed ſenſu myſtico, etſi principaliter intento à Spiritu-ſancto.

Lyra. Lipoman. Vatabl. Oleaſter. Mariana. Tirinus.

Hanc longiuſculam Iudæ Benedictionem, ſic breuiauit Moyſes dicto capite 33. Deuteronomij, verſ. 7. Hæc eſt Iudæ Benedictio : *Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum ſuum introduc eum : manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduerſarios eius erit.*

ZABVLON. Sextus hic ex Liâ filius, quinto loco ponitur; aut quia facta Meſſiæ mentione, ſtatim Iacobo occurrit Zabuloniana tribus, in quâ annunciatio, conceptio, frequentior habitatio, prædicatio, & commoratio Meſſiæ futura erat. Aut fortè eo ordine erant filij in patris conſpectu, vel ita memoriæ caligantis ſenis occurrebant. ZABVLON IN LITTORE MARIS HABITABIT. Alludit ad nomen : Zabulon enim ab habitando dicitur. In Hebræo eſt : *In littore marium.* Ab ortu enim habet mare Galilææ, ab occaſu mare mediterraneum. ET IN STATIONE NAVIVM. Non dubium quin tribus Aſer interiaceat verſus mare mediterraneum; ſed Zabuloniana tribus vſque ad Carmelum pertingens, flumen habere potuit, & emporia, è quibus ſuas merces in mare Mediterraneum deriuaret. Conſule Ioſephum lib. 1. Antiquitat. Iudaic. cap. 1. PERTINGENS VSQVE AD SIDONEM. Non eſt intelligendum de ipsâ vrbe, ſed de Sidonis & Phœniciæ finibus, quos Zabuloniana tribus attingit, vt tradit Adrichomius.

16. Vers. 13. *Zabulonis prophetia.*

Vaticinium de Zabulon.

Ioſephus.

Adrich.

17. Vers. 14. *Vaticinium de Iſſachar.*

ISSACHAR ASINVS FORTIS. Hebraïcè, *oſſeus.* Id eſt, robuſtus, & inſtar oſſis fortis ad ferendos ſedulæ agriculturæ labores. ACCVBANS (perſequitur aſini metaphoram) INTER TERMINOS. Vberrimo rure ſuæ ſortis contentus, domi verſabitur, inter limites ſuos quietus; nec vicinos metuens, nec vicina concupiſcens.

Vers. 15.

VIDIT REQVIEM, QVOD ESSET BONA. Abiiciens curas militares, & mercatorias, ruſticanæ & quietæ vitæ commoda eliget. ET TERRAM, QVOD OPTIMA. LXX. *pinguis*, Chaldæus, *fructifera.* Nempe ſolum pingui glebâ in primis fertile. SVPPOSVIT, velut aſinus fortis. HVMERVM

RVM AD PORTANDVM., inſanos agriculturæ labores. FACTVSQVE EST TRIBVTIS SERVIENS. Ruſticani homines plus ceteris vectigales ſunt, à quibus pendendis Militia immunis eſt.

Zabuloni & Iſachari ſimul his verbis Moyſes Benedicit, Deuteron. 33. verſ. 18. & 19. *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iuſtitiæ. Qui inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.* Deuter.

18. Vers.16. Vaticinium de Dan. DAN IVDICABIT. Adludit ad nomen Dan. Hebraicè ſic ſcribitur דן ידין *Dan iadin*, id eſt, *iudex iudicabit*. Aliam cauſam nominis hîc aſſignat Iacob, ac aſſignauerat Rachel, Geneſ. 30. verſ. 6. Scilicet reſpexit Iacob ad Samſonem Danitam, qui viginti annis iudicaturus erat Iſraël, illumque vindicaturus à Philiſthinorum ſeruitute. SICVT ET ALIA TRIBVS. Id eſt, non minus quàm alia tribus. Neque exinde fit omnes alias tribus dediſſe iudices Iſraeli. Neminem enim inuenies in tribu Ruben, Simeon, & Aſer. An Iephte ex tribu Gad, an ex tribu Manaſſe fuerit, dubium eſt, alibi exagitandum. Geneſ.

19. Vers.17. In vaticinio de Dan, Samſon adumbratur. FIAT DAN COLVBER IN VIA. *Fiat*, ideſt, fiet, more prophetico. Crediderim τὸ Dan eſſe tertium caſum. Quaſi dicat Iacobus: *Fiat*, hoc eſt, fiet Dalila à Philiſthæis inſtigata, ipſi Dan, id eſt Samſoni ex Dan naſcituro, inſtar colubri; quia cum aſtu ſerpentino decipiet. Ita Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. Emiſſenus, & Gennadius in Catena. Porrò Samſon potiùs robore, quàm dolo Philiſthæos profligauit, & eorum dolis profligatus eſt. Et ſanè cùm Dan ſit indeclinabile, non conſtat ex Hebræo, primus, an tertius caſus ſit. Itaque Samſon eſt aſcenſor equi, quem ſerpens femina deiecit. CERASTES ſerpens eſt quadrigemina habens cornua, vt tradit Plinius lib. 8. capite 29. à κέρας, id eſt, cornu, *ceraſtes*, id eſt, cornutus. MORDENS VNGVLAM EQVI, &c. Cùm ceraſtes non valeat equitem attingere, equi vngulam ſeu calcaneum mordet, vt ſic equum, & aſcenſorem deiiciat, & eiectos enecet. Ita Philiſthini cùm non eualerent aperto Marte ſuperare Sanſonem, eius vitæ per Dalilam ceu ſerpentem, inſidiati ſunt. CADAT ASCENSOR EIVS RETRO. Perſiſtit in metaphora. Equitem à tergo cadentem facilè quis inuadet, & proſtratum trucidabit. Hæc expoſitio valdè idonea eſt, etſi communem non reiicio, ſed ſuſpicio. Hieronym. Emiſſen. Gennad. Plinius.

SALVTARE TVVM EXPECTABO. Præuidens Iacob Danitam Samſonem ad breue tempus libeaſſe Iſraelem à duro ſeruitutis iugo, æternum Saluatorem expectandum dicit, τὸ *Salutare* paſſim pro Saluatore in Bibliis accipitur. Itaque hæc prophetia ad litteram de Samſone intelligitur; de Chriſto, & Antichriſto etiam myſticè, in quo ſenſu poſſunt Patres intelligi. Vers.18.

Danitis ſic Benedicit Moyſes cap. illo 33. Deuteronomij, verſ. 22. *Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Baſan.* Deuter.

GAD ACCINCTVS, &c. Hebraïcè ita ſcribitur, גדוד, *Gad gedud*, *accinctus accingetur*. Hoc eſt, tribus Gad iuxta nomen ſuum, accincta erit, armata, & pugnax. PRÆLIABITVR ANTE EVM. Ante Iſraelem inquam, qui verſ. 16. præceſſerat. Scilicet quando relictis vxoribus, liberis, & gregibus, armis validè accincta, Iordanem tranſiuit; & reliquas tribus, quaſi dux præcedens, totos quattuordecim annos ſtrenuè pugnauit, donec reliquæ tribus in ſuam ſortem venirent. Numer. 32. ET IPSE ACCINGETVR RETRORSVM. Quando ceteris tribubus in ſuâ hereditate ritè collocatis, ipſa rurſus accincta & armata, ad ſuam ſortem trans Iordanem glorioſè egreſſa eſt, Ioſue 22. Ita S. Hieronymus in Tradit. Hebr. & ceteri interpretes. Ibique Gad poſt regreſſum, multa cum Arabibus bella feliciter geſſit. 1. Paralipom. 5. 20. Vers.19. Prophetia de Gad. Numer. Ioſue. Hierony.

Tribui Gad his verbis Benedicit Moyſes dicto cap. 33. Deuteronomij, verſ. 20. *Et ait Gad: Benedictus in latitudine Gad: quaſi leo requieuit, cepitque brachium & verticem. Et vidit principatum ſuum, quod in parte ſuâ doctor eſſet repoſitus: qui fuit cum principibus populi, & fecit iuſtitias Domini, & iudicium ſuum cum Iſrael.* Deuter.

ASER PINGVIS PANIS EIVS, &c. Prædicit fertilitatem ſortis Aſer, & omnigenos terræ fructus, adeò ſapidos, vt regibus Iſraelis, & Tyri in deliciis futuri ſint. Idem poſteà repetiuit Moyſes 21. Vers.20. Prophetia de Aſer.

Deuter. Moyſes in Aſeris Benedictione, Deutoronom. 33. verſ. 24. *Aſer quoque ait: Benedictus in filiis Aſer, ſit placens fratribus ſuis, & intingat in oleo pedem ſuum. Ferrum & æs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua. Non eſt Deus alius vt Deus rectiſſimi: aſcenſor cæli auxiliator tuus. Magnificentiâ eius diſcurrunt nubes, habitaculum eius ſurſùm, & ſubter brachia ſempiterna: eyciet à facie tuâ inimicum, dicétque: Contercre.*

22. NEPHTHALI CERVVS EMIS-
VERS. 21. SVS, DANS ELOQVIA PVLCHRI-
Propheria de Nephthali. TVDINIS. Nempe ſicut ſeruus emiſſus & liber, hu liſque iam venatorum indaginibus interclusis, in amœnis herboſiſque ſaltibus paſcens, exultim cum aliis ludit: ſic Nephthali tribus in vberi collocata regione, exultabit ſuaui otio, & gratâ libertate. Prætereà Nephthali blandis appellationibus, & vrbanâ humanitate omnium gratiam ſibi
Salian. conciliabat. Ita Salianus ex Maſio in
Maſius. Ioſue 19. Moyſes verò ita huic tribui
Deuter. benedicit, dicto cap. 33. Deutoronom. verſ. 23. *Et Nephthali dixit: Nephthali abundantiâ perfruetur, & plenus erit Benedictionibus Domini: mare & meridiem poſſidebit.*

23. FILIVS ACCRESCENS IOSEPH.
VERS. 22. Adluditur ad Ioſephi nomen, quod
Benedictio Ioſephi. Geneſ. *incrementum* ſignificat, dicente Rachele in eius partu ſuprà cap. 30. verſ. 24. *Addat mihi Dominus filium alterum.* Incrementum accepit Ioſeph, & ex proregiâ Ægypti præfecturâ, & ex duplici tribu è filiis ſuis, & ex regiâ tribu Ephraim, auctâ hominum numero, & illuſtrium victoriarum triumphis. Propter quæ appellatur Ioſeph, *filius accreſcens.* DECORVS ASPECTV Laudat venuſtam formæ ipſius dignitatem, filio venuſtiſſimæ Rachelis conſentaneam. FILIÆ DISCVRRERVNT SVPER MVRVM. Ægyptiæ puellæ admiratæ bellum iuuenem, regio inſignitum cultu; non contentæ ſemel vidiſſe, in varia loca excurrebant, vt læto eius aſpectu fruerentur. Innuitur plures alias præter Putipharis vxorem, decorum Ioſephum attentiùs aſpexiſſe, laudaſſe, ſuſpiraſſe.

24. EXASPERAVERVNT EVM. Io-
VERS. 23. ſephum quantumuis ſuauem & amabilem, felleâ amaritudine fratres impleuerunt. ET IVRGATI SVNT, cùm non poterant ei pacificè loqui, & dixerunt: Ecce ſomniator venit; venite occidamus eum. INVIDERVNT. Et propter arcana & magnifica ſomnia; & quia à patre plus cunctis amabatur. HABENTES IACVLA. Hebraicè, & apud LXX. *Domini ſagittarum.* Et ſanè cùm fratres cædem Ioſephi deſignaſſent, non dubium eſt, quin ſagittis, aliíſve armis, illum perimere molirentur. Itaque *ſagitta*, aut *iacula* metonymicè pro armis in genere accipi poteſt: & etiam pro conſiliis, & machinationibus, quibus ei malum & mortem moliti ſunt, vt bene notauit Bonfrerius. Porrò verſ. pro- Bonfr.
ximè ſequenti videtur Iacob perſiſtere in metaphorâ *arcus*, vbi propriè, & abſque metaphora capi non poteſt.

SEDIT IN FORTI ARCVS EIVS. *Arcus*, 25.
id eſt, arma robur, præſidium. *In forti*, VERS. 24.
Hebraicè אל *el.* vbi *fortis* eſt Dei nomen, quo eius fortitudo per eſſentiam ſignificatur. Senſus ergo eſt: Inuidioſi fratres ſagittis odij, inuidentiæ iaculis, & machinationibus intentatæ necis, Ioſephum configere & perdere conati ſunt; ſed in eius protectionem & præſidium inſurrexit *fortis* Deus, quaſi armatus arcu ad fortiter retundendos fratrum aduerſariorum ictus, & opem Ioſepho ferendam. τὸ *ſedit* permanentiam diuinæ erga Ioſephum protectionis deſignat. DISSOLVTA SVNT VINCVLA BRACHIORVM EIVS, &c. Sicut qui tenſo arcu ſagittam eiaculari parat, brachia ſua diſtendit: ſic ſeruitutis & captiuitatis vincula, quæ Ioſephi brachiis & manibus iniecta erant, à Deo, qui eſt potens Deus Iacob, diſſoluta ſunt. INDE PASTOR EGRESSVS EST LAPIS ISRAEL. τὸ inde cauſam ſignificat, non locum. Quaſi dicat: Quia Ioſeph omnem fiduciam in Deo Iacob poſuit, *inde*, id eſt, idcircò. EGRESSVS EST, è carcere, in quem eum impegerant, eductus eſt. PASTOR, Ægyptiorum, qui eos rexit, & pauit calamitoſæ ſterilitatis ſeptennio. LAPIS. Firmamen ſuæ gentis. Eccleſiaſtici 49. v. 17. Eccli.
Neque vt Ioſeph, qui natus eſt homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, ſtabilimentum populi. ISRAEL. Firmamentum Iſraëlis, mei, inquam, & filiorum, quos mediæ periculo eripiens, diræ famis tempore vbertim pauit.

BENEDICTIONIBVS CÆLI DESVPER. 26.
Dabit tibi Deus meus clementem cæ- VERS. 25.
lorum aſpectum, beneficos influxus, opportunos imbres, & rores. CÆLI nomine

mine aër etiam deſignatur, vt ſæpè aliàs. Abyssi. De abyſſo, quæ ſub terrâ eſt, per flumina, & fontes copioſam irrigationem ſuget hereditas tua, & inde vberrima erit. Vbervm, et vvlvæ. Liberorum, ac gregum ingentem copiam
Oſeas. pollicetur. Oſee 9. v. 11.

27. Benedictiones patris tvi
Vers. 26. confortatæ svnt benedictionibvs patrvm eivs. Quaſi dicat: Benedictiones, id eſt, beneficia, & promiſſa, quæ ego à Deo accepi, non fuerunt minora, imò potius maiora his, quæ patres mei Abraham & Iſaac à Deo acceperunt: (vidit enim Iacob duodecim filios, è quibus coaluit Dei populus: expreſſiores habuit promiſſorũ reuelationes) nec ceſſabit Deus ea complere, donec veniat *deſiderium collium æternorum*, id eſt, Meſſias ex ſemine meo mihi promiſſus. Ne ergo, ô Ioſeph, dubites de multiiugâ felicitate, quam tibi polliceor. Nunquam adducar, vt iis aſſentiar, qui putant, Ioſephi Benedictionem à Iacobo acceptam, potiorem eſſe Benedictione, quâ ipſe Iacobus benedictus eſt. Tum quia Benedictio Ioſephi, Benedictio & felicitas eſt patris ſui Iacob: tum maximè quòd ex Iacob, non ex Ioſeph oriundus erat Meſſias, quæ eſt felicitatum ſumma.

28. Donec veniret, Nempè *donec veniat*, eſt enallage temporis. Deſiderivm collivm æternorvm.

Cur antiquì Patriarchæ di un'ur colles æterni.

Abſtractum pro concreto deſideratus & expectatus Meſſias, Chriſtus inquam. *Colles æternos* vocat excelſos illos retrò Patriarchas, qui animi celſitudine, & ſanctitate, quaſi *colles* fuerunt eleuati à vulgi ſapientiâ, & moribus. Iique *æterni*, id eſt, antiquiſſimi olim ab Adamo, (cui facta eſt in illâ ecſtaſi Meſſiæ venturi reuelatio) & qui ad æternitatem aſpiciebant. Vnde ſic habet Chaldæus. *Quas* (Benedictiones) *deſiderauerunt principes, qui à ſeculo fuerunt.* Fiant in capite Ioseph. *Fiant*, ſubintellige, hæ omnes Benedictiones, & affluant in caput eius, hoc eſt in ipſum Ioſephum. Nazaræi inter fratres svos. Ioſephum perſpicuè appellat Nazaræũ, à נזר, *nazar*, *ſeparare*; hoc eſt, ſeparatum à fratribus. Domi fuit Ioſephus ſegrex à fratrum moribus; poſteà ſeparatus ab illis vixit in Ægypto. Quin & poſt aduentum patris & fratrum, remotus ab eis habitauit in Pharaonis palatio. Ioſepho ita benedixit Moyſes cap. illo 33. Deuteronom. verſ. 13. *Ioſeph quoque ait: de Benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore, atque abyſſo ſubiacente. De pomis fructuum Solis & Lunæ: & de frugibus terræ, & de plenitudine eius. Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit Gentes vſque ad terminos terræ: hæ ſunt multitudines Ephraim, & millia Manaſſe.* Deuter.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

Beniamin lvpvs rapax. Prædicit Beniaminææ tribus violentos mores, ferox & bellicoſum ingenium. (ita Euſebius, Procopius. Diodorus, Theodoretus) Qui etiam de Silonitis vxores pararunt raptu: ſicut de Sabinis ille lupæ lacte nutritus Romulus. Alludit etiam ad victorias & prædas Saülis: & fortè etiam Eſtheris & Mardochæi, qui Beniaminitæ fuêre. Mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. Idem (quò ad rem attinet) ſignificat, comedere prædam, & diuidere ſpolia. Scilicet prædari, ex prædâ comedere, & prædam diuidere. Profectò rapacis lupi metaphora indecorè accommodatur templo, in quo non ſolum veſpere, ſed etiam mane victimarum diuidebantur ſpolia: nec inter Beniaminitas, ſed inter Leuitas. Hæc prædictio apprimè quadrat in Paulum, ſed myſticè. 29. Vers. 27. *Prophetia de Beniamin.* Euſeb. Procop. Diodorus. Theodoret.

Tribui Beniamin ſic benedixit Moyſes dicto cap. 33. Deut. v. 12. *Et Beniamin ait: Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo totâ die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Deuter.

Omnes hi in tribvbvs Israel dvodecim. Id eſt, ab his duodecim Iacobi filiis, & propagatæ, & denominatæ ſunt duodecim tribus Iſraël. Quin reſpectu ſortitionis duodecim etiam ſunt: nam etſi excludenda ſit tribus Leui, pro vno Ioſepho, duplex ab eo exurgit tribus, nempe Ephraim, & Manaſſe. Benedixitqve singvlis, poſtquam præfata vaticinia enunciauit. Hinc conſtat hactenus recitata Benedictiones non fuiſſe, ſed vaticinia, vt notabamus ad verſ. 1. Hìc ergo ſingulis filiis nominatim benedicit. Benedictionibvs propriis, quæ peculiariter in ſingulos quadrarent. Tacet autem Moyſes, quid ſingulis benè apprecatus fuerit. 30. Vers. 28.

31. Præcepit. Auctoritate patris.
Vers.29. Congregor ad popvlvm mevm. Hebraiſmus, pro morior. Populum ſuum mortuos intelligens, quibus omnes aggregari neceſſe eſt. In spelvnca dvplici, de quâ agitur ad cap.23. v.25.
Geneſ. Geneſeos.

Vers.31. Ibi sepelierunt evm, id eſt, poſteà. Ibi Lia condita est. Hebraïcè, *Ibi ſepelivi Liam.* Vnde conſtat Liam mortuam eſſe in terra Chanaan, non in Ægypto, vt falsò nonnulli opinantur. Rabbini quadraginta quattuor annos vixiſſe ferunt; noſtri illam ſeniorem faciunt.

Collegit pedes svos svper lectvlvm. Nam priùs & prophetans, & filiis benedicens, demiſſis è ſpondâ cruribus ſederat. Collegit ergo pedes in lectulum, & ſenſim expirauit. Appositvs est ad popvlvm svvm, nempè mortuus eſt. Adſimili loquendi formulâ ipſe Iacobus nuper dixerat verſ.29. *Ego congregor ad populum meum.* Vers.32.

COM

COMMENTARIVS

MORALIS.

§. CCLXXXIII.

Quis ſit Deus, declarat rigor finalis iudicij: quod hominum peccatis offendi dicitur.

1\. DEVS omniſcientiæ ac prouidentiæ oculis vniuſcuiuſque affectum ac naturam haud ignorat, vt pote qui magis animæ quàm corporis ſcrutator exiſtere apparet. Quapropter eovſque ſæpè pœnam differt, quoad violentia manibus, impudentia voce, intemperantia libidine perficiatur. Exinde medicinæ gratiâ mœchum, auarum, & flagitioſum quandoque impunitum omittit, ne malitiæ morbus ſupplicijs recrudeſcat. Verùm etſi ſuâ ſibi patientiâ detrahere Deus videatur; tamen quò tardiùs in ſceleſtos animaduertit, eo tandem acerbiùs punit, quaſi diuturna Dei patientia, ſit iræ conceptaculum, & rigoris fomes. O time finalis iudicij acerbitates, quibus Deus ſuæ diuinitatis faſtigium ſumptuoſiùs publicabit, peracerbâ iuſtitiæ ſeueritate, & exaggeratiore rigorum clauſulâ.

2\. Exodi 6. Dixit Dominus ad Moyſen: Nunc videbis quæ facturus ſim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſtâ eiciet illos de terrâ ſuâ. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente; & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Beda ibi: *Et nomen meum Adonaï, quod omnipotens interpretatur, non indicaui eis.* Quid eſt, quòd Deus dicit: *Apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai* (id eſt, *omnipotens*) *non indicaui eis?* Experti ſunt Patriarchæ Deum omnipotentem, & eis indicatum non eſt, eſſe omnipotentem? Quid noui nunc indicatur Moyſi, & filiis Iſraël, (quod quaſi magnum & ſingulare beneficium venditat Deus) quod non fuerat priſcis Patriarchis olim indicatum? An peculiaris & valdè eximij beneficij loco habendum eſt, vt quem præſentiſſimâ prouidentiâ *omnipotentem* experti ſunt, ſciant *Adonaï*, ſeu *omnipotentem* nominari? Sic nomen facit ad rei opinionem? Sic res à nomine cenſetur? Profectò nominis appellatio, rei vindex eſt, & proprietatis aſſertio. Pergit ad rem præſentem Beda: *Quòd autem ait Dominus Moyſi: Et nomen meum Adonai non indicaui eis, ſic myſticè poteſt intelligi, quaſi dixerit: In veteri Teſtamento non indicaui ſicut in nouo: vel in nouo non indicaui ſicut in die iudicij.* Res planè & admiratione & expenſione digniſſima. Dei verbum propter homines corporatum, in præſepio natum, à magis adoratum, in cruce patibulatum; Chriſtus inquam, Deus, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat: qui morte ſuâ vitam noſtram emit, diuinioris beneficentiæ elogio: & Spiritus ſanctus diuini amoris charactere inſignitus, & in homines liberaliùs effuſus; non tam mundo indicarunt, quis ſit Deus, quàm apparebit in magnâ finalis iudicij die. Tantus erit iudicij apparatus in magno illo orbis theatro; tanta iudicantis maieſtas, tantus tandiu repreſſi furoris rigor, vt quis ſit Deus expliciatiùs publicent, quam corporati Verbi, & effuſi in homines Spiritus ſancti velut effuſa largitas? Ineffabile nomen *Iehoua*, nomine *Adonai* expreſſum, quod ipſiſſimam Dei eſſentiam exprimit; Iuſtitiæ potiùs rigor, quàm blandimentum miſericordiæ declarat? Sacroſanctum nomen *Iehoua in nouo Teſtamento non indicatur, ſicut in die iudicij?*

3\. Lucæ 21. his verbis ſupremi iudicij terrores Chriſtus Deus mundo proponit: *Et erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi: nam virtutes cælorum mouebuntur: & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magnâ & maieſtate*, &c. Eheu, quis non timeat, horrendi Iudicij ſupremos rigores, quibus Iuſtitia Dei culpas hominum diſcutiet, damnabit, & æternaturis ignibus caſtigabit? Sanctus Cæſarius Arelatenſis ex Iudicij timore ſic hortatur homines ad pœnitentiæ & mortificationis opera: *Membris*, inquit, *ſubtrahunt fortitudinem, ſed conſcientijs addunt timorem. Nihilominùs de contritione animi redimuntur crimina voluptatum, & per dura Crucis exercitia, decepta dudùm carnis*

Exod. 6. v. 3.

Beda ibi.

Nominis appellatio, rei vindex, & ſenſio eſt.

Quis ſit Deus, non tā Miſericordia quàm finalis iudicij rigor declarat?

Luc. 21. v. 25. & 26. & 27. *Mortificationis & pœnitentiæ elogiū.*

Cęſarius homil. 1.

Quodvis peccatū tremendi iudicij finalis offenſa eſt.

Iudicum 9. v. 1. Loquimini ad omnes viros Sichem : *Quid vobis eſt melius, vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vnus vir ?* Nempe ſtrenuus ille Hebræi populi dux Ierobaal ſeu Gedeon, nuper vitâ functus, ſeptuaginta filios ex legitimo matrimonio natos ſuperſtites reliquerat, & ipſum Abimelechum ex concubinâ progenitum. Hic ergo ex Sichimitide matre natus, apud Sichimitas Iſraëlis principatum exâbit, & ſic aſſenſum eorum ſollicitat : *Quid vobis eſt melius, vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri omnes filij Ierobaal, &c.* Miriſſimum ſanè eſt, Abimelechum dixiſſe ſeptuaginta viros omnes filios Ierobaal, dominaturos in Iſraël pro patre ſuo ; & hoc Sichimitis perſuadere potuiſſe. Septuagintane viri, defuncti Ducis filij, ſimul principarentur, an natu maximus, vel è minoribus qui idoneus magis ad ſceptrum cenſeretur ? iuxta pactum ſuprà cum Ierobaal ſeu Gedeon initum : *Dixerunt omnes viri Iſrael ad Gedeon:*

Vnius fratris purpurâ, ſeptuaginta alij fratres fulgent.

Iud. 8. v. 22. *Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filij tui : quia liberaſti nos de manu Madian.* Quid ergo affirmat, & affirmando perſuadet, omnes ſimul ſeptuaginta Ierobaal ſeu Gedeonis filios dominaturos Iſraëli ? Hoc dubium ſic proponit Lyra : *Dominentur veſtri ſeptuaginta viri*

Lyra ibi. *omnes filij Ierobaal. Per hoc innuebat, quòd omnes alij filij Gedeonis vellent ſuper populum*

P. Serar. ibi. q. 1. *dominari.* Propiùs ad rem noſter Serarius, eruditionis, & ſapientiæ antiſtes. *Exiſtimari vult, omnes, vno ſimul conſenſu, populum gubernaturos.* Vel potiùs, vno Gedeonis filio, iuxta fœdus cum patre initum, gubernante, *omnes, vno ſimul conſenſu populum gubernaturos.* Nempe tanta erat inter ſeptuaginta fratres, Gedeonis filios, concordia, tanta beneuolentiæ generoſitas, vt Abimelechus, degener filius, cenſuerit, quolibet eorum principatum gerente, omnes ſimul principaturos. Quod niſi foret veroſimile, non ita facilè Sichimitis perſuaſiſſet, ſeptuaginta ſimul viros dominari potuiſſe. Magnum profectò concordis beneuolentiæ elogium, dum vnus purpurâ ſplendent reliqui, & cuiuſlibet faſtigium omnes pariter ſublimat. Sic *claritas* ſeu *gloria* vni conceſſa, beneuolâ concordiæ communione in omnes ſplendidè reuerberat ? Sic concors beneuolentia gloriam exaggerat ?

Hinc filiorum concordiæ, (quos Patriarchas Hebræi populi præuidebat) ſic Iacobus ſtudet, vt dum ſingulis Benedictiones parat, hanc concordiæ vocem ingeminet : *Congregamini*, vt annunciem vobis, &c. *Congregamini*, & audite filij Iacob, &c. vt ex mutua

Hic v. 1. omnium beneuolentiâ, aliquorum felicitatem reciprocet, in omnes, concordiæ arbitrio.

***

Celada de Bened. I. Patriarch.

§. CCLXXXV.

Mitior in hominem inimicus, eſt Dæmon; homo verò ſæuior & atrocior ſui hoſtis eſt.

O Quàm contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit ! Quandiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus ? Etiam ſi ſuperiores ſimus, portenta vincimus. Quid eſt cur ſuſpiciamus noſmetipſos, quia diſſimiles deterrimis ſumus? Non video quare ſibi placeat, qui robuſtior eſt valetudinario. Effugiſti vitia animi, non eſt frons ficta, nec in alienam voluntatem ſermo compoſitus, nec cor inuolutum : nec auaritia, quæ quidquid omnibus abſtulit, ſibi ipſi negat : nec luxuria, pecuniam turpiter amittens, quam turpiùs reparet : nec ambitio, quæ te ad dignitatem, niſi per indigna non ducet. Nihil adhuc conſecutus es. *Multa effugiſti : te nondum.* Qui ſe non fugit, cum domeſtico & infido hoſte periculosè luctatur. Quid eſt homini inimiciſſimum, niſi ipſe ſibi homo ? Aut ſe homo, hilaris amat ; aut mœſtus, odit ; nihil eſt tertium : & in his grande ſibi parat periculum. Suis ſe expugnat armis homo, qui ſæuior ſui hoſtis eſt, & acerbior inimicus. Nemo, præter hominem, homini nocere potenter eualet : ô caue tibi à te ! 1.

Seneca in Præfat. lib. 1. Natur. quæſt.

Periculoſam hoſtilitatem ſecum agit homo.

Matthæi 27. Iudas, Chriſti, ex diſcipulo proditor, vt omnibus ſceleſtior, ſic & infelicior extitit : quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Vbi vidit Magiſtrum ſuum, quem infidè prodiderat, iniuſtè dãnatum, proditoris conſcientiam tot Domini miracula, tot dona torquebant : Et pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens : Peccaui, tradẽs ſanguinem iuſtum. *Et proiectis argenteis in templo, receſſit : & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Ad quæ Matthæi verba, ſic ad rem præſentem ſubtili facundiâ S. Leo ſcribit : *Sed homo inconuertibilis, ſpiritus vadens & non reuertens, cordis tui ſecutus es rabiem ; & ſtante Diabolo à dextris tuis, iniquitatem, quam in ſanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorſiſti :* (penſanda ſunt attentiùs quæ ſubdit verba) *vt quia facinus tuum omnem menſuram vltionis exceſſerat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem.* Sed eſto, infidi & inconuertibilis Iudæ ſceleſtiſſimum facinus omnem menſuram vltionis excederet, cur Diabolo gehennalis carnificinæ deputato tortori, & atrociſſimo hominum hoſti, non deputatur tanti inferendi ſupplicij negotium ; cùm Iudæ adeſſe dicatur, & à dexteris eius ſtetiſſe ? Quis Diabolo in hominem inimicitior ? quis inhumaniùs ferociat in homines ? Verùm acerbiùs Iudas Iudæ traditur, & ipſe ſibi ad vltionem permittitur : & qui in proditione Domini *cordis ſui ſecutus eſt rabiem*, in ſumendâ Dominicæ proditionis pænâ, non percitum adſtantis ſibi Diaboli furorem, ſed *ſui cordis rabiem ſequatur.* Moraliſſimè pariter 2.

Matth. 27. 5.

Leo ſer. 3. de Paſſione.

Flagitium, quod ſupplicij menſuram excedit, homo contra ſe dignè caſtigat.

ac ſententioſè dictum. *Vt quia facinus ſuum omnem menſuram vltionis exceſſerat, ſe haberet impietas ſua iudicem, ſe pateretur ſua pœna carnificem.* Quid luculentius? Cùm perpetratum ſcelus omnem vindictæ excedit menſuram, homo ſibi puniendus permittitur: ô homo in te inhumaniſſimus!

3. Matthæi 1. *Phares autem genuit Eſron.* Quorum nominum etymologias ſolletter contemplatus incertus Chryſoſtomus, ita ſcribit: *Causâ, & ratione, & prouidentiâ Dei poſita ſunt hæc nomina, credimus. Nos verò quod intelligere poſſumus in nominibus ipſis, hoc loquimur.* (Hoc prooemiolo vir antiquiſſimus & eruditiſſimus præcauet, ne quis friuolum & ſuperuacaneum cenſeat, nominum in Biblijs ſcriptorum etymologias curioſiùs veſtigare) *Eſron enim ſicut Hebræorum nominum interpretes dicunt, interpretatur, Iaculum videns. Iacula autem ſunt inimici, omnes paſſiones carnales, quas intrinſecus Diabolus iaculatur in animam.* Videlicet vir bonus & pius, dignuſque qui inter Chriſti Dei progenitores honoris causâ cenſeatur, *Eſron*, nominatur, id eſt, *videns iaculum* inimici, nempe paſſiones humanas, vt attentè exſomnis inuigilet, ne quà imparatus inueniatur. Nam vigil hoſtis ſolletter rimatur noſtræ ruinæ occaſiones, vt ſubruat negligentes. Sed aduerte ad præſentem theſim, *Paſſiones* nobis agnatas, vt puta igniculum libidinis, & ſuperbiæ, & diuitiarum libidinem, &c. dici mali Dæmonis iacula. Quod in nobis medullitùs à naturâ hæret, dicitur *iaculum* inimici, quod præuideri, & præcauere neceſſe eſt? *Paſſiones* noſtras de ſuâ pharetrâ in nos *iaculatur* humani generis infeſtior hoſtis? ô arcanè ſæua Diabolorum tentamenta! *Paſſiones* nobis innatæ ſunt Dæmonis ſpicula? Sic noſtras paſſiones in malum inſtigat, & aduersùs nos armat, vt ſopitæ & inermes videantur, niſi Cacodæmonis afflatu armentur? An potiùs ſic in hominem imbecillus eſt Dæmon; & ſic homo eſt potens & ſæuus ſui hoſtis, vt tota Diaboli potentia & malitia, in inferni pharetrâ, nullum acerbius & perniciosius inueniat aduerſus hominem telum, quàm cognatas eius paſſiones, quæ illi à naturâ animitùs inſunt? (Quod hîc in Rubeno cernere licet, qui inſanâ carnis paſſione de inferno vſtulatus, & Patrem inceſtauit, & ſe cum totâ tribu miſerè profligauit, ipſeque ſui pœna fuit) *Iacula autem ſunt inimici, omnes paſſiones carnales, quas intrinſecùs Diabolus iaculatur in animam.* Per ipſum hominem Diabolus in hominem deſæuit? Infirmus & inermis eſt Dæmon, niſi potentiam ſuam humanis affectibus armet? ô time tibi à te! Perduellionis reus vinci ſatagit, quiſquis inermi hoſti arma ſua porrigit. Gloriæ ſuæ inuidet, qui ſe exarmet, vt armet inimicum: ô homo, eſto victoriæ tuæ arbiter: ſi tu non tibi inferas vulnus, inimicos omnes peruiciſti. Quis ſibi nocet, vt inimico auxilietur? ô peruerſam in infernalem hoſtem beneficentiã, æternaturo ſupplicio nunquam luendam.

Matth.1.v.3. Imperfect. homil.1.in Matth.

Malus Dæmõ paſſione noſtra in nos iaculatur.

Hîc v.3.

§. CCLXXXVI.

Minacia verba euaporant furorem, taciturnitas in homine offenſo, ſæpè crudelitatis fomes & augurium eſt.

IOANNES de cælo inſtinctus, his verbis ſuum auſpicatur Euãgelium, quo Verbi diuinitatem adſtruat: *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Poſtmodum autem addit: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Ter dixit *Verbum*, & aliis tunc omiſſis diuini Verbi attributis, ſtatim eius pandit omnipotentiam. Nec ſemel eam publicaſſe contentus, omnipotentiam ingeminat. Sic verba apud homines imbecilla putantur, vt vbi primùm Verbi diuini mentionem Euangeliſta facit, ſtatim illud ab inuidiâ imbecillitatis vindicet, eius ſtatim omnipotentiam explicatiùs ediſſerens? Huius rei luculentus adteſtator adeſt Sapiens, qui his verbis Euangeliſtæ concinit: *Cum autem, ait, quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus, durus debellator proſiliuit.* Ecce tibi, vbi Dei Sermonem inducit, confeſtim addit *omnipotentiæ* elogium, & *durum debellatorem* in rerum ſilentio nominat, quaſi præproperâ apologiâ illum vindicans ab infirmitate, cuius apud homines, ſermo ſuſpectus eſt. Nempe Dei ſermo, omnipotens appellatur, & in rerum ſilentio dicitur bellator durus, (Loquitur anthropopathõs) quaſi de ſilentio vigorem mutuaret. Sic verba apud homines, putantur infirma? 1.

Ioan.1.v.1. & 3.

Vbi primùm nominatur Verbum diuinum, ſtatim omnipotens dicitur: & quare.

Sapient.18. v.14 & 15.

2. Regum 13. Amnon Dauidis filius, ſalaciſſimè & impudentiſſimè Thamarem fratris ſui Abſalomi ſororem conſtuprat; & recèns conſtupratam à domo ſuâ impudentiùs expellit. Quæ ſpargens cinerem capiti ſuo, ſciſsâ talari tunicâ, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuũ, ibat ingrediens, & clamans. Dixit autem ei Abſalom frater ſuus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? *ſed nunc ſoror tace*, frater tuus eſt, neque affligas cor tuum pro hâc re. *Porrò non eſt locutus Abſalom ad Amnon nec malum nec bonum: oderat enim Abſalom Amnon, eò quòd violaſſet Thamar ſororem ſuam.* Tãdem Abſalom opportunitatem nactus, atrociter Amnonem trucidat. Statim rumor increbruit, omnes Regis filios ab Abſalomo occiſos, Dauid autem nuncij famâ attonitus, ſcidit veſtimenta ſua mœrore confectus: & Aminadab ſic loquitur ad Dauidem: *Ne æſtimet Dominus meus rex, quòd omnes pueri filij regis occiſi ſunt: Amnon ſolus mortuus eſt, quoniam in ore Abſalom erat poſitus ex die quâ oppreſſit Thamar ſororem eius.* Profectò hæc ratio Aminadabi, nec ſibi conſtat, nec cum re ſatis cohæret. Quid eſt, quòd Amnon ex quo tempore atrociſſimâ iniuriâ ſimul cum Thamare Abſalomum dehoneſtauit, offenſor Amnon *in ore Abſalom erat poſitus?* 2.

2 Reg.13. v.32.

Muta patientia, crudelitatis fomes & indicium aliquãdo eſt.

poſitus? Imò ſilentium ſibi, & ſorori ſollerter indixit. Thamari nuper dixerat, *Tace:* & ipſe, *Non eſt locutus ad Amnon nec malum nec bonum;* & tamen Amnon in ore Abſalomi poſitus dicitur? Dixiſſet veriùs: In ſilentio Abſalomi & Thamaris erat poſitus Amnon, ex quo tempore Thamarē impudenter violauit. Quidam codices habent: *In odio Abſalom erat poſitus.* Lxx. interpretes: *In irâ erat ei Abſalom.* Chaldæus paraphraſtes ad rem propiùs accedit: *In corde Abſalom erat inſidiatio.* Vatablus verò: *Ad præceptum enim Abſalom conſtitutum fuit; ab eo die quo Amnon oppreſſit Thamar ſororem eius.* Scilicet Abſalom acerbiſſimè ob ſororis ſtuprum offenſus, dum intra cordis latebras concluſit offenſam, nec ab ore vel leue offenſionis effluxit verbulum, velut præcepto adigebatur ad Amnonis cædem. Quaſi dicat Aminadab: cùm attentiùs aduerti, quòd Amnon *in ore Abſalom erat poſitus*, & neque bonum neque malum loquebatur de ſtupro, vt ſæuis minis euaporaret offenſionem, actum eſſe de vitâ Amnonis feriò exiſtimaui: ô vtinam de vindictâ arroganter garriret, & grandiloquentiâ atrocia quæque ſpirante, de re ageret, proculdubio cum minacibus verbis euomuiſſet offenſam. At dum in ore erat, nec leue verbum extra os effluxit, malum ſæuitiæ omen captaui. *Viendoſe tan agrauiado Abſalom, ni vna palabra de ſentimiento le ſalio jamas de la boca deſcuidadamente.* Hoc eſt, *In ore Abſalom erat poſitus.* Silentium furorem nutriebat, patientia impatientiam fouebat, taciturnitas præceptum crudelitatis ferebat, & ſæuę vltionis augurium. Garrulæ minæ hominem exarmant, & elumbant: ô caue ab iniuriæ vindictâ, quam ſimulata patientia, & muta diu taciturnitas clanculùm obarmauit!

3. Iſaiæ 42. ſuſtinendo velut defeſſus, ſic tandem Deus ad Hebræos durè loquitur: Dominus ſicut vir fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum ſuum: vociferabitur & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur. *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar: diſſipabo & abſorbebo ſimul.* Scilicet cùm ſeuerioris iuſtitię rigores oſtentat Deus, priùs ſe diu tacuiſſe muto ſilentio, diu indefeſsâ patientiâ (quâ ſibi detrahere videbatur) intolerandas iniurias ſuſtinuiſſe obtendit: quaſi taciturnitas ſit rigoris nutrimentum, & diuturna patientia furoris conceptaculum, & iuſtæ vindictæ fomes. Vnde quia perdiu tacuit velut elinguis, & patiens fuit velut inſenſilis, ſtatim ſubdit: *Sicut parturiens loquar. Quaſi dicat,* (inquit pulchrè Lyranus) *non poſſum, nec debeo vltrà continere me à punitione eorum.* Quid eſt, non poſſum vltrà continere me? Deuſne is eſt, qui cogi poſſit? Deo adimitur ignoſcendi potentia, toto infinitæ miſericordiæ velut impetu ad parcendum propenſa? Sic fouet iras ſilentium? ſic diuturna patientia furorem obarmat? ô pulchram hyperbolen! Humanus furor in verbis deferueſcit & languet. Time à mutâ diu patientiâ. Vnde hic Iacobus qui longâ taciturnitate, & longanimi patientiâ tot annos Rubeni offenſam diſſimulauit: nunc morti proximus, ſeueriùs illi maledicit, ob paternum torum impiè violatum: quaſi muta patientia fuerit irarum officina, & rigorum artifex. Quod ex §. ſequenti magis illuſtrabitur.

Iſaiæ 42. 14.

Deus cùm diu tacuit offenſus, non poteſt non ſeueriùs punire?

Lyranus ibi.

Hic v. 4.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

§. CCLXXXVII.

Diuturnior patientia exaſperata, in acerbiores excandeſcit iras.

VIRVM bonum concedas neceſſe eſt, ſummæ patientiæ in aduerſis eſſe. Itaque quidquid illi acciderit, æquo animo ſuſtinet, ſciens id accidiſſe diuinâ lege, quâ vniuerſa procedunt. Vnde aduerſarum impetus rerum, viri fortis non vertit animum. Manet in ſtatu, & quicquid aduerſi euenit, maſculâ fortitudine eludit: eſt enim omnibus externis potentior. Neque hoc dico, non ſentit illa, ſed vincit, & alioquin quietus placidusque contra incurrentia attollitur. Omnia aduerſa exercitationes putat, & ad honeſta erectus, non eſt modò laboris patiens, ſed etiam appetens; & patientiâ obduratus, contra obuiantia quæque velut inſenſilis flecti-neſcius perſtat. Verùm caue tibi à Patientiâ iratâ: aliquando enim diuturnitate patiendi velut ratione ſic validè armatur, vt fortiſſima quæque exarmet, quaſi tranquilla diu patientia impotentis iracundiæ foret nutrimentum. *Nam qui ſuopte ingenio pacem amant, bellicoſi debent eſſe in ſtatione collocati contra infeſtantes quietem,* ait Philo. Pacificus enim in iuſtas iras exaſperatus, bellicoſus eſt, & pugnaciſſimus, quaſi anteacta patientia foret iracundiæ conceptaculum. *Es muy de temer la ira de quien rara vez ſe enoja.* 1.

Qui miti ſunt ingenio, pugnaciſſimi ſunt.

Philo de Cõfuſ. ling.

Matthæi 1. *Salomon autem genuit Roboam.* Strabus Fuldenſis horum nominum moraliſſimas etymologias diligentiùs ſcrutans, ita ſcribit: *Chriſtus eſt Salomon, id eſt, pacificus: quia eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Ipſe eſt Roboam; id eſt, impetus.* Puto, hominem pacificum ab impetu & furore extraneum eſſe. Nam pacificus, quietus & placidus eſt, neque à iuſtâ offensâ inquietatur ad iram, aut exaſperatur ad vindictam; ſed patiendi aſſuetus, æquanimiter ſtat inconcuſſus aduerſus aliorum minaces iras, & excitas offenſas. Verùm enimuerò diuturna & pacata manſuetudo acriores iras concipit: nam muta patientia, diu iniuſtè vexata & laceſſita, conceptaculum eſt acrioris iracundiæ, quæ aliquando erumpit in *impetum.* Caue tibi à leniori quorundam patientia diu irritatâ, quæ matrix eſſe ſolet impatientiæ & furoris in homine; in Deo autem iræ theſaurus dicitur, & grauioris vindictæ fomes, qui à Strabo *impetus* nominatur: non quia cæcè & temerariè furit, ſed quia humani furoris impetum æmulatur acerbitate ſupplicij. Scilicet ipſa manſuetudo diuturna velut in iracundiam recuditur, & patientia in furorem, & manſuetudo in impetum. Ecquis mortalium, Dei immortales velut impetus ferat, cùm eius laceſſita patientia erumpit in iras? Ecce tibi pacatam & placidam perdiu manſuetudinem, arcanâ metamorphoſi in impetum refingi. Eſt 2.

Matt. 1. v. 7.

Strab. ibi.

Chriſtus eſt Salomõ, id eſt, pacificus: & eſt Roboam, id eſt, impetus?

itaque furor lenioris tolerantiæ affinis, & diuturnæ patientiæ ſoboles: *Chriſtus eſt Salomon, id eſt, pacificus. Ipſe eſt Roboam, id eſt, impetus*: ô Chriſte quomodo tuam placidam lenitatem, & diuturnam patientiam feram? Hîc ſeca, hîc vre, vt in æternùm parcas. Breuis nunc ira, æternam ſpondet benignitatem: ô beatas Iuſtorum calamitates!

3. Iſaiæ 42. Dominus, inquit, ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur. Et vnde tantus mitiſſimi Dei

Iſaiæ 42. 14.

Dei muta patiẽtia eius benignitati contumelioſa eſt.

noſtri furor? *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar: diſſipabo, & abſorbebo ſimul, &c.* An non tantus acerbioris vindictæ furor in bono Deo peregrinatur? Quid diuinas ſic accendit iras, mitiſſimo Deo peregrinas, quibus generoſæ benignitatis elogium tantiſper apud homines deuenuſtatur? Diuturna patientia dicitur à Prophetâ iracundiæ acerbioris conceptaculum. Venuſtè Sanctus Cyprianus:

Cypr. de Patient.

Qualis verò Deo, & quanta patientia, in contumeliam ſua maieſtatis & honoris. Duplex eſſe poteſt horum verborum ſenſus. Aut quia perdiu ſuſtinendo hominum enormiora flagitia, *Incurioſus à quibuſdam, & quaſi negligens humanorum actuum Deus diceretur*, vt cenſet Saluianus, & quidem, vt opinor, genuinè.

Saluian l. de Gubern.

Aut quia diuturna Dei benignitas, poſtquam *tacuit ſemper, ſiluit, & patiens fuit*, tandem *ſicut parturiens loquitur: diſſipans, & abſorbens ſimul.* Scilicet quemadmodum muta Dei patientia, quaſi incurioſa & negligens humanorum actuũ à quibuſdam habetur; & inde eius prouidentia ſibi velut contumelioſa videtur: ita dum diuturnior patientia acerbiſſimas & Deo quodammodò peregrinas nutrit iras, & ad terribiliorem vindictam accendit, diuinæ videtur clementiæ detrahere: *Qualis Deo, & quanta patientia in contumeliam ſua maieſtatis & honoris.* Ac ſi patiendi diuturnius clanculùm lenocinaretur furori, & acerbiora ſubornaret ſupplicia, in diuinæ benignitatis contumeliam. Tantusne eſt furor, quem prolixior patientia excitat, vt Dei bonitati detrahere, & diuinæ clementię contumelioſus quodammodò videatur?

ad Rom. 2. 5.

Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei: ô caue tibi à diuturniori Dei patientiâ!

4. Dauid olim in omnes mitiſſimus, in infenſiores ſibi aduerſarios in paucis placidus & beneficus; ob malè acceptos legatos ab Ammonitis, congregauit omnem populum, & profectus eſt aduerſum Rabbath, Ammonitarum metropolim & præſidium: cumque dimicaſſet, cepit eam. Et tulit diadema regis eorum de capite eius. Sed & prædam ciuitatis aſportauit multam valdè. Benè eſt; inimicam vrbem expugnet, & diripiat Dauid. Sed nota quod ſacer hiſtoricus ſubdit: *Populum quo-*

2 Reg. 12. 31.

Dauidis manſuetudo atrociores alit iras.

que eius adducens ſerrauit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diuiſitque cultris, & traxit in typo laterum: ſic fecit vniuerſis ciuitatibus filiorum Ammon: & reuerſus eſt Dauid, & omnis exercitus in Ieruſalem. Eſtne victoria, an lanienа? Neminem occidi, niſi armatum, aiebat Cæſar, orbe armis ſubiugato; & Dauid religioſus rex, & veri Dei cultor egregius, ſic in gentem deuictam & inermem ſæuit? Vatablus ita hanc carnificinam exponit: *Populum quoque eius ſerrauit, id eſt, ferris ſecuit. Et circumegit ſuper eos ferrata carpenta, id eſt, tribulis ſiue trahis, quæ ab equis trahebantur, proterendos curauit. Et traxit in typo laterum, id eſt, in tegulariam ſiue laterariam.*

Vatabl. in Notis n. 38. & 39.

Quid quæſo, acerbius vel in Martyres à barbaris tyrannis excogitatum eſt? Sed illi tyrannidis priuilegio, hic iure belli. Duriſſimè tamen, & præter victorum morem. Hîcne ille Dauid placido ingenio conſpicuus, & vel in inimicos mitate inclytus? Hîcne ille qui ve meritum auertat ſupplicium, apud Deum ſuam

Pſal. 131. v. 1.

in primis clementiam allegat? *Memento, inquit, Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Imò inde putauerim, iras eius nutriti: *Tacuit ſemper, ſiluit, patiens fuit; quaſi parturiens loquitur, diſſipat, & abſorbet ſimul.* Diuturna enim patientia, & diu placida manſuetudo, ſi aliquando exaſperari contingat, viuaciùs excandeſcit, & acerbiùs in offenſorem debacchatur. Diu quieta & placida, feruentiùs æſtuat, quaſi manſuetudo furorem concipiat, iras nutriat, & rigores incrementet: ô time exaſperare patientiam!

Clemẽs Roman. l. 2. Recogn.

Miror admodum Dei patientiam, vt è contrario in nonnullis humanæ temeritatis audaciam, aiebat S. Petrus apud Clementem. Sed ſubito ſupplicio diuturnitatem patientiæ affatim compenſat, & ſuam patientiam ab illata vindicat contumeliâ.

---

§ CCLXXXVIII.

Conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro proprias offenſas velut ignorare videtur.

GRAVIVS nocet quodcumque inexpectatum accidit; nec citò perit ruinâ, qui ruinam timet. Aſt malè geritur, quicquid geritur timoris fide: nam dum lædi quis timet, lædi poſſe docet, & qua poſſit lædi, palam oſtendit. Virum fortem non latent timendi cauſæ; ſed quaſi eas ignoraret, diſſimulat, inſcitiâ ſapienti, ne grauius vulnerari, aut dehoneſtari ſe poſſe prodat; neve flagitioſioris aduerſus ſe malitiæ ſe conſcium publicet, magno auctoritatis ſuę impendio. Quaſi con cius, cautè præcauet; quaſi inſcius, prudenter diſſimulat: qui eſt magnanimæ auctoritatis faſtus, viris principibus cognatus, & tuendæ auctoritati ſæpè neceſſarius. 1.

Ioannis 18. proditor Iudas cùm accepiſſet cohortem, & à Principibus, & Phariſæis miniſtros, venit illùc cum laternis, & facibus, & armis. 2.

Ioan. 18. v. 4.

Quare Chriſtus quaſi ignorare videtur Iudæ proditoris offenſam?

Ieſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? Non benè videntur cohærere Euangeliſtæ verba. Porrò ſi Ieſus præſciebat omnia, quæ illâ nocte ventura erant ſuper eum, ergo perſpicuè nouerat, ſe quæri à Diſcipulo proditore, totius cohortis duce: quid ergo quaſi inſcius interrogat, quod ſcius prænoſcit? Igitur aut neſcit omnia, qui aliqua velut ignarus interrogat, aut fruſtrà interrogat, qui quod interrogat,

rogat, noſcit. Planè vtrumque ex alterutro redargui poteſt. Vidit hoc dubium Rupertus,

Rupert.ib.d. quâ pollebat ingenij ſagacitate, & ita ſubtiliter philoſophatur, ad illa verba: *Quem quæritis? Non dicit: Ecce ego, quia me quæritis: ſed, Quem quæritis, inquit; quia re verà talem perſecutionis modum veritas neſcit, ſalus ignorat, lux, & vita refugit.* O conſultiſſimam Chriſti Dei velut ignorationem! Probè *Scit Chriſtus omnia quæ ventura erant ſuper eum.* Quid ignoraret homo Deus, qui ad id in mundum venerat? quid id toties per Prophetas prædixerat? Verum enimuerò tanta eſt, tamque ſceleſtè ſacrilega aduerſus ſe, nefaria Diſcipuli proditoris nequitia, & ſui populi flagitioſior hoſtilitas, vt quaſi inſciùs arcanâ velut ignoratione, illam prudentiſſimè diſſimulet: *quia talem perſecutionis modum Veritas neſcit.* Quid illuſtrius? *Bien lo ſabe el que lo ſabe todo; pero no ſe quiere dar por entendido, de que la maldad de vn Diſcipulo, tan deſuergonçadamente ſe le atreue.* Ad Chriſti Dei perſonam ſpectat, omnia ſcire; ſed ad eius auctoritatem & decorum attinet, flagitioſioris contra ſe contumeliæ, ſapienti velut ignoratione diſſimulare notitiam; quò viros principes, & à naturâ, vel ab officio magnanimos, de prudentiæ gymnaſio moraliſſimè edoceat hanc nouam, & de cælo allatam politiam. Multa ex his quæ probè noſcis, conſultiſſimè ignoranda ſunt, ac ſi à te prorsùs neſcirentur. O ſapientiſſimam rei cognitæ ignorationem!

3. Matthæi 21. Homo erat paterfamiliàs, qui plantauit vineam; & locauit eam agricolis. Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt

Matth.21. v.37. acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter. *Nouiſſime autem miſit ad eos filium ſuum dicens: Verebuntur fortè filium meum.* (Sic legunt antiqua Biblia, & ex Patribus non pauci.) Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe: Hic eſt heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. *Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Vocula illa *fortè*, quæ ambigentis nota eſt, non leue negotium interpretibus faceſſit. Quod, vt alios intermittam, egregiè

Cur velut ambigere in iniurioſum eſt. tra ſe ſcelus, Deus dicatur.

S.Hieron. ibi. notauit Hieronymus, ita ſcribens: *Quod autem dicit: Verebuntur fortè filium meum, non de ignorantiâ venit. Quid enim neſciat paterfamilias, qui hoc loco Deus intelligitur?* At ſi id non ignorat hic paterfamilias, quia Deus eſt; quare ambigere videtur, aiens: *Verebuntur fortè filium meum?* Tempeſtiuè Chryſoſto-

S.Chryſoſt. homil.69. in Matth. mus: *Vel hoc dicit annuncians quid fieri debebat: quoniam oportebat eos verecundari. Per hoc enim vult oſtendere peccatum eorum magnum, & omni excuſatione priuatum.* Nempe verbo, quo ſe velut ambigere repræſentat, vtitur Deus, vt eiuſmodi quaſi ignoratione *oſtendat peccatum eorum magnum, & omni excuſatione priuatum: quia talem perſecutionis modum Veritas neſcit.* Hæc velut ignoratio Dei, quæ illius ſcientiam deuenuſtare videtur, pro ipſius decoro additur, & illius auguſtam auctoritatem idoneè venuſtat, dum impudentiſſimum aduerſus ſe ſcelus, & auſus temerarios diſſimulat velut ignoratione conſultiſſimâ, quâ nefariæ hoſtilitatis audaciam, & nequitiæ inſolentiam cumulatius exaggerat, & inexcuſabilem reddit. *No ſe quiere dar por entendido de tan enorme deſacato.* Ergo conſultiſſimè pariter ac moraliſſimè Deus ait: *Verebuntur fortè filium meum*; quem ſcit ab eis impudenti temeritate atrociter perimendum. Scilicet qui velut ignorat offenſam dum patratur, eandem præſciuiſſe oſtendit, dum ſeuerius punit.

Vnde Iacobus, qui filij inceſtum, dum pa- Hic v. 4.
tratum eſt, muto ſilentio diſſimulauit ſuprà cap. 35. verſ. 22. dum hîc verſ. 4. illud acerbiùs punit; non iam, vt olim diſſimulat, ſed palam manifeſtat, ad ſupplicij defenſionem. Sed Rubeni libidinem perſtringamus.

---

§. CCLXXXIX.

Agreſtis luxuria, homines aut exleges inuenit, aut facit.

INTER reliqua laſciuiæ mala, 1.
illud in primis famoſum eius *Agreſtis luxuria exleges facit.*
elogium eſt, quòd homines faciat inſolentes, crudos, agreſtes, refractarios, barbaricos; quaſi homines laſciuientes, ab hominum humanitate degeneres, beluinam aſſumant naturam, & ferinos, exlegeſque mores iugum excutientes aſciſcant. Sic hominis natura *agre-* Chryſol.
ſti luxuriâ dominante ſylueſcit! Annon hæc ſerm. 152.
ſolemnis illa Ieremiæ querela? *A ſeculo con-* Ierem. 2. 20.
fregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſeruiam. Vndenam legis impatiens redditur Dei populus? Statim ſubdit Propheta: *In omni enim colle ſublimi, & in omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix.* Quaſi laſciuia ſit Idololatriæ appendix, aut Idololatria laſciuiæ ſequela, aut Idololatria & laſciuia ſint ſynonyma; & huic agnatum legis iugum confringere, & rumpere præceptionum vincula.

Exodi 19. iubetur Iſraëliticus populus præ- 2.
parari ad leges Dei ore excipiendas. Et ait Exod. 19. 15.
Moyſes ad eos: *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris.* Iamque aderat tertius dies: & ecce cœperunt audiri tonitrua, &c. cùm Deus aderat electi populi legiſlator. Quod Hebræus Philo his verbis Philo l. de
eleganter deſcribit: *Interea (vt par erat in* Decalogo.
præſentiâ Numinis, omnia perſtrepebant prodigioſis tonitribus aures obtundentibus, coruſcabant fulguribus micantiſſimis, ſonus tubæ inuiſibilis è longinquo exaudiebatur è nube, quæ inſtar columnæ innixa terræ è baſi tendebat ad æthercam celſitudinem, cæleſtis ignis impetu profundâ caligine fumi offuſcante circumuicinum aerem. Oportebat enim ad Dei aduentum turbari mundum omnibus ſui partibus, & exciri ad miniſterium.

Dei populus à mulieribus purus, legem accipere iubetur.

Benè eſt, dum adeſt Deus leges laturus, exanimales mundi partes commoueantur, & obedientiæ exemplo hominibus præeant, imò & tot è cælo terroribus, timor incutiatur, qui obſequium extorqueat.

Sed addit ad rem Philo: *Adſtabat autem populus purus à mulieribus, & omnibus voluptatibus abſtinens.* Scilicet Hebræus populus leges accepturus, non ſolùm præſentis Numinis terrore expalleſcat, & inſenſilis creaturæ obſequio erudiatur; ſed *adſtet populus purus à mulieribus, & omnibus voluptatibus abſtinens*, vt leges excipiat: ne *agreſti luxuriâ dominante*, diuinas præceptiones refractarius refutet. Sic laſciuia aut exleges inuenit homines, aut facit? Sic eſt libidini agnatum, confringere legis iugum, præceptorum rumpere vincula, & obſequij ſeruitutem dedignari! ô; agnoſce libidinis ingenium!

Matth. 17. v. 2. 3. & 5. Elias, quia eximiè caſtus, adeſt Chriſto, cum in Tabore Legiſlator publicatur.

3\. Matthæi 17. ad Taboris verticem aſcendit Ieſus, & cum eo Petrus, Iacobus & Ioannes: *Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.... Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.* Quare tot ſanctiſſimis Patriarchis & Prophetis omiſſis, Moyſes & Elias tantùm ad cæleſtis gloriæ ſpectaculum aduocantur? Profectò *ipſum audite*, idem ſonat, ac ipſi obedite, iuxta conſuetam Scripturæ phraſim. Vnde ſapienter

Mald. inibi.

P. Ioannes Maldonatus, ſic ait: *Ipſum audite. Conſtituis, aut eſſe indicas Chriſtum Legiſlatorem, cui obediendum ſit.* Accitur ergo Moyſes, vt agnoſcat nouum nouæ legis Legiſlatorem, & veterem ſuam legem abrogatam intelligat, vt inibi aduertit Maldonatus. Aſt quam ob cauſam adeſt Elias nouo legis è cælo Legiſlatori Chriſto? Eleganter de more Ambroſius:

Ambr. l. 1. de Virgine.

Elias nullius corporei coitus fuiſſe permixtus cupiditatibus inuenitur. Ideò ergo curru raptus in cælum, ideò cum Domino apparet in gloria. Nempe cùm in gloria Taboris, glorioſus adeſt Chriſtus Euangelij Legiſlator, dicente Numine, *Ipſum audite*; adſit Elias caſtimoniæ merito, & puritatis prærogatiuâ, quo futuram exprompiam Fidelium obedientiam inſinuet: Elias inquam, qui futurus erat ſerus Euangelicæ legis præco. Vt quemadmodum Hebræus populus *purus à mulieribus*, Legiſlatori Deo adeſt, legem veterem promulganti: Sic Elias, qui *nullius corporei coitus fuiſſe permixtus cupiditatibus inuenitur, ideò cum Domino appareat in gloria*, quando cælo plaudente, Chriſtus nouæ legis conſtituitur Legiſlator. Scilicet adſtante Eliâ, laude caſtitatis idoneo auditore, dedicatur Euãgelij lex, & vetere abrogatâ lege, Chriſtus Deus orbis Legiſlator glorioſiſſimè publicatur. Idoneè ergo dum è nube vox cæli intonat: *Ipſum audite*, id eſt, ipſe exinceps erit nouus orbis Legiſlator; aduocetur Moyſes, quò ſuam legem abrogatam ediſcat; ne Hebræus populus Moſaicam legem vltrà in cælum iactet: adſit etiam Elias, à mulieribus purus, & caſtimoniæ laude prælustris, vt feliciſſimo obſequij auſpicio Chriſtus Deus nouæ legis renuncietur feliciſſimus legiſlator.

***

§. CCXC.

Qui hominis libidinem pandit, omnia quæ in tota vitâ ſuâ fecit, ſimul manifeſtat?

DEs occupatiſſima luxuria eſt, vix vnquam deſinit quod voluit velle. Luxurioſus certè id agit ſenex, eadem velle, quæ puer voluit. In hoc vnum eunt dies, in hoc noctes, hoc opus illius eſt, hæc cogitatio, hoc ſtudium. Id agit, vt illi inſtar totius vitæ, ſit vnus dies, & inſtar vnius diei ſit tota vita. Sicut virtutis munditia caret tempore, (quod alias vberiùs expendimus) ita huius vitij immunditia omne implet tempus. Sic malè dulcibus Veneris illecebris totus impletur homo, totum occupatur tempus, totum impenditur vitæ ſtudium! 1.

Libido totum hominis ſtudium ſorbet.

Ioannis 4. ſub Samaritide ſitit Chriſtus Deus, potiùs æſtuans præ charitatis feruore, quàm præ Solis ardore. Mulier malè putida, & bene garrula, prolixos miſcet cum Chriſto ſermones. Inter loquendum dixit illi Ieſus, ſe cum quinque viris ſcortatam. Illa ex ſecreti notione Chriſtum prophetam agnoſcit, in illum pia credit, & ſe illi vltrò credidit totam. E ſcorto derepente Apoſtola, in vrbem properat, & conciuibus ſic Chriſtum Euangelizat: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci, numquid ipſe eſt Chriſtus?* ô nuper meretricis inſolentiam! mendacio veritatem prædicat Samaritana. Nam vt ſubtiliter aduertit P. Ioannes Maldonatus, cuius ſagax ingenium nil animaduerſione dignum omittit innotatum: *Non dixit illi omnino omnia, quæ toto tempore vitæ ſuæ fecerat; ſed dixerat quæ præcipua erant, quæque maximè erant occulta, & mulierem poterant commouere.* Verùm enimuerò cui verè dicitur diu fuiſſe inhoneſtam, verè & illa, etiam inter Euangelizandum, dicere potuit, Chriſtum *dixiſſe illi omnia quæcunque fecit.* Quaſi qui diu libidini indulſit, nihil omnino aliud in totâ ſuâ vitâ fecerit, quàm ſcortationi vacare. Sic ſtudia occupat diu experta Veneris voluptas? Sic ſemel guſtata dulcis illecebra luxuriæ, tota implet vitæ ſpatia? Nihil hominis ad alta hominis miniſteria libido relinquit? Sic humanas potentias ſorbet laſciuia? Profectò qui Samaritanam libidinis inſimulauit, verè *dixit illi omnia quæcumque fecit.* Nec Euangelium dedecet, vt hæc veritas moraliter duntaxat explorata, inter indubias Euangelicæ prædicationis veritates, ab hac muliere miſceatur. Sic eſt libido voluptatis tenax, obſtinata in deliciis, in illecebris pertinax? Sic eſt occupatiſſimum carnis otium aut negotium, vt nec ipſos ſpirituales cogitatus, & diuerſiſſimas humanæ vitæ occupationes abſtrahat à carnis collegio? ô inſanas libidinis præſtigias! 2.

Qui homini libidinem inſimulat, omnia quæ in totâ vitâ fecit, prophetat, an pandit?

Ioan. 4. 29.

P. Mald. ibi.

Ioannis 8. Scribæ & Phariſæi bono (ſi Deo placet) legis zelo, mulierem in adulterio deprehenſam adducunt ad Ieſum; & quaſi animo addiſcendi, dolum malum captioſè tegentes, 3.

genteſ, propudioſi reatus arbitrum conſtituunt. Chriſtus verò quâ vigebat ſapientiâ, inclinans ſe deorſum, neſcio quos characteres in terrâ deſcripſit. Et cùm accuſatores adhuc interrogando perſeuerarent, Erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in

Ioan. 8. 8.

illam lapidem mittat. *Et iterum ſe inclinans, ſcribebat in terrâ.* Valde ambiguum eſt, quidnam in terræ puluere Chriſtus Deus ſcripſerit in hâc ſecundâ ſcriptione. Et quidem tam nouus reſpondendi modus ſacramento non vacat. Quid eſt, quòd Chriſti Dei digitus in terræ puluere ſcribit? Semel olim Dei digitus ſcripſiſſe legitur, ſed in ſaxeis opinor tabulis, ad ſcripturæ perennitatem. Nil vnquam Chriſtus ſcripſiſſe perhibetur, & primam, atque vnicam, quam legimus ſcriptionem, in vago & inſtabili puluere dedicauit? Tentemus legere quæ ſcripſit verba, ſi fortè inde augurari poſſimus, cur in puluere Chriſtus ſcripſerit.

In ipsâ libidinis pœnitentiâ leguntur relapſionis notæ!

Hugo ibi.

Hugo Carenſis, qua pollebat eruditione, multa hîc perſtringit, & tandem ipſe ſubdit: *Dicunt alij, quod ſecundo ſcripſit pœnitentiam mulieris*, mulieris inquam, adulteræ. Vide mihi ſacramentum in puluere ſcribendi. Scilicet in vago puluere ſcribitur à Chriſto inhoneſtæ feminæ pœnitentia. O nouam, & infauſtam chartam, & de facili abolitione ſuſpectam! Papyrus, in quâ adulteræ pœnitentia exaratur, nimis idoneè puluis eſt, quò arcanè relapſus prophetatur. Vel obuium prætereuntium veſtigium obliterabit pœnitentiam adulteræ, vel leuis aura nimis mobilem puluiſculum confundet. Profectò reliquorum delinquentium pœnitentia, magno Angelorum plauſu, deſcribi ſolet in cœlo; & Adulteræ, & leuiculæ mulieris non tantùm in terrâ, ſed in terrulæ deſcribitur puluere? ô infauſtum abolitionis omen! ô tacitè linguatam relabendi prophetiam! Tam citò ſus luculenta redibit ad vomitum? Quæ diu libidini indulſit, tam breui vitæ momento ſcortari deſinet, exinceps ad luxum reditura? Sic libidinis ſemel guſtata illecebra, tota vitæ occupat ſpatia, vt vel in ipsâ pœnitentiâ relapſionis leguntur notæ?

---

§. CCXCI.

Laſciuia acerbè etiam patitur in nomine ſupplicium, quod meretur in re.

1. NOMEN eſt vel rei mutæ linguata quædam vox, & arguta deſcriptio ipſi naturæ ſonorè inſculpta, quæ occultas proprietates præclarè buccinat: compendiatum quoddam ſigillum, ſiue arcanus character altè naturæ impreſſus, ſeu altera ipſa vocalis natura. *Omne quod vocauit Adam, ipſum eſt Nomen eius.* Ad quæ Geneſeos verba pulchrè Baſilius: *Non potuit vel ipſa trangreſſio Nomina labefactare, neque legis violatio appellationes alienare.* Sic vocabuli characteres rebus medullitus hærent impreſſi, vt nec bibula primordialis delicti luuies, nec exundans Noëticæ eluuionis naufragium, diluere potuerit cognatas rebus appellationes. Verùm tametſi diuinior prouidentia ob aliqua hominum delicta rerum Nomina non alienauerit, tamen propter enormiſſima quædam flagitia, ipſis rebus impreſſit tacitum reatus vocabulum, quaſi ſpirantem columnam, facinoris Nomine inſculptam; reatum rei in nomine contumelioſius caſtigans, immortali appellationis iniuriâ; & inſenſili vocabulo, nimis ſenſilem probroſi vocabuli naturam multans. O quàm eſt delicata & tenera hominum natura ad Nominis vulnera! An ſæpè mallet Nominis cadauer, quàm vel leue in Nomine vulnus?

Geneſ. 2. 19.
Seleuc.
Orat. 2.
Primordiale delictum non ualuit delere, aut alienare rerum Nomina.

2. Geneſeos 14. Quatuor potentiſſimi Aſſyriæ & Perſidis Dynaſtæ, contra ſibi rebelles Pentapolis reges armantur, nempe contra regem Sodomorum, & regem Gomorrhæ, & regem Adamæ, & regem Seboim, *Contraque regem Bala, ipſa eſt Segor.* Scilicet hæc vrbs, quæ priùs vocabatur *Bala*, poſtquam precibus Lot ſeruata eſt à communi Pentapoleos incendio, dicta eſt Segor, vt habetur infra cap. 19. Verùm expenſione digniſſimum eſt, quòd vrbs *Bala*, quæ teſte Hieronymo interpretatur, *Abſorpta*, vel *Deuoratio*, aut *Vorago*; vel vt notat Anſelmus Laud. Vrbs *deuoratorum*; cùm eſſet eiuſdem Sodomitici ſceleris rea, & ſola precibus Lot ſeruata ſit à communi totius regionis deflagratione; ſola etiam, Vrbs *deuoratorum* nominetur. Eccur Bala, *abſorpta*, & *deuorata*, & vrbs *deuoratorum* dicitur, quæ ſola abſorpta & deuorata non eſt, in Sodomorum incendio? Reliquæ Pentapolis vrbes re ipsâ ſulphureâ voragine deflagrauerunt; & hæc vna, quæ nec ſemiuſtulata eſt, ſed Loti oratione incolumis euaſit, (vtpotè eius effugium) vrbs *deuoratorum* dicetur? ô mentitam nomenclaturam, de fallaciâ appellationis ſuſpectam! O potiùs arcanum Nominis ſacramentum! Scilicet vrbs Bala, eiuſdem flagitij rea, cui Loti prece vorago ſulphurea pepercit, portet in Nomine nefarij ſceleris reatum. Reliquæ vrbes re patiantur ignitam voraginem, & vrbs Bala geſtet in Nomine ignominiam commeriti ſupplicij deſcriptam. Patiatur in Nomine voraginem, quam aliæ ſorores vrbes, in re paſſæ ſunt. Vnde vrbs illa, quæ ſola exempta fuit à communi voragine, Bala, id eſt, *abſorpta*, aut *deuorata*, aut vrbs *deuoratorum* meritò præ aliis nuncupatur; vt quod meretur in re, patiatur in Nomine, propudioſo ad omnes ætates nefarij reatus charactere.

Geneſ. 14. 2.
Geneſ. 19. v. 22.
Hieron de locis Hebrai.
Vrbs Bala acerbè patitur in Nomine, ſupplicium quod meretur in re.

3. Matthæi 1. *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex eâ, quæ fuit Vria.* Non leue negotium faceſſit interpretibus, quare Salomonis mater non proprio nomine Berſabee nuncupetur, ſed *ex qua fuit Vria.* Porrò illuſtre Berſabee nomen ſatis erat notum, non tantùm Dauidis ætate, ſed exinceps, Bibliorum relatione, Reginæ nomen publicante. Nominat Rahab Ierichuntinam meretricem, & Moabitidem Rutham, & vnam Berſabee tacet? Gloſſa ibi ſic dubium diſſoluit: *Tacet autem Euangeliſta nomen Berſabee, vt nominando Vriam, reducat ad memoriam illud maximum ſcelus, quod in eum fecit.* Scilicet grande, multiplex, inhumanum, & propudioſum Berſabee flagitium in Nomine caſtigat Euangeliſta.

Matth. 1. 6.
Ob idem ſcelus, Dauid in re, Berſabee in Nomine caſtigatur.
Gloſſa ibid.

Nam

Nam Berſabee, non ſolùm inuerecundæ & ſalaciſſimæ libidinis rea fuit, ſed atrociſſimæ etiam ſui mariti cædis conſcia, vt aduertit Remigius. *Remig. in Catena.* Ergo Dauid & Berſabee partiuntur enormioris flagitij pœnam. Dauid poſtquam per pœnitentiæ ſqualorem delictum abluerat, mulctatur re ipsà Abſalonianæ rebellionis calamitatibus; Berſabee autem eiuſdem ſceleris rea, & de quà nuſquam legitur pœnitentiam egiſſe, caſtigatur in Nomine: nam *tacendo Nomen Berſabee, & nominando Vriam, reducit in memoriam illud maximum ſcelus, quod in eum fecit.* Inuratur fœdiſſimi delicti nota, appellationis ſtigmate, & iniuria Nominis, ſit Berſabee æternum ſceleris monumentum.

4. Geneſis 19. de Sodomiticà ruinâ Lot fugit in montem; ibi duæ eius filiæ, Sodomitici incendij reliquiæ, & aliùs incendij fomites largiora porrigunt patri pocula; incautæ crapulæ fructus, fuit nefarius filiarum incæſtus. *Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre ſuo. Pepeřitque maior filium, & vocauit nomen eius Moab.* (Geneſ. 19. v. 36. *Filij filiarum Lot, inceſtum in Nomine deſcriptum prætulerunt.*) Tantus Patriarcha, Abrahami diſciplinâ enutritus, tam fuerit expromptus ebrietatis bibulus? Tanti Patriarchæ filiæ, vix Sodomiticæ pyræ minas effugerant, & confeſtim inceſtuoſæ libidinis ſcintillas concipiunt? ô infandum ſcelus commiſſi delicti! ô procacem inuerecundiam publicati ſceleris in filiorum appellatione! *Peperitque maior filium, & vocauit nomen eius Moab. Moab* (vt aduertit Hieronymus) *interpretatur ex patre, & totum nomen etymologiam habet.* (Hieron. in Trad. Hebr.) Hæc tam propudioſa nominatio arguit procacem puellarum impudentiam, an acerbiſſimam Dei vltionem, infandum ſcelus in filiorum Nomine ſeueriſſimè caſtigando? Audiendus eſt Chryſoſtomus, qui hâc ſuper re ſic fatur eleganter: (Chryſ. ibi. Caiet. ibid.) *Nomina ſtatim natis indiderunt, quibus factum ſignificabant; & in filiorum Nominibus, quaſi in columnâ quadam memoriam facti deſcribebant.* Pergit Caietanus non minus ad rem præſentem opportunè. *Inuerecunda autem ſatis fuit puella prima, publicans inceſtum in Nomine filij, ex hoc autem inſinuans, quàm audax fuerit, priùs conſulendo ſibi & ſorori inceſtum paternum.* Nimirum conſultiſſimè & ſeueriſſimè tacentur harum mulierum propria nomina, nec cognoſcuntur niſi filiorum appellatione, in quorum *Nomine inceſtus publicatur, quaſi in columnâ quadam memoriam facti deſcribentes.* Nominis iniuria, ſit tanti ſceleris pœna; enormius flagitium appellationibus potiùs caſtigetur; ſit Nomen, non moritura æternæ infamiæ columna, quæ in vocabulo deſcriptum facinus, æternitati prodat, probroſâ Nominis inuidiâ.

Sit res impunis, quando Nomen acerbius feritur æternatura appellationis infamiâ.

§. CCXCII.

Peccatorum hyems, diuini amoris ſcintillas reuerberat in affectum.

LETHALE delictum omnes vitiorum niues in charitatẽ ſpargit; aſt dum pœnitentiæ feruor delictum decoxit, de peruerſo virtuti auxiliatur, pyramq; charitatis ſufflammat, flammati amoris incendio. 1.

Vitiorum per pœnitentiam virtus. (Paulinus epiſt. 4.) Charitatem olim delictum extinxerat: ergo piè vices reciprocat, & vel ſui memoria ignem charitatis accendat. *Quam aſſiduum cum hoſte certamen*, (ait Paulinus) *quantæ in eo verſentur inſidiæ: quæ illic vitiorum virtus*, &c. Audis virtutes vitiorum? quid inſolentius? Vulgare eſt, delicta inſidiari virtuti. Ego verò hîc tibi monſtrabo, aliquando præterita delicta amori in Deum piè militare. Et ne olim ſceleratiſſimus, animum deſpondeat, dum flagitia deſperationem procurant; ſciat etiam eſſe *vitiorum virtutem*, quæ ardorem ſuſcitet charitatis.

Ioannis 21. ad examen diuini amoris vocatur Petrus, & an præ optimate quouis Apoſtolorum Chriſtum diligat interrogatur. 2. (Ioan. 21. v. 15. & 17.) *Dixit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* Quod iterum, & tertiò repetit, *Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me*, &c. (*Aſpectu ad trinam negationem ardentius Petri amor ſufflammatur.*) Quam ob rem iterum & tertiò Chriſtus Petrum interrogat, an ſe præ reliquis ardentiùs diligat? Sat fuiſſet ſemel id ſciſcitari. Imò neque opus erat vllà interrogatione ei, qui cordis arcana ſecretius penetrat. Qui ſecretum ante interrogationem pernoſcit, fruſtrà interrogat: qui ſemel rogatus veritatem perſpicuè reſpondit, incaſſum iterum & tertiò interrogatur. Quid latet ſacramenti in hâc Chriſti Dei trinâ interrogatione, cùm ardentiorem Petri charitatem, & inflammare, & publicare expetit Chriſtus? An trinâ amoris confeſſione memoriam inſicit trinæ negationis, vt cùm extorquere cupit à Petro amoris ſupra reliquos eminentiam, adſpectu ad trinum flagitium ardentiùs ſufflammetur? Præclarè Auguſtinus. (Auguſt. tract. 123. in Ioan.) *Tertiò, vtrum Petrus eum diligat, Dominus interrogat. Redditur enim negationi trinæ trina confeſſio* Scilicet orat Petrum Chriſtus: *Simon Ioannis: diligis me plus his?* (Amare autem Deum vltra Apoſtolorum proceres, ardentior charitatis feruor eſt, & amoris meta) conſultiſſimè ergo Chriſtus cùm excelſiorem expetit charitatis affectum, Petro refricat trinæ negationis memoriam, vt adſpectu ad delicta, quorum amarè pœnitet, ſic accendatur amor, vt audacter poſſit coram reſpondere, ſe plus omnibus Chriſtum diligere, quod ex voculà *etiam* attentius colligit Maldonatus. (Mald. ibid.) Ecce tibi *Vitiorum virtus*; cùm peccata, quæ dum patrantur, charitatem extinguunt, mox lacrymarum naufragio deuorata, amorem in Deum ardentius inflammat. Calcar amoris eſt, olim immaniter offendiſſe, quem nunc peramanter diligis.

Lucæ 7.

3. Lucæ 7. De Magdalenâ antonomaſticè pec-
Lucæ 7. 47. catrice, ſic dixit Chriſtus Deus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.* Quaſi peccatorum enormitas, ſit dilectionis menſura, & dilectorum olim diſpendium, fiat dilectionis compendium, & amoris auctarium. Luculenter Ambroſius ſuper hiſce verbis ſic ad rem præſentem fatur. *Itaque non eſt dubium, quòd plus debet, qui plus accipit ſecundum homines; plus fortaſſe offendit, qui plus debuerit, ſi tamen gratiam conſequatur. Et ideò quoniam nihil eſt, quod dignè Deo referre poſſumus, væ mihi etſi non dilexero: Reddamus ergo amorem pro debito; ampliùs enim diligit, cui donatur ampliùs.* Quid opportunius? Quaſi dum innocenter Iuſtus, (qui nunquam deliquit) cùm Deum diligit, gratiæ ſit officioſitas; at plurium quondam criminum reus, cui per pœnitentiam condonata ſunt crimina, maiorem dilectionem pro maiori condonatione debeat, adeovt quod fuit incentiuum delinquendi, fiat illicium amandi, fomes amoris, & dilectionis auctarium. *Reddamus ergo amorem pro debito; ampliùs enim diligit, cui donatur ampliùs.* Vnde nuper Petro, dum ab illo expetitur ſuper ceteros Apoſtolos amor, ſuorum ſcelerum recordatio ſuggeritur, quò Deum ceteris ardentius diligat, qui Deum præ ceteris ſceleſtius offendit, ac ſi delinquendi olim temeritas, ſit nunc officina diligendi. Ecce *Vitiorum virtus*, quæ quod grauiùs peccando debet, ardentius diligendo ſoluit.

Ambr. in hæc. — Delinquendi olim temeritas, ſit nunc diligendi officina, & fomes amoris.

4. Redeat nunc ſemel & iterum expenſus, & nunquam ſatis enucleatus locus, Ioannis 21. in quo vt paulò ante vidimus, ardentiorem, præ reliquis Apoſtolis charitatem Chriſtus exigit à Petro, vt illum totius Eccleſiæ verticē
Ioan. 21. v. 15. dignè conſtituat. *Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* Hinc non otio-
Maldon. ibi ſam quæſtionem excitat P. Maldonatus, Ambroſij de eruditione, de ingenio, & eloquio planè æmulus, animaduertens Petrum hîc à Chriſto appellari *Simonem Ioannis*, aut *Iona*, nomine inquam, iam diu abolito, ſiquidem ex quo tempore adſcitus eſt in Apoſtolorum collegium, nominatus eſt *Simon Petrus*, quo nomine eum Chriſtus glorioſè inſigniuit. Non piget ipſa Maldonati verba deſcribere. *Rogat Petrum Simon Iona. Neque hoc fortaſſe causâ caret, quòd Chriſtus eum non Simonem Petrum, vt Euangeliſta, ſed Simonem Iona vocat, nomine videlicet antiquo. Dixerat enim illi, cùm ad Apoſtolatum vocauit, fore, vt non iam Simon Iona, ſed Petrus, id eſt, petra vocaretur.* Non poteſt non admirabilitatem mouere, quòd Petrus, qui ante Apoſtolatum vocabatur *Simon Iona*, ſeu *Ioannis*, & cùm primùm ad collegium Apoſtolicum adſcitur, à Chriſto, non iam Simon Iona, ſed Simon Iona, ſed Simon Petrus communiter appelletur, quo etiam vocabulo eum perpetuò Euangeliſtæ indigitant; nunc, nunc inquam, cùm à Chriſto rogatur, an eum præ ceteris diligat, non *Simon Petrus*, vt eovſque, ſed *Simon Iona*, antiquo, id eſt, antiquato, & ſeculari nomine nuncupetur. *Dixit Simoni Petro Ieſus:* (nota nomen, quo Petrum Euangeliſtæ nominant, & aduerte ad nomen, quo eum nominat Chriſtus, *Simon Ioannis diligis me plus his?*

Cùm plus amoris à Petro exigitur, ſeculare nomen opportunè refricatur.

Scilicet cùm Chriſtus Deus amorem præ relliquis Apoſtolis à Petro exigit, eum ſeculari nuncupat appellatione, vt profanum olim nomen, quo ante Apoſtolatum, in ſeculo nominabatur, anteactæ vitæ ſecularis & profanæ memoriam iam inſigniter pœnitenti ingerat, ad feruentioris charitatis incitamentum, ac ſi ſecularis nominis & vitæ pœnitenda recordatio non ſemel amorem ſufflammet, & torridam excitet charitatem. *Ampliùs enim diligit, cui donatur ampliùs.* Vnde licentia olim delinquendi, vſura ampliùs diligendi ſæpè eſt, arcano pœnitentiæ bono. Sic peccatorum hyems, ſcintillas amoris per pœnitentiam, reuerberat in affectum? Sic delictorum niuibus flagrat charitatis pyra? ô felix culpa, quæ pœnitentiæ arbitrio, obſtetricante gratiâ, feliciter parturit charitatem! ô *vitiorum virtus*, quæ ex vitioſitatis matrice quodammodo edidit diuinam charitatem, virtutum matrem, principem, reginam, quam Dei æquitas empyreâ coronâ auguſtè beat! Sicut enim Petrus recordatione trinæ negationis, amoris lacrymis madebat vbertim: ſic fortè anteactæ in ſeculo vitæ memoriâ, eandem charitatis flammam excitabat. Et Rubenus ſic tanti ſceleris maculam pœnitudine diluit, vt Moyſes maledictionem poſtea temperarit; & vnde minor euadere debuit, inde fortè pœnitentiæ bono, incrementa ſuſceperit. Conſtat enim Rubenianam tribum valde in- Hic v. 4.
crementatam: & inde aliquas Iacobi Maledictiones, aut Benedictiones, conditionatas fuiſſe. Quod ad dicenda notatum velim.

---

§ CCXCIII.

Pœnitentiæ meritum æmulatur, an quodammodo ſuperat innocentiæ prærogatiuam?

SÆPE non tam magno animo virtus initur, quàm repetitur, & poſt lapſum per pœnitentiam reuocatur, diuinior enim Dei pietas aliquando illos ad ſubli- 1.
miorem ſanctitatem conſecrat, quorum reiectaneos profanoſque mores diu execrata eſt; dum eoſdem de pœnitentiæ piè ambitioſo ſqualore, nitidius præfulgere ternit ad gratiam, venuſtatis vſurâ, 2. Reg. 11. *Accidit vt* 2. Reg. 11. 2.
ſurgeret Dauid de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ: viditque mulierem ſe lauantem, ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valde. Miſit ergo rex, &c. Mirum eſt, ſic feminam placuiſſe, dum proprias abluebat ſordes: nam quantum allicerer pulchritudo, tantùm abluendæ ſordes libidinem auerterent. O ſordidæ venuſtatis cæcum amatorem! ô luſcum hominis aſpectum! Se abluentis feminæ pulchritudinem vides, & abluendum ſqualorem non vides? Qui amas pulchritudinem, exhorreſce ſqualorem. Auctor oper. Imp. ita ſuper hac re Imperfect.
philoſophatur acutè: *Dauid in miſericordia* homil. 1. in
& manſuetudine ſuâ, propheteatio fuit Chriſti. Matth.
Et

Bethſabee perplacet, dū ſordes abluit. *Et quid dicam in actibus ſuis iuſtis, aut in perſecutionibus ſuis iniuſtis? In ipſo etiam peccato ſuo peſſimo, Chriſti, & Eccleſiæ myſterium fuit. Sicut enim David cum eſſet in ſolario ſuo excelſo latus, vidit ſpecioſam Betſabee, cùm lauaretur, & concupiuit eam, & habuit, cùm eſſet in coniugio alterius viri Hethæi: ſic Chriſtus cùm eſſet in cælo ſuo altiſſimo, vidit Eccleſiam Gentium ſpecioſam ſecundum cor, diſplicentem ſibi in ſordibus errorum ſuorum, & bonis operibus ſe diluentem, cùm adhuc Diaboli eſſet coniux, vidit eam, & concupiuit, & habuit prius.* Non abnuo Bethſabeam fuiſſe ſpecioſam, at quare Dauidi non placuit, cùm vrbanè & comptè omni lenociniorum genere ornata, & præ ceteris regiæ vrbis puellis venuſta, intuentium ſuſpendebat oculos, atque diripiebat amores; ſed cum domeſticè ſqualida, ſuas abluebat ſordes? Ecce tibi *Chriſti, & Eccleſiæ myſterium*, quod ſuo flagitio David repræſentat. (Vel impietas Sanctorum linguata eſt, & perſæpè pietatem loquitur) Sic Deo perplacet homo cùm delictorum ſordes lauat, & inoblitas culparum maculas per pœnitentiam mundiſſimè abluit? Tunc maximè bella & ſpecioſa eſt anima, tum gratiùs diuinis oculis blanditur, & diuinum ſauciat amorem, dum ſqualore pœnitentiæ ſordida, ſordes peccati diluit ad gratiam? ô exaggeratius pœnitentiæ elogium! ô ineffabilis pœnitentiæ venuſtas, quæ de peccatorum horrore diuinas nuptias exambit, & ſordium ambitione ſumptuoſiùs procurat!

2. Matthæi 1. *David autem rex genuit Salo-*
Matth. 1. 6 Hieronym. in epiſt. ad Patriarch. *monem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Quæ Euangeliſtæ verba ſubtiliter his verbis expendit Hieronymus. *Quid cauſæ ſit*, (mirantur) *vt cùm David tot habuerit vxores, nullum alium regni ſui fecerit ſucceſſorem, niſi eum qui de Bethſabee procreatus eſt; vt non ſolùm meretrices, ſed etiam adultera Deo placere videantur.* O in-
Deone placent meretrices, & adultera? ſignem pœnitentiæ prærogatiuam! Inuidiam ſibi facere videatur Deus, cùm viris iuſtis aliquandò velut omiſſis, ſeſe peramanter flagitioſis immiſcet. Propudioſa adulteria, & meretricij mores ſic arrident Deo, vt ipſum allicere, ipſique placere videantur? Perplacent quidem meretricij mores, & fœdiſſima quæque flagitia; ſed lacrymis diluta, & per pœnitentiam deleta ad gratiam, & neſcio quâ beneuolentiæ prærogatiuâ, diuino ita lenocinantur amori, *vt non ſolùm meretrices, ſed etiam adultera Deo placere videantur.* Sic ſuâ ſibi benignitatê velut detrahit Deus, vt gratior illi videatur gratia per ſordes pœnitentiæ reſtaurata, quàm innocentia inter tot delinquendi pericula nunquàm amiſſa? Tantas, tamque illuſtres beneuolentiæ notas erga inſignes pœnitentes exhibet Deus, vt ſibi inuidiam feciſſe videatur. Sed apud imperitos, qui feruentioris pœnitentiæ meritum ignorant.

3. Idem Euangeliſta his verbis ſuum auſpica-
Matth. 1. 1. tur Euangelium: *Liber generationis Ieſu Chri-*
Hugo ibi. *ſti filij David, filij Abraham.* Olim & nunc
Pœnitentia meritum ſuperat innocētiæ prærogatiuam. ventilatur quæſtio, quare David iunior ſeniori Abrahamo præferatur. Reſpondet Hugo Carenſis: *Propter quatuor cauſas David Abrahæ proponitur. Prima eſt*, &c. *Secunda, quia profundus fuit peccator David: ideò vt ex miſericordia oſtendatur natus, David peccator Abrahæ iuſto præponitur.* Sic peccator de peccati tumulo rediuiuus ſurgit pœnitentiæ merito, vt de ſanctitatis prærogatiuâ purioris innocentiæ meritum æmuletur? David, quia *profundus fuit peccator*, ideò antiſtat iuſto Abrahamo? ô nouum præcedentiæ titulum! Animetur peccator ad veniam, qui ad tantum gratiæ eualet aſcendiſſe faſtigium. Sed innotatum non dimittam, ideo forſan Davidem dici *profundum peccatorem*; quia ſtudioſius ſuum celare peccatum procurauit. Quaſi *profundus peccator* non tam quis euadat à ſcelerum atrocitate, quàm à ſtudio, occultandi flagitium? Ad hæc animaduerte, *profundum peccatorem* ad Deum per pœnitentiam piè conuerſum, ſententioſè dici, ex *Miſericordiâ natum*, ſeu oriundum. O generoſos Pœnitentium natale! Scilicet illuſtris Pœ- *Pœnitentes oriundi ſunt ex Dei Miſericordiâ & inde nobiliores.*
nitentium proſapia, eſt diuinior Dei Miſericordia. Quid auguſtius? Ac ſi innocens ſanctorum iuſtitia non foret etiam oriunda ex Dei Miſericordia. Eſt, eſt quidem. Sed antonomaſticè *profundus peccator* ob pœnitentiæ meritum, ſingulariter dicitur Miſericordiæ ſoboles; quia ex munificentiori Miſericordiæ opere originem ducit. Ob hanc ergo generoſæ nobilitatis prærogatiuam, *David profundus peccator Abrahæ iuſto præponitur.*

Vnde hic Rubenus qui ob inſigne ſcelus Hic verſ. 4.
maledictione mulctatur; pœnitentiæ merito proſperam benedictionem nactus eſt Deut. 33.

---

§. CCXCIV.

Iniquorum cognatam concordiam malitia conflat.

ODERVNT *hilarem triſtes, tri-* 1.
ſtemque iocoſi: Horat. epiſt. 19.
Sedatum celeres; agilem, promptumque remiſſi.

Iniquorum arcta & iniqua concordia eſt. Sed malitia in quauis morum diuerſitate, ingenij diſcordia, & ſtudiorum diuortio, coniunctiſſimè ſibi mutuò adglutinatur & cohæret occultâ peruerſitatis cognatione.

Iuuenal. Satyr. 3.

Quis non diligitur niſi conſcius? & cui feruens
Æſtuat occultis animus, ſemperque tacendis?
Charus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult,
Accuſare poteſt.

Sic concors malitia quantumuis diſcordes animos arctè coünit!

Hîc verſ. 5. Iacobus morti proximus, & 2.
altè memor immeriti Sichimorum excidij, ſce- Hic v. 5.
leſtè à ſuis patrati, hæc verba in Simeonem & Leui flagitij patratores, ſeueriſſimè vibrat: *Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia.* Eccur Iacobus præter morem, hos duos tantùm coniungit, & *fratres* nominat, cùm eos ſceleris arguit? Annon etiam reliqui Iacobi filij, *fratres* erant? Charum & ſtrictum fraternitatis vinculum, quod in aliis tacetur, in his duntaxat exprimitur? Bellè Caietanus: *Simeon & Leui fratres. Simul iſtorum duorum cau-* *Simeō & Leui fratres dicuntur cognatione malitia.*

ſa

ſa agitur, propter eorum vnanimitatem ad malum: non tam carne, quàm conſilio & animo. Communis malitia animos conflat, & arctior cognatio eſt carnis fraternitate. Magis fratres ſunt, qui impij magis. Suas etiam neceſſitudines habet peruerſitas. O inſolentem à ſcelere cognationem! *Simeon & Leui fratres: vaſa iniquitatis bellantia.* Vel vt alij exſcribunt: *Vaſa iniuriæ cognatio eorum.* Quaſi dicat: (ait

Lipom. in Catena. Lipomanus) *Indoles eorum ad inferendas iniurias, & violentias alijs.* Communis malitia indolem peruerſitatis recudit, & de iniquitatis arctioris ſtudio, fraternitatis cognationem inſolenter conflat.

3. Exodi 14. Egreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dexterâ eorum & læuâ. Perſequenteſque Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites per medium maris. Cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt, primo diluculo ad priorem locum: fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus. *Reuerſaque ſunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare: nec vnus quidem ſuperfuit ex eis.* Aquæ ſegregatæ ſunt, vt populo Dei expeditum exhibeant tranſitum ſicco veſtigio; & rurſus in vnum congregantur, vt Ægyptium regem cum regni primâ nobilitate, opulentiâ, & robore, atrociter diſperdat? Acutè ad rem Tertullianus: *Aſpice mari rubro*, inquit, *vaſtiori ſuper omnia ſtagna Iudææ, virgam Moyſi imperantem, vt ſit ditius proſciſſum, & pari vtrinque ſtupore diſcriminis fixum, ſicco populum pede, inteſtino itinere tranſmitteret; rurſumque ſub eiuſdem virgæ nutu, redeunte naturâ; Ægyptium exercitum vndarum concordia obrueret.* Scilicet aquarum diſcordia Iſraëlitis fauit, & earundem *concordia* potentiſſimum Regem cum regno ſubuertit. *Concordia* vndarum fuit Ægypti euerſio, & regni naufragium. Sic ad edendam ſtragem, alioqui diſcordes, concordant vndæ, conueniunt fluctus, & maris aquæ conueniunt? Sic animitus ad excidia conſpirant, vt priſtino ſegregatas diuortio, pernicies maritet ad ruinam? *Redeunte naturâ Ægyptium exercitum vndarum concordia obruit.* O aquarum concordiam, non bonæ rei bonum ſymbolum! Maris vndas, quas beneficentia fecit diſcordes, pernicies concordes fecit.

Vndarum concordia Ægyptios perdit.

Exod. 14. 28.

Tertull. l. 4. adu. Marc. cap. 10.

4. 1. Machabæorum 1. regnante Antiocho illuſtri, qui *radix peccati* dicitur, Exierunt ex Iſraël filij iniqui, & ſuaſerunt multis, dicentes: *Eamus, & diſponamus teſtamentum cum Gentibus, quæ circa nos.... Et bonus viſus eſt ſermo in oculis eorum.* Et quod nefariè ſpondent, abundè præſtiterunt. Miſſiſque ad peſſimum Antiochum legatis, amicitiam cum eo ineunt. At penitus inueſtigandum eſt, quid ſignificet: *Diſponamus teſtamentum cum Gentibus.* Lyranus ibi. *Teſtamentum, id eſt, fœdus ſocietatis. Cum Gentibus incircumciſis & idololatris, nos eis conformando.* Pulchrè *fœdus ſocietatis*, quâ *ex Iſraël filij iniqui*, amicitiam ineunt cum Antiocho, (qui dicitur *Radix peccati*) *& cum Gentibus incircumciſis & idololatris*, non appellatur ſimpliciter pactum aut fœdus, quo ſe *illis conformant*; ſed *teſtamentum*; quo æterna & irreuocabilis pacti ſocietas & vnanimitas deſignatur. Quamuis ſingulorum diuerſi ſint mores, ſtudia, ritus, ingenia, dum in malum animitus conſpirant, non fœdus & ſocietatem inire; ſed *diſponere teſtamentum* dicuntur, quò irreuocabile pactum innuatur *teſtamenti* vocabulo. Quaſi alteruter ſit malitiæ heres, & mutua conſpiratio ſit vltimâ voluntate in æuum obſignata. Eamus, aiunt, *ex Iſraël filij iniqui, & diſponamus teſtamentum cum Gentibus incircumciſis & idololatris.* O quàm aptè amicitia inter impios conflata, & quâ mali in bonos conſpirant, *Teſtamentum* dicitur, morte conſummandum; & morte luendum!

1 Mach. 1. v. 12. & 13. Impiorum ſocietas, teſtamentum dicitur.

Lyra ibi.

---

§ CCXCV.

Quod in conferendâ Meſſiæ Dignitate, Senatores cognati erga Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationem.

1. QVISQVIS ad principatum ſiue præfecturam eligitur, ſimul renunciatur malorum hoſtis, bonorum vindex, terræ mariſque pacator: & qui per omnia tranſeat, non concupiſcendo, ſed vindicando. Verùm totus Præpoſiti ardor, vbi præfecturam ſibi vindicauit, in eo flagrat, vt alias pariter præfecturas cognatis concupiſcat, quò ad ſocietatem honoris ſui illos ſublimet: quaſi alicuius cognati ſumma poteſtas, ius cognationis ſit ad præfecturas; ſatque meritorum cognationis merito afferre cenſentur, vt munia obeant, vel quibus obeundis inhabiles cenſentur. Heu ſuſpectas affinium electiones, ſub quibus perſæpè dignitatum faſtigia ſuſpirant!

2. Ioannis 1. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Perſpicuum eſt ex ipſo Ioannis Baptiſtæ reſponſo, Hieroſolymitanum Senatum obtuliſſe Ioanni dignitatem Meſſiæ, quæ ſumma erat Hebrææ gentis. Sed quis non miretur vecordem & impudentem Senatorum audaciam? Meſſiæ ſuprema dignitas, ea erat, quæ offerri poſſet? quæ ex eligendi ſuffragio penderet? quæ homini ex tribu Leui, non ex regia Iudæ tribu competere potuiſſet? Quid inſtigauit huiuſmodi Senatores, vt Ioanni Leuitæ offerrent auguſtam Meſſiæ dignitatem, & rem totam eius arbitrio permitterent? Tempeſtiuè reſpondet Origenes: *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, &c. Iudæi quidem ab Hieroſolymis, vt cognati exiſtentes Baptiſtæ de ſtirpe ſacerdotali exiſtentis, Sacerdotes & Leuitas deſtinant, ſciſcitaturos quis eſſet Ioannes, eos ſcilicet qui reputati ſunt ſecundum electionem ab*

Ioan. 1. 19.

Orig. ad hæc verba, ex Ioan. 17.

alijs differre, & ab electo Hieroſolymorum loco. Vides cognationem cum Ioanne fuiſſe in causâ, vt Senatores Hieroſolymitani Ioannis arbitrio permiſerint, an vellet ipſe dici & haberi Meſſias, dum per legatos ſciſcitantur: *Tu quis es?* Quaſi dicant Senatores conſanguinitate coniuncti. Per nos, ſi tu velis, eſto Meſſias. Hinc lux accenditur, & quidem ſplendidiſſima, & moraliſſima alteri legationi, quam ipſe Ioannes miſit ad Chriſtum, ita ſciſcitatus: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ecquis non miretur, quòd Ioannes, Ioannes inquam, qui ex matris vtero, Chriſtum nouit, qui eum ex Præcurſoris munere digito deſignauerat, quaſi de eiuſdem dignitate foret dubius, ſerið illum per nuncios interrogaſſet, an ipſe eſſet Meſſias in lege expectatiſſimus, an alium expectarent? Innumeris ipſiſque grauiſſimis commentis hunc locum, & interpretes, & concionatores paſſim fatigant. Quæ omnia lubens prætereo, vt citò dem in primis luculentam eiuſdem Origenis expoſitionem, ad rem præſentem valdè opportunam.

Quod Senatores cognati erga Ioanné, hoc Ioannes erga Christũ exequitur, ad obſequij exaggerationẽ.

3\. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es?* &c. *Ioannem itaque quærunt cum tantâ veneratione;* (nempe *Iudæi ab Hieroſolymis, vt cognati exiſtentes, Baptiſtæ de ſtirpe ſacerdotali exiſtentis*) *erga Chriſtum autem nihil huiuſmodi factum legitur à Iudæis. Sed quod erga Ioannem Iudæi, hoc Ioannes erga Chriſtum proſequitur; per proprios Diſcipulos interrogans: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Peracutè quidem Origenes. Scilicet Ioannes Baptiſta indubiè cognoſcens illum eſſe Chriſtum, quem ab vtero beneficum fuerat expertus; ſed percupiens illum magnificentius ſublimare, nil tam magnificum ſe facere poſſe putauit, quàm illudmet erga Chriſtum præſtare, quod cognati Senatores erga ipſum præſtiterunt. Nempe cognati Senatores cognatos mittunt legatos, vt Ioannem interrogent, *Tu quis es?* id eſt, ſuo ſuffragio permittunt ſummam Meſſiæ dignitatem: quid magnificentius Ioannes præſtare potuit erga Chriſtum, quàm ſuos diſcipulos mittere, qui illi pariter dicant: *Tu es qui venturus es?* id eſt, tuo arbitrio eadem ſumma dignitas per me tibi permittitur. Eſto tu tibi tantæ ſublimitatis arbiter. Ego erga te verè præſto, quod Senatores cognati erga me affinitatis ſtudio præſtiterunt: quid vltra auguſtius poteſt præſtari? *Quod erga Ioannem Iudæi, hoc Ioannes erga Chriſtum proſequitur, per proprios Diſcipulos interrogans: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quid illuſtrius pro hâc re? *Haçe Iuan por Chriſto, lo que los Senadores ſus parientes an hecho por Iuan: y aſſi no pudo tirar mas la barra, que hacerle eſte obſequio.* Æmulari hâc in re cognatæ Poteſtatis audaciam, obſequij erga Chriſtum exaggeratio eſt, & ardentioris pietatis meta. Sic cognatus Præfectus cognationem ſublimare exambit? ô non bonum Leui nimis fratr in fratrem!

Orig. loco alleg. 3.

Hic v. 5.

4\. Matthæi 20. *Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Nimis profectò audet hæc Salome pro filiis poſtulatio. Magnum quid petunt, adeò vt dixerit Chryſoſtomus: *Si nouiſſent, quæ petebant; non auſi fuiſſent tantum quid petere, quod ſuperexcedit ſuperiores virtutes.* Quin etiam vtrumque Chriſti regis latus cingere ambiunt, atque adeò procul abigere Petrum Chriſti familiariſſimum, id enim ſignificant illis verbis, *Vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Quod idem Chryſoſtomus inibi adnotauit: *Videbant enim*, inquit, *ſe ipſos honoratos præ alijs, & audierant, quòd ſuper duodecim thronos ſedebitis, vnde primatum ipſius cathedræ petebant accipere: & quòd quidem plus alijs honoris apud Chriſtum habebant, nouerant. Timebant vero Petrum ſibi præferri.* Videbant inquam, Petrum ſibi in omnibus præferri; & Chriſtum olim audierant primatum throni Petro pollicentem, dum illi dixerat, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* In quo ergo inniti potuit tanta fiducia, quæ primas ſedes in Chriſti regno præſumeret, excluſo Petro; qui expreſſiſſimis verbis ad throni primatum à Chriſto electus erat, & palam primus Apoſtolorum omnium renunciatus? Quid? ambiunt, vt Chriſtus Deus reuocaret promiſſionem à ſe factam, & omnibus peruulgatam, & repetitis actibus ſtabilitam? Vnde tanta Salome, & filiorum præſumptio? Scilicet Salome (vt eruditè inibi notat P. Maldonatus) creditur, *Sororem beatæ Virginis fuiſſe.* Ecce tibi audaciſſimæ ambitionis incentiuum, expreſſum illis verbis: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Nempe throni primatum verbo Dei Petro confirmatum, arctæ conſanguinitatis iure, & cognationis merito, filiis ſuis extorquere præſumit. Nil arduum fore putat, dum cognatio electionem procurat, dum ſanguis thronos negotiatur. O, quid non præſumat cognatio à cognato in ſublimi dignitate fulgente! Ioanni, etſi Leuitæ, Meſſiæ dignitas, tribui Iudæ debita, à cognatis Senatoribus offertur: & throni primatus Petro Dei verbo promiſſus, à Salome iure cognationis ambitur. Quaſi ſumma cognati Poteſtas, ſit cognatorum ius ad præfecturas. O nimis verum!

Matth. 20. v. 20. & 21.

S. Chryſoſt. homil. 65. in Matth.

Filij Zebedæi cognationis iure, throni primatum exambiunt.

Matth. 16. v. 17.

Maldon.

---

§. CCXCVI.

Auara cognatorum auaritia, de cognati funere ſibi animitùs gratulatur.

1\. QVi eget diuitiis, timet pro illis. Nemo autem ſollicito bono fruitur. Adiicere illis aliquid ſtudet, dum de incremento cogitat, oblitus eſt vſus, rationes accipit, forum conterit; mortes cognatorum expectat, ſi fortè aliquid hereditatis illi obueniat iure ſanguinis; quem auaritia citius violat, dum certius expectat. Nulli ergo mortuo terra tam grauis eſt, quàm iſtis ſupra quos cognata auaritia ingens terrarum pondus ſupra cognatos, hereditatis deſiderio præmaturè inijcit. De ſanguine, quem fouere debuiſſes,

ſes, prædam agis? vt modicum captes lucellum, tuum ſanguinem præproperè tumulare inhias? latens auaritiæ votum in terram crudeliter infodit, cui natura beneuolè parcit? Exlex humanitatis auaritia, nec cognationi parcit, quò ſibi largiùs indulgeat: & in cognatorum luctu foris ambitioſè plangit, intus auarè ridet, ridens iure ſanguinis.

2. Geneſeos 22. Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit: Adſum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi. Geneſ. 22.3. *Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtrauit aſinum ſuum: ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum.* Et qui ſunt duo iſti iuuenes, quos Abrahamus elegit è numeroſâ familiæ turbâ? Et quare Moyſes de cælo inſtinctus, eorum occultat nomina? Pudetne referre illos, quos tantus Patriarcha dignos inuenit, vt ad tantum patrandum facinus ex totâ familiâ eligeret? Putauerim, hos iuuenes hâc Abrahami electione non parum deuenuſtari: quantumque adijcitur Abrahami gloriæ, tantum illis detrahi. Audiendus eſt hâc ſuper re Lyranus: *Ducens ſecum*, inquit, *duos iuuenes. Iſti fuerunt Iſmaël, & Eliezer, vt dicunt Hebræi.* Scilicet, quia aliqui ducendi erant ſecum, ne ſenex Patriarcha longum iter ſolus perageret; conſultò ſecum tulit Iſmaëlem, futurum heredem Iſaaci (tunc immolandi) fraternitatis iure, viuo patre: & Eliezer quem olim improles Abraham heredem deſignauerat, vt capiendæ hereditatis auaritiâ non auerterent facinus. Obſeruatione quidem digniſſimum eſt, Abrahamum nimis cupidum Iſaaci Deo immolandi, domeſticos reieciſſe reliquos, ne Domini ſui amore immolationem impedire fortitan intentarent; & fratrem Iſmaëlem, & Eliezerum olim heredem ſelegiſſe, veroſimili coniecturâ eiuſmodi homines cognationis iure, non modò non impedituros Iſaaci cædem, ſed fors non parum iuuaturos. Puto, in hâc electione non minùs Abrahami pietatem erga Deum elucere, quàm agnatum cognatorum votum ad mortem cognati. Tantum eualet auara ſpes capiendæ hereditatis ex cognatorum ſucceſſione, quantum eualuit in Abrahamo audentior pietas ad mactandum Deo ſuum Iſaacum? Certet cognatorum auara hereditatis ſpes, cum præluſtri Patriarchæ pietate. Hæc ſuum Iſaacum mactare audet; illa non audet facinus remorari, ſucceſſionis inſtigata fomite. Pater viuas filij exequias celebrare animosè intentat; vterque ſucceſſor, funeri adulari non ambiget, ne minùs ſit ſollicita Abrahami pietas de immolando filio, quam cognatorum auaritia de intempeſtiuo cognati funere.

Iſmaël adducitur ad Iſaaci immolationem ne aliquis illam impediret.

Lyra ibi.

Supr c. 15.2.

3. Exodi 32. moram faciente Moyſe, populus impiè ſacrilegus, vitulum conflat, diuinoſque illi tribuit honores. Iratus Moyſes Dei iras ſacrilegij ſupplicio auertere ſatagit. Congregati ſunt autem ad eum plures ex tribu Leui: *Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite, & redite de portâ vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illâ quaſi viginti tria millia hominum.* Miriſſimum ſanè eſt, & attentâ expenſione digniſſimum, Deum mandaſſe, vt quiſque fratres ſuos occideret. Si viginti tria millia occidendi erant, cur Deus fratres armat in fratres? Seligantur ex aliâ tribu qui Leuitas trucident, quod pietas, & ſanguinis ius videtur exigere. Et quidem tempeſtiuè notat Lipomannus, Hebræas voces ſcrupuloſius elucidans, reliquas voces ambiguam Hebraicè ſignificationem habere, at verò vox, pro qua vulgatus *Fratrem* vertit, apud omnes fratrem indubiè ſignificare: *Occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. De primo videlicet nu Ach, nulli dubium quin fratrem ſignificet. Secundum autem, id eſt, Recha, ſocium, amicum, & proximum deſignat*, &c. Scilicet ratum ſit, Deum fratres in fratres armaſſe, non extraneæ tribus homines, vt ita illis minimè parcerent. Fateor obſequij diuini zelo id Leuitas executos fuiſſe; ſed mirum eſſet ex alijs tribubus neminem reperiri, qui ſimili zelo ageretur. Quò nulli dubium ſit, ait Lipomannus, fratribus commiſſam eſſe fratrum cædem, an fortè id etiam promptius præſtiterunt, vt lucri aliquid ex cognatorum interitu illis obueniret? Neque enim ſine causâ non exteris tribubus id mandatum, ſed tribui duntaxat propriæ. Cui miſſioni adeò expromptè obtemperarunt, vt in itu, & reditu à portâ in portam caſtrorum, *Ceciderunt in die illâ quaſi viginti tria millia hominum.* Hæc ne damnata hîc Leuitarum fraternitas?

Exod. 32. v. 27 & 28.

Cur Leuitis euitarum fratrum cædes mandatur?

Lipom. ibi.

Hic v. 5.

§ CCXCVII.

Nemo non benignus eſt ſibi cenſor.

FAMILIARITER domeſtica aſpicimus, & ſæpe in iudicio fauor officit. Puto multos potuiſſe ad veram virtutem peruenire, 1. niſi putaſſent ſe perueniſſe, niſi quædam in ſe diſſimulaſſent, quædam apertis oculis tranſiliiſſent. Non eſt enim quòd magis aliena iudices adulatione perire, quam noſtra. Quis ſibi verum dicere auſus eſt? Quis non inter adulantium blandientiumque poſitus greges, plurimum tamen ſibi ipſe aſſentatus eſt. *Nemo non benignus eſt ſibi iudex. Inde eſt, vt omnia meruiſſe ſe exiſtimet.* Noſce te ipſum. Si nequis. Crede alijs.

Nemo non eſt ſibi ipſi aſſentator.

Seneca l.2. de Benef. c. 26.

2. Matthæi 19. indictâ Euangelicæ paupertatis doctrinâ, è cælo recens promulgatâ, abiit triſtis prædiues ille adoleſcens. Tunc Petrus adhuc rudis & nouitius Chriſti diſcipulus, nec ſatis ad virtutis ſaporem excoctus; ſic Chriſtum interrogat: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Non parum negotij commentatoribus faceſſit, quo vero ſenſu dicere potuerit Petrus, ſe *omnia* reliquiſſe; qui Chriſtum ſequendo paupertatem potius, quam diuitias reliquiſſe videtur. Et quidem conſultiſſimum Chriſti Dei reſponſum, meritò vnum diſſimulat, & ſilentio negligit, alterum munifico

Matth. 19. v. 27.

Omnia ſe reliquiſſe putat, qui arundinem, & rete reliquit.

honorat præmio. *Amen dico vobis*, inquit, *quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos*, &c. Et vt notanter ediſſerit ibi Hugo Carenſis: *Non dicit, Qui reliquiſtis omnia; ſed cùm duo dixiſſet Petrus, alterum ſumus.* Dixerat Petrus, Reliqui omnia, & ſecutus ſum te. Et Chriſtus reſpondet ad ſui ſequelam, & omittit reſpondere alteri interrogationi, quâ ſe omnia reliquiſſe ſignificat. O Petre, veréne te exiſtimas, te omnia pro Chriſto reliquiſſe? Ita ſeriò ad Chriſtum loquitur: *Ecce nos reliquimus omnia.* Ecquid, quæſo, Petrus reliquit? Ex ſuâ, inquam, ſententiâ, *omnia* reliquit: ex ſententiâ autem Euangeliſtæ Matthæi, retia duntaxat, & quidem lacera. Sic enim de Petro & Andrea fatur: *Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Quod adnotans S. Chryſoſtomus ita ſcribit: *Ecce nos reliquimus omnia. Quænam omnia, ô beate Petre? arundinem, rete, nauigium. Omnia quidem hæc dicis.* Vide quàm ſit quiſque benignus ſui arbiter. Inde eſt, *vt omnia meruiſſe ſe exiſtimet.* Nempe in virtutis tyrocinio adhuc rudis diſcipulus, pro Chriſto ſe *omnia* reliquiſſe putat; & Matthæus Euangeliſta ſeriò cenſet, pauperculam piſcationis ſupellectilem reliquiſſe. O quàm diuerſiſſimè de ſe ipſo quiſque exiſtimat, ac extraneus cenſor! Sapienti ſua de ſe ſublimis æſtimatio ſemper exaggerationis ſuſpecta eſt. *El cuerdo no todo lo que el pienſa de ſi miſmo, tiene por verdad.* O quàm exigua reputauit poſtea, quæ nunc *omnia* audet appellare!

Hugo ibi.

Matth. 10. v.2.

Chryſoſt. in Catena ibi.

3\. *Initium eſt ſalutis, notitia peccati*, egregiè dixit Seneca. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Quo modo verò ſe deprehendat, qui delicti malitiam non reputat pœnitendam, ſed illuſtrem & glorioſam? Quod paucis docuit regius Pſaltes, ſic pangens contra Doeg Idumæum, infidum proditorem: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Super quibus verbis ſic ſcribit Euthymius: *Sermo eſt ad Doeg, quem oportuerat potius malitiam ſuam obtegere, quàm de eâ gloriari. Per malitiam autem omnem in vniuerſum prauitatem intelligit. Potentem verò eum appellauit in lædendo, ac malignè agendo.* O ſceleſtiſſime ſycophanta, de propudioſo infamiſſimæ proditionis flagitio gloriaris? Rem in primis glorioſam, infidam malitiam ob caro premendam ſilentio reputas? Quid glorioſum in malitiâ tuâ eſſe ſuſpicaris, vt de illâ glorieris? *Ego enim præſtantiam in delictis meam agnoſco*, dixit Tertullianus. Quibus verbis, etſi humilitatem inſinuat, neſcio quid excellentiæ modus loquendi redolet. Et ſanè Tertullianus nimiâ ſemper auſteritate deliquit. Vel de fœdo ſcelere Doeg gloriatur, & *præſtantiam in delictis agnoſcit*. Quod omnium cenſu reprobatur vt vile, infame, ſceleſtum, propudioſum; ipſe laude dignum, & glorioſiſſimum reputat, adeò vt illud publicet, & de illo ſe glorioſè iactet, vel in turpi proditione *præſtantiam* agnoſcens, de quâ poſſit palam gloriari. Tam ſunt imbecilla, ac penè nulla hominum de ſeipſis iudicia! Iniquus ſui cenſor quiſque eſt, propriæ excellentiæ ambitione ſeductus. Quam reliqui exiguam virtutem cenſent, ipſe æſtimat generoſam. Vitium quod ceteri, fœdiſſimi flagitij damnant; ipſe glorioſum reputat. Nemo non eſt benignus ſibi cenſor. Inde eſt, *vt omnia meruiſſe exiſtimet*, exiguo bono: & de turpi etiam ſcelere gloriam ambitioſus captet, *præſtantiam in delictis ſuam agnoſcens.* Quo vitio Simeon & Leui, hîc damnati, indubiè laborarunt; dum enorme delictum ex conſilio perpetrant, & patratum impudenter defendunt.

Seneca epiſt. 28.

Pſal. 51.3.

Euthym. ibi.

Quidam præſtantiam ſuam in delictis agnoſcunt.

Tertull. de Pœnit. c. 4.

Hic v. 6.

---

§. CCXCVIII.

Sciolus quiſque, vel de dubitatione ſuâ ſic arroganter præſumit, vt illam ad ſui ingenij famam perpetuare procuret.

PERSPICVVM eſt, eis qui fructum ex Sapientiæ ſtudio percipere moliuntur, deponendum eſſe protinus quicquid vanum eſt & arrogans. Et quemadmodum in vaſis liquorem aliquem recipientibus aër inanis expellitur: ſic, qui in Sapientiæ ſtudio veris implentur diſciplinis, faſtum exuunt, mitioremque de ſe concipiunt opinionem. An non ſuperbiæ potiùs quàm Stoicorum vox eſt: *In hoc gaudeo aliquid ſcire, vt doceam.* Docere cupit, non ſcire, qui ſcire gaudet, vt doceat: magiſterij exambit arrogantiam, non eruditioris ſapientiæ peritiam. Si ſaperet, potiùs gauderet, alios etiam eruditè ſapere, cum quibus ſua ſtudia diſputando conferret, & quaſi ad cotem quod didicit, examinaret: quos poſſet in perplexis dubiis conſulere, & in eorum eruditis reſponſis, ſuæ ſapientiæ auctarium inuenire. At qui ideò ſcire ſe gaudet, vt doceat, opiniones ſuas quaſi inconcuſſa edicta proponit, & quod ipſe dubitat, à nemine extricari præſumit. Vnde vel ipſum dubium, in quo ipſe anceps hæret, humanæ ſapientiæ metam exiſtimat, quam nemo ſapientum valeat tranſcendere. *Vn letrado preſumido, nunca juzgo que habia ſolucion de ſu argumento, ni reſpueſta para ſu duda:* neminemque poſſe videre, niſi citra quàm quod ipſe oculos habet. O cæcam ſuperbiæ arrogantiam! Vel de eo, quod neſcis, arroganter ſuperbis? 1.

Seneca epiſt. 6.

Exodi 16. Hebræorum populus per eremum inuiam diu exerrat, & benè paſtus Dei eloquiis, malè temporarium eſurit cibum. Latrat fame venter, & obmurmurante rictu ductatorem acerbè morſicat. Eouſque hominibus inuiſam, eis Deus annonam prouidet: Manè ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in 2.

Scioli Hebræorum, dubitationem ſuam in Mã inferũt.

in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in

Exod. 16.15. ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. *Quod cum viaiſſent filij Iſrael, dixerunt adinuicem: Manhu? quod ſignificat: Quid eſt hoc? Ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.* Vident repente Iſraelitæ inſolitam pruinam quam cælum vbertim rorauerat, & inuſitæ rei ambiguitate, quid ſit addubitant, & dubium ſuum mutuò proponunt. Sed mirißimum eſt, Hebræos humanæ & diuinæ ſapientiæ tunc antiſtites, adhuc poſtquam à Moyſe audierunt: *Iſte eſt panis, quem dedit vobis Dominus ad veſcendum*, quaſi etiam poſt perſpicuum Moyſis reſponſum, ambigui perſiſterent, non *panem, quem dedit Dominus*, ſed *Manhu, quod ſignificat: Quid eſt hoc?* donum illud appellaſſe.

Theodoret. inibi. Acutè inibi Theodoretus, aliàs aliorſum enucleatus, ita ſcribit: *Cur Manna vocatum eſt? Quia cum mox illud conſpexiſſent, ſe mutuò interrogabant quid eſſet. Itaque hanc ei appellationem indiderunt: Sic enim Manna interpretatur. Neſciebant enim quid eſſet.* (Mentem arrige ad ea quæ ſubdit.) *Itaque factum eſt, vt interrogatio vicem nominis habuerit.* Eſto, Hebræorum scioli peritè interrogauerint, Manhu? quod interpretatur, Quid eſt hoc? cui Hebræorum ſapientum nemo congruè reſpondere potuerit; at Moyſes dubio perſpicuè reſponderat. Quorſum ergo in ipſo Manna dubitationem ſuam inſculpunt, *vt interrogatio vicem nominis habeat?* ô æternæ dubitationis inſcriptum memoriale! imò ambitioſioris arrogantiæ illuſtre monimentum. Scilicet adhuc poſt dubij reſponſionem, interrogatio perennet in nomine, quaſi nemo hominum ſit, qui huius scioli gregis dubio ſatisfacere poſſit. *No à nacido quien pueda reſponder à lo que noſotros vna vez dudamos.* O ventoſißimam inanißimorum hominum ambitionem! Sic vel de interrogatione, ignorantiæ ſobole, elatè ſuperbis, vt dubium, cui perſpicuè ſatisfactum eſt, à nemine ſoluendum præſumas? Dubitationem tuam in Manna inſcribis, vt cuicumque in mentem venerit Manna, non tam ipſum cognoſcat, quam eruditam tuam interrogationem legat? *Itaque factum eſt, vt interrogatio vicem nominis habuerit.* Præclarè quidem Theodoretus.

3. Ioannis 18. Chriſtus Deus, innocentiæ nitor, reus ſiſtitur ante Pilatum, quò in illum Iudæorum inuidia atrociùs ferocitet. Pilatus

Nec à Chriſto Deo dubiũ ſuum poſſe ſolui Pilatus arroganter præſumit? verò & præfecturæ ſublimitate, & litterariæ peritiæ faſtu ſuperbus, & accuſatores Iudæos non ſine ſtomacho excipit, & Ieſum in prætorio ſuper delatâ accuſatione cum ſupercilio interrogat. Tota cauſa ad præſumptum Iudææ regnum deuoluitur. Suſpiciones autem ambitæ purpuræ, Chriſti humilitas, paupertas, & ſatellitij neglectus, manifeſtè fruſtrantur. Regnum eius non eſſe de hoc mundo Chriſtus pronunciat: & ad hoc ſe natum, & in mundum veniſſe ait, vt teſtimo-

Ioan. 18. 38. nium perhiberet veritati. *Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterùm exiuit ad Iudæos*, &c. O Pilate, ſuper arduâ quæſtione incarnatam Dei Sapientiam interrogas; & dubitatione tuâ palam propoſitâ, Chriſti non expectas reſponſum? Subſiſte tantiſper, vt tibi reſpondens, mundum de veritate erudiat: *nam fere ab hominibus abolita eſt*, & *à cunctis erat incognita veritas*, vt notauit

Theoph. ibi. inibi Theophylactus. Cur faſtuoſus, magnâ quæſtione propoſitâ, non præſtolaris reſpon-

Caiet. ibi. ſum? Opportunè Caietanus ita fatur: *Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? hoc eſt, in quo conſiſtit veritas, de qua loqueris? Et cum hoc dixiſſet, non expectatâ reſponſione, iterum ſecundò exiuit ad Iudæos, & dicit eis*, &c. Scilicet ſublimitatis faſtigio, & peritiæ faſtu arroganter Præfectus turgens, dubium de veritate (re *à cunctis incognita, & ab hominibus abolita*) proponit Pilatus; & quaſi quod ille proponit dubium, nec à Dei corporatâ Sapientiâ poſſet extricari & diſſolui, *non expectatâ reſponſione*, de cæli ſchola reſponſurum negligit. *Propueſta ſu duda, dexa le con la palabra en la boca; preſumiendo que a lo que el duda, nadie puede dar reſpueſta, que ſatisfaga.* O inſanam scioli hominis, & de ſuâ peritiâ præſumentis, arrogantiam! Quid mundo definitionem veritatis inuides? Si ab alio ſcire ſuperbus detrectas, quod tu peritè dubitas, ne hominibus rei incognitæ notitiam inuideris. Audi veritatis definitionem, quam etſi tua elatio depretiet, reliqui homines ad communem eruditionem legant, & tanquam Dei oraculum ſuſpiciant. An veſana Præfecti arrogantia, dubium ſuum proponit, & *non expectatâ reſponſione*, erudiri negligit: quia neminem eſſe putat, qui quod ipſe peritè ambigit, poſſit ſapienter diſſoluere! O ſuperbiæ typhum, exoticæ peritiæ cognatum!

Hic v. 7. & 6. &c. Hoc ſuperbiæ contagio correpti ſunt Simeon & Leui, cognatâ elatione germani fratres, qui ſuprà cap. 34. interrogatione, non expectato reſponſo, fœdifragam crudelitatem defendunt, quo hîc alluditur.

---

§. CCXCIX.

Illuſtrior honos, dum vindictâ recuperari ambitur, egregiè periclitatur.

VIR magnus & ſapiens, cùm laudatur, non extollitur; cùm vituperatur, non iraſcitur; cùm 1.
durè læditur, blandè ignoſcit: magnanimi enim elogium eſt; vicem iniuriæ non reddere. Ita ſi malo offenſorem vincas, victor videberis, & victus eris: ceſſiſti enim inteſtino hoſti, femininæ inquam, paſſioni: porrò ob leuiculam læſionem, vltionem anxiè expetunt infantes, mulieres, ſeneſque, & ægri, & inualidum omne naturâ eſt querulum, & vindictæ appetens: facileque venit in iracundiæ poteſtatem, dum in ſuâ vix eſt. Hinc pacata & lenis iniuriarum condonatio, gratia morum eſt, gratiæ nitor, & nobile gloriæ fœnus. *Inualidum omne appetitu vindictæ acriùs extimulatur.*

Geneſeos 49. ob atrocem Sichimorum cladem, propter ſororis ſtuprum patratam, patien- 2.
tiam diu repreſſam ad eſt, acerbiſſimam & meritiſſimam iram, his verbis Iacobus effundit: *Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellan-*

Hic v. 5. & 6.

tua. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea; quia in furore ſuo occiderunt virum, (Sichem inquam) *& in voluntate ſuâ ſuffoderunt murum.* Alibi expendentes hanc Iacobi ſententiam, notabamus, quòd tametſi Iacobus iure ſuccenſeat his fratribus, quia contra initi pacti fidem, furore percìti in Sichimitas atrociter deſæuierunt; tamen inidoneo forſitan ſermone, illos vituperauit, aiens, *In cœtu illorum non ſit gloria mea.* Imò in cœtu illorum tutiſſima erit, ſiquidem in fœdi ſtupri vltionem, quod totam Iacobi familiam conſtuprarat, viriliter in arma ruentes, Sichimorum ſanguine infamiam diluerunt.

Præluſtris honor periclitatur vltione, non aſſeritur.

Caietanus: *In Hebræo pulchrius habetur: In ſecretum eorum non veni anima mea: in cœtu eorum non ſolus honor meus.* Quare Iacobi honos ſic in cœtum illorum ire ſolus timeat, ſine comite, qui illorum furorem mitiget, & iniuriæ indulgentiam pacatus ſuadeat? Tempeſtiuè Lipomanus: *In cœtu eorum non ſolus honor meus: ne periclitetur fama mea ex eorum conſortio.* Bellè quidem. Quaſi dicat Iacobus, præproperè Chriſtianus: Fama, honor, & gloria, tutiùs in mutâ patientiâ, & in iniuriarum condonatione reponitur, quàm in ambitioſâ iniuriarum vindictâ. Certò periclitatur vltione honor; patientia, iniuriarum aſylum eſt, & bonæ famæ præſidium: vindictæ cupiditas, auara gloriæ eſt, & quæ plus famam vltione deuenuſtat. Quid adulantius naturæ & gratiæ moribus, quam iniurias non exequi? Honorem fœnerat Deo, quiſquis vindictæ lucellum negligit. O glorioſam pietatis vſuram!

Caiet. ibi.

Lipoman. in Catena ibi.

3. Tandem peractis benedictionibus ſenectute confectus Iacob moritur: Ioſephi verò fratres, ſæuæ proditionis conſcientiâ inquietatur, timentes offenſi fratris potentiam. Et mutuò colloquentes: Ne fortè memor ſit iniuriæ quá paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus, mandauerunt ei dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, *Vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* Et cur Iacobus ipſe dum adhuc ſuperſtes erat, id non expetiit à chariſſimo filio, qui nihil peramanti patri denegaſſet? An verba ſua in offenſorum ore plus apud filium valitura præſumpſit ad veniam? *Fortè*, ait Lipomanus, *videntur patris ſe finxiſſe verba, licèt non dubitauerint voluiſſe id patrem; ſed pro Ioſephi dexteritate & manſuetudine nihil tale neceſſarium credidiſſe. Melior enim illi de filio exiſtimatio erat, quàm vt ſe vindicaturum formidaſſet.* Scilicet Iacobus patet generoſam Ioſephi indolem, & beneficam clementiam auguſtiſſimè honorauit, superuacaneum putans filium admonere de veniâ. Profectò ſi id exiſtimaret neceſſarium, planè & eiuſmodi exiſtimatione deuenuſtaret Ioſephi pietatem, & clementiam læderet. Non petit Iacob veniam pro filiis, infidis ſui fratris proditoribus, ne in ſuum Ioſephum iniurius exiſtat. Sic vel expectandæ vindictæ ſuſpicione, eximia offenditur virtus? Pius pater de pietate pro blanditur filio, dum reliquis filiis magnæ iniuriæ veniam non exorat. Extendiſſet Iacobus preces, ſi generoſa filij indoles hac ſuper re rogari pateretur. Rogauit autem arcanè Iacob, & quidem efficaciſſimè impetrauit, cùm nullas vidit cauſas rogandi. Sciebat enim, probè ſciebat vterque, quòd habet hunc finem vltio, quòd tandem vlciſci pudet.

Geneſ. 50 v. 17.

Iacob veniã non rogat pro filijs, ne ſuum Ioſephum dehonuſtet.

Lipom. ibi.

Attentus audiuit Ioſephus cauſas fraterni timoris, & quàm ſollicitè angerentur vindictæ metu, in eorum vultu inſcriptum legit: *Quibus auditis fleuit Ioſeph.* Eccur flet Ioſephus, cum fratres criminoſiſſimæ in illum offenſæ veniam expoſcunt? An quia etiam viro magnanimo ſic difficile & arduum eſt iniuriis ignoſcere, vt offenſarum venia lachrymas priùs extorqueat? Sic eſt volupe iniuriis iniurias perſequi! An potius opplorat Ioſephus, quia viri magnanimi clementia læditur, vel inferendæ vindictæ ſuſpicione? Cum Ioſephi magnanima virtus, femineæ vltionis ſuſpicione offenditur, femininas lachrymas reddit, vt viriliter maſcula putetur, quæ ſic acerbè eiuſmodi ſuſpicione feritur. Aliter hunc Ioſephi fletum accipit Lipomanus. *Quibus auditis fleuit Ioſeph. Nihil itaque minus in mentem venerat ſancto viro, quam ſe vindicare de illis.... quibus interim ſalutem impertitus, benefecerat ex animo.* Quaſi beneficentia in aduerſarios, ſit diſſimulata iniuriarum venia; & largitum beneficium, arcana offenſarum remiſſio. Scilicet hoc elogio auguſtior probatur illuſtris beneficentiæ virtus, quæ non tantummodo bonum donat; ſed condonat, ac pariter remittit malum. O humanarum offenſarum venia, diuinæ beneficentiæ appendix! Aliam plorandi cauſam eleganter his verbis tradit Rupertus. *Quibus auditis fleuit Ioſephus. Ingenita*, inquit, *clementiæ laus eſt, quòd auditis verbis fratrum ſuorum: Nos quoque oramus te, vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc, fleuit Ioſeph. Sanctiſſimum & optimum donationis vel remiſſionis genus eſt hoc, vbi illis qui peccauerunt non flentibus, ſed tantummodò confitentibus, ſolus ille flet, qui peccatis offenſus indulget.* Scilicet ſceleſti fratres ſiccis oculis flagitij reatum duntaxat confitentur: Ioſephus verò tanto ſcelere offenſus, illachrymat, de ſuo ſupplens, quod illis deerat ad veniam, illamque flendo ipſis arcanè indulgens. O nouum veniæ genus, dolere de impœnitentiâ offenſoris, & vicarias eius vices plorando & pœnitendo gerere! *Solus ille flet, qui peccatis offenſus indulget.* Sanctiſſimum planè & optimum remiſſionis genus, & quod votis veniam præcurrit!

Geneſ. 50. v. 17.

Flet Ioſephus ſuſpicione vindictæ læſus!

Lipom. ibi.

Beneficentia in offenſores, eſt diſſimulata venia.

Rupert. ibi.

Qui deflet offenſam ipſe illatam, illã arcanè remittit.

---

§. CCC.

Blandimenta inimici offenſam exaggeratiùs irritant.

1. FALLENTES decet exquiſiti lenocinij vrbanitas; dum penicillo fucata mendacij, de peregrinâ ſpecie blandimentum ſumit oratio. Res planè ſummo digna piaculo, miſcere diſcordantia, & in vnum colligere inimici animum & perſonã amici, & dum ſimulatis ſubornat gratiã obſequiis, maiori odio dignus probatur. *Agaſajos de vn enimigo, à todos dan en roſtro ſiempre*, nam vltroneum

neum inimici obſequium ſemper lenocinatur offenſæ.

2. *Impius Cain primus omnium munera Deo obtulit.* Gen 4. 3. Adamus & Eua paradiſi exules, amiſſæ immortalitatis candidati, generationi vacant, quò perpetuentur in poſteris. Impius Cain mortalium primus naſcitur, ſuccedit Abelus, pietatis idea. *Factum eſt autem poſt multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis.* Primum donum quod refert Scriptura (& quod honoris causâ LXX. interpretes *ſacrificium* appellant) Deo oblatum, ab impiiſſimo Caino offerendum erat? Et cur non à pœnitente patre, aut à fratre piiſſimo? Sic eſt officioſa impietas, vt pietati præcurrere videatur? In re quoque virtutis primas ferre ſatagit vitium, ingenio ambitionis, & mentitæ probitatis artificio? Sed attende ad rei euentum. *Et reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Ad Cain verò & ad munera illius non reſpexit.* Pulchra hinc oboritur quæſtio, neque ad thema præſens importuna. Quare Deus tunc primò & maximè ſe oſtendat offenſum Caino, cùm ille munera vel ſacrificia ipſi offert? Fortè præſtaret, vt Deus antea inſinuaſſet offenſionem, aut offenſionis inſinuationem in aliud tempus diſtuliſſet. Cùm Cain mortalium primus, ceteros præcurrit Deum muneribus honorare, & adſimilis pietatis exemplum præbet reliquis imitandum, tunc dehoneſtari debuit indecorâ repulsâ? Profectò nemo eſt, qui nimis non faſtidiat & auerſetur mentita veri inimici obſequia. Infeſtior eſt inimicitia peregrinâ amicitiæ ſpecie tecta, mentita, falſata. *Geneſ. 4. 5. Infeſtior eſt inimicitia, ſpecie amicitiæ mentita.* Beneuolæ amicitiæ larua inimicum tegere, ingenium fallendi eſt, & nequioris malitiæ vaſtamentum. Vnde Dei inimicus Cain, olim cum reliquis innotatus præteritur; cùm verò beneuolentiæ obſequiis diſſimulare inimicitiam præſumit, & ſimulare amicitiam, tunc maximè infamiori repulsa dignus cenſetur.

3. *Lenocinia hominis de amicitiâ ſuſpecti, timorê exaggerant.* Iob 4. 16. Eliphaz Themanites inter garrulos, quos in Iobum iactauit ſermones, hæc fatur: *In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines: pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt. Et cùm ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ: ſtetit quidam, cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis,* (Nota ſubiecta verba) *& vocem quaſi auræ lenis audiui.* Quiſnam hic eſt, quem ſic horret Eliphaz Themanites? & cur magnanimus vir ſic expalleſcit? Vocem *auræ lenis* audit, & ſic exhorret? Quid timet ab auræ lenis pacato ſuſurro? Imò quid non timeat ab eo, quem ſic exhorreſcit, & ſibilo *auræ lenis* lenocinantem ſibi conſiderat? Non tam timet inimicum ſpectrum, ſed in ſpectro, quod agnoſcit eſſe inimicum, *quaſi auræ lenis* lenocinantem vocem. *Sanctius hic putat eſſe Dæmonem.* Vnde vbi Vulgatus legit: Et vocem quaſi *auræ lenis audiui*, ita Hebraicè legitur: *Et ſilentium, & vocem audiui:* Symmachus verò: *Silentium vocis audiebam.* Et ſanè Hebræa vox דממה *Demamah*, ſilentium ſignificat. Scilicet Eliphaz Themanites horrendum quid timet, & ſibi præcauet diligenter, dum amicam *vocem quaſi auræ lenis* audit ab inimicâ hominis ſpecie: audit enim *vocem, & ſilentium*, vel potiùs *ſilentium vocis*, id eſt, quid amica inimici vox, dum auræ lenis ſpecie lenocinatur auribus, & amicè blanditur, diſſimulanter ſignificet. Nempè ſub amicâ voce atrociter tectum inimici animum videt. Quaſi non tam timeret horrendam ſpeciem, ſi horrendum quid reſonaret, quàm timet *lenis auræ* vocem in ſpectro inimico. O caue ab inimico ſe te beneuolè in amicitiam inſinuante. Simulato amico, aut diſſimulato inimico nullus eſt odibilior aut infeſtior hoſtis. Audi diligens & attentus, non tam *auræ lenis* vocem, quàm *auræ lenis* ſilentium. Non quid blandè dicat, ſed quid durè ſileat, & in mente tractet, audiendum eſt. Nam inimici blandimentum plura ſignificat, quàm dicit. Dicit lenia, & aſperiora ſignificat. Vnde peritus Eliphaz non tam vocem, quàm *ſilentium vocis audiebat* in ſpectro inimico.

Hinc tam odioſa fuit malitia Simeonis & Leui, quia fœderis prætextu ſe amicè Sichimitis inſinuarunt. *Hic v. 6. & 7.* Præſtaret, præſtaret quidem, vt apertas agerent inimicitias, ne religionis & fœderis obtentu, ſæuiendi occaſionem captarent.

§. CCCI.

Seueriſſimum alienæ virtutis Zelum, terra timet, cælum remuretur.

Non iraſcitur ſapiens peccantibus. Quare? Quia ſcit, neminem naſci ſapientem, ſed fieri. Scit pauciſſimos omni æuo ſapientes euadere: quia conditionem humanæ vitæ perſpectam habet. Nemo autem naturâ ſanus naſcitur. 1. *Seneca l. 2. de Irac. 10.* Quid enim ſi mirari velit, non in ſyueſtribus dumis poma pendere? quid ſi miretur ſpineta ſenteſque non vtili aliquâ fruge compleri? Nemo iraſcitur, vbi vitium natura defendit. *Nimius alienæ virtutis zelus, imperij verum vitium eſt.* Placidus itaque ſapiens & æquus erroribus, non hoſtis, ſed correptor peccantium, hoc quotidie procedat animo. Multi mihi occurrunt vino domiti, multi libidinoſi, multi ingrati, multi auari, multi furiis ambitionis agitati. Omnia iſta tam propitius aſpiciet, quàm ægros ſuos medicus. Numquid ille cuius nauigium multam vndique laxatis compagibus aquam trahit, nautis, ipſique nauigio iraſcitur? Occurrit potiùs, & aliam excludit vndam, deinde aliam egerit, manifeſta foramina præcludit, latentibus & ex occulto ſentinam, labore continuo reſiſtit; nec ideò intermittit, quia quantum exhauſtam eſt, ſubnaſcitur. Non lento adiutorio opus eſt contra mala continua & fœcunda, non vt deſinant, ſed ne vincant. Hucvſque Seneca ex conſultioris prudentiæ adytis. Sic zelus ex virtute circa aliena errata aut malefacta ſe gerit; non furit, non inſanit; ne re infectâ, remediis potiùs, quam morbo ægra reſpublica laboret. Nullum eſt pernicioſius vitium, quàm quod ſpecie virtutis tectiùs abſconditur. Facile & expeditum eſt, alios velle ſanctiſſimos, quod nullo ſui impendio conſtat: ſe verò ſanctiſſimum facere, arduum & operoſum eſt. *Eccl. 7. v. 17.* *Noli eſſe iuſtus multum: neque plus ſapias quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.* Nimius alienæ virtutis zelus, imprudentiæ alumnus eſt, regendorum morbus, regiminis euerſio, & virtutis ſæpè naufragium. *Iudith 9. Hic v. 6. & 7.* Scio Iudithan laudaſſe Simeonis & Leui zelum: ſed illum valde hîc Iacobus reprehendit.

2. Febriebat illa quondam magna vrbs Niniue,impietatis ardore : eam ægram vt vidit humaniſſimus Creator,mittit Ionam, qui morbo medeatur. Nam etſi animam oderit improbe viuentem,naturam tamen morbo aliam factam miſeratur, & ſuæ manus figmentum recognoſcit. Credita igitur Prophetæ mali curatione, mandat ægros ante adeat, quàm morbus auctior mortis ſuffragium confirmet : Surge,inquit,& vade in Niniuen ciuitatem grandem,& prædica in eâ:quia aſcendit malitia eorum coram me. *Et ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis à facie Domini.* Dei Propheta diuinæ immenſitatis & omnipotentiæ benè conſcius, à facie Dei fugere præſumit? Et quare cæleſtes minas peccatrici vrbi intimare recuſat? Putauerim, Ionam inclementiæ, & nimij zeli morbo tentatum. Nam vt ſubtiliter notauit Baſilius Seleucus, fuga nititur Dei imperium excuſſiſſe. *Verſabat ſiquidem animo cogitationes, quibus latentem Dei beneuolentiam inueſtigaret. Si ſuppli-*

Nimius Ionæ zelus contra aliorum malitiam caſtigatur.

Ionæ 1 3.

Seleuc. Orat. 12.

3. *cia,inquit,de Niniuitis eſſent ſumenda, gaudens vtique obſequerer imperio,adminiſter eſſem pœnæ impiorum : odi enim ciuitatem impiorum, ſedes impiorum execror,ciuitatem criminum officinam, odi populum luxus opificem, à temperantiâ alienum,cupiditatis obſequentem. Nam eiuſmodi populus armatam in Deum linguam gerit, vrbs eſt idolorum amans, Dæmonum ſerua,ignara Creatoris....Noui Dei hominum amantiſſimi artes,iram ſimulat,ſtudet eos antè exoluere pœnâ, quàm experiantur. Ego vero euerſionem proclamans,mendax vates inueniar,ex duobus hiſce malis mœrore conficiar,& mendax videbor, & inimicam vrbem ab infortunio ſeruatam videbo.* Vides in quos contumaciæ ſcopulos nimius zelus Prophetam impulerit? Deinde Ionas naufragio eruditus, non mitigatus, Dei edictum intonat in vrbis plateis. Niniuitæ igitur ambitioſo pœnitentiæ ſqualore, Dei minas auertunt. *Ionæ verò*(pergit Baſilius) *grauis erat & acerba eorum ſalus. Eminus enim ſedens ciuitatis euerſionem ſpeculabundus obſeruabat. Vt autem Dei clementiam regnare vidit,luget finiri luctum,& Niniuitarum ſancta deiectio peruenit ad Prophetam. Et afflictus eſt,inquit, Ionas afflictione magnâ,& iratus eſt, & orauit ad Dominum, & dixit : Obſecro Domine, numquid non eſt hoc verbum meum,cùm adhuc eſſem in terrâ meâ? Propter hoc præoccupaui,vt fugerem in Tharſis : ſcio enim quia tu Deus clemens,patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitiâ. Et nunc Domine tolle quæſo animam meam. Hæc eſt occaſio fugæ meæ, tuâ humanitate cognitâ Prophetæ partes recuſabam : ſciebam quòd paucis peccatorum lachrymulis indignari deſinas, commoto non credebam, innatam tibi commiſerationem animo reputans.* Ecce tibi graphicè depictum nimis ſeuerum de aliorum impietate zelum. Tabeſcit Ionas, mœrore conficitur, & mortem expetit anxius; quia conſultiſſimæ Dei clementiæ refragari non eualet. Et cui *grauis erat & acerba Niniuitarum ſalus, Deo commoto non credebat.* Hæcne virtutis Zelus cogitet?

Ionæ 4 v.1.2.& 3.

Nimis zelotypus Deo irato non credit.

4. 3.Reg.17. *Et dixit Elias Theſbites ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto,ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* O lingua quæ cælum frænas! homini diuinæ gloriæ ardentiſſimè æmulatori, cæli habenas permittit Deus? Seuerus Eliæ zelus iurat per Creatorem, vt iuramenti metu ac reuerentiâ creatura vim ſuam reprimat. *Viuit Dominus.* Quòd Iudæi,inquit, in Idolorum adorationem inclinarunt, quod auctore vitæ relicto Dæmonibus mortis auctoribus ſe dediderunt; propriis edocti calamitatibus Viuentem agnoſcant, & condiſcant,per quem mortem oppetant. Vtantur fame religionis magiſtrâ, quis imbrium pincerna, & pluuius Iuppiter ediſcant ſiccitatis malo concuſſi. At propenſam Dei in homines beneuolentiam Eliæ zelus metuit, ipſam longo experimento nouit, vt citò lachrymis concilietur, nouit vt ſupplicationibus flectatur, nouit vt modicâ conſilij factive retractatione pœnas contrahat; inde ne præmaturum det ab imbrium catenâ laxamentum, metuit; metuit ne ſupplicij medicamentum reddatur inefficax,& ingratus populus perduret in bonitatis diuinæ contentione. Quid agat tandem? Dei charitati iureiurando ſpontaneam quodammodo vim affert,vt ſi dicat ei Deus ab hominibus ſuppliciter exoratus: Effundam pluuiam hominibus, Elia? ei reſpondeat: Nequaquam. *Viuit Dominus,non erit per hos annos ros, neq; pluuia ſuper terram,niſi per os meum.* Eſto, cælum remoreris, ô Elia, quid Dei compeſcis humanitatem? Eſto, vel aduerſus conſeruo,edicta extrahas, quid Domini poteſtatem rapis? Nubes coërcuiſti, at creatori vel imperium committito. Nequaquam. (Eleganter & opportunè ſuper hac re, nuper laudatus Baſilius ſic ſcribit.) *Viuit Dominus: niſi per os meum,&c. Religionis magiſtrum,inquit Elias,me populo emiſiſti, doctorem impiæ multitudinis me conſtituiſti,*

Deus ipſe Eliæ Zelum reueretur.

Baſil Seleu. Orat. 11.

da mihi & puniendi poteſtatem. Noui ego quis ſit impijs punitionis modus: Niſi per verbum oris mei non erit ros,neque pluuia. Compulſus Eliæ poteſtatem fecit Deus, miſerans quidem eos,qui dignè puniuntur, (nota quæ ſubdit verba) *reueritus tamen Prophetæ Zelum.* Et paulò ante dixerat: *Reueritus ſiquidem eſt Deus ardorem pietatis,& Eliæ creatura habenas permiſit.* Audis Deum ipſum *revereri* ardorem pietatis Eliæ, & Prophetæ *zelum revereri*? ô lingua, quæ cælum frenas! ô Propheta, quem Cælum, tanquam gubernatorem timet! ô Zelum, quem Deus ipſe *reueretur*! Quid exaggeratius de zelo dici potuit? Deus, Deus inquam, ipſe, cui omnis creatura obſequitur, ſeruit, adorat, ſeueriorem Eliæ Zelum *reueretur*? Quid eſt *Reuerentia*, niſi ingenuus quidam pudor ſeu metus, cum obſeruantiâ quadam coniunctus: qualis eſt minorum natu erga maiores, & plebeiorum erga Magiſtratus? Hâc hyperbole explicat Baſilius, quàm ſit hominibus reuerendus, & formidandus, qui ſeueriſſimo virtutis Zelo ardenter exæſtuat, & quàm ſeriò cum diuinâ miſericordiâ contendat, illam coërcere militans, quò diuinæ iuſtitiæ rigores accerſat. An Zelus Deum non ſinit eſſe clementem? 5.

3 Reg. 17 1.

§. CCCII.

Rei bonæ expetendæ non bonus modus, rem totam egregiè conſtuprat.

QVi virtutem populis præcipit, non debet honeſtatis fines introrsùm metari, 1.
ſed

ſed laxum pietati limitem aperire. Virtutum riualis, non tantùm honeſtatem deamet, ſed illam opere exequatur. Non poterit autem illam opere exequi, niſi modum in exequendo teneat. Multi recta appetunt, recta operantur, ſed

Rei faciendæ modus maximè obſeruandus.

cùm rectitudinis modo deſtituuntur, in obliqua flectuntur, & prauè curuantur. Caue ne recta obliquè facias, cùm à rectitudinis modo deflectas. Rei bonæ non bonus modus, rem aliàs bonam deprauat, inuitiat, deturpat, & ex probâ improbam tibi reddit. *Mucho va en el modo.* Quid refert, quòd ſit honeſta vis animi, quod bonum intendat, quod à bono incipiat, niſi actionem illam virtutum modus bonam faciat? Heu quoties bona, ſic facimus mala, quia malè facimus! Explorandum eſt rei exequendæ tempus, captanda non inidonea occaſio, obſeruandus modus, ne bonitas in malitiam degeneret, & res honeſtatis ſcortetur in vitiorum proſtibulis.

2. Matth. 20. v. 20. & 21.

Matthæi 20. *Tunc acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.*

Rei petitæ cenſus, modus petendi eſt.

Cuius petitionis repulſam, duos Apoſtolos tuliſſe, plerique putant: nec enim ſine renutu videtur Chriſtus dixiſſe: *Neſcitis quid petatis*, & mox, *Non eſt meum dare vobis.* Ceterùm Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus ſeriò cenſent, ſpiritualia petiiſſe, & rem Apoſtolis dignam poſtulaſſe. Cur ergo ab omnibus hæc petitio reprobatur? Et ſanè Chriſtus Deus eam diſertè damnauit, aiens: *Neſcitis quid petatis.*

Imperfectus homil. 35. in Matth.

Auctor verò operis imp. inibi ita fatur: *Non dicimus, quòd rectè peteret hæc mulier; ſed hoc dicimus, quia non terrena, ſed cæleſtia filijs ſuis optabat.* Meritò damnatur hæc petitio, quia etſi cæleſtia petit, *non rectè petit.* Petit importuno tempore: nam dum Chriſtus agebat de Paſſione, *Tunc acceſſit ad Ieſum*, expetens gloriæ ſedes. Petit prærogatiuam, adſtantibus ceteris Apoſtolis, quod eorum prouocauit indignationem: *Et audientes decem indignati ſunt de duobus.* Petunt, quod illis iam promiſſum erat, quaſi ambigerent de promittentis fide, deſiderij impatientiâ: *Neſciunt enim quid petant*, ait Hila-

Hilar. ibi.

rius, *quia nihil de gloriâ Apoſtolorum ambigendum erat, iudicaturos enim eos ſermo ſuperior expoſuit.* Quid importunos interceſſores aduocant ad obtinendas ſedes, quas Chriſtus Deus Apoſtolici collegij Rector, illis vltrò donandas promiſerat? Scilicet recta non rectè negotiantur; & ideò rei ipſis debitæ velut repulſam tulêre, dum audiunt: *Neſcitis quid petatis*, &c. *Non eſt meum dare vobis.* Res petita placet; tempus petitionis, & modus petendi faſtiditur, & retunditur: ô quoties iuſta & honeſta à Gubernatoribus poſtulamus; & fortè quæ meremur, & ad quæ ipſi nos mente deſtinarant; & tamen quia præmaturo tempore illa audiùs expetimus, aut importunâ occaſione, aut inidoneos interceſſores inducimus, aut nimis auidè illa procuramus, recta alioqui petitio faſtiditur, & quaſi non recta refutari videtur: & quod meriti res eſt, velut negotium ambitionis reiicitur. Recta rectè tractanda ſunt: ſæpè enim modus rei, ipſius cenſus eſt. Hinc Simeon & Leui hic

Hic v. 7.

egregiè culpantur, quia fortè rem bonam, ſed non benè egerunt.

3. Iſaiæ 14. v. 13. & 14.

Iſaiæ 14. primus ille ſpirituum coryphæus, ex nuper Angelo, exinceps malus Dæmon, ſic dicebat in corde ſuo: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Quæ verba SS. Patres & expoſitores de refugâ Angelo, apoſtatarum principe interpretantur, (litteraliter, an myſticè; an myſticus ibi ſenſus litteralior ſit; an duplicem litteralem ſenſum capiat hic locus, aliàs pluribus diſputabamus.) Scilicet in auſpicio rerum, Dei verbo in cælis ortus eſt Lucifer, ſplenduitque lucis flore; ſed confeſtim delicto marcidus, defloruit, & occubuit, inferorum tenebris infernè tumulatus. Cui eleganter inibi multis inſultat

Præmaturè Lucifer, quod habiturus erat, concupiſcit.

Propheta. Ceterùm valde operoſum eſt diuinare, quodnam fuerit Angelorum delictum, præſcriptis verbis ab Iſaiâ expreſſum. Profectò cùm ferè conueniat inter expoſitiuæ & ſcholaſticæ Theologiæ proceres, Angelos in cælo creatos eſſe, quo pacto, niſi ſtultè dicere potuit: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum?* Quis ambit, quod poſſidet? Prætereà cùm ipſemet Lucifer ab Ezechiele dica-

Ezech. c. 28. v. 12.

tur *ſignaculum ſimilitudinis*, quo modo ſuperbiuit, aiens: *Similis ero Altiſſimo?* Valdè SS. Patrum, & interpretum deſudat induſtria, vt peccatum Angelorum aſſignent, præſertim cùm Angeli, quod habebant, appetiiſſe videantur. Non auſim negare, aut ſuperbiam, aut inuidiam, aut quid his vitiis affine, fuiſſe Dæmonum delictum, (de quo eruditè Salianus) ſed

Salianus de mundi 3.

addere iuuat, inidoneum etiam rei expetendæ modum. Vix Deo ſimilis creatus eſt Lucifer in cælo, & auguſtiorem Dei ſimilitudinem, atque empyreas ſedes, confeſtim exambit? Reliqui Angeli, qui illas non ſic expetiuerunt, poſtmodum eaſdem adepti ſunt, (nam vt docet An-

4. Anſel. lib. de caſu diab. c. 4.

ſelmus: *Angelus appetijt illud, ad quod peruenisſet, ſi ſtetiſſet*) quid ipſe præpropere Angelicæ œconomiæ ordinem interturbat, & Dei conſilia anteuertere ſatagit? Similis eſt Deo per naturam, nec delinqueret ſublimiorem appetendo ſimilitudinem, *Dummodo ſimilitudinem Dei, debito ordine appeteret adipiſci*, vt luculenter

S. Thom. 1. p. q. 63. art. 3. in corp.

notauit Angelicus doctor. Ecce ex Angelo fit Dæmon, quia etiam indebito ordine, & modo inidoneo rem concupiuit. Sic debitus ordo, & congruus rei expetendæ, modus captandus, & obſeruandus eſt: Sic rei modus ad rem facit? ſic in rem ipſam rei adipiſcendæ modus malitiam reuerberat? Et ſanè animaduerſione digniſſimum eſt, Angelum in cælo creatum, dixiſſe in corde ſuo: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum*, & duos Apoſtolos, qui ex Chriſti ore nuper audierant: *Sedebitis & vos ſuper ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael*, eaſdem ſedes non rectè poſtmodum expetiiſſe, vt notabamus ex Hilario aiente:

Hilar. ſupr.

Neſciunt enim quid petant, quia nihil de gloriâ Apoſtolorum ambigendum erat, iudicaturos enim eos ſermo ſuperior expoſuit, quo valdè exaggeratur non boni in rebus expetendi modi pudenda malitia, quo ambitionis notatur impotentia, & præmatura dignitatis appetentia, quæ vel quod præhabet, inſipienter exambit.

§. CCCIII.

Scriptioni operam dare, inter Simeonis maledictiones computatur.

1. MAGNVM prouentum Scriptorum hæc ætas tulit. Iuuat me quòd vigent ſtudia, proferunt ſe ingenia hominum, & oſtentant. Verùm ſic ſcripturit, vt peritus, ita & imperitus, vt multi lectorum querantur, ſe tempus, quia legendo non perdiderint, perdidiſſe. Verùm eò magis laudandi probandique ſunt, litterati viri, quos promiſcua ſcriptorum turba à ſcribendi ſtudio non retardat; cùm olim & nunc propè æquali calamitate iactentur.

Geneſeos 49. ſenex Iacob, & morti proximus, duodecim filiis, totidem tribuum patriarchis benedicturus, eos congregat; & peractâ Rubeni primogeniti prophetiâ, ſuccedit Simeonis & Leui benedictio, ſic prophetice fatus: Simeon & Leui vaſa iniquitatis bel-
Hîc v. 7. lantia..... *Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël.* Hęcne beneuola patris benedictio, an dura in paucis maledictio? Sed examinandum eſt, an reipsâ impleta ſit in Simeone: nam
Simeoniani ſcriptioni, & pædagogia ex Simeonis maledictione addicuntur. in Leui adimpletam fuiſſe nemo neſcit; cùm Leuitæ funiculorum exortes, reliquis tribubus degebant permixti. At Simeonis diſperſio, impeditam valdè quæſtionem mouet: nam ſuus Terræ promiſſionis tractus Simeonianis in
Caiet. ibi. ſortitione obtigit. Tempeſtiuè Cardinalis Caietanus ſuper hac quæſtiunculâ ita fatur ad præfata verba, *Diſpergam eos in Iſraël. Pœna hæc, inquit, quoad tribum Leui adimpleta mani-*
2. *feſtè eſt. Quoad pœnam verò Simeonis, non ita perſpicua eſt: non legitur ſparſa inter alias tribus; ſed ſolummodò quod ſortem non habuit* (id eſt, ſortis ſuæ hoſtes non potuit debellare) *in diſtributione Terræ promiſſionis, ſed in ſortem Iudæ recepta eſt.* ô pergrauem & moleſtiſſimam pœnam, precariò à germano fratre, & quidem minori, accipere, vnde viuere poſſis! Pergit Caietanus. *Aiunt tamen Hebræi, verificari hanc prophetiam Iacob, eo quòd omnes Pædagogi, & ſimiliter omnes ſcriptores in ſingulis tribubus, erant*
Lipom. in Catena, ibi. *de tribu Simeonis.* Addit Lipomanus: *Iudæi autem dicunt, non eſſe pauperem Scribam, vel Pædagogum niſi de tribu Simeonis.* (hic locus materiam vberiori de Scriptoribus tractationi ſuggeret.) Opinor non malè hîc vapulat pædagogiæ perchârum munus. Sed nota mihi inter Simeonis maledictiones computari, eius poſteros ſcriptioni vacare. Maledictione quis addicitur, vt *Scriptor* ſit? Paupertas, perito, & imperito Scriptori agnata eſt, & vaga egeſtas ſcriptionis appendix? Litteratura quæ libros ſcripturit, & pædadogia quæ mores inſtruit, cognatâ inopiâ, & exilio damnatur? Puto, ſic acerbè damnatur, hanc ob cauſam; aut quia imperitè ſcribunt, aut quia imperitorum vulgo imperitè admiſcentur. Hodie peritus quiſque ſcriptionis reus, & paſſim vel ab imperitis damnatur. Ecquis proprio ſtudio Simeonis maledictionem acceṙſat?

3. Matthæi 8. eximiè de more concionatur
Matth. 8. v. 19. & 20. Chriſtus, & miracula Deo digna edit. *Et accedens vnus Scriba ait illi: Magiſter ſequar te quocumque ieris.* Aduerte, ſi placet, an his Scribæ verbis Chriſti reſponſum congruat: *Et dicit illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis, non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Quam ob cauſam vltroneus hic Scriba reiicitur, & mox alius ad Chriſti ſequelam propè inuitus adſcitur? Sequi Chriſtum Scriba ſpondet, & de vulpium pauperie illi reſpondetur? Cenſuerim, in hoc Scribâ adhuc Simeonis maledictionem vigere, & vſque ad Chriſti tempora perdurare. Eruditè in præfata verba ſic ſcribit Hieronymus. *Iſte, inquit, Scri-* S. Hieron. ibid.
ba, ſi dixiſſet: Domine ſequar te quocumque ieris, non fuiſſet repulſus à Domino. Sed quia Magiſtrum vnum de pluribus æſtimabat, & litterator erat, quòd ſignificantiùs Græcè dicitur γραμματεὺς, ideò non habet locum, in quo poſſit Ieſus reclinare caput ſuum. Oſtenditur autem nobis, & ob hoc ſcribam repudiatum, quòd ſignorum videns magnitudinem, ſequi voluerit Saluatorem, vt lucra ex operum miraculis quæreret. Verùm ta- *Grauatè fert Chriſtus vnũ de pluribus Simeonianis ſcriptoribus haberi.*
Ennod. dict. 1. metſi *Fallentes decet vrbanitas, dum periculo fucata mendacij, peregrinum decorem laudanda verbo tenus, ſumit elocutio:* tamen qui honos eſt, vt hic Legiſperitus Chriſtum Deum, non *Dominum*, ſed *Magiſtrum*, & ſui ſimilem *Litteratorem*, grammateum, ſeu Scribam, aut Scriptorem appellet? Vnde inurbanæ contumeliæ pœnas debitas repulsâ tulit: quam non tuliſſet, ait Hieronymus, ſi non litteratorem, Scriptorem, aut Scribam ſui ſimilem, nuncupaſſet, ſed Dominum. Quaſi Simeonianæ maledictionis participem faceret Chriſtum, non ex ſcripturienti Simeonis tribu, ſed ex generoſâ & opulentâ Iudæ progenie ortum. Vnde quia hic Scriba Chriſtum, ſui ſimilem litteratorem Simeonianum dixit, & vnum de pluribus, qui diſperſi erant in Iſraël, ex ſcriptione lucellum ad vitæ ſuſtentationem vtcumque reportantes; adſpectu fortè ad litteratorum pauperiem, reſpondit: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet: *Quia Magiſtrum vnum de pluribus æſtimabat, & litterator erat, ideò non habet locum, in quo poſſit Ieſus reclinare caput. Oſtenditur autem quod ſequi voluerit Saluatorem, vt lucra ex operum miraculis quæreret.* Vides quàm grauatè tuliſſe Chriſtus videatur, appellari litteratorem, Scribam, ſeu Scriptorem, Simeonianis ſimilem; & quàm tempeſtiuè de paupertate reſponderit? Heu, olim, & nunc ſcriptio, non tam res eruditionis, quàm arbitrium lucroſæ negotiationis ſæpè eſt, & de Simeonis maledictione penuriam vitæ ſuſtentant! Otium ingenij factum eſt lucri negotium.

§. CCCIV.

Neceſſariuſne eſt prophetiæ ſpiritus, ad hiſtoriam retrò acti æui verè narrandam?

1. CANA legentium conſilia haud tutò ſe credunt ſcriptoris cuiuſuis relationibus. Etenim res benè aut malè geſtæ veterum noſtrorum, pro referentis apud nos facultate virtutem accipiunt, aut vitium. Nam

Humana hiſtoria ſæpè incerta fidei eſt.

Nam verum aut ſcriptorum inopiâ periit notitiæ; aut attenuatum tranſit ad poſteros, quod ad explicandum pauper vena ſuſceperit: aut referentis humanus affectus (id eſt hiſtoriæ venenum) ſinceram infeſtauit relationem: aut enormis mentiendi libido, de veritate aliquid detrahendo, adiiciendo, demutando, garrulâ ſtyli licentia, perſæpè adulterauit veritatem hiſtoriæ. *Eat nunc & cothurnatis relationibus Alexandrum iactet antiquitas, cui fama opulentiam peperit dos loquentis, vt per adiutricem facundiam: videatur creſcere rebus mendica laudatio,* inquit Ennodius de Theodorico, apud quem, & Aurelium Caſſiodorum, & Sidonium Apollinarem, ſic ſui Regis ſcintillant virtutes, vt niſi ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ nota eſſent eius vitia, inter primos virtutis heroës Rex Theodoricus à iuniori ætate cenſeretur: ô quàm nitidis facundiæ riuulis hiſtoriarum mendacia rigantur, & fidem imperitorum feliciter fructificantes, infelicem faciunt veritatem, vberi falſitatis prouentu!

Ennodius in Panegyri.

2. Haud eſt ingrata quæſtiuncula, quam non omittunt Pentateuchi expoſitores, quare Moyſes, qui in totâ Geneſi olim præterita narrat, ob eius libri ſcriptionem Propheta dicatur: ſiquidem narrare præterita, res eſt humanæ diligentiæ, & diligentioris induſtriæ, non autem negotium prophetiæ. S. Gregorius, re & nomine magnus, ſuper hâc diſputatione ita ſcribit: *Sciendum quoque eſt, quia prophetia tempora inuicem ſibi conciunnt ad probationem, vt aliquandò ex futuris præterita, aliquandò ex præteritis probentur futura. Dixerat enim Moyſes: In principio creauit Deus cælum & terram.* Diligentiùs adnota quæ ſubdit verba: *Sed quis crederet quia verbum de præterito diceret, ſi de futuro etiam aliquid non dixiſſet?* Scilicet præterita verè narrare, vſqueadeò eſt arduum, vt Moyſes Prophetarum apex, & veritatis idea, aliqua futura prædixerit, quò fidem faciat his, quæ de præterito ſcripſit. Sic eſt hominibus cognatum ea quæ olim acciderunt, aliter quàm ſunt, enarrare, & annoſam priſci ſeculi veritatem adulterata narratione conſtuprare? Nemo crederet, Moyſen verum de præterito dixiſſe, ſi per prophetiæ afflatum *de futuro etiam aliquid non dixiſſet?* Propheticâ futurorum prædictione, quæ futuris exindè ſeculis acciderent, fidem Moyſes ædificat præteritorum hiſtoriæ? Viderint hiſtoriographi, qui res planè indiſcuſſas tradunt: viderint teſtes, qui inexplorata teſtimonia deferunt: viderint eruditi, qui putantur retrò geſtorum archiua, penè ſpiritu prophetico opus eſſe ad narranda præterita abſque leuis mendacioli labe, & falſitatis næuo: ô præteritorum ſæpè falſatam fidem? ô relationum adulteria? ô nimis credulas quorumdam aures!

Moyſes futurorum prædictione fidem facit hiſtoriæ præteritæ.

Greg. hom. 2. in Ezech.

3. Primæ diei præclarum opificium honorariâ clauſulâ (in aliis etiam diebus repetitâ) concludit Deus, aiens: *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Veram inquam, bonæ lucis bonitatem vt Deus approbet, ſe eam vidiſſe oculis atteſtatur. Non verè approbat Deus, niſi quod mentis ſuæ perſpicacia commendatione dignum intuetur? ſubtiliter Caietanus voculam illam *vidit*, ita expendit. *Vidit Deus lucem quod eſſet bona. Videndo, non ex relatione percipiendo, vtilitatem, appetibilitatem, ac bonitatem lucis à ſe facta, illam approbat.* Nempe, quia vidit Deus lucem quod verè bona ſit, eam approbat; non quia apparitores Angeli ſuo conditori applaudunt de verâ lucis bonitate: ô nimis ſuſpectas ex aliena relatione partas rerum notitias! Amor, inuidia, familiaritas, gratitudo, odium, ambitio, linguam, aut ſubornare ad extorquendam laudem, aut inſtigare ad impingendam vituperationem, crebrò ſolitant. Amor bonitatem fingit, inuidia cudit prauitatem, reliqui affectus rem nutu colorant. Deus ipſe, qui falli nullatenùs poteſt, vel præclaræ luci veriſſimam bonitatem, ex viſione, non ex relatione approbat. Sapiens non ſe tuto relationibus credit, ſed fidem relationis explorat, vt ita fideliùs veritatem collimet, quia ſapiens non credit incerto.

Gen. 1. v. 4. *Deus non ex relatione, ſed ex viſione rei veritatem metitur ad laudem.* Caiet. ibi.

---

§ CCCV.

Nulla ſcriptio, vel in ſuæ peritiæ aſylo, ſatis eſt tuta à vituperonum cenſu?

1. FATVVS erit qui ſcripta ſua omnibus placitura præſumat: nulla eſt enim ſapientia noſtra, niſi plena eſt. Profectò Scriptoribus accidit, quod in beneficiis vſu venit, vt, ni nouis ſemper vetera cumules, licet plurimis obſtrinxeris, ſi vnum negaueris, hoc ſolum meminerint quod negatum eſt: hoc in ſcriptionibus magis etiam elucet, vt quamuis plurima probatiſſima dederis, in vno ſi diſplicueris, omnium patiaris ora & calamos: atque exinde benè & doctè ſcriptorum memoria nulla: delicti vnius æterna ſit. Hinc viri ſapientiâ magni caſtigauêre calamum, atque nimis cunctanter, & meticuloſè nimis, ſua euulgarunt ſcripta, veriti hanc iudiciorum ſcabiem, non quòd ſapientiam ſuam poſteris inuiderent, ſed ne dubiam gloriam certo periculo emerent. Porrò, vt imperitorum calamus prurigine inanis gloriolæ audacter ſcripturit; ita plurimorum exquiſita eruditio intra conſcientiæ cancellos tegitur: ſibi enim imputet illatas iniurias, qui vel eruditâ & pacatâ ſcriptione linguas prouocat imperiti. Ecquis Scriptor olim & nunc paſſus non eſt, aut critiæ, aut æmulationis, aut inuidiæ cenſuram?

Carolus Scriban. in prol. ad Politico-Chriſ. *Scriptorum condendorum periculum.*

2. Vetus & pulchella quæſtio eſt, quare Chriſtus Deus, Patris Dei ſapientia genita, diuinitate arcana, antiquitate æterna, nil dum in terris corporatus ageret, vnquam ſcripſerit? Præſtaret quidem, vt, ſicut ipſe verbo cæleſtibus diſciplinis præſentes diſcipulos inſtruxit, ſic & abſentes, & exinceps futuros, ſuis ſcriptis ad omnem pietatem erudiret. Nonne maiori in pretio apud eccleſiam foret, quod ipſa increata Dei Sapientia per ſe ipſam ſcripſiſſet, quàm quod Diſcipulorum vicario calamo deſcribendum mandaret? Vidit hanc difficultatem ſagax Auguſtini ingenium, & hiſce verbis eam diſcutit. *Sed illud priùs diſcutiendum eſt, quod ſolet nonnullos mouere, cur ipſe Dominus nihil ſcripſerit, vt aliis de ipſo ſcribentibus neceſſe ſit credere. Hoc enim dicunt illi vel maximè Paganis,*

Auguſt. l. 1. de Conſ. Euang. c. 7. *Nil Chriſtus ſcripſit, veritas litterionum cenſuras.*

ni; qui Dominum ipſum Ieſum Chriſtum culpare non audent. An quia hi forſan, qui Chriſtum Deum palàm culpare non audent, eius auderent ſcripta culpare, & ſaltem clanculùm ſcriptionem abrodere? Sic ſciolis procliue eſt moroſiùs clam diſquirere in aliorum ſcriptis, quæ palàm reprehendant? Ecquis eſt, aut fuit vnquam immunis à critico litterionum faſtu? Hoc genus hominum malitioſum, inuidioſum, faſtidioſum deuitare ſtudet Chriſtus, qui ſcribas ventoſos, & Phariſæos ſuperciliosos vltrò, ore tenus de doctrina laceſſit? Nodum in ſcirpo, & næuum in lumine poſſet inuenire, qui inuenire poſſet quod in Chriſti Dei ſcriptis carperet: ſed qui ſe carnificibus ſpontè obtulit, ſua ſcripta vituperonibus denegauit; ne fortè adſimilem paterentur lanienam, ſæuo inuidiæ ſtylo, & tetro imperitiæ atramento armatam.

3. Exod. 31. 18. Exodi 31 Legis librum decem capitibus comprehenſum, & duobus compendiatum folijs ſcripſit Deus in monte Sinà. *Deditque Dominus Moyſi..... duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei.* Placet hîc ſubtilis auctor Caietanus, qui Deum ſe ipſo hunc legis librum nunc ſcripſiſſe autumat. *Scriptas digito Dei. Et aptè* (inquit) *tabulæ legis ſcriptæ dicuntur digito ſummi legiſlatoris, tanquam manu propria non ſubſcripſerit, ſed ſcripſerit ipſe hæc decem præcepta. Et meminit digiti, quia digitis ſcribimus, more enim humano de Deo loquitur.* dein Moyſes de monte lætus deſcendit, vt librum ipſius Dei manu conſcriptum euulget. Et cominùs videns nefariam populi apoſtaſiam, in feſtiua Vituli adoratione: *Iratus valdè, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis*: ô rem hominibus infauſtam! vnus qui ſupererat in orbe Liber ſcriptus digito Dei, ruptione dedicatur, & humanâ malitià oblitteratur? Eccur, ô Moyſes, non pateris, vnicum, quem Deus manu ſuà ſcripſit librum, ab vllo mortalium legi? Mortalibus empyream inuides ſapientiam? an immortalis Dei militas honori, dum arcanâ æmulatione zelas, vt mortalium nemo humanis oculis Dei ſcriptionem legat? Num huic Scripturæ ſpecialiter diuiniſſimæ, times liuidos malitiæ, aut inſipientiæ oculos? Libro Dei digitis exarato humanæ lectionis veteris faſcinum? Faſtuoſa malitiæ ſupercilia, an malitioſæ interpretationis contagia præcaues? Malum! Liber ipſius Dei manu conſcriptus perit, & reſcribi iubetur, non Dei digitis, ſed miniſtri manu: *Et Moyſes ſcripſit in tabulis verba fœderis decem.*

Caiet. ibi.

Impiorum malitia, an probo[illegible] pietas librum quem Deus ſuâ manu ſcripſit, deleuit.

Exod. 32. 19.

Exod. 34. 28.

4. Pſalm. 44. v. 1. & 2. Pſalmus quadrageſimus quartus, *ad intellectum* delinetur, vt in eius titulo præfigitur, & mox ſubditur pſalmi initium: *Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi,* (id eſt, Do, dico, dedico, *panegyricè, & imprecatoriè*, vt notat Fulbertus) Pergit Pſalmographus. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Moroſus ero, ſi nunc deſcribam Patres, qui hunc locum de æternâ Chriſti Dei generatione interpretantur, quos longâ ſerie recenſet Lorinus noſter. Nempe æterni Patris diuinus intellectus dictione ſuà velut linguâ, Verbum diuinum dicit. Num Verbum diuinum, ſeu Sapientia genita, Patris linguà tantùm denunciatur expreſſum? Nota verba quæ ſubduntur. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Quæ ſic vertit S. Cyprianus: *Lingua mea calamus Scriptoris acutè ſcribentis*; quaſi æternus Pater velut peritus *Scriptor*, mente ſuâ pro chartâ vſus, genitam ſapientiam *acutè ſcripſerit.* Verùm Eucherius dum audit, Verbum diuinum velut *calamo* ſcriptum, addit, hunc locum verſans opportunè ad rem præſentem: *Pater Filium ſuum impaſſibiliter ſine initio genuit.* Quaſi res ſit admirabilitate digniſſima, & ſingulari animaduerſione notanda, quòd dum vel Dei Patris *lingua, calamus Scriptoris acutè ſcribentis* dicitur, genitam ſapientiam *impaſſibiliter* ſcripſerit. Sic vel *acuta* ſcriptio obligata prodit ſciolorum vituperationibus? (Scio Eucherij ſenſum, quem ex Patribus ipſo antiquioribus hauſit, ſed iuuat ex opportuno vocabulo ad mores velitari) Eſtne ſatis ab Ario tuta, diuina dictio, aut ſcriptio in paternæ mentis aſylo?

Fulb. ep. 5. *Pater impaſſibiliter eſt ſcriptor ſapientia genita.*

Lorin. ibi

Cypr. 2. Teſtimo. c. 29.

Eucher. de Formulis.

---

§. CCCVI.

Priſca ſapientia ſolo antiquitatis titulo, de veritate diu poſſeſsá non præſcribit.

1. Tertull. adu. Praxeam c. 2. HANC regulam ab initio Euangelij decurriſſe; cenſet Tertullianus, vt inde in re doctrinæ præiudicatum ſit: *Id eſſe verum quodcumque primum, id eſſe adulterum quodcumque poſterius.* Fateor antiquiſſimo & ſubtiliſſimo Doctori, *Aliquid fuerit antiquius, & hoc modo vtique generoſius,* vt ipſe docet aduerſus Hermogenem: at Antiquitas veritatem non exhauſit, nec temporis diuturnitas præſcribit contra veritatem; quæ non eſt diuturnioris retrò æui otium, ſed ingenij ſubtilis, opulentæ eruditionis, exſomnis ſtudij, & congruæ cum re conformationis negotium. Infelix foret noua interpretatio, & recens opinio, ſi non examinata, ſed præiudicata damnetur de Nouitatis reatu, maximè quæ exiſtimat meram veritatem poſſidere. Deliquit, opinor, veritas, quæ ſuum exortum non maturauit, & duntaxat, quia ſerò nata eſt, aborſum patietur, non amicâ manu obſtetricante, quaſi à recenti æuo excluſa ſit veritas, quam Vetuſtas non aut aliundè commendat, aut aliorsum ſubornat. Multa in re doctrinæ monſtra ſenior ætas tulit, plura verè & Catholicè contra Hæreticos docuit iunior ætas. *Neque enim veritas deſiderat vetuſtatem, neque mendacium deuitat nouellitatem. Teneo plane falſum antiquitate generoſum*, vt aliàs ex Tertulliano latiùs expendebamus.

Idem aduerſ. Hermog. c. 18. *Non eſt verũ quodcumque primum.*

Tertull. de Anima c. 28.

2. Obiectum Nouitatis vitium ſimul cum Chriſtianà religione cœpit, & eius Auctore, adeo vt neceſſe fuerit quòd Tertullianus calamum ſtringeret, vt probaret, *Nullum Deum nouum à Chriſto probatum.* Quin & prolixè enincere ſatagit, noua Chriſti Dei miracula ad amuſſim reſpondere prodigiis, quæ Deus in lege veteri perpetrauit. Quem diſcurſum hâc clauſulâ exclamando concludit: *ô Chriſtum & in Nouis Veterem!* ô quàm multa paucis! Non tam ſuo mechanico architecto, quàm doctrinæ architecto didaſcalico ſcribit Caſſiodorus, vt *Antiqua*

l. 4. adu. Marcion c. 21. *Chriſtum in Nouis veterem laudat Tertullianus.*

Caſſiod. l. 7. Epiſt.

Antiqua in nitorem priſtinum contineat, & Noua ſimili Antiquitate perducat. Adſimiliter Nazianzenus iunioris doctrinæ notam his verbis depellit: *Non Nouum fontem vobis perrupimus, quemadmodum ille, quem Moyſes ab Ægypto pro fugientibus in loco aquâ carente demonſtrauit: verùm abſconſum & abſtruſum aperuimus; vt olim ſerui Iſaac, non puteos tantum aquæ viuæ fodientes, verum etiam à Palæſtinis obſtructos repurgantes.* Quod etiam recens litteratum præſtat.

Nazor. 26.

Geneſ. 26.

3. Ciſtercienſis familia, religione illuſtris, ſanctitate felix, doctrinâ ſublimis, antiquitate nobilis, diu floruit, nec vnquam à tanto gratiæ nitore deflorеſcet iniuria vetuſtatis. Sed quæ nunc ſenectutis laſſitudinem non timet, timuit olim iuuentutis ſplendorem: adeò vt neceſſe fuerit quòd eius prælustris inſtitutor Bernardus, etſi pacato & melleo ingenio vir, hæc verba cum felle mixta, aduerſus veteratores, qui eam Nouitatis inſimulabant, grauiſſimè vibraret. *Nouitatem verò dico, propter linguas nequam (à quarum contradictione abſcondat nos Deus in abſcondito faciei ſuæ) hominum impiorum: qui cùm manifeſtum lumen veritatis obnubilare non queant, de ſolo Nouitatis nomine cauillant; veteres ipſi, & in veteri mente, neſcientes Noua meditari: vtres veteres non capientes vinum nouum, quod ſi eis infundatur, rumperentur.... ſileant ergo qui in tenebris de luce iudicantes, vos arguunt Nouitatis, ex abundantiâ malæ voluntatis; ipſi potius arguendi vetuſtatis, & vanitatis.* Verùm ſolo temporis lapſu ſanatus eſt hic morbus, & occaſio maledicentiæ amputata eſt. Et nota quàm ſit acer mitiſſimus aliàs Bernardus pro ſuâ, & ſuorum doctrinâ defenſandâ.

S. Bernard. ad Fr. de Monte Dei, [illegible] Matth. 9.

4. Ioannes in primo ſui Euangelij capite animaduertens quam altè in quorundam animis impreſſa erat eiuſmodi antiquitatis æſtimatio, & nouitatis contemptus, iuxta illud: *Id eſſe verum quodcumque primum; id eſſe adulterum quodcumque poſterius*; hæc Ioannis Baptiſtæ verba refert: *Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo,* (Ieſu inquam) *& clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat.* Ad quæ verba ſic ad rem fatur Chryſoſtomus: *Quid autem ſignificat, Ante me factus eſt? Clarior videlicet atque honorabilior. Nolite enim, inquit, etſi prior venerim ad prædicandum, ideo me illo maiorem arbitrari: longè maior ſum.* Scilicet quia Chriſtus ætate, & doctrinæ exhibitione iunior erat Ioanne Baptiſtâ, ideo egregiè pernoſcens illorum hominum ingenia, ſollerter præcauet Ioannes, ne ipſe magis æſtimetur, quàm Chriſtus, prærogatiuâ doctrinæ; *Clamans, Nolite, etſi prior venerim ad prædicandum, ideò me illo maiorem arbitrari.* Sic deſipiebant illius æui homines, vt Ioannes neceſſarium duxerit præcanere, ne ex merâ antiquitate ſuffragium doctrinæ deferretur? Chriſti Dei doctrina, quia tantiſper iunior, poſthaberi timetur doctrinæ Ioannis Baptiſtæ, ob paucorum menſium prærogatiuam? ô attentiſſimos non tam veritatis, quàm ætatis ſcrutatores!

Ioan. 1. v. 15.

Chryſoſt. homil. 12. in Ioan.

Quia recentior apparuit Chriſti doctrina, non eſt poſtponenda doctrinæ Ioannis Baptiſtæ

5. Matthæi 1. *Ioram autem genuit Oziam.* Ardua hinc in paucis controuerſia, quare Euangeliſta intermiſerit tres Reges, qui inter Ioram & Oziam regnauerunt. Quâ ſuper re audiendus eſt Auctor notarum ad Euthymium, quò planè innoteſcat, quàm ſit à re Biblicâ alienum nimis antiquitatem reuereri. *Quod Ioram,* inquit, *genuerit Oziam tanquam abnepotem, non tanquam filium, manifeſtum eſt. Quâ igitur causâ tres reges prætermiſſi ſint, nullus hactenus dixit. Valde enim perplexa eſt ratio his, qui noſtris nati ſunt temporibus.* (Attende ad verba quæ ſubdit) *Reuerentia autem, quam erga maiores noſtros habuerunt, in causâ fuit, vt ab hac abſtinerent quæſtione.* Audis tantam fuiſſe antiquitatis reuerentiam, vt vel nouam quæſtionem Biblijs explicandis neceſſariam, mouere non audeat recentior ætas? Quid? recentis dubij diſcuſſione deuenuſtatur priſca maiorum ſapientia? Vel ſolùm diſquirere, & rationem alicuius ſapientiſſimi dicti aut facti peruestigare recenti indagine, & erudito ſapientiæ ſtudio, contumelioſum eſt vetuſtati? Putauerim, hic Auctor rationem præfatæ quæſtionis ignorauit; & propriam inſcitiam velare ambit ſpecioſo prætextu religioſæ reuerentiæ erga reuerendam vetuſtatis ſapientiam. Veritatis antiquus nitor non timet recentius examen, quo veritas magis ſplendeſcat. Falſitas antiquitate ſæpè venerabilis; quippe quæ veritatem ſubdolè mentitur, timet in examen venire, ne detecta fucati mendacij palàm arguatur. Recentes oculos non timet antiqua veritas; falſitas lucis refuga ſemper eſt. Priſca litteratura oculatior fuit; ſed recentior ſapientia luſca non eſt, nec luminibus viduata. Profectò nodum, quem inextricabilem cenſuit hic Auctor, recentior eruditio haud difficulter extricat.

Matth. 1. v. 8.

Auctor notarum ad Euthym. ibi *Antiquitas nenis quæſtionibus non dehoneſtatur.*

---

§. CCCVII.

Ne dum mutuò vlciſcimur odia, rectæ fidei cauſam nos tueri ſimulemus.

NON continuò veritati viuit, qui diſciplinis veritatis viuit. 1.
Litterati omnes videri volunt pulchræ veritatis riuales, ſed non omnes eam eualent opinionum blanditiis conſequi. Sæpè enim falſitas ingenij lenocinio adornata, veritatem mentitur: nec ſemel veritas probationis inops, periclitatur in ſcholis; in quibus opinionem ſua bona aut mala fortuna ſemper ſequitur. Indubium etiam eſt in negotio opinandi nimis affectum poſſe. Quin & magna res eſt auita maiorum conſtantia, & in propoſito ſuo perſeuerantia, vnde habet auctoritatem inertia quoque pertinax: ô vtinam litterariæ concertationis palæſtra, mens tantùm foret, nec liuore hoſtilitatis voluntatem inficeret! Hinc iurgia, hinc rixæ, & ſcommata: hinc vtrinque alterutrius adlatrator & morſicator adſurgit; aliquandò non tam rationum robore,

re, quàm contumeliarum probro obarmatus.

Saluâ religione philoſophandum eſt.

Illa autem propudioſiſſima contumelia eſt, quæ vulgatam multorum opinionem hæreſeos inſimulant maleuolentiæ cenſu. Sidonius Apollinaris ita ſcribit de ſuo Claudiano. *Vir equidem fuit prouidus, prudens, doctus, eloquens, acer, & hominum eius loci populi ſui ingenioſiſſimus, quique indeſinenter ſaluâ religione philoſopharetur.* Grande planè encomium, quòd homo doctus, eloquens, & acri ingenio præditus, *ſaluâ religione philoſophetur*, id eſt, in ſapientiæ concertationibus, & ipſe neminem erroris inſimulauit, & à nemine erroris inſimulatus eſt. De inimicis Baſilij ſic ait Nazianzenus: *Quiſquis moleſtiam exhibebat, in hæreticorum numero habebatur.* Nec Baſilius, Baſilius inquam, ſapientiæ & ſanctitatis meta, effugere potuit, quin in hæreticorum numero haberetur ab his, quibus in diſputando moleſtiam exhibebat. Excutiatur ſaluâ religione aduerſarij moleſtia, non ridiculariam hæreſeos notam Magno Baſilio audacter impingendo.

Sidonius in epiſtol. ad Petreium.

Nazianz. in orat. pro Baſilio.

2.

Chriſtus audit hæreticus, quia quod ſentiũt Phariſæi, ipſe non docebat.

Ioannis 8. argutantur aduerſus Chriſti Dei doctrinam Phariſæi; eorum argutias facilè diſſoluit Chriſtus, & inde ſuæ doctrinæ fundat veritatem. *Si veritatem*, inquit, *dico vobis, quare non creditis mihi?* Quid ad hanc rationem reſpondent eruditi Scribæ, & docti Phariſæi? Suſpicaretur quis argumenta periturос ex bibliorum ſacrario, aut ex rationum promptuario. Attende ad egregium eorum reſponſum: *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?* Notius eſt quàm vt egeat probatione, Samaritanos haberi quaſi Hebræorum hæreticos, cùm verum Iudæorum Deum, & ſimul Gentium idola ſuperſtitioſè colerent. Quare ergo hi legis doctores Chriſtum appellant Samaritanum? Acutè Chryſoſtomus: *Cum aliquid altum Dominus diceret, hoc apud Iudæos, inſania videbatur. Dicitur enim: Reſponderunt ergo Iudæi: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Pergit opportuniſſimè Origenes: *Sed dignum eſt quærere, quo modo cùm Samaritani ſecula futura denegent*, (nota inter reliquas hanc Samaritanorum hæreſim) *auſi ſunt Samaritanum dicere Saluatorem, qui de reſurrectione & iudicio tot & tanta docuit?* (ne te prætereant verba quæ ſubdit.) *Sed forſitan velut improperantes illi hoc dicunt, dum quæ ſentiunt ipſi, non docet.* Nimirùm cùm altum aliquid & ſublime Chriſtus & docebat peritè, & demonſtrabat apertè, Scribis & Phariſæis arroganter inſanire videbatur; atque Samaritani ſeu Hæretici notam illi impingebant, quia *quæ ſentiunt ipſi, non docet.* Non licuit Chriſto ſaluâ religione, de ſchola cæli philoſophari? Quia moleſtiam Phariſæis exhibebat, in Hæreticorum numero habebatur? Quia quæ è cælo ſapit, in terris docet, inſanire dicitur? Hæreſeos notatur Chriſtus, quia quod Phariſæi ſentiunt, ipſe non docet? ô inſanam ſapientiæ tyrannidem!

Ioan 8.48.

Chryſoſt. homil. 54. in Ioan.

Orig. to. 20. in Ioann.

3.

Seleuc. orat. 39.

Ne dum mutua vlciſcimur odia, fidei cauſam nos tueri ſimulemus.

Eleganter hâc ſuper re loquitur Baſilius Seleucus, ſic inquiens: *Ante omnia corpus Eccleſiæ ſeruemus incorruptum, retentâ concordiæ poſſeſſione inuiolatâ; ne dum mutua vlciſcimur odia, rectæ fidei cauſam nos tueri ſimulemus.* Mutua vlciſceris odia, & rectam fidem tueri ſimulas? Fidei zelo diſſimulas inimicum, dum ſimulas rem probatiſſimæ opinionis, eſſe fidei negotium. Producito ad litterariam palæſtram rationes de ingenij acumine excogitatas, de vtriuſque eruditionis promptuario materiatas, de ſanctorum Eccleſiæ Patrum monumentis ſelectas, de Conciliorum oraculis, de Bibliorum ſacrario depromptas, & rem euiciſti. At conuitiis non exarmatur peritus hoſtis. Profectò in re litterariâ, inaniter iactatæ in aduerſarium contumeliæ, probra, & erroris nota, ignauiæ & ignorantiæ aſylum eſt. Conſule Angelicum doctorem, & doctrinæ, & Doctorum normam, qui vel in Hæreticos, vt acer eſt in rationum momentis, ſic tranquillus & pacatus in verbis; erga auctores reliquos in paucis modeſtiſſimus: quippe qui non femininis verborum armis, ſed maſculo rationum robore viriliter depugnabat. Heu quiſquis moleſtiam nobis facit, *Et naturâ quoque Hæreticus, & turbulentus* eſt, ait Tertullianus.

Tertull. adu. Herm. c.1.

Philo l. 1 de vita Moyſis.

Ne doctiorem litterariam tractet, vt mercenarius cauſidicus.

Philo de Moyſe, litterarum negotium tractante cum Chaldææ, Aſſyriæ, & Ægypti ſapientibus, ita ſcribit: *Intactus à contentionibus veritatem quærebat: quippe qui nihil præter eam admittebat. Longè aliter quàm illi, qui accepta ſemel qualiacumque dogmata obſtinatè defendunt, ſiue probata, ſiue improba, more cauſidicorum mercenariorum, ius & æquum negligentium.* Ne ergo peritus Doctor rabulæ mercenarij mores exprimat, aduerſarium Doctorem velut reum tractans, ne ipſe vices reciprocet, & propudioſa indè ſoboleſcant iurgia.

4.

Gen. 48.18.

Geneſeos 48. moribundo Iacobo adeſt Ioſephus cum Manaſſe primogenito, & Ephraim poſtmodum nato. Iacobus è cælo inſtinctus manus commutat, & Ephraim minorem præfert Manaſſe primogenito. Ægrè id tulit Ioſephus, & ſic patri loquitur: *Non ita conuenit, pater: quia hic (Manaſſes) eſt primogenitus: pone dexteram tuam ſuper caput eius. Qui renuens, ait; Scio fili mi, ſcio, &c.* Ad quæ verba ſic ad rem præſentem ſcribit Lipomanus: *Ioſeph itaque ignarus prouidentiæ Dei, errorem quem putabat, cupiens corrigere: ſanctus quidem vir, propheta, & à puero Spiritu-ſancto plenus, hoc tamen ignorans, ſenſu carnis permotus, &c.* Scilicet Ioſephus vir erat ſanctiſſimus æquè ac ſapientiſſimus, à pueritiâ propheta, & rerum diuinarum in primis gnarus; & tamen dum *ſenſu carnis permotus*, quod Dei afflatu fiebat à Iacobo, de cæli ſcholâ erudito, *errorem putabat; & cupiens corrigere, dixit: Non ita conuenit, pater.* Videntne pius & ſapiens quiſque, an *ſenſu carnis permotus*, cenſuram vibret: nam ſic *errorem putabit, corrigere cupiens* quod è cæleſti dilectur magiſterio. Non quicquid *errorem putat* ſapiens; *& ſenſu carnis permotus, corrigere cupit*, error eſt. Ipſe potiùs *ſenſu carnis permotus*, perperàm corrigendo, à veritate & à charitate periculo ſiùs exorbitat.

Lipoman. in Catenâ.

Non quicquid à ſapiente putatur error, error eſt.

Vide ad quas calamitates Iacobus hîc damnauerit Simeonem, quem ſeruptioni addixit, in magni ſceleris pœnam. Hic v. 7

§. CCCVIII.

§. CCCVIII.

Homo qui iratum corripit hominem, fruſtrat correctionis fructum.

1. Seneca l. 1. de Ira c. 1. IRAM veteres Philoſophi appellarunt, *Animi motum improbabilem*; in comperto enim omnibus eſt, iram eſſe maximè ex omnibus tetrum ac rabidum affectum. Vnde iram dixerunt, *Breuem inſaniam.* Enimverò ſicut impotens ſui eſt, & decoris oblita; ira rationis immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi conſilijſque præcluſa ad diſpectum æqui verique inhabilis eſt. Vnde iratus negligendus & intermittendus eſt, quaſi breui inſaniâ laborans, quovſque temporis vnicâ & neceſſaria medicinâ ad priſtinam redeat rationem. Cum homine irrationali agit, qui quod æquum & rationale eſt, homini irato perſuadere procurat. Belluinos iræ mores ratio non edomat; neque ad æquum & iuſtum componit, quoadvſque deferueat ira, & priſtinæ rationalitati temporis beneficio reſtituatur. Infelix rationis ſuadela eſt, quæ impenditur irato.

2. Geneſeos 4. inuidentiæ morbo Cainus tabeſcit, fructus fraternæ pietatis impiè inuidens. Præſto adeſt Deus humanarum ægritudinum è cælo medicus, & dirè tumultuantem Caini animum tranquillare intentat, ita
Geneſ. 4. v. 6. eum alloquens: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Triplicem rationem Deus Caino proponit, ne in ſæuæ vltionis propoſito pertinax perſeueret, quibus vel efferatam
Cùm iratus corripitur Cain, inſanibus ferocis. belluam ſedare valuiſſet. Primam à virtutis magnifico præmio: alteram ab acerbioribus iuſtitiæ minis: tertiam à libertate arbitrij, cui humanus ſubditur appetitus, ne reconciliationis impotentiam impietas cauſetur. Sed vide, an hæ efficaciſſimæ Dei perſuadentis rationes, rem euicerint, & Cainum manſuetum egerint. Immediatè poſt Dei ad Cainum orationem ſubiungit ſacer hiſtoriographus: *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cùmque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum*: ô eloquentis feliciter facundiæ infelicem ſuadelam! Venit è cælo rhetor, vt Caino homicidium ſuaderet, an vt illum à parricidio auerteret? Suaſoriæ loquelæ pars extitit diſſuadentis clauſula, ecce parricidalis flagitij principium? Vnde tam facundæ orationis tam infæcunda perſuaſio? Putauerim, initium huius ad Cainum diuinæ orationis inſinuare rationem, cur auara perſuaſionis extiterit in fine. Signa verba: *Dixitque Dominus ad Cain: Quare iratus es?* &c. & confeſtim poſt Dei orationem, *Dixitque Cain ad Abel: egrediamur foras. Cùmque eſſent in agro, conſurrexit Cain,* &c. Fatetur iratum, & tunc illum alloquitur? Dum præ irâ Cainus furit, vel Deus ipſe ne quicquã perſuadere intentat? (Loquimur de Deo anthropopathõs cum Moyſe; neque enim in diuinæ prouidentiæ pharetrâ deerant auxilia, quibus iratum hominem Deus poſſet ad manſuetudinem erudire.) Aduerte quàm parum tunc profecit amica Dei ſuadela. Quò hinc diſcamus, irâ efferatos homines, intermittendos eſſe, quaſi iracundiæ mero ebrios, aut iræ furiis inſanos, quovſque deferueat iracundia. Tempore curandi ſunt, non ratione, qui ad tempus rationem perdiderunt. Ratione exaſperatur, dum irâ efferatur. Vel Deus ipſe infelici ſuaſione mitigare intentat iratum? Sic iræ paſſio, Dei auxilia inefficacia reddit, illiúſque vim contumaciter exarmat?

Ionæ 4. vbi Niniuæ ſententiam excidij interminat Propheta; & è ciuitate egreditur gemens eius ſtragem pœnitentia redemptam. 3.
Nox erat media, & repentè virelcens hedera, Baſil. Seleuc. orat. 12.
ſeu colocyntha, in faciem tecti explicata Ionam circumtegebat, & quoddam veluti pratum ſupra caput elatum erat, atque vndique flores fructuſque expanſi ad delicias vſque ſpectabantur, & meridie proiectum Solis radium vicemuri frangebant. Spectando Ionas oblectabatur, ipſius triſtitiam minuebat flos, animumque lætitiâ perfundebat herba in modum tuguriolí circumfuſa. Vt ergo Deus Ionam inquali hederæ lætitiâ capi videt, mittit vermem, & è veſtigio ſiccatur planta, citiùs perit, quàm germinauerat. Ecce tibi tecto nudatur Propheta, & extemporario tugurriolo priuatur. *Et cùm ortus fuiſſet Sol, præcepit Dominus vento calido & vrenti: & percuſſit Sol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat: & petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: Meliùs eſt mihi mori, quàm viuere.* Attende ad verba, quæ ſubiunguntur. Et dixit Dominus ad Ionam: *Putáſne benè iraſceris tu ſuper hederâ? Et dixit: Benè iraſcor ego vſque ad mortem*: ô Domine arguam te de correctione in correctionem. Etſi Prophetam, etſi ob leuiculam cauſam ſubiratum vides Ionam, quid eum tunc corripis? An in irrationali iracundiâ rationalem correctionem expectas? Opportunè Lyra: *Putáſne benè iraſceris, id eſt, rationabiliter de areſactione eius. Et dixit: Benè iraſcor ego vſque ad mortem, id eſt, rationabiliter ex cauſa prædicta*: ô iracundiæ monſtrum naturale! Dei Propheta etſi ob leuiſſimam cauſam iratus, ob plantulæ inquam, ſubitò enatæ areſactionem; dum à Deo mitiſſimè increpatur, non tam obiurgando, quàm placidè interrogando, audacter reſpondet: *Benè, id eſt, rationabiliter iraſcor ego vſque ad mortem.* Res adeò friuola ſic moueat iracundiam Prophetæ? ob rem adeò friuolam iratus Propheta, dum placidè corripitur, ſic dirè exaſperatur, vt ſe *rationabiliter* mortem expetere reſpondeat? Ecquis vel manifeſta rationum vi agat cum homine irato, qui occaſionem leuiculam, pergrauem & funeſtam percenſet? Si iratus ſic agit cum correctore Deo, quid cum homine correctore facturum ſperabis? Quieſcat correptor, donec corripiendi quieſcat iratus, cum ratione de iracundiæ velut tumulo rediuiuâ, poterit pertractare correctionis negotium.

Dum iratus increpatur Ionas, vſque ad mortem imprudenter iraſcitur.

Ionæ 4. v. 9.

Lyra ibi.

Dum Simeon & Leui irâ & furore perciti, Hic v. 7.

deſæuiunt in Sichimitas, ſcelus Iacob ferè diſſimulat; nunc verò tranſacto diu iracundiæ furore, illos acerbius corripit, quò moraliſſimè correctores edoceat.

---

§. CCCIX.

In Iram ratio inſpiratur, quò indignatio opportuna ſit pietatis auxiliatrix.

1\. ABsit hoc à virtute malum, vt vnquam ratio ad vitia cõiungat. Non poteſt hic animus fidele otium captare, quatiatur neceſſe eſt, fluctueturque, qui malis ſuis tutus eſt; qui fortis eſſe niſi iraſcitur, non poteſt; qui ſeuerus iuſtitiæ tutor, niſi modicè ſuccenſeat. Quis enim patiatur affectum exæquari rationi? Nemo, inquam, nemo. Sed quis non patiatur affectum rationi militare? Ira aliquando vtilis affectus eſt, ſi modicus eſt, ſi patiens imperij rationiſque eſt. Temperati etiam affectus, malè duces ſunt, ſed benè miniſtri: & naturam ad ardua quæque virtutis obarmant, dum ratio teneat habenas, vt peroptima virtutis auriga. Sæpe enim moderata ira remiſſum animum animosè excitat ad virtutem; qui niſi alicuius iracundiæ calcari, & bonâ mali impatientia, remiſſior foret. Iratum Deum crebrò prædicant Biblia, non ſtrictè, ſed laxè, vt Deum condecet, iratum tamen perſæpè inducunt, honorario diuinitatis elogio. De priſci æui philoſophis ita ſcribit Tertullianus: *Sunt qui etſi Deum non negent, deſpectorem planè & arbitrum & iudicem non putant; ſic Deum inhonorantes* (ſic exſcribit Iunius) *dum curis obſeruationis, & moleſtiis animaduerſionis abſoluunt, cui ne iram quidem adſcribunt.* Qui Deum non iratum fingit, illum inhonorat? aliquis iræ honos & virtus eſt. *Iraſcimini, & nolite peccare.*

Aliqui ira & homine, & Deum condecet.

Tertul. l. de Teſtim. animæ 2. Iunius ibi.

2\. Geneſ. 2. ſic de hominis formatione Moyſes ſcribit: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Quid eſt, rationabilem animam, Deum in faciem hominis inſpiraſſe? Nonnulli ex Hebræo textu ita locum exſcribunt. *Inſpirauit in iram eius ſpiraculum vitæ.* Facies & ira, ſynonyma ſunt? Mitto hæc. Et ſanè expenſione digniſſimum eſt, quòd ſpiraculum vitæ dicatur iræ citius, quàm homini inſpiratus. Sic eſt amens & bruta hominis ira, vt præ ceteris facultatibus & membris, mente indigeat? An rationalis animus primò dicitur iræ inſpiratus, quò innoteſcat, eſſe etiam aliquando iram ratione & mente præditam, ne ſemper amens & furioſa putetur? An vitæ ſpiraculum iræ primò perhibetur infuſus, quia viuacior eſt iratus homo, qui citra alicuius iracundiæ vigorem, ſæpè remiſſus, iners, & cadaueri affinis exiſtit? *Inſpirauit in iram eius ſpiraculum vitæ,* id eſt, animum rationalem, ne omnis ira putetur irrationalis. *Ay ira con raçon.* Pulchrè quidem opportuna ira, rationalis animæ ſedes dicitur, & ſublime mentis ſolium. Eſt enim ira, quæ non excutit rationis imperium, ſed illi obſequitur, iuſtitiæ præſidium, fomes iuſtitiæ, rationis conſiſtorium, naturæ calcar, actionum energia, & virtutis vigor. *Inſpirauit in iram eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Quaſi ſemihomo ſit, aut ſemiuiuus, qui aliquâ irâ non animatur.

Geneſ. 2. v. 7.

Aliqua ira eſt mentis ſedes, & animi conſiſtorium.

3\. 3. Regum 17. Elias videns Iudæorum populum bonis tam è cælo, quàm è ſolo partis immodicè luxuriantem, alimenti auctorem ignorantem, & Dei erga ſe charitatem in impietatis materiam conuertentem, cultumque Deo debitum in Dæmonia transferentem, irâ accenſus, ita Regi comminatur: *Viuit Dominus Deus Iſrael, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Opportunè Baſilius tantam Prophetæ iracundiam attentiùs contemplatus fatur: *Irâ pietatis auxiliatrice aſſumpta, vocem emiſit, quâ cælo legem pietatis impoſuit, & ſententiam iureiurando affirmans, clauſtra nubibus iniecit.* Alioqui ira virtutum nouerca, & vitiorum matrix eſſe ſolet, ſcilicet immodica, diuturna, irrationalis, efferа, & quæ rationis non patitur lupatum. Hæc, breuis inſania eſt, & hominem ad tempus de ſolio mentis deturbat, atque belluis non abſimilem reddit. At verò ira, in quam mens & ratio inſpiratur; rationalis eſt, mente prædita, *pietatis auxiliatrix*, iuſtitiæ vigor, & virtutis energia. Hâc irâ armatus Elias, impietatem exarmat, dum cælo legem pietatis imponit, & clauſtra nubibus iniicit: ô quis vituperet iram pietatis auxiliatricem!

Ira eſt pietatis auxiliatrix.

3\. Reg. 17. v. 1. Seleuc. orat. 11.

4\. Ionæ 1. acerbiùs ſuccenſet Deus in Niniuen, Aſſyriæ, imo impietatis metropolim, idololatriæ regiam, ſcelerum opificem, & criminum officinam. Et factum eſt verbum Domini ad Ionam, dicens: *Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in eâ: quia aſcendit malitia eius coram me.* Videt Propheta Deum valde iratum, & à facie Domini vltrò fugit in Tharſis. An Ionas iratum Deum fugit? Imò ipſa ira tam longè abeſt ab impietate, vt pietatem ſpondeat. Bellè notauit Seleucus iram non ſolùm fuiſſe ſeueritatis virtutis auxiliatricem, ſed totam eſſe miſericordiâ imbutam, pietatis matricem, & indulgentiæ promptuarium: *Vade in Niniuen,* &c. inquit, *In ſuppliciorum comminatione plena commiſerationis ſunt verba, punitionis promiſſio, & affectionis demonſtratio, oſoris vox, & mens miſerantis. Iam ciuitati veniam offert, indignans miſeretur, & minitans ſaluare deſiderat, & cùm apertè iram gerat, occulto clementiam demonſtrat.* Planè eleganter! Iræ diuinæ theſaurus, opulentiores ſunt benignitatis gazæ? *Indignans miſeretur, cùm apertè iram gerat, occulto clementiam demonſtrat.* Suſpicor ſæpè iram in clementiæ matrem euadere, & pœnam terrore commutare. Qui iram pietatis auxiliatricem tollit, clementiam aufert? ô arcanas opportunæ iræ virtutes! Mundanæ ſapientiæ ſcioli *Deum inhonorant, cui ne iram quidem adſcribunt.* Quin & ſuâ ſibi patientia detraheret, niſi iratus impiis ſæpè induceretur, quò ſuam iuſtitiam ſanctius vindicet.

Ionæ 1. v. 2.

Deus indignans miſeretur.

Seleucus orat. 12.

Tertull. ſuprà.

§. CCCX.

§. CCCX.

Ad ſubditos radicitùs extirpandos de virtutis plantario, valdè difficilem ſe præbeat Superior.

1. FREQVENS populus, ſumptuoſior Regentis gloria eſt, qui nō tam fulget faſtigij ſublimitate, quàm numeroſâ ſubditorum frequentiâ. Sed monſtrum foret inuiſum, in magnâ hominum turbâ omnes benemoratos eſſe, quietos, morigeros, & ad virtutis formam compoſitos. Neceſſe eſt, vt exorbitent aliqui, & communitatis tranquillitatem inquietent, inſigni communis famæ iacturâ. Nam vnius propudioſo delicto bonum communitatis nomen infeſtatur, & vnius ſcelere omnes culpantur. Inde magna Præfectorum peritiâ opus eſt ad coërcitionem ſubiecti populi. Prudenti diſſimulatione vnum aut alterum tolerare defectum, patientis prudentiæ eſt; repetita diſſimulare delicta, morbum facit incurabilem. *Sicut diſtillatio vna, nec adhuc in morem adducta, tuſſim facit; aſſidua & vera, phthiſim.* Nimis diſſimulare, honeſtius dixerim vitium; ferro & igni putridum membrum reſecare, tutius putauerim. Sed hoc remedium; vt vltimum eſt, ita deſperatis tantùm moribus adhibendum, ne plurium ſubditorum ſpe fraudetur reſpublica, & optimi ſæpè demetantur, & extirpentur, deploratâ ipſorum ruinâ, & communitatis iactura. Medica Antiſtitum peritia, rarò ſic ſecat inutilia membra; rariùs ſic plantas extirpat, vt è plantario foràs eiiciat, obuiis animantibus brutis proculcanda, depaſcenda. Viderint ne ſæpè à medicinâ morbi recrudeſcant.

Vna diſtillatio tuſſim facit, aſſidua & frequens phthiſim. Seneca epiſt. 78.

2. Danielis 4. Rex ille magnus Nabuchodonoſor, Aſiatici orbis auguſtus dominator, à ſummo Deo, regum & regnorum omnium Monarchâ damnatur, vt ſpecie tenus ab hominum habitu & formâ exulet, & cùm animantibus brutis peregrinetur in herboſis pratis. Sed cauendum erat, ne è paſcuis rediret in regiam vrbem, & ad notum palatium. Videamus quo loco Rex pratis alligetur. Audiendus eſt Daniel bonæ fidei iuuenis: *Alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis, quæ foris ſunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars eius in herba ſit.* Benè eſt, alligetur Nabuchodonoſor catenis ferreis, ne vincula rumpat, & ſic pœnam fruſtretur: at miriſſimum eſt, *herbis* religari, expromptum enim eſſet viro robuſto, leui tractu herbam euellere, & ſic optatâ frui libertate, & auiti imperij regio ſolio. Vaſtæ arboris trunco alligandus erat, non tenuis herbæ folliculis auulſu facilibus. Quæ arcana vis in herba latet? quid fluxam herbarum imbecillitatem ad firmitatem roborat? Verùm cùm tota hæc viſio myſticam habeat ſignificationem, non inidoneè Lauretus Ceruarienſis inſinuat, nomine *herbarum*, homines ſignificari, ipſius inquam, regis magni Nabuchodonoſoris ſubditos, tunc enim orbi Nabuchodonoſor imperabat. Pulchrum planè viſionis ſacramentum, & præclarum noſtræ eruditionis documentum! Scilicet magnus rex, & hominum Præpoſitus, ferreis catenis ligatur, ne vincula rumpat; ſed timendum non eſt, vt priſtinæ libertatis ambitione, *herbas*, id eſt, ſubditos euellat, & è plantario radicitùs extirpet. Sic enim Superiori eſt agnatum, non eradicare ſubditum, vt priùs refutet libertatis & dignitatis faſtigium, quàm vltrò patiatur ſubditū extirpari. Mauult, Dei caſtigatione benè eruditus princeps, ab hominibus exulare, quàm ſubditum extirpare. Nec ſibi congruum putat, libertatem, & regnum, vnius è ſubditis eradicatione mercari. Itaque moraliſſimè, bonus poſt ſuppliciū Rex, *Alligatur vinculo ferreo & æreo in herbis quæ foris ſunt.* Vnde hîc Iacobus ſceleſtiſſimos Leui & Simeonē non extirpat, ſed diuidit in Iſraël. Hic v. 7.

Bonus in hoc princeps Nabuchodonoſor, herbis alligatus, eas non extirpat, ne ſubditum eradicet.

Danielis 4. v. 12.

Lauretus verbo *Herba*, ex Ambr. in Exaēm.

3. Lucæ 13. ſic cæleſti eruditione loquitur Chriſtus: *Arborem fici habebat quidā plantatam in vineâ ſuâ, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ. Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: ſuccide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? At ille reſpondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſiquidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam.* Quidnam, quæſo, per hanc ficulneam ſignificatur? Theodoretus: *Quiſque noſtrum ficus eſt in vineâ Dei plātata.* Item, quiſnam fructus expetitur ab hâc arbore infructuoſâ, aliàs in paucis fruticoſâ, & cuius flores præcoces ſunt & ſapidiſſimi groſſus? *De pinguedine religionis antiquæ*, reſpondet inibi Ambroſius. Scilicet, dum de pinguedine religionis antiquæ, qui que nōſtrum fructum non affert, ſed otio ſterileſcit, & vitio torpeſcit; tunc vineæ, ſeu communitatis Antiſtes ſcindi & eradicari iubet; ſed pro non euellendâ ficulneâ ſollerter intercedit Subpræfectus, impenſiorem pollicitus culturam. Ecce tibi quantâ cum cautelâ vnius arboris infructuoſæ exciſio aut extirpatio tractetur. Primùm quidem ficulnea, id eſt, quiſque noſtrum, eò quòd *de pinguedine religionis antiquæ* fructus non edat, ſed inutilibus luxurietur foliis, accuſata, toto triennio expectata fuit: ſiquidem diuturnâ morâ opus eſt ad rem extirpationis: nam ſubita omnia probantur incauta. Dein vineæ dominus euellendæ arbuſculæ vitium non ex incertâ relatione cognoſcit, ſed euidentiâ oculorum explorat. Adhæc, dum vineæ dominus, ſeu ſummus Antiſtes extirpationem proponit, non ſtat flecti-neſcius in propoſito, ſed auulſionem deprecanti, diuturniorem concedit moram ad reſipiſcentiæ remedium, & fruticandi vbertatem. Et quod mirere magis, magiſque oſtendit, quàm ſe debeant Superiores præbere ad extirpationem difficiles, in quos vineæ, ſeu communitatis regundæ cura diligentior incumbit, hic Subpræfectus, & immediatus vineæ cultor, non arbori vitium infœcunditatis adſcribit, ſed ſibi culpam deſidiæ impingit, quòd negligentiùs eius arboris cultionem procurarit. Exinceps, ait, *circa illam fodiam, & mittam ſtercora.* Fortè non tàm ex ſuâ culpâ vitium hoc habet, quàm de meâ negligentia. *En mi, no en el ſujeto, debe de eſtar la culpa:* ô bonum Præfectum, qui ſatius putat, ſibi alienæ noxæ culpam adſciſcere,

Lucæ 13. v. 6.

Bonus præſul, totiùs negligētia reus haberi optat, quàm ſubditū extirpare.

Theodoret. in Catena.

Ambroſ. ibi.

quàm ſubditi extirpationem pati. Deneuſter ego, ne ſubditus dehoneſtetur, ſuo detrimento alienas emit ſpes. Grande planè eſt malum, ſubditum eradicare, quandoquidem bonus præſul, potiùs negligentiæ reus, quàm eradicationis, ſeu exciſionis cupit eſſe miniſter. Porrò ſolenne Præfectorum vitium eſt, propriam oſcitantiam aut imperitiam, alienâ excuſare malitiâ.

---

§. CCCXI.

Impudentia delinquendi, delicti exaggeratio eſt, & puniendi fomes.

1. NATVRA humana Protoparentis delicto ſaucia, malè ad virtutem claudicat, benè eualet ad vitium; & pietatis auara, prodigè ad impietatem effertur, peccati fomite flagitijs lenocinante. Bonus Deus, qui probè noſcens futile figmentum noſtrum, quantùm humano irritatur ſcelere, tantùm humanæ imbecillitati conniuet: & gratiæ officioſitate redimit, quod ſeueriorem irritat iuſtitiam. Verùm dum Peccatoris frons, impudentiam edocta ab ſcelerum frequenti malitiâ, effronti temeritate petulanter prorûit in flagitia: tunc, tunc quidem & ſiſtit miſericordiæ fluxum, & diuini furoris torrentem ad ſe copioſè deriuat. Quaſi peccandi pudor ſit miſericordiæ blandimentum; & delinquendi impudentia ſit actis vltionis irritatio. Quod Achior Iudithæ 5. audacter Holoferni intimauit, ſic fatus: *Et vſque dum Hebræi non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum illis bona.* Ac ſi Deus acerbiùs non puniret Hebræos, cùm peccarent; ſed cùm peccarent *in conſpectu Dei ſui*, id eſt palàm, impudenter, petulanter, & abſque vllo iniquitatis pudore, qui intercedere ſolet ad veniam.

Qui in Dei conſpectu delinquit, miſericordiam auertit & iuſtitiam irritat.

Iudith 5. 21.

2. Iobus c. 14. tot calamitatibus proſtratus, non ignatus ſe pluriès deliquiſſe; diuinam iram ſcelerum vindicem pauidè extimeſcit, aiens: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?* Locus difficillimus, & variè ab interpretibus tentatus. Titelmanus eum refert ad extremi temporis vniuerſale iudicium, quod vſqueadeò præſentiebat horribile, vt dum furor in illo ſeuero rerum articulo in iudicis ore ſcintillaret, eligeret potiùs cum damnatis in gehennali incendio cruciari, quàm ſpectare fulminantem iudicem, & ſuæ indignationis documenta maxima præbentem. Mitto hæc ad aliam theſim. Et ſanè nimis intellectu arduum eſt, quid Iobus his verbis petat, & an ſibi in petitione conſtet. Eſto, Deus humanorum ſcelerum vindex, ſuum in peccatores furorem oſtentet, quem vel in inferno fugere Iobus expetit, ſi fugâ & latebris declinandus Dei furor eſt, quare in inferno protegi Iobus cupit, & in inferno abſcondi? Quin & ſi Iobus à Dei furore exoptat fugâ abſcondi, & occultari latibuli beneficio; quo modo poſtulat, vt Deus illum abſcondat? Porrò quiſquis abſcondit aliquem, illius ſe præbet comitem, quouſque illum in latebris reponat & occultet; probéq; inde noſcit, vbinam abſconſus deliteſcat. An

Iob 14. v. 13.

Titelm. ibi. *Mitior eſt gehenna, quàm iratus Chriſti vultus.*

Deum ſupplicat Iobus, vt illum à Deo abſcondat.

Iobum dementauit calamitas, qui à Iudice petit, vt eum abſcondat, & latebris à ſe protegat? Parùm, opinor, tutus erit reus, quem iudex abſcondit. Scilicet perſpicuum erat Iobo eius noxas Deum latere non poſſe, quod omniſcientia vetat: nec poſſe etiam ſe fugere à Deo, cuius immenſitate comprehenditur. Verum nihilominùs à Deo petit Iobus vt illum peccatis obnoxium abſcondat, ne *in conſpectu Dei ſui peccaret*, quod valdè nuper exprobrauit Achior. Quaſi dicat Iobus: dum homo mortalem hanc vitam agit, impoſſibile eſt, nunquam in Deum delinquere; at ne *in conſpectu tuo peccem*; quandoquidem non poſſum à te fugere, & à te abſcondi; hoc vnum quod poſſum, enixè deprecor, vt tu ipſe abſcondas me; ſaltem ſic voto abſcondar, & deſiderio meo in tuis latebris occultabor, ne *peccem in conſpectu Dei mei*. Sic peccatum meum erubeſco, ſic deteſtor peccandi impudentiam, vt ſi quando humanâ mihi imbecillitate peccandum contra te ſit; tunc, tunc quidem vel in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, ne vnquam *in conſpectu Dei mei peccare* contingat. Sic ex Iobo execrabilis delinquendi licentia, à delicto, & in delicto impudentiam edocta! Sic iuuat ad mores locum deriuare, quem olim ibi litteraliſſimè expendebam.

Matthæi 21. Homo ille paterfamilias plantauit vineam, & eam locauit agricolis. Et cùm tempus ſoluendorum fructuum aduenit, miſit ſeruos, quos iterùm, atque iterùm, partim cædere, partim occidere auſi ſunt. Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe: Hic eſt heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. *Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Poſterius flagitium, priorum admirationem eximit. Repetito ſcelere atrociter ſæuiunt in ſeruos Domini, ſuæ vineæ fructus poſtulantis. Inhumanum planè facinus! Sed heu, filium etiam occidunt, atroci & barbarico ſcelere! Fortè ignorabant eſſe filium, & velut ſeruum malè conciderunt. At ipſi aduerſus ſe proclamant: *Hic eſt heres, venite, occidamus eum.* Saltem in angulo, aut vineæ frondeo latibulo tantum ſcelus patrant. Audi ſacrum Hiſtoricum: *Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Ecce extra viam eijciunt, & illum in viâ publicâ atrociſſimè trucidant? ô audaciam malitiæ à delicto, & in delicto impudentiam edocta! Parum erat poſt Domini ſeruos, filium etiam agreſti temeritate peremiſſe; niſi extra vineæ ſepem illum extraherent, quò etiam publicitùs in filium ferocirent? Benè aduertit ibi Strabus Fuldenſis, quod Marcus *mutat hunc ordinem, dicens: Occiderunt, & eiecerunt extra vineam, quaſi vile cadauer. In quo notat pertinaciam*: quin & impudentiam, quaſi non pœnam, ſed laudem è ſceleris atrocitate captarent. Quid hi ſperent, niſi illius ſententiæ fulmen? *Malos malè perdet.* Sic, ſic puniuntur, qui peccare non verentur *in conſpectu Dei ſui*, id eſt, palàm, impudenter, petulanter! Quod ſic diuinum prouitat furorem, vt ex legem peccandi impudentiam æternâ ſupplicij pertinaciâ caſtiget, aiens: *Malos malè perdet*: ô time.

3.

Matth. 21. v. 39. *Impudentia delinquendi, ſupplicia exigit pertinaciam.*

Strabus ibi Marci 12.

time. Peccare, humanum eſt : de peccato non erubeſcere, inhumanum, ferinum, diabolicum. Profectò delictum, quod cum pudore venit, Hîc v.7. interuenit. Vide hîc quàm acerbâ maledictione Simeonem & Leui feriat mitiſſimus pater; non tantùm delicti atrocitatem, ſed impudentiam acerbè caſtigans. Impudentia eorum cum delicto ſcribitur ſuprà cap. 34. v. 31. hîc verò tantæ impudentiæ ſupplicium.

4\. Exod. 3. v. 9. Aug. q. 5 in Exodum. Exodi 3. dirè ab Ægyptiis opprimebantur: tunc Deus Moyſi apparet, & ſic loquitur: *Clamor ergo filiorum Iſraël venit ad me.* Super quibus verbis ita S. Auguſtinus ſcribit: *Ægyptiorum autem, ſicut clamor Sodomorum, quo iniquitas ſine timore & verecundiâ ſignificatur.* Nempè iniquitas ſine timore & verecundia, & in flagitiis impudentia, clamor eſt, & grandis clamor, vindictam à Deo extorquens. Impudens enim malitia, eſt arcana & peruerſa oratio vltionem impetrans. *Impudens malitia, eſt peruerſa oratio vltionem impetrans.*

§. CCCXII.

Celebris Tertulliani locus, diuinæ Miſericordiæ vindex, vindicatur.

1\. Tertul. l. 4 contra Marc. c. 10. VETVS auctor Tertullianus, altâ ingenij profunditate, & ingenij grandiloquentiâ notus, hîc attonitâ Dei Miſericordiam contemplatus, (fortè ſi attentiùs legatur, non prorsùs ironicè contra Deum Marcionis) in has voces audacter erupit: *ô Deum, non naturâ beneficum, ſed æmulatione!* (Hunc locum, quem acuminis eminentia vulgarem fecit, copiosè olim alicubi expendebamus Hiſpanè diceres: *Pareçe que la Miſericordia de Dios ſe las à apostado a ſu Iusticia: y que ſu liberalidad es como tema porfia y empeño con la Iuſticia; mas que naturaleça.* Verùm ſciolus quiſpiam ſic ſubtiliter argutatur: Diuina Iuſtitia, æquè immeratè infinita eſt, ac Miſericordia; quo ergo pacto in operandi æmulatione, æquales (vt ſic loquar) vires conferens, Miſericordiæ cedit? *El empeño de la Iuſticia porque à de deſmajar auiſta de la Miſericordia empeñada, ſiendo ambos attributos infinitamente perfectos?* Loquitur Tertullianus de Deo anthropopathῶs, vt loqui ſolitat Scriptura. Hunc nodum extricat, hic paragraphus, diuinæ Miſericordiæ vindex, qui ad Tertullianum tuendum præter Tertullianum ferè neminem aduocabit auxiliarem.

Si litteraliſſimè hunc locum interpreteris, aduerte, quòd Tertullianus hîc agit aduerſus Marcionem, qui duos conſtituebat Deos, alterum apud vetus Teſtamentum iuſtitiæ rigoribus conſpicuum; & alterum, Chriſtum inquam, apud nouum Teſtamentum, miſericordiæ elogiis aſpectabilem. Itaque & Marcion, & Tertullianus ingenuè fatentur Chriſtum eſſe Deum. Cùm autem Tertullianus contempletur Chriſtum erga Amorrhoïſam beneficentiorem, exclamat: *ô Deum, non naturâ beneficum, ſed æmulatione!* Quibus verbis non negat Tertullianus Chriſtum Deum eſſe naturâ ſuâ beneficum, quod nec ipſe, nec Marcion negabat, & extra rem foret, cùm vterque Chriſtum fatebatur Deum, & infinitè beneficum. Loquitur ergò Tertullianus alto ſtilo, & Biblicâ phraſi imbutus, idiomate ſacræ Scripturæ, cui familiare eſt (cùm lingua Hebræa comparatiuis careat) partem quam vult attollere, ex depreſſione partis oppoſitæ exaggerare. Pſalmo 21. v. 7. Pſal. 21. *Vermis ſum, & non homo.* Docétne hîc Scriptura, quòd Chriſtus homo non eſt; & quòd potiùs vermis eſt? Magnum per diuina ridiculum! ſenſus ergò eſt: Tametſi Chriſtus verè homo ſit, & vermis non ſit; ſic abiectus apparuit, vt vermis potiùs quàm homo videretur. Itaque cùm loquens de Chriſti beneficentiâ, ait: *ô Deum, non naturâ beneficum, ſed æmulatione!* nec Tertulliano, nec vlli Interpretum venit in mentem, quòd hîc negetur, Chriſtum naturâ ſuâ eſſe beneficum, quod Chriſti Dei elogium vel ipſe Marcion ſumptuotiùs prædicabat. Senſus ergò eſt (procùl calumnia:) Sic in hoc miraculo Chriſti Dei oſtentatur beneficentia, vt non tam appareat naturâ ſuâ beneficus, quàm velut aliquâ æmulatione ſeu contentione, quæ humanitùs ſolet vires audaciùs exerere. Itaque & loquitur Tertullianus de Deo antropopathῶs, & Biblicâ phaſi, ſicut ore prophetico de ſe dixerat: *Vermis ſum, & non homo.* Et Oſee 6. v. 6. *Miſericordiam voluit, & non ſacrificium.* Oſee 6. Et tamen tum à Iudæis ſacrificia exigebat. Alia multa Scripturarum loca adducit Titinus in Idiotiſmis, quæ adire procliue eſt. Et in hoc ſenſu eruditis peruio, expoſuimus præſcriptum Tertulliani locum, in Commentariis ſuper Iudith. Igitur explicatâ naturalis beneficentiæ velut negatione in Chriſto; de elogio *æmulationis*, ſeu contentionis velitemur, quod Paragraphi titulus expoſcit.

Profectò *otioſa anima tantum decrit diſcere, quantùm libuerit inquirere. At nunc negotium patitur Deus omnipotens. Sed nil Deo par eſt: periculum enim ſtatus ſui Deo nullum.* Nemo ſaluâ fide negabit, Dei attributa adæquè eſſe infinitè perfecta: aſt Miſericordiæ opera à naturâ Dei (etſi liberè) erumpunt; rigor verò ſeuerioris Iuſtitiæ, velut peregrinatur in Deo: 2. Tertull. l. de Anim. c. 58. l. 2. contra Marc. c. 2. De Reſur. car. c. 6. *Dominus..... iraſcetur: vt faciat opus ſuum, alienum opus eius: vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo*, dixit Iſaias. Iſai. 28. v. 21. Nempè cùm durum Deus vibrat ſupplicium, opus ſuum eſt, quia eſt à ſuâ Iuſtitiâ; ſed peregrinum eſt opus eius ab eo: nam cuius proprium eſt miſereri ſemper & parcere, non tam à ſe, quàm à noſtris delictis ad vindictam laceſſitur, quod his verbis deſcribit idem Tertullianus. *In Deo agnata eſt Miſericordia, Iuſtitia velut peregrina.* Tertull. l. de Reſur. car. c. 14. *Qui apud Deum di'cis tam optimum,* (id eſt bonum & pium) *quàm Iuſtum: de ſuo Optimum, de noſtro Iuſtum. Niſi enim homo deliquiſſet, optimum ſolummodo Deum noſſet ex natura proprietate: & nunc etiam Iuſtum eum patitur, ex cauſa ſua neceſſitate. Tamen & hoc ipſo Optimum, quod Iuſtum.* Audis Deum Miſericordem dici ex naturæ ſuæ proprietate, Iuſtum verò velut ex noſtrâ prauitate? Quid ergo mirum ſi in operandi æmulatione primas ferens innata Dei Clementia in *æmulatione* velut cum peregrinâ Iuſtitiâ, Tertullianus exclamet: *ô Deum, non naturâ beneficum, ſed æmulatione?*

Noli conſtringere explicabilem ſenſum, & 5.

Tertull. de Carne Christ. c. 16. De Reſur. car. c. 1. l. de Anima c. 18.

Nil tam Deo dignū quàm ſalus hominis.

vnicâ arctari dubij ſolutione. Nam tametſi nemo inficiabitur, quod *Ratio diuina in medullâ eſt, non in ſuperficie, & plerumque æmula manifeſtis*; tamen verum eſt illud eiuſdem auctoris: *Facies occultorum ea, quæ parent.* Cumque opera ad extra Miſericordiæ longè nobilitate & amplitudine excellant Iuſtitiæ rigores, iuxta illud decantatiſſimum: *Miſericordia eius ſuper omnia opera eius*; non inidoneè coniectare licebit, Miſericordiam in æmulatione ſeu contentione cum Iuſtitiâ diuinâ, primas ferre in operibus, quæ extrorſùm vtramque palam oſtentant. *Nil enim tam Deo dignum, quàm ſalus hominis*, quaſi pœnalis hominum punitio non ſit vſqueadeò digna Deo, ac indulgentior eius clementia. Itaque Deus cum ſuâ Iuſtitiâ de Miſericordiâ velut contendens, pulchrè dicitur, non tam *naturâ, quam æmulatione beneficus.*

Tertull. l. 2. contra Marc. c. 27.

4. Præterea *Iſti cenſores diuinitatis, dicentes: Sic non debuit Deus, & ſic magis debuit*, digno diuinæ Miſericordiæ cenſu redarguendi ſunt. Porrò diuina beneficentia humanæ de Deo notionis negotiatrix eſt, ac ſi largitionibus ad Dei notitiam homines ſubornaret. Vnde Deus æternùm otians, aut hominibus benefacere ceſſans, ab ipſo Tertulliano, *Nemo hominibus* appellatur, quaſi exindè cenſendus, quò cœpit beneficè operari. Audis Deum ſuę eſſentiæ plenitudinem, Miſericordiæ operibus apud homines aſſerere? Ergo Miſericordia velut diuinitatis vindex, cum Iuſtitiâ de pietate quaſi contendit: & inde Deus non tam nominatur *naturâ, quam æmulatione beneficus*, in ſenſu explicato.

Tertull. l. 2. contra Marc. c. 2.

Deus beneficentiâ ... ad homines ... Tertull.

5. Dein haud dubium eſt, verum Deum vnum eſſe, quod & diuinâ fide, & naturali ratione liquidò conſtat. At Deus iraſcens & puniens, vniſſimus eſt; (vt ſic loquar) Deus verò vt beneficus, *Multus ad ignoſcendum* dicitur ab Iſaiâ. Ad quæ verba idem Tertullianus alludens, inquit: *Deus miſericordia plurimus.* Hiſpanè, *ſiendo vno, es liberal y da por muchos.* Nam etſi Deus naturâ polleat immultiplicabili, tamen dum ſe munificentiorem hominibus exhibet, velut ad donandum multiplicabitur, dum pluratiuo nomine efferetur; ac ſi natura Dei vna, à magnitudine Miſericordiæ ampliaretur vltra infinitæ vnitatis metas, ad diuinæ pietatis exaggerationem; ne humana tenuitas *Nil diuina licentia ſernet.* Vndè opportuna hyperbole dignè Dei Miſericordiam amplificat, quaſi ſit vna plures: vna reipsâ, velut plures ad opulentiorem largitatem dignè hominibus intimandam. Quid ergo mirum ſi in præfatâ *æmulatione* vna duntaxat Iuſtitia velut multiplicatæ Miſericordiæ quaſi cedere videatur: *ô Deum non naturâ beneficum, ſed æmulatione!* aiens.

Iſai. 55. 7. Tertull.

Deus ad rem iuſtitia vnus, Miſericordia plurimus dicitur.

Tertull. de Anima c. 2.

6. Inſolens non eſt in Scripturâ ſacra, Deum humano more iudicare ſuper re aliquâ conſulentem: & meditari non incongruè licet, tres diuinas perſonas indiuiduâ ſapientiâ præditas, conſultiſſimas ſui perfectiones aduocare in Conſilium, velut conſilioſos quoſdam ſenatores. Sed inquirere curioſiùs libet, ecquod Dei attributum præſideat in hoc Conſilio. Reſpondet Tertullianus, hanc Conſilij diuinam ſcenam inducens: *Liberalitas magis quàm Acerbitas Dei præeſt.* Quis neſciat Præſidis ſuffragium, quin & nutum, nimis in Senatorum Conſilio valere? Præſidentis Miſericordiæ ſententia, *æmulatione* præſertim contendens, (*con empeño*) rem planè euincit, & voti compos feliciter euadit, velut prærogatiuâ ſuffragij, Deus autem indè non tam *naturâ, quam æmulatione beneficus* nominatur.

Gen. 1. v. 26. *In Dei Conſilio liberalitas præſt.*

Tertull. in Scorp. c. 6.

An Deus de ſola Bonitate cenſendus erit? minimè, ſed de Iuſtitiâ etiam. Porrò ſi Deus malorum vltor non eſſet: *Ecce, etſi non auctor, aſſentator mali inueniretur Deus*, dixit idem Tertullianus: quia nulla peccatorum vindicta, velut adulari delictis videretur: nam *Vbi metus in Deum, ibi diligentia attenta.* Verùm enimverò ſæpè blandior Dei indulgentia, quàm ſeuerior ſupplicij acerbitas, duritiem edomat delinquentium. Exindè feliciter Deus, *Per veniam ſuppliciis anteparticipans*, dicitur ab eodem Tertulliano: o argutum diuinæ Miſericordiæ ingenium! Benignitate homines emendat quo ſiſtat Iuſtitiæ rigores, ne diuinæ in homines iracundiæ ſupereſſit locus quem totum occupet Miſericordiæ venia? Sic Miſericordia Iuſtitiæ præcurrit? *ô Deum, non naturâ beneficum, ſed æmulatione!* quantum hominibus apparet. 7.

Tertull. l. 2. Marc. c. 11. Adu. Hermog. c. 12.

De Præſcript. adu. Hæret. c. 43.

Adu. Prax. c. 4.

Dei Miſericordia per veniam ſupparat diſciplinam.

Parùm foret *æmulationi* diuinioris Miſericordiæ, meritos Iuſtitiæ rigores præproperè per veniam ſollicitè præuenire; niſi etiam ſollicitius ipſis ſuppliciis ſe ingereret piè feſtinaret clementiæ arbitrio, quò pœnarum acerbitas tutiùs Miſericordiæ, quàm Iuſtitiæ adſcribatur. Quod eleganter ipſe docuit Tertullianus. *Deum verò, & quidem zelotem* (inquit) *culpandum æſtimabis, ſi voluerit certaſſe cum causâ, & iniuria æmulando prodeſſe, mortem morte diſſoluere, occaſionem occaſione diſpargere, tormentis tormenta diſcutere, ſupplicia ſuppliciis euaporare, vitam auferendo conſeruare, carnem lædendo iuuare, animam eripiendo ſeruare. Peruerſitas quam putas, Ratio eſt: quod ſæuitiam exiſtimas, Gratia eſt.* Diligenter nota præfatam totius ſententię clauſulam, vbi quam homines putant Iuſtitiæ ſæuitiam, Gratiæ & benignitati imputat. An hîc etiam apparet Deus, non tam *naturâ, quàm æmulatione beneficus?* 8.

Tertull. in Scorp. c. 4. *Quod ſæuitiā putamus, gratia Dei eſt.*

Denique vt ipſe Tertullianus docet: *Priùs eſt genus, quàm caſus.* Id eſt, priùs homo creatus eſt, quàm in delictum laberetur; exinde prior eſt Dei beneficentia hominem efformans, quàm Iuſtitia vt eundem hominem caſtigatione reformans. Ecce *prius eſt genus, quàm caſus.* Pergit alibi: *Omnis res anterior poſterioris normam præmonſtrauit.* Quaſi opus Miſericordiæ ſit operum Iuſtitiæ norma. Num Iuſtitia Miſericordiam, velut exemplar imitandum intuebitur? Vide oculis *æmulatricis* Miſericordiæ ingenium, quò Iuſtitiam ſui æmulatione in operibus ſuperare expetit, dum Miſericordia conſultò Iuſtitiam præcurrit, vt vel Iuſtitiam in clementiæ imitatione æmulam haberet. An ſeuerioris Iuſtitiæ idea, erit indulgétior Miſericordia? Quid demum ex mitiori idea deprimet Iuſtitia? quid aſperum ex blando exemplari exprimet rigor? ô Dei in hâc vitâ rigores, Miſericordiæ gratiâ puſſimè imbutos! Bellè ergo explicato ſenſu dixit Tertullianus: *ô Deum, non naturâ beneficum, ſed æmulatione!* 9.

Tertull. de Reſur. car. c. 47. l. 1. contr. Marc. c. 9. *Miſericordia diuina eſt diuinæ iuſtitiæ idea.*

Addam,

10. Addam, & finio, Tertullianum, præfatis verbis non agere de ſtrictâ *æmulatione*, quæ vt hominibus familiaris eſt, ita à Deo longiſſimè abeſt. Nam vt ipſe aliàs præſcripſit: *Bonæ æmulum nihil non malum.* Et aliàs: *Proinde enim æmulationi occurrant neceſſe eſt, officiales ſuæ in ea quæ æmulantur, ira, diſcordia, odium, dedignatio, indignatio, bilis, moleſtia, offenſa.* Cùm verò inquit, Deum non naturâ, ſed æmulatione beneficum; vtitur Tertullianus epitheſi Biblijs familiari, neque enim negat Deum naturâ eſſe beneficum, ſed ad exaggerandam Miſericordiæ *æmulationem*, ait, Deus non naturâ, id eſt, non tam naturâ, quàm æmulatione beneficus apparet. Vt, *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*, id eſt, non tâ ſacrificium, quàm miſericordiam. *Vermis ſum, & non homo*, id eſt, potiùs quàm homo, vt nuper expoſuimus.

Tertull. l. 2. cõtra Marc. c. 11. l. 1. c. 25. *Humana æmulationes officiales.* Oſee 6. 6. Pſal. 21. 7.

Diſtrictos Iuſtitiæ rigores fulminauerat Iacobus (Chriſti typus) contra Ruben, Simeonem & Leui; vide nunc ab hoc verſ. 8. an Benignitatis largitas exundet, beneficentiæ æmulatione.

Hîc v. 8.

§. CCCXIII.

Principem eſſe, & effuſius laudari, antiqua ſynonyma ſunt.

1. HOMINVM animus alienæ laudis auarus naſcitur, dum communi errore quicquid gloriæ alijs impenditur, ſibi detrahi putat, & alienâ ſublimitate decreſcere. At ſi coram cum Principibus conuerſatur, ſui oblitus, & per blandimenta adulationis, lucri adſtrictus compedibus, linguæ vendit obſequium, dum animus habendi cupidine ſubiugatus, præſumptum ſuæ ambitionis æſtimat habere compendium: & alios laudandi crucem ignorat, dum fauorem deſiderat Principum adulatione mercari. Hinc quiſquis conſultiſſimè ſubtrahitur Procerum laudandorum officio, honorariis officiis adæquè negatur. Quaſi principalis laudatio ſit meritum ad honores; & qui non eſt idoneus ad mentiendas adulatione laudes, ad fauores inidoneus comprobetur: ac ſi effuſior laudatio, ab ambitione adoptata, debitum foret Principibus ſtipendium. O effrontem aulicorum ambitionem, Regum adulationibus vectigalem!

Agnatum eſt hominibus, Principes laudare.

2. Hîc verſ. 8. Iacobus ille Iacobææ gentis ſublimiſſimus Patriarcha, duodecim filios moriturus, in totidem familiarum principes inaugurat: & dum ex ordine ſingulos ſingularis benedictionis conſtituit heredes, ad Iudam, Iudææ tribus protoparentem, ſic arcanè fatur, præſagâ mente de cælo inſtinctus: *Iuda, te laudabunt fratres tui.* Caietanus, ne modica principalis tribus reputetur hæc Iacobi laus, ita præfata verba commentatur: *Iuda, te laudabunt fratres tui. Alludit Iacob ad nomen Iudæ, ſonat enim confeſſionem laudis. Ac ſi apertiùs dixiſſet: Meritò tu diceris Iuda, meritò à laude nomen habes, quia laudabunt te fratres tui.* Quaſi dicat: Parum foret te, ô Iuda, ab extraneis laudari, tanta eris laude dignus, vt vel ipſi fratres tui te magnificè prædicent, & glorioſe dilaudent. Sic rarum & inuſitatum eſt, fratrem à ſuis fratribus laudari? Sic eſt germana fraternitas à laudibus aliena? Sic inter fratres peregrinatur laudatio? Mitto hæc, nam aliò me vocat thema præſens. Gennadius in Catenâ, plura vidit in hoc loco, & verborum parcus, locupletem ſenſum abundè largitur: *Te laudabunt*, inquit, *fratres tui. Hoc eſt cognatorum, & alienigenarum principatum obtinebis*, & quidem litteraliſſimè, nam mox ſubdit: *Non auferetur ſceptrum de Iuda*, &c. Principatum obtinere, idem eſt, ac laudari? Sic laudes audire Sceptris cognatum eſt? Sic inoleſcit, aut potius inſoleſcit Principes laudandi libido, vt non tam prærogatiua Principis, quàm principandi Poteſtas laudari videatur. O de ingenio adulationis veriſſima ſynonyma, *Princeps eris, & Te laudabunt!* Quid, ô Princeps, ob auditas laudes faſtuoſè turges? quid tantum laudibus credis? Te, dum effuſius laudant, non bonum Principem prædicant, ſed Principem fatentur, non rei præclarè geſtæ, ſed prælucentis purpuræ debitas laudes pendunt. Principales demulcent aures ſolenni laude, re laudis vacuâ. Annon quicquid abſurdi Princeps fecerit, expromptum inuenit laudatorem, qui illius gratiam adulationis ingenio mercari ambit? Appello ad conſcientiam Principis, qui aliquando rei non bonæ, benè ſibi conſcius, aduertit fallaciam laudatorum inſipientiam. Aſt, nec tunc decipit propria laus. Sic auſtera laudatio hominum mentes ſubornat, vt vel palam mentita, non diſpliceat. Ridet in corde Rex aulicum placendi arbitrium, & tamen adhuc ore præ laudis complacentia ridet, ob præſtigiatricem laudationis gratiam. O crede tibi, ne credas alijs!

Hîc v. 8. *Caiet. ibi.* *Frater auream fraterna laudis eſt.* [illegible] Gennadius in Catenâ ad eum locum.

3. Geneſis 41. arcano inquietatus ſomnio Pharao: Ægyptij coniectores diuinare non ualent abſconſum ſomnij præſagium. Inter reliquos palatinos anxio Regi aſſiſtabat pincernarum magiſter, cuius, dum eſſet in eodem carcere vinctus, adſimile ſomnium Ioſephus feliciter interpretatus eſt. *Tunc demum reminiſcens pincernarum magiſter, ait: Confiteor peccatum meum. Iratus Rex ſeruis ſuis, me & magiſtrum piſtorum retrudi iuſſit in carcerem*, &c. Videlicet neceſſe fuit referre, ſe in carcerem detruſum, vt Ioſephi ſomniorum interpretandorum peritiam oſtenderet: prædixit enim Ioſephus illum poſt triduum è carcere in priſtinum officium fore reſtituendum. Sed vide mihi hominis aulici verba ad principalem adulationem miro artificio compoſita. Nimirum ipſe pincernarum Princeps innoxius, Pharaonis iracundiæ, potius quàm culpæ reus, in ergaſtulum, vbi erat Ioſephus, detruſus eſt, vt res adprobauit euentus. Ait ergo: *Confiteor peccatum meum*, non obliuionis ingratæ ſui interpretis hæc verba ſunt, vt vulgò putant commentatores; ſed, *Quia non poterat Ioſephum introducere, niſi faciendo mentionem de hoc, quòd Regem prius offenderat, propter quod incarceratus fuit, vbi Ioſeph ſomnium ſuum expoſuit*, vt ait Lyra. Obſerua huius palatinæ vulpis laudandi ingenium. Ipſe fortè

Geneſ 41. v. 9. & 10. *Aulici laudatores in ſe culpam reijciunt, ne inculpatus Princeps damnetur.* Lyra ibi, quem ſequuntur aliqui apud Cornelium.

putabat ſe innocentem, (eius enim peccatum, vt putant Hebræi, fuit muſca in regio potu) ſuamque innocentiam impunitate vindicabat. At non audet carceris pœnam ſibi à Pharaone inflictam commemorare, quin palam *confiteatur peccatum ſuum.* Planè ſe nocentem fortaſſis falsò confiteri non renuit, quò iniuſtam Regis iram coràm excuſet. Iuſtam dicit iniuſtam contra ſe Regis iram, indiſcuſsâ causâ præcipitem, vt vel iniuſtæ aduerſus ſe iracundiæ Regis aduletur. Culpam ſuam mentitur, vt culpâ ſuâ excuſet Pharaonis culpam. Suæ conſcientiæ & honori blandiendo detrahit, quod adiiciat Regis gloriæ: & ſuo peccato mendaciter & iniuſtè confeſſo,glorioſam facit ſui Principis iniuſtitiam: nec à delicto iam timet, quod adulando coram Iudice confitetur. Arguta planè Lyræ obſeruatio!

---

§ CCCXIV.

Aliena gloria incredibilis eſt homini, qui ſuam nimis amat.

1. VIR probus illum in primis deuitet affectum, qui multos probitate illuſtres occupauit, nempe ex propriæ gloriæ appetentiâ, alienæ ingloriæ libido. Eſt enim vt propriæ excellentiæ appetitus, ſic etiam & inconſulta animi inclinatio, quâ aliena gloria nobis videtur incredibilis, ne aliorum ſublimitate nos decreſcere videamur. Hic autem humanus affectus non tantùm ignauos iacenteſque, ſed & ſæpè etiam generoſos atque acerrimæ indolis viros corripit, adeò vt vix aliquis ſibi videatur ſuam gloriam ſatis amare, niſi exiſtimatione ſaltem offendat alienam. Hunc affectum & humanum, & homine indignum, non rationum machinis frangere, ſed publicatione ſuæ fœditatis proſcribere & emendare, huius paragraphi labor eſt. An profuturus ſim, neſcio. Sic altè hic affectus incredibilis in animis noſtris hæret! Sed malo ſucceſſum mihi, quàm fidem deeſſe.

Qui ſuam gloriâ nimis amat, exiſtimatione ſuâ offendit alienam.

2. Lucæ 24. Chriſtus Deus, deuictâ morte, ſolutus ſepulchri vinculis, rediuiuus apparet Diſcipulis, de aliis eiuſdem apparitionibus ſecum confabulantibus. Dum autem hæc loquerentur, ſtetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego ſum, nolite timere. *Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre.* O rem nouam & inſolentem! Corporeis oculis ſe putant Spiritum videre? Puto, Spiritum ſub oculorum perſpicaciam non cadere; ſed totum Spiritum videndi negotium, ad mentem, non ad oculos pertinere. Hæcne tam inſipiens exiſtimatio in homines non prorſus fatuos cadere potuit? Quid tam ſtolidum & ruſticanum, quàm ſerio exiſtimare, ſe corporeo aſpectu incorporeum Spiritum percepiſſe? Quid, quæſo, in hanc mentem impulit Diſcipulorum animos, nec inſipientes, nec ſuo Magiſtro ingratos? Nonne expromptius & procliuius erat ſibi perſuadere, ſuum Magiſtrum à mortuis reſurrexiſſe, quàm ſe corporeis oculis incorporeum Spiritum peruidiſſe? Eleganter inibi Beda: *Diſcipuli*, inquit, *nonerant Chriſtum verum hominem, cum quo tanto tempore fuerant conuerſati; ſed poſtquam mortuus eſt, non credunt tertiâ die potuiſſe veram carnem de ſepulchro reſurgere. Putant ergo ſe videre Spiritum, quem emiſit in Paſſione.* Nimirum tametſi Diſcipuli, ob tanti, tamque ohari Magiſtri beneuolentiam, aliàs maximè cuperent, vt tertiâ die, ſicut illis ſæpè promiſerat, glorioſus reſurgeret; & minùs erat creditu arduum, Chriſtum rediuiuum oculis videre, quàm Spiritum obtutu corporeo cernere; tamen ipſi adhuc rudes inconſulto humanæ paſſionis impetu, fortè ne tantam gloriam in alio fore exiſtimarent; ſatius putant cenſere, ſe Spiritum oculis aſpexiſſe, quàm perilluſtrem feſtinatæ Reſurrectionis gloriam in alio homine venerari. Scilicet conturbati & perterriti tunc homines, humani affectus errore, ne tam auguſtam credant in alio excellentiam, & gloriam humano faſtigio ſublimiorem, corporeis oculis *exiſtimabant ſe Spiritum videre.* Sic eſt volupe hominibus alienæ gloriæ non credere, aliorum excellentiæ vota detrahere, & fide, ſi re non poſſit, derogare? Ergo vt Diſcipulorum depellat errorem, ſubdit Chriſtus: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum: palpate & videte: quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

Lucæ 24.37.

Diſcipuli oculis corporeis ſe Spiritum videre putant, ne alienam gloriam credere cogantur?

Beda ibid.

Geneſeos 42. decem Iacobi filij frumentatum pergunt in Ægyptum. Et Ioſeph (eorum frater) erat Princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adoraſſent eum fratres ſui: *Fratres ipſe recognoſcens, non eſt cognitus ab eis.* Hinc non inidonea oboritur quæſtio, quare Ioſephus ſtatim fratres agnoſcens, à fratrum nemine cognitus ſit. Neque enim adeò diſpares ætate erant. Nam eſto, Ruben ſeptem annis Ioſephum excederet, reliquis fratribus Ioſephus ſuppar erat ætate. Chryſoſtomus ita ſuper hàc re fatur: *Veroſimile eſt, iuuenem olim Ioſephum, nunc immutatum facies ſuæ effigie.* Sed etiam eius fratres immutati erant. Vnde pergit Chryſoſtomus: *Id totum, opinor, diuinæ diſpenſationis fuiſſe, ita vt non potuerint vel ex ſermone, vel ex aſpectu fratrem agnoſcere. Vnde enim vnquam in hanc opinionem veniſſent?* Mirum planè eſt, ſic caligaſſe fratrum oculos, vt fratrem ſuum, cum quo diu fuerant conuerſati, & ſi non leuiter immutatum; ex vultu, aut loquelâ, aut corporis geſtu aut motu, aut ex alio obuio diuturnæ conuerſationis indicio nullatenus cognouiſſent. Congruentior fortè ad mores ratio peti poſſet ex humanæ naturæ agnato vitio, & ingloriæ alienæ cognata hominibus ambitione. *Fratres ipſe cognoſcens, non eſt cognitus ab eis. Vnde enim vnquam in hanc opinionem veniſſent?* vt aiebat Chryſoſtomus. Longiſſimè enim erat à fratrum mente fratrem ſuum in tantam fuiſſe elatum gloriam & potentiam & magnificentiam, quantâ præditum cernebant cùm loquebatur ipſis. Scilicet ſi quod apparebat fratris agnoſcendi indicium, confeſtim illud eludebat adeptæ gloriæ ſublimior magnificentia, & cognata inuidia non inidoneum fruſtrabat indicium: & inconſulti

3. Geneſ. 42.8.

Aliena gloria vix nobis credibilis eſt.

Chryſoſt. hom. 63. in Geneſ.

inconſulti affectus ductu, malunt durius tractari ab Ægypti Principe, quàm ſuum fratrem Ægypti Principem ſuſpicari. Mentita putant indicia, ne ſeriò putent, veram eſſe magnificam alterius ſublimitatem. (Sic liceat concionatoriè hunc locum exponere.) Sic eſt nobis improbabilis auguſtior aliorum gloria? Sic inuidia alienæ proſperitatis vel manifeſta fallit indicia? Non valde mirarer, ſi Ioſephus glorioſâ Præfecturâ illuſtris, fratres ruſticanos & inglorios non agnoſceret; (nam proſperior fortuna vilem & egenam cognationem dediſcit) at valde miror humanæ inuidiæ impotentem affectum, quo agitati, ex nullo iudicio fratrem ſuum, quem vilem putabant, vel ſuſpicari glorioſum in mentem venerit. *Fratres ipſe cognoſcens, non eſt cognitus ab eis.*

Hîc v. 8. Tantane erit Iudæ gloria, vt non tantum æmulis non ſit incredibilis, ſed ab ipſis effuſius prædicetur?

§ CCCXV.

Vel in ipſa obſequiorum ſubmiſſione, in ingenuis elucet generoſitatis ſcintilla.

1. *In obſequiis etiam generoſi viri generoſitas eluceat.*

Cognatus Principibus faſtus, ſubditorum conſtantiam euirat, atque ingenuos eorum mores debilitat ac frangit. Non tantùm cernuâ ſubmiſſione coli Princeps ambit, ſed perſæpè, quaſi aliquod humanum numen ſuſpici, & adorari: nec modo congruam tanto faſtigio reuerentiam exoptat, ſed & obſequia ingenuo homine indigna ſic exigit, vt ea non exhiberi à ſubditis, iniuriam vocet. Numquam enim improbæ ambitioni, quod abundè datur, ſatis eſt. Adeò vt ingenui & liberales ſubiectæ nobilitatis mores, aut metu, aut ſpe, aut auitâ conſuetudine, ſæpè ad indigna obſequia demittuntur: ſiue vt ambitioſi Principis gratiam officioſitate ſubornent, ſiue vt iras adulatione diuertant, magno ſuæ generoſitatis detrimento. Nam in homine prænobili, vel in ipſis obſequiis aliqua generoſitatis ſcintilla fulgurare debet, quæ & ingenuos retrò maiores, & animi magnanimitatem latenter prodat.

2. *Iuda tribus potentioribus genua flectet, ſicut leo, id eſt, generosè.* Hîc v. 9

Hîc verſ. 9. morti iam iam proximus patriarcha Iacobus, de cælo afflatus, numeroſam filiorum turbam accerſit, & præſagâ futurorum mente, atque lynceis prophetiæ oculis, vnicuique familiæ principi, infauſtam aut felicem ſuæ ſobolis fortunam prædicit. Cùm verò ad Iudam, illuſtrioris tribus protoparentem, ventum eſt, ſic à Deo inſtinctus Iacobus proſperè vaticinatur: *Catulus leonis Iuda: requieſcens accubuiſti vt leo.* Locus planè difficilis, quippe qui prophetiæ nubilo tectus eſt. Sed eſto, leonis nomine, tribum Iuda fore in primis regiam inter reliquas tribus præſagiat; ſicut leo inter reliquas nemoris feras, regiâ ſuperbit dignitate, vt vulgò interpretes exponunt. Aſt quid eſt, *Requieſcens accubuiſti vt leo?* Intermitto plura, quæ commentatores hîc adaggerant, vt citius deſcribam expoſitionem Caietani, qui ſic locum exſcribit, & interpretatur: *Iuxta Hebræum* Caiet. ibi. *habetur: Genuflexit ſicut leo.* Scilicet inter auguſtiora Iudæ elogia, quæ prophetice Iacobus decantat, id non omiſit, quòd quando neceſſe erit, vt Iudas reuerētiæ & ſubmiſſionis notas alicui exhibeat, quando alicui *genuflectere* oporteat ſublimioris honoris causâ; *Genuflectet ſicut leo.* Id eſt, non erit indignè vrbanus erga dignitate ſublimiores; neque ſicut canis, blandiendo, neque ſicut ſimia adulando, neque ſicut camelus procumbendo genuflectet, vt ſeruitutis onera vltrò ſuſcipiat, ed, cùm ſe potentiorem venerari neceſſe ſit, *genuflectet ſicut leo*, generoſitatem ſuam vel in humili obſequio præmonſtrans, & regium animum, haud degenereſque ſpiritus alens in ipsâ etiam ciuili ſubmiſſione.

3. Geneſ. 37. v. 9 & 10. *Quàm generoſa obſ. quia Iacobus Patriarcha præſtat Ioſepho.*

Geneſis 37. Ioſephus adhuc puer: *Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnium, quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas vndecim adorare me. Quod cùm patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpauit eum pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium quod vidiſti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram?* Valde laborat ſolertior commentatorum induſtria, vt & filij ſomnium, & patris interpretationem declarent; quod ſanè operoſum eſt. Siquidem Ioſephi mater Rachel, iam diu obierat, & inde filium adorare nequibat. Pater autem Iacob nuſquam perſpicuè legitur filium adoraſſe. Et ſanè indecorum foret, ſenem patrem, & tantæ familiæ principem ſuum adorare filium, quamuis præfecturâ fulgentem. Quod ſubtiliter notauit ibi Rupertus, ita ſcribens: *Sed* Rupert. ibi. *quid ita pater ſomnium interpretari conatus eſt: Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? Cùm eius matrem Rachel obiiſſe ſciret, quomodo illam quæ defuncta erat, adorare poſſe ſentiebat? Veruntamen nec de patre palam legitur, quòd adorauerit, niſi quando iurante Ioſeph, quòd patrem auferret de terrâ Ægypti, conderetque in ſepulchro maiorum, adorauit, iuxta Septuaginta, faſtigium virgæ eius pater Iſrael. Ceterùm iuxta* Geneſ. 47. v. 31. *Hebraicam veritatem meliùs legitur: Adorauit Deum conuerſus ad lectuli caput.* Profectò neceſſe erat ſomnij vaticinium impleri, & à Iacobo patre filium Ioſephum adorari; ſed vide, obſecro, quàm generosè iuxta Septuaginta, Ioſephum totius Ægypti Præfectum Iacobus adorat: *Adorauit faſtigium virgæ eius pater Iſrael.* Sceptrum Ioſephi Iacobus adorat, 4. non ſceptrigerum Ioſephum, quò innuat, non hominem, ſed hominis duntaxat ſublimiſſimam poteſtatem obſequentius venerari. Obſerua generoſam magni Patriarchæ cautelam: *Genuflectet ſicut leo*; regios mores vel in ſubmiſſionis obſequio demonſtrans. Verùm ſi non placet Septuaginta interpretum expoſitio, quæ nec Ruperto placuit, nec Vulgato conſentit; fortè capite 48. impletum eſt paternæ adorationis vaticinium; vbi Nunciatum eſt Ioſeph, quòd ægrotaret pater ſuus, qui, aſſumptis duobus filiis Manaſſe & Ephraim, ire pertexit: Dictumque eſt ſeni: *Ecce filius* Gen. 48. 2. *tuus Ioſeph venit ad te. Qui confortatus ſedit in lectulo.* Quorſum nimiâ ſenectute, & lethali morbo languidus Iacob ſeſe erigit ad Ioſe-

phi

phi aduentum? Opportunè ad rem Lipomanus ibidem: *Annunciatur itaque Ioſephus veniens patri ſuo Iacob, qui ſupra vires quippiam moliendo, ſeſe in lectulo erigit, ad filij ſui aduentum, vt potuit aſſurgendo.* Scilicet, cùm neceſſe foret, Scripturam de Ioſepho adorando adimpleri, ſpecie quærendi in lectulo leuamenti, æger Iacobus Ioſepho aſſurgit; ſiue lætitiæ acceptæ alacritate Patriarcha erectus, prætextu adſurgendi in lecto, Ioſepho adſurgit, illumque diſſimulanter veneratur. Ecce tibi magni Patriarchæ obſequia, vel in ipsâ neceſſariâ ſubmiſſione decora, & patriarchalem generoſitatem ſpirantia. Planè *genuflectit ſicut leo.* (Quod autem in Scripturis *adorationis* nomine ſignificetur reuerentia aut ſubmiſſio honoris causâ exhibita, ſciunt biblicè periti) Alia ſunt obſequia nobilium, alia adulatorum ſcurrilia blandimenta; indecoræ cernuationes, ſeruitia mediaſtinis ſeruis cognata, exprompti adnutus ad fas & nefas quod principi lubet. Prænobilis vir mentem & genua Principi flectat, ſed *genuflectat ſicut leo*, id eſt, generosè, non ſicut aulicæ ſimiæ.

---

§. CCCXVI.

Rapienda ſunt cæli bona, vt de pio furti lenocinio dulcius ſapiant.

1. Quintil. Declam. 4.

DILIGVNTVR *immodicè ſola, quæ non licent. Vt in furorem charitas aliqua conualeſcat, opus eſt difficultatibus: breuis de conceſſis, & ſtatim ſatietati vicinus affectus eſt. Non fouet, non nutrit amorem concupiſcendi, vbi frui licet; & quæcumque in mentibus circa promiſſa coaleſcunt, non ſunt deſiderij, ſed voluntatis.* Hinc furtiuæ deliciæ maiori ſunt in pretio voluptatis. *Aqua furtiuæ dulciores ſunt.* Quæ verba de voluptatis lenocinio interpretantur S. Ambroſius & Bernardus. Inſipidane, & fatui ſaporis erit virtus, quæ hoc voluptatis & vtilitatis blandimento viduatur? Breuis de conceſſis, & ſtatim ſatietati vicinus affectus eſt. Verùm enimuerò neſcio quam furti arcanam ſpeciem virtus æmulatur, nequid humanum rei diuinæ deſit, quod humanam appetentiam prolectare poſſit.

Difficilia, & furtiua bona, gratiora ſūt.

Prou. 9. 17.
Amb. & Bern. apud Salazar. ibi.

2. 1 Ioan. 2. v. 16. & 17.

Ioannis 1. cap. 2. his verbis fideles ad omnem pietatem Apoſtolus adhortatur: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo: *quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius.* Quaſi dicat: nemo rem mundi concupiſcat, ſeculi fructum ſuſpiret nemo: volatica enim ſunt hæc bona, fucata, mentita. Audis quàm feriò mundi honores, diuitiæ, & commoditates, ſuadente Apoſtolo repudiandæ ſint? Vide etiam mihi, quare tam ſollerter ſint egentibus erogandæ. Quod belliſſimè ediſſerit S. Cæſarius Arelatenſis ad rem præſentem in paucis opportunè: *Noli ergo,* inquit, *deſpicere inopem, qui cùm ſibi pauper ſit, facere te diuitem poteſt. Rapiamus ergo de præſenti ſeculo feruenti deuotione quod poſſumus. Cito tranſeunt dies noſtri, vtinam benè tranſeant. Rapiamus ergo quod poſſumus de hoc ſeculo, gratias agentes illi qui ita diſpenſauit vtramque vitam, vt laborum & agonum tempora citò finiantur; bonorum verò & præmiorum gaudia ſine fine durabunt.* Scilicet omne ſeculi negotium, opulentia eſt, honor, & vitæ commoditas: facito ergo largas egenis eleemoſynas, & beneuolâ charitate alios honorare ſollerter ſatage: nam quod aliis velut prodigè erogas, tibi pio furto quaſi attarè reſeruas. O bonam piæ furacitatis auaritiam, quæ dum ſe bonis mundialibus exuit, mundum diripit, & arcanâ concupiſcentiâ, tantum ſibi poſſidet, quantum piâ miſericordiæ rapacitate abſtulit a mundo. *Rapiamus ergo de præſenti ſeculo feruenti deuotione quod poſſumus.* An non de homine dictum eſt: *Neque deſcendet cum eo gloria eius?* Mundi honos & opulentia non ſequuntur hominem vſq; ad ſepulchrum. Ea duntaxat poſt funera conſeruantur, quæ beneficâ erga pauperes largitate mundo ſurripueris. In æternâ etiam vitâ viuitur ex rapto? ô piam ſeculi rapinam, quæ æternitatem opulentat! *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti.*

Eleemoſyna à ſeculo rapis, quod in cælo reponas.

Cæſar. hom. 1.

Pſ. 48. 18.

Hic v. 9.

3. Matth. 11.

Matthæi 11. Sic Chriſtus Deus ad ſuos fatur: *A diebus*, inquit, *Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Neque cælorum regnum ab humanâ violentiâ, & rapinâ tutum eſt? Ecquis mortalium audeat cælum inuadere, & diripere cælum? Pulchrè S. Gregorius, præfata Matthæi verba ita illuſtrat: *Per regnum cælorum ſupernum ſolium deſignatur, cum quo peccatores quolibet facinore polluti ad pœnitentiam redeunt, & ſemetipſos corrigunt: quaſi peccatores in locum alienum intrant, & violenter regnum cælorum rapiunt.* Nimirum peccatores dum pugnaci pœnitentiæ robore armantur, cælum violenter inuadunt, & in illud *quaſi in locum alienum intrant*, atque empyreas *ſuperni ſolij* gazas piè rapiunt. Scilicet hoc eſt ſingulare peccatorum priuilegium, vt cælum pœnitentiâ inuadant, & cælum *quaſi alienum locum* poſſideant, ad felicitatis vſuram. Dulciùs ſapit quod furto inuaditur, & ſpeciem rapinæ repræſentat: ergo ſuperna beatorum gloria minimè careat hoc humanæ voluptatis lenocinio, ad beatitudinis auctarium. Itaque ſuperni cælorum ciues, cæli poſſident gloriam meritorum iure; attamen vt hominibus explicentur ineffabiles cæli deliciæ, velut furto poſſideri dicuntur, ne grande voluptatis lenocinium cælis abeſſe videatur.

Peccatores in cælum, quaſi in locū alienum intrant.

Greg. in Catena.

4. ad Rom. 8. v. 17.

Chriſtus Deus redemptionis merito, hominibus dedit poteſtatem filios Dei fieri. *Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* Sed opinor hereditas non obuenit filiis, niſi patre defuncto, qui teſtamento hereditatem inter filios diuiſit. *Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt interuedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt.* Cumque Deus immortalis ſit, in filiis ius hereditatis perpetuò vacabit. O ieiunam & pauperem Dei filiationem!

Ad Hebr. 9. v. 16. & 17.

Rapiamus cæleſtia bona inteſtati parentis.

tionem! Imò valde diuitem, & opulentam! Audiendus eſt S. Cæſarius Arelatenſis, qui illius prouinciæ Epiſcopus, ſic hortatore Abbate ad religioſiſſimos Monachos ſcribit: *Et licet de his omnibus, quæ in nobis Deus contulit, gaudeamus, & quia illa Deo propitiante fideliter exercetis, admonere vos minimè præſumamus, eſt tamen quod nos filij rapiamus. Vnuſquiſque quod poſſumus, de bono inteſtati parentis, hic de hereditate eius ſumat fidei holoſericam, geſtorumque varietatem pretioſam, &c.* Quaſi dicat, quia Dei filij mortem Dei patris expectare non poſſunt, vt hereditatem teſtamento relictam capere poſſint, *Nos filij rapiamus, vnuſquiſque quod poſſumus, de bono inteſtati parentis.* O rape cæli bona viuo patre! Dulcius ſapit rapinæ ſpolium; prædulceſcit enim furtiua poſſeſſio, quæ de rapto voluptati adulatur: ergo piè auari furtemur Olympias cælorum gazas, & bonis inteſtati parentis largius fruamur.

Cæſar. hom. 18.

---

§. CCCXVII.

Humana Chriſti Dei natiuitas, auguſtam in progenitores reuerberat gloriam.

1. Paulinus epiſt. 10.

Chriſtum Deum honeſtat mundialis nobilitas.

SANCTVS Paulinus hæc ſcribit de generoſâ Chriſti Dei ſecundum carnem natiuitate: *Dignum erat vt vnigenitus Dei, & primogenitus totius creaturæ, atque vniuerſi corporis caput, etiam in generis corporei dignitate primatum teneret: vt vnus in cælo Dei filius ante ſecula ineffabili natus exordio, etiam in terris illuſtrium titulorum ſibi apices vendicaret; regum pariter ac ſacerdotum (vt duo teſtantur auctores) clara progenies.* Illuſtre profectò nobilitatis elogium, vel Chriſtum Deum honeſtari, quin & ſublimari humanæ nobilitatis ſtemmate, & præluſtribus maiorum titulis inſigniri. Sed auguſtiori, opinor, gloriâ, Chriſti Dei maiores nouâ Chriſti natiuitate illuſtrantur, in quos clariores reuerberat nobilitatis titulos. Quid illuſtrius, quàm homines verum Deum corporaliter genuiſſe? Hic glorioſus cenſus illorum generoſitatis eſt, & humanæ nobilitatis meta. Hinc in Iudæ benedictione inter præcellos eius titulos hanc dignitatem Iacobus recenſuit, quaſi reliquarum potiſſimam.

Hic v. 10.

2. Matth. 1. v. 2. & 3. Matthæi 1. *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Difficilis quæſtio inter expoſitores agitatur, cur in catalogo progenitorum Chriſti, inter filios Iacobi, non ſolùm Iudas, à quo Chriſtus genus duxit, ſed omnes etiam eius fratres; & inter filios Iudæ non ſolus Phares, ſed etiam Zara nominati ſunt. Summa vtrumque ratione factum eſſe nemo Catholicorum addubitat. Nam fratres Iudæ ideò nominandi fuerunt, quia Patriarchæ ſuæ quiſque fuerunt tribus: nec nominantur tanquam Chriſti parentes, ſed tanquam regni eius, & reipublicæ conditores. Maior de Zaræ recenſitione difficultas eſt. Ambroſius putat Phares

Zara præmature exambit eſſe Chriſti Dei progenitorem.

numeratum fuiſſe, vt fœcunditatis Iudaici populi myſterium ſignificaretur, quia Phares & Zara vno partu editi ſunt. At iſtâ ratione etiam Eſau cum Iacob fuerat connumerandus. Chryſoſtomus vero propter myſterium duorum populorum, Iudaici, atque gentilis, ſub duplici lege Moſaica, & Euangelicâ viuentis, factum putat. Sed eadem ratio in Iacob & Eſaü locum etiam habuiſſet, & tamen Eſaü recenſitus non eſt, ſecus Zara. Veram igitur arbitror fuiſſe cauſam, quod in partu Thamar prior Zara extra vterum manum protulit, quâ retractâ Phares prior exiit. *Contendere enim in vtero gemelli infantes videbantur, vter primogenitus, & Chriſti parens futurus eſſet, vt dubium fuiſſe videatur vter primogenitus habendus eſſet. Itaque voluit Euangeliſta honorem illis quodammodo partiri, ita Phares in Chriſti genealogiâ numerans, vt Zaram non penitus excluderet; ſed ſuum ius quod habuiſſe videbatur ius, quo vno poterat modo, declarando ſeruaret. Magna enim laus fuit, quin parens eſſet Chriſti tam parum abfuiſſe.* Vide infantulos needum plenè natos, & tam ambitioſe contentioſos, vter Chriſti parens futurus eſſet. Velut naturæ inſtinctu hanc gratiam præmaturè affectant, & pro tantâ gloriâ ſtrenuè luctantur. Cæcone naturæ impetu, an myſterij diſpenſatione hanc ſublimitatem exambiunt? Parùm & ſerum foret, poſtquam nati eſſent ſuper tantâ prærogatiuâ contendere, niſi æmulatio natiuitatem anteuerteret, & ante cuperent eſſe Chriſti progenitores, quàm homines eſſe putarentur. Nec tamen Zara fraudatus eſt gloria huius præcellæ æmulationis, cùm in honorario progenitorum Chriſti catalogo cenſeatur: *magna enim laus fuit, quin parens eſſet Chriſti tam parum abfuiſſe.*

Geneſ. 38. v. 27.

P. Maldon. ibi.

3. Matth. 1. 1. Imp. hom. 1. in Matth. Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abraham.* Ad quæ verba ita ſcribit Auctor oper. imp. *Ideo ergo amborum filius nominatus eſt, vt vtriuſque patris triplex dignitas* (Regis, Prophetæ, & Sacerdotis) *originali iure recognoſceretur in Chriſto.* Quaſi dignitas, prærogatiua, & virtus, hereditario iure tranſeat ad liberos? Prophetiæ etiam elogium, portio hereditatis eſt, quæ deſcendat ad poſteros? Sic maiorum auita virtus reſculpitur in nepotum moribus? Triplex celſiſſima dignitas Regis, Prophetæ, & Sacerdotis, *originali iure* a maioribus deriuata recognoſcitur in Chriſto? Quâ ſuper re altè de more Tertullianus ad hunc modum philoſophatur. *Liber, inquit, genituræ Ieſu Chriſti, filij Dauid filij Abraham. His originis fontibus genere manante, cum gradatim ordo deducitur ad Chriſti natiuitatem, quid aliud quàm caro ipſa Abrahæ & Dauid, per ſingulos traducem ſui faciens, in virginem vſque deſcribitur, inferens Chriſtum: imò ipſe Chriſtus producitur ex Virgine.* Præclarus ſanè & pellucidus fons, qui genere velut aquâ manante, influit in Mariam Deiparam, & Chriſtum Deum. Nota, quòd genus ſeu nobilitas, à progenitoribus, velut aqua manare dicitur, *genere manante* inquit. Ne in te turbetur & ſordeſcat maiorum tuorum clara nobilitas: ne genus & nobilitas, quam accepiſti pellucidam, à te ſqualida manet & effluat; effluit autem in poſteros *genere manante*, ſi degener ſis à præclarâ maiorum gloriâ.

Progenitorū caro originali iure venat in ſobole.

Tertull. l. de Car. Chriſt. c. 22.

gloriâ. Sed animaduerte ad rem, *carnem ipſam* Abrahæ, Dauidis, Ioachimi, Annæ, *traducem* ſui facientem per ſingulos progenitores, in Mariâ, & in Chriſto feliciter vernare, gemmare, florere. Pulchrum ſanè Chriſti progenitorum elogium! Et ſanè ſicut dixit Tertullianus de Chriſto. *Ex ſtirpe Ieſſe deputatum, per Mariam ſcilicet, & inde cenſendum*, quaſi Deipara ſit Ieſuanæ nobilitatis cenſus: de quo alibi) ita viciſſim Deipara mater, & Dei filius nobilitatis ſtemma reciprocant, & Ieſus eſt Marianæ nobilitatis cenſus: *De quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*, quibus verbis omnes Deiparæ laudes compendiauit Euangeliſta.

Tertul. adu. Iud. c. 9. — Tract. de Judith fig. §. 3. — Matth. 1. 16.

4. Sed obſtrepit humanæ garrulitatis faſtus, & Thamarem inceſtu notam, & Rahab cauponario meretricatu infamem, diſertè in Chriſti Dei genealogiâ recenſeri, obiectat, *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.... Salmon autem genuit Booz de Rahab.* Non defendam Thamaris inceſtum; reſcribam tamen pulchra Ambroſij verba: *Quis*, inquit, *caſtior; Thamar, quæ tandiu expectauit promiſſum, an Iudas, qui amorem ferre non potuit oblatum? Illa quæ oram ſui corporis volentibus non permiſit ad copulam, an iſte, qui quod ſtudio cœpit erroris, ad ſucceſſionis gratiam caſtitate mulieris conſummauit*, &c. Conſultiſſimè hæc dixit Ambroſius in gratiam Thamaris, vt Chriſtum eius ſobolem, tueretur à laſciuæ parentis iniuriâ. Nempe caſtitate Thamaris conſummatum eſſe, quod cœptum fuerat inconſultâ cupiditate Ieſuanæ ſucceſſionis. Sic libido Chriſtum generandi, arcanâ metamorphoſi caſtitatem vel ſpirat, vt *quod cœpit errore libidinis, conſummetur in caſtitate*? Id ex dicendis in defenſione Rahab perſpicuè illuſtratur.

Matth. 1. v. 3. & 5. — S. Ambr. l. 3. in Lucam. — *Thamar à nota excuſatur, quia inter Chriſti progenitores cenſetur.*

5. *Salmon autem genuit Booz de Rahab*, quam negat Lyranus fuiſſe meretricem, quò Dominicæ proſapiæ aduletur: cui, opinor, magis blanditur Abulenſis, dum his verbis meretricem fatetur. *Dato quod Rahab fuerit aliquando meretrix, quia tamen aſſumpta eſt in vxorem à Salmon principe tribus Iudæ, & peperit Booz, qui pertinet ad Chriſti progeniem, non fuit meretrix.* O pium Abulenſis paradoxon! Inficiari, vt exiſtimo, non poteſt, Rahab cauponam fuiſſe & meretricem. (De quo interpretes ad Ioſue cap. 2.) Sic eſt ſublimis gloria inter Chriſti progenitores cenſeri, vt quodammodo eluat notæ impudicitiæ probrum: & Rahab olim meretrix, *meretrix non fuit, quia pertinet ad Chriſti progeniem?* Tanta eſt meritorum Chriſti, & ipſius progeniturę decus, vt non tantùm progenitorum perpetrata expungat delicta, ſed etiam propudioſum meretricis nomen aboleat? Quid exaggeratius?

Abul. q. 10. Matt. 1. 5. in Matth. — *Rahab olim meretrix, meretrix non fuit, quia pertinet ad Chriſti progeniem?*

§. CCCXVIII.

Caſtitas poſt lapſum inſigniter reſtaurata, felix eſt luxuriæ ſuffragio?

AVSTERA nimis quorundam ſententia eſt, vix vllum, qui dulcem Veneris illecebram, & charum libidinis venenum aliquando potauit, ad caſtitatis ſalutem conualeſcere, nec à laſciuiæ tumulo reſurrectionis encænium celebrare. Opinor, magnâ iniuriâ afficiunt Chriſtum, Chriſtum inquam, *Qui ſeipſum dedit pretium redemptionis pro nobis, ac culpæ noſtræ ſuccidaneum*, ait Nazianzenus. Chriſti ſanguine ſanguinem noſtrum honoremus: gualet enim Chriſti gratia caſtitatem vel à luxuriâ ſuffurari, & præſtare miſericordiæ calore, vt laſciuiæ ſqualor per pœnitentiam euaporet puritatem, & ſpiret continentiam; & ipſo incontinentiæ olim fimo continentiam ſtercorare, ad vberes floridæ caſtitatis prouentus. 1.

Naz. orat. 40. in Paſcha n. 1.

Geneſis 38. Thamar illa libidinis ingenio olim & nunc famoſa, quæ inceſto cognationem cum Chriſto ſuffurata eſt; à pluribus intemperantiæ damnatur, ab alijs quadantenus excuſatur. Qua ſuper re ita ad rem præſentem philoſophatur Ambroſius, dum illam cum Iuda comparat: *Quis itaque* (ait) *caſtior Thamar, quæ tandiu expectauit promiſſum, an Iudas, qui amorem ferre non potuit oblatum? Illa quæ oram ſui corporis volentibus non permiſit ad copulam, an iſte*, (Iudas inquam) *qui quod ſtudio cœpit erroris, ad ſucceſſionis gratiam caſtitate mulieris conſummauit? ..... Denique nunquam poſtea virum experta eſt, amictum viduitatis ſumpſit à coitu.* Vide mihi Thamarem venuſtam puellam, meretricio habitu & cultu ſe ſe in biuio proſtituentem, & quæ vno ſalaciſſimo vtrinque concubitu, geminâ prole inceſtuoſum fœdauit vterum, exinceps non modo continentem, ſed quæ caſtitatem velut à coitu mutuauit. Nam quod Iudas cœpit errore libidinis, *caſtitate mulieris conſummauit*, quæ *nunquam poſtea virum experta, amictum viduitatis ſumpſit à coitu.* Quaſi Thamar ipſo corporum congreſſu petulantiam libidinis expugnarit, & caſtitatem è luxuriæ caſtris, velut quædam ſpolia animosè detraxerit. Nec ſic in Thamare dulceſcunt luxuriæ fauces, vt deinceps nuptias facilè parabiles expeteret: quod enim antequam acciperetur in pretio erat, idem ſemel acceptum vileſcit & contemnitur: nam *amictum viduitatis ſumpſit à coitu, & quod ſtudio cœpit erroris, caſtitate mulieris conſummauit*, quaſi ab expertâ libidine non tam geminæ prolis fœtum, quàm caſtitatis votum mulier conceperit, & caſtitatē conſummatam quodammodo ab inceſtu mutuarit, & pudorē pudicitiam emerit. Pulchrum diuinioris gratiæ commercium! ô illuſtrem progenitorum Chriſti prærogatiuam! 2.

Geneſ. 38. v. 19. Ambroſ. l. 3. in Lucam. — *Quod cœpit à Thamaris libidine, conſummatur in caſtitate.* — Hic v. 10.

Lucæ 12. Sic Chriſtus Diſcipulos, & in eis Eccleſiam alloquitur: *Sint lumbi veſtri præ-* 3.

Lucæ 12. 35.

cincti

cinEti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.
Lumborum cupiditas in Deum piè transferenda eſt? Ferè conuenit inter antiquos Eccleſiæ Patres, & recentes Euangeliorum expoſitores, *lumborum* præcinctione continentiam fidelibus indici: *lucis* autem vocabulo caſtitatem inſinuari, conſtat ex illo Sapientiæ 4. (Sap. 4. 1.) *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Itaque ſic præfatum Lucæ locum commentatur Nazianzenus. (Naz. orat. 39) *Sint, inquit, lumbi veſtri præcincti, &c. Renes autem laudabilem immutationem ſentiant, vim totam cupiditatis ad Deum transferentes.* Verba ſanè acumine Nazianzeni digniſſima! Nempe renes ſeu lumbi, (per quos luxuriæ fomes & petulantia innuitur) ſic caſtitatis diſtinctione præcingendi & compeſcendi ſunt, vt exſucci ad luxum, caſtitatem ad Deum euaporent: tota libidinis machinula deſeruiat caſtimoniæ; & arcanâ metamorphoſi quod laſciuiæ fomitem miniſtrauit, militet caſtitati: extinctæ libidinis fauillæ præniteant pudicitię fulgore; ſitque Chriſtiana caſtitas, *ſplendor libidinis*; (vt alibi multis expendebam) (In Iudith ad c. 9 n. 47.) *& Renes laudabilem immutationem ſentiant, vim totam cupiditatis ad Deum transferentes.* Quaſi ſanctior caſtitas ſit ſæpè deteſtatæ laſciuiæ ſtipendium, dum laudabili mutatione *Cupiditas* ad Deum transfertur.

4. Lucæ 15. prodigus ille adoleſcens immaturè à pio patre ſubſtantiam extorquet; & peregrè profectus, iuuenili ardore petulanter meretricando cenſum expendit. Diræ egeſtatis, & ieiunæ famis vectibus, diuinæ gratiæ amica ſuadela miſcetur: & ad ſe reuerſus, anteactam vitam execratus, ad Patrem remigrat. Ruit Pater in reducis filij charos amplexus; & quem præambulâ pœnitentia exutum cernit luxuriæ veſtibus, exquiſitis gratiæ veſtimentis adornat. (*Prodigus adoleſcens, felix dicitur luxuria ſuffragio?*) (Lucæ 15. 22.) *Dixit autem pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius*, &c. Quænam eſt hæc *ſtola prima*, quâ ſcortatorem filium pius pater, Deus inquam, ſplendidè veſtit? Strabus ad ea verba: (Gloſſa ibi.) *Stola prima, veſtis innocentiæ, in quâ primus homo conditus.* Prodigus adoleſcens poſtquam prodigâ carnis petulantiâ, (Lucæ 15. v. 30. & 31.) *Deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, viuendo luxurioſè, ſtolam primam*, id eſt, *veſtem innocentiæ*, & priſtinæ olim puritatis, induitur? *Felix luxuria ſuffragio iuuenis*, aliorſum dixit eleganter Ennodius (Ennodius Dict. 21.); quippe qui fratre ſemper frugi; mundior poſt carnis immunditiam incedit; & de ſumptuoſius tetractatâ luxurie ſplẽdidius nitet reſtauratâ ambitioſius puritate

5. *Luxuria in Dei gratiam & gloriam quodammodo transfertur.*
arcano *ſplendore libidinis; felix luxuria ſuffragio iuuenis.* Quid luculentius? Profectò ſi homines impij ab Apoſtolo Iuda culpantur, quaſi (Iudę epiſt. 4.) *Dei noſtri gratiam* (*gloriam* exſcribit Secarius) *transferentes in luxuriam*; quid mirum ſi nuper à Nazianzeno laudentur alij, quaſi (Nazianz. orat. 39.) *vim totam Cupiditatis ad Deum transferentes.* Et ſicut delinquendi libidine, *Dei gratia & gloria transfertur in luxuriam*; ita piâ merendi libidine, pœnitentiæ officioſitate, luxuria in Dei gratiam & gloriam quodammodo transferatur. Scilicet occaſione acceptâ à luculento priſtinæ laſciuiæ fœtore, bono continentiæ odore totus caſtitatem fragrat. Sicut aliquando turpiter lapſus, ſollicitior non cadendi cautela eſt: & grauiora flagitia ad actiorem dete-

Celada *de Benedict. Patriarch.*

ſtationem ſtimulant, diuinionis gratiæ lenocicio, quod aliàs copioſè dedimus.

---

§. CCCXIX.

Impunitas Notariorum, euerſionem regni portendit: acerbior eorum mulcta populos felicitat.

NVNQVAM *committet virtus, vt vitia dum compeſcit, imitetur ipſa.* 1. (Seneca lib. 1. de Ira c. 16.) Æqui Iudicis eſt, communitatis cohibere flagitia, non autem permittere ſceleſtos officiales, qui non ceſſant, aut furta punire, aut facere. Nunquam vitium virtuti militat, nec iuſtitiæ ſtipendia, iniuſtitiæ impenduntur: inhibeat ſuorum furacitatem, vt aliorum rapinas poſſit compeſcere. Explorata habeat miniſtrorum officia, lictorum ſollertiam, notariorum ſeu ſcribarum auaritiam, (in quâ vnâ re maximè tribunalia peccare ſæpè ſolent) quorum ſtylus non benè vulgò audit; eo enim velut lanceâ, vel ſagittâ bellum geritur. (*Scribæ ſtylis, velut lanceis & ſagittis armantur.*) Illud Iudicum 5. (Iudic. 5. 14.) *Zabulon qui exercitum ducebat ad bellandum*, ita effert, & exponit Caietanus (Caiet. ibi.): *Zabulon tractores in ſtylo Scribæ.* Quaſi idem ſit, exercitum ducere ad bellandum, ac *ſtylo Scribæ* negotium peragere. Ergo compeſcatur aliquorum rapacitas, ne omnes furacitatis inſimulentur, magno & officij, & reipublicæ detrimento. Adeo vt dixerit Euſebius Emiſſenus in homiliâ de Natali S. Geneſij, qui Scribæ fungebatur munere: Proiectis itaque codicibus ante oculos profani iudicis, nefarias eius voces, & edicta impia atque indecora, totâ iam martyris libertate condemnat. (*E Notario martyr, prodigium eſt.* Emiſſen. ibi.) *Solebat Eccleſia ad tribunalia perſecutorum martyres mittere, ecce iam ſtupendo genere Eccleſia martyrem tribunal perſecutoris emiſit.* E notario martyrem ſtupet Emiſſenus.

2. Exodi 5. dirè opprimebatur Dei populus in luti ac lateris, & viliſſimo, & ærumnoſiſſimo opere. Dixitque Pharao: Multus eſt populus terræ; videtis quòd turba ſuccreuerit: quanto magis ſi dederitis eis requiem ab operibus? (Exod. 5. 6.) *Præcepit ergo in die illo Præfectis operum, & exactoribus populi, dicens: Nequaquam vltra dabitis paleas*, &c. LXX. interpretes, pro *exactoribus*, exſcribunt, τοῖς γραμματεῦσι, *Scribis*, inquam. (*Impunitas Scribarum, euerſionem regni portendit.*) Quaſi parum foret inhumanos Pharaonis miniſtros, qui immaniſſimè Dei populum opprimebant, nominare, inuiſo *exactorum* vocabulo, niſi eos ad oppreſſionis exaggerationem, *Scribas* nominaret. Ceterùm Lipomanus (Lipom. in Catenâ.) ibi expendens hanc Præfectorum regis, exactorum populi, & Scribarum immanitatem, ſic fatur moraliſſimè: *Tyrannorum profectò hic mores deſcribuntur, & ferocitatis exempla, qui dum Deus populum è ſeruitute & captiuitate vocat, induratis grauius premunt. Interim ſeruos ſuos Deus maiori exponit periculo, & inuidiam maiorem erga regem conflat. Sed ſic regere debent, qui iudicio diuino propediem de regno pellendi ſunt.* Scilicet Princeps qui ſubiectum populum tradit Præfectorum oppreſſioni, exactorum rapinis, & Scribarum calumniis, non minùs à

maliciâ falſatis, quàm ex munere fide dignis; ſic *regere debet*, vt Deus oppreſſi populi miſeratus, cum regno trudat. Ærumnoſior populorum oppreſſio, auſpicium libertatis eſt, ſponderque Deum ſuorum vindicem. Puſillanimis deſperatio temerariè magnanimos facit; & in pace ceruos, in bello leones reddit. Timori cognata audacia eſt, & pauida oppreſſio nutrix temeritatis. Princeps qui tales habet *Præfectos*, qui tales permittit *exactores*, & *Scribas*, ſibi timeat: nam *Sic regnare debet, qui iudicio diuino propediem de regno pellendus eſt*. Scribarum furax inſolentia regno extruſit Pharaonem. At quia tribus Iuda Scribas coërcuit & contriuit, ideò etiam diuturnius illi regnum pollicetur: Non auferetur regnum de Iuda, *& dux de femore eius*. Hebraïcè: *Scriba de inter pedes eius*, id eſt de pedibus eius, quo Rex, & inde legiſlator, innuitur. Profectò dum Scribas habet ſub pedibus, illos proculcans, diuturniſſimum Iudę regnum promittitur.

Scriba ſub pedibus, eſt regni diuturnitas.

Hic verſ. 10.

3. In eodem 5. cap. Exodi, ad iuſſum Pharaonis non dabantur populo Iſraëlis paleæ ad opus lateritium, & conſueta laterum menſura exigebatur, quam reddere nequibant. *Flagellati ſunt qui præerant operibus filiorum Iſraël, ab exactoribus Pharaonis*, &c. Cur tandiu cunctatur Deus inchoatam ſui populi liberationem? Dum præſente Moyſe, propius ſperabatur promiſſa libertas, vel Iſraëlitæ qui præerant operibus flagellantur? Et qui ſunt iſti qui dirè vapulant, dum iam iam ſperatur libertas? Opportunè Origenes: *Flagellatique ſunt qui præerant operibus filiorum Iſraël. Flagellare iubet Pharao Scribas Hebræorum.* Scilicet non felicitatur Dei populus, quouſque eius populi Scribæ acerbius mulctentur. Scribarum mulcta, felicitatis reipublicæ auſpicium eſt. Dum non acerbè caſtigantur Dei populi Scribæ, populus miſerè affligitur: caſtigatis autem Scribis confeſtim in libertatem aſſeritur. *No tubo dicha el pueblo de Dios haſtaque los eſcribanos fueron bien caſtigados.* Nempe hoc deerat populo Dei, hoc Deus expectaſſe videtur, vt ſuum electum populum munificè proſperaret! Dum factis hiſce victimis offenſum placatur Numen, felicior fortuna de cælo reipublicæ arridet. Falſatos Scribas, populorum inquam, peſtem, perſtringimus: nam probus & fidelis, aſſertio veritatis eſt, & iuſtitiæ columen.

Exod. 5. 14

Non felicitatur Dei populus quouſque Scribæ caſtigentur.

Orig. in Catenâ ibi.

---

§. CCCXX.

Defectibus, quibus deturpantur plures, aliqui ad placendi gratiam venuſtantur.

1. NVLLA ſine næuo pulchritudo eſt; vt nulla ſit ſubcæleſtis bonitas quantumuis inſignis, quæ non ſe probet creaturam, in defenſionem Creatoris, quem vnicum ſummum bonum, defectu ſuo palam vindicat. Pulchritudo adridet oculis, adludit voluntati, voluptatem pellicit complacentiæ præſtigiis. At deneget næuus oculos refutat intuentium, & ſuâ ingratiâ gratiam ſpectatorum auertit: quippe qui belliſſimam adulterat venuſtatem. Verum vt gratiam gratioris pulchritudinis, ſic interdi etiam næui ingratiam, ſua bona, aut mala fortuna ſequitur: exinde aliquandò in ipsa næui turpitudine neſcio quid latentis gratiæ ſpectatores rimantur: & in vitio non ſemel virtutis igniculus interlucet, cognatæ indolis generoſitatem oſtentans. Sunt qui generoſè errent, & feliciter delinquant, & nobiliter degenerent.

2. Lucæ 16. à Chriſto inducitur homo quiſpiam diues, cuius villicus ad Dominum diffamatus eſt, quaſi cenſum ipſius diſſipaſſet. At ille, etiam poſt abrogatum villicandi ius, id cepit conſilij. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: *Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & ſede cito, ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit*, &c. Adſimiliter enim fraudulenter cum ſingulis debitoribus pactus eſt. *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.* Rogo quid hoc loco mundus capit animus? vbi inter villicum & dominicos debitores verſutæ fraudis laudatur inuentio: vbi debitoris honeſtas tollitur, aufertur pudor, violatur innocentia, verecundia tota ſepelitur. Vbi villicus reddendæ rationis tempore plus ardet in fraude, quàm tempore villicationis anhelauit in luxu: in articulo diſcuſſionis ipſum dominicum in diſpendium ſæuit, quàm diebus ſuæ fudit & diſperdidit actionis: & qui antè ſubſtantiam vacuauerat diſſipando, vacuando chirographa, quod remanſerat plus euertit: nec curat vnde poſſit ſarcire quod deerat, ſed quod remanſit quemadmodum minorare poſſit excogitat. Et tamen Dominus cenſu fraudatus, *Laudauit villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet?* Qui bona credita diſſipando, iniquitatis vocatur villicus, defraudatum à ſe Dominum, de fraude conſequitur laudatorem? Argutè Chryſologus. *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecit. Qui reus de multis, vnam legitur placuiſſe per fraudem.* O fortunatam fraudem! Qui per furacitatem diſplicuit, placet per fraudem? Imò fraus hæc furaciſſima quoq; eſt: eâ enim quod deerat diſſipandû, expendit, prodigit, & dilapidat. An hic Dominus (quiſquis ille ſit) ſerui indolem rimatur ex fraude? an mentis ſolertiam recognoſcit in dolo? an piâ velut prodigalitate largioris munificentiæ, plus illi bona ſua placent aliis expenſa, quàm placebant in ærario? an tanta eſt aliquorum felicitas, vt fortunatè degenerent, & vel næuis venuſtentur?

Villicus de multis reus, vnam legitur placuiſſe per fraudem.

Lucæ 16 8.

Chryſol. ſerm. 126.

Chryſol. ſerm. 125.

3. Inter reliquas felicitates, quas Iacobus morti proximus, & fauſtus vates, ſuo Iudæ prædicit, illa in paucis cenſetur illuſtris, quæ Iudam fortunatiſſimum prædicat his verbis: *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Hoc fauſtum Iudæ præſagium ſic explicat & expendit Diodorus in Catenâ: *Iudas non ſolum agreſtia iumenta manſuefaciet, ſed etiam per contraria contraria potenter efficiet. Veſtimenta enim vino maculari ſolent. Sed quemadmodum luto oculos ſanauit & aperuit, & morte ſuâ non mortis vim addidit, & mortem extinxit: ita vino veſtimenta lauabit.* Hinc benedictionem dilectiſſimo filio ſuo prædicit Iacobus, quæ eſt felicitatum apex; quòd

Hic v. 11.

Diodorus in Catena ibi.

Iudas vino, quod ſolet veſtes maculare, veſtes lauat.

quòd à maculis nitorem mutuabit: & quo alij fœdantur, ipſe venuſtabitur. Infelicis iuſtitia ſæpè damnatur, decus vilipenditur, virtus culpatur, & ipſa infelicis benedictio parum diſtat à maledicto. Quibuſdam verò ſic adridet fortuna, (adeptæ olim æſtimationis ſuffragio) vt culpis iuſti appareant; audaci ignoratione, eruditi; malitiâ, prudentes; metu, cauti; temeritate, fortes; adeo vt flagitiis quaſi beentur, & ipſis ſordibus nitere videantur. *Lauabit in vino ſtolam ſuam. Veſtimenta vino maculari ſolēt: vino veſtimenta lauabit.* Quæ eſt fœlicitatis meta. *A el le illuſtra, lo que à otros deſdorara.*

4. *Moyſes legis proculcatione Legiſlatoris gratiam mercatur.*

Exodi 2. barbaricum infanticidij promulgatur edictum: natus puniebatur, & generatum eſſe crimen erat; quodque in matricem proceſſerat, pœnam ferebat. Interim Moyſes naſcitur procul Ægyptiorum terror. Trimeſtris infantulus ſeruatur occultus; tandem ne ſe ipſe ſuâ voce prodat, qui cum criſpatis fluctibus vltrò luderet, & ſub barbaro cultro ſpontè rideret, in viminea fiſcellâ fluctuat; atque irrito vagitu illachrymatet, ni Pharaonis improles filia, bellum infantem miſerata, eum adoptaret in filium, & ſibi nutriendum ambitioſè curaret.

Exod. 2. v. 9. 10. Baſil. Seleuc. orat. 9.

Suſcepit mulier, & nutriuit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij. Qua ſuper re ſic ad rem Baſilius Seleucus: *Moyſes eorum inter vlnas legi de infanticidio vitam oſtentat repugnantem, Pharaoniſque tyrannidem calcans, ab iis qui calcabantur, amabatur.* Parum foret Moyſem fuiſſe de infortunio felicem, & commune ſuorum naufragium in nomine duntaxat portaſſe; niſi etiam vitam in regiâ aulâ oſtentans imperialibus edictis repugnantem, & Imperatoris leges calcans ab iiſdem, quos proculcabat, blandius amaretur. O puerulum in primis fortunatum! qui de periculo vitam ſeruat, de naufragio principatum bibit, & de conculcatarum legum niue, principalis amoris flammam accendit. *Pharaonis tyrannidem calcans, ab iis qui calcabantur, amabatur.* Quid felicius, quàm iniuriâ fauorem promereri, offenſâ gratiam emere, & legum proculcatione amorem Legiſlatoris negotiari?

---

§. CCCXXI.

Labores patienter tolerati, inter Chriſti Dei progenitores recenſentur?

1. ANIMVS ex æquo magnus ac vehemens, ſtrenuæ patientiæ clypeo obarmatus, aſperis blanditiſque pariter inuictus eſt; neutri ſe fortunæ ſubmittens, ſupra omnia quæ contingunt acciduntque eminens, ſtat imperturbatus & intrepidus, neque eum vlla vis frangit, nec attollunt proſpera, nec aduerſa deprimunt. Hæc conſtantis patientiæ facies eſt, ſi ſub vnum veniat aſpectum, & ſemel tota ſe oſtendat. Sed quis, non ex vulgi opinione, ſed ex naturâ pretium & nomen ei imponat? Nomen Patientiæ virtutum omnium apothecam & promptuarium præfert, cuius præluſtria epitheta prædicant ſcripturæ, Patres buccinant. Eius pretium inde vel maximè taxandum eſt, quòd Chriſtus verus Deus, veri Dei filius, veram carnem generosè, vt par erat, aſſumens, patientiam quaſi ſui progenitricem, inter ſui progenitores recenſendam elegerit. Qui nobilis Patientiæ cenſus eſt.

2. Matth. 1. 11. *Captiuitas Babylonica inter Chriſti progenitores recenſetur.*

Matthæi 1. ſic ſcribit Euangeliſta: *Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis.* Quæ verba elegâter æquè ac profundè commentans Chryſoſtomus acutè notauit, primam progenitorum Chriſti quaterdenam integrè numerari, in ſecunda verò, & tertiâ ſingulos deſiderari progenitores, quò perfectè numerus impleatur. Errauit fortaſſis diuina Euangelij doctrina, aut oſcitanter catalogum recenſuit Euangeliſta, aut mendum irrepſit in Euangelium, dum in hâc ſecundâ Regum teſſeradecade, tredecim dûtaxat, non quatuordecim, vt teſtatur Matthæus, Chriſti progenitores deſcripſit? Audi aurea Chryſoſtomi verba.

Chryſoſt. hom. 4 in Matth.

Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis. Mihi enim inquit, *videtur hoc loco etiam captiuitatis tempus in generationum ordine collocare.* Ecce tibi *captiuitatem* ipſam adoptatam eſſe in numerū vnius ex ipſis Chriſti Dei progenitoribus: quaſi acerbioris ærumnæ patienter tolerata calamitas, adeò ſit generoſa inter Chriſtianas virtutes, vt in progeniem maiorum Chriſti cenſeri mereatur. Parum foret ad Chriſti gloriam, prognatum fuiſſe ex illuſtri Patriarcharum ſtirpe, ex auguſto Regum ſtēmate, ex ſublimi tot præclariſſimorum Ducum proſapiâ, niſi etiam acerbiorem calamitatem, & magnanimam patientiam, quaſi generoſos natales referret. Vnde inuſitatâ & peregrinâ retrò ſeculis, recenſitione, captiuitatis calamitas, teſte Chryſoſtomo, inter illuſtres Chriſti progenitores recenſetur. Scilicet captiuitas Babylonica in progenitorum Chriſti catalogo peregrinetur, ne Chriſto Deo progenitricis patientiæ gloria deſit. Vide hîc, quod vbi primum Chriſtus recenſetur oriundus ex regia tribu Iudâ, ſtatim additur: *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*, quò alluditur ad Paſſionis torcular, quod ij ſe calcauit ſolus.

3. Matth. 1. 11. *Ioſiæ fratres, quia captiuitatis ſocij, inter Chriſti progenitores cum ipſo numerantur.*

Matthæus eodem 1. cap. & verſiculo eodem, aliam huic themati probationem ſuggerit, nec inidoneam, vt opinor. *Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis.* Celebris hinc oritur quæſtio, quare Iechoniæ fratres numerentur in præluſtri Chriſti Dei progenie, cùm ad illam, tametſi reges fuerint, minimè ſpectent. Ideò enim recenſito Iacobo, omiſſus fuit Saül, quia ad Saulem genus ſuum nō ducit Chriſtus. Ergo prætermitti etiā debuiſſent Iechoniæ fratres, propter eandem cauſam. Valde quidē viget rationis paritas, quę aut neutrū, aut vtrumque cogit numerare. Luculenter Lyranus hanc diſſoluit quæſtionē his verbis.

Lyran. in Matth. 1.

Nominatur autem fratres Iechoniæ, quia ſimiles ei fuerunt in captiuatione. Nimirum cum rex Iechonias cenſeatur inter Chriſti Dei progenitores, vtpotè verè eius progenitor, æquum etiā fuit, vt Iechoniæ fratres, eiuſdē captiuitatis & ærumnarū ſocij, ſimul etiam inter progenitores Chriſti deſcriberentur. Quaſi laborū tolerantia, & patientia calamitatum, dignum faciat hominem, vt generoſè ſublimetur ad illuſtrē Chriſti Dei proſapiā, & honoris cauſâ inter Chriſti maiores cenſeatur, ac ſi patiētia no-

ſtra ſit Chriſti proſapia, aut Chriſtus noſtræ patientiæ generoſa ſoboles. O illuſtrem noſtræ captiuitatis, & humanæ patientiæ prærogatiuam! Progenitorum Saluatoris dignitatem æmulatur noſtra patientia? ô patientiæ laudem piè cælicolis inuidioſam!

4. Sic Matthæus ſuum auſpicatur Euãgelium:
Matth. 1. 1.
Generatio Chriſti Dei ſunt eius res geſta.
Abul. q. 1. in Matth. c. 1.
Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham, &c. Receptior huius loci expoſitio eſt, *generationis* vocabulo progenitores intelligi, vt aliàs perſæpe in Biblijs. Sed (verba ſunt Abulenſis) *Quæritur quare Matthæus vocauit iſtum librum Generationis Ieſu Chriſti, quia non eſt præcipuè de Chriſti generatione, cùm parum de ea tractetur, & totus liber pertineat ad geſta Chriſti. Dicendum, quòd aliquando accipitur generatio pro geſtis hominum.* Nimirum Chriſti Dei vita, tot laboribus anxia, tot perſecutionibus afflictata, tot contumelijs dehoneſtata, demum ſæuiſſimæ Paſſionis cruciamentis peracta; *Generatio* ſeu progenitores Chriſti dicuntur, quaſi Chriſtus Deus fuerit tot atrociſſimarum calamitatum generſa ſoboles. *Chriſto quiſo ſer tenido por hijo de ſus obras, de ſus tormentos, de ſu paciencia.* Redeat
Chryſoſt. homil. 4. in Matth.
iterum Chryſoſtomus in exordio huius §. laudatus, qui & in ſecundâ progenitorum Chriſti quaterdenâ captiuitatem Babylonicam recenſuit, & in tertiâ ipſummet Chriſtum, inter *generationes*, progenitores inquam, eius numerauit. *Mihi enim*, inquit, *videtur hoc loco etiam captiuitatis tempus in generationum*, (id eſt progenitorum) *ordine collocare.* Expende verba, quæ ſubdit: *Sed & ipſe Chriſtus vnius numerum generationis implere, vt quem ex omni parte nobis coniungit.* Audis ex aureo Chryſoſtomi ore, ipſummet Chriſtum in tertiâ ipſiuſmet progenitorum teſſeradecade recenſeri? Chriſtuſne implet ſui ipſius progenitorum numerum? Ipſe patiens humilitatem corporis, perſecutionum iniurias, Phariſæorum inuidiam, Paſſionis cruciamenta, dicetur ſui ſoboles, & quidem à Matthæo Euangeliſtâ, magno interprete Chryſoſtomo? Sic labores patienter tolerati, Chriſtum arcanè generant, pariunt, propagant? ô illuſtre patientiæ encomium! ô generoſam exantlatæ calamitatis eminentiam! Chriſtus naſcens, ſui ipſius patiẽtis filius myſticè reputatur? Sic eſt Chriſtus imago patientiæ, ſic patientiã ſuis moribus refert, vt eam in ſuæ proſapiæ generoſo catalogo recẽſeri affectarit?

§. CCCXXII.

Chriſtus in Euchariſtiâ hilaritatem diuinitatis oſtendit?

1.
A candore dignè accipientis, Euchariſtia cãdicat?
QVi Euchariſtici conuiuij pinguedine perfruitur; & nuptiali gratiæ veſtimento indutus, ad regalis curiæ menſam accedit, vitalis alimoniæ delicijs paſtus, empyreas glorias præmaturæ ebibit, & eructat, quas affatim de ſacramento haurit. Sic fauſta ſuo Iudæ prædicit Iacobus: Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.
Ibid. v. 12.
Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. Quæ præluſtris Euchariſtiæ prophetia eſt Quid eſt, *Dentes eius*, (id eſt, Sumentis) *lacte candidiores?* S. Cyrillus Alexandrinus: *Candore dentium puritatem myſtici alimenti deſignat*, quaſi noſtri oris candor candidæ Euchariſtiæ nitorem mutuet, & candorem eximium. Sic digna ſumentis diſpoſitio, hoc ſacramentum ad gratiam venuſtat? Candore ſumentis candicat Euchariſtiã? Pergit ad rem præſentem Cyrillus præcedens hemiſtichium exponens, ſcilicet, *Pulchriores ſunt oculi eius vino.* Sic pulchrum eſt Vinum, vt pulchrè vini di Iudæ oculi, vino comparentur ad venuſtatis auctarium? Et quæ tanta vini gratia eſt? imò quæ tanta venuſtatis gloria? *Pulchriores ſunt oculi eius vino*, id eſt, à vino largius epoto, Patriarchæ Iudę oculi hilares ſunt, & iucundi. Ait ergo Cyrillus: *Per id iucunditatem atque hilaritatem diuinitatis Chriſti oſtendit.* Peregregiè
Cyrillus in Catena.
S. Cyrillus ſuprà.
2. quidem! Iucunditatem & hilaritatem diuinitatis oſtentat Chriſtus in Euchariſtia? Lætitia quæ ſcintillat in oculis eius, qui dignè hoc generoſo Vino potatur, indicat quam ſe hilarem oſtendat Deitas in hoc Dominici Sanguinis ſacramento? Quaſi Diuinitas ſe præbeat ſeueriorem in ceteris naturæ & gratiæ operibus. At eam iucunditatem oſtentat in hoc pretioſo vino, (quod lætificat cor hominis, & eius oculos exhilarat) vt *per id iucunditatem atque hilaritatem diuinitatis Chriſti oſtendat.* Quid exaggeratius? ô ſobriam Euchariſtiæ ebrietatem; quæ ita ſumptuoſe ſuos beat potatores, ſic glorioſè exhilarat, vt iucunditate Olympiæ beatitudinis æmulâ, velut hilariorem Diuinitatem delicioſè propinet! Vino potaris in hoc cæleſti Euchariſtiæ epulo, & Deitatis hilaritatem ebibis. Hoc generoſum Vinum, promptuarium lætitię eſt, gaudij officina, deliciarum penus, iucunditatis cõceptaculum, & hilaritatis cenſus. Sic in eo Chriſtũ potas, & beatitudinis glorias hauris, vt *iucũditatẽ atque hilaritatẽ diuinitatis Chriſti* ebibas. O quales quantaſque ſpirat glorias, quod *hilaritatẽ diuinitatis Chriſti oſtendit!*
Chriſtus in Euchariſtiâ hilaritatem diuinitatis oſtendit?

Exodi 16. Cælum in deſerto cæleſtem pluit 3.
cibum, Manna inquam, Euchariſtiæ vmbram, ad copioſam electi populi annonam. Colligebant autem mane ſinguli quantum ſufficere poterat ad veſcendum: cumque incaluiſſet Sol, liqueſiebat. *In die autem ſextâ collegerunt cibos duplices.* Sed cur hic Angelorum panis in ſabbato denegatur, & dies Dominica eiuſmodi angelicæ cibationis auſpicium eſt? Cauſa quam littera offert, in promptu eſt; myſticum verò ſenſum luculenter tradit S. Cæſarius ad præſentem theſim opportunus interpres, ſic fatus: *Et quis panis Angelorum eſt, niſi Chriſtus, qui eos cibo ſuæ charitatis, & lumine ſuæ claritatis exſatiat? Hic panis, dicente Prophetâ, Sextâ die duplum colliges, ſabbato autem non colliges: dum à primo, id eſt, à Dominico in lege tribuitur, & in ſolo ſabbato denegatur:* (Attentius aduerte ad verba, quæ ſubiicit,) *Iam tũc Chriſtus ab Eccleſiâ, cui Dominicum corpus Reſurrectio conſecrauit, recipiendus oſtenditur.* Dies Dominica angelici cibi, mannæ inquam accipiendi, auſpicium erit; quia Dominicum, quod adumbrat, corpus Dominica *Reſurrectio conſecrauit?* Domini Reſurrectio, an (vt ſic loquar) Domini Paſſio, vel inſtãtis iam Paſſionis mœſtiſſima agonia *Dominicũ corpus cõſecrauit?*
Exod. 16. 22.
Cur Dominicum Corpus Reſurrectio conſecrare dicitur.
Cæſar. homil. 7.

Serò, opinor, Reſurrectio conſecraret Dominicum corpus, quod ante triduum, mœſtitia Paſſionis, in ipſius Paſſionis memoriam, præproperè conſecrauit. Annon in Paſſionis veſtibulo, quaſi ipſius Paſſionis memoriale perenne Euchariſtia conſecratur? Ita quidem. Sed quem imminentis Paſſionis mœſtus angor conſecrat, iucundior Reſurrectionis hilaritas rurſus quodammodo conſecrare dicitur. *Iam tunc Chriſtus ab Eccleſiâ, cui Dominicum corpus Reſurrectio conſecrauit, recipiendus oſtenditur.* Eſto, acerbiſſimæ Paſſionis calamitates Euchariſtia ſpiret: Sed quæ *hilaritatem diuinitatis Chriſti oſtendit*, ſpiret etiam Reſurrectionis glorias: *Dominicum corpus Reſurrectio conſecrauit.* Quid luculentius?

---

§. CCCXXIII.

In Patriarchis recenſendis negligitne Scriptura præcedentiæ ciuilitatem.

1. HVMANÆ naturæ maſſa, paradiſeæ elationis acore ad omnem ſuperbiam fermentata, eminentioris loci & ſedis prærogatiuam in primis exambit. Ad primum locum cognatus hominibus ambitus, arrogantiæ calcari ſtimulatus, præpropere feſtinat, quaſi loci præeminentia ſit res diligentiæ antiquitate properantis, & non ſolius meriti negotium. Verùm quandoquidem res Chriſtiana non renunciauit politiæ, & congrua vrbanitas ſit virtutis ſplendor, ſuus cuique locus ſeruandus eſt, quem aut natura, aut antiquitas, aut meritum, aut præſcriptio olim fecit ſuum. Sed virtutem dedecet nimiè contentioſa æmulatio, quæ hic vapulat.

Virtus non renunciauit vrbanitati.

2. Matthæus ſic ſuum Euangelium exorſus eſt: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac*, &c. Multa ingenij & eruditionis ſagacitate inueſtigant interpretes; quare iunior Dauid, ſeniori præponatur Abrahamo: & plurimi putant, Dauidé propter regiá dignitatem Abrahamo præferri. Verùm res ciuilis & politica eſt, regia dignitas, neque æquipollet naturæ dignitati, qua pater antiſtat filio, Abrahamus inquam Dauidi. Nec forte regia ſtemmata deſideres in Abrahamo, Hebrææ gentis capite: nam aliquando audiuit à filiis Heth: *Princeps Dei es apud nos.* Nec rudis illa ætas Principes Regibus ſuppares fors æſtimabat. At, inquis, ſanctior fuit Dauid, & inde præferendus. Quid ſi fuit ſanctior Abraham, & ideò Dauid Abrahamo poſtponendus? Quis Sanctorum merita libret æquâ lance? Hoc vnum ſcimus, quod ſimile ſanctitatis par priſca illa ætas non tulit: neque Euangeliſta hîc definit, vter ſanctior, cùm ſciat vtrumque ſanctiſſimum. At inter ſanctiſſimos viros, aut nulla, aut poſtrema cura eſt de non valdè vtili antelationis ciuilitate. Nimia enim primi loci ambitio vulgò ſollicitat homines non admodum ſerios & graues, quorum inſomnis ſollicitudo negotiatur friuolas antelationis nugas: quas Euangeliſta forſan negligit, quaſi viris ſanctiſſimis non dignas. Nihilominus ne Euangeliſta prorſus neglexiſſe videatur, quod tanto in pretio apud homines habetur; confeſtim ſollicitè reſarcit Abrahamo ſi quam decori iacturam paſſus eſt, in Dauidis antelatione; vt argutè notauit Ambroſius. Nempe dixerat Euangeliſta: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham*, vbi Dauidem iuniorè antetulerat ſeniori Abrahamo, qui ob paternitatis ſaltem prærogatiuam præponendus videbatur: ſtatim verò ſubiungit: *Abraham genuit Iſaac*, & ita totius Ieſuanæ genealogiæ originem ab Abrahamo, tanquam à proſapiæ principe & capite inchoat; longè poſt in generationum ſerie Dauidem recenſens. Sic ſatis Ambroſius, vulgare illud dubium verſans, cur Dauid præponatur ſeniori Abrahamo: *Vt Dauidi*, inquit, *proprietas generationis, principatus Abrahamo deferatur. Illi delatum eſt, vt Ieſus eius filius diceretur, huic quaſi Principi familiæ, gentiumque, prærogatiua ſeruatur, vt ab Abraham generationis Dominicæ manaret exordium.* Aduerte, confeſtim Euangeliſtam compenſaſſe Abrahamo velut notam antelati iunioris Dauidis. Vnde generoſam Chriſti Dei generationem auſpicatur Euangeliſta ab Abrahamo, tanquam ab auguſtioris familiæ principe, aiens: *Abraham genuit Iſaac.* Ecce tibi Euangeliſta non valdè curauit, ne Dauid iunior ſeniori Abrahamo præponeretur: ſed neque omnino id neglixit, cùm è veſtigio magis opulento dignitatis faſtigio, illum recenſeat totius familiæ principem, & primam illuſtriſſimæ proſapiæ originem.

Matth. 1. v. 1. & 2.

In Dauide & Abrahamo recenſendis, negligit Euangeliſta præcedentiæ ciuilitatem?

Geneſ. 23. 6.

Antelatio iunioris Dauidis, ſtatim compenſatur Abrahamo.

Ambr. l. 3. in Lucam.

3. Hic verſ. 1. *Vocauit Iacob filios ſuos, & ait eis*, &c. vbi & ſeriatim illis futura prædicit, & ſingulatim poſtea copioſè benedicit. Sed de ordine, quo hic & alibi, filij Iacob, id eſt, Iacobææ familiæ principes, & Hebrææ gentis Patriarchæ, à ſacris ſcriptoribus recenſentur, ſic eruditè & eleganter ſcribit Origenes. *Sciendum, quòd in ſingulis quibuſque locis vbi Scriptura de duodecim Patriarchis commemorat, multa ſit in ipsâ ordinis conſcriptione diuerſitas. Alius ordo eſt in ipsâ eorum natiuitate conſcriptus, alius cum terram Ægypti cum patre ſuo Iſraël, & ſobole poſteritatis referuntur intrare, alius nunc cùm benedictiones obituri parentis excipiunt, alius cùm egreſſa de Ægypto tribus, vel cùm in deſerto commemorantur aliquid agere, vel terram promiſſionis ingreſſa, in monte Gebal pro benedictionibus & maledictionibus ſtatuuntur. Alius etiam cùm diuiſionem terræ hereditatis ſorte accipiunt. Quod vtique certum eſt non abſque aliquâ ratione variari, & extare cauſas probabiles, quibus alio loco ille, in alio verò alius præferatur.* Longiuſculè pariter ac moraliſſimè. Scilicet ordo & prærogatiua natiuitatis aut antiquitatis, vno in loco ſeruatur, non omnino in omnibus. Senior ætate antiſtat, ſæpè non merito. Vbi de meritis agitur, poſtponatur, qui ſola ætate præit. Neque vnus in omni meritorum genere excellit; ergo præferatur in quo eminet; in cęteris, in quibus excellitur, poſtponatur. Qui in aliquo excellit, & in reliquis excellitur, in omnibus anteponi, abuſus ambitionis eſt. Zabulon hîc Iſſacari præponitur; & tamen Iſſacar ante Zabulonem natus eſt. *Sciendum* eſt,

Hic v. 1.

Orig. homil. 17.

Hebræorum Patriarchæ non ſemper ætatis ordine & prærogatiuâ recenſentur.

Hic v. 13.

quòd in ſingulis quibuſque locis, vbi Scriptura de duodecim Patriarchis commemorat, multa ſit in ipſa ordinis conſcriptione diuerſitas.... Quod vtique certum eſt, non abſque aliquâ ratione variari, & extare cauſas probabiles, quibus alio loco ille, in alio verò alius præferatur. Quænam erunt hæ probabiles cauſæ antelationis, quas tacet Scriptura? Hoc vnum in comperto eſt, quod ſæpè in hominibus prælationis libido, habet in ſpecie virtutis lenocinium, in guſtu ambitionis venenum. Sententiosè æquè ac eleganter S. Paulinus, quaſi ingenuè fateretur ſe ignorare has probabiles cauſas, quas ſilet Scriptura, vt piâ vrbanitate omnis arrogantiæ fibras extirparet, ſic ait: *Eſto Peripateticus Deo, Pythagoræus Mundo.* Ex eo, in quo vtraque Philoſophorum ſchola excellit, eam antonomaſticè indigitat. Peripatetici ſubtilitate argutiarum eminent; Pythagoræi omnia ex numeris, & eorum ordine & merito conſtant: ergo hoc velut ænigmate ait Paulinus: Eſto in rebus Dei acutus & ſubtilis, vt Peripatetici, ne obtentu virtutis te fallant diſſimulatæ ambitionis præſtigiæ: & ſimul eſto, vt Pythagoræi, attentus ad rerum ordinem, ad meritorum prærogatiuam, & dignitatis numeros, vt vnicuique ſuum deſignes locum.

Pia vrbanitas de Pythagora erudiatur ſcholâ. S. Paulinus epiſt. 35.

§ CCCXXIV.

Cæli politia ſugillat humanæ præcedentiæ vrbanas nugas.

1. INANIS inaniſſimæ præcedentię vana gloria aliàs per me multis vapulat, hic perſtringam duntaxat, quàm negligãtur in cælis eiuſmodi ciuilitatis contemnendæ nugæ quò erudiatur politia eorum, qui in terris degentes, coloniam in cælo tranſmittere ſatagunt, pietatis iure, & cæleſtis vitæ merito, Olympiæ vrbanitatis candidato.

2. Marci 16. *Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei?* Quid eſt, quòd Chriſtus ſedere ad Patris dexteram dicitur? numquid Chriſtus Patrem Deum ſedis gloriâ præcedit? Valde (P. Ioannem Maldonatum audis, hâc ſuper re hic philoſophantem) meus in eam opinionem animus inclinat, vt exiſtimem, per dexteram non ſolùm æqualitatem, ſed quiddam etiam æqualitate maius ſignificari: non quòd Filius quidquam maius, quàm Pater habeat; ſcio enim omnibus rebus æquales eſſe, ſed quòd maiorem præ ſe, ſi officij functionem conſideremus, dignitatem ferat, cùm ad dexteram, id eſt, regali in ſede ſit, Eccleſiam inde gubernans, donec Pater ponat inimicos eius ſcabellum pedum eius. Moueor conſuetudine loquendi, vnde ſine dubio metaphora iſta ad dexteram ſedendi traducta eſt. Cùm tres ſimul ſedent, omnium more gentium, qui honoratiſſimus, ſedet in medio. Cum autem ſedent duo, qui honoratior eſt, ſedet ad dexteram. Exemplum eſt in lib. 3. Regum, vbi cùm Bethſabee mater Salomonis Regis eum inuiſeret, iuſſit Salomon ad dexteram ſuam alterum poni thronum, in eôque ſedere matrem, vt eam ſuperiorem agnoſceret: Paterne Deus ſuperiorem agnoſcit Chriſtum, ad dexteram ſuam ſedentem? In has anguſtias humana politia conijcit cæleſtia? æqualitati perſonarum periculum facit? Perbellè Chryſologus: *Sedet ad dexteram Patris. Ordo ibi diuinus eſt, non humanus: Sic à dextris ſedet Filius, vt Pater non ſedeat à ſiniſtris.* O arcanam & exemplarem cæli, cælitumque politiam! Summæ inter Patrem & Filium æqualitati non derogatur, quia ad dexteram ſedeat, & humano idiotiſmo, honoratiori loco ſedere dicatur. *Sic enim à dextris ſedet Filius, vt Pater non ſedeat à ſiniſtris.* Quid accommodatius? Cæleſtium æſtimatio ſit humanorum cenſus.

Marc. 16. 19.

Mald. hic. *Sic à dextris ſedet Filius, vt Pater non ſedeat à ſiniſtris*

3 Reg. 2. 19

Chryſol. ſerm. 58.

3. Valde ſe Patri Deo adulari putabat Arius, dum illum maiorem & priorem Filio vendicabat, quaſi periclitaretur Patris Dei auctoritas, & primatus in omnia, niſi de ſua argumentatione illi ſuccurreret Hæreticus. Ingenuè fatetur Eccleſia, Spiritu ſancto edocta & imbuta, quòd Pater Deus eſt Filij principium: & inde Pater eſt origine Filio prior, & Filius adſpectu ad originem, Patre poſterior, quin originis præcedentia, aut incrementet auctoritatem Patris, aut minuat dignitatem Filij, aut deroget perſonarum in eadem eſſentiâ æqualitati. Sapienter æque ac ſubtiliter magnus ille Eccleſiæ Theologus Gregorius Nazianzenus, ita ſcribit: *Quo morbo correptus, ille à furore nomen habens, Arius, magnam Eccleſiæ partem concuſſit. Nam nec Patrem honorauit: & ea quæ ex ipſo ſunt dedecore affecit, dum inæquales diuinitatis gradus innexit.* Nazianzeno ſuffragatur Chryſologus, ita fatus de Chriſto Deo: *Sedet ad dexteram Patris. Ne ſit minor gradu, poſterior ordine.* O Hæretice, quid inaniſſimam humanæ vrbanitatis politiam ſeriò ad diuina traducis, vt traducas diuina? Alius eſt diuinitatis, alius ſeſſionis gradus: poſterior ordine Filius, non eſt gradu minor, quàm Pater. Nec Patrem honoras, dum illi de maioritate adularis, quam poſſes Filio etiam ob ſeſſionem ad dexteram, ſimiliter hæretico priuilegio adſcribere. Deſine has humanæ ambitionis nugas ad cæleſtia tranſſcribere, inde in hæreſum ſyrtes impingens, certo fidei naufragio: *Non eſt minor gradu, poſterior ordine.* Subtiliſſimè pariter, ac moraliſſimè. *No el Hijo es menor, por ſer poſtrero que el Padre en orden de origen: ni tan poco es mayor que el, por tener aſiento à la dieſtra del Padre.* Planè nugatur, qui humanæ ambitionis nugas ad diuina transfert.

In diuinis nõ eſt minor gradu poſterior ordine.

Naz. orat. 16. aliàs 20.

Chryſol. ſerm. 59.

4. Tertullianus lib. de Carne Chriſti, ſic de S. Matthæo, Euangeliſtarum primicerio, fatur, quò homines contemnant præcedentiæ ciuilitatem: *Matthæus*, inquit, *fideliſſimus Euangelij commentator.... Sed & Paulus eiuſdem Euangelij & Diſcipulus & magiſter, & teſtis, quia eiuſdem ipſius Chriſti Apoſtolus.* Nempe quicunque quantumuis ſublimiſſimi meriti, quà Apoſtolus, diſcipulus eſt Matthæi? Ecce tibi Apoſtolorũ proceres de ſcholâ Matthæi profeciſſe fatentur; qui Matthæanæ laudis faſtus eſt, & gloria ſingularis. Sed nota mihi, quàm negligant Paulus adæquè ac Matthæus inanis præcedentiæ, & humani honoris ciuilitatem:

Tertul. de Car. Chriſt. c. 22.

Apoſtolorum proceres ſunt Matthæi diſcipuli.

Paulus eſt Matthæi, & Diſcipulus & Magiſter, & è contrariò

tatem: Paulus dicitur, & Matthæi magiſter, & diſcipulus, & Matthæus diſcipulus pariter, & Pauli magiſter. Nec Diſcipuli nomen detrahit Paulinæ ſapientiæ, nec illam exaggerat illuſtre Magiſtri vocabulum. Alter alterius Diſcipulus eſt, & Magiſter, quin alterutri quidpiam derogetur. Imò multum gloriæ vtriuſque adijcitur, quòd vterque hæc honoris vocabula ſic depretiet.

5. Non poſſum non hùc aduocare illuſtrem Ambroſij locum, quem alibi aliorsùm enucleauimus. Commentans illud Geneſ. 1. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationeſque aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus quòd eſſet bonum.* Aquæ in locum vnum confluentes, & indè Maris ſortitæ vocabulum, Eccleſiam in varios & inæquales ordines tributam, adumbrant ex Ambroſij mente: ergo ſic ſcribit Ambroſius: *Congregentur aquæ in locum vnum. Ex illo*, inquit, *currit aqua, fontes labuntur in fluuios, vt freta concurrunt flumina, lacus deriuantur in maria:* (Trutina quæ ſubdit verba) *ipſa ſe aqua præcedit, vrget, & ſequitur. Vnus eſt ductus, vnum eſt corpus. Et cùm ſit altitudo diuerſa, indiſcreta tamen dorſi eius æqualitas.* Ecce tibi Chriſtianæ communitatis normam expreſſam in aquis: vnus eſt aquarum ductus, vnum eſt corpus; & tametſi ſit altitudo diuerſa, *ipſa ſe aqua præcedit, vrget, & ſequitur*, nec quæ *præcedit* ob præcedentiam ſpumosâ ambitione tumet, nec ſubſequi dedignatur: ô bonum documentum! *Ipſa ſe aqua præcedit, vrget, & ſequitur.* Quid luculentius? *No repara en llenar el mejor ó peor lugar.* Quem Ambroſij locum aliorsùm expendebamus.

Geneſ. 1. v. 9. & 10.

Ambr. l. 3. Exaëm. c. 2.

§ CCCXXV.

Impiorum Ratio à diu inolitâ malitia, belluinis ratiocinationibus obbruteſcit.

1. ADAMVS ſpe falſatâ putauit interdictæ arboris cibo ſe oculorum mercari collyrium, & cæcitatem ſumptuoſiùs emit; quâ eius poſteritas, mentis infuſcato lumine planè lippit, auitæ malitiæ morbo. Hinc humana ratio ad perſpicua quæque ſæpè caligat, cæcutit, & errabundis obſtinatæ malitiæ diſcurſibus vltrò exerrat. Profectò nulla hominis ratio ſatis rationalis eſt, niſi quam placida virtutis quies compoſuit. Malitia autem irrationaliter agreſtis, pecuinis ratiocinationibus obbruteſcit, ab impietate cæcè inoculata. Quod vt euincam, vnum aut alterum ſeligam argumentum è pluribus, quæ ex Biblijs menti ſeſe quaſi cateruatim obijciunt.

Humanam rationem malitia infuſcat.

2. Geneſeos 4. Caïnita Lamech, ſanguine & moribus impij Caïni ſoboles, ſuis vxoribus dira ſupplicia marito imminentia muliebriter formidantibus, eò quòd fama increbruerit, ſuum maritum duplex ſceleſtè perpetraſſe homicidium, ita fatur, quò eas conſoletur, earumque mœſtitiam excutiat. *Dixitque Lamech vxoribus ſuis Ada & Sella: Audite vocem meam vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum.* Audiamus & nos eius irrationalem vocem, quâ duplicem cædem à ſe commiſſam prodit, & rationem, quâ ſe putat à promerito ſupplicio immunem. *Occidi*, inquit, *virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties.* Nempè qui occiderit Caïnum ſemel homicidam, *ſeptuplùm punietur*, id eſt, acerbas luet pœnas: qui verò me, geminæ occiſionis reum peremerit, *ſeptuagies ſepties*, id eſt, multò grauius & acerbiùs punietur. Innumeris penè expoſitionibus interpretes hunc locum onerant, & fatigant; & nemo ferè eſt, qui alteri acquieſcat, & qui nouam non parturiat expoſitionem. Tota ardui loci difficultas in eo vertitur, eccur ſeriò Lamechus cenſuerit, multò acerbiùs caſtigandum, qui illum geminatæ occiſionis reum occiderit, quàm qui Caïnum ſemel homicidam peremiſſet. Scilicet inſanè ratiocinatur impius Lamech, à malitiâ dementatus. Animaduerterat homo in paucis flagitioſus, Deum Caini ſemel homicidæ vitam ſeruaſſe, impreſſo ei incolumitatis ſigno: exinde Lamech malitiâ obcæcatus, ſic perperàm philoſophatur, impiorum more. Si Deus ita ſoſpitat ſemel iniuſtum, magis ſecurus & ſoſpes erit geminæ iniuſtitiæ reus; & maius flagitium, potiùs erit impunè innoxium. Sic argutatur humana malitia? Sic à vitiis ſtulteſcit rationalis homo? Planè belluini mores, belluinos quoque diſcurſus ingenerant, affricant, alliniunt. Sic inueterata nequitia rationi inſidiatur, rationem obſidet, rationem diripit, & detriumphat rationem? Sic pecuinos homines recudit malitia? Quis fatuæ impiorum rationi, à vitiis conſtupratæ, offuſcatæ, excæcatæ, tutò ſe credat? De tribu Iſſachar, quæ erat reliquarum ingenioſiſſima & litteraliſſima, hîc dicitur: *Iſſachar aſinus fortis.* Ecce quàm obbruteſcat humanum ingenium.

Geneſ. 4. 23.

Lamech in maiori ſcelere inuenire præſumit impunitatis aſylum.

Suprà v. 15.

Hic v. 14.

1. Reg. 4. Cæſi à Philiſthæis Iſraëlitæ, Arcam Dei auxiliatrem aduocant. Et Philiſthæi *Cognouerunt quod arca Domini veniſſet in caſtra. Timueruntque Philiſthijm dicentes..... væ nobis. Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dij qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ.* Aliàs expendebamus, cur, qui primùm *Deus* dicitur, mox *Dij* appellentur. Nunc admirabilitate digniſſimum eſt, quam ob rem, cùm pugnaciſſimum prædicant Deum Iſraëlis, quippe qui Ægyptum percuſſerit omni plagâ, eiuſmodi commemoratione, non modò territi, fugâ dilapſi non ſunt, ſed validius roborati, animos ſumpſerint, quò vltro Hebræas inuaſerint phalanges? Subditur enim: *Confortamini, & eſtote viri Philiſthijm..... confortamini, & bellate. Pugnauerunt ergo Philiſthijm, & cæſus eſt Iſraël.* Quid ergo eſt, quòd Philiſthæi reſumunt animos, vnde animo cadere debuiſſent? Audiunt Hebræorum caſtris adeſſe ipſorum Deum, qui Ægyptum omni plagâ percuſſit & profligauit, & 3.

1. Reg. 4. v. 8.

Philiſthini Ægyptiorum plagis, ſe incolumes fore, fatuò præſumunt.

& quaſi inde roborarentur ad pugnam, ſtatim Hebræos audacter adoriuntur? Quod illos facere debuiſſet puſillanimes, fecit audaces? Hanc difficultatem adfert Lyranus, & ſic eam diſſoluit: *Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga, id eſt, omni plagâ eis poſſibili. Quaſi dicant: Fecerunt tunc totum poſſe ſuum; & iam non poterunt nunc vobis nocere. Ideo conſequenter dicebant: Confortamini, & eſtote viri Philiſthijm..... confortamini, & bellate,* &c. Expende egregiam ratiocinationem, quâ nixi Philiſthæi ſceleratiſſimi, periculoſum in Iſraëlis Deum, prælium adoriuntur. Hebræorum Deus olim pugnaciſſimus, *Ægyptum percuſſit omni plagâ*, ergo nulla plaga illi ſupereſt, quâ nos feriat. Iam omnia pharetræ ſuæ tela in Ægyptios vibrauit, nullum ei ſpiculum reſtat, quod in nos contorqueat. Multiplicatæ nimis Ægyptiorum ſtrages, nos ab excidio reddunt incolumes; & multiplex illorum calamitas, noſtrum erit aſylum: ô argutè fatuas impiorum ratiocinationes! Meritas Dei iras, alios tui ſimiles puniendo, erga te mitigari præſumis? Quem Deum dicis, eius omnipotentiam putas exhauſtam? His friuolis malitiæ argutiis Dei Iuſtitiam, omnipotentiâ armatam, exarmare præſumis? Ecquis fidat infidis flagitioſorum ratiocinationibus, qui in eiuſmodi diſcurſus degenerant; dignos pecude, homine planè indignos? Heu, malitia humanæ rationis aciem ſic perſtringit, hebetat, obtundit, excæcat!

Lyran. ibi.

4. Ioannis 11. *Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.* Vide conſilioſiſſimi Senatus fatuam peritiam, de malitiæ ſcholâ eruditam. Subtiliter Auguſtinus eorum conſultiſſimè inconſulta iudicia, ſic ignorantiæ malitioſæ reuincit. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* &c. *Nec tamen dicebant: Credamus.* Fatemini Chriſtum edere ſigna, quæ homo facere non poteſt, & ei credere reſpuitis? Scitis Scripturarum vmbram, recognoſcite illius vmbræ corpus. Dei opera in illo ſuſpicitis, & ipſi Deo cædem afferre molimini? Meſſiæ expectatiſſimi opera in veſtrâ Lege inſculpta, in eo cernitis; & coràm Meſſiam non videtis, ſed contumelioſè repudiatis, & ad illius necem veſtra malitia rabioſè ferocit? ô pertinaciter ſtultas obſtinatæ nequitiæ ratiocinationes!

Ioan. 11. 47.
Concilium Phariſæorum, malitioſè ſtultescit in Chriſtum.

Auguſt. tract. 49 in Ioann.

§. CCCXXVI.

Nihil agendo homines, malè agere perdiſcunt, in Otij gymnaſio.

1. INter ſeueriſſimas Draconi leges, illa perhibetur opportuniſſima, *vt otij damnati, capite punirentur.* Eccur tam acerbo ſupplicio, culpa non valdè noxia mulctatur? Marci Catonis frequens & decantatiſſima ſententia reſpondet: *Nihil agendo homines, malè agere perdiſcunt.* Nunquam vacat laſciuire occupatis. *Nil tam certum eſt, quam otij vitia negotio diſcuti.* Vagum otium, garrulum eſt, blandum, ſalax, petulans, audax: deturbat verecundiam, modeſtiam exterminat, ſtudiis inuidet, diſciplinam ſubſannat, virtutes depretiat, mores conſtuprat, & linguam ad omnem maledicentiam & nugacitatem exacuit: *Otioſa ſunt enim ſemper infructuoſa colloquia fidi rumoris expoſita. Qui autem putandus eſt otioſus eſſe ſermo, niſi ignarus rationis, & nuntius falſitatis; cui id ſtudij eſt, aut ridenda confingere, aut de incertis quaſi certa ſentire?* quæ ſunt verba Valeriani Epiſcopi Cameliensis. Itaque Otium eſt malitiæ ſcena, impietatis pædagogus, maledicentiæ fomes, peruerſitatis officina, & vitiorum gymnaſium, vbi *Nihil agendo homines, malè agere perdiſcunt.*

Franc. Senn. lib. 1. de Inſtit. reip.

Bruſ. l. 4.

Senec ep 56.
Otium ſchola vitiorum eſt.

Valer. hom. 6

2. Geneſ. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Adamus recens creatus, in paradiſeis collocatur deliciis; ſed cur labori confeſtim addicitur? S. Ambroſius ſic hàc ſuper re eleganter philoſophatur: *Et quamuis*, inquit, *paradiſus operibus ruralibus non egeret, tamen quia primus homo lex poſteritatis futurus erat, ideò legitimi etiam in paradiſo ſpeciem ſuſcepit laboris, vt nos ad operationem, & cuſtodiam debiti officij, & hereditariæ ſucceſſionis munus adſtringeret.* Nempe paradiſus operibus ruralibus non egebat, quibus paradiſiacus ager coleretur; homo autem, tametſi in ſtatu innocentiæ creatus, labore & exercitatione indigebat, ne *nihil agendo, malè agere perdiſceret.* De cæli ſcholâ miris ſcientiis, & excelſis virtutibus imbutus erat Adam; & tamen timetur, ne in otij gymnaſio virtutes dediſcat, & vitiis peruersè inſtruatur. Non infelicitat labor felicem innocentiæ ſtatum, ſed otij peruerſum magiſterium arcet: ne deſidiæ lenocinio à tantâ felicitate degeneret. Quin & rurali labore Protoparentis noſtri, omnem poſteritatem exemplari labore Deus præmaturè exercet; ne poſteri deſidiâ torpentes, vitiis imbuantur; ſed parentem actuoſum imitati, otium ablegent, quaſi probitatis peſtem, & malitiæ magiſtrum: *Quamuis paradiſus operibus ruralibus non egeret, tamen quia primus homo lex poſteritatis futurus erat, ideo legitimi etiam in paradiſo ſpeciem ſuſcepit laboris.* Sic præproperè ab Adami Otio in paradiſo timet Deus? Sic præmaturè legem laboris poſteritati indicit in patre? Sic præcauet pernicioſum deſidiæ magiſterium? Adhæc adde, ſi lubet; lubebit opinor: Quia Adamus totius humani generis Princeps erat, & futura Præfectorum idea; ne putarent Præſules, ſpecioſo prætextu ſublimiùs vacandi præſidentiæ, immunes ſe eſſe à communitatis laboribus, communi labori Adamus immenditur creaturarum omnium Princeps, vt Præſules *hereditariæ ſucceſſionis munere* adſtringantur ad opus. Et quamuis in paradiſo vacabat laborandi neceſſitas, præſes Adam legitimi operis ſpeciem à Deo ſuſcepit, ne auctoritatis obtentu in Superioribus præſcribat Otium. Ecce tibi, etſi in Adamo vacat operandi neceſſitas, non vacat operationis

Gen. 2. 15.

Ambr. l. de Paradiſo.
Adamo in paradiſo otiari non permittitur, etſi ſuperuacuo laboro.

Speciem laboris ſuſcepit Princeps Adam, ne ſuperiorum præſcribat Otium

rationis vtilitas, quò & à ſe, & à poſteris exulet Otium. Ne homo Iſſacharem imitatus, *videns requiem quòd eſſet bona*, inutilis ocietur. [Hîc v.15.]

3. Conſummato ſextidui opere; requieſcit Deus die mundi ſeptimâ, illamque hominum quieti & religioſo deſtinat Otio: *Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* [Geneſ.2. v.2 & 3.] Ad quæ verba ſic ſcribit Theodoretus: *Diei ſeptimo in creationis locum largitus eſt benedictionem: ne ſolus dies ille præ ceteris honore careret.* [Theod.q.21. in Geneſ.] Quaſi dicat: Ceteri eovſque dies, in quibus Deus operatus eſt, ſatis ſuperque honoris & commendationis ex opere in ſingulis patrato, aſſecuti ſunt; ſeptima verò dies, in quâ Deus nihil operatus eſt, & quæ hominum quieti & Otio deſtinatur, dum operis commendatione viduata eſt, benedictione diuinâ, & religiosâ ſanctificatione indigebat; ne Otij malo, & otioſa torperet, & deſidioſa culparetur. Loco operationis ſubſtituatur Dei ſanctificatio, & diuina benedictio, vt quod deeſt operis, ſanctificatione suppleatur. Reliquæ dies ſatis benedictæ & ſanctificatæ ſunt opere Dei, & mortalium labore; at dies quieti Dei, & hominum Otio deſtinata, vtpotè actionis commendatione, & laboris honore deſtituta, ſanctiùs benedicatur, & ſumptuoſiùs ſanctificetur, vt diuina ſanctificatio religioſum ſuppleat honorem, quem Otium detrahere videtur. [*Dies quieti & otio deſtinata, Dei benedictione & ſanctificatione eget.*] *Quid igitur*, ait inibi Chryſoſtomus, *non erant & ceteri dies benedicti? Etiam profectò, ſed ſufficiebat illis pro omni benedictione, quòd in ſingulis illis creaturæ productæ fuerunt; & ideò non inquit, Et benedixit: in ſolo autem hoc ſeptimo die hoc dixit.* [Chryſ. ibi.] Ecce tibi, dies ſeptima, quæ Otio & vacationi deputatur, Dei benedictione, ſanctificatione diuinâ, & ſingulari honoris commendatione aduerſus deſidiæ malum præmunitur.

4. Non omittam innotatum, quod idem Theodoretus ibidem obſeruat, Id *ſanctificauit*, cùm dicitur: *Benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum*, idem ſignificare, ac ſeparauit: *Poſuit autem iſtud, Sanctificauit eam, pro, Segregauit. Sæpè enim hoc ita intellectum reperitur in Scripturâ diuinâ. Nam & de Medis ait, Sanctificati ſunt, & ego duco eos: hoc eſt, ad hoc ſegregati.* [Theodor. ſuprà.] [*Dies ſabbati ſegregatur à reliquis, ne reliquas otiari doceat?*] Nempè diem quietis & Otij *ſanctificat* Deus, id eſt, à reliquis diebus diuidit, & *ſegregat*; ne reliquæ dies labori deſtinatæ, à die quietis Otium ediſcant. Sic eſt hominibus procliue, otiari deſidioſè? Sic facilè arripitur & exprimitur iners Otij diſciplina? Hinc ſabbatum quieti deſtinatum, à reliquis diebus conſultiſſimè & moraliſſimè ſegregatur.

Vel à religioſo Otio
ſic timetur?

* * *

§. CCCXXVII.

Quietis otium, & hominum ingratitudo, Bibliorum ſtudijs adulantur.

1. BASILII Seleuciani ſententioſa vox eſt, quâ ſcripta ſua eleganter auſpicatur: *Vniuerſa hominum vita virtutis palæſtra eſt; ac vitæ ſpatia doctrinam ſpectant.* [Baſil. orat. 1.] Nimirùm, vt heliotropium totum ſemper ad Solem, ſic vniuerſa vitæ ſpatia Doctrinam ſpectant, quæ ſapientiæ impendantur. [*Vitæ ſpatia doctrinam ſpectant.*] At nonnullis ſapientibus perampla ſeculi negotia pro beatitudine ſunt, putantur doctrinæ ſtipendia, & meta temporis & doctrinæ furta ſunt. Porrò negotioſa munera, & negotiorum tumultus aut ſcientiarum ignorantem inueniunt, aut faciunt. Manet titulus olim Sapientis, & memoria vocum, quas in ſcholis vſurpabant; ſed negotioſæ occupationes & tempus abſumunt, & priſtinam eruditionem paulatim arrodunt, perpeti iacturâ ſapientiæ, & familiarium oblatratione curarum: nam *vitæ ſpatia doctrinam ſpectant*. Vnde hîc litteratiſſima tribus Iſſachar otio vacat, videns requiem quod ad litterarum negotium eſſet bona: & reipublicæ muneribus exempta, impenſiùs in Biblicâ litteratura occupatur. [Hîc v.15.]

2. Lucæ 12. Chriſtus Deus Diſcipulos ſuos, quos anteà appellauerat ſal terræ, & mundi lucem, ſic alloquitur: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* [Lucæ 12. 35.] Quam Chriſti ſententiam his verbis acutè Tertullianus commentatur: *Succingere debemus lumbos, id eſt, expediti eſſe ab impedimentis lacinioſæ vitæ, & implicatæ.* [Tertull l.4. contra Marc. c.29.] Quænam eſt hæc lacinioſa vita, & implicata, quam à ſuæ doctrinæ Magiſtris diuinus præceptor exigit? *Vida con falda, vida que ſobra, vida que arraſtra, vida enmarañada con occupaciones ſobradas.* [*Vita lacinioſa & implicata officit ſtudio ſapientiæ.*] Opportunè ad rem notat Theophylactus ad præfata Lucæ verba: *Notandum*, inquit, *quod primò iubet lumbos præcingere; (id eſt, expeditos eſſe ab impedimentis lacinioſæ vitæ, & implicatæ) ſecundò lucernas ardere..... doctrinam (inquam) quâ ceteros illuminemus.* [Theophyl. ibi.] Vide mihi quales formet Chriſtus in eccleſiâ Doctores. Nimirùm cùm *vitæ ſpatia doctrinam ſpectent; Primò iubet lumbos præcingere, id eſt, expeditos eſſe ab impedimentis lacinioſæ vitæ, & implicatæ: ſecundò lucernas ardere, doctrinam*, inquam, *quâ ceteros illuminent.* Itaque vt aliquis eam doctrinæ perfectionem aſſequatur, quâ ceteros verbo & ſcriptis poſſit illuminare, oportet priùs amputare lacinioſæ, & ſecularibus negotiis implicatæ vitæ negotioſa impedimenta, quibus ambitionis ſtudio ipſe ſeſe vltrò ingerit; aut fortè à negotiorum amplitudine, aut principum gratiâ vel inuitus euocatur. Exinde ad ſapientiæ acquirendæ faſtigium, ingratia Principum, & hominum ingratitudo, neceſſaria eſt, vt Sapiens inutilibus exemptus negotiis, vniuerſa eius vitæ ſpatia doctrinam ſpectent.

3\. Moyſes ille, Hebrææ, id eſt, diuinioris olim ſapientiæ apex; qui mortalium primus Librum condidit, diuinam ſapientiam de cæli ſcholâ plenè eructantem. De Moyſe ergo ita ſcripſit S. Baſilius: *Moyſes igitur is eſt, qui commentationem hanc ſcripſit* (Pentateuchum inquam) *Qui ab iis eſt expulſus, in quos ipſe beneficia contulit. Et Ægypti quidem libenti animo tumultus reliquit. Ad Æthiopiam autem vſque profectus, ibique otium nactus, totos quadraginta annos contemplationi rerum indulſit.* Paucis hic præſtringit Baſilius triplicem opportunitatem, quam nactus eſt Moyſes, vt conſummatâ eruditione polleret, quæ habentur Exodi 2. Prima fuit contribulium ingratitudo, quâ egregium in ipſorum fauorem facinus publicarunt: altera fuit, fuga à ſeculari regalis curiæ tumultu: tertia fuit, diuturni otij opportunitas, negotioſo otio occupatiſſimè vacans, totos quadraginta annos. Ecce tibi triplex elogium Biblico commentatori neceſſarium. Porro contribulium, & curialium ingratitudo Sapientem arcet à negotiorum tumultu, & ab Ægypto, id eſt, ſeculi negotioſis occupationibus; animumque vt ſeriò vacet litteris, egregiè ſubornat; atque præſtat vt homo litteratus *otium nactus*, ſeſe totum diſciplinis impendat. Ecquis peramplis ſeculi occupationibus obſeſſus, locupletem egit commentatorem? Sacræ litteræ totum ſibi hominem vendicant, & requirunt. Litteris neceſſariò detrahitur, quod negotiis vltrò impenditur. In diem viuit Sapientia, cui ingrata rerum ſecularium repulſa, de otio gratulatur. Profectò negotiorum inuidia, & rerum curialium ingratitudo, dum otium procurant, ad ſapientiam inuitant.

Baſil. in Examer. Congreſſ. 1. *Hominum ingratitudo Sapientem allicit ad otium ſapientiæ.*

Exod. 2. v. 14. & 15.

4\. Ioannes præuius Solis iuſtitiæ lucifer, Prophetarum apex, Euangelij vertex, veteris ac noui teſtamenti ſequeſter: qui in materni vteri caligine, Dei Verbum corporatum agnouit, & arcanum Incarnationis ſacramentum, eremi incola, digito demonſtrauit. Huius laudes celebrans S. Chryſologus, ſubtiliùs expendit illa Lucæ verba, *Vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium..... Et dixit Zacharias ad Angelum. Vnde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis*; & ſollerter indagans, cur Ioannes, Synagogæ, & Eccleſiæ magnus Doctor, è vetulâ & ſterili naſcatur matre, de eius natiuitate conſimili Iſaaci olim natiuitati, ſic fatur eleganter. *Nouerat Zacharias de Abraham & Sara emortuis extremâ ſenectute corporibus, & à patris, matriſque nomine famoſiſſimâ ſterilitate ſemotis, Iſaac ad totam fœcunditatem Iſraelitici germinis erupiſſe. Cui non obfuit tantum defuiſſe naturam, quantum naſci profuit authoris beneficio, non natura.* Expende hæc poſtrema verba. Scilicet, non tam Iſaacus, quàm Ioannes, (qui Præcurſor Dominici ſacramenti, & vtriuſque Legis eximius doctor venerat) amaram ſibi humanam naturam de parentum ſterilitate experiatur, & gratiæ beneficio ſe naſci ſentiat; ne valde afficiatur erga humanam naturam, quaſi ſibi beneficam, & illi de gratiâ natiuitatis obſequens adulетur. Ingratus ergo aduerſus illiberalem in ſe naturam naſcatur Ioannes, dum ex ſterilitate produiſſe cognoſcit. Præmaturè auerſetur naturam ſibi infœcundam, qui beneficio fœcundioris gratiæ naſcitur, aduerſus ſterilis naturæ iniuriam. Debeat Ioannes gratiæ, quod alij debent naturæ, vt vel naturæ commune debitum gratiæ Ioannes exoluat: & totus ſit gratiæ, qui ingratus naſcitur in naturam. Nempè parum foret Prophetarum maximo, & vtriuſque Teſtamenti doctori, ab ipſis cunabulis, à ſecularibus negotiis remotum in eremo ſapientiæ diuinæ vacare, niſi ad Sapientiæ conſummatum faſtigium, de parentum infœcunditate ingratus naturæ humanæ naſceretur: *Cui non obfuit tantum defuiſſe naturam, quantùm naſci profuit authoris beneficio, non natura.* Sic otium, & hominum ingratitudo cumulatiori Sapientiæ adulantur? Profectò magna & negotioſa ſeculi munera, non tam ſunt eruditionis fructus, quàm ſapientiæ ſublimioris inſidiæ: nam vniuerſa vitæ ſpatia doctrinam ſpectant, & quod negotiis inutiliter impenditur, diſciplinis detrahitur.

Lucæ 1. v. 18.

Chryſol. ſerm. 90. *Ioannes ingratus naſcitur in naturam, vt totū ſe debeat gratiæ.*

5\. Illuſtre illud Græciæ decus, Eccleſiæ ſidus, & Theologiæ nitor, Gregorius Nazianzenus, popularis inuidiæ fluctibus diu iactatus, procellæ furoris appulſu, domeſtici otij portum tenuit, inde omnigenâ eruditione conſummatus, otij lenocinio, Eccleſiam ore & ſcriptis illuſtrauit, ita de ſe fatur: *Quis ruſticitatem meam, & inſulſitatem non accuſabit, quod aſperum quiddam & agreſte loqui videar? nec multum in foro verſor, nec temerè & cum quibuſlibet garrio, nec nouam illam Ieruſalem, hoc eſt, Zeuxippum inuiſo, nec à domo in domum ſubindè commeo; verum domi, vt plurimum maneo, triſtis ac tetricus mecum ipſe.* Vide magni Doctoris notas, quas ſi bonâ ingenij indole aliquis præditus, in ſe expreſſerit, vel Nazianzenum poterit de ſapientiâ æmulari. Pergit Orat. 1. Apolog. *Cauſam porrò vel priſtinæ meæ quietis, ac puſillanimitatis, ob quam elongaui fugiens, peregréque à vobis haud exiguo fortaſſe tempore*, &c. Nota ad rem: temporum, quam fugit inuidiam, ſecedens in Ponti ſolitudinem, appellat Nazianzenus *Cauſam ſuæ quietis, ac puſillanimitatis.* Quaſi hominum ingratitudo & repulſa, ad res ſeculares fecerit Gregorium puſillanimum, puſillanimitas otij quietem ad eruditionem quæſierit, otij quies ſtudiis negotioſa, exquiſitæ ſapientiæ metam, Gregorium effecerint. Dum non multum in foro verſatur, nec Senatorum, procerum, aut curialium ædes frequentat, nec cum quibuſlibet garrit, nec à domo in domum ſubinde commeat; verùm domi, vt plurimum manet, triſtis ac tetricus, & ſecum ipſe. Quaſi quietis otium, & hominum ingratitudo ſit doctrinæ armamentarium, promptuarium eruditionis, & ſublimioris ſapientiæ conceptaculum.

Nazian. orat. 21. ad Arianos.

Sit Sapiens ſolus, ac tetricus, & ſecum ipſe.

Pſ. 54. v. 8.

§. CCCXXVIII.

§. CCCXXVIII.

Sat gloriæ eſt honorum cupidis, ſi cum potiſſimis comparentur.

1. AD primum locum ambitionis arrogantia contendit; qui à primo deſciſcit, ſolatium de illius proximitate habet, famam de ſingularitate non habet. Verùm caſtiganda eſt ventoſiſſima hæc animi nimis ſuperbientis elatio, & erudienda de ſcholâ virtutis; quin etiam & de vitij gymnaſio ſobrietas expetendi honoris imbuenda eſt. Sufficit honorum cupidis ſic plures vincere, vt potiſſimis comparentur. *Harta grandeça es, eſtar en la claſſe de los mas lucidos.* Qui à magnorum auguſto ſplendore non degenerat, ſat magnus eſt, etſi de eminentiâ ſupra reliquos ſibi non adulетur, nec alios extinguat vt ipſe præniteat.

2. Exodi 7. Dei populum ex Ægypto dimittere, pertinaciter barbarico faſtu Pharao recuſat; frangendus erat miraculis, qui vrbanâ ſuaſione minimè flectebatur. Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius; quæ verſa eſt in colubrum. *Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter. Proieceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Adſimiliter poſteà aquas Magi in ſanguinem conuerterunt, & ranas pariter magno numero fecerunt ebullire, calamitatis auctario. Expenſione digniſſimum eſt, *Sapientes* Pharaonis portenta adſimilia patraſſe, non quæ plagas auerterent, ſed quæ calamitatem augerent: quod acutè notauit Theodoretus his verbis: *Nam quia à Deo punitus Pharao plagis diuinitùs inflictis minimè caſtigabatur, Deus ſapientes & veneficos Pharaonis vltionem augere mandauit.* Scilicet Deus iuſtitiæ ſuæ furorem volens in regem Pharaonem effundere, quaſi parùm foret illum per hoſtilem populum caſtigare, per ipſiuſmet Regis *Sapientes* & miniſtros, velut Regis obſequio adulantes, acerbiùs ferit, & plagas geminato impetu exaggerat: Regem Pharaonem, & eius regnum, per ſuos *Sapientes* ac miniſtros duriùs punit Deus. Viderint Principes, an per ſuos *Sapientes* & miniſtros, adumbrato obſequij prætextu, acerbiùs quàm ab hoſte ſaucientur; & quidem à Deo, vindictâ Pharaoniani ſupplicij æmulâ: ô caue à ſapientiâ, curiali ambitione imbutâ! Caue à miniſtris bonum commune in propriam ſublimitatem, & vtilitatem deriuantibus! Hæc curſim in hoc loco perſtrinxiſſe non piget. Venio ad rem præſentem, vt thematis ſcopum collimem.

Exodi 7. v. 11. & 12.

Non ſatis caſtigaretur Pharao, niſi eius miniſtri & Sapientes plagas augerent!

Theod. ibi.

3. S. Cyrillus Alexandrinus bellè notat Pharaonis Magos feciſſe ſimiliter, ſic fatus: *Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter. Vt qui Moyſen carperet Magos adduxit; perinde quaſi diceret: Non vos ſoli miracula facitis, ſed & Magi qui apud nos ſunt.* Eſto, falſata Magorum ſigna, veris Moyſis miraculis detrahant, quaſi Peritia non tam de ſe, quàm de ſingularitate famoſa ſit: at imperitè & iniuſtè à Pharaone *corripitur* & reprehenditur Moyſes, quoniam Ægyptij *Sapientes* adſimilem oſtentant peritiam. Putauerim, quòd mentita imperitorum ſapientia, veræ ſapientiæ reprehenſio eſt, dum ſapientibus & inſipientibus ſit communis ſapientiæ titulus. Et ſanè ſat fuit arroganti Pharaonis ſuperbiæ, ſuos Magos *ſimiliter* feciſſe. Moyſes è virgâ ſerpentem fecerat, è fluuialibus aquis ſanguinem & ranas: nec Magi honorum ambitioſiſſimi, nec Pharao ſceptro barbarico arrogantiſſimus, maiora moliuntur portenta. Sine hæc licet in regni perniciem, & plagis plagas addant, ſat gloriæ ſe aucupaturum putat, ſi ſe exhibeat magno Moyſi ſimilem, poſſitque facere *ſimiliter*, & palàm dicere: *Non vos ſoli miracula facitis, ſed & Magi qui apud nos ſunt.* Satis gloriæ mihi eſt, ſi potiſſimis merear comparari; magno mei regni impendio, gloriæ compendium facio, dum Magnis ſimilitudinem præſumo, & ſuperbam ſingularitatis alienæ gloriam vel geminatâ calamitate declino: Vel à Pharaone ediſce appetendæ gloriæ ſobrietatem; qui nec Moyſis delere miracula, nec ad maiora conari præſumit. Satis ſe putat glorioſum, dum *ſimiliter* facit dicens: *Non vos ſoli miracula facitis.*

Exod. 7. v. 11.
Cyrillus ibi.

Mentita imperitorũ peritia, vera ſapiẽtia reprehenſio eſt.

Sat eſt ſuperbo Pharaoni non ſolum Moyſen feciſſe miracula.

Matthæi 25. Simile aſt regnum cælorum decem virginibus, (ô quàm excelſum eſt virginitatis faſtigium, cui potuit Eccleſia comparari!) quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: ſed quinque fatuæ, acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum: prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Mediâ autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas. *Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur.* Mirùm planè eſt, has virgines ſtultas animaduertentes ſe lampadum extinctione obſcuras, ſodaleſque ſuas lampadum ſplendore illuſtres, non intentaſſe illas extinguere, ne aliæ prælucerent; ſed ſuas accendere, quò *ſimiliter* fulgeant. Quod ſubtiliter notauit Euſebius Emiſſenus, ita hâc ſuper re fatus: *Et quidem illæ ſtultæ virgines, quamuis ſtultæ eſſent, non tamen alienas extinguere, ſed ſuas lampades illuminare cupiebant.* Sat gloriæ ſe adepturas putabant, ſi ſuam obſcuritatem deuitantes adſimilem aliis fulgorem accenderent. Non de aliorum extinctione fulgere præſumit, qui ſobrio claritudinis appetitu cum aliis æquè fulgere contentus eſt. Ideóque quæ ad ædificationem pertinent, ea in medio poſiti agere ſtudeamus, ne vitia noſtra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum feruorem tepor noſter debilitet, ne aliorum patientiam iracundia noſtra violet, ne aliorum humilitatem ſuperbia noſtra deprauet, ne aliorum ſanitatem infirmitas noſtra corrumpat, ne aliorum pulchritudinem

Matth. 25. 8.
Vel fatuæ Virgines, non alienas extinguere, ſed ſuas lampades illuminare ambiunt.

Emiſſen. homil. 7. ad Mona.

nem fœditas noſtra contaminet, ne aliorum ardentes extinguamus lampades, ſi noſtras illuminare non poſſumus. *Et quidem illæ ſtultæ virgines, quamuis ſtultæ eſſent, non tamen alienas extinguere, ſed ſuas illuminare cupiebant, vt adſimili claritate fulgerent.* Et Pharaonis arrogantia dixiſſe contenta fuit: *Non vos ſoli miracula facitis.* Sat honoris & gloriæ Dan conſecutus eſt, dum Patrem ſibi benedicentem
Hic v. 16. audit: *Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus Iſrael.*

---

§. CCCXXIX.

Qui ſe ſolum putat idoneum ad præcelſum munus obeundum, illud faſtidire ſolet: ſecùs ſi ſciuerit alios æque idoneos cenſeri.

1 NEMO eorum qui in Republicâ verſantur, quos vincat, ſed à quibus vincatur, aſpicit: & illis non tam iucundum eſt multos poſt ſe videre, quàm graue aliquem, qui idoneus ſit, vt ad idem, ſimileve faſtigium conſcendat. Cognatum eſt homini ſibi de dignitatis ſolitudine gratulari. Imò cùm ſe ſolum ſuſpicatur idoneum, præcelſum quod obit Munus, faſtidit, quâdam velut nauſeâ Dignitatis. At vbi cognoſcit, alios quoque idoneos cenſeri, munus ſuum libentiùs obit, nec officium exinceps detrectat, nec ad dignitatem vltrà nauſeat. *Quando nos pareçe que no ay otro para el pueſto, nos haçe mos de rogar: pero en viendo que ay otros de quien hechar mano, calla vn hombre, y paſſa por todo.* Neque ab hoc vanæ gloriæ fumo immunes prorsùs ſunt, viri quos Spirituales vocant. Affirmare non auſim, id ambitiosè fieri; nec dubitarim aſſerere, id ſæpè non ex humilitatis, aut perfectionis ſtudio proficiſci. Per me non ſit defectus in te moris, ſaltem cognatus homini affectus in naturâ lapsâ eſt, qui citra animi vitium poteſt accidere.

2. Exodi 4. Moyſes ille Ægypti quondã Princeps, principis fœminæ adoptione ſublimis, & ingenij bonitate & vtraque eruditione diu excultus; à Deo conſultiſſimè ad Hebræi populi principatum eligitur. Semel & iterum præcelſum munus contentiosè detrectat: & cùm iam illud acceptaturus videretur: *Obſecro*, inquit,
Exod. 4. v. 13. & 14. *Domine mitte quem miſſurus es. Iratuſque Dominus in Moyſem, ait: Aaron frater tuus Leuites*, &c. Plures ex interpretibus ſeriò cenſent, hîc Moyſem petere, vt promiſſus Meſſias confeſtim mitteretur, qui de Ægyptiacâ ſeruitute populum redimeret. Sed cur ipſe Moyſes tam contentiosè illam dignitatem vltrò ſibi oblatam refutat? Euſebius ita reſpõdet: *Moyſes quantum ad liberationem Iſraelis ex Ægypto pertinebat, prompto animo mandatum Dei non recuſabat: quantum verò ad populi ſui perſuaſionem, id inuitus recuſabat.* Sic arduum eſt cum imperito vulgo agere, eidemque perſuadere, etiam quæ ſua maximè intereſt? Sic eſt difficile cum ſuis agere, & cognatis imperare, vt qui Pharaonem non timet, nos cognatos ſic timeat? Mitto hæc. Et nota mihi ex his Euſebij verbis, quàm inidoneos putet Moyſes vel Iſraëlis ſenes ad ſublime educendi populi munus, & ad populi principatum, quandoquidem nec ad parendum idoneos iudicabat. An inde fortaſſe ad Præfecturam nauſeat, quia ſe ſolum ſuſpicatur idoneum? Quamuis id affirmare non audeam, ſaltem in medium proponam aliquam meæ ſuſpicionis coniecturam, quam fortè non leuem aliquis iudicabit. Nempe vbi ab electore Deo audit, quòd Aaron idoneus tanti muneris adminiſter cenſeatur, qui eouſque velut pertinaciter Dignitatem recuſabat iteratâ ſæpius muneris repulsâ; nec verbulum exinceps fecit, quo Præfecturam refutaret. Sed audiens: *Aaron Leuites, ſcio quòd eloquens ſit: ego ero in ore tuo, & in ore eius. Abijt Moyſes, & reuerſus eſt ad Iethro ſocerum ſuum, dixitque ei: Vadam, & reuertar ad fratres Meos in Ægyptum*, &c. Liceat ſic concionatoriè ad mores velitari; aliter ſeriâ pugnâ hunc locum olim exponabamus in Exodi commentariis.

Quàm ſit difficilè cognatis imperare.

Euſebius in Catenâ. Lip.

Vbi Aaron idoneus dicitur ad Præfecturã, illam Moyſes non recuſat.

3. Regum 19. Iezabele Eliam perſequente, errat Propheta per vaſtam eremum, vt muliebres, id eſt, inſanas eius fugiat iras. Anxiè ibi vitæ tædio mortem expetit: cæleſti alimoniâ tantiſper confortatus, inde migrat. Et ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hîc agis Elia? At ille reſpondit: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* Quid hoc dicis Elia? Occiſis Dei Prophetis, te ſolum ſupereſſe putas, vt prophetali fungens munere, vngas Hazaël in regem Syriæ, & Iehu in regem ſuper Iſraël? Ecce, ait Dominus, ego habeo in Iſrael *Septem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal.* Et paulò ante dixerat: *Eliſeum autem filium Saphat, vnges prophetam pro te.* Quaſi dicat Deus amicâ correptione: Solum te putas fidelem? ſaltem ſeptem millia viri, fideles etiam ſuperſunt. Solum te putas Prophetam? Eſto, id ita ſit: Vade, & *Eliſeum vnges prophetam pro te.* Tempeſtiuè S. Auguſtinus: *Hæc doctrina ad illum pertinet, qui cum profecerit, putat, quòd ipſe ſolus ſit bonus. Et hæc cogitatio, fratres, etiam Eliam tentauit.* Quandò hæc cogitatio Eliam tentauit, niſi quandò ſemel & iterùm faſtidioſus repetiuit: *Relictus ſum ego ſolus?* ô nimis verè! Sed exinceps mutè tacuit.

3 Reg. 19. v. 10.

Ne de ſolitudine prophetiæ ſibi blandiatur Elias, Eliſæus vngitur in Prophetam!

Auguſtin. ſer. 222.

Vnde hîc verſ. 16. Iacobus, ne regiæ tribus Iudæ & Ephraim, ſibi de Principatus ſolitudine blandirentur, conſultiſſimè addit: *Dan iudicabit populum ſuum ſicut & alia tribus Iſrael.* Opportunè quidem. *Por que no ſe deſuanezcan penſando que no ay otros en el mundo, que puedan llenar los grandes pueſtos.* Hic v. 16.

* *
*

§. CCCXXX.

§. CCCXXX.

Pulchra femina venuſtatis præſtigio, re odij negotiatur amorem.

1. Ant. in Mel. p.2. ſer.33. *Pulchra feminæ elogia.* ARISTIPPVS mulierem paruam, ſed pulchram conſpicatus: *Paruum*, inquit, *pulchrum, magnum autem malum*, eſt enim mulier pulchra, damnum quotidianum, voluntarius hoſtis, compendium malitiæ, vitæ naufragium, viri captiuitas, virtutum tempeſtas, quietis euerſio, opum diſpendium, grata calamitas, gehenna appetibilis, & viuidus nequitiæ fomes: quæ non tantùm cùm arridet, placet; ſed etiam cùm diſplicet, arridet: ô caue vel ab hoſtilitate lenocinium! nam feminea pulchritudo etiam perſequendo, blandimentorum ſtipendia captat, voluptatis præſtigiis.

2. 3. Reg. 19. ſuæ Iezabeli nunciat Achabus, quo modo Elias omnes Baalis pſeudoprophetas gladio peremerit. Miſitque Iezabel nuncium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hâc horâ cras poſuero animam tuam ſicut animam vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas, & pertexit in deſertum, viam vnius 3.Reg.19.4. *Pulchra femina vel dirâ hoſtilitate virum allicit.* diei. *Cúmque veniſſet, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Parùm ſibi conſtat Elias, dum ad mulieris minas muliebriter expauefcit. Quid eſt, quòd quam fugit mortem, ſolertiùs expetat & precibus negotietur? ô Elia, ſi mortem non times, cur ad minas mortis expalleſcis, & per deſertum timidè exerrans, mortem effugere ſedulò conaris? Si autem expetis mortem, quam precibus tibi aſciſcere præſumis, quid mortem ſollicitiùs effugere contendis? Aut non debuiſſet mortem fugere, qui illam expetit: aut illam non expetere, qui illam fugit. Vtrumque ex alterutro redarguitur, vel non benè deſiderare, quod euitat, aut malè euitare, quod deſi- Rabanus ibi. derat. Verùm Rabanus Maurus moraliter in primis argutus, ſic tempeſtiuè reſpondet: *Elias timore percuſſus, de manu mulieris mortem fugit; de manu Dei mortem petit, nec accipit:* Scilicet Elias legis, & virtutis antiſtes, mortem non timet, quam anxiè percupit: at qui emori vehementiùs exoptat, venuſtæ Iezabelis interire manu recuſat, ne grata pulchritudo hoſtili cæde blandiatur, offensâ allectet, & ferociendo placeat: *De manu mulieris* (formoſæ Iezabelis inquam) *mortem fugit, de manu Dei mortem petit:* ô nouam & moraliſſimam Eliæ cautelam! Vel dira hoſtilitas, blandi lenocinij ſuſpecta eſt? Timet Propheta, ne Iezabelis ſæuitia placeat; & dum ferocit, arrideat? Sic pulchritudo allicit dum offendit? Inde præcauetur beneuolentia, vnde ſæuiores inimicitiæ timeri poterant? Sic vel in doloſo iniuriæ cinere, libidinis ſcintilla latet, quâ viri continentia decineteſcat? ô pulchram cautelæ hyperbolem, ſi res cautelæ admittit hyperbolem!

Celada *de Benedict. Patriarch.*

3. Matth.1.v.6. Matthæi 1. *David autem rex genuit Salomonem ex eâ, quæ fuit Vriæ.* David rex ſuſcepiſſe dicitur Salomonem *ex ea, quæ fuit Vriæ.* *Femina re odij negotiatur amorem, pulchritudinis præſtigio.* Quare Vriam, qui ad Chriſti genealogiam non pertinet, ſpeciatim nominat, & Bethſabeam tacet, quæ progenitrix Chriſti eſt, & inde cenſenda? Bethſabeam expreſsè nominandam, circumlocutione occultat; & tacendum Vriam nominatim expreſſit! Eleganter Paſ- Paſchaſ.ibi. chaſius ita ſuper hâc re ſcribit: *Bethſabee quoque adulterio fuſcata, ſimul & viri homicidio cruentata, meritò videtur prætermiſſa: ſaltem in ſilentio nominis, quia loquendo nequiuerat, quod turpe videbatur omninò tacendo tegeret.* Vide Euangeliſtæ modeſtiam in tegendis aliorum delictis, etiam de quibus loqui neceſſe fuit. Nota præterea quòd Euangeliſta Matthæus vel ſilentio Bethſabeæ homines ad continentiam erudit. Nam Bethſabea, vt venuſta, ſic impudica & cruenta olim femina, notæ libidinis, & impiæ in maritum crudelitatis famam, in nomine ſculptam præferebat. Vnde Euangeliſta non ſuperuacuè ſcrupuloſus, ſed cautè pudicus, refugit nomine proprio exprimere pulchræ, leniculæ, & facinoroſæ mulieris nomen, quaſi periculum pudoris, ſcopulum caſtitatis, & continentiæ naufragium. Velut dediſcit Euangeliſta turpis feminæ vocabulum, de impudentiâ notum, de crudelitate inuidioſum; ne dum inſinuat fœdum adulterium, & crudele patricidium, quod mulieris odium excitare debuiſſet, libidinis blandimento impudicitiam clanculùm ſubornet, dum re odij negotiatur amorem. Quod in Dalila, quæ hîc ad litteram ſignificatur, videre licet. Hic v.17.

§ CCCXXXI.

Peccati notitia, initium ſalutis eſt, & remiſſionis prognoſticon.

NEMO non benignus eſt ſibi iudex. Inde eſt, vt omnia meruiſſe ſe exiſtimet, & demeruiſſe nihil. Oculatiſſimus quiſque eſt ad ſua merita, ad delicta verò cæcus: exindè periculoſius ægrotat, quia ægrotare ſe neſcit. *Initium eſt ſalutis notitia peccati. Egregiè hoc mihi dixiſſe videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes.* Qui peccata ſua videt, & agnoſcit, corrigere ea poteſt; ad inuiſa allucinamur. Qui autem delicta in ſe non videt, aut videre negligit, remedium non quærit. Inſanabilis eſt morbus, qui ſalus putatur, & certæ mortis indubium prognoſticon. 1. *Qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult.* Senec.ep.26.

Geneſeos 40. accidit vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & piſtor Domino ſuo. Iratuſque contra eos Pharao miſit in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Ioſeph. Ambo ſomnium ſuum viderunt, quorum interpretandorum peritus Ioſeph, quidnam viderint, ſedulò ſciſcitatur. Narrauit prior Præpoſitus pincernarum ſomnium ſuum: *Videbam coram me vitem, in quâ erant tres propagines*, creſcere paullatim in gem- 2.

mas,

tnas, & poſt flores vuas matureſcere, &c. Reſpondit Ioſeph: Hæc eſt interpretatio ſomnij: Tres propagines, tres adhuc dies ſunt: poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum. Videns autem piſtorum magiſter quod prudenter ſomnium diſſoluiſſet, ait: *Et ego vidi ſomnium, quod tria canistra farinæ haberem ſuper caput meum*: & in vno caniſtro, quod erat excelſius, portare me omnes cibos qui fiunt arte piſtoriâ, aueſque comedere ex eo. Reſpondit Ioſeph: Hæc eſt interpretatio ſomnij: *Tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt, poſt quos auferet Pharao caput tuum*, ac ſuſpendet te in cruce, &c. Tametſi in confeſſo omnibus ſit, Dei inſtinctu Ioſephum hæc ſomnia interpretatum fuiſſe; nihilominùs Hugo Carenſis ſagaciſſimus moralitatum indagator, acutè perquirit, in quonam Ioſephus adſimilis ſomnij diſſimilem interpretationem fundarit: & his verbis tandem reſpondet: *Quod ſupra caput eſt, non videtur à portante. Sic mali grauantur ab oneribus ſuis. Boni è conuerſo, non in capite, ſed in pectore portant onera ſua, & vident quæ portant.* Nempe Præpoſitus pincernarum, qui in ſuo miniſterio deliquerat (vt docent Hebræi) *videt coram ſe* id, in quo deliquerat. At piſtorum magiſter, non coram ſe, ſed *ſupra caput habet* offenſam, & inde nullatenùs viſioni idoneam: ô certum damnationis augurium. Offensâ grauaris, & offenſam portas, vbi eam non videas? Proculdubiò atrociter damnaberis. Non ita criminis ſocius, qui coram ſe habet offenſam, Eam in manibus portat, & ibi habet, vbi eam videt, quod liberationis indicium eſt, & remiſſionis auſpicium. Quaſi ſceleris cognitio, ſit immunitatis præſidium, atque delictorum aſylum; & cui de remiſſâ offenſâ prope gratulari poſſis: *Videbam coram me vitem*, &c. *Boni non in capite portant onera, & vident quæ portant. Quod ſupra caput eſt, non videtur a portante. Sic mali grauantur ab oneribus ſuis.* Eleganter quidem Hugo.

Peccatum in manibus, eſt veniæ prognoſticon.

Geneſ. 40. v. 16. & 18.

Hugo ibi.

3. Pſal. 50. Dauid pœnitentium idea, geminati ſceleris remiſſionem anxiè ſupplicat, ſic aiens: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et quo titulo tanti flagitij remiſſionem depoſcit? *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Super quibus verbis expendit S. Auguſtinus ante Nathan Prophetæ monitionem non ſatis Dauidem habuiſſe perſpectam Dei offenſam: poſt correptionem verò eam penitius inſpexiſſe. Ergo ſic locum exſcribit, & ad thema præſens exponit Auguſtinus. *Miſerere mei Deus*, &c. *Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco, & delictum meum coram me eſt ſemper. Non poſui poſt dorſum meum, quod feci.* Et poſt pauca: Antè Nathani admonitionem, *Peccatum eius non erat coram eo, poſt dorſum erat quòd fecerat. Suam iniquitatem nondum agnoſcebat. Sed Propheta ad hoc miſſus, abſtulit a dorſo peccatum, & ante oculos poſuit.* Agnoſce titulum impetrandæ veniæ, imò remiſſionis prognoſticum. Quaſi dicat: Peccatum meum non eſt ſupra caput, nec poſt dorſum, ſed *coram me* vt offenſa pincernarum Principis: ergo alacris fauſtum augurium capto, & certam ſpem veniæ concipio: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum coram me eſt ſemper. Non poſui poſt dorſum meum, quod feci.* Id ſatagit malignus Dani ſerpens. *Mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò*, ne videat, vbi cadat. Hic v. 17.

Pſal. 50. v. 5. *Peccatum ante oculos, eſt remiſſionis titulus.*

Auguſt. ibi.

---

§ CCCXXXII.

Flagitioſius peccatum perfectâ ipſius cognitione curatur?

SCITE dixit Plutarchus: *Inter corporum morbos pernicioſiores ſunt hi, qui ſine ſenſu vacant: quod genus ſunt lethargus, capitis dolor, morbus comitialis, febres; ac hæ potiſſimum febres, quæ vitioſum humorem vehementer exacerbant, ac ſenſum velut in organo perturbantes, mouent chordas non mouendas mentium. Quapropter medici concedunt quidem vt ægrotet homo, at ita ſi qui ægrotet, non ignoret ſe male habere.* Tantine intereſt, vt æger corporis morbum non ignoret, aut animi ægritudinem cognoſcat? An cognitione ſanandus eſt? ô exprompeum remedium, & facilè parabilis medicina! 1.

Plutarch. in lib. vtrum grauiores ſint animi morbi, quàm corporis.

Numerorum 21. ſceleſtè deliquit populus in deſerto. Quam ob rem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt, Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum & te: ora vt tollat à nobis ſerpentes. Orauitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet*: ô arcanum medicinæ ſignum! Solo ſerpentis virulentè mordentis adſpectu, venenatus morſus confeſtim ſanatur? *In ſignum* dicitur poni hic ſerpens æneus, qui dum videtur, ægroto medetur. Cuiusnam rei *ſignum* eſt? Quid in nouâ lege adumbrat hic venenatus ſerpens, morſu occidens, & ſui aſpectu ſanans? Belliſſimè Cæſarius Arelatenſis, ſic ad thema præſens opportunè locum exponit: *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. Sed etiam modo*, inquit, *medela, ſi volumus contra morſum ſerpentis, viſo ſerpente confertur. Quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipſius peccati cognitione curatur.* Et paulò antè dixerat: *Quò confugientibus tam prompta aderat ſalubritas medicandi, quàm velox inerat facilitas intuendi. Sequebatur certum ſub momentaneâ contemplatione remedium, quia latebat in ſerpente myſterium.* Elegantiſſimè pariter ac moraliſſimè. Scilicet ſerpens, qui lethaliter momordit, dum ſui aſpectu curat, peccati remedium adumbrat ineffabili myſterio. Porrò perfectæ peccati cognitioni ſic cognata eſt perfecta peccati deteſtatio, & inde remiſſio, vt hæc per ipſam cognitionem compendio explicentur. *Quo confugientibus tam prompta aderat ſalubritas medicandi, quàm velox inerat facilitas intuendi. Quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipſius peccati cognitione curatur.* Nempe quiſquis clarâ cælitùs mente delicti malitiam pernoſcit, & penitiùs conſiderat, quòd peccatum eſt grauis Dei offenſa, 2.

Numer. 21. 8.

Ioan. 3. v. 14.

Peccatum [illegible] peccati [illegible] curatur!

S. Cæſarius [illegible] ho. 4.

vitiat

viuax animi peſtis, animi mors, mortis vita: cui cælum clauſum eſt, cui hiat infernus, cui fumat gehenna; ſic Peccatum deteſtatur & horret, pœnitentiâ huius viuidæ cognitionis ſequelâ, vt ipſi cognitioni peccati medela præmaturè imputetur, dum dicitur à Cæſario: *Peccatum ipſius peccati cognitione curatur.* Cognitione curari perhibetur, quaſi ſerò poſt cognitionem diceretur curare. *Eſta tan cerca el perdon del peccado del perfecto conocimiento del, que ſe dyera tarde que ſe babia perdonado, ſino ſe dyera (aunque con encarecimiento) que en el conocimiento ſe à perdonado.* Sic perfecta peccati cognitio cognata veniæ eſt? Quid exaggeratius?

3\. Pſal. 50. poſt geminatam adulterij & homicidij malitiam, infuſus lacrymis, ſacco & cinere volutatus, atque piâ ſqualoris ambitione,
Qui nõ ignorat peccatũ, ignoras reatum? ſingultibus propè intercluſâ voce, ſic ad Deum clamat Dauid: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Hinc efficaciſſimæ peccati remittendi cauſæ, aliam potentiſſimam adnectit: Amplius laua me ab iniquitate
Pſ. 50. v. 5. mea, & à peccato meo munda me: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me* (id eſt, *coram me*, vt plerique vertunt) *eſt ſemper*: ô allegationem parùm idoneam! Cognouiſſe ſuum ſcelus, titulus erit ad veniam? Delicti ſupplicat indulgentiam, quia ſe deliquiſſe videt? Tempeſtiuè idem Are-
S. Cæſarius hom. 4. latenſis præſul: *Peccatum ipſius peccati cognitione curatur. Ac ſi homo quando dicit cum Propheta. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper: quando benè reſpicit peccatum ſuum, ſanat morſum ſerpentis per ſerpentis aſpectum.* Scilicet Dauid priùs magnam miſericordiam aduocat, qua auxiliari cognoſcit peccatum ſuum, quod anteà vix cognoſcebat, & viuaci cognitione eius malitiam expendens, & penitius perſpectans, illud abolere præſumit: quando peccatum ipſius peccati cognitione curatur. Sic perfectæ peccati cognitioni venia peccati appropinquat, tam arctâ affinitate ſubnectitur, vt penitiori delictorum cognitioni præmaturè venia imputetur, certiſſimæ illationis priuilegio. *Quando benè reſpicit peccatum ſuum, ſanat morſum ſerpentis per ſerpentis aſpectum. Vnde meritò peccati cognitionem allegat Propheta, aiens: Amplius laua me ab iniquitate meâ: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum coram me eſt ſemper.* Ac ſi dicat, Non
Hic v. 17. *cecidi retrò*, non videns vbi cecidi: cecidi in faciem meam; quia ibi cecidi, vbi video. Dum non ignoro peccatum, iam mihi videor ignorare reatum. Quando Sanctus Gregorius, & S. Cæſarius perfectæ delictorum cognitioni veniam imputant, non id intelligunt
2\. formaliter, (procul calumnia) ſed cauſaliter, certâ deteſtationis ſequela, quæ delictum abolet.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

§. CCCXXXIII.

Reproborum eſt retrorsùm cadere, quia ibi cadunt, vbi non vident: iuſtus autem in faciem ſuam cadit, quia ibi cadit, vbi videt.

CORPORIS morbi pulſibus arteriarum, aut coloris rubore deprehenduntur, hoſque feruor, aut facilis laſſitudo ſolet arguere. Contrà animi mala pleroſque ita fallunt, vt non habeantur pro malis: nimirùm ob id ipſum periculoſiora ſunt, quòd ſui ſenſum adimunt ægrotanti. [illegible] corporis morbos ratio ſana percipit: & animi morbos ipſa ſimul ægrotans non poteſt de ſuis iudicare malis, quibus laborat; propterea quòd ægrotet ea pars, cuius erat iudicare. Hinc peccati maligna cognitio, ignorationem fortè dixeris; vel potiùs cognitionem ignorantem. Q[illegible] cognitio eſt, peccatum incurrit, quà veluti ignoratio, ad malitiæ grauitatem malignè attendit, vnde in peccatorum baratrum præcepit ruit. Delinquit Iuſtus, delinquit & peccator. Ille videt malum, in quo incidit, & citò reſurgit: iſte malè videt, & ſupinè quò cadat, ignorat: exinde proſtratus diu iacet ad æternam ruinam. 1.

Ioannis 18. Egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius. Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum: quia frequenter Ieſus conuenerat illùc cum diſcipulis ſuis. Iudas ergo cùm accepiſſet cohortem, & à Principibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis & facibus, & armis. Ieſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus; Ego ſum. *Vt ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorsùm, & ceciderunt in terram.* Eccur Chriſti verbis diuinitate armatis, proditor Diſcipulus, & ſcelerata cohors retrorsùm cadunt? Præſtaret vt antrorsùm corruerent, & caderent in faciem ſuam, quò tanti miraculi patratorem vel inuiti adorarent: nam Biblico idiomate honoris causâ in faciem ſuam cadere dicitur, qui venerabundus aliquem adorat: ô vtinam ad miraculi auctarium, non proni, ſed reſupini cecidiſſent. Vidit hoc S. Gregorius quâ pollebat ſagacitate, & quo vigebat ingenij acumine, ſic argutè reſpondet: *Abierunt retrorſum: Quid autem*, inquit, *hoc quod electi in faciem, & reprobi retrorſum cadunt, niſi quod omnis qui poſt ſe cadit, ibi cadit, vbi non videt: qui verò ante ſe ceciderit, ibi cadit, vbi videt?* Scilicet ſæpè Diſcipuli, & qui Chriſtum adoraturi accedebant, in faciem dicuntur cadere, quod Electorum eſt, qui vbi cadunt, vident. Vident fidei oculis malitiam peccati, in quod incidunt; vident gehennæ baratrum, in quo peccatis præcipites corruunt; vident miſeriarum Iliadem, in quam delinquendo prolabun-

2\. *Electi in faciem ſuam cadunt, reprobi retrorſùm: & quare.*

Ioan. 18. 6.

Greg. hom. 9. in Ezech.

tur : vnde iuſtus & electus in faciem cadere dicitur, *quia ibi cadit, vbi videt.* At verò Iudas cum ſceleratâ cohorte, *retrorsùm cadit*, vt cadendi habitus ſit reprobationis omen, & damnationis indicium : quia vbi cadat, non ſatis attendit, & barathrum in quo corruit malignè videt, aut ſupinè ignorat : & inde ſupinus cadit *retrorsùm*; *quia omnis qui poſt ſe cadit, ibi cadit, vbi non videt.* Heu lynceos reproborum oculos ad ambitionis faſtum, ad honorum faſtigium, ad voluptatis delicias; caligantes & ſemicæcos ad malitiæ attentionem, ſeu peccati malitiam, & ſequelas malitiæ ruinas! Cadere hominis eſt : ſepties enim in die cadit iuſtus; ſed reſurgit; quia vbi imbecillitate cadit, attentius videt. At reprobus, quia negligit vbi cadat, attendere; retrorsùm cadit, vnde nunquam reſurgit : ô time, quiſquis non ſatis attendis ad immenſam peccati malitiam, & pœnas malitiæ appendices!

3. *Surgere à peccato potis David, quia illud poſt tergum non abiecit.*

Pſalmo 50. hic titulus præſcribitur : In finem, Pſalmus Dauid, cùm venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethſabee. Nempè cruento adulterio Dauid delinquit, de multiplici flagitio admonitus, confeſtim ad Deum clamat, veniam ſupplicans: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. (Pſalm. 50. v. 4 & 5.) Et quaſi hic veniæ impetrandæ titulus non ſufficeret, alium etiam addit, vt notant interpretes : *Amplius laua me ab iniquitate meâ, & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Hæccine idonea ratio ad extorquendam flagitij veniam? (Auguſt. ibi.) Auferenda eſt à me iniquitas mea, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco? Tantíne cognitio iniquitatis facienda eſt? Audiendus eſt S. Auguſtinus ad rem præſentem luculentus interpres, qui ſic vertit, & exponit locum : *Magis, magiſquè laua me ab iniuſtitiâ meâ, & a delicto meo munda me. Quo merito? Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum coram me eſt ſemper. Non poſui poſt dorſum meum quod feci.* Quaſi dicat : Hoc iure & merito expeto à peccati lapſu reſurgere; quia peccatum meum coram me eſt, neque illud poſt dorſum poſui. Ingenuè fateor, quòd cecidi, ſed non cecidi retrorsùm, nam delictum meum ego cognoſco, & coram me eſt, qui eſt habitus iuſtorum cadentium. Nam *omnis qui poſt ſe cadit, ibi cadit, vbi non videt : qui verò ante ſe ceciderit, ibi cadit, vbi videt.* Antrorsùm cecidi, in faciem meam cecidi : quia *delictum meum coram me eſt ſemper : non poſui poſt dorſum meum quod feci.* (Hic v. 17.)

Hic verſ. 17. non tam ſatagit malignus ille ſerpens, vt homo in faciem ſuam cadat, quàm vt cadat retrorsùm : *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemitâ, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.*

---

§. CCCXXXIV.

Eſtne pia virtutis arrogantia ferientem vitiorum vulnere, eodem telo ſtrenuè referire?

VEHEMENS paſſio, acriſve tentatio temeratiè facit audaces; paſſioni aut tentationi ceſſiſſe, nuper audaces reddit puſillanimes. Sed gratulor Peccatori vitiis adſueto; imò copioſæ redemptioni, quâ Chriſtus Deus homines præmunüit, vt præſidio gratiæ obarmati, ipſa delinquendi miniſteria poſſint reddere inſtrumenta gratiæ; & armis, quibus victi ſunt, victores hoſtes valeant exarmare; & velut vitiis ipſis, & humanis paſſionibus ad virtutem iuuari. Quod acumen Auguſtinum non latuit: *Affectu*, inquit, *pariter & profectu aſcendamus poſt Chriſtum: etiam per vitia & paſſiones noſtras. Quomodo per paſſiones noſtras? Si vtique vnuſquiſque noſtrûm ſubdere eas ſibi ſtudeat, ac ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtruit, quo poſſit ad ſuperiora conſcendere. Eleuabunt nos, ſi fuerint infra nos. De vitijs noſtris ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus.*

1. *Vitia ipſa & paſſiones iuuant ad virtutem!*

Aug ſer. 3. de Aſcenſ. qui eſt 176. de Temp.

2. 2. Reg. 11. 4.

2. Reg. 11. Dauid ille ſtrenuus nuper virtutis athleta, Dæmonis aſtu, otij negotio, & carnis illecebris, oculorum ſuorum telis acerbè feritur : *Miſſis itaque David nuntijs, tulit eam*, (Bethſabeam inquam) *quæ cùm ingreſſa eſſet ad illum, dormiuit cum eâ.* Quin & flagitium flagitio cumulat, & adulterium homicidio exaggerat. Vide illuſtrem propugnatorem, qui anteà ſæpè Diabolo fauces eliſerat, laſciuiæ & ſæuitiæ telo miſerè vulneratum. *Verùm ne animo concidas*, (ait eleganter Baſilius) *néve turberis cum audis vulneratum. Qui vulneratus, pugnator optimus eſt, & ferientem eodem telo referire poteſt.* Pergit Seleucus : *Nam etſi vulneratus, victoriam perſecutus eſt; ac totâ licet acie corruiſſet, celerius ſurgere ſe, quam labi comprobauit. Bellator quouis tempore victor; & medijs in hoſtibus perdurans inuulneratus, magna quadam res eſt, & admirabilis : longè verò admirabilius vulneratum pugnam non perdere, nec hoſti, qui vulnerarit, eâ re lætitiam adferre. Ex hoc enim videntes docet, neque oportere percuſſum ab hoſte victoriam perdere, neque ſaucium ex infortunio ſuo claudicare in officio, neque collapſum iacere, & ſecundam ſuſtinere plagam, neque hoſti gloriæ occaſionem præbere.* Bene eſt, Dauidem ſemel & iterùm percuſſum, hoſti tamen non ceſſiſſe puſillanimum; ſed adhuc alacri & pugnaci robore bellum redintegraſſe, hoſtemque glorioſè peremiſſe : ſed miriſſimum eſt, *Ferientem eodem telo referire potuiſſe.* An homicidium homicidio eluit, & libidinem libidine expunxit? Putò non benè paſſiones paſſionibus curantur. Verùm (vt aliàs ex Nazianzeno rependimus) homini licet, *Libidinem ad Deum transferre*, adeò vt ab ipſo Nazianzeno, eximia poſt lapſum caſtitas, dicatur, *Splendor libidinis.* Quod ſubtiliter

Baſil Seleu. orat 17. *Dauid eodem telo ferientem referit.*

Luce 13. v. 8. S. Gregor. in Catena ibi.

tiliter edocuit Gregorius exponens illud Lucæ 13. *Domine, dimitte illam* (ficulneam ſterilem) *& hoc anno vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora.* Ad quæ verba ſic ſcribit: *Peccata carnis ſtercora vocantur, ex ſtercore igitur ad fructum reuiniſcit arbor, quia de conſideratione peccati, ad bona ſe opera ſuſcitat animus.* Ecce tibi Dauid, ſe ferientem eodem telo referit, dum occaſione perpetrati fœdioris delicti, ad omnes ſanctitates ſuſcitatur eximiè, quod ſinguli penè Pſalmi clarè ad noſtram eruditionem perſonant.

3. Matth. 1. v. 6. Brux. ibi.

Vxor marito, Dauidi Bethſabea ſuccedat. Matthæi 1. *Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.* Et cur notiſſimum Bethſabeæ nomen ſubticet Euangeliſta, & flagitij vocabulo eam indigitat? Lucas Bruxenſis Biblicâ eruditione & polito ingenio illuſtris, ita hâc ſuper re ſcribit. *Ita circumlocutum eſt*, inquit, *ipſam Bethſabee, vt monſtraret, tantùm abfuiſſe, vt ob crimina huius mulieris occaſione perpetrata, reſciderit Deus promiſſa Dauidi facta, vt etiam ei placuerit, huius mulieris merito fidem ſuam liberare, gratiâ ſuperabundante ob pœnitentiam, vbi abundauerat iniquitas.* Ecce tibi elegantem panegyrim pœnitentiæ, cuius arcanum meritum ipſas miniſteriales malitiæ illecebras reformat ad gratiam. Non enim Bethſabea proprio vocabulo ab Euangeliſtâ inducitur, ſed mariti adulterio offenſi nomine deſignatur; tum, vt facilè impudica denotetur; vt etiam, vt Dauidis blandè ferox & truculenta libido perſtringatur, ad malitiæ exaggerationem, vel potiùs ad exaggerationem diuinioris clementiæ, cui ſic blanditur pœnitentiæ meritum, vt ob tam crimino ſa flagitia, non tantùm non reſciderit magnificas promiſſiones Dauidi factas, ſed miniſterio eiuſdem leuiculæ mulieris, quæ fuerat criminum illecebra, eaſdem cumulatiſſimè adimpleuerit gratiâ vbertim exundante. Itaque pœnitentia vſqueeò ſuperabundanter malitiam eluit, vt ipſiſſima illa Bethſabea, quæ fuerat incentiuum delicti, libidinis officina, matrix adulterij, homicidij lenocinium, & tantæ ſtragis facilis occaſio; illa, illa, inquam, (expuncto iam ob viuidam pœnitentiam flagitio) aſſumpta ſit in miniſterium recuperandæ gloriæ, & nouis incrementis augendæ. Quippe quæ Salomonem enixa, & Dauidici regni ſceptrum in æternum firmauit, & Dei verbum miniſteriali officio arcanè corporauit: quæ eſt auguſtioris laudis hyperbole, & humanæ gloriæ glorioſior meta. Scilicet quaſi parum foret enorme oblitteraſſe flagitium, ipſa etiam delinquendi inſtrumenta, & delicti illecebras ſublimat ad gratiam: ô miriſſima rerum metamorphoſis, dum ſcelus virtuti auxiliatur! ô arcana gratiæ facinora, quæ atrocioris offenſæ miniſteria ſic ad gratiam reformant!

Ad Rom. 5. v. 20.

Bethſabea auper delinquendi incitamentum, ſit gratiæ adminiſtra.

4. *In Magdalenâ venereus fomes in obſequium pudoris refingitur?*

Lucæ 7. dum Phariſæus ille, ſuperbus Chriſti inuitator, veſte clarus, primus in ſigmate, in ipſis oculis Chriſti tumens; epulas homini, non Deo feſtiuus putabat apponere; ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, quia diffamia ſua famam totius tetigerat ciuitatis: ſicque iam non peccatrix ſolum, ſed ipſius ciuitatis facta fuerat ipſa peccatum. Hæc cognouit, quòd niſi ab illo ciuitatis peccatum non poterat auferri, qui ſolus mundi venerat abolere peccatum. Et ſtans retrò ſecus pedes Ieſu, *Lacrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat.* Ad quæ verba ſic bellè Chryſologus ad rem præſentem. *In peccatricis caput purgandis crinibus refluebat vnda, vt ſuo fonte mulier in nouum baptiſma ſuorum diluerit illuuiem peccatorum: vt iuxta Pſalmiſtam: verticem capilli; ex quo ambulauerat in delictis ſuis, in ſanctitatem tali verteret ſeruitute.* Vide mihi venuſtam feminam, quæ criſpatæ laqueis capillaturæ, ſedulò incautæ iuuentutis inſidiabatur pudori, pro eorundem capillorum lenocinio, libidinem ſiſtere, & omnes ſanctitates negotiari, officioſitate merendi. Illicium cupidinis, miris gratiæ modis blanditur pudori, pœnitendam eluit libidinem, & omnes ſubornat ſanctitates; dum *verticem capilli, ex quo ambulauerat in delictis ſuis, in ſanctitatem tali verteret ſeruitute*, & Veneris fomes in obſequium pudoris refingitur: ô gratiæ facinora!

Lucæ 7. v. 38.

Chryſ. ſer. 93

Pſ. 67. v. 22.

5. Dauid Chriſti Dei præclarus typus, *ferientem eodem telo referire potuit*: ſic Chriſtus per mortem, quâ illum ferire Infernus dirè machinatus eſt, mortem deuicit, & expoliauit Infernum. Quod eleganter Petrus Rauennas his verbis deſcribit, exponens illud Symboli: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Audis crucifixum*, inquit, *vt nobis ſalutem perditam per quòd perierat, reparatam eſſe agnoſcas; & ibi videas pendere credentium vitam, vbi mors pependerat perfidorum: audis ſepultum, ne mors putetur illuſa.* Penſanda ſunt quæ ingenioſè ſubſcribit: *Hæc eſt diuina virtutis inſigne, cùm mors morte moritur: auctor mortis proprio mucrone truncatur: prædo capitur ſuâ prædâ; infernus vitâ dirumpitur deglutitâ.* Ecce Chriſtus, Dauidis ſoboles, & antitypus, ferientem eodem telo referire potuit. Et Samſon hîc eiuſdem typus, quo à Philiſthæis vinci credebatur, eoſdem deuicit.

Chryſ. ſer. 57

Inſigne Chriſti eſt mortem morte deuiceré.

Hîc v. 17.

---

§ CCCXXXV.

Violenta ſubditorum oppreſſio, Redemptorem vindicem expetit?

1. ANNON verus illud verum ſemper, quo Gubernatorum ſeueritas multæ lenitati admiſcenda inſtruitur? Pœna in paucos, metus ad plures eat, ita ferè cadunt fulmina, paucorum exitu, plurimorum metu. Portò diſtrictior Gubernatoris acerbitas, quæ ad quoſuis ſuſurronum afflatus armat dexteram, quibuſuis ſuſpicionibus ad rigores inquietatur, in obuias culpas ferocit, tyrannum potiùs quàm Gubernatorem agit. Oppreſſæ autem multitudini mitiſſimus Deus, acerrimus vindex adeſt, ne ſuos homines impunè perire patiatur. Nec adeſt tantû diuinioris prouidẽtiæ ope, quò oppreſſum populû à crudeli principe aſſerat; ſed ipſe per ſe ipſum adeſt Redemptor, quaſi violẽta ſubditorum oppreſſio Redẽptionẽ expetat, intolerabilis violentiæ clamoribus. Oſee 13. Hebræorum genti iratus Deus, ita acerbiùs minitatur: *Dabo tibi Regem in furore*

Cur violenti Principis motio, memoriâ excitet Redemptoris?

…ro. At contestim miſericordiâ tactus erga populum Regis violentiâ diù vexatum, ita mox ſubdit: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Quæ verba de Verbo incarnato, redemptione peractâ, mortem deuorante, & infernum diripiente, vulgo interpretantur.

2\. Hic verſ. 18. dum ſigillatim Iacob propriâ
Hic verſ. 18
benedictione aut prædictione ſingulos inſignit Patriarchas, cùm ad Dan ventum eſt, ſic altè vaticinatur: *Dan iudicabit populum ſuum ſicut & alia tribus Iſrael. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita. Salutare tuum expectabo Domine.* Cùm dicitur, *Dan iudicabit*, pulchra eſt Hebraïcè paranomaſia, nẽpe דן ידין *Dan iadin*, id eſt, *iudex iudicabit*. Non mirarer, Dan vnum è duodecim illis Patriarchis, & principibus populi Dei, cùm iudicem ageret, eſſe *colubrum in via*, id eſt, iis, *qui in præſentis vitæ latitudine ambulant. At quis neſciat, ſemitam anguſtiorem eſſe quam viam?* verba ſunt S. Gregorij. Miror maxime eſſe *ceraſtem in ſemita*, & magnum Patriarcham, populi Dei gubernatorem, inſidiari etiam iis, qui per Euangelicæ perfectionis anguſtam ſemitam incedunt.
Gregor. 31. Moral. c. 8. [illegible]
Si incedentes per ſecularis vitæ latitudines perſequitur, his parcat quaſi illorum aduerſariis: ſi hos fatigat, illis parciturus videbatur. At nemo ab hoc ſeueriori Iudice tutus eſt, nemini eius acerbitas parcit, quò vexet omnes; pariter in ſceleſtos & pios eius furor debacchatur: *Fiet Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Quod ergo remedium in tantâ populi calamitate ſupereſt? Animaduerte Prophetæ verba quæ ſtatim ſubiungit: *Salutare tuum expectabo Domine.* Quorſum Saluatoris, qui Danita non fuit, nunc importuna recordatio? (quam nemo interpretum
Hic v. 18.
non notat) Imò opportuniſſima: nam acerbior ſubditorum oppreſſio, Redemptorem expetit, redemptionem accerſit, tacitâ calamitatis voce, & linguato oppreſſionis ſilentio. Adnecte notiſſimis aliis hoc Incarnationis ſecundarium incentiuum, vel ſaltem accelerandæ occaſionem. Concionatoriè agam cum concionatore Chryſologo.

3\. Mirum fortaſſis alicui videbitur, quanto cum
Lucæ 3. v. 1. & 2.
prophanæ eruditionis apparatu, præter Euangeliſtarum morem, S. Lucas caput ſui Euangelij tertium auſpicetur. *Anno* (inquit) *quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarchâ autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarchâ Ituræa, & Trachonitidis regionis, & Lyſaniâ Abilinæ tetrarchâ, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha*, &c. Lucaſne eruditum agit chronologum, an ſimplicem Euangelicæ veritatis denarratorem? Imò de eruditâ etiam chronologiâ
Corporatur Verbum, vt oppreſſos ab Herode liberet?
peritum Euangeliſtam, ſiquidem ex ſceleſtiſſimorum Principum commemoratione, appropinquantem Redemptoris aduentum biblicè eruditis inſinuare videtur. Quod elegãter aliàs obſeruauit Sanctus Chryſologus, elucidans il-
Matth. 2. v. 1. Chryſol. ſermon. 156.
lud Matthæi 2. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis. Quid eſt*, inquit, *quod tempore Regis nefandi Deus deſcendit ad terras? Quid eſt quòd quando non verus Rex, expulſurus tyrannum, vindicaturus patriam, libertatem redditurus aduentat? Herodes refuga gentis Iudaicæ, inuaſit regnum, libertatem abſtulit, prophanauit ſancta, confudit ordinem; quicquid diſciplinæ, quicquid cultus eſt aboleuit?* (nouam audi occaſionem noui ad terras corporati Dei aduentus) *Meritò ergo genti ſanctæ, quia humana deſunt, diuina ſuccurrunt, & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat qui adeſſet.* Scilicet ſic Deus tangitur ſubditorum calamitatibus, vt ipſemet carnem ſumat, quò eos vindicet à Principis diuâ oppreſſione. Hæcne aſſignabitur occaſio incarnationis diuini Verbi, & humanæ Dei natiuitatis, nempe vt ſubiectum populum liberet ab iniquo Gubernatore, ſubditos opprimente? Quid ergo exinceps faciat Deus, ſi iterùm ſubditus iniuſtè vexetur ſuperioris poteſtatis potentiâ? Venietne iterùm in aliâ perſonâ? an in eadem iterùm in terris corporatus apparebit? His necte expenſionem, quam iam iam ex eodem Chryſologo ſubiicimus.

Magno SS. Patrum & doctorum conſenſu conſtat, poſt trucem Antichriſti tyrannidem, poſtremi iudicij magnam diem palam celebrandam; vbi Chriſtus Deus viuorum & mortuorum ſupremus iudex coram apparebit. Sed 4
curioſiùs diſquirat aliquis, cur Chriſtus finale iudicium generaliter exerceat, quod iam ſingulariter celebratum eſt in cuiuſque obitu; Sciſcitabitur etiam quare Chriſtus ipſe illud celebret per ſe ipſum, non per Apoſtolos duntaxat, quibus duodecim ſedes donauit, vt totidem Iſraëlis tribus (id eſt, totum orbem) diiudicarent? Mitto plura, vt citiùs Chryſologi verba ſuperioribus adnectam.
Vt oppreſſos ab Antichriſto liberet, Chriſtus finale iudicium celebrat?
Nuper dixerat: *Quid eſt, quòd tempore Regis nefandi* (Herodis inquam) *Deus deſcendit ad terras? ..... Meritò ergo genti ſanctæ quia humana deſunt, diuina ſuccurrunt, & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet.* Nempe corporatur Deus occaſione etiam liberandi populum ſuum ab Herodis, & tot crudelium Principum tyrannide. Pergit ad rem Chryſologus: *Sic iterum*, ait, *Chriſtus veniet, vt Antichriſtum ſubruat, liberetur orbis, mundi perpetuetur libertas, ſeculi ſeruitus tota tollatur.*
Chryſ. ſermon. 156.
Violenta ſubditi inermis oppreſſio, ſic armat diuinas iras, ſic diuinum accendit furorem, vt non per Poteſtates diuinæ iuſtitiæ adminiſtras, debitas iniuſtæ oppreſſionis pœnas repetat; ſed ipſemet Deus primò fiat homo, & iterùm in ſemel aſſumptâ humanitate adueniat, vt opituletur ſubditis Poteſtatum iniuriâ violenter oppreſſis? Nimirùm vox cum libertate eripitur ſubdito, ſed violenta calamitas vocalis eſt, & Deum ipſum irremediabilis iniuriæ vindicem appellat, *& adeſt Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet.* Ne imbecillum & inermem putes, quem calcas ſubditum, cui diuinior Dei pietas militat, & ad cuius tutelam tota Dei armatur potentia. Qui hominem ſolum contemnis, ô time Deum hominem; qui homo factus eſt, vt hominem etiam vindicet ab iniuſta Potentium oppreſſione. Inter ſecundarias ſeu appendices Incarnationis cauſas, hanc acutè agnoſcit, & eleganter publicat Chryſologus: cuius fortè Iſaias c. 61. meminit, ſi eius verba penitiùs expendantur. Iſai 61. v.

***

§. CCCXXXVI.

§. CCCXXXVI.

Redemptionis humanæ adhuc perennat myſterium, quo Chriſtus Filij nomen Patri reſtituat in filijs, & pacem Deitatis inueniat?

1.
Nil tam dignum Deo, quàm hominum ſalus.

QVAMVIS Hæreticus effutit, periculoſam Deo corporationem; quaſi humana vilitas faſtigio diuinitatis periculum faciat, illamque egregiè deuenuſtet: tamen animoſa pariter ac vera Tertulliani vox eſt: *Nil tam Deo dignum, quàm ſalus hominis.* Hinc Redemptoris elogium, non tantùm hominibus ſalutare; ſed Deo etiam dignum, ſanctumque & honorificum, in ſacris Biblijs prædicatur. Quaſi quod humanam ſalutem dignè procurat, diuinæ gloriæ condignè militet totum.

Tertul. l. contra Marc. c. 27.

2.
Matth. 1. 21.

Matthæi 1. anxio Ioſepho in ſomnis apparet Angelus, ſicque illum alloquitur: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt: *Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Signatè ait, *Saluum faciet* de futuro, tametſi Ieſus in vtero matris ſaluationem ſeu redemptionem inchoarit quoad efficaciam, abſoluerit quoad ſufficientiam. Et quidem cum Prophetæ futura antedicunt myſteria, ac ſi iam olim forent exhibita, illa de præterito tradunt, quod neſcit nemo, qui in Biblijs aliquid ſcit. Quare ergo Angelus, qui Prophetæ perſonam induit, Prophetarum ſtylum hîc negligit? & agens de redemptionis myſterio, quod erat inchoatum quoad efficaciam, & abſolutum quoad ſufficientiam, de futuro illud enunciat; neque vtitur prophetico idiomate, quo propemodum ſine licentiâ propheticâ vti poſſet? Audiendus eſt Baſilius Seleucus, qui hâc ſuper re ita eleganter philoſophatur: *Ipſe enim ſaluum faciet*, &c. *Et fuit*, inquit, *myſterium, quod in hodiernum vſque diem myſterium permanet, neque vnquam myſterium non erit.* An alia etiam myſteria id non habent? Sic blanditur ſibi Deus de humanæ redemptionis myſterio, vt illud gratâ memoria iugiter renouet ad gratiam? Tanti facit ſacramentum ſaluationis humanæ, vt perpetuò inueniat ad meritum, & ad diuinam gloriam continuò reſtauretur? Nunquam dicitur præterita redemptio, ne vnquam redemptionis fructus ceſſare videatur? Semper durat, ſemperque durabit humanæ reconciliationis ſacramentum, terris proficuum, cælis glorioſum, cuius infinitum meritum vel Deum ipſum ſumptuoſius quodammodo locupletat. Hoc myſterium, quod olim, nunc, & ſemper erit myſterium, mundus cum Iacobo feliciter expectat: *Salutare tuum expectabo.*

Incarnationis myſterium, ſemper eſt, & erit myſteriũ.

Baſil. orat. 39.

Hîc v. 18.

3.

Sanctus Hieronymus Biblijs innutritus, quę altè de Incarnatione biberat, ſobriè ebrius arcanæ Sapientiæ poculo, hæc ſublimiſſimè eructat: Deus Chriſtus eſt, factus ex muliere, factus ſub lege, natus ex Virgine, paſſus in carne: omnia in cruce fixit, vt triumphans ea in ſemetipſo reſurgens in corpore: *Et Patris nomen in patribus Filio, & Filij nomen Patri reſtituens in filijs.* Profundè quidem Hieronymus, & ſententioſo cothurno. Non hîc diſquiram, quomodo Chriſtus Patris nomen reſtituat Filio Dei in veteris ac noui teſtamenti patribus, quod omitto lectorum ſpicilegio. Et ſollertius explorare iuuat, quo pacto Chriſtus auguſtum Filij Dei nomen Patri æterno reſtituat in filiis, quos per redemptionis myſterium adoptione generoſâ filiauit. Profectò humana tenuitas res Dei, quæ noſtrum captum longiſſimè excedunt, humano ſenſu & cenſu æſtimat, & de eis, niſi humano more loqui non eualet. Cúmque æternus Pater Deum Filium de ſua ſubſtantiâ ab æterno genuerit, pro exiguo hominum captu concipimus, Dei Filium Deo Patri debere illuſtre Filij Dei nomen. Quaſi perſona diuina poſſet eſſe alicuius debiti ſtipendiaria. Itaque Chriſtus Deus, naturalis Dei Filius, natus ex Virgine, paſſus in carne, vt homines ſuâ Paſſione redimeret, eoſdem redemptos, in filios Dei adoptauit, generoſum *Filij nomen Patri reſtituens in filijs.* Tantine adoptiua filiatio redemptione peracta, à Chriſto Deo æſtimatur, vt ſublime Filij Dei nomen æterno Patri reſtituat in filiis, quos redemptione adoptauit? Grande (vt ſic loquar) diuinæ filiationis debitum adoptiua iuſtorum filiatione Chriſtus reſtituit? Dei filius in redemptorem corporatur, vt Dei filios redemptione faciens, *Filij nomen Patri reſtituat in filijs?* ô illuſtrem redemptionis fructum, è cuius opulentiâ Chriſtus Filij nomen Patri velut reſtituit in filiis! Quid exaggeratius?

Hieron. in Argumento Euang. ſecundum Matth.

Chriſtus Filij nomẽ Patri reſtituit in filijs à ſe redemptis.

Paulus ad Timotheum 1. ita ſcribit: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Quæ Apoſtoli verba hoc eleganti gloſſemate S. Leo illuſtrat: *Fides enim vera iuſtificans impios, & creans iuſtos, ad naturæ ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſe inuenit innocentem. Et quia vnus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, per communionem ſui generis, ad pacem peruenit Deitatis, liberum habens de eius potentiâ gloriari*, &c. An ante redemptionem, in tanta apud homines peccandi concordia, in Deitate non inueniabatur pax? Ecquid humanum tranquillam Deitatis pacem turbare eualet? Hominum flagitiis æternum pacata & inturbabilis inquietatur Deitas? Et vbi eſt Dei inconcuſſa & inuariabilis conſtantia? Scilicet anthropopathôs de Deo loquitur S. Leo, vt argutâ hyperbole innuat excelſum Incarnationis, & Redemptionis elogium, hominibus planè ineffabile. Profectò natura humana primordialis delicti rea, ad Chriſtum naturæ ſuæ tracta participem, in eo acquirit ſalutem, in quo ſe inuenit innocentem. Et quia vnus eſt mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, in aſſumpto corpore redemptione peracta, *ad pacem peruenit Deitatis*, adeò vt liberum habeat de tanta potentiâ gloriari. O quàm altè facundus Redemptionis encomiaſtes loquitur Magnus Leo! Verbi diuini Incarnatio via eſt, qua per Redemptionem, quia vnus eſt mediator

4.
1. ad Timoth. 2. 5.

S. Leo ſerm. 12. de Paſſione.
Per Redemptionis meritum, ad pacẽ peruenitur Deitatis.

Dei & hominum Chriſtus Ieſus, *ad pacem peruenit Deitatis*. Euge ſancta perſonarum Trinitas, & indiuiſa Deitatis vnitas, in quâ Chriſtus Ieſus, verus Deus & homo, Redemptionis merito, cum hominibus *pacem inuenit*. Gratulor Redemptori, quòd *per communionem ſui generis ad pacem peruenit Deitatis*, cui liberum eſt de tantâ potentiâ, & felicitate gloriari.

---

§. CCCXXXVII.

Deus vt orantis vota adimpleat, aliquorum orationis vota contemnit.

1. Seneca l. 1. de Benef. c. 1.

QVIS noſtrum contentus fuit, aut leuiter rogari, aut ſemel? Quis non, cum aliquid à ſe peti ſuſpicatus eſt, frontem obduxit, vultum auertit, occupationes ſimulauit, longis ſermonibus, & de induſtriâ non inuenientibus exitum, occaſionem petendi abſtulit, & variis artibus properantes neceſſitates eluſit? In anguſto verò comprehenſus, aut diſtulit, aut timidè negauit, aut promiſit, ſed difficulter, ſed ſubductis ſuperciliis, ſed malignis, & vix exeuntibus verbis? *Nemo autem libenter debet, quod non accipit, ſed expreſſit.* Hucuſque Seneca & apud homines quidem verè. Errat autem quiſquis putat, Deũ concedendi dilatione abnuere poſtulatis, & expectatione poſtulantem torquere. Porrò Deus ſæpè audire diſſimulat orationem humanam, vt eam cumulatius dilatione impleat: & dum orantem dilatione laſſat, magis flectitur poſtulatis: & cùm expectatione torquet, munificentiæ aduletur, & dilatione donandi donationem exaggeret, arcanâ gratiæ officioſitate.

2. Geneſ. 12. 2. *Dulcius excipitur, quod aliquâ dilatione præſtatur.*

Geneſ. 12. Abraham diu improli, Saræ ſterilitate partum prohibente, optatæ prolis ſpem ingerit Deus: *Faciam*, inquit, *te in gentem magnam*. Et quidem exinceps totos viginti quinque annos frequenti oratione liberos expetit, prolem ſuſpirat, ardenti ſucceſſionis voto. Eccur Deus longâ nimis dilatione ſuum Abrahamum laſſat, & nimis prolixâ expectatione fatigat? Spe obtinendæ prolis immiſſa, orationem excitat, fiduciam erigit, ac vota inquietat; & tandiu differt annuere poſtulatis? Eſtne miſerendi auaritia, miſericordiæ redundantia; quæ Iſaaci donandi beneficium, dum prolixa expectatione protelat, dilatione ad gratiam exaggerat? Eleganter Caſſiodorus hâc ſuper re, aliorſum ita fatur: *Habet hoc enim humana conditio, vt celerius adepta, faſtidio ſint: dum omne pretioſum vileſcit oblatum: & contrà dulcius accipitur, quod ſub aliquâ dilatione præſtatur.* Nimirum diuturna expectatio, artificium diutius placendi eſt. Citò faſtidimus ad poſſeſſionem eius, ad cuius expectationem perdiu non hiauimus. Malè dulces ſunt deliciæ citò parabiles: facilitas rei obtinendæ nauſeam negotiatur: diuturna expectatio vota adipat, & dilatione poſſeſſionem erudit ad ſaporem; dum *omne pretioſum vileſcit oblatum: & contra dulcius accipitur, quod ſub aliquâ dilatione præſtatur*. Diu petant, vt diu deſiderent; diu deſiderent, vt votorum diuturnitate res obtenta ſaporem fœneretur. Vnde ſæpè Deus dilatione miſerendi miſericordiam exaggerat, opulentâ liberalitatis vſurâ, quæ de dilatione, gratiæ ſumptuoſius militat, votorum ſtipendiis. *Salutare tuum expectabo Domine*, inquit Iacobus hic verſ. 18. vt prolixâ ſeculorum expectatione Chriſti venturi votis felicius blandiatur, dum longâ etiam dilatione, placendi gratiam dulcius combibit.

Caſſiodor. lib. 9 epiſt. 4.

Hic verſ. 18.

Ioannis 2. Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptiás: *Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Ieſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Et quid eſt hoc duriuſculum verbum Chriſti ad matrem? Mater eſt, quæ rogat, & ſic matris preces quaſi abalienatione deuenuſtat? Pro aliis rogat, vt Dei matris officium expleat, & ſic eius oratio velut intempeſtiua reiici videtur? Filij gloriam piè exambit ex miraculi patratione, & abnutu excipitur? Contemnitne Chriſtus ſuæ matris petitionem? an tantiſper adimpletionem differt, opportuniorem captans miraculi occaſionem? *Sed numquid ideò Ieſus venit ad nuptias, vt doceret matres contemni?* (ait Auguſtinus) Minimè quidem. Nam hic qui videtur maternæ orationis *contemptus*, opportuna impletionis dilatio eſt, quæ adimpletionem complet ſumptuoſius. Belliſſimè ad rem præſentem Ennodius, cùm citius impetraſſet à Deo, quod impenſius poſtularat, ita ſcribit: *Ad cupita perductus maceror, quia quæ poſcebamus, Deo tribuente conceſſa ſunt. Numquid alicui acceſſit de lætitia occaſione quod torqueat, aut de meſſe gaudiorum egreſſa eſt planta triſtitia?* (nota quæ ſubtexuit verba) *Gratias Deo vero, qui vt vota impleat, aliquoties vota contemnit.* Scilicet Chriſtus rogantem non *contemnit matrem*, aiens, *quid mihi & tibi eſt mulier?* Sed magis idoneam captat occaſionem implendi quæ mater rogat, quæ mater cupit, quæ auidius mater exoptat, nempe vt miraculi gloria ſplendidius effulgeat. Itaque dilatione miraculi, non ingratus in matrem, ſed beneficus magis largitor exiſtit. *Gratias Deo vero*, (vtroque rogantis Mariæ filio) *qui vt vota adimpleat, aliquoties vota contemnit.* Planè eleganter Ennodius.

3. Ioan. 2. v. 3. & 4.

Deus vt vota adimpleat, aliquoties vota contemnit.

S. Auguſt. Tract. 8. in Ioan.

Ennod. l. 9. epiſt. 32.

---

§ CCCXXXVIII.

Obſtinata honorum recuſatio, Deum velut contentioſum facit, vt illam ſublimet.

O Quàm ignorant homines cupidi gloriæ, quid illa ſit, & quemadmodum petenda: bonitatis verba & facta imitari, maior malitia eſt. Candidatos omnes olim & nunc viros bonos dicimus, & præclaris muneribus apti vulgò apparent; & forſan digni eſſent, niſi ea appeterent, quorum aliàs digni ſunt. 1.

ſunt. Porrò honorum appetentia, aut quæ palam dignitatem ambit, aut quæ tectius illam procurat, ipsâ dignitate indignos facit. Honorum fuga, pia dignitatum ambitio eſt, ſuâ repulsâ refutans, quod meritis ambit. Quiſquis faſtigia aut non timet, aut non fugit, indignus faſtigio eſt. Vmbræ naturam ſplendor honoris æmulatur, fugientes ſequitur, ſequentes fugit.

2. Exod. 4. v. 2. & 3.

Exodi 4. diu multumque cunctatur Moyſes oblatum à Deo Hebræorum principatum admittere. Vt Moyſis animum flectat Deus, miraculo vtitur, quo omnes excuſationes eximat; vel forte, vt eius meritum exploratum faciat. Dixit ergo Dominus ad Moyſen: *Quid eſt quod tenes in manu tuâ? Reſpondit: Virga. Dixitque Dominus: Proyce eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.* O velut puerilem viri magnanimi timorem! A propria virgâ, ſeu ludicro ſerpente fugit Moyſes? Puto, exploratam timore puſillanimitatem reiiciet Deus, nec vltrà habilem cenſebit Moyſen ad præfecturam. Audiendus eſt Beda, qui præfata verba ita exponit: *Quod ad hiſtoriam pertinet, Virga quæ in manu Moyſi fuerat, & in colubrum verſa eſt, ſignificat vt Moyſes Dei poteſtati crederet, & plebs Moyſi, & Moyſes Pharaonem non timeret.* Benè eſt, quod Moyſis Virga paſtoralis, ſignificat poteſtatem, in quo interpretes conueniunt: Sed quare hancmet virgam paſtoralem in ſerpentem conuerſam prius timet Moyſes, vt *Moyſes Pharaonem non timeat?* Nempe priùs time poteſtatem aut præfecturam obeundam, ne poſtea dum eam exerces, timeas ſubditorum potentiam. Qui non fugit dignitatem, nec præmaturè eam timet, puto, timebit ſubditos, nec eualebit in potenter contumaces irrumpere. Præuius obeundæ præfecturæ timor, Præfectum obarmat, & aſylum timoris eſt, præſidiumque in peruicaces ſubditos. Heu quam puſillanimes Præfectos ambitio creat! Dignitatis fuga, illius obeundæ robur eſt, & benè obeundæ auſpicium. Virgam, quæ erat Principatus ſymbolum, priùs timet Moyſes, horret velut ſerpentem, & ab eâ pauidus fugit, quò exploratum ſit, digniſſimum eſſe, qui eiuſmodi ſummam obeat præfecturam. Vnde Dignitatis timore, & fugæ merito, ſui electionem non auertit Moyſes, ſed magis ſubornat. O nimis verè! Quod oculis cernere licet in laudationibus Eccleſiæ Pontificibus. Et Gad hîc *retrorſum accingitur.*

Timor Dignitatis, illius obeundæ meritum eſt.

Beda ibi.

Hic v. 19.

3. Sic adhuc Moyſes, vt pius Dignitatum refuga, ita & piæ ambitionis idea. Nuper Deus pluries intentatâ Dignitatis fugâ allectus, & de ſuo cælitus ſupponens, quod humanitus ſibi deeſſe allegabat Moyſes; & dum putari poterat iam morigerus, & Deo obſequens, cùm nihil quod cauſſaretur, occurreret, ita flectineſcius ſucclamat: *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es.* Nec adhuc deſiſtit Deus à Moyſis electione, tot re[p]ulſis offenſus. Quod his verbis eleganter notauit Cyrillus Alexandrinus: *Quâ ex re (vt ita dicam) Deum contentioſum aduerſum ſe reddidit, ſuæ velut imbecillitatis confeſſione, & honorifica legationis recuſatione.* Scilicet poſtquam ſexcentas Moyſes adglomerarat excuſationes, vt ducatum ſublimiſſimum recuſaret; & Deus ſingulis ſigillatim infatigatus ſatisfeciſſet: cùm iam nihil quod Deo obiectaret, Moyſi occurreret, adhuc contentioſe velut pertinax refutat imperium: *Quâ ex re (vt ita dicam) Deum contentioſum aduerſus ſe reddidit.* Scilicet contentioſus Deum (vt ſic cum Cyrillo loquar) reddet contentioſum. *Vn porfiado, haze (digamos lo aſſi) caſi porfiado a Dios.* Vel aliter ad thema præſens: Qui ſuæ tenuitatis conſcius, ſæpè refutat præfecturæ faſtigium, Deum (ſic fari liceat) contentioſum reddit, vt illud acceptet. O pulchrum cælo & mundo ſpectaculum, in quo cum tenuitate humanâ velut contentioſè certat munificentia diuina: hæc vt homo honores acceptet; illa vt Dignitates recuſet. Dediſcit natura humana agnatum ſublimitatis genium, & piâ quadam humilitatis ambitione, magis contentioſè cum Deo decertat ad fugam, quàm aliorum arrogantia ingenito ſublimitatis fomite, ſuſpirat ad electionem. Sic Moyſes ſuæ imbecillitatis confeſſione, & honorificæ legationis recuſatione, *Deum (vt ita dicam) contentioſum reddit.* Sed quò velut obſtinatè contentioſus principatum recuſat, eò digniorem ſe probat, & piâ humilitatis ambitione, ſui electionem ſumptuoſius ſubornat.

Homo contentioſus, vel Deum faciet contentioſum.

Exod. 4. 13.

Cyrillus in Catena.

4. *Qui obſtinatè Dignitatē recuſat, Dignus eſt, vt Deus contentiosè cum illo agat, quò Dignitatem acceptet.*

§. CCCXXXIX

Nudas pedum plantas obſeruat, qui cæli gazas latrocinari pie ambit.

1. DE arroganti diuitum calceaturâ ita fatur Clemens Alex. *In calceamentis quoque ſuperbæ arrogantesque feminæ magnam oſtendunt mollitiem. Verè ergo turpia ſunt illa ſandalia, in quibus ſunt aurea velut donaria: quin etiam circumcirca clauos ſoleis infigere æquum cenſent. Multæ autem eis quoque amatorias ſalutationes imprimunt, vt vel per terram numeroſè incedentes, meretricios ſpiritus in inceſſu inſculpant. Valere ergo ſunt iubenda aureorum & gemmeorum ſandaliorum vana artificia, & crepidæ Atticæ, & Sicyonia, cothurnique Perſici & Hetruſci.* Ecce tibi quàm pretiosâ calceaturâ virorum & mulierum arrogantia ſuperbiat, vtroque metallo, quin & gemmis grauem. Putauerim nudos pedes magis viriles eſſe, quàm calceis inuolutos: imò & diuites magis, magiſque opulentos, pretioſa nuditate exornatos, & quorum arcanis gazis citius pietatis latro inſidiaretur, quàm quos aureis nitulis, & gemmis intermicantibus Alexandrinus Clemens celebrauit.

Clem. Alex. l. 2. Pædag. cap. 9.

Diuitū calceatura, auro & gemmis grauis.

2. Morti proximus Iacob, pauculis hiſce verbis Gadi benedictionem incipit, & abſoluit: *Gad*, inquit, *accinctus præliabitur ante eum: & ipſe accingetur retrorſum.* Quæ verba ſic ex Hebræo vertit Hieronymus. *Gad latrunculus latrocinabitur eum, & latrocinabitur plantam.* Pulchrum planè & opportuniſſimum ænigma! Quid eſt quod Gad, id eſt, *felix*, pedis plantam latrocinabitur? Quæ itidem ſunt iſtæ diuitiæ repoſitæ in planta, aut ſub pedis plantâ, quas felix latro Gad ſedulò latrocinatur? Puto, ſub plantâ pedis vltrò pauperis, opulentiores eſſe gazas,

Hic v. 19. S. Hier. in qq. Hebr.

Nudam pedis plantam latrocinabitur felix Gad.

gazas, quas felix virtus proculcat. Has vt potè pietatis theſauros, pius & felix latrunculus Gad latrocinari cupit, & tanto furto ſumptuoſius diuitari: & ideò diuitiis ſub plantâ pedis repoſitis, exſomni furacitate inſidiatur, quò proculcatas latrocinetur opes, & theſauros accipiat paupertatis. O feliciſſimos illos, qui mundi cenſum ſub pedibus poſuerunt, & quorum diuiti inopiæ ambitioſius inuidetur! *Gad* (id eſt, *felix*) *latrunculus latrocinabitur plantam.* Vel aliter ad rem præſentem. *Gad latrunculus latrocinabitur plantam*, quaſi planta ſit cæleſtis gazæ opulentius ærarium, & prædiues Euangelicæ perfectionis cenſus; Gad, id eſt, *felix*, cæleſtium diuitiarum benè auarus, plantæ inſidiatur, vt *latrocinetur plantam.*

3. *Magdalena pedibus Christi inſidiatur, vt præripiat gratiam.* Lucæ 7. Ad prandium inuitatus venit Chriſtus, Phariſæi domum intrauit, non tam accepturus Iudaïcos cibos, quàm diuinæ miſericordiæ opes largiturus. Ad Phariſæi menſam venit Chriſtus, non tam vt carnalibus repleretur eſcis, quàm vt in carne, cæleſtis miſericordiæ diuitiis peccatricem repleat: Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: *Et ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* (Lucæ 7.38.) O prodigam mulieris auaritiam! Pretioſiſſimum vnguentum effundit ſuper pedes Ieſu, & cryſtallino, gemmeoque lacrymarum riuulo illius pedes piè prodiga abluit; & confeſtim capillis capitis ſui illitos pedes extergit, & oblatas pedibus gazas, ſuis crinibus excipit & reſumit auara? Oculis quibus terrena concupierat, cæleſtia concupiſcit auidius: & criſpante comâ, quâ cupiditatis retia aliis parauerat, pedibus Saluatoris piè inſidiatur, vt *latrocinetur plantam. Cupiens præripere gratiam hoſpitis*, vt inibi obſeruauit Ambroſius. (S.Ambroſ. & Chryſ. ibi.) *Nec ſicut ad hominem nudum acceſſit: neque enim capillis terſiſſet*, quod Chryſoſtomus adnotauit. Scilicet, etſi Magdalena importuna conuiuio acceſſerit, & piâ velut prodigalitate pretioſum effuderit vnguentum; non vacat ab excuſatione gratiæ paupertas, quæ ad Chriſtum non quaſi ad nudum hominem venit; & dum pedes auidius extergit, hoſpitis gratiam præripere cupit, dum diuites Chriſti Dei plantas auarè latrocinatur ad gratiam. Ipſa peccatorum diues, & gratiæ inops, non nudi hominis Chriſti pedibus inſidiatur, quos velut cæleſte reputans ærarium, auarè extergit, vt Saluatoris plantam piè latrocinetur. O pium & opulentum latrocinium, quod *plantas latrocinatur!*

4. Iſaac diu improles, Rebeccæ ſterilitatem oratione fœcundat. Sed collidebantur in vtero eius paruuli. Quæ ægrè ferens præcoquum infantium tumultum, Dominum eâ de re conſuluit. Qui reſpondit: Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi in ventre tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Iam tempus pariendi doloribus pronunciatur, & ecce gemini in vtero eius reperti ſunt. (Gen.25.25. *Iacob plantã Eſau latrocinatur, vt maioratum præripiat.*) *Qui prior egreſſus eſt ruſus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: vocatúmque eſt nomen eius Eſau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob.* Hic portentoſus Rebeccæ partus myſteriorum grauidus eſt. Quid eſt, quòd Iacob necdum plenè editus, & manu tantum natus, primogeniti Eſaü plantam manu tenet; plantæ maioris fratris palàm inſidiatur? Eualuit Eſaü priùs naſci; quorſum minor Iacob tenella manu adhuc pugnaciter plantam maioris fratris arripit? An præripere exambit maioratum? Eleganter S. Chryſoſtom. ſic ad rem philoſophatur. (Chryſ. ibi.) *Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob. Quaſi iam*, inquit, *& ab initio monſtret Deus quod prædicebam, Maior ſeruiet minori, dicit enim: tenebat manu plantam Eſau. Et quia omnia antea oraculo promiſſa erant, ideò & Rebecca appellatione eius erudita, Iacob eum vocauit, quod ſcilicet ſupplantationem appellare poto.* (Attende ad verba, quæ ſubiicit Chryſoſtomus.) *Sicut & Eſaü poſt patris benedictionem, eiulans dicebat: Rectè vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me iam ſecundo, & primogenita mea accepit, & nunc tulit benedictionem meam.* Videlicet peritè Iacobus, totus de cælo præmaturè inſtinctus, præripere exoptans maioratus & primogenij honores & gazas, plantis Eſaü maioris arcanè inſidiatur, ſecum peritè reputans, ſe primogeniti Eſaü opulentiam & gloriam præripere, ſi *latrocinabitur plantam. Sicut & Eſaü poſt patris benedictionem eiulans dicebat: Rectè vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me iam ſecundo, & primogenita mea accepit, & nunc tulit benedictionem meam.* (Geneſ. 27. v.36.) Quid accommodatius? Non capiti, non cordi, aut manibus inſidiatur Iacob, vt benedictionis priuilegia ſubripiat; ſed plantam obſeruat, nudam plantam manu tenet, *plantam latrocinatur*, quò de nudæ plantæ opulentiâ & gloriâ ſumptuoſius ditetur.

---

§ CCCXL.

Sic nonnulli ſuæ ſcholæ tenaciſſimè adhæreſcunt, vt veritati ab aliis inuentæ planè renunciauerint.

1. SAPIENTER dixit Lactantius: (Lact. lib. 2. diuin. inſt. cap 8.) *Sapientiam ſibi adimunt, qui ſine vllo iudicio inuenta maiorum probant; & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quòd maiorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, vt aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur; aut illi deſipuerint, quia maiores nominantur. Quid ergo impedit vt ab ipſis ſumamus exemplum; vt quo modo illi, qui falſa inuenerant, poſteris tradiderunt, ſic & nos qui verum inuenimus, poſteris meliora tradamus.* Pergit Seneca: Turpe eſt ex commentario ſapere. (Senec epiſt. 33.) Hoc Zeno dixit: tu quid? Hoc Cleanthes: tu quid? Quouſque ſub alio moueris? & impera, & dic quod memoriæ tradatur; aliquid de tuo profer. Omnes itaque iſtos nunquam auctores, ſemper interpretes, ſub alienâ vmbrâ latitantes, nihil puto habere generoſum, nunquam auſos aliquando facere, quod

diu

dei delicerunt. Hucuſque Seneca, qui in eandem ſententiam plura ſubiicit. Et ſanè qui ex alieno ſemper ſapiunt, qui nunquam eunt, ſed ducuntur, adeo tenaciter nouellis ſuis adhærent, vt qui aliter ſapiant, ſibi deſipuiſſe videantur.

2. Matth. 9. v. 14. & 15 Matthæi 9. Acceſſerunt ad Ieſum diſcipuli Ioannis, dicentes: *Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter: diſcipuli autem tui non ieiunant?* Neſciunt quare ieiunant, qui ſic arroganter ſe ſcire præſumunt, vt cum corporata Dei ſapientiâ audeant diſputare? homines ſuperbi neſciunt quare bona opera patrent. Sic cæcitas arrogantiæ agnata eſt! Mitto hæc,

Quare Chriſtus Ioannis Diſcipulis ſub metaphora ſponſi reſpondet? & ſubiicio Chriſti reſponſum: *Et ait illis Ieſus: Numquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus: & tunc ieiunabunt.* Subobſcurum planè reſponſum, ſub allegoriæ nubilo tectum. Annon præſtaret, vt aliud magis perſpicuum daret, in re quæ valde neceſſaria videtur? Qui ſpicas vellebant, vt famem vtcumque ſedarent: qui ſæpè in deſerto abſque panario & lagenâ morabantur: qui ſe, ſuiſque abdicatis, de alienâ benignitate vtcumque victitabant; quare annuis ieiuniis diurna adderent ieiunia? Hoc videbatur perſpicuum dubij reſponſum, & quod audientibus copiosè ſatisfaceret. Quare ergo *ad ſponſi* metaphoram confugit Chriſtus, vt rei notiſſimè reſponderet? Eleganter ad rem Chryſologus notat Diſcipulis Ioannis ſic omnino reſpondendum fo-

S. Chryſol. ſerm. 31. re. Audi argutam Chryſologi rationem: *Numquid poſſunt filij ſponſi ieiunare quamdiu cum illis eſt ſponſus? Quid hoc? Interrogatus Ioan-*

Ioan 3. 29. *nes ſponſum eſſe, ſic teſtatus eſt Chriſtum: Qui habet ſponſam ſponſus eſt: amicus autem ſponſi qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* (Nota quæ ſubdit verba Chryſologus.) *Conuenienter ergo diſcipulis Ioannis magiſtri ſui voce reſpondit, vt vel illi crederent, & non cogerent tempora ſponſi læta triſtitiæ intrare ieiunio.* Scilicet Chriſtus Deus dum captioſis argutiis appetitur à Ioannis Diſcipulis cum Phariſæis, quò illi doctrinæ reſponſi non diſſentiant, aſſenſumque eorum extorqueat; non tam reſpondere videtur ex propriâ ſententiâ, quàm ex ſui Magiſtri doctrinâ. Olim ſuis Diſcipulis interrogantibus Ioannes dixerat, non ſe, ſed Chriſtum eſſe ſponſum: reſpondet ergo Chriſtus de ſcholâ Ioannis, vt eius Diſcipuli & reſponſum percipiant, & doctrinæ reſponſionis aſſentiant: *Diſcipulis Ioannis magiſtri ſui voce reſpondit, vt illi crederent, & non cogerent tempora ſponſi læta triſtitia intrare ieiunij.* Eleganter adæquè & ſubtiliter Chryſologus. Nempe vel Chriſtus Deus, Dei corporata ſapientia, vt hoſce arrogantes Ioannis Diſcipulos reuinceret, ne eorum reſiliret aſſenſus, *Ioannis magiſtri ſui voce reſpondit:* ne ſi ſecus faceret, refragarentur veritati. Sic hi Ioannis Diſcipuli Phariſæis admixti, ſui Magiſtri doctrinæ, & propriæ ſcholæ adhærebant, vt vel Chriſti Dei doctrinam reiicerent, niſi ſui Magiſtri voce expreſſam recognoſcerent? *Tan perſuadidos eſtan algunos que no ay verdad, ſino la que enſeña ſu eſcuela.*

3. Matth. 5. 17. Matthæi 5. ſic de cæli ſcholâ erudit Chriſtus Deus Hebræam gentem, quæ vnum Moyſen præceptorem agnoſcebat: *Nolite*, inquit, *putare quoniam veni ſoluere legem, aut prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* O quàm

Quare Chriſtus de veteri doctrina nouam Euangelij doctrinam adornat? multis commentationibus hunc locum interpretes vexant, vt hæc Chriſti verba vindicent. Annon Chriſtus Moſaïcam ſoluit legem? Fauſta Euangelij publicatione Moyſis lex cum honore tumulata eſt, ſumptuoſo nouæ legis mauſoleo. Quare ergo Chriſtus dicit: *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere?* Tempeſtiuè

Brixianus inibi. Brixianus ſic inibi fatur: *Vide quàm ſit metuenda ſuſpicio nouitatis, daturus celſiores leges, quæ nouæ viderentur, docet eas non aduerſari legi eorum.* Sic vetuſti Diſcipuli veteris ſui Magiſtri præceptis adhæreſcunt, vt vel Chriſto Deo Euangelium illis prædicaturo, opus fuerit dixiſſe, ſe non veniſſe vt Moſaïcam inſtitutionem ſolueret, ſed vt eam cumulatius impleret? Sic eſt arduum, auitam dediſcere diſciplinam, & nouâ (tametſi veriori) denuò imbui? Sic de ſuâ olim ſcholâ ſibi adulantur Hebræi, vt de cælo allatam nouiter Chriſti doctrinam reſpuerent, niſi de medicitatibus antiquæ inſtitutionis credibilitatem mutuaret? Sic ad credibilitatem oportet de alienâ ſcholâ propriam doctrinam ſubornare? Chriſtus Deus *Daturus celſiores leges, quæ nouæ viderentur, docet eas non aduerſari legi eorum.*

Hic v. 19. Deuter. 33. verſ. 21. Hic verſiculus 19. Gadi Benedictionem claudit. Gadi autem Benedictionem ſic efferet Moyſes Deuter. 33. Benedictus in latitudine Gad, &c. *Et vidit principatum ſuum, quod in parte ſuâ Doctor eſſet repoſitus.* Quid accommodatius?

---

§. CCCXLI.

Iuuentutis audacia, fœminarum garrulitas, nimis ſubtile, aut rude nimis ingenium, lectioni Scripturarum officit.

1. S. Naz. Orat. ad Iulian. Trib. exæquat. Idem orat. de Pace. IMPERITORVM *hominum loquacitatem* (ait Nazianzenus,) *ſermone reprimere non potui, nec promptitudinem illam, animique impetum, quo nunc omnes ad ea, quæ Spiritus ſunt, ſine ſpiritu docenda & exponenda præcipites ducuntur.* Profectò etſi Scri-

Non omnibus datum eſt ſacras Scripturas tractare. ptura ſacra, *Sola efficit, vt Deus ſincerè à nobis percipiatur, atque ſeruetur, & in nobis adoleſcat*; tamen non eſt cuiuſlibet Deum, Deique veritatem in Scripturis ſanctis inuenire, recognoſcere, & defenſare. *Olim apud ſapien-*

Idem Orat. ad Arian. *tes Hebræos, à quibuſdam Scripturæ ſacræ libris iuuenes arcebantur, vt potè tenerioribus adhuc & infirmioribus animis obfuturis.* Porrò licet Scriptura ſit archiuum veritatis, & veræ fidei cenſus; tamen quorundam *obeſt* ingeniis, & diues fidei promptuarium, eorum vitio fit errorum conceptaculum, probitatis ruinâ, & virtutis naufragium: & vnde ſalutaris propinatur antidotus, pernicioſum hauritur venenum. De Scripturis rectè intellectis, olim & nunc ſtat vera fides; & de iiſdem Scripturis ſiniſtrè

ſiniſtè interpretatis, hæreſes aduerſus fidem armantur. O malum! tam peritis doctoribus, quàm laïcis, imperitis hodie licet promiſcuè ad quamlibet rem, ad quoduis negotium, ad quamcumque theſim, ſiue grauem & ſeriam, ſiue leuiculam & ridicularium; ſiue politicam, ſiue inciuilem: ſiue ad aliorum mores ſatyris improbè lacerandos, ſiue ad apologeticas inimicè defenſiones, Scripturâ vti. Heu, omnibus indifferenter liceat, quod vix alicui per ſapientiam licet? Itaque arceantur iuuenes à penitiori Bibliorum ſacrario, ne iuuenili inconſiderantiâ, vſitata ſpernant, & nouitatem aucupentur, vt nominis ſplendorem ſibi apud vulgus concilient. Arceantur & feminæ, ne animo malè acuto, & benè ignauo, virginem Scripturæ intelligentiam perniciosè conſtuprent. Arceantur inerudita & tarda hominum ingenia; & rurſus nimium acutæ, ambitioſæ, & inexplebiles quorundam mentes, quæ friuolâ ſubtilitate, omnia quoquouerſum deflectunt, & verſatili deflexione ſenſum pro nutu deprauant. Singula ſingulis probationibus perſtringam, à poſtremiſſimâ nimis ſubtilium claſſe ducens exordium, pauculis capitis tertij Geneſeos verſiculis, rem abſoluam, ne vaſtius diuager in peramplâ theſi.

2. Serpentis facie perſonatus Dæmon inſidioſè meditatam fraudem aggreditur, & per hominis latus, feminam inquam, ſubruere totam ſtructuram inceptat, ita ad Euam fatus: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Humanitatem ſimulat, cùm ad cædem accurrat, & miſerationis obtentu conatur ſeruum cum Domino committere. Vidi vos, inquit, in omni bonorum affluentiâ non auſos frui, & condolens veni: videbam in medio Paradiſi eſurientes, & in partem triſtitiæ veni. Nam quo conſilio, dic mihi, cibo Deus interdixit? quid ſpectabili re commonſtratâ vſu priuauit? cui oblectationem hanc recondit? cui vobis oblata dona reſeruat? ſatius erat non dediſſe, quàm dato interdixiſſe. Paradiſum dedit, & cibum non conceſſit. His vocibus auditum ſubuertit, & rationem obſidet, vtque mens animi fluctuet, fecit: percuſſit aurem, vt conſcientiam lædat. Verùm ad inſidiatorem reſpondit mulier, & inſidiantem corrigere vult. Quid te, mulier, ſimulatione inquinas? mendacium audiſti, mendacij artificem fuge, auerſare mendacij patrem, obſiſte ſilentio eius machinis, inefficax eius telum fac auribus oppilatis. *De fructu lignorum*, inquit, *quæ ſunt in paradiſo, veſcimur: De ligno autem ſcientiæ boni & mali præcepit Deus ne comederemus. In quocumque die comedetis, morte moriemini. Exarmaſti te mulier, Dei voce Diabolo creditâ* (ait eleganter pariter & acutè Baſilius Seleucus.) *Quid ille igitur? Nequaquam moriemini. O ſententiam execrabilem, & plenam audaciæ vocem! Deus mortem transgreſſoribus ſtatuit, & Diabolus vitam contra legem agentibus ſpondet. Furtim demit mortis terrorem, vt legis munimenta deprædetur: pœnam adulterat, quò ad legem perfringendam propellat: excuſſo timore, & pœna ſublata contra Deum bellum conflat.* Nota præluſtrem illam Baſilij ſententiam: *Exarmaſti te, mulier, Dei voce Diabolo creditâ.* Quis adeò ſit ſtupidus, vt abnuat, Dæmonem ſubtili pollere ingenio? At ſubtiliori ingenio, probitate viduato, Dei eloquia proponere, periculum eſt. Et mulier gratiâ originali inſtructa, Dei voces Diabolo credens, plenè exarmatur, dum probi, ſed improbè viciati ingenij, expoſitionem expectat. Scripturarum intelligentia non eſt res meri ingenij, ſed pij & acuti ingenij negotium eſt. Sub nimis ſubtili ingenio, pietate deſtituto, Bibliorum ſenſus deprauatur, & probiſſimus quiſque imbecillè exarmatur: *Exarmaſti te, mulier, Dei voce Diabolo creditâ.*

Geneſ. 3. v. 1. 2. 3. & 4.

Exarmauit ſe Eua Dei voce Diabolo creditâ.

Baſil. Seleuc. Orat. 3.

3. Neque tantùm Dei voce, ſubtili & malo Dæmoni creditâ, exarmatur mulier: ſed etiam ſi ipſa ſacras Scripturas interpretari arroganter præſumat. Vix ſapiens quiſque adduci poteſt, vt ſeriò cenſeat, quòd Mulier gratiâ originali inſtructiſſima, explicatè ſciens, & disertè volens, palam Dei præceptum violârit, quin priùs illud de ſuo mitius interpretaretur. S. Auguſtinus, cui modulatior expoſitorum chorus concinit, ad illud: *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum.....tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit*, ita ſcribit: *Denique mulier verbis non contenta ſerpentis, conſiderauit lignum, viditque bonum ad eſcam, & decorum ad aſpectum, & non credens poſſe inde ſe mori, arbitror quod putauerit Deum alicuius ſignificationis causâ dixiſſe: Si manducaueritis morte moriemini; atque ideo ſumpſit de fructu eius, & manducauit, & dedit etiam viro ſuo ſecum.* O egregium, & muliere dignum, diuinæ vocis commentarium! Dei eloquia, dum de ſuo cerebro mulier commentatur, planè deprauat, corrumpit, adulterat. Nimirum fortaſſis dedeceret, vt primæuæ præuaricationis illecebra, à muliebri diuinarum vocum commentario non proueniret. Ignoras, ô mulier, occultam verborum *ſignificationem*, & vulgarem ac tritam negligis? Senſum, quem apertè intelligis, repudias; & reconditum, quem nec ſuſpicando aſſequi potes, factitiè ſequeris? Exarmaſti te, mulier, cùm Dei vocem tui cerebri dubiæ intelligentiæ vltrò credis. Vbi verba perſpicua ſunt, quid latentem *ſignificationem* arroganter ſuſpicaris? Corruit, corruit humanitas tota, è præcelſo innocentiæ faſtigio, vnius feminei commentarij datâ occaſione. Puto, colum & fuſum peritius & tutius femina tractat.

Geneſ. 3. 6. Auguſt. in Pſalm. 91.

Eloquij diuini muliebre commentatio, occaſionem dedit primæuo delicto.

4. Erubeſcat mulier in Bibliorum adytis deprehenſa: erubeſcant etiam tardo & ignauo ingenio viri, qui ex verborum ſuperficie cenſuram vibrant, & ſenſuum profunditatem imperitè metiuntur, naufrago errore. Eſum pomi vetiti ſuadet ſerpens, aiens: *Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum: tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit. *Et aperti ſunt oculi amborum. Heretici ex hoc loco* (inquit Theodorus,) *Diabolum tanquam valdè beneficum laudibus tollunt.* Vide oculis bardorum hominum fatua ingenia, quæ in medio ſole egregiè caligant, & ſenſum Scripturarum cæcè conſtuprant. Annon ante pomi eſum, *vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum?* Fortè oculorum viſum iam habentibus, iterum Diabolus dedit. Aut ad videndum pomum Protoparentes inoculati

Obtuſi quidam homines, Diaboli intellectum debere credunt.

Geneſ. 3. v. 5. & 7.

Theodoret. in Catena.

inoculati erant, ad reliqua cæci creati ſunt, atque Diaboli beneficio ad omnia peruidenda oculos tunc acceperunt. Niſi fortè fatui homines mentis oculos malunt Diabolo debere, & quaſi ſui ingenij beneficum auctorem laudibus celebrare. Et quidem putauerim, tam ſtolidas mentes, tanquam degeneres Diabolus repudiabit. Ecce tibi, quid ignaua & tarda mens in Scripturis videre ſibi videatur: dum propria mens, potiorem hominis partem benefico Diabolo adſcribat, eidemque de ſuo intellectus munere magnificis laudibus gratuletur. Scilicet hæc ignauum & rude ingenium videt in Bibliis; hæc commentatur illâ ſuâ mente, quæ Diabolum cognoſcit auctorem. In has, hiſque ſimiles ſyrtes impingit rude, femineum, & nimis ſubtile ingenium, dum rem Biblicam de ſuo cerebro tractat, & verbo Dei ſuos ſenſus obarmat. O caueant ab his ſcopulis, ſcurriles facetiæ, venenatæ ſatyræ, muliebris garrulitas, ſæcularis imperitia! Procul ô, procul eſte profani ab arcanis diuinioris ſapientiæ adytis, quouſque diuturna pietas, & eruditio profanam ruditatem eluat! Hæc dixerim aduerſus plures, qui Biblici ſtudij & intelligentiæ ieiuni, Bibliorum locis, quæ vel audierunt in concione, vel ſaltuarim legerunt; ſua colloquia, proprias lucubratiunculas, quin & aliquando integras conciones exſatiant, & ſuam imperitiam ructant. Magno ſtudio, & reuerentiâ ad Bibliorum ſacrarium accedendum eſt.

---

§ CCCXLII.

Eximia laus canæ ſapientiæ eſt, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla.

1. SAPIENTIA, opinor, non eſt res temporis, ſed ſolertiæ. Cana ſenectus, quæ nil aliud pro ſe allegare poteſt, quam diu vixiſſe, non præoccupauit in re litteraria principatum: qui non eſt res diuturnioris otij, ſed ingenij, ſtudij, & eruditionis negotium. Ceterùm, omni æuo auctoratior fuit longa ſenectutis ætas, ita in pari, aut non valde ſuppari merito, antiquior ſenum ſapientia, cui militat annorum ſuffragium, ſuſpicienda eſt, & iuniorum plauſu ſublimanda: non tamen ideò recentior eruditio reiicienda, antiquitatis ſupercilio. Sed ſi quid in iuniorum doctrinâ eluceat, quo laudem & ſequelam mereatur, depoſito antiquitatis faſtu, vltrò amplectendum eſt, quòd Sapiens ſe publicet non vetuſtatis, ſed veritatis ſincerum amatorem. Aliquando in Diſcipulo fulgurat veritatis ſcintilla, quæ aliquam Magiſtri caliginem clarare poteſt: ætatis faſtus illam repudiat, ſapientiæ humilitas auide arripit ad eruditionis actuarium.

Sapientia non eſt res ætatis, ſed ingenij & eruditionis.

2. Ioannis 1. Erat Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus) *Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Quare Chriſtus Deus vbi primum Simonem ſuadente Andrea vidit ſequentem ſe, confeſtim illi nouum nomen impoſuit, quod præſagium fuit ſummæ dignitatis, ad quam poſtmodum ſublimandus erat? Dixit enim illi: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus:* & cùm ſummam Eccleſiæ præſidentiam illi polliceretur, ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et cur Andream non elegit in Apoſtolatu priorem, & Petri magiſterio præferendum? Andreæ diſcipulum mauult, quàm Andream Petri magiſtrum? Aderant etiam Iacobus & Ioannes, conſpicua germanitas, & Chriſti affinitate prælustris; & vnus Petrus tanti faſtigij in primo aſpectu & alloquio capit auſpicium? Peracutè Alcuinus hoc dubium tacitè attigit, & belliſſimè his verbis diſſoluit: *Adduxit eum ad Ieſum, & dixit: Tu es Simon filius Ioanna. Ioanna gratia, Iona columba. Quaſi dicat: Tu es obediens filius gratiæ, vel filius columbæ, id eſt, Spiritus ſancti: quia humilitatem de Spiritu ſancto accepiſti, vt vocante Andreâ, videre me deſiderares. Non enim dedignatus es maior minorem ſequi.* Quid illuſtrius? Scilicet vbi primum Petrus adductus eſt ad Ieſum, ſtatim illum deſtinat Eccleſiæ Principem, & congruum futuræ dignitati nomen imponit: quia Petrus *humilitatem de Spiritu ſancto accepit*, quâ ipſe Petrus ætate maior, (id docet cum Alcuino Beda) non eſt dedignatus Andream minorem ſequi. Sic conſpicuum, ſic generoſum eſt, deponere ætatis ſupercilium, & iuniorem ſequi Magiſtrum? Tanto dignitatis faſtigio ſublimatur, qui in re doctrinæ abiiciens ætatis faſtum, non faſtidit iunioris doctrinam; ſed ſincerus veritatis amator, illam vel à minore ediſcere ſatagit? Tales veritatis riuales doctrina Chriſti quærit: & Petrus regundæ Eccleſiæ præproperis auſpiciis deſtinatur, quia humilitatem de Spiritu ſancto edoctus, *Non dedignatus eſt maior minorem ſequi.* Euge ſapientiæ, & Eccleſiæ apex, qui ad ſapientium eruditionem, tantam de Spiritu ſancto humilitatem accepiſti, vt tu meritò ceteris maior, non ſis dedignatus ſequi Minorem.

Ioan. 1. 41

Petrus Eccleſiæ præficitur, quia cum eſſet maior, non eſt dedignatus ſequi minorem.

Matth. 16. v. 18.

Alcuin ibid.

Beda ibid.

Geneſeos 41. Ioſephus Pharaoniani ſomnij egregius interpres, ſeptennij vbertate, & totidem exinceps annorum fame prædictâ hæc vltroneus conſiliarius ſuggerit Pharaoni: *Nunc ergo prouideat Rex virum ſapientem & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti,* &c. *Placuit Pharaoni conſilium, & cunctis Miniſtris eius.... Dixitque ad Ioſeph. Numquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero?* &c. Lipomanus erudito ingenio vir, magni facit non ſolùm conſilium de quærendo ſapienti & induſtrio viro, quod Ioſephus ſuggeſſit, ſed & quòd à Pharaone acceptaretur; nec minùs æſtimat, quòd regiis Miniſtris ſapiens Ioſephi conſilium ſic placuerit. Ita fatur Lipomanus ad ea verba: *Placuit Pharaoni conſilium, & cunctis Miniſtris eius. Laudandus*, inquit, *non ſolùm inuentor conſilij, ſed æquè commendandi, qui acquieſcunt ſanis conſiliis.* Æquéne laudandi ſunt palatini Miniſtri Pharaonis, 3.

Geneſ. 41. v. 33. & 37.

Pharaonis ſapientes, æquè ac Ioſephus laudandi, quòd Ioſepho inuenti de ſapientia ceſſerint.

Lipom. ibid.

tur : vnde iuſtus & electus in faciem cadere dicitur, *quia ibi cadit, vbi videt.* At verò Iudas cum ſceleratâ cohorte, *retrorſum cadit*, vt cadendi habitus ſit reprobationis omen, & damnationis indicium : quia vbi cadat, non ſatis attendit, & baratrum in quo corruit malignè videt, aut ſupinè ignorat : & inde ſupinus cadit *retrorſùm*; *quia omnis qui poſt ſe cadit, ibi cadit, vbi non videt.* Heu lynceos reproborum oculos ad ambitionis faſtum, ad honorum faſtigium, ad voluptatis delicias; caligantes & ſemicæcos ad malitiæ attentionem, ſeu peccati malitiam, & ſequelas malitiæ ruinas! Cadere hominis eſt : ſepties enim in die cadit iuſtus; ſed reſurgit; quia vbi imbecillitate cadit, attentius videt. At reprobus, quia negligit vbi cadat, attendere; retrorſùm cadit, vnde nunquam reſurgit : ô time, quiſquis

3. *Surgere à peccato potis David, quia illud post tergum non abiecit.*

non ſatis attendis ad immenſam peccati malitiam, & pœnas malitiæ appendices!

Pſalmo 50. hic titulus præſcribitur : In finem, Pſalmus David, cùm venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethſabee. Nempè cruento adulterio David delinquit, de multiplici flagitio admonitus, confeſtim ad Deum clamat, veniam ſupplicans : Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam : & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. (Pſalm 50. v. 4 & 5.) Et quaſi hic veniæ impetrandæ titulus non ſufficeret, alium etiam addit, vt notant interpretes : *Amplius laua me ab iniquitate meâ, & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Hæccine idonea ratio ad extorquendam flagitij veniam? (Auguſt. ibi.) Auferenda eſt à me iniquitas mea, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco? Tantine cognitio iniquitatis facienda eſt? Audiendus eſt S. Auguſtinus ad rem præſentem luculentus interpres, qui ſic vertit, & exponit locum : *Magis, magiſquè laua me ab iniuſtitiâ meâ, & à delicto meo munda me. Quo merito? Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum coram me eſt ſemper. Non poſui poſt dorſum meum quod feci.* Quaſi dicat : Hoc iure & merito expeto à peccati lapſu reſurgere; quia peccatum meum coram me eſt, neque illud poſt dorſum poſui. Ingenuè fateor, quòd cecidi, ſed non cecidi retrorsùm, nam delictum meum ego cognoſco, & coram me eſt, qui eſt habitus iuſtorum cadentium. Nam *omnis qui poſt ſe cadit, ibi cadit, vbi non videt : qui verò ante ſe ceciderit, ibi cadit, vbi videt.* Antrorsùm cecidi, in faciem meam cecidi : quia *delictum meum coram me eſt ſemper : non poſui poſt dorſum meum quod feci.* (Hic v. 17.)

Hic verſ. 17. non tam ſatagit malignus ille ſerpens, vt homo in faciem ſuam cadat, quàm vt cadat retrorsùm : *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemitâ, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.*

§. CCCXXXIV.

Eſtne pia virtutis arrogantia ferientem vitiorum vulnere, eodem telo ſtrenuè referire?

VEHEMENS paſſio, acriſve tentatio temerariè facit audaces; 1. *Vitia ipſa, & paſſiones iuuant ad virtutem?*
paſſioni aut tentationi ceſſiſſe, nuper audaces reddit puſillanimes. Sed gratulor Peccatori vitijs adſueto; imò copioſæ redemptioni, quâ Chriſtus Deus homines præmuniuit, vt præſidio gratiæ obarmati, ipſa delinquendi miniſteria poſſint reddere inſtrumenta gratiæ; & armis, quibus victi ſunt, victores hoſtes valeant exarmare; & velut vitiis ipſis, & humanis paſſionibus ad virtutem iuuari. Quod acumen Auguſtinum non latuit : *Affectu*, inquit, *pariter* (Aug. ſer. 3. de Aſcenſ. qui eſt 176. de Temp.) *& profectu aſcendamus poſt Chriſtum : etiam per vitia & paſſiones noſtras. Quomodo per paſſiones noſtras? Si vtique vnuſquiſque noſtrùm ſubdere eas ſibi ſtudeat, ac ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtruit, quo poſſit ad ſuperiora conſcendere. Eleuabunt nos, ſi fuerint infra nos. De vitijs noſtris ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus.*

2.Reg. 11. David ille, ſtrenuus nuper virtutis athleta, Dæmonis aſtu, otij negotio, & carnis illecebris, oculorum ſuorum telis acerbè 2. (2. Reg. 11. 4.)
feritur : *Miſſis itaque David nuntijs, tulit eam,* (Bethſabeam inquam) *quæ cùm ingreſſa eſſet ad illum, dormiuit cum eâ.* Quin & flagitium flagitio cumulat, & adulterium homicidio exaggerat. Vide illuſtrem propugnatorem, qui anteà ſæpè Diabolo fauces eliſerat, laſciuiæ & ſæuitiæ telo miſerè vulneratum. *Verum ne animo concidas*, (ait eleganter Baſilius) *néve turberis cum audis vulneratum. Qui vulneratus,* (Baſil. Seleu. orat. 17. David eodem telo ferientem referit.) *pugnator optimus eſt, & ferientem eodem telo referire poteſt.* Pergit Seleucus : *Nam etſi vulneratus, victoriam perſecutus eſt; ac totâ licet acie corruiſſet, celerius ſurgere ſe, quam labi comprobauit. Bellator quouis tempore victor; & medijs in hoſtibus perdurans inuulneratus, magna quadam res eſt, & admirabilis : longè verò admirabilius vulneratum pugnam non perdere, nec hoſti, qui vulnerarit, eâ re lætitiam adferre. Ex hoc enim videntes docet, neque oportere percuſſum ab hoſte victoriam perdere, neque ſaucium ex infortunio ſuo claudicare in officio, neque collapſum iacere, & ſecundam ſuſtinere plagam, neque hoſti gloriæ occaſionem præbere.* Bene eſt, Dauidem ſemel & iterùm percuſſum, hoſti tamen non ceſſiſſe puſillanimum; ſed adhuc alacri & pugnaci robore bellum redintegraſſe, hoſtemque glorioſè perniciſſe : ſed miriſſimum eſt, *Ferientem eodem telo referire potuiſſe.* An homicidium homicidio eluit, & libidinem libidine expunxit? Putò non benè paſſiones paſſionibus curantur. Verùm (vt aliàs ex Nazianzeno rependimus) homini licet, *Libidinem ad Deum transferre*, adeò vt ab ipſo Nazianzeno, eximia poſt lapſum caſtitas, dicatur, *Splendor libidinis.* Quod ſubtiliter

Lucę 13. v. 8. S. Gregor. in Catena ibi.

tiliter edocuit Gregorius exponens illud Lucæ 13. *Domine, dimitte illam* (ficulneam ſterilem) *& hoc anno vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora.* Ad quæ verba ſic ſcribit: *Peccata carnis ſtercora vocantur, ex ſtercore igitur ad fructum reuiuiſcit arbor, quia de conſideratione peccati, ad bona ſe opera ſuſcitat animus.* Ecce tibi Dauid, ſe ferientem eodem telo referit, dum occaſione perpetrati fœdioris delicti, ad omnes ſanctitates ſuſcitatur eximiè, quod ſinguli penè Pſalmi clarè ad noſtram eruditionem perſonant.

3. Matth. 1. v. 6. Brux. ibi.

Vxor marito, Dauidi Bethſabea ſuccedat. Matthæi 1. *Dauid autem rex genuit Salomonem ex eà quæ fuit Vriæ.* Et cur notiſſimum Bethſabeæ nomen ſubticet Euangeliſta, & flagitij vocabulo eam indigitat? Lucas Bruxenſis Biblicâ eruditione & polito ingenio illuſtris, ita hâc ſuper re ſcribit. *Ita circumlocutus eſt*, inquit, *ipſam Bethſabee, vt monſtraret, tantùm abfuiſſe, vt ob crimina huius mulieris occaſione perpetrata, reſciderit Deus promiſſa Dauidi facta, vt etiam ei placuerit, huius mulieris merito fidem ſuam liberare, gratiâ ſuperabundante ob pœnitentiam, vbi abundauerat iniquitas.* Ecce tibi elegantem panegyrim pœnitentiæ, cuius arcanum meritum ipſas miniſteriales malitiæ illecebras reformat ad gratiam. Non enim Bethſabea proprio vocabulo ab Euangeliſtâ inducitur, ſed mariti adulterio oſtenſi nomine deſignatur; tum, vt facilè impudica denotetur; vt etiam, vt Dauidis blandè ferox & truculenta libido perſtringatur, ad malitiæ exaggerationem, vel potiùs ad exaggerationem diuinioris clementiæ, cui ſic blanditur pœnitentiæ meritum, vt ob tam crimìnoſa flagitia, non tantùm non reſciderit magnificas promiſſiones Dauidi factas, ſed miniſterio eiuſdem leuiculæ mulieris, quæ fuerat criminum illecebra, eaſdem cumulatiſſimè adimpleuerit gratiâ vbertim exundante. Itaque pœnitentia vſqueeò ſuperabundanter malitiam eluit, vt ipſiſſima illa Bethſabea, quæ fuerat incentiuum delicti, libidinis officina, matrix adulterij, homicidij lenocinium, & tantæ ſtragis facilis occaſio; illa, illa, inquam, (expuncto iam ob viuidam pœnitentiam flagitio) aſſumpta ſit in miniſterium recuperandæ gloriæ, & nouis incrementis augendæ. Quippe quæ Salomonem enixa, & Dauidici regni ſceptrum in æternum firmauit, & Dei verbum miniſteriali officio arcanè corporauit: quæ eſt auguſtioris laudis hyperbole, & humanæ gloriæ glorioſior meta. Scilicet quaſi parum foret enorme oblitteraſſe flagitium, ipſa etiam delinquendi inſtrumenta, & delicti illecebras ſublimat ad gratiam: ô miriſſima rerum metamorphoſis, dum ſcelus virtuti auxiliatur! ô arcana gratiæ facinora, quæ atrocioris offenſæ miniſteria ſic ad gratiam reformant!

Ad Rom 5. v. 20.

Bethſabea nuper delinquendi incentiuum, fit gratia adminiſtra.

4. *In Magdalenâ veneris fomes in obſequium pudoris refingitur!*

Lucæ 7. dum Phariſæus ille, ſuperbus Chriſti inuitator, veſte clarus, primus in ſigmate, in ipſis oculis Chriſti tumens; epulas homini, non Deo feſtiuus putabat apponere; ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, quia diffamia ſua famam totius tetigerat ciuitatis: ſicque iam non peccatrix ſolum, ſed ipſius ciuitatis facta fuerat ipſa peccatum. Hæc cognouit, quòd niſi ab illo ciuitatis peccatum non poterat auferri, qui ſolus mundi venerat abolere peccatum. Et ſtans retrò ſecus pedes Ieſu, *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat.* Ad quæ verba ſic bellè Chryſologus ad rem præſentem. *In peccatricis caput purgandis crinibus refluebat vnda, vt ſuo fonte mulier in nouum baptiſma ſuorum dilueret illuuiem peccatorum: vt iuxta Pſalmiſtam: verticem capilli, ex quo ambulauerat in delictis ſuis, in ſanctitatem tali verteret ſeruitute.* Vide mihi venuſtam feminam, quæ criſpatæ laqueis capillaturæ, ſedulò incautæ iuuentutis inſidiabatur pudori, pio eorundem capillorum lenocinio, libidinem ſiſtere, & omnes ſanctitates negotiari, officioſitate merendi. Illicium cupidinis, miris gratiæ modis blanditur pudori, pœnitendam eluit libidinem, & omnes ſubornat ſanctitates; dum *verticem capilli, ex quo ambulauerat in delictis ſuis, in ſanctitatem tali verteret ſeruitute*, & Veneris fomes in obſequium pudoris refingitur: ô gratiæ facinora!

Lucę 7. v. 38.

Chryſ. ſer. 93

Pſ. 67 v. 22.

5. David Chriſti Dei præclarus typus, *ferientem eodem telo referire potuit*: ſic Chriſtus per mortem, quâ illum ferire Infernus dirè machinatus eſt, mortem deuicit, & expoliauit Infernum. Quod eleganter Petrus Rauennas his verbis deſcribit, exponens illud Symboli: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Audis crucifixum*, inquit, *vt nobis ſalutem perditam per quod perierat, reparatam eſſe agnoſcas; & ibi videas pendere credentium vitam, vbi mors pependerat perfidorum: audis ſepultum, ne mors putetur illuſa.* Penſanda ſunt quæ ingenioſè ſubſcribit: *Hoc eſt diuinæ virtutis inſigne, cùm mors morte moritur: auctor mortis proprio mucrone truncatur: prædo capitur ſuâ prædâ; infernus vitâ dirumpitur deglutitâ.* Ecce Chriſtus, Dauidis ſoboles, & antitypus, ferientem eodem telo referire potuit. Et Samſon hîc eiuſdem typus, quo à Philiſthæis vinci credebatur, eoſdem deuicit.

Chryſ. ſer. 57

Inſigne Chriſti eſt mortem morte deuicere.

Hîc v. 17.

§ CCCXXXV.

Violenta ſubditorum oppreſſio, Redemptorem vindicem expetit?

1. ANNON vetus illud verum ſemper, quo Gubernatorum ſeueritas multæ lenitati admiſcenda inſtruitur? Pœna in paucos, metus ad plures eat, ita ferè cadunt fulmina, paucorum exitu, plurimorum metu. Porrò diſtrictior Gubernatoris acerbitas, quæ ad quoſuis ſuſurronum afflatus armat dexteram, quibuſuis ſuſpicionibus ad rigores inquietatur, in obuias culpas ferocit, tyrannum potiùs quàm Gubernatorem agit. Oppreſſæ autem multitudini mitiſſimus Deus, acerrimus vindex adeſt, ne ſuos homines impunè perire patiatur. Nec adeſt tantũ diuinioris prouidẽtiæ ope, quò oppreſſum populũ à crudeli principe aſſerat; ſed ipſe per ſe ipſum adeſt Redemptor, quaſi violẽta ſubditorum oppreſſio Redẽptionẽ expetat, intolerabilis violentiæ clamoribus. Oſee 13. Hebræorum genti iratus Deus, ita acerbiùs minitatur: *Dabo tibi Regem in furo-*

Cur violenti Principis excidio, memoriâ excitet Redemptoris?

tuum meo. At conſtitum miſericordiâ tactus erga populum Regis violentiâ dirè vexatum, ita mox ſubdit: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ò mors, morſus tuus ero inferne.* Quæ verba de Verbo incarnato, redemptione peractâ, mortem deuorante, & infernum diripiente, vulgò interpretantur.

2. Hic verſ. 18. dum ſigillatim Iacob propriâ

Hic verſ. 18. benedictione aut prædictione ſingulos inſignit Patriarchas, cùm ad Dan ventum eſt, ſic altè vaticinatur: *Dan iudicabit populum ſuum ſicut & alia tribus Iſraël. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita. Salutare tuum expectabo Domine.* Cùm dicitur, *Dan iudicabit*, pulchra eſt Hebraïcè paranomaſia, nēpe דן ידין *Dan iadin*, id eſt, *iudex iudicabit*. Non mirarer, Dan vnum è duodecim illis Patriarchis, & principibus populi Dei, cùm iudicem ageret, eſſe *colubrum in via*, id eſt, iis, *qui in præſentis vitæ latitudine ambulant. At quis neſciat, ſemitam anguſtiorem eſſe*

Gregor. 31. Moral c. 18. *quàm viam?* verba ſunt S. Gregorij. Miror maximè eſſe *ceraſtem in ſemita*; & magnum Patriarcham, populi Dei gubernatorem, inſidiari etiam iis, qui per Euangelicæ perfectionis anguſtam ſemitam incedunt. Si incedentes per ſecularis vitæ latitudines perſequitur, his parcat quaſi illorum aduerſariis: ſi hos fatigat, illis parciturus videbatur. At nemo ab hoc ſeueriori Iudice tutus eſt, nemini eius acerbitas parcit, quò vexet omnes; pariter in ſceleſtos & pios eius furor debacchatur: *Fiet Dan coluber in viâ, ceraſtes in ſemitâ.* Quod ergo remedium in tantâ populi calamitate ſupereſt? Animaduerte Prophetæ verba quæ ſtatim ſubiungit: *Salutare tuum expectabo Domine.* Quorſum Saluatoris, qui Danita non fuit, nunc importuna recordatio? (quam nemo interpretum

Hic v. 18. non notat) Imò opportuniſſima: nam acerbior ſubditorum oppreſſio, Redemptorem expetit, redemptionem acceſſit, tacitâ calamitatis voce, & linguato oppreſſionis ſilentio. Adnecte notiſſimis aliis hoc Incarnationis ſecundarium incentiuum, vel ſaltem accelerandæ occaſionem. Concionatoriè agam cum concionatore Chryſologo.

3. Mirum fortaſſis alicui videbitur, quanto cum

Lucæ 3. v. 1. & 2. prophanæ eruditionis apparatu, præter Euangeliſtarum morem, S. Lucas caput ſui Euangelij tertium auſpicetur. *Anno* (inquit) *quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarchâ autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarchâ Ituraea, & Trachonitidis regionis, & Lyſaniâ Abilinæ tetrarchâ, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha*, &c. Lucaſne eruditum agit chronologum, an ſimplicem Euangelicæ veritatis denarratorem? Imò de eruditâ etiam chronologiâ

Corporatur Verbum, vt oppreſſos ab Herode liberet? peritum Euangeliſtam, ſiquidem ex ſceleſtiſſimorum Principum commemoratione, appropinquantem Redemptoris aduentum biblicè eruditis inſinuare videtur. Quod elegāter aliàs obſeruauit Sanctus Chryſologus, elucidans il-

Matth. 2. v. 1. Chryſol. ſermon. 156. lud Matthæi 2. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis. Quid eſt*, inquit, *quod tempore Regis nefandi Deus deſcendit ad terras? Quid eſt quòd quando non verus Rex expulſurus tyrannum, vindicaturus patriam, libertatem redditurus aduentat? Herodes refuga gentis Iudaicæ, inuaſit regnum, libertatem abſtulit, prophanauit ſancta, confudit ordinem; quicquid diſciplinæ, quicquid cultus eſt, aboleuit?* (nouam audi occaſionem noui ad terras corporati Dei aduentus) *Meritò ergo genti ſanctæ, quia humana deſunt, diuina ſuccurrunt, & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat qui adeſſet.* Scilicet ſic Deus tangitur ſubditorum calamitatibus, vt ipſemet carnem ſumat, quò eos vindicet à Principis dirâ oppreſſione. Hæcne aſſignabitur occaſio incarnationis diuini Verbi, & humanę Dei natiuitatis, nempe vt ſubiectum populum liberet ab iniquo Gubernatore, ſubditos opprimente? Quid ergo exinceps faciat Deus, ſi iterùm ſubditus iniuſtè vexetur ſuperioris poteſtatis potentiâ? Venietne iterùm in aliâ perſonâ? an in eadem iterùm in terris corporatus apparebit? His necte expenſionem, quam iam iam ex eodem Chryſologo ſubiicimus.

Magno SS. Patrum & doctorum conſenſu 4.

conſtat, poſt trucem Antichriſti tyrannidem, poſtremi iudicij magnam diem palam celebrandam; vbi Chriſtus Deus viuorum & mortuorum ſupremus iudex coram apparebit. Sed curioſiùs diſquirat aliquis, cur Chriſtus finale iudicium generaliter exerceat, quod iam ſingulariter celebratum eſt in cuiuſque obitu; Sciſcitabitur etiam quare Chriſtus ipſe illud celebret per ſe ipſum, non per Apoſtolos duntaxat, quibus duodecim ſedes donauit, vt totidem Iſraëlis tribus (id eſt, totum orbem) diiudicarent? Mitto plura, vt citiùs Chryſologi verba ſuperioribus adnectam. Nuper dixerat: *Vt oppreſſos ab Antichriſto liberet, nouiſſimum iudicium celebrat?* *Quid eſt, quòd tempore Regis nefandi* (Herodis inquam) *Deus deſcendit ad terras? ..... Meritò ergo genti ſanctæ quia humana deſunt, diuina ſuccurrunt, & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet.* Nempe corporatur Deus occaſione etiam liberandi populum ſuum ab Herodis, & tot crudelium Principum tyrannide. Pergit ad rem Chryſologus: *Sic iterum*, ait, *Chriſtus veniet, vt Antichriſtum ſubruat, liberetur orbis,* Chryſ. ſermon. 156. *mundi perpetuetur libertas, ſeculi ſeruitus tota tollatur.* Violenta ſubditi iniuſtis oppreſſio, ſic armat diuinas iras, ſic diuinum accendit furorem, vt non per Poteſtates diuinæ iuſtitiæ adminiſtras, debitas iniuſtæ oppreſſionis pœnas repetat; ſed ipſemet Deus primò fiat homo, & iterum in ſemel aſſumptâ humanitate adueniat, vt opituletur ſubditis Poteſtatum iniuriâ violenter oppreſſis? Nimirùm vox cum libertate eripitur ſubdito, ſed violenta calamitas vocalis eſt, & Deum ipſum irremediabilis iniuriæ vindicem appellat, *& adeſt Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet.* Ne imbecillum & inermem putes, quem calcas ſubditum, cui diuinior Dei pietas militat, & ad cuius tutelam tota Dei armatur potentia. Qui hominem ſolum contemnis, ô time Deum hominem; qui homo factus eſt, vt hominem etiam vindicet ab iniuſta Potentium oppreſſione. Inter ſecundarias ſeu appendices Incarnationis cauſas, hanc acutè agnoſcit, & eleganter publicat Chryſologus: cuius fortè

Iſaias c. 61. meminit, ſi eius Iſai. 61. v.

verba penitiùs expendantur.

* * *

§. CCCXXXVI.

§ CCCXXXVI.

Redemptionis humanæ adhuc perennat myſterium, quo Chriſtus Filij nomen Patri reſtituat in filijs, & pacem Deitatis inueniat?

1. *Nil tam dignum Deo, quàm hominum ſalus.*

QVAMVIS Hæreticus effutit, periculoſam Deo corporationem; quaſi humana vilitas faſtigio diuinitatis periculum faciat, illamque egregiè deuenuſtet: tamen animoſa pariter ac vera Tertulliani vox eſt: *Nil tam Deo dignum, quàm ſalus hominis.* Hinc Redemptoris elogium, non tantùm hominibus ſalutare; ſed Deo etiam dignum, ſanctumque & honorificum, in ſacris Biblijs prædicatur. Quaſi quod humanam ſalutem dignè procurat, diuinæ gloriæ condignè militet totum.

Tertul. 2. contra Marc. c. 27.

2. Matthæi 1. anxio Ioſepho in ſomnis apparet Angelus, ſicque illum alloquitur: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt: *Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Signatè ait, *Saluum faciet* de futuro, tametſi Ieſus in vtero matris ſaluationem ſeu redemptionem inchoarit quoad efficaciam, abſoluerit quoad ſufficientiam. Et quidem cum Prophetæ futura antedicunt myſteria, ac ſi iam olim forent exhibita, illa de præterito tradunt, quod neſcit nemo, qui in Biblijs aliquid ſcit. Quare ergo Angelus, qui Prophetæ perſonam induit, Prophetarum ſtylum hîc negligit? & agens de redemptionis myſterio, quod erat inchoatum quoad efficaciam, & abſolutum quoad ſufficientiam, de futuro illud enunciat; neque vtitur prophetico idiomate, quo propemodum ſine licentiâ propheticâ vti poſſet? Audiendus eſt Baſilius Seleucus, qui hâc ſuper re ita eleganter philoſophatur: *Ipſe enim ſaluum faciet,* &c. *Et fuit,* inquit, *myſterium, quod in hodiernum vſque diem myſterium permanet, neque vnquam myſterium non erit.* An alia etiam myſteria id non habent? Sic blanditur ſibi Deus de humanæ redemptionis myſterio, vt illud gratâ memoriâ iugiter renouet ad gratiam? Tanti facit ſacramentum ſaluationis humanæ, vt perpetuò iuueneſcat ad meritum, & ad diuinam gloriam continuò reſtauretur? Nunquam dicitur præterita redemptio, ne vnquam redemptionis fructus ceſſare videatur? Semper durat, ſemperque durabit humanæ reconciliationis ſacramentum, terris proficuum, cælis glorioſum, cuius infinitum meritum vel Deum ipſum ſumptuoſius quodammodo locupletat. Hoc myſterium, quod olim, nunc, & ſemper erit myſterium, mundus cum Iacobo feliciter expectat: *Saluſtare tuum expectabo.*

Math. 1. 21.

Incarnationis myſterium, ſemper eſt, & erit myſteriũ.

Baſil. orat. 39.

Hîc v. 18.

3. Sanctus Hieronymus Biblijs innutritus, quę altè de Incarnatione biberat, ſobriè ebrius arcanæ Sapientiæ poculo, hæc ſublimiſſimè eructat: Deus Chriſtus eſt, factus ex muliere, factus ſub lege, natus ex Virgine, paſſus in carne: omnia in cruce fixit, vt triumphans ea in ſemetipſo reſurgens in corpore: *Et Patris nomen in patribus Filio, & Filij nomen Patri reſtituens in filijs.* Profundè quidem Hieronymus, & ſublimiori cothurno. Non hîc diſquiram, quomodo Chriſtus Patris nomen reſtituat Filio Dei in veteris ac noui teſtamenti patribus, quod omitto lectorum ſpicilegio. Et ſollertius explorare iuuat, quo pacto Chriſtus auguſtum Filij Dei nomen Patri æterno reſtituat in filijs, quos per redemptionis myſterium adoptione generosâ filiauit. Profectò humana tenuitas res Dei, quæ noſtrum captum longiſſimè excedunt, humano ſenſu & cenſu æſtimat, & de eis, niſi humano more loqui non eualet. Cúmque æternus Pater Deum Filium de ſua ſubſtantiâ ab æterno genuerit, pro exiguo hominum captu concipimus, Dei Filium Deo Patri debere illuſtre Filij Dei nomen. Quaſi perſona diuina poſſet eſſe alicuius debiti ſtipendiaria. Itaque Chriſtus Deus, naturalis Dei Filius, natus ex Virgine, paſſus in carne, vt homines ſuâ Paſſione redimeret, eoſdem redemptos, in filios Dei adoptauit, generoſè in *Filij nomen Patri reſtituens in filijs.* Tantine adoptiua filiatio redemptione peracta, à Chriſto Deo æſtimatur, vt ſublime Filij Dei nomen æterno Patri reſtituat in filijs, quos redemptione adoptauit? Grande (vt ſic loquar) diuinæ filiationis debitum adoptiua iuſtorum filiatione Chriſtus reſtituit? Dei filius in redemptorem corporatur, vt Dei filios redemptione faciens, *Filij nomen Patri reſtituat in filijs?* ô illuſtrem redemptionis fructum, è cuius opulentiâ Chriſtus Filij nomen Patri velut reſtituit in filijs! Quid exaggeratius?

Hieron. in Argumento Euang. ſecundum Matth.

Chriſtus Filij nomē Patri reſtituit in filijs à ſe redemptis.

Paulus ad Timotheum 1. ita ſcribit: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Quæ Apoſtoli verba hoc eleganti gloſſemate S. Leo illuſtrat: *Fides enim vera iuſtificans impios, & creans iuſtos, ad naturæ ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſe inuenit innocentem. Et quia vnus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, per communionem ſui generis, ad pacem peruenit Deitatis, liberum habens de eius potentiâ gloriari,* &c. An ante redemptionem, in tanta apud homines peccandi concordia, in Deitate non inueniabatur pax? Ecquid humanum tranquillam Deitatis pacem turbare eualet? Hominum flagitijs æternum pacata & inturbabilis inquietatur Deitas? Et vbi eſt Dei inconcuſſa & inuariabilis conſtantia? Scilicet anthropopathôs de Deo loquitur S. Leo, vt argutâ hyperbole innuat excelſum Incarnationis, & Redemptionis elogium, hominibus planè ineffabile. Profectò natura humana primordialis delicti rea, ad Chriſtum naturæ ſuæ tracta participem, in eo acquirit ſalutem, in quo ſe inuenit innocentem. Et quia vnus eſt mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, in aſſumpto corpore redemptione peracta, *ad pacem peruenit Deitatis,* adeò vt liberum habeat de tantâ potentiâ gloriari. O quàm altè facundus Redemptionis encomiaſtes loquitur Magnus Leo! Verbi diuini Incarnatio via eſt, qua per Redemptionem, quia vnus eſt mediator

4. 1. ad Timoth. 2. 5.

S. Leo ſerm. 11. de Paſſione.

Per Redemptionis meritum, ad pacē peruenitur Deitatis.

Dei & hominum Chriſtus Ieſus, *ad pacem peruenit Deitatis.* Euge ſancta perſonarum Trinitas, & indiuiſa Deitatis vnitas, in quâ Chriſtus Ieſus, verus Deus & homo, Redemptionis merito, cum hominibus *pacem inuenit.* Gratulor Redemptori, quòd *per communionem ſui generis ad pacem peruenit Deitatis*, cui liberum eſt de tantâ potentiâ, & felicitate gloriari.

§. CCCXXXVII.

Deus vt orantis vota adimpleat, aliquorum orationis vota contemnit.

1. Seneca l.1. de Benef c.1.

QVIS noſtrum contentus fuit, aut leuiter rogari, aut ſemel? Quis non, cùm aliquid à ſe peti ſuſpicatus eſt, frontem obduxit, vultum auertit, occupationes ſimulauit, longis ſermonibus, & de induſtriâ non inuenientibus exitum, occaſionem petendi abſtulit, & variis artibus properantes neceſſitates eluſit? In anguſto verò comprehenſus, aut diſtulit, aut timidè negauit, aut promiſit, ſed difficulter, ſed ſubductis ſuperciliis, ſed malignis, & vix exeuntibus verbis? *Nemo autem libenter debet, quod non accipit, ſed expreſſit.* Huculque Seneca & apud homines quidem verè. Errat autem quiſquis putat, Deū concedendi dilatione abnuere poſtulatis, & expectatione poſtulantem torquere. Porrò Deus ſæpè audire diſſimulat orationem humanam, vt eam cumulatius dilatione impleat: & dum orantem dilatione laſſat, magis flectitur poſtulatis: & cùm expectatione torquet, munificentiæ aduletur, & dilatione donandi donationem exaggeret, arcanâ gratiæ officioſitate.

2. Geneſ. 12. 2. *Dulcius accipitur, quod aliquâ dilatione præſtatur.*

Geneſ. 12. Abraham diu improli, Saræ ſterilitate partum prohibente, optatæ prolis ſpem ingerit Deus: *Faciam*, inquit, *te in gentem magnam.* Et quidem exinceps totos viginti quinque annos frequenti oratione liberos expetit, prolem ſuſpirat, ardenti ſucceſſionis voto. Ecce Deus longâ nimis dilatione ſuum Abrahamum laſſat, & nimis prolixâ expectatione fatigat? Spe obtinendæ prolis immiſſa, orationem excitat, fiduciam erigit, ac vota inquietat; & tandiu differt annuere poſtulatis? Eſtne miſerendi auaritia, miſericordiæ redundantia; quæ Iſaaci donandi beneficium, dum prolixa expectatione protelat, dilatione ad gratiam exaggerat? Eleganter Caſſiodorus hac ſuper re, aliorſum ita fatur: *Habet hoc enim humana conditio, vt celeriter adepta, faſtidio ſint: dum omne pretioſum veleſcit oblatum: & contrà dulcius accipitur, quod ſub aliquâ dilatione præſtatur.* (Caſſiodor. lib 9 epiſt.4.) Nimirum diuturna expectatio, artificium diutius placendi eſt. Citò faſtidimus ad poſſeſſionem eius, ad cuius expectationem perdiu non ſuſpirauimus. Malè dulces ſunt deliciæ citò parabiles: facilitas rei obtinendæ nauſeam negotiatur: diuturna expectatio vota adipat, & dilatione poſſeſſionem erudit ad ſaporem; dum *omne pretioſum veleſcit oblatum: & contra dulcius accipitur, quod ſub aliquâ dilatione præſtatur.* Diu petant, vt diu deſiderent; diu deſiderent, vt votorum diuturnitate res obtenta ſaporem fœneretur. Vnde ſæpè Deus dilatione miſerendi miſericordiam exaggerat, opulentâ liberalitatis vſura, quæ de dilatione, gratiæ ſumptuoſius militat, votorum ſtipendiis. *Salutare tuum expectabo Domine*, inquit Iacobus hic verſ. 18. vt prolixâ ſeculorum expectatione Chriſti venturi votis felicius blandiatur, dum longâ etiam dilatione, placendi gratiam dulcius combibit. Hic verſ. 18.

Ioannis 2. Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias: *Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Ieſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Et quod eſt hoc duriuſculum verbum Chriſti ad matrem? Mater eſt, quæ rogat, & ſic matris preces quaſi abalienatione deuenuſtat? Pro aliis rogat, vt Dei matris officium expleat, & ſic eius oratio velut intempeſtiua reiici videtur? Filij gloriam piè exambit ex miraculi patratione, & abnutu excipitur? Contemnitne Chriſtus ſuæ matris petitionem? an tantiſper adimpletionem differt, opportuniorem captans miraculi occaſionem? *Sed nunquid ideò Ieſus venit ad nuptias, vt doceret matres contemni?* (ait Auguſtinus) Minimè quidem. Nam hic qui videtur maternæ orationis *contemptus*, opportuna impletionis dilatio eſt, quæ adimpletionem complet ſumptuoſius. Belliſſimè ad rem præſentem Ennodius, cùm citius impetraſſet à Deo, quod impenſius poſtularat, ita ſcribit: *Ad cupita perductus maceror, quia quæ poſcebamus, Deo tribuente conceſſa ſunt. Nunquid alicui accepit de lætitia occaſione quod torqueat, aut de meſſe gaudiorum egreſſa eſt planta triſtitiæ?* (nota quæ ſubtexuit verba) *Gratias Deo vero, qui vt vota impleat, aliquoties vota contemnit.* Scilicet Chriſtus rogantem non *contemnit matrem*, aiens, *quid mihi & tibi eſt mulier?* Sed magis idoneam captat occaſionem implendi quæ mater rogat, quæ mater cupit, quæ auidius mater exoptat, nempe vt miraculi gloria ſplendidius effulgeat. Itaque dilatione miraculi, non ingratus in matrem, ſed beneficus magis largitor exiſtit. *Gratias Deo vero*, (veroque rogantis Mariæ filio) *qui vt vota adimpleat, aliquoties vota contemnit.* Planè eleganter Ennodius.

3. Ioan.2.v.3. & 4.

Deus vt vota adimpleat, aliquoties vota contemnit.

S. Auguſt. Tract.8. in Ioan.

Ennod.l.9. epiſt.32.

§ CCCXXXVIII.

Obſtinata honorum recuſatio, Deum velut contentioſum facit, vt illam ſublimet.

QVàm ignorant homines cupidi gloriæ, quid illa ſit, & quemadmodum petenda: bonitatis verba & facta imitari, maior malitia eſt. Candidatos omnes olim & nunc viros bonos dicimus, & præclaris muneribus apti vulgò apparent; & forſan digni eſſent, niſi ea appeterent, quorum aliàs digni ſunt. 1.

ſunt. Portò honorum appetentia, aut quæ palam dignitatem ambit, aut quæ tectius illam procurat, ipsâ dignitate indignos facit. Honorum fuga, pia dignitatum ambitio eſt, ſuâ repulsâ refutans, quod meritis ambit. Quiſquis faſtigia aut non timet, aut non fugit, indignus faſtigio eſt. Vmbræ naturam ſplendor honoris æmulatur, fugientes ſequitur, ſequentes fugit.

2. Exod. 4. v. 2. & 3.

2. Exodi 4. diu multumque cunctatur Moyſes oblatum à Deo Hebræorum principatum admittere. Vt Moyſis animum flectat Deus, miraculo vtitur, quo omnes excuſationes eximat; vel forte, vt eius meritum exploratum faciat. Dixit ergo Dominus ad Moyſen: *Quid eſt quod tenes in manu tuâ? Reſpondit: Virga. Dixitque Dominus: Proyce eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.* O velut puerilem viri magnanimi timorem! A propria virgâ, ſeu ludicro ſerpente fugit Moyſes? Puto, exploratam timore puſillanimitatem reiiciet Deus, nec vltrà habilem cenſebit Moyſen ad præfecturam. Audiendus eſt Beda, qui præfata verba ita exponit: *Quod ad hiſtoriam pertinet, Virga quæ in manu Moyſi fuerat, & in colubrum verſa eſt, ſignificat vt Moyſes Dei poteſtati crederet, & plebs Moyſi, & Moyſes Pharaonem non timeret.* Benè eſt, quod Moyſis Virga paſtoralis, ſignificat poteſtatem, in quo interpretes conueniunt: Sed quare hancmet virgam paſtoralem in ſerpentem conuerſam priùs timet Moyſes, vt *Moyſes Pharaonem non timeat?* Nempe priùs time poteſtatem aut præfecturam obeundam, ne poſtea dum eam exerces, timeas ſubditorum potentiam. Qui non fugit dignitatem, nec præmaturè eam timet, puto, timebit ſubditos, nec eualebit in potentes contumaces irrumpere. Proximus obeundæ præfecturæ timor, Præfectum obarmat, & aſylum timoris eſt, præſidiumque in peruicaces ſubditos. Heu quam puſillanimes Præfectos ambitio creat! Dignitatis fuga, illius obeundæ robur eſt, & benè obeundæ auſpicium. Virgam, quæ erat Principatus ſymbolum, priùs timet Moyſes, horret velut ſerpentem, & ab eâ pauidus fugit, quò exploratum ſit, digniſſimum eſſe, qui eiuſmodi ſummam obeat præfecturam. Vnde Dignitatis timore, & fugæ merito, ſui electionem non auertit Moyſes, ſed magis ſubornat. O nimis verè! Quod oculis cernere licet in laudationibus Eccleſiæ Pontificibus. Et Gad hîc *retrorſum accingitur.*

Timor Dignitatis, illius obeundæ meritum eſt.

Beda ibi.

Hic v. 19.

3. Sit adhuc Moyſes, vt pius Dignitatum refuga, ita & piæ ambitionis idea. Nuper Deus pluries intentatâ Dignitatis fugâ allectus, & de ſuo cælitus ſupponens, quod humanitus ſibi deeſſe allegabat Moyſes; & dum putari poterat iam morigerus, & Deo obſequens, cùm nihil quod cauſſaretur, occurreret, ita flectineſcius ſucclamat: *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es.* Nec adhuc deſiſtit Deus à Moyſis electione, tot tergiuerſationibus offenſus. Quod his verbis eleganter notauit Cyrillus Alexandrinus: *Quâ ex re (vt ita dicam) Deum contentioſum aduerſum ſe reddidit, ſua velut imbecillitatis confeſſione, & honorifica legationis recuſatione.* Scilicet poſtquam ſexcentas Moyſes adglomerarat excuſationes, vt ducatum ſublimiſſimum recuſaret; & Deus ſingulis ſigillatim infatigatus ſatisfeciſſet: cùm iam nihil quod Deo obiectaret, Moyſi occurreret, adhuc contentioſe velut pertinax refutat imperium: *Quâ ex re (vt ita dicam) Deum contentioſum aduerſus ſe reddidit.* Scilicet contentioſus Deum (vt ſic cum Cyrillo loquar) reddet contentioſum. *Vn porfiado, hara (digamos lo aſſi) caſi porfiado a Dios.* Vel aliter ad thema præſens: Qui ſuæ tenuitatis conſcius, ſæpè refutat præfecturæ faſtigium, Deum (ſic fari liceat) contentioſum reddit, vt illud acceptet. O pulchrum cælo & mundo ſpectaculum, in quo cum tenuitate humanâ velut contentiosè certat munificentia diuina: hæc vt homo honores acceptet; illa vt Dignitates recuſet. Dediſcit natura humana agnatum ſublimitatis genium, & piâ quadam humilitatis ambitione, magis contentiosè cum Deo decertat ad fugam, quàm aliorum arrogantia ingenito ſublimitatis fomite, ſuſpirat ad electionem. Sic Moyſes ſuæ imbecillitatis confeſſione, & honorificæ legationis recuſatione, *Deum (vt ita dicam) contentioſum reddit.* Sed quo velut obſtinatè contentioſus principatum recuſat, eò digniorem ſe probat, & piâ humilitatis ambitione, ſui electionem ſumptuoſius ſubornat.

Homo contentioſus, vel Deum faciet contentioſum.

Exod. 4. 13.

Cyrillus in Catena.

4. *Qui obſtinatè Dignitati recuſat, Dignus eſt, vt Deus contentiosè cum illo agat, quò Dignitatem acceptet.*

---

§. CCCXXXIX

Nudas pedum plantas obſeruat, qui cæli gazas latrocinari pie ambit.

1. Clem. Alex. l. 2. Pædag. cap. 9. *Diuitũ calceatura, auro & gemmis graui.*

DE arroganti diuitum calceaturâ ita fatur Clemens Alex. *In calceamentis quoque ſuperba arrogameſque feminæ magnam oſtendunt mollitiem. Verè ergo turpia ſunt illa ſandalia, in quibus ſunt aurea veluti donaria: quin etiam circumcirca clauos ſoleis infigere æquum cenſent. Multæ autem eis quoque amatorias ſalutationes imprimunt, vt vel per terram numeroſè incedentes, meretricios ſpiritus in inceſſu inſculpant. Valere ergo ſunt iubenda aureorum & gemmeorum ſandaliorum vana artificia, & crepidæ Atticæ, & Sicyoniæ, cothurnique Perſici & Hetruſci.* Ecce tibi quàm pretioſâ calceaturâ virorum & mulierum arrogantia ſuperbiat, vtroque metallo, quin & gemmis graui. Putauerim nudos pedes magis viriles eſſe, quàm calceis inuolutos: imò & diuites magis, magiſque opulentos, pretioſa nuditate exornatos, & quorum arcanis gazis citius pietatis latro inſidiaretur, quàm quos aureis nitulis, & gemmis intermicantibus Alexandrinus Clemens celebrauit.

2. Hic v. 19. S. Hier. in qq. Hebr.

2. Morti proximus Iacob, pauculis hiſce verbis Gadi benedictionem incipit, & abſoluit: *Gad*, inquit, *accinctus prælıabitur ante eum: & ipſe accingetur retrorſum.* Quæ verba ſic ex Hebræo vertit Hieronymus. *Gad latrunculus latrocinabitur eum, & latrocinabitur plantam.* Pulchrum planè & opportuniſſimum ænigma! Quid eſt quod Gad, id eſt, *felix*, pedis plantam latrocinabitur? Quæ itidem ſunt illæ diuitiæ repoſitæ in planta, aut ſub pedis plantâ, quas felix latro Gad ſedulò latrocinatur? Puto, ſub plantâ pedis vltrò pauperis, opulentiores eſſe

Nudam pedis plantam latrocinabitur felix Gad.

gazas,

gazas, quas felix virtus proculcat. Has vt potè pietatis theſauros, pius & felix latrunculus Gad latrocinari cupit, & tanto furto ſumptuoſius diuitati: & ideò diuitiis ſub plantâ pedis repoſitis, exſomni furacitate inſidiatur, quò proculcatas latrocinetur opes, & theſauros accipiat paupertatis. O feliciſſimos illos, qui mundi cenſum ſub pedibus poſuerunt, & quorum diuiti inopiæ ambitioſius inuidetur! *Gad* (id eſt, *felix*) *latrunculus latrocinabitur plantam.* Vel aliter ad rem præſentem. *Gad latrunculus latrocinabitur plantam*, quaſi plantâ ſit cæleſtis gazæ opulentius ærarium, & prædiues Euangelicæ perfectionis cenſus; Gad, id eſt, *felix*, cæleſtium diuitiarum benè auarus, plantæ inſidiatur, vt *latrocinetur plantam.*

3. *Magdalena pedibus Christi inſidiatur, vt præripiat gratiam.*

Lucæ 7. Ad prandium inuitatus venit Chriſtus, Phariſæi domum intrauit, non tam accepturus Iudaïcos cibos, quàm diuinæ miſericordiæ opes largiturus. Ad Phariſæi menſam venit Chriſtus, non tam vt carnalibus repleretur eſcis, quàm vt in carne, cæleſtis miſericordiæ diuitiis peccatricem repleat: Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: *Et ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* O prodigam mulieris auaritiam! Pretioſiſſimum vnguentum effundit ſuper pedes Ieſu, & cryſtallino, gemmeoque lacrymarum riuulo illius pedes piè prodiga abluit; & confeſtim capillis capitis ſui illitos pedes extergit, & oblatas pedibus gazas, ſuis crinibus excipit & reſumit auara? Oculis quibus terrena concupierat, cæleſtia concupiſcit auidius: & criſpante comâ, quâ cupiditatis retia aliis parauerat, pedibus Saluatoris piè inſidiatur, vt *latrocinetur plantam.* *Cupiens præripere gratiam hoſpitis*, vt inibi obſeruauit Ambroſius. *Nec ſicut ad hominem nudum acceſſit: neque enim capillis terſiſſet*, quod Chryſoſtomus adnotauit. Scilicet, etſi Magdalena importuna conuiuio acceſſerit, & piâ velut prodigalitate pretioſum effuderit vnguentum; non vacat ab excuſatione gratiæ paupertas, quæ ad Chriſtum non quaſi ad nudum hominem venit; & dum pedes auidius extergit, hoſpitis gratiam præripere cupit, dum diuites Chriſti Dei plantas auarè latrocinatur ad gratiam. Ipſa peccatorum diues, & gratiæ inops, non nudi hominis Chriſti pedibus inſidiatur, quos velut cæleſte reputans ærarium, auarè extergit, vt Saluatoris plantam piè latrocinetur. O pium & opulentum latrocinium, quod *plantas latrocinatur!*

Lucæ 7. 38.

S. Ambroſ. & Chryſ. ibi.

4. Iſaac diu improles, Rebeccæ ſterilitatem oratione fœcundat. Sed collidebantur in vtero eius paruuli. Quæ ægrè ferens præcoquum infantium tumultum, Dominum eâ de re conſuluit. Qui reſpondit: Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi in ventre tuo diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Iam tempus pariendi doloribus pronunciatur, & ecce gemini in vtero eius reperti ſunt. *Qui prior egreſſus eſt rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: vocatúmque eſt nomen eius Eſau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob.* Hic portentoſus Rebeccæ partus myſteriorum grauidus eſt. Quid eſt, quòd Iacob necdum plenè editus, & manu tantùm natus, primogeniti Eſaü plantam manu tenet; plantæ maioris fratris palam inſidiatur? Euaſit Eſaü priùs naſci; quorſum minor Iacob tenella manu adhuc pugnaciter plantam maioris fratris arripit? An præripere exambit maioratum? Elegantèr S. Chryſoſtom. ſic ad rem philoſophatur. *Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob. Quaſi iam*, inquit, *& ab initio monſtret Deus quod prædicebatur, Maior ſeruiet minori, dicit enim: tenebat manu plantam Eſau. Et quia omnia antea oraculo promiſſa erant, ideò & Rebecca appellatione ei inditâ, Iacob eum vocauit, quod ſcilicet ſupplantationem appellare potes.* (Attende ad verba, quæ ſubiicit Chryſoſtomus.) *Sicut & Eſau poſt patris benedictionem, eiulans dicebat: Rectè vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me iam ſecundo, & primogenita mea accepit, & nunc tulit benedictionem meam.* Videlicet peritè Iacobus, totus de cælo præmaturè inſtinctus, præripere expetens maioratus & primogenij honores & gazas, plantis Eſaü maioris arcanè inſidiatur, ſecum peritè reputans, ſe primogeniti Eſaü opulentiam & gloriam præripere, ſi *latrocinabitur plantam. Sicut & Eſau poſt patris benedictionem eiulans dicebat: Rectè vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me iam ſecundo, & primogenita mea accepit, & nunc tulit benedictionem meam.* Quid accommodatius? Non capiti, non cordi, aut manibus inſidiatur Iacob, vt benedictionis priuilegia ſubripiat; ſed plantam obſeruat, nudam plantam manu tenet, *plantam latrocinatur*, quò de nudæ plantæ opulentiâ & gloriâ ſumptuoſius ditetur.

Gen. 25. 25. *Iacob plantam Eſau latrocinatur, vt maioratum præripiat.*

Chryſ. ibi.

Geneſ. 27. v. 36.

§ CCCXL.

Sic nonnulli ſuæ ſcholæ tenaciſſimè adhæreſcunt, vt veritati ab alijs inuentæ planè renunciauerint

SAPIENTER dixit Lactantius: *Sapientiam ſibi adimunt, qui ſine vllo iudicio inuenta maiorum probant; & ab alijs pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quòd maiorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, vt aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur; aut illi deſipuerint, quia maiores nominantur. Quid ergo impedit vt ab ipſis ſumamus exemplum; vt quo modo illi, qui falſa inuenerant, poſteris tradiderunt, ſic & nos qui verum inuenimus, poſteris meliora tradamus.* Pergit Seneca: Turpe eſt ex commentario ſapere. Hoc Zeno dixit: tu quid? Hoc Cleanthes: tu quid? Quouſque ſub alio moueris? & impera, & dic quod memoriæ tradatur; aliquid de tuo profer. Omnes itaque iſtos nunquam auctores, ſemper interpretes, ſub alienâ vmbrâ latitantes, nihil puto habere generoſum, nunquam auſos aliquando facere, quod

1. Lact. lib. 2. diuin. inſt. cap. 8.

Senec. epiſt. 33.

diu

dici deliceerunt. Hucuſque Seneca, qui in eandem ſententiam plura ſubnicit. Et hinc qui ex alieno ſemper ſapiunt, qui n nuquam eunt, ſed dicitur tum, adeo tenaciter maioribus ſuis adhærent, vt qui aliter ſapiant, ſibi deſipuiſſe videantur.

2. Matthæi 9. Acceſſerunt ad Ieſum diſcipuli Ioannis, dicentes: *Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter: diſcipuli autem tui non ieiunant?* Neſciunt quare ieiunant, qui ſic arroganter ſe ſcire præſumunt, vt cum corporata Dei ſapientiâ audeant diſputare? homines ſuperbi neſciunt quare bona opera patrent. Sic cæcitas arrogantiæ agnata eſt! Mitto hæc, & ſubiicio Chriſti reſponſum: *Et ait illis Ieſus: Numquid poſſunt filij ſponſi lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus: & tunc ieiunabunt.* Subobſcurum planè reſponſum, ſub allegoriæ nubilo tectum. Annon præſtaret, vt aliud magis perſpicuum daret, in re quæ valde neceſſaria videtur? Qui ſpicas vellebant, vt famem vtcumque ſedarent: qui ſæpè in deſerto abſque panario & lagenâ morabantur: qui ſe, ſuiſque abdicatis, de alienâ benignitate vtcumque victitabant; quare annuis ieiuniis diuturna adderent ieiunia? Hoc videbatur perſpicuum dubij reſponſum, & quod audientibus copioſè ſatisfaceret. Quare ergo ad ſponſi metaphoram confugit Chriſtus, vt rei notiſſimè reſponderet? Eleganter ad rem Chryſologus notat Diſcipulis Ioannis ſic omnino reſpondendum fore. Audi argutam Chryſologi rationem: *Numquid poſſunt filij ſponſi ieiunare quandiu cum illis eſt ſponſus? Quid hoc? Interrogatus Ioannes ſponſum eſſe, ſic teſtatus eſt Chriſtum: Qui habet ſponſam ſponſus eſt: amicus autem ſponſi qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* (Nota quæ ſubdit verba Chryſologus.) *Conuenienter ergo diſcipulis Ioannis magiſtri ſui voce reſpondit, vt illi crederent, & non cogerent tempora ſponſi læta triſtitia intrare ieiunij.* Scilicet Chriſtus Deus dum captioſis argutiis appetitur à Ioannis Diſcipulis cum Phariſæis, quo illi doctrinæ reſponſionis aſſentiant, aſſenſumque eorum extorqueat; non tam reſpondere videtur ex propriâ ſententiâ quàm ex ſui Magiſtri doctrinâ. Olim ſuis Diſcipulis interrogantibus Ioannes dixerat, non ſe, ſed Chriſtum eſſe ſponſum: reſpondet ergo Chriſtus de ſcholâ Ioannis, vt eius Diſcipuli & reſponſum percipiant, & doctrinæ reſponſionis aſſentiant: *Diſcipulis Ioannis magiſtri ſui voce reſpondit, vt illi crederent, & non cogerent tempora ſponſi læta triſtitia intrare ieiunij.* Eleganter adæquè & ſubtiliter Chryſologus. Nempe vel Chriſtus Deus, Dei corporata ſapientia, vt hoſce arrogantes Ioannis Diſcipulos reuinceret, ne eorum reſiliret aſſenſus, *Ioannis magiſtri ſui voce reſpondit*: ne ſi ſecus faceret, refragarentur veritati. Sic hi Ioannis Diſcipuli Phariſæis admixti, ſui Magiſtri doctrinæ, & propriæ ſcholæ adhærebant, vt vel Chriſti Dei doctrinam reiicerent, niſi ſui Magiſtri voce expreſſam recognoſcerent? *Tan perſuadidos, tan alguno, que no ay verdad, ſino la que enſeña ſu eſcuela!*

3. Matthæi 5. Sic de exit ſchola eius hic Chriſtus Deus Hebræam gentem, quæ vnum Moyſen præceptorem agnoſcebat: *Nolite*, inquit, *putare quoniam veni ſoluere legem, aut prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* O quàm multis commentationibus hunc locum interpretes vexant, vt hæc Chriſti verba vindicent. Annon Chriſtus Moſaïcam ſoluit legem? Fauſta Euangelij publicatione Moyſis lex cum honore tumulata eſt, ſumptuoſo nouæ legis mauſoleo. Quare ergo Chriſtus dicit: *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere?* Tempeſtiuè Brixianus ſic inibi fatur: *Vide quàm ſit metuenda ſuſpicio nouitatis, daturus celſiores leges, quæ nouæ viderentur, docet eas non aduerſari legi eorum.* Sic vetuſti Diſcipuli veteris ſui Magiſtri præceptis adhæreſcunt, vt vel Chriſto Deo Euangelium illis prædicaturo, opus fuerit dixiſſe, ſe non veniſſe vt Moſaïcam inſtitutionem ſolueret, ſed vt eam cumulatius impleret? Sic eſt arduum, auitam dediſcere diſciplinam, & nouâ (tametſi veriori) denuò imbui? Sic de ſuâ olim ſcholâ ſibi adulantur Hebræi, vt de cælo allatam nouiter Chriſti doctrinam reſpuerent, niſi de medicitatibus antiquæ inſtitutionis credibilitatem mutuaret? Sic ad credibilitatem oportet de alienâ ſcholâ propriam doctrinam ſubornare? Chriſtus Deus *Daturus celſiores leges, quæ nouæ viderentur, docet eas non aduerſari legi eorum.*

Hic verſiculus 19. Gadi Benedictionem claudit. Gadi autem Benedictionem ſic effert Moyſes Deuter. 33. Benedictus in latitudine Gad, &c. *Et vidit principatum ſuum, quod in parte ſua Doctor eſſet repoſitus.* Quid accommodatius?

Margin notes: Matth. 9 v. 14. & 15. — Quare Chriſtus Ioannis Diſcipulis [illegible] reſpondet? — S. Chryſol. ſerm 31. — Ioan 3. 29. — Matth. 5. 17. — Quare Chriſtus de veteri doctrinâ nouam Euangelij doctrinâ adornat? — Brixianus inibi. — Hic v. 19. Deuter. 33. verſ. 21.

---

§. CCCXLI.

Iuuentutis audacia, fœminarum garrulitas, nimis ſubtile, aut rude nimis ingenium, lectioni Scripturarum officit.

1. IMPERITORVM *hominum loquacitatem* (ait Nazianzenus,) *ſermone reprimere non potui, nec promptitudinem illam, animique impetum, quo nunc omnes ad ea, quæ Spiritus ſunt, ſine ſpiritu docenda & exponenda præcipites ducuntur.* Profectò etſi Scriptura ſacra, *Sola efficit, vt Deus ſincerè à nobis percipiatur, atque ſeruetur, & in nobis adoleſcat*; tamen non eſt cuiuſlibet Deum, Deique veritatem in Scripturis ſanctis inuenire, recognoſcere, & defenſare. *Olim apud ſapientes Hebræos, à quibuſdam Scripturæ ſacræ libris iuuenes arcebantur, vt potè tenerioribus adhuc & infirmioribus animis obfuturis.* Porrò licet Scriptura ſit archiuum veritatis, & veræ fidei cenſus; tamen quorundam obeſt ingeniis, & diues fidei promptuarium, eorum vitio fit errorum conceptaculum, probitatis ruinâ, & virtutis naufragium: & vnde ſalutaris propinatur antidotus, perniciosum hauritur venenum. De Scripturis rectè intellectis, olim & nunc ſtat vera fides; & de iiſdem Scripturis ſiniſtrè

Margin notes: S. Naz. Orat. ad Iulian. Trib. exæquat. Idem orat. de Pace. — Non omnibus datum eſt ſacras Scripturas tractare. — Idem Orat. ad Arian.

ſiniſtè interpretatis, hæreſes aduerſus fidem armantur. O malum! tam peritis doctoribus, quàm laïcis, imperitis hodie licet promiſcuè ad quamlibet rem, ad quoduis negotium, ad quamcumque theſim, ſiue grauem & ſeriam, ſiue leuiculam & ridiculariam; ſiue politicam, ſiue inciuilem: ſiue ad aliorum mores ſatyris improbè lacerandos, ſiue ad apologeticas inimicè defenſiones, Scripturâ vti. Heu, omnibus indifferenter liceat, quod vix alicui per ſapientiam licet? Itaque arceantur iuuenes à penitiori Bibliorum ſacrario, ne iuuenili inconſiderantiâ, vſitata ſpernant, & nouitatem aucupentur, vt nominis ſplendorem ſibi apud vulgus concilient. Arceantur & feminæ, ne animo malè acuto, & benè ignauo, virginem Scripturæ intelligentiam perniciosè conſtuprent. Arceantur inerudita & tarda hominum ingenia; & rurſus nimium acutæ, ambitioſæ, & inexplebiles quorundam mentes, quæ friuolâ ſubtilitate, omnia quoquouerſum deflectunt, & verſatili deflexione ſenſum pro nutu deprauant. Singula ſingulis probationibus perſtringam, à poſtremiſſimâ nimis ſubtilium claſſe ducens exordium, pauculis capitis tertij Geneſeos verſiculis, rem abſoluam, ne vaſtius diuager in perampla theſi.

2. Serpentis facie perſonatus Dæmon inſidioſè meditatam fraudem aggreditur, & per hominis latus, feminam inquam, ſubruere totam

Geneſ. 3. v. 1. 2. 3. & 4. ſtructuram inceptat, ita ad Euam fatus: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Humanitatem ſimulat, cùm ad cædem accurrat, & miſerationis obtentu conatur ſeruum cum Domino committere. Vidi vos, inquit, in omni bonorum affluentiâ non auſos frui, & condolens veni: videbam in medio Paradiſi eſurientes, & in partem triſtitiæ veni. Nam quo conſilio, dic mihi, cibo Deus interdixit? quid ſpectabili re commonſtratâ vſu priuauit? cui oblectationem hanc recondit? cui vobis oblata dona reſeruat? ſatius erat non dediſſe, quàm dato interdixiſſe. Paradiſum dedit, & cibum non conceſſit. His vocibus auditum ſubuertit, & rationem obſidet, vtque mens animi fluctuet, fecit: percuſſit aurem, vt conſcientiam lædat. Verùm ad inſidiatorem reſpondit mulier, & inſidiantem corrigere vult. Quid te, mulier, ſimulatione inquinas? mendacium audiſti, mendacij artificem fuge, auerſare mendacij patrem, obſiſte ſilentio eius machinis, inefficax eius telum fac

Exarmauit ſe Eua Dei voce Diabolo creditâ.

Baſil. Seleuc. Orat 3. auribus oppilatis. *De fructu lignorum*, inquit, *quæ ſunt in paradiſo, veſcimur: De ligno autem ſcientiæ boni & mali præcepit Deus ne comederemus. In quocumque die comedetis, morte moriemini. Exarmaſti te mulier, Dei voce Diabolo creditâ* (ait eleganter pariter & acutè Baſilius Seleucus.) *Quid ille igitur? Nequaquam moriemini. O ſententiam execrabilem, & plenam audaciæ vocem! Deus mortem tranſgreſſoribus ſtatuit, & Diabolus vitam contra legem agentibus ſpondet. Furtim demit mortis terrorem, vt legis munimenta deprædetur: pœnam adulterat, quò ad legem perfringendam propellat: excuſſo timore, & pœna ſublata contra Deum bellum conflat.* Nota præluſtrem illam Baſilij ſententiam: *Exarmaſti te, mulier, Dei voce Diabolo creditâ.* Quis adeò ſit ſtupidus, vt abnuat, Dæmonem ſubtili pollere ingenio? At ſubtiliori ingenio, probitate viduato, Dei eloquia proponere, periculum eſt. Et mulier gratiâ originali inſtructa, Dei voces Diabolo credens, plenè exarmatur, dum probi, ſed improbè vitiati ingenij, expoſitionem expectat. Scripturarum intelligentia non eſt res meri ingenij, ſed pij & acuti ingenij negotium eſt. Sub nimis ſubtili ingenio, pietate deſtituto, Bibliorum ſenſus deprauatur, & probiſſimus quiſque imbecillè exarmatur: *Exarmaſti te, mulier, Dei voce Diabolo creditâ.*

Neque tantùm Dei voce, ſubtili & malo Dæmoni creditâ, exarmatur mulier: ſed etiam ſi ipſa ſacras Scripturas interpretari arroganter præſumat. Vix ſapiens quiſque adduci poteſt, vt ſeriò cenſeat, quòd Mulier gratiâ originali inſtructiſſima, explicatè ſciens, & diſertè volens, palam Dei præceptum violarit, quin priùs illud de ſuo nutius interpretaretur. S. Auguſtinus, cui modulatior expoſitorum chorus concinit, ad illud: *Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.....tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit*, ita ſcribit: *Denique mulier verbis non contenta ſerpentis, conſiderauit lignum, viditque bonum ad eſcam, & decorum ad aſpectum, & non credens poſſe inde ſe mori, arbitror quòd putauerit Deum alicuius ſignificationis causâ dixiſſe: Si manducaueritis morte moriemini; atque ideò ſumpſit de fructu eius, & manducauit, & dedit etiam viro ſuo ſecum.* O egregium, & muliere dignum, diuinæ vocis commentarium! Dei eloquia, dum de ſuo cerebro mulier commentatur, planè deprauat, corrumpit, adulterat. Nimirum fortaſſis dedeceret, vt primæuæ præuaricationis illecebra, à muliebri diuinarum vocum commentario non prouenirer. Ignoras, ô mulier, occultam verborum *ſignificationem*, & vulgarem ac tritam negligis? Senſum, quem apertè intelligis, repudias; & reconditum, quem nec ſuſpicando aſſequi potes, factitiè ſequeris? Exarmaſti te, mulier, cùm Dei vocem tui cerebri dubiæ intelligentiæ vltrò credis. Vbi verba perſpicua ſunt, quid latentem *ſignificationem* arroganter ſuſpicaris? Corruit, corruit humanitas tota, è præcelſo innocentiæ faſtigio, vnius feminei commentarij datâ occaſione. Puto, colum & fuſum peritius & tutius femina tractat. 3.

Geneſ. 3. 6. Auguſt. in Pſalm. 81. *Elegans diuini mulieris commentatio, ex aſſertionem dicti primæuo delicto.*

Erubeſcat mulier in Bibliorum adytis deprehenſa: erubeſcant etiam tardo & ignauo ingenio viri, qui ex verborum ſuperficie cenſuram vibrant, & ſenſuum profunditatem imperitè metiuntur, naufrago errore. Eſum pomi vetiti ſuadet ſerpens, aiens: *Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum: tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit. *Et aperti ſunt oculi amborum. Hæretici ex hoc loco* (inquit Theodorus,) *Diabolum tanquam valde beneficum laudibus tollunt.* Vide oculis bardorum hominum fatua ingenia, quæ in medio ſole egregiè caligant, & ſenſum Scripturarum cæcè conſtuprant. Annon ante pomi eſum, *vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum?* Fortè oculorum viſum iam habentibus, iterum Diabolus dedit. Aut ad videndum pomum Protoparentes 4.

Obtuſi quidam homines, Diabolo intellectum debere credunt. Geneſ. 3. v. 5. & 7.

Theodorus in Catena.

inoculati

inoculati erant, ad reliqua cæci creati ſunt, atque Diaboli beneficio ad omnia peruidenda oculos tunc acceperunt. Niſi fortè fatui homines mentis oculos malunt Diabolo debere, & quaſi ſui ingenij beneficum auctorem laudibus celebrare. Et quidem putauerim, tam ſtolidas mentes, tanquam degeneres Diabolus repudiabit. Ecce tibi, quid ignaua & tarda mens in Scripturis videre ſibi videatur: dum propria mens, potiorem hominis partem benefico Diabolo adſcribat, eidemque de ſuo intellectus munere magnificis laudibus gratuletur. Scilicet hæc ignauum & rude ingenium videt in Biblijs; hæc commentatur illâ ſuâ mente, quæ Diabolum cognoſcit auctorem. In has, hiſque ſimiles ſyrtes impingit rude, femineum, & nimis ſubtile ingenium, dum rem Biblicam de ſuo cerebro tractat, & verbo Dei ſuos ſenſus obarmat. O caueant ab his ſcopulis, ſcurriles facetiæ, venenatæ ſatyræ, muliebris garrulitas, ſæcularis imperitia! Procul ô, procul eſte profani ab arcanis diuinioris ſapientiæ adytis, quouſque diuturna pietas, & eruditio profanam ruditatem eluat! Hæc dixerim aduerſus plures, qui Biblici ſtudij & intelligentiæ ieiuni, Bibliorum locis, quæ vel audierunt in concione, vel ſaltuatim legerunt; ſua colloquia, proprias lucubratiunculas, quin & aliquando integras conciones exſatiant, & ſuam imperitiam ructant. Magno ſtudio, & reuerentiâ ad Bibliorum ſacrarium accedendum eſt.

---

§ CCCXLII.

Eximia laus canæ ſapientiæ eſt, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla.

1\. SAPIENTIA, opinor, non eſt res temporis, ſed ſolertiæ. Cana ſenectus, quæ nil aliud pro ſe allegare poteſt, quam diu vixiſſe, non præoccupauit in re litteraria principatum: qui non eſt res diuturnioris otij, ſed ingenij, ſtudij, & eruditionis negotium. Ceterùm, omni æuo auctoratior fuit longa ſenectutis ætas, ita in pari, aut non valde ſuppari merito, antiquior ſenum ſapientia, cui militat annorum ſuffragium, ſuſpicienda eſt, & iuniorum plauſu ſublimanda: non tamen ideò recentior eruditio reiicienda, antiquitatis ſupercilio. Sed ſi quid in iuniorum doctrinâ eluceat, quo laudem & ſequelam mereatur, depoſito antiquitatis faſtu, vltrò amplectendum eſt, quò Sapiens ſe publicet non vetuſtatis, ſed veritatis ſincerum amatorem. Aliquando in Diſcipulo fulgurat veritatis ſcintilla, quæ aliquam Magiſtri caliginem clarare poteſt: ætatis faſtus illam repudiat, ſapientiæ humilitas auide arripit ad eruditionis actuarium.

Sapientia non eſt res ætatis, ſed ingenij & eruditionis.

2\. Ioannis 1. Erat Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus) *Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Quare Chriſtus Deus vbi primum Simonem ſuadente Andreâ vidit ſequentem ſe, confeſtim illi nouum nomen impoſuit, quod præſagium fuit ſummæ dignitatis, ad quam poſtmodum ſublimandus erat? Dixit enim illi: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*: & cùm ſummam Eccleſiæ præſidentiam illi pollicetur, ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et cur Andream non elegit in Apoſtolatu priorem, & Petri magiſterio præferendum? Andreæ diſcipulum mauult, quàm Andream Petri magiſtrum? Aderant etiam Iacobus & Ioannes, conſpicua germanitas, & Chriſti affinitate prælustris; & vnus Petrus tanti faſtigij in primo aſpectu & alloquio capit auſpicium? Peracutè Alcuinus hoc dubium tacitè attigit, & belliſſimè his verbis diſſoluit: *Adduxit eum ad Ieſum, & dixit: Tu es Simon filius Ioanna. Ioanna gratia, Iona columba. Quaſi dicat: Tu es obediens filius gratia, vel filius columba, id eſt, Spiritus ſancti: quia humilitatem de Spiritu ſancto accepiſti, vt vocante Andreâ, videre me deſiderares. Non enim dedignatus es maior minorem ſequi.* Quid illuſtrius? Scilicet vbi primum Petrus adductus eſt ad Ieſum, ſtatim illum deſtinat Eccleſiæ Principem, & congruum futuræ dignitati nomen imponit: quia Petrus *humilitatem de Spiritu ſancto accepit*, quâ ipſe Petrus ætate maior, (id docet cum Alcuino Beda) non eſt dedignatus Andream minorem ſequi. Sic conſpicuum, ſic generoſum eſt, deponere ætatis ſupercilium, & iuniorem ſequi Magiſtrum? Tanto dignitatis faſtigio ſublimatur, qui in re doctrinæ abiiciens ætatis faſtum, non faſtidit iunioris doctrinam; ſed ſincerus veritatis amator, illam vel à minore ediſcere ſatagit? Tales veritatis riuales doctrina Chriſti quærit: & Petrus regundæ Eccleſiæ præproperis auſpicijs deſtinatur, quia humilitatem de Spiritu ſancto edoctus, *Non dedignatus eſt maior minorem ſequi.* Euge ſapientiæ, & Eccleſiæ apex, qui ad ſapientium eruditionem, tantam de Spiritu ſancto humilitatem accepiſti, vt tu meritò ceteris maior, non ſis dedignatus ſequi Minorem.

Ioan. 1. 42.

Petrus Eccleſiæ præficitur, quia cum eſſet maior, non eſt dedignatus ſequi minorem?

Matth. 16. v. 18.

Alcuin ibid.

Beda ibid.

Geneſeos 41. Ioſephus Pharaoniani ſomnij egregius interpres, ſeptennij vbertate, & totidem exinceps annorum fame prædictâ hæc vlteroneus conſiliarius ſuggerit Pharaoni: *Nunc ergo prouideat Rex virum ſapientem & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti*, &c. *Placuit Pharaoni conſilium, & cunctis Miniſtris eius.... Dixitque ad Ioſeph. Numquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero?* &c. Lipomanus erudito ingenio vir, magni facit non ſolùm conſilium de quærendo ſapienti & induſtrio viro, quod Ioſephus ſuggeſſit, ſed & quòd à Pharaone acceptaretur; nec minùs æſtimat, quòd regijs Miniſtris ſapiens Ioſephi conſilium ſic placuerit. Ita fatur Lipomanus ad ea verba: *Placuit Pharaoni conſilium, & cunctis Miniſtris eius. Laudandus*, inquit, *non ſolum inuentor conſilij, ſed æquè commendandi, qui acquieſcunt ſanis conſilijs.* Æquéne laudandi ſunt palatini Miniſtri Pharaonis, 3.

Geneſ. 41. v. 33. & 37.

Pharaonis ſapientes, æquè ac Ioſephus laudandi, quòd Ioſepho inuenti de ſapientia ceſſerint.

Lipom. ibid.

quibus Ioſephi conſilium placuit, ac Ioſephus ipſe, è cœlo inſtinctus, conſilium ſuggerens? An quia non rogatum, etſi ſalutare conſilium, dantem, beneuolè Palatini audiunt, & conſilium gratanter excipiunt? An quia regij Miniſtri præluſtrem illam præfecturam ambitioſè non expetunt ſibi, aulico more & ingenio; ſed è ſuis manibus ad alium elabi patiuntur? An quia Ioſepho, homini nouo, nouum & præcelſum honorem non inuident? An quia conſiliarij communem vtilitatem propriæ præferunt? Planè luculenter & animoſè dictum: *Æquè commendandi* aulici Miniſtri, qui Ioſephi conſilio acquieuerunt, ac ipſe Ioſephus, conſilij inuentor, de cœlo afflatus. Verùm (niſi ego valdè fallor) alia ratio peti poteſt ex verbis Principis pincernarum, quibus Ioſephum introduxit ad Pharaonem, vt ſomnium interpretaretur. Cùm

4. Geneſ. 41. v. 12. eſſemus, inquit, in carcere, *Erat ibi puer Hebræus, &c.* Ioſephus, inquam, qui meum ſomnium ſapienter interpretatus eſt; idemque Ioſephus, cum quæritur *vir Sapiens & induſtrius*, adnuentibus regiis Miniſtris, à Pharaone audit: *Numquid Sapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero?* Ecce tibi quare cùm de præferendo in re ſapientiæ, *puero* (agebat enim tunc Ioſephus trigeſimum annum) agitur, *Non ſolum Ioſephus inuentor conſilij, ſed æquè commendandi, qui acquieſcunt ſanis eius conſiliis.* Scilicet ipſi Ægyptij Sapientes vetere ſapientiâ diu enutriti, acquieſcunt *Pueri* ſapienti conſilio, & Regi palam prædicanti, puerum Ioſephum eſſe ſapientiorem omnium. Sic arduum & generoſum eſt, veteres ſapientes primas in re ſapientiæ iunioribus cedere, vt æquè laudandi ſint hi Pharaonis conſiliarij, qui de pueri Ioſephi ſcholâ ſe erudiri patiuntur, ac Ioſephus ipſe, qui de cœli ſcholâ eruditus, ſapientiſſimum ſuggeſſit conſilium? O æmulos prærogatiuæ Petri! *Non enim dedignatus eſt Maior minorem ſequi.* Suſpice Petrum ætate & ſapientiâ maiorem fratre Andreâ, ab ipſo, etſi minore ſapienter eruditum: recognoſce canos Pharaonis ſapientes, æquè dignos laude dici, ac ipſe Ioſephus, quòd ſe à puero edoceri non dedignati ſunt. Ediſcant hinc cani gymnaſiorum Magiſtri ſubtilem Diſcipulorum ſagacitatem æquo cenſu pendere, & eruditionis vſuram dignanter amplecti.

Hic v. 19. Deut. 33. 21. Hìc litteratiſſimus *Gad vidit principatum ſuum, quòd in parte ſuâ Doctor eſſet repoſitus.* In parte inquam, id eſt, ſorte aut tribu ſuâ: nam ſors ſeniores tribus, Gadi iunioris doctrinam ſequi faſtuosè recuſarunt.

---

§. CCCXLIII.

Negat Chriſtum eſſe Deum, qui Chriſtianas virtutes erubeſcit?

1. Plutarch. in Polit. QVEMADMODVM hedera naſcentis alicuius futuræ præualidæ arboris ſtipitem vndique amplexa, vnà conſurgit & adoleſcit: ita ſeniorem adoleſcens, & glorioſum inglorius ſubiens, paulatim ſublatus, & ſenſim adductus, radicibus iam altè actis ſubnixus, ad Rempublicam capeſſendam, & gubernandam ſe ſe idoneum præbuit. Hi autem ciuiliter & honeſtè ad finem vſque Magiſtros obſeruauerunt, & cultu debito proſecuti ſunt. *Vt Soli ſubiecta corpora, quæ cùm inde ſplendorem accipiunt, viciſſim & reddunt.* Huculque Plutarchus. Porrò perſpicuum eſt, quòd ſicut Magiſter omnes doctrinæ ſplendores Diſcipulo tœnerat; ita viciſſim Diſcipulus diſciplinæ fulgores reciprocat, ac reuerberat in Magiſtrum: nec Magiſter obſcuri Diſcipuli præclarus reputatur. Vnde Chriſto Deo tanta tamque ſolers inſtruendorum Diſcipulorum cura; quaſi ex eorum doctrinâ & moribus tota eius auctoritas, & latentis in ſe Diuinitatis opinio, exinde apud homines cenſeretur. Nam qui Magiſtrum erubeſcit, Magiſtrum negat, & eius doctrinam indecorè culpat, eumque à faſtigio dignitatis deponit.

Ioannis 18. comprehenſus Ieſus, & cautè vinculis ſtrictus, ducitur ad Annam primò, ibique in Seniorum concilio ſiſtitur reus, & eius cauſa ſeuerè diſquiritur. *Pontifex ergo interrogauit Ieſum de Diſcipulis ſuis, & de doctrina eius.* Quorſum de Diſcipulis interrogat, ſi totus Chriſti reatus in eo vertitur, quòd ſe Chriſtum Dei Filium dixerit? quod ex Euangelio Matthæi conſtat, vbi ſic tandem ſacerdotum Princeps interrogat: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei.* Num ex Diſcipulorum probitate, aut nequitiâ; ex illorum ruditate, aut eruditione; ex eorundem firmâ conſtantiâ, aut refugâ deſertione, Magiſtri pendeat diuinitas, & auguſta Patris Dei filiatio? Quid eſt, quòd primum Pontifex ad id meliùs diiudicandum, de Diſcipulis interrogat? S. Chryſoſtomus ita ſuper hàc re fatur: *Quia Chriſto nullum crimen inferre poterant, de Diſcipulis interrogabant.* Quaſi imbecillitas, aut rudis Diſcipuli tenuitas, Magiſtro imputetur; & Magiſter in ſe innoxius Diſcipulorum prauitate culpetur. Scilicet de Diſcipulorum imbecillitate, fugâ, & deſertione, diuinitati Chriſti periculum faceſſere ſtudent, vt profundè inſinuat Theophylactus, aiens: *Interrogat Pontifex Ieſum de Diſcipulis, fortaſſe in hunc modum: Vbi ſunt? aut quâ mente eos collegerit, aut quid volens, &c. Vt exinde occaſione acceptâ Dei æmulum perdat.* Ita ſcribit S. Thomas, quod in tranſlatione Loniceri aliter habetur. Scilicet malitioſus Pontifex, vt diuinitati Chriſti periculum faceret, aduertens moribus, ſapientiâ, & miraculis, ſe Filium Dei probare; ex Diſcipulorum ignauiâ, fugâ, & deſertione, non verè Deum, ſed deitatem ambitioſè *æmulantem*, probare adnititur. Quaſi chari olim Diſcipuli, nunc Magiſtri deſertores, à diuinitatis faſtigio (in hominum opinione) Chriſtum eorum Magiſtrum ignominioſè deturbent. Sic Magiſtrorum auctoritati Diſcipulus militat? Magnus Magiſtri honos, didaſcalica ſtipendia ſunt. Quiſquis Chriſtum erubeſcit, eum à dignitate deponit.

2. Ioan. 18. 19. *Diſcipulorũ deſertio negat Chriſto diuinitatem* Matth 26. v. 63.

Chryſoſtom. homil. 81. in Ioan.

Theoph. ibi.

Matthæi 26. audiens Petrus è Chriſti ore, omnes Diſcipulos ſcandalum illa nocte paſſuros, conſtantiam audacter promittit: Ait illi Ieſus: *Amen dico tibi, quia in hâc nocte, antequam Gallus cantet ter me negabis.* Quid eſt, me negabis? Auguſtinus mox allegandus, 3. Matth 26. v. 34.

Ab

Qui negat ſe eſſe Chriſti Diſcipulum, negat Chriſtum eſſe Deû.

Ab eo negatur Chriſtus, qui dicit eum non eſſe Chriſtum. At Petrus qui olim è cœlo edoctus, dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, nunquam negauit, Ieſum eſſe Chriſtum, & Dei filium. Porrò tantùm negauit ſe hominem illum nouiſſe, ſe in horto cum eo fuiſſe, ſe ex Diſcipulis eius eſſe. Idne eſt palam negare, ſuum Magiſtrum eſſe Chriſtum, ſi ſe eſſe Chriſti Diſcipulum? O, inor, res diuerſiſſima eſt, eius Magiſtrum non eſſe Chriſtum, ac ſe non eſſe eius Diſcipulum. Hoc dubium non latuit ingenioſam Auguſtini in re Biblicâ ſagacitatem, & ſic peracutè reſpondet: *Dominus non ait Petro: Diſcipulum meum te negabis, ſed me negabis. Negauit ergo ipſum, cùm ſe negauit eſſe Diſcipulum.* O moraliſſimè arcana ſynonyma! Erubeſcit Petrus, ſe Chriſti Diſcipulum fateri, & eiuſmodi erubeſcentia ſeu timor, diuinitatem Magiſtro negat? Puſillanima Magiſtri deſertio, negatio eſt diuinitatis in Chriſto? Sic Diſcipulus rudi deſertione Magiſtrum culpat? Sic à ſublimitate deponit? Negat Chriſtum eſſe Deum, qui ſe eius eſſe Diſcipulum timet, aut erubeſcit?

Ioan. 18. 25. S. Aug. tr. 113. In Ioan.

Hic v. 19.

No parece que tiene à Chriſto por Dios, quien ſe empacha de hacer obras de Chreſtiano, y ſeguir ſus piſadas. O malè ſapiens Gad, & deſciſcens à cœli ſapientiâ, dum *accingitur retrorſum.*

---

§ CCCXLIV.

Cæleſtis pater Prodigum filium, non quando abiit, ſed quando recipit, tunc deplorat.

1\. Plutarc. in l. *Virum grauiores ſint animi morbi, &c.*

Homo eſt miſeriarum reconditus mũdus.

MVNDVM *quemdam miſeriarum reconditum*, Plutarchus hominem appellat, *non quidem foris incidentium, ſed ipſo in ſolo, ipſáque in terrâ ſuos habentium fontes, vnde ſcaturiant. Hos elicit malitia, copioſum ac largum fluxum prabens affectibus. Quòd ſi corporis morbi pulſibus arteriarum, aut caloris rubore deprehenduntur, hoſque feruor, aut facilis laſſitudo ſolet arguere: contra animi mala pleroſque ita fallunt, vt non habeantur pro malis: nimirum ob id ipſum periculoſiora ſunt, quod ſui ſenſum adimunt ægrotanti. Siquidem corporis morbos ratio ſana percipit: at animi morbos ipſa ſimul ægrotans non poteſt de ſuis iudicare malis, quibus laborat: propterea quòd ægrotet ea pars, cuius erat iudicare. Etenim ſanitatis initium eſt, ſi quis laborat, ſentiat ſibi opus eſſe remedio.* Hinc pœnitenda crebrò hominum flagitia, & rara hominum durabilis pœnitentia. Vnde eſt, quòd quia hominem ſuorum ſcelerum non pœnitet, hominis à ſe creati (ac ſi homo delictum foret) Deum pœniteat. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terrâ.*

Geneſ. 6. v. 5. & 6.

2\. Lucæ 15. boni patris nequam filius, nec ſenioris fratris frugalitate permotus, nec paternæ beneuolentiæ charitate allectus, paternum exigit cenſum: & ſuos auerſatus, ad extraneos pe egrè proficiſcitur. Ibi procul à monitore, ambitioſis ſumptibus, & profuſæ libidini habenas laxat effrenis. Prodigè largus cenſum inſumit, & petulanter iuuenis largè luxuriatur. Iam incipit egere miſer, & ad miſeram inopiam redactus ingenuus homo, ſeruile paſcendorum pecorum ſuſcipit miniſterium. Nec iam delicias expetit, ſed immundi gregis agreſtes ſiliquas miſer eſurit. Ærumnoſâ calamitate admonitus, ad patriam domum redire ſerò cogitat. Sed vide quo fine. Vt habeat, inquam, victum, ſicut vnus de mercenariis paternæ domus. Confeſtim fugam iniit, & ad bonum patrem repedat malus filius. *Cum autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum, &c.* Cùm dicitur Pater *miſericordiâ motus*, lacrymis ſuperfuſus, nonnulli interpretantur. Quâ ſuper re, vt ſolet acutè ſic addubitat Chryſologus. *Quis ergo ex humanâ infirmitate exiſtimet hic (in morte inquam Lazari) fleuiſſe Chriſtum, cùm cæleſtis pater luxurioſum filium, non quando abiit, ſed quando recipit, tunc deplorat?* Perbellè quidem de more Chryſologus. Ecquis non admiretur nouum & extraneum pij parentis ingenium? Siccis oculis prodigum filium è domo dimittit, & infuſus lacrymis illum domo excipit? ô præpoſteras lacrymas, tunc debitas, nunc importunas! Non illacrymat, cùm filium pater perdit, & opplorat, cùm pater filium recipit? Ad filij amiſſionem ſtat inſenſilis: ad recuperationem, tenerum ſenſum oculis exprimit? An opplorat pius pater, quia Prodigus non plorat filius? Nimirum Prodigus adoleſcens poſt profuſiorem vitæ luxuriem, ad cœleſtem redit patrem, quò inopiâ oppreſſus, meliorem habeat victum in paternâ domo, quàm in ruſticâ porcorum villâ: non paternæ reuerentiæ violatione tactus, non lacrymis pœnitentiæ infuſus, & luctuoſo gemitu vocem acerbius intercludente, ob ſcelera iuuenili ardore perpetrata. Exinde bonus pater, etſi lætus de filij reditu, de tepidâ (licet congruâ) filij pœnitentia ſollicitus, obortis lacrymis filium non lacrymantem excipit; vt cæleſtis pater (proprietatibus hominis parabolicè figuratus) ſuis oculis ſuppleat lacrymas, quæ reduci, ſed non lugenti filio deſunt. Ecce tibi quare pius pater, non quando Prodigus abiit filius, ſed quando filium non lacrymantem recipit, lacrymas fundit. Sic concionatoriè liceat parabolæ corticem ad mores flectere. ſcio aliam eius medullam: neque enim myſterio carere videtur, quod cœleſtis pater, ſub ſpecie patrisfamiliâs in parabolâ inductus, non cùm prodigus abiit filius, ſed cùm illum ſaluum recepit, fleuiſſe dicatur.

Cæleſti pater Prodigum filium, non cùm perdit, ſed cùm recipit, tunc deplorat.

Lucæ 15. 20.

S. Chryſol. ſerm. 64. Ioan. 11.

Lazarus, quia de morte ad vitam, Chriſti Dei ope reſtitutus eſt, peccatorum gerit ſymbolum; hic graui morbo languet ad mortem. Mittunt ſorores nuncium ad Chriſtum: qui profectum biduò cunctatus, palam diſcipulis ſuis renunciat Lazari mortem, aiens: *Lazarus mortuus eſt: & gaudeo propter vos.* Mox abit in Bethaniam: mortuum eſſe audit, & pergens ad tumulum, vt illum ad vitam reuocaret, *Lacrymatus eſt Ieſus.* De Lazari lethali languore gaudet Chriſtus, & in eius reſurre- 3.

Ioan. 11. v. 14. & 15.

Ibi v. 35.

Cùm moritur Lazarus, gaudet Christus, ipſum cùm reſuſcitat, tunc deplorat.
Chryſolog. ſerm. 64.

ſt one lacrymatur ? Luculenter inibi ad rem præſentem, nuper laudatus Chryſologus. *Certe ipſe qui dixerat : Lazarus mortuus eſt, & gaudeo : de quo gaude mortuo, ipſum cum reſuſcitat, tunc lamentatur : qui cùm amittit, non flet ; cùm recipit, tunc deplorat : tunc fundit mortales lacrymas, vitæ ſpiritum cùm refundit.* Quis miretur, quòd Chriſtus, cùm Lazarum amittit, non flet ; & cùm illum recipit, tunc deploret ; ſi in memoriam reuocat, quòd *cœleſtis pater luxurioſum filium, non quando abyt, ſed quando recepit, tunc deplorat ?* Videt enim Chriſtus in Lazaro, pœnitentium typo, vſque adeò tepidam quorundam pœnitentiam, vt potius adulari vitiis, quàm deteſtari peccata videantur. Vnde cùm vitæ ſpiritum Lazaro refundit, mortales lacrymas fundit Chriſtus : nec flet, cùm amittit ; ſed cùm recipit, tunc deplorat. O deplorandam aliquorum pœnitentiam, qui ſic remiſsè retractant peccata, (ſi tamen retractant) vt pro conſuetudine magis, quàm pro Dei timore ac reuerentiâ, peccata confiteri videantur. Hos tepidos pœnitentes, mox deterius relapſuros, deplorat Chriſtus in Lazaro, & in filio Prodigo cœleſtis pater deflet. O time ne periculoſius morbi remediis, quàm ipſo morbo ægrotes ! ô caue, ne pro antidoto venenum exhaurias ! Lacrymarum naufragio feliciter peccata pereant, quo vitia extirpentur, & virtutes ad omnem ſanctitatem alantur. Riga lacrymis vitia, & calore pœnitentiæ adoleſcit pietas, & beatitudinem glorioſè metes.

Hic v. 19. Vide hic Gadum, qui poſtquam virtutis prælia præliatus eſt ante eum ; *& ipſe accingetur retrorſum.* Quaſi ideò accinctus ſpiritales hoſtes vicerit, vt iam accinctus, & è cœlo armatus, illos fugiat. O, quid armaris, vt hoſtes fugias ? Gratiâ diuinâ te clypeas, vt accingaris retrorſum ?

---

§. CCCXLV.

Menſa propoſitionis, Euchariſtiæ typus, in Auſtriadum domum arcanè vergit.

1\. TAMETSI Euchariſticus cæleſtis menſæ panis, omnibus Chriſti fidelibus pariter erogetur, & omnes æquè admittat, quos ſqualor conſcientiæ non facit exortes : tamen auguſtus hic cibus auguſtos etiam conuiuas ſignatè expetit. Quaſi epulum omnibus generatim commune, quibuſdam Principibus ſpeciatim deſtinetur. Ecquis Principum tam fortunatè felix naſcitur, vt velut hereditario iure, huic regali conuiuio adornando, venerando, tuendo, & auguſtè fruendo mancipetur ? Exodi 26. inter reliquos ſacrorum ritus, de hoc ſpeciatim Moyſen Deus inſtruit : Pones & propitiatorium ſuper arcam teſtimonij in Sancto ſanctorum : *Menſamque extra velum : & contra menſam candelabrum in latere tabernaculi meridiano : Menſa enim ſtabit in parte Aquilonis.*

Cur Menſa propoſitionis in Auſtriadum domum vergit ?

Exod. 26. 35.

Candelabrum fulgores vbertim ſpargens, ad Meridianum ponitur, vbi vberior meridiei claritas fulget ? Quid oportet meridiem clarare ſeu lucernare, qui cognata luce copioſè clarior eſt ? Et quorſùm *Menſa* propoſitionis ad Aquilonem vergit ? Borealem hyemem cur ſemper ſpectat ? Reliquas velut deſpicit mundi plagas, vt in partem Aquilonis inclinet ? *Menſa ſtabit in parte Aquilonis.* Quid è parte Aquilonis hæc menſa expectat ? quid è Borealibus plagis panis propoſitionis expetit ? Candelabrum, velut heliotropium natiuâ vi perpetuò ad Meridiem : & Menſa propoſitionis æquè ad Aquilonem ? An auxiliarem euocat Auſtriadum domum ? an auguſtos conuiuas propinat ? an ſtudioſos Euchariſtici panis adoratores ſumptuoſius quærit ? *Careſe claramente la primer ſombra de la Euchariſtia, con la caſa de Auſtria, atrayendola à la deuocion de eſte Sacramento, y haciendola glorioſa por eſte reſpecto.* Quid illuſtrius ! *Menſa ſtabit in parte Aquilonis*, vergens in Auſtriacam domum.

Hic verſ. 11. regiæ Iudæ tribui his verbis Iacobus benedicit : Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium, (addit opportunè,) *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Nemini dubium eſt, quin his verbis myſticè Euchariſtia adumbretur, & *vineæ* nomine aptè ſignificetur. Ergo audiendus eſt ſanctus Hieronymus ibi : *Sed & hoc ſciendum*, inquit, *quòd vbi nos legimus : Alligans ad vineam pullum ſuum, pro Pullo in Hebræo poteſt legi, Vrbem ſuam.* O felix illa vrbs, quæ piè Euchariſtiæ ligatur ſtrictiori fidei & deuotionis vinculo ! ô religioſè auguſta Auſtriadum domus, quæ vrbem ſuam, imò ſuas regias vrbes, & orbes, Euchariſtiæ deuotioni innixos & innexos, religionis & imperij incremento beant, Euchariſtico proſperitatis auctario ! I, i felix, ſemper Cæſarea, & perpetuò auguſta domus, ligans ad Euchariſticam vitem, vrbes tuas, tua regna, orbes tuos, hoc diuino epulo & fide adipatos, & imperiis incrementatos, ad vtramque ipſiſſimam gloriam.

2\. *Auſtriadum vrbes, & orbes Euchariſtia allegantur.*

Hic verſ. 11

Hieronym. in qq. Hebr.

Fallor, niſi ſignatè id expreſſit idem Iacobus in Aſeris auguſtâ benedictione : *Aſer*, inquit, *pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.* Ad quæ verba ſic eleganter Rupertus fatur : *Præbebit ergo delicias Regibus Aſer, qui huius panis pinguedine perfruitur, id eſt, eis qui ſemetipſos ſtudent regere, vt ſint digni menſà regalis curiæ, delicias præbebit vitalis alimonia, ſiue Euchariſtiam porrigendo, ſiue pinguem medullam Scripturarum exponendo.* Aduerte Euchariſticum panem dici epulum, ſeu *menſam regalis Curiæ.* Opportunè quidem. *Comite de Corte.* An regalis curiæ menſa appellatur Euchariſtia, quia comptos, nobiles, politos & vrbanos mores expetit ? an quia piè cæleſtium rerum ambitioſos, & curialiſſimos pietatis negotiatores requirit ? an quia anhela Curiæ ſtudia, & ad virtutem reformata poſtulat Euchariſtia ? An potiùs *regalis curiæ menſa* nominatur, quia Euchariſtia eſt regalis Auſtriadum Curiæ epulum, ſuorum Principum deuotione frequens ? *Pinguis panis eius, & præbebit*

3\. Hic v. 20.

Rupert. ibi.

Euchariſtia eſt menſa regalis curiæ.

Anſtriadum milites bantant cum Euchariſtia trophæa.

Pſalm. 22. 4.

prabebit delicias Regibus, regni Proceribus pietatem, Curialibus frugalitatem, hoſtibus debilitatem, eius phalangibus victorias paſſim illuſtriſſimas. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* De hoc armamentario milites cataphracti, non tam ad pugnam, quàm ad victoriam procedunt, haurientes cum cibo trophæa, ait inibi Chryſoſtomus. *Quis eſt igitur inimicos tam facilè vincens, vt prandens trophæum erigat? Propter hoc & Propheta dicit: Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.* Qui deliciantur conuiuando, victoriando etiam deliciantur. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Ad quæ Apocalypſis verba, ita fatur profundè Rupertus: *Quare præmium in cibo? Vt reſpondeat præmium pugnæ.* Quaſi milites, Duces, ac Principes, qui huic cœleſti cibo addicti ſunt; dum eum comedunt, non tam ſuauiter adipentur, quam pugnaciter prælientur, vincant, ouent, triumphent. O feliciſſimi Auſtriades, qui in Euchariſtiæ menſâ pugnas deuoratis, victorias editis, & triumphos potatis! *Quare præmium in cibo? Vt reſpondeat præmium pugnæ. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.* Quid illuſtrius?

Chryſoſt. ibi.

Apocal. 2. 7.

§ CCCXLVI.

Qui in pietatis propoſito nunquam laſſeſcit, ad virtutis metam feliciter peruenit.

1.

Sicut virtus in arduo eſt, ita vitium hominibus procliue.

ARDVA ad virtutem via eſt, & multis obſtaculis impedita; facilè & exprompté itur ad vitium. Malignus comes quantumuis candido & ſimplici, rubiginem ſuam affricat: quin & mala exempla ad eos redundant qui faciunt. Profectò prope nemo eorum etiam qui maximè ingenium ad virtutem concinnant, affinium vitiorum ferre impetum, diu poteſt, quin tantiſper à pietate degeneret. Imò (etſi hæc deſint) ipſa hominum natura, niſi virtutis ſtimulis crebrò vrgeatur, vltrò laſſeſcit, & à propoſito, quod tenax arripuit, imbecilla ſenium langueſcit. Exinde virtus conſtantiæ, conſtantia virtutum eſt, & pietatis ſtudioſo pernecesſaria; & pia quædam velut obſtinatio, virtutes flecti neſcia conſummat, coronatque perſeuerantiæ elogio, quæ perfectionis meta eſt, & ſanctitatis corona, quæ exinceps marceſcere non metuit. Duplex huius theſis proponam argumentum, alterum petitum è Chriſti gymnaſio, alterum de ſcholâ cœli depromptum.

2.

Ioan. 19. 30.

Chriſtus iam iam moriturus ſeſe hominum redemptioni deuouet.

Ioannis 19. inhumana tortorum crudelitas, Chriſto Deo pro nobis patibulato & iam iam morienti, peracerbum aceti poculum ebibendum obtulit. *Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Subtiliter philoſophantur Interpretes ſuper hâc Dominici capitis inclinatione, morientibus peregrinâ, & multa ſuper hâc re acutè ad mores ingeniantur. Hugo Carenſis, quo erat polito & ſubtili ingenio; ita ſcribit: *Inclinato capite tradidit ſpiritum. Quaſi ſupponens humerum ad portandum nos, & onera noſtra: ac ſi dicat: Caput inclino, vt videatis me paratum ad onera veſtra portanda, & ponatis ea ſuper me. Oſee 11. Ego quaſi nutricius Ephraim in humeris meis portabam eos.* Alibi aliorſum expendebamus, ſeram videri hanc animi præparationem, & animoſum Chriſti Dei votum; ante temporis momentum, quo exánimus expirauit. Quod opportunius vouiſſe dicitur in auſpicio incarnationis, quando inaugurátur Redemptor. Cùm iam iam animam exhalat, & nuperrimè plaudente cœlo dixerat, *Conſummatum eſt*, tunc caput inclinat, quaſi humerum ſupponens ad portandum nos, & noſtrorum criminum onera? quaſi dicat, ait Hugo: Caput inclino, vt videatis me *paratum* ad veſtrorum peccatorum ſarcinas humeris meis portandas. O ſerum Redemptoris votum! Cùm tantùm non mortuus eſt, & in ſequenti temporis momento ſe indubiè moriturum perſpicuè noſcit; tunc inclinat caput, vt noſtrorum criminum onera portet? An qui modò dixit, *Conſummatum eſt*, negotium redemptionis iterum humeris ſuis ſupponit. Puto in inſtanti mortis nil Chriſtus promeritus fuit: quin tam cœli mereri potuiſſet, actum fortè ageret, & copioſè redemptos iterato redimeret. O ante poſtremum vitæ momentum, non poſtremam Chriſti eruditionem! Scilicet Chriſtus negotium redemptionis, quod à momento incarnationis ſuſcepit, (ad hoc enim venerat) toto vitæ tempore ſedulus agebat; ante ipſum autem momentum mortis, quæ futura erat redemptionis clauſula, poſtquam dixerat, *Conſummatum eſt*, id eſt, nil reſtat niſi mors; tunc quidem, *inclinato capite, quaſi ſupponens humerum ad portandum nos, & onera noſtra, tradidit ſpiritum.* Adhuc in ipsâ mortis agoniâ, & poſtremiſſimo vitæ momento, oſtendit quàm in votis erat illi hominum redemptio, velut reſtaurans inter tot lethifera cruciamenta redimendi propoſitum? *En la vltima boqueada, baxando la cabeça ſe offrece de nueuo por Redemptor?* Et qui dixerat, conſummatum eſt, nihilque niſi mori deerat, voto tunc nouiter concipit redemptionem, ex Hugonis mente, nobis in primis moraliſſima, cui regius conſonat Vates: *In finem, ne corrumpas.*

Hugo ibi.

Oſea 11.

Pſalm. 19. v. 7. 8. & 9.

Pſalm. 74. 1.

3.

Iob 38. 7.

Iob 38. ita Deus ad ipſum de turbine loquitur: Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ... *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Ex hoc loco aliàs enucleato, iuuat ad præſens thema velitari. Et ſanè verba hæc Iobi non parum negotij interpretibus dederunt, & quia obſcurus eſt ſenſus, & quia cum antecedentibus non facilis nexus. *In aſtris matutinis, & filiis Dei,* qui iidem eſſe exiſtimantur, quidam Angelos eſſe putant, qui admirati diuinam ſapientiam, quam in terræ fabricâ meditabantur, in illius laudes proruperunt omnes cum cantico, & iubilo. Ita Hieronymus, Gregorius, & Beda. Alij communiter quod veroſimilius eſſe puto, *aſtra matutina* idem eſſe volunt, quod ſonant, nempe ſtellas ſeu aſtra quæ ideò *matutina* dicuntur, quia manè apparent, ante videlicet, quàm appareat Sol, ipſo enim primum oriente, ſtatim à maiori fulgore oppreſſa latent.

Aſtra matutina, ob piam lucidi vſque ad ſuum obitum pertinaciam, magnificentius laudantur.

Aſt quis non miretur, Deum ſe velut iactare apud Iobum de laudatoriâ panegyri, cantico, & iubilo, quem vocali ſplendorum voce *aſtra matutina* decantant; & non potius nocturna: cùm in nocte illuni & ſerena tenebrarum lenocinio dulcius micant, gratius nitent, & ambitioſius toto Aplane ſcintillant ſumptuoſiori ſpectaculo? Itaque in ipsâ (vt ita loquar) noctis meridie, nocturna potius aſtra præclarâ lucis linguâ Dei panegyriſtas agunt, & eius laudes concinnius modulantur, plaudente ſolo & ſalo, non matutino tempore, quando roſeo auroræ aduentu, aduentantis Solis prænuncio, aſtrorum nitor langueſcit, interſtinguitur, & tandem lucidioris planetæ radiis tumulatur. Verùm enimvero non aſtra nocturna cùm micantius in ſuâ nocte fulgere videntur, & cùm ſplendorum floribus vernant vigore lucendi; ſed *aſtra matutina*, quæ vſque ad Solis exortum, aſtrorum inquam, ſepulchrum, perlucent, velut obſtinatâ fulgendi ambitione. Hæc lucendi pertinacia Dei laudes modulatius tunc occinit, dignáque eſt, quæ in ipſis Solis radiis ſplendidè tumuletur, ſuperbo quidem mauſoleo. Tales ſuæ gloriæ panegyriſtas exoptat Deus, & tanto laudatore gloriatur: nec tam nitidiorem lucendi iuuentutem, quàm velut obſtinatam lucendi vſque ad capulum, ſenectam, & adhuc nitidam micandi clauſulam exambit Deus; & de illa quodammodo apud Iobum ſe iactat, inquiens: *Vbi eras; cum me laudabant ſimul aſtra matutina?* Scilicet præſtabiliorem lucendi excellentiam in eo deprædicans, qui vſque ad tumulum lucere non deſtitit. O auguſtam magnanimæ perſeuerantiæ laudem, quæ piâ quadam virtutis obſtinatione flecti neſcia, vſque ad poſtremum vitæ ſpiritum conſtanter perdurat!

Hic v. 20. Aſeris Benedictionem his verbis Moyſes deſcribit: Benedictus in filiis Aſer .... *Ferrum &* Deut. 33. 25. *æs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua.*

---

§ CCCXLVII.

Vel muta labiorum apertio, obſtetricante indiget gratiâ, ne faciat verborum aborſum?

1. MISERVM eſt tacere cogi, quæ cupias loqui: ſed magis miſerum eſt, tacenda loqui. Et ſanè nemo ferè loquitur, qui aliquâ ex parte, tacenda non loquatur. In lubrico lingua vertitur, & facile effluit verbulum, quod rationis lima non priùs captiuauit. Tenere ſemper vocis & ſilentij temperamentum, vltra humanum faſtigium eſt. Rarus nimis eſt ſine pœnitentia ſermo, & quem ratio non confeſtim caſtiget. E cœlo expectanda eſt temperata linguæ moderatio.

2. Exodi 4. pia quadam tenuitatis ſuæ pertinaciâ Moyſes Hebrææ gentis principatum recuſat; & tardioris linguæ impedimentum cauſatur, quò minùs Pharaonem adeat, & cum populo res agendas communicet; illum flectat ad dimiſſionem, hunc erigat ad exitum. Obſecro Domine, ait Moyſes, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum. Non autem reuocat Deus electionem Moyſis ob linguæ tarditatem, ſed ſpecialem pollicetur fauorem, quo cælitus linguam modulatè gubernet. *Perge igitur*, ait Deus, *& ego ero in ore tuo: Docebóque te quid loquaris.* Quid eſt: Ego ero in ore tuo? An dum iam loquetur Moyſes? Serò, opinor, dum iam loquitur, auxilium veniet? Subtiliſſimè pariter ac moraliſſimè S. Auguſtinus hæc verba exponens, de linguæ periculis philoſophatur. *Quod Dominus ad Moyſen dicit: Et ego aperiam os tuum, & inſtruam te quæ locuturus es, ſatis hîc apparet, non tantùm inſtructionem oris, ſed ipſam etiam apertionem ad Dei voluntatem & gratiam pertinere. Non enim ait: Tu aperi os tuum, & ego inſtruam te, ſed vtrumque ipſe promiſit, aperiam & inſtruam.* Scilicet ſic eſt arduum ſine offenſa loqui, ſic eſt difficile ad rationis trutinam verba librare; vt non tantùm ipſa loquela, ſed muta etiam oris apertio, quæ verba conatur, præproperæ gratiæ imputetur? Dum ſermonem parturit lingua, & ſcrutinio rationis verba examinans ſermonem dictat; in ipſo inquam, oris taciti hiatu, & time verborum aborſum, & obſtetricantem aduoca gratiam, ne linguæ grauidæ partus miſerè periclitetur. O periculoſam cum verbis affinitatem, quæ verborum contagium præmaturè ebibit! Verbi Dei adminiſtrator, vel ad oris apertionem Deo rectore indiget? Mutus labiorum motus de proximitate verborum, prolapſionis ſuſpectus eſt?

Vel muta oris apertio, prænouerat indiget gratiâ?

August. q. 9. in Exod.

Pſalmo 80. *Ego ſum Dominus Deus tuus.... dilata os tuum, & implebo illud.* Sanctus Hieronymus, Auguſtinus, & Arnobius: *Aperi os tuum, & ego replebo illud.* Quod alibi ipſe poſtulabat Pſalmographus, aiens: *Domine labia mea aperies.* Ecce tibi, oris apertionem, & labiorum ad loquelam hiatum, non proprio regere nutu, ſed Dei gubernatione moderari, anxiè precatur: quod Ezechiëli Deus promiſerat, aiens: *Tibi dabo apertum os in medio eorum.* Adeò vt excelſum ſit Chriſti Dei elogium, quod, *Aperiens os ſuum docebat eos, &c.* ſine vllius periculo lapſus; quem in labiorum apertione valde ſollicitè timet Paulus ad Epheſios 6. ſic inquiens: Per omnem orationem & obſecrationem orantes in omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantiâ, & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me. Quid optat, quidve timet Paulus, vt tanto orationis apparatu totius Eccleſiæ auxiliares aduocet preces? Attentius aduerte quidnam expectet, quidve timeat Apoſtolus. *Et pro me*, inquit, *vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiduciâ .... ita vt in ipſo audeam prout oportet me, loqui.* Cardinalis Caietanus, quo pollebat ingenij acumine, mentem, opinor, Pauli aſſecutus eſt, ita locum exponens: *Quid autem petat pro ſe explicat: Vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiduciâ, pro auſu ſeu libertate. Ita vt in ipſo audeam prout oportet me, loqui. Explicat quod dixerat, Cum fiduciâ. Declarando quod non petit audaciam ſuperfluam aut temerariam,*

3\.

Pſal. 80. 11. Pſal. 50. 17. Ezech. 29. v. 21. Matth. 5. 2. *Quàm timeat loqui, ſic, cui Deus non dicitur, Os aperuiſſe.* Ad Epheſ. 6. v. 19 & 20. Caiet. ibi.

merariàm : ſed vt in ipſo Euangelio audeat loqui prout oportet ; in quo clauduntur omnes circunſtantiæ rationales. Scilicet non expreſsè petit Paulus, oris apertionem, quam poſtulauit Dauid, & quam Deus Ezechiéli promiſit ; ſed *vt detur ipſi ſermo in apertione oris.* Exinde auſum, & libertatem, & audaciam ſuperfluam diligenter præcauet, & oratione fidelium auertere ſatagit. Sic eſt periculoſus oris hiatus, & vel ipſa labiorum apertio ? Sic eſt difficile vel parturire verba ſine lapſu ? Linguæ delicta, ipſa quoque verba præcurrunt ? *Ego ero in ore tuo,* dixit Dominus Moyſi, & vt Auguſtinus interpretatur : *Ego aperiam os tuum.* Quaſi oris apertio, ſatis tuta à delicto non ſit : quippè quam
Hl: v.11. ſic timet Paulus : ô felix *Nephtali dans eloquia pulchritudinis !*

---

§. CCCXLVIII.

In Eloquentiæ defectum, operatrix miraculorum Virga Moyſi ſubrogatur

1\. Ennod. lib. 1. epist. 1

Lingua Rhetori quidvis eſt.

DEVS bone (diſcertiſſimè exclamat Ennodius) *in quantos ſe vſus diues lingua diſpergit ! Cum voluerit, ſæuit vt beſtia, currit vt flumen, fluctuat vt profundum : & quamcumque fucatis imaginibus pingit ſpeciem veri adſtipulatione repræſentat.* Ergo dictorum amœna fugientes, materiam ſolidam Eloquentia ſeligat, ne ſentiat ſuaſoria virilitas eneruatæ damna rationis. Porrò Ratio quantumuis maſcula, & de ſe victrix, ſi malo interprete ſermone vtitur, eneruatur, & vincitur. Eloquentia verò animo & ratione armata, aures quantumuis obſtinatas arietans, contumaciam frangit, & victrice perſuaſione Rationis obtinet arcem. Quaſi facundus gerat in ore ſuo alieni pectoris clauem, arcanâ verborum officioſitate : & dum amœnè dicendo aures mulcet, ſenſim in animos illabitur : quod eſt ordinarium elocutionis trophæum, & naturale Eloquentiæ miraculum.

2\. Exodi 4. humili velut pertinaciâ recuſat Moyſes Helvææ gentis principatum, cauſatus ineloquentiam : vndè ferè putat impoſſibile Pharaonis peruicaciam domare, & popu-
In locum Eloquentiæ, Virga Moyſi ſubrogatur. lum perſuaſione flectere. *Ait Moyſes : Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius : & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Tandem Deus illi concedit Aaronem in adminiſtrum,
Exod. 4. v. 17. & addit : *Virgam quoque hanc ſume in manu tuâ, in quâ facturus es ſigna.* An idoneè iſta cohærent ? Moyſes honorariam legationem recuſat, quia tardo ſermone ſe impeditum ſentit : eſto, illi tribuatur ſocius Aaron, expeditiori linguâ præditus ; quid ad ſoluendi impedimenti negotium refert Virga illa miraculorum matrix ? Contentioſè Moyſes legationem refutat, quia tardus linguâ erat, & datur illi Virga in manu ? Non manuum vitium, ſed linguæ impedimentum allegat. Luculenter ad rem Flauius Ioſephus : *Virgam quoque hanc ſume in manu tuâ, in quâ facturus es ſigna. Moyſes,* inquit, *quoniam perſuaſorius non erat, ſignorum aſpectum exhibuit.* Ioſephus l. 2. Antiq. cap. 5.
Scilicet Moyſes proponit linguæ impedimentum, & datur illa Virga ad præſtanda velut ad nutum miracula : quaſi Virga, quæ erat miraculorum promptuarium, & prodigiorum officina, pro eloquenti lingua Moyſi ſubſtituatur. Bellè factum : quia Moyſes verborum eloquentiâ deſtituitur, in linguæ defectum ſubrogetur miraculorum facundia. Quid ? tantundèm eualet ad perſuaſionem eloquentia, ac arcana miraculorum peritia ? *En vez de eloquencia, le dan à Moyſen la Vara, obradora de tantas marauillas, como ſi fuera vn tanto monta :* ô Eloquentiæ naturalia miracula ad permouendos hominum animos ! Pro oris eloquentiâ, Virgam manu geſtet, quâ velut ad nutum miracula patret. *Moyſes quoniam ſuaſorius non erat, ſignorum aſpectum exhibuit.*

3\. Apoſtolus Paulus 1. Corinth. 1. ita ſcribit : 1. Cor. 5. v. 17. & 20.
Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare ; non in ſapientiâ verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. Et poſt pauca : *Vbi ſapiens ? vbi ſcriba ? vbi conquiſitor huius ſeculi ? Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Annon tantæ molis erat Chriſtianam condere Eccleſiam, vt præſtaret mittere ad diſſeminandum Euangelium ſapientes Philoſophos, eruditos ſcribas, facundos Oratores, qui de cœli ſcholâ edocti arduam Chriſti doctrinam eloquentiæ facundiâ arcanam ſapientiam ſpirante, publicarent ; vt rhetorum arte mulcentes, ſimul cum dulci elocutione audientium animos verborum lenocinio promouerent ? Rudes tamen & agreſtes homines mittit Chriſtus ne euangelizent *in ſapientiâ verbi,* ne grande miraculum conuerſionis mundi, Eloquentiæ tribuatur. *Timetur, ne Eloquentia ſibi arroget publicati Euangelij gloriam ?* Luculenter Auguſtinus : *Magna,* inquit, *artificis miſericordia, ſciebat enim quod ſi eligeret Oratorem, diceret Orator, Eloquentia mea hoc fecit. Interim, inquit Dominus, differuntur ſuperbi iſti, multum tument. Da mihi prius iſtum piſcatorem : veni tu pauper, nihil habes, nihil noſti, ſequere me : tam largo fonti vas inane admouendum eſt. Dimiſit retia piſcator, accepit gratiam, & factus eſt diuinus Orator : leguntur modo verba piſcatorum, & ſubduntur colla Oratorum.* S. Auguſt. de Verbis Dom. ſerm. 59.
Grandius planè miraculum, mundi ad Euangelium conuerſio : ergo agreſtes & barbari piſcatores mittendi erant ; non facundi Oratores : non primò euangelizatur *in ſapientiâ verbi, vt non euacuetur crux Chriſti,* dum mundi conuerſi prodigium rhetorum Eloquentiæ adſcriberetur. Subrogetur in Eloquentiæ locum largior miraculorum facundia, ne publicati & ſuſcepti Euangelij gloriam ſibi arroget Oratorum ſuaſoria. *En la publicacion del Euangelio, retireſe la perſuaſiua de la eloquencia humana, porque no ſe alçe con la gloria de haberle perſuadido al mundo.* Tantus-ne eſt Eloquentiæ vigor ad ſuadelam, vt arcenda ſit, ne mundi conuerſi gloriam vſurpet ? Succedant tot miracula, quæ mundus obſtupuit in publicatione Euangelij, non per facundos Oratores, ſed per barbaros piſcatores propaganda : & pro eloquentiæ gra-

tiâ ſubrogetur (ſicut in Moyſe) miraculorum gloria. Quid exaggeratius?

Hic v. 21. Hîc verſ. 21. vnica duntaxat Benedictione Nephthalitica tribus augetur, ſed in primis felici & opulentâ: *Nephthali ceruus emiſſus, dans eloquia pulchritudinis.* Portò ſicut Iudæ tribuitur imperij ſceptrum, ita Nephthali oris principatus. Ille duriùs iubendo imperat, hic eleganter ſuadendo principatur: ô nobilem de Eloquentiâ Benedictionem!

---

§ CCCXLIX.

Arcana ſilentij vis, & ingenium acutè elimat, & eloquentiam concinnè elaborat.

1. GARRVLITAS, opinor, ſoboles ſuperbiæ eſt, quæ opportunè importunè, & ingenij acumen, & ſermonis leporem verbis venditare ambitioſè feſtinat. Verùm enimverò (niſi ego valdè fallor) ſilentio magis, quàm ſermone, & ingenij acumen, & eloquentiæ nitor vrbanè oſtentatur. Neſcio enim quâ arcanâ vi velut accreſcit intellectus ſilentio, & facundia politior taciturnitate nutritur, adoleſcit, & nitet.

2. Prou. 17. 28. Vulgare Sapientis prouerbium eſt: Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt, & pretioſi ſpiritus vir eruditus. *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur: & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.* Stultus enim ſi labia taciturnitate compreſſerit, vulgò habebitur ſapiens, ſapiens autem non erit: nam ſilentium non ingerit ſapientiam, ſed diſſimulat ſtultitiam. *Silentium eſt anticipata delictorum venia.* Aſt neſcio quâ occultâ virtute ſilentium fouet mentem, & velut parturit intellectum, non tantùm diſſimulatione ſtultitiæ & ſapientiæ oſtentatione; ſed etiam abſtruſâ quâdam velut accretione intellectus. Prou. 10. 19. Prou. 10. ſic fatur Salomon: In multiloquio non deerit peccatum: *Qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* LXX. interpretes: *Parcens autem labiis, ſenſatus erit.* Quaſi ſilentium ſit anticipata venia delictorum, in quæ lingua proculdubio effluerer. (Mitto hæc, quæ aliam theſim apprimè locupletarent) Hebraïcè autem ſic locus exſcribitur: *Et prohibens labia*

3. S. Ioannes Abbas apud Salazar ibi. *Silentium adiuuat, & velut incrementat intellectum.* *ſua, intelligens.* Ac ſi intelligentia ſit proles ſilentij. Perbellè ad rem ſanctus Ioannes Abbas Raytic, & diui Ioannis Climaci Scholiaſtes, ita ſcribit: *Oculum animæ dicit intellectum*; (diuus Ioannes Climacus inquam) *ſed hunc ſilentio adiuuari conſtat: eò quòd multiloquium calorem ſpiritus extinguit, & fluxus faciendi naturam habet.* Expendant alij rationis energiam; ſat mihi eſto, *intellectum ſilentio adiuuari*: nam *prohibens labia ſua, intelligens eſt.* Quaſi animi intellectus taciturnitate adiuuetur, à ſilentio quodammodo fit, & ſilentio conſtet: ô ſtultè, explicas labia, vt ſermone ingenium oſtentes? imò labia comprime, vt ſilentij ingenio, te & intelligentem & acutum comprobes. Portò lingua omnibus loquitur, etiam ineruditis: ſilentium verò opportunum eruditis omnibus ſapientiam loquitur, intellectum oſtentat, ingenium publicat: ô arcanum ſilentij ingenium! Sed vide etiam mihi taciturnitatis eloquentiam, quam ſilentium tacitè euulgat.

Exodi 4. conſtanter recuſat Moyſes Hebrææ gentis ducatum. Allegat primò incredulitatem Hebræorum, & proteruum Pharaonis ingenium. Sed miraculorum ſibi conceſsâ poteſtate, ſatis ſibi factum putat. Necdum tamen acceptat principatum, ſed confeſtim tardam linguam & ineloquentem obiicit, quaſi magnum rei gerendæ impedimentum. Ait Moyſes: Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum. Verùm diligenter nota profundam rationem, quâ Deus obiectioni ſatisfaciens, eloquentiam Moyſi pollicetur: Dixit Dominus ad eum: *Quis fecit os hominis: aut qui fabricatus eſt mutum & ſurdum? nonne ego? Perge igitur, &c.* Profectò ſi hæc Dei ratio attentiùs conſideretur, non videtur cum præcedentibus cohærere, neque euincere intentum propoſitum. Obiecerat Moyſes ne Iſraëlitarum principatum admitteret: *obſecro Domine, non ſum eloquens, &c.* Quorſùm ergo Dominus, vt probet, ſe ex ineloquente poſſe Moyſen facere facundum, dicit: *Quis fabricatus eſt mutum & ſurdum?* Opinor, dixiſſet aptiùs: Quis, niſi ego, linguas infantium facit eſſe diſertas? Ego, ego ipſe ſum facundiæ fons, & eloquentiæ conceptaculum. Quid, quæſo, eloquentiæ cum ſurdo? quid facundiæ cum muto? ô bonam eruditionem! Ego ſanè putauerim, quòd ſicut in diſerto & opportuno ſermone elaborata elucet eloquentia, quæ audientium animos voluptate ſuſpendit, & maſculâ ratione tranſuerſùm agit, perſuaſionis victoriâ; ſic etiam ſæpè in muto ſilentio, & in modulatâ ſurditate, abſconſæ elegantiæ nitor & vigor apparet: ô pulchram opportunæ taciturnitatis eloquentiam! ô venuſtam affectatæ ſurditatis elegantiam! ô præclara ſurdi ſilentij ſchemata! ô diſcamus de ſcholâ Dei concinnam taciturnitatis elegantiam! ô quàm eleganter quis mutus eſt, in opportunâ ſilendi occaſione! Quantùm adiicis ad ſilentium, tantùm addis ad ingenium, elegantemque ingenij oſtentationem. Idonea taciturnitas, & eloquenter venuſta eſt, & verborum parturit venuſtatem. *Tene ſemper vocis & ſilentij temperamentum. Tamen & in hoc incumbe, vt libentius audias, quàm loquaris. Tacere qui neſcit, neſcit loqui.* Seneca ex publ. Mim.

4. Exod 4. v. 11. *Parens eloquentiæ, auctor mutorum dicitur.*

In gymnaſio ſilentij elimantur & comuntur pulchra Nephthali verba. Hîc v. 21.

Quod ex §. ſequenti amplius illuſtrabitur.

* * *

§. CCCL.

§. CCCL.

Silentio etiam ſua ineſt arcana eloquentia, quâ eleganter ſuadet.

1.
AMOENIORIS litteraturæ periti multis rhetorem informant, quò eloquentiæ ſtudioſus ediſcat dictionem expolire, ſchemata intermiſcere, periodos tornare; ac denique ſermonem blandè pariter ac neruosè ad delectationem aut ſuadelam aptè concinnare. Tam multa rhetores de verborum eloquentiâ adaggerant, & vſque ad lectorum faſtidium ſpiſſant, vt nulla poſteriori æuo noua ſint, nulla iam non odioſa ipsâ ſatietate. Ceterùm quandoquidem Ariſtoteles ſubtiliter docuit, auditum non duntaxat circa voces, ſed circa ſilentium etiam verſari, breuem nec inuidioſam dabo arcanam ſilentij eloquentiam,
Silentio ſua ineſt eloquentia.
facundioris elegantiæ æmulam. Porrò vt muſicæ ars non tantùm diſcordes ſono voces ad harmoniæ concordiam redigit, ſed vocum ſilentia, ſeu pauſas ipſas ad concentum modulatur, & ad melodiæ ſuauitatem: ita nunc ſilentij eloquentiam breui perſtringam, ſi fortè quis ad antiquam verborum rhetoricam nauſeans, nouæ artis ſtudioſus, taciturnitatis elegantiam ediſcat, rem facilè parabilem iis, qui
Silentium eſt verborum & ſapientiæ conceptaculum.
linguam rationis fræno moderantur. Et ſanè ſilentium, verborum nutrimentum eſt, & loquendi gymnaſium. Vix benè congruenter loqui poteſt; qui priùs ſiluiſſe neſciuit. Pulchrè
Seneca in Prouerb.
Seneca: *Taciturnitas ſtulto homini pro ſapientiâ eſt: tacere qui neſcit, neſcit loqui.* Quaſi ſilentium ſaltem ſit verborum promptuarium, cultioris eloquentiæ conceptaculum, & tacita officina, in quâ opportunus limatur ſermo, ne ex ore prodeat ſine conſiderationis limâ captiuus.

2.
Iſai 50.v.4.
Iſaïas cap. 50. *Dominus*, inquit, *dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt verbo, erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, &c.* Quænam eſt
Silentij lingua erudita.
hæc lingua erudita, quam ſibi à Deo datam prædicat Iſaïas? Aures potiùs, quàm linguam demonſtrat eruditas, dum ait: *Erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum*: non dicit, vt loquar, ſed, vt audiam tanquam magiſtrum attento ſilentio. Imò Iſaïas linguam in verbis, & ſilentium in ſermonum taciturnitate prædicat à Deo eruditum, vt acutè his verbis notauit Ambroſius.
Ambr. l.1. Offic. c.2.
Quid autem præ ceteris, inquit, *debemus diſcere quàm tacere; vt poſſimus loqui, ne priùs me vox condemnet mea, quàm abſoluat aliena? Quid opus eſt igitur vt properes periculum ſuſcipere condemnationis loquendo, cùm tacendo poſſis eſſe tutior? Complures vidi loquendo in peccatum incidiſſe, vix quemquam tacendo: ideóque tacere noſſe quam loqui difficilius eſt. Scio namque loqui pleroſque, cùm tacere neſciant.*
Iſai.50.v.4.
Sapiens eſt ergo qui nouit tacere. Denique ſapientia Dei dixit: Dominus dedit mihi linguam eruditionis, vt ſciam quandò oporteat ſermonem dicere. Vnde bene ait Scriptura: Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus. Ecce tibi *linguam eruditam* (vel *linguam eruditionum*, vt eſt in Hebræo) appellat Ambroſius, quæ noſcit loqui, & quæ tacere nouit: ô bonam in re morali eruditionem! ô eruditam ſilentij linguam! Mutum putas opportunum ſilentium? eruditè vocale eſt, & eruditam eructat ſapientiam, tacendo loquitur, & plura ſæpè ſignificat, quàm dicit. Diſcamus hanc ſilentij ſapientiam, & pudeat Chriſtianos è pagano ore audire: *Taciturnitas ſapientia eſt: ſed rarus eſt agens eam.*
Eccl.20.v.6.
Cato apud Cornel. in c.20 Eccli.

3.
Lucæ 22.43.
Silentio in Angeli confortatur Chriſtus?
Lucæ 22. Chriſtus Deus Paſſioni proximus, anxiè ad Patrem orat in horto: *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum.* Nemo neſcit, qui aliquid ſcit, quam varias expoſitiones ad hunc locum extricandum, adaggerent expoſitiui & ſcholaſtici doctores, adhuc poſtquam SS. Patres hâc ſuper re valdè deſudarunt. Quid enim de nouo Angelus eloqui poterat, quod Dei filium, & verum Deum priùs lateret? Imò ipſa conſolatoria verba, conſolationis quaſi indigum fortè probarent Chriſtum; quàm velut magnanimitatis contumeliam, priſci Philoſophi refutabant: ac ſi viro forti gratulandum ſit de calamitate, de quâ animi conſtantia micantiùs fulgurat. Ab aliis vapulet hæc Philoſophorum vana gloria, neque enim virtus inſenſiles & inuulnerabiles recudit homines, ſed in duris fortes, & patientes facit, audio enim ex Euangeliſtæ ore, quòd *Apparuit Chriſto Angelus de cælo confortans eum*, nec quid de conſolatoriis verbis ſuggerere potuerit idoneum facilè ſuccurrit. Noſter Ioannes de Pineda in re Biblicâ in paucis eruditus vir, exponens illud Iobi, dum dicitur, quòd eius Amici viſâ calamitate attoniti, *Sederunt cum eo in terrâ ſeptem diebus, & ſeptem noctibus: & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem eſſe vehementem:* eleganter philoſophatur de hâc eloquenti Amicorum taciturnitate; & eâ præfatum Lucæ locum de Angeli conſolatione, conatur explicare.
Iob 2. v.13.
P.Pineda ibi num.6.
Eſt miſeris, inquit, *in primis delectabile ſumere actuale experimentum de verâ amicitiâ per certa veriſſimaque ſigna, nullis etiam verbis adhibitis, & quidem fortè Angelus, qui Chriſtum Dominum orantem confortabat, eâ potiſſimùm ratione conſolabatur, non quidem verbis vllis.* Quid luculentius? Nimirùm ad Chriſtum Deum conſolandum, infans & muta eſt humana facundia, fatiſcit Angelorum lingua, & quid verbis eloquatur, & quomodo eloquendum ſit, ignorat. At vbi deeſt humana & Angelica eloquentia, adſunt Chriſto Angeli, (nam ſemiſopiti Apoſtoli adeſſe non ualent) & linguatâ arcani ſilentij eloquentiâ, Chriſtum *confortaſſe* dicuntur. Vbi deſunt verba Angelico cœli oratori, ſilentium eloquatur, quod ſermo non eualet, præſententur Angeli, ſed ſileant, vt ſilentium ſignificet, quod lingua eloqui non valeret: ô altam taciturnitatis eloquentiam!

4.
Matth.15. v.21. & 22.
Matthæi 17. *Egreſſus inde Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere mei Domine Fili David: filia mea male à Dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum.*

Chriſti ad Chananæam ſilentiũ multa eloquitur. Baſil. orat. 20

verbum. Vis noſſe quanta, quamque illuſtria Chriſtus huic feminæ dixerit, eruditâ vocalis ſilentij linguâ? non pigeat legere quæ ſuppari elegantiâ argutè ſcripſit Seleu. Baſilius: *Qui non reſpondit ei verbum*: ô ſub inhumanitatis obtentu (inquit) ſilentium longè humaniſſimum! ô ſilentium vocalis admodum Iudæorum accuſator! Namque ſilentio ad Iudæos talia loquebatur: Vides Iudææ Chananææ generoſitatem? vides ex improba radice fructum dilaudatum? Moyſen non ſuſcepit latorem Legis, & Moyſis agnouit Dominum: Prophetas neſciuit, & à Prophetis cantato credidit: non vidit ſigna, & Dauidis filium confitetur. Deum poſt miracula negaſti, Iudæe, & huic illa ante miracula credidit. Ecce etiàm propter te luctu confertam deſpicio, commiſerationem tego, etſi luctus miſereor. Vociferantem vt gentilem auerſor, tibi infidelitatis occaſionem præſcindens. Nondum malum ſoluo, ne te ad inuidiam commoueam: ſanationem differo, ne infidelitati tuæ materiam ſuggeram; ne vt infidelis accuſatus dicas: Quid te Chananææ miſerebat? quid Moyſis inimicos curabas? Ecce lugentem nimis aſpicio, ac præ te matrem deſpicio filiæ doloribus diſcruciatam. *Fili Dauid miſerere mei. Qui non reſpondit ei verbum.* Curationis dilatio fidei ſpecimen, ſanationis prorogatio fuit voluntatis in muliere probatio: potiùs verò Domini ſilentium Chananææ commendatio. Hucuſque Baſilius, qui ſubtiliter ediſſerit quàm multa Chriſtus linguæ ſilentio, & Iudæis incredulis, & credenti Chananææ eloquentiſſimè dixerit, & breui taciturnitate compendiauit.

3. Matthæi 2. Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? *vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Quæ verba ſic expendit ſanctus Maximus: *Cum omnium Patriarcharum doctrina, & prophetica ſanctorum virorum eloquia ad agnitionem filij Dei Iudaica corda non flexerint, vnius ſtellæ radius fidem gentium ſuſcitauit. Quæ tanta commutatio, fratres, quæve iſta conuerſio? Apud Iudæos Propheta loquitur, nec auditur; apud Gentiles ſtella tacet, & ſuadet*: ô nouam rerum commutationem! Viuax olim Iudæorum fides, tot prodigiis emortua tumulatur; & *vnius ſtellæ radius fidem Gentium ſuſcitauit?* Planè grandius ſtellæ apparitione miraculum eſt, quod huius ſtellæ radius tot ſit mortuorum ad gratiæ vitam ſuſcitator, quot è vaſtâ & emortuâ Gentium ſyluâ, velut ex infidelitatis ſepulchris, rediuiuâ natiuitate ad fidei & gratiæ vitam cælitùs ſuſcitauit. Sed vide mihi, in quo ſita ſit tanta vnius ſtellæ eloquentia, vt adores ſilentij Sacramentum: Iudæis Propheta Chriſtum *loquitur, nec auditur*, Gentibus verò *ſtella tacet, & ſuadet.* Vocalis Prophetarum clamor mutus eſt Iudæis, & mutum ſtellæ ſilentium linguatum eſt Gentibus, quod Meſſiæ natiuitatem euidenter eloquitur. Scilicet æquum eſt, vt dum clamor Iudæis ſilet; ſilentium Gentibus clamet. Vides ſtellam fulgidâ nitentis ſilentij lingua Gentibus ſuaſiſſe, quod Iudæis tot Prophetarum oracula diſertis verbis minimè perſuaſerunt.

Matth. 2. v. 2.

Maxim ſer. 5. de Epiph. *Prophetarum clamor Iudæis ſilet, & ſtella ſilentiũ Gentium clamat.*

Sanctus Chryſologus poſtquam multa piè, eruditè, & eleganter dixerat, hâc clauſula concionem finiit: *Deus autem noſter quæ diximus, & quæ tacuimus, ipſe ſanctus veſtris ſenſibus inſinuare dignetur.* Quaſi non minus ex his quæ eruditè dixit, quam ex his, quæ eleganter ſiluit, profectum animarum à Deo ſperet Chryſologus. Denique non omittam, *Silentij fidem*, quam Tertullianus prædicat; ne qua ſuadendi ratio non eluceat in ſilentio. 6.

Chryſolog. ſerm. 120. *Silentij fides.*

Tertull. in Apolog. c. 7.

---

§ CCCLI.

Vitæ, quàm linguæ eloquentia, potentior eſt ad virtutis ſuadelam.

NON ieiuna eſſe & arida volo, quæ ad informandos & componendos mores traduntur: neque enim virtus ingenio renunciat. Multùm tamen operæ impendi verbis non oportet. Ad res auditores commoueantur, non ad verba: alioquin nocet illis eloquentia, ſi non rerum cupiditatem facit, ſed ſui. *Hæc ſit propoſiti noſtri ſumma, quod ſentimus loquamur, quod loquimur, ſentiamus. Concordet ſermo cum vita. Ille promiſſum ſuum impleuit, qui & cùm videas illum, & cùm audias, idem eſt.* Videbimus qualis ſit, quantus ſit, an vnus ſit. Non delectent verba, ſed proſint. Proderunt tamen, ſi quod ſentimus loquimur, & quod loquimur ſentimus; ſi in opere videant, quod ex ore audiunt. Linguæ duntaxat eloquentia, friuola garrulitas eſt, & ſermo facundiæ nobilitate captiuus. At qui limâ virtutis mores ſuos expolit, maſculâ vitæ eloquentiâ, fortiùs loquitur, & feliciùs perſuadet. Qui alios ad virtutem concinnant, morum potiùs, quàm verborum eloquentiâ, & elegantis vitæ, tacitè vocali facundiâ, probitatem erudiunt. Nam opus, elegantia & vigor ſermonis eſt, à quo eloquentiam mutuatur. Ille abſoluti rhetoris perfectè munus impleuit, qui & cùm operantem videas illum, & cùm loquentem audias, idem eſt. 1.

Senec. ep. 76. *Ille ſuadet quem cùm videas, & cùm audias, idem eſt.*

Lucæ 12. Chriſtus Deus, qui, quà homo, cœpit facere & docere, quà Deus, cœlum & terram creauit, cùm vox anteuerteret nulla, vt opera ſermonem præirent; ſic de cœli ſcholâ Diſcipulos ſuos alloquitur: *Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant.* Doctrina planè ſuaſu difficilis, & quæ ad ſuadelam eloquentia indiget feliciſſima. Sed quâ, oro te, eloquentiâ, verborum, an morum? vitæ, an linguæ? Belliſſimè S. Chryſologus, verſans præfata Lucæ verba, ita ſcribit: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus. Audiant*, inquit, *qui de bono mortis Veterum venuſta volumina detriuerunt, nihil tamen inde capere virtutis, aut conſolationis aliquid inuenire valuerunt. Quia etſi totis eloquentiæ viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos, ſiccarunt lacrymas, ſuſpiria ſuſtulerunt, negauerunt* 2.

Lucæ 12. 4.

Sterilis Philoſophorum adhortatio, quia erumpunt ex ſententiâ, non è vita.

Chryſolog. ſerm. 101.

negauerunt gemitus, incluſerunt dolores: nihil tamen aut de ſpe certâ, aut de perpetuâ vitâ, aut de verâ ſuis lectoribus ſalute conquiſierunt. Quis homini, quis ſapienti dicat? Mori natura eſt: neceſſe eſt deperire. Nobis vixerunt veteres, viuamus nos futuris, nemo ſibi: quod non poteſt tolli, velle, virtutis eſt: ſuſcipe voluntarius ad quod vrgeris inuitus: mors antequam veniat non eſt, cùm autem venerit, veniſſe neſcitur. Nec ergo amiſiſſe te doleas, quod cùm amiſeris non dolebis. Pulchrè quidem. Sed ſigna clauſulam Chryſologo dignam: *Sed hæc talia cùm dixerint, dicunt totum de ſententiâ, non de vitâ.* Nempè eleganter de virtutibus garriunt Philoſophi, ſed quia ore tenus loquuntur, iactant duntaxat concinna verba, & facundiæ limâ vſque ad miraculum nitida; ſed infelici ſuadelâ fantur, quia verborum eloquentiâ, non vitæ elegantiâ perſuadere præſumunt. Quia eleganter *talia cùm dixerunt, dicunt totum de ſententiâ, non de vitâ.* Oris mera eloquentia, niſi maſculâ vitæ elegantiâ adiuuetur, inutilis & barbara eſt.

3\. Pauli eloquentiam, quam ſtupuit Chryſoſtomus, quis non miratur? Putaſne perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis vniuerſo mundo Euangelium perſuaſiſſe, an potiùs ineffabili vitæ eloquentiâ? Audiendus eſt ipſe

Paulini operis, potiùs quàm ſermonis eloquentia.

1\. Corinth. 9. Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. Iis qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, vt lucrifacerem eos.

1\. Cor. 9. 22.

Factus ſum infirmus infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Quæ verba ſic opportunè ad rem non vulgariter, exponit Chryſologus:

Chryſol. ſerm. 101.

Probant hoc Apoſtoli, & maximè Paulus; qui vapulando docuit, vt eximius Magiſter quot ſunt hominum mores, tot ferret & exciperet paſſiones. Scilicet Paulus non tantùm mera Euangelij verba ſermone buccinabat, & ore tonabat: ſed ipſe Euangelio impreſſus, vel potiùs Euangelium ſuis moribus impreſſum, ſpectatorem oculis prædicabat. Ipſe Paulus erat Euangelij compendium, & eius vita, viuum Euangelium: idemque prædicabat, & cùm videbas operantem Paulum, & cùm Paulum loquentem audiebas. Eſuriendo, ignoſcendo, ſuſtinendo, vapulando, pluſquàm loquendo, *docuit; vt eximius Magiſter quot ſunt hominum mores, tot ferret & exciperet paſſiones.* Vnde felici ſuadelâ totum orbem ad Euangelium traxit, non tam ſermonis peritiâ, quàm morum elegantiâ.

4\. Diu cunctatur Moyſes legationem ad Pharaonem, cauſatus linguæ balbuciem. Tandem ait ad illum Dominus: *Aaron frater tuus Leuites, ſcio quod eloquens ſit, loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius.* Sicque res exinceps conſtituta eſt, quòd Aaron vices gereret interpretis, vt ea quæ Moyſes à Deo inſtinctus illi balbutiendo ſuggeret, Aaron expedito ore, & ſermone nitido Regi denunciaret. Verùm ſic vtrumque inſtruit Deus qualiter ſe gerant in primo miraculo perpetrando: *Cùm dixerit vobis Pharao: oſtendite ſigna: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.* Super quibus verbis ita ſubtiliter addubitat Auguſtinus: *Hic certè non miniſterio vocis erat opus; cùm videbatur velut ex neceſſitate datus Aaron propter gracilitatem vocis Moyſi: ſed virga erat proiicienda, vt draco fieret. Cur ergo Moyſes ipſe non fecit?* An quia ſi Aaron tantùm verbi, non operis eſſet adminiſter, caſſa forent eius verba, effectu irrito? Sermonem, quem loquentis opus non commendat, & ad ſublimiorem eloquentiam non elimat, nec pili eum homines faciunt; cùm opera ſint verborum energia, & eloquentiæ vigor. Bonum opus Dei verba maritat, quæ factis viduata, perſuaſionis infœcunda ſunt, infelici abortu. Non vſurpat Aaronis facundia Moyſis officium, ſed ſuum armat ſermonem operandi vigore. Alioqui facundus Aaron, elinguis eſſet ad ſuadelam, inermis ad victoriam. Eloquens eſt Aaron, copioſus, & eloquio nitidus; ſed vt merum agat officium interpretis, qui Pharaonem tranſuerſum agere loquendo poſſit, ad ſermonis eloquentiam accedat operis elegantia, vt oris lepor operis vigore ad ſuadelam erudiatur. Quid elegantius?

Exod. 4. v. 14. & 15.

Bonum opus Dei verba maritat, ne ſint infœcunda perſuaſionis abortu.

Exod. 7. v. 9.

S. Aug. q. 19. ſuper Exod.

---

§. CCCLII.

Secularis ſapientia conſcientiæ gratulatur: & profana eloquentia balbutit ad diuina

ET *ego*, ait Apoſtolus, *cùm veniſſem ad vos, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientia, annuncians vobis teſtimonium Chriſti ...... Et ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* E cœlo enim allata nobis eruditio humanam ſapientiam & eloquentiam refutat. Non in ſublimitate humanæ ſapientiæ, non in facundiâ profanæ garrulitatis, aulico aut theatrali ſchemate elaboratæ, euangelizat Paulus, ſed nouâ & de cœlo allatâ ſapientiæ & ſermonis politiâ, Eccleſiam erudit. Vtrumque perſtringam, quod alibi vel ad lectoris nauſeam copioſè tractauimus. 1.

1\. Corinth. 2. v. 1. & 4.

In Iudith. cap. 18.

Exodi 3. tandem excalceatus, audet Moyſes rubo appropinquare, vbi Deus ignis ſpecie apparens, linguâ lucis ſic primò ad illum loquitur: *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Hanc Deus ſui notionem ante omnia, ſuo ingerit Moyſi; Moyſi inquam, qui aliàs ingenij laude, ſeculari eruditione, quin & vitæ puritate excellens, ſine Deo veri Dei notitiam aſſequi non valebat. Quod S. Hilarius hæc verba tractans, his verbis eleganter expendit. Non eſt, inquit, de Deo humanis iudiciis ſentiendum. Neque enim nobis ea natura eſt, vt ſe in cœleſtem cogitationem ſuis viribus offerat. *A Deo ſciendum eſt, quid de Deo intelligendum ſit, quia non niſi ſe auctore cognoſcitur. Adſit licèt ſecularis doctrina elaborata inſtitutio, adſit vitæ innocentia: hæc quidem proficient ad conſcientiæ gratulationem, non tamen cognitionem Dei conſequentur.* Planè luculenter Hilarius. Scilicet 2.

Exod. 3. v. 6.

Hilar. lib. 5. de Trinit.

Sapientia profana conſcientia gratulatur.

licet ſecularis doctrinæ elaborata inſtitutio, & diu conquiſita ſapientia; imò & ſpecioſus innocentiæ nitor, ſeu vitæ extrinſecùs inculpatæ innocentia, non aſſequuntur Dei notionem, ſed duntaxat *proficiunt ad conſcientiæ gratulationem.* Profana eruditio ingenium elimat, & mentem honeſtis imbuit diſciplinis; quin & indoles ad virtutem facta, & ſcientiis exculta, ſubornat conſcientiam, cui *gratulari* de diſciplinarum lenocinio poſſunt, de verâ Dei notione non poſſunt. Secularis eruditio *gratulatione* tacitâ conſcientiæ adulatur; veram autem Dei notionem, verumque conſcientiæ nitorem non operatur. *La ſabiduria profana mas erudita, bien podra dar el para bien à la conſciencia, de que alcança mucho de Dios: pero ſepa, que eſſe para bien, tiene mucho de liſonja, y poco de verdad.* Vnde Gentium Doctor dixit ad Corinthios: *Non in ſublimitate ſapientia annuncians vobis teſtimonium Chriſti.* Procul eſto profana eruditio à Chriſtianæ ſapientiæ ſacrario.

3. Idem Moyſes, vt renunciauit humanæ ſapientiæ ad res Dei tractandas; ſic etiam & ſeculari eloquentiæ renunciauit, vt non *in ſublimitate ſermonis aut ſapientia* Deum annunciaret.

Exod 4. v. 10.

Exodi 4. pia quadam humilitatis obſtinatione refutat Moyſes Hebrææ gentis imperium, aiens: *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Hinc magna oritur inter commentatores diſceptatio, an Moyſes naturali linguæ impedimento, & infacundiæ næuo deturparetur; an à colloquio diuino ineloquens euaſerit. Quâ ſuper re ſic fatur Origenes: *Donec eſſet Moyſes in Ægypto, & erudiretur in omni ſapientia Ægyptiorum, non erat tardus linguâ, nec profitetur ſe eſſe ineloquentem. Erat enim quantùm ad Ægyptios, eloquentia incomparabilis. Vbi autem cœpit audire vocem Dei,*&c.

Secularem eloquentiam dediſcat concionator, ne in diuinis balbutiat.

Orig. hom 3. in Exod.

Quid eſt, quòd Moyſes ſeculari & aulicâ eloquentia nuper incomparabilis, quando nunc adſumitur ad res Dei tractandas, ſe profitetur ineloquentem, & tardiori linguâ, ſeu balbutie præpeditum, & velut elinguem? Sic ſecularis garrulitas, muta eſt ad res diuinas pro dignitate annunciandas? Heu Chriſtianus Concionator eloquentiam hauriet, quò ſtylum politiùs elimet, & profanitate poëtarum, & nouellarum ſpurcitiis, è nugarum ſecularium ſqualore? Vereor, vt hæc lutulenta facundia conſpurcet Euangelici verbi nitorem. Ex hâc ſeculari eloquentiâ, ſacrario concionum peregrinâ, fieri ſolitat (ô malum!) vt eodem animo, iiſdem oculis & auribus frequententur ſacræ conciones, & profana hiſtrionum theatra. Quid ſacræ concioni cum ſecularis eloquentiæ ſchematis, floſculis, cincinnis? Moyſes in regiâ Pharaonis enutritus, & inſtitutus, *erat quantùm ad Ægyptios, eloquentia incomparabilis:* at cùm aſſumitur ad res Dei tractandas, ineloquens cenſetur, quaſi ſecularis facundia balbutiat ad diuina tractanda, & nouis linguis res Dei eloqui neceſſe ſit.

Hîc v. 21. Gloſſa interlinear.

Hâc diuinâ facundiâ Nephthalitæ dotantur, dum de Nephthali dicitur: *Dans eloquia pulchritudinis.* Quod notauit hîc Gloſſa, aiens: *Dans eloquia pulchritudinis. Hi ſunt Apoſtoli & prædicatores. Ex hâc enim tribu fuerunt Apoſtoli.* Non fucatus ſecularis eloquentiæ nitor, ſed virtutis vigor, dat eloquia pulchritudinis.

---

§. CCCLIII.

Auguſtior maieſtas, ex viliori humilitate cenſenda eſt.

NOMINVM inſana arrogantia, peruerſo tumore inflata, ſibi non conſtat; nec vitiis tuta eſt, nec ſecura virtuti. 1.

Quid abiectius & ſordidius apud arroganter ſuperbos, quàm indecora & propudioſa humilitas, cuius nimiùm erubeſcunt? Sed illos ipſos ſæpè videbis humilitatem ſpirantes, vt humilitatis merito illuſtriores videantur, & excelſiùs ſublimentur. Quaſi dignitatum faſtigia ſint demiſſæ humilitatis ſtipendium, & auguſtior honos, ſit humilitatis meritum & ſequela.

Oculus peruerſo tumore ambit pedis officium.

S. Chryſologus ad ea verba Pauli: *Sicut in vno corpore multa membra habemus,* &c. ad hunc modum ſcribit: *Neque pes oculi miniſterium, neque oculus pedis officium, peruerſo tumore confundat.* Non miratur, ambitioſum tumorem dici, cùm abiectus pes illuſtrium oculorum miniſterium vſurpat: at mirum valdè eſt, arroganter *peruerſum tumorem* dici, cùm clari & prælustres oculi officia pedum affectant: dum præclariores & excelſiores ſe oſtentant, quo obſcura & ſqualida pedum munia ambitioſiùs non detrectant; ſed peruerſo tumore honoribus inſidiantur, affectatæ humilitatis artificio. Scilicet vel ſuperborum ſuffragio humilitas celſiſſima habetur, & tacitè prædicatur; dum quæ opere propudioſè abiicitur, ambitione glorioſè affectatur. Itaque, ſuperbiſſimis etiam aſſentientibus, notum ſit, nil adeò excelſum & illuſtre eſſe, quàm abiectam humilitatem, quæ & acquirendæ, & incrementandæ gloriæ arbitrium eſt. Adeò vt, qui ad tantum peruenit magnitudinis faſtigium, vt creſcendo non poſſit altiùs aſcendere, humilitatis arbitrio excelſiùs ſublimetur.

ad Rom. 12. v. 4.
Chryſolog. ſerm. 120.

Matthæi 1. *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* 2.

Matth. 1. v. 5

Nota eſt hiſtoria, quo modo ſuadente ſocru Noëmi, Ruth ambierit Boozi nuptias, quod his verbis Scriptura denarrat: *Cumque comediſſet Booz, & bibiſſet, & factus eſſet hilarior, iſſetque dormiendum iuxta aceruum manipulorum,* Ruth, *venit abſcondité, & diſcooperto pallio, à pedibus eius ſe proiecit.* Quâ ſuper re ita acutè philoſophatur Hieronymus: *Nec miramur, cur Salmon virum iuſtum Booz de Rahab meretrice genuerit: qui Ruth Moabitem prima pallij ſui operiens, & iacentem ad pedes, ad caput Euangelij tranſtulit.* Ecce Moabitis Ruth (forſan regis Eglon generoſa ſoboles, vt tradunt nonnulli apud Lyranum) iacens ad Ruſticani Boozi pedes, in caput transfertur Euangelij, & inter perilluſtres Chriſti Dei maiores honoris causâ recenſetur. Regale Ruthæ caput, pedibus ruſticantis agricolæ coronatur. Scilicet humilitas, nobilitatis

Ruth. 3. v. 7.

S. Hieron. in procemio ad Oſee.

Ruth è Boozi pedibus, ad caput Euangelij transfertur.

Lyra in Ruth.

nobilitatis corona eſt, & auguſtioris proſapiæ ſtemma præclarum. Nobilior probatur Ruth ſub ruſtici Boozi pedibus, quàm ſub inclyto parentis ſolio. Hic enim Moabitidæ gentis ignominiam de inceſtu proderet; ibi humilitate ſublimis, de Boozi pedibus aſſumitur vt eſſet, & Chriſti Dei progenitrix, & *ad caput Euangelij transfertur*: ô faſtigium ſuprà humanum faſtum ſublime! De abiectis aratoris pedibus excelsè euehitur ad Euangelij caput; quaſi humilitatis ſit ſtipendium, de ſqualidis pedibus, ad tanti capitis dignitatem ſublimari, & inter primos Chriſti Dei progenitores, in Euangelij capite recenſeri: ô felix principis feminæ humilitas, quæ altæ ſubmiſſionis arbitrio, meruit typum eſſe Deiparæ, & vmbram Virginis, Solis iuſtitiæ iubare radiantis! Num Rutha in Mariâ eius ſobole, an Maria, generoſa Ruthæ ſoboles, in has voces erupit:

Lucæ 1. v. 48. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes!* Generoſos hoſce humilitatis mores, quaſi per ſui traducem, Rutha propagauit in Maria; an Maria in ſui progenitricem Rutham præproperè regeſſit? Profectò Maria Ruthæ ſoboles, non modo indolem, ſed quodammodò mores arripuit, hauſit, expreſſit. Proles non degener, parentes refert naturâ, ingenio, moribus.

Hic v. 22. Vnde meritò Euangeliſta *iacentem ad pedes, ad caput Euangelij tranſtulit*. Et Ioſephus de ergaſtuli ſqualore incrementatur egregiè.

3. *Chriſti Dei maieſtas, ex eius humilitate cenſenda eſt.*

Infinita Dei perfectio, humanos oculos vix patitur, quos tantæ lucis præclarum iubar offuſcat. Exinde per creaturarum notionem, ad cognitionem Dei aſcendere ſatagit humana tenuitas. Sed finita creaturarum perfectio, infinitam Creatoris perfectionem, & immetatè ſublime faſtigium non pertingit. Hinc celebris Tertulliani vox, *Deum vis magnitudinis & notum hominibus obiecit, & ignotum*: ô quanta Philoſophi dum de Dei natura diſputant, aut ignorantes impudenter effutiunt, aut ſcientes temerè mentiuntur! Nec miremur tam tardè erui, quæ tam altè latent. Sed agnoſce collyrium, quò humani clarentur oculi, vt poſſis

Ioan. 1. v. 15. Dei maieſtatem taxare. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius.* Ad quæ verba ſic fatur concinnè Auguſtinus:

S. Auguſt. Tract. 2. in Ioan. *Quia vero Verbum caro factum eſt, ipſâ natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi cordis noſtri, & poſſimus videre maieſtatem eius per humilitatem.* Profundè planè de more Auguſti-

4. *Ex Chriſti natiuitate, cenſenda eſt Dei maieſtas*

nus. Scilicet præcelſum diuinæ ſublimitatis faſtigium, humanis oculis imperuium, non ex altò immetatæ perfectionis culmine, quod vltra humanum aſpectum ſitum eſt, metiri licet; ſed per Chriſti Dei humilitatem, Dei auguſta maieſtas, & celſior ſublimitas taxanda eſt. Ex carnis humilitate diuina maieſtas æſtimanda eſt, quaſi vilis abiectio, ſit maieſtatis cenſus, & celſi culminis idonea menſura: ô bonum collyrium, quo humani cordis oculi detergantur, vt Chriſti Dei maieſtatem, non tam per miraculorum gloriam, & doctrinæ cœleſtis ſublimitatem, quàm per humilitatis abiectionem videre poſſimus! Oculis vides profundam eius humilitatem? Crede Auguſtino, præcelſam eius maieſtatem peruidiſti, quæ inde cenſetur.

§. CCCLIV.

Humilitas profundè deſcendit, vt Deum inueniat, cui omnia tribuit.

1. LAVS noua niſi oriatur, etiam vetus amittitur; niſi denuò opes opibus cumulentur, antiquæ ſenſim dilabuntur. Hic eſt auaræ ſuperbiæ labor, omnia ſibi congerere, vt aliquid tandem habeat, nec omnia temporum & vitiorum malignitate abſumantur. Verùm humilitas omnia à ſe ablegat, vt ea Deo tribuat: & inde glorioſior & auctior ſuſpicitur; non congeſtis gloriæ & opulentiæ gazis, ſed abdicatis, & Deo tributis. Omnia mundialia bona à ſe abdicat, vt ipſe omnibus vacuus, Deum inueniat, qui bonorum omnium theſaurus eſt, & plenum ærarium. Quicquid ſibi ſuperbia arrogat, humilitas Deo erogat, quo illum ſuâ humili inopiâ ſumptuoſiùs locupletet.

2. Geneſeos 28. Iacob fraternas iras fugiens, patriæ exul, in alieno peregrinatur ſolo. Itineris labor, & loci ſilentium ſomnum conciliat, & durum lapidem pro ceruicali blando, capiti ſupponens, corpore dormit, mente

Geneſ. 28. v. 12. & 13. vigil. *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper eam; & Dominum innixum ſcalæ.* Quare Angeli, vel homines iuſti per Angelos

Humilitas deſcendit, vt inueniat Deum, cui omnia tribuit. Anſelmus ibi.

ſignificati; è cœli culmine ad ima terrarum deſcendunt? Quid quærant in terris, quod affatim non abundet in cœlis? Anſelmus Laudunenſis multa paucis verbis de more ſtringit. *Angelos*, inquit, *Dei aſcendentes vltra omnem creaturam apud Deum, per quem omnia facta ſunt. Et deſcendentes, vt inueniant eum, cui omnia tribuunt.* Angeli, ſeu homines iuſti per Iacobæam ſcalam ſupra omnem creaturam aſcendunt, vt Deum factorem omnium, omniúmque largitorem, coràm contemplentur; & iidem etiam è cœlorum vertice ad terras deſcendunt, vt eum inueniant? Annon citiùs inuenitur Deus in cœli faſtigio, quàm in terræ profundo? In humilium infimiſſimo centro ſublimiſſimus Deus faciliùs inuenitur, & feliciùs poſſidetur? Verùm nota mihi Anſelmi verba: *Et deſcendentes, vt inueniant eum, cui omnia tribuunt.* Qui humiliter deſcendunt, omnia Deo tribuunt, quem deſcendendo inueniunt. Humilis, qui nihil ſuorum ſibi arrogat, ſed Deo liberaliùs cuncta erogat, Deum in humilitatis ſuæ abiectione citiùs inuenit; & dum omnia illi tribuit, ſe, ſuiſque vacuus, Deo adimpletur totus: ô bonum & lucroſum humilitatis commercium, quo pro nugaci glorioIà, & inaniſſimis mundi reculis, Deum inuenit, & inuentum poſſidet. Superborum auara arrogantia ſibi omnia tribuit, & vel de alienis elatè turget, & glorioſè ſuperbit. Deſcendentium verò humilitas, humilis demiſſionis vſurâ, Deo omnia tribuit; nilque

laude dignum in ſe videt, aut contemplatur in alio, quod Deo non adſcribat. *Deſcendentes, vt inueniant eum, cui omnia tribuunt.* Quis poteſt dare, quod ipſe non habet? qui omnia tribuit, vt omnia habuerit neceſſe eſt: ô prædiuites humilitatis gazas! ſiquidem humilis de humilitatis theſauro, *omnia Deo tribuit:* ô piè furax humilitatis arbitrium, quo omnia à ſe per humilitatem abdicando, lucroſæ demiſſionis auctario, omnia poſſidet, vt Deo
Hic v. 22. omnia tribuat! *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens*, qui vt filius creſcit, Patri creſcit: ſibi in carcere humilis, Patri in præfecturâ ſublimis.

3. Ioan. 12. 32. *Chriſtus vi ctoria ſua fructum h mini tribuit.* Chriſti Dei crux tunc probroſiſſima, vt fuit tormentorum ſumma, ſic & humilitatis hyperbole. *Et ego*, inquit, *ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipſum.* Quod ab auditorio velut ænigma exceptum eſt, & contra illud contentioſè argutatum. Sed perfidis Iudæis cæcum obſtinationis erat velamen oppanſum, ne impletam Moyſis legem oculis viderent; Magnus verò Leo claratis fide oculis, ſic præfata Chriſti verba ad rem tempe-
S. Leo ſer. 12. de aſſio. ſtiuè declarat: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum. Fides enim vera iuſtificans impios, & creans iuſtos, ad naturæ ſuæ tracta principem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſe inuenit innocentem. Et quia vnus eſt mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, per communionem ſui generis, ad pacem peruenit Deitatis.* Intermitto hæc alibi copioſè enucleanda, ne leuiter magna perſtringens, elegantiam ſententiæ deuenuſtem. Expenſione autem digniſſima ſunt verba quæ Leo ſubiicit: *Liberum*, ait, *habens de eius potentiâ gloriari, qui contra hoſtem ſuperbum, in carnis noſtræ infirmitate congreſſus, iis victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphauit.* In crucis humilitate contra ſuperborum hoſtem Chriſtus Deus in carnis infirmitate congreſſus, *iis victoriam tribuit, in quorum corpore triumphauit.* Scilicet victoriæ gloriam, gloriæ trophæum, & ſpoliorum opulentiam, quibus ipſe humilitate crucis opulentè auctus erat, non ſibi vindicauit, ſed ſuis liberalius impendit. *Iis victoriam ſuam tribuit, in quorum corpore triumphauit.* Non ſibi arrogat, ſed nobis erogat, quicquid opulentiæ & gloriæ victrice humilitate lucratur. Omnia ad ſe attraxit in crucis humili ſublimitate, ſed nobis victoriam ſuam tribuit, & noſtra fecit ſuæ ſtipendia humilitatis. Et quemadmodum homo humilitate deſcendens, inuenit Deum, cui omnia tribuit: ita Deus homo humilius crucem aſcendens, diu perditum inuenit hominem, cui ſuæ victoriæ fructum glorioſè tribuat. Sic ſuas glorias humilitas reciprocat? Homo humilis omnia tribuit Deo; Deus humiliatus cuncta homini tribuit:
ô lucroſum humilibus
commercium!

* *
*

§. CCCLV.

Præcelſi muneris dignitas, ſæpè magnos viros aut inuenit, aut facit.

VIRTVS, quæ vera virtus eſt, non requirit faſtigium dignitatis, ſed faſtigium dignitatis veram virtutem requirit; quæ ſuo merito impleat magni officij amplitudinem; ne gerat ampli muneris titulum abſque homine. Scio plures, dignitatis ſplendore infelices. Sed non negauerim ſublimitatem dignitatum ſæpè dignos inuenire, aut facere. Dum officij dignitas non idoneum ingenium inuenit, illud ſollerter exercet, & exercitio elimat. Porrò attentum ſpectatorum theatrum, ſopitam aliquandò Præfecti excitat ſollertiam, & igniculos ad virtutem accendit. *Tal vez el gran puesto, (viendose vn hombre a vista de todos) le haçe cumplir con sus obligaciones:* ô quoties, qui ſorduerat priuatus, in ſublimitatis faſtigio publicè fulget! *Aut inueniat bonum Pontificatus, aut faciat*, dixit eleganter Ennodius. 1. *Sæpè Dignitas dignos parturit.* Ennod. l. 3. Epiſt. 1.

2. Gen. 1. v. 16. & 17. *Primæua lux Præſidentiæ beneficio euadit Sol & Luna.* Geneſeos 1. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti.* Ardua olim & nunc quæſtio, an hæc duo luminaria magna, id eſt, Sol, & Luna, in hâc mundi die quarta denuò creata ſint, an creata præceſſerint in mundi die primâ. Huic poſtremæ opinioni quondam cum pluribus aſſentiebam in prælectionibus de opere ſex dierum; vbi multis probaui, primæuam lucem, (ſiue illa fuerit elementum ignis, ſiue quoduis aliud lucidum corpus) retentâ propriâ naturâ & formâ, fuiſſe nunc in aſtra tributam & erogatam. Sed quare quod nuper accidentis, *Lux* inquam, nomine denotatur, nunc *luminaria magna*, Scilicet Sol & Luna dicuntur ſidereo vocabulo? *Quaſi lux erat, priuſquàm clara lux*, ait Hugo Victorinus. Quæ paulò anteà *quaſi lux* erat, nunc dicitur *clara lux*, & ſuperbo Solis & Lunæ nomine denotatur? Vnde tanta vocabulorum ambitio? Vnde *quintæ ſubſtantiæ* apud Peripateticos ſumptuoſius elogium? Putauerim, ex noua diei ac noctis Præſidentiâ, primæuam *lucem*, & priſtinum reſpuere nomen, & antiquam dediſcere naturam, & eſſe cœli aſtra didiciſſe. Nempe quod nuper *quaſi lux*, ſeu maligna lux erat, vbi primùm ad diei ac noctis Olympiam adſciſcitur Præfecturam, Sol & Luna, ſeu *luminaria magna* nuncupatur. Scilicet ille ipſe, qui nuper priuatus, *quaſi lux* erat; dignitatis & præfecturæ beneficio, ſic expolitur ad gratiam, ſic ſufflammatur ad fulgores, vt iam *clara lux* ſit, *luminaria magna*, Sol & Luna, & ſiderum cœli decus; & quaſi alterius eſſet naturæ aut ingenij, cœlum eſſe, & Dei voce cœlum dici, præſumat. Sic faſtigij munere & prudentior, & præſentior, & ſplendidior aliquis euadit! *Scimus titulos venerabilis officij mores potius inſignire, quàm corpora*, dixit eleganter Ennodius. Hug. Victor. ibi. Ennod. l. 5. Epiſt. 13.

Myſtica illa apud Ezechielem Leæna, regiæ Hieroſolymorum vrbis ſymbolum, vt ſapienter notat inibi Maldonatus, *Cùm vidiſſet quoniam* 5. Ezech. 19. 5. Maldon. ibi.

tiam infirmata eſt, & periit expectatio eius: tulit vnum de leunculis ſuis, Leonem conſtituit eum. Qui incedebat inter Leones, & factus eſt Leo. Nempè Hieroſolymitana Leæna, Leone, id eſt, Rege viduata, *tulit vnum de leunculis ſuis.* Quid eſt, *Tulit?* quod verſ. 3. dixerat, *Eduxit*, Hebraïcè, *Extulit.* Itaque Hieroſolyma, Leænæ nomine ſignificata, *extulit vnum de leunculis ſuis: Leonem conſtituit eum.....& factus eſt Leo.* Verùm ille Leo non erat, ſed exunguis catellus, & leunculus tenellus, vnguibus exarmatus; quâ ergo arte Leo repentè factus eſt? *Extulit* illum, & *Leonem conſtituit eum*, in ſublimi faſtigio illum collocans, & ſub regiæ dignitatis ſolio; & tunc ille ipſe qui nuper imbellis catulus erat, ſublimitate animatus, & dignitate robuſtus, in Leonem refingitur: quia Leæna, quæ *extulit* illum, *Leonem conſtituit eum, & factus eſt Leo.* Antequam leunculus per ætatem viribus roboretur, & annorum robore aduncis armetur vnguibus, & diducto rictu, & horrentibus iubis ſæuus ferociat, dignitate ſublimitatis præmaturè in Leonem adoleſcit, & faſtigio robuſtè matureſcit: adeò vt nuper *leunculus*, quoniam conſtitutus eſt Leo, *Leo factus ſit*, Dignitate auguſtè coronatus.

Tener leunculus, dignitatis faſtigio coronatus ſubitò euadit robuſtus Leo.

4. 1. Reg. 16. dùm Deus ſibi immorigerum Saülem à regno eiicit, puero Dauidi ſceptrum apparat. Implet Samuël cornu ſuum regali oleo, & ignarus quem cælitùs vngat in regem, Iſai Bethlehemitæ filios ſingulatim euocat. Circumſtabat robuſtorum iuuenum chorus, & Propheta hærebat dubius, errabat oculus, ſed cornu reiectaneos diuino inſtinctu repudiat. *Dixitque Samuël ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* Iubetur paruulus è paſcuis acceſſiri. Derepentè puer Dauid producitur, paruus ætate. Gratia ſtatim ad vnctionem mouit Prophetæ manum. Inauguratur nouus rex; ſed rex metu Saülis muto ſilentio tegitur. Spiritus autem gratia à Saüle tranſlata ſpiritui nequam habitationem concedebat. Prouidetur egregius pſaltes, qui Dæmonem lyrâ excantet de Regis pectore. *Et reſpondens vnus de pueris*, ait: *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem, ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.* Hoc accidiſſe paulò pòſt quàm Dauid clanculùm fuerat vnctus in Regem, liquidò conſtat ex totius capitis contextu. Quare ergo qui antequam à Samuële eligeretur in regem, *paruulus* dicitur; vbi electus fuit diſſimulatâ electione, (quæ adulationis blandimenta remouet) confeſtim dicitur *vir*; *vir* inquam, *prudens, bellicoſus, & fortiſſimus robore?* Sic derepentè vir euaſit ab electione? Qui paulò antea puer erat & paruulus, tam ſubitò adoleuit in virum? Sic throni ſublimitas, & ſublimitatis faſtigium, pueritiam exuit, & virilitatem induit? Profectò præcelſa munera, dignitatis arbitrio, perſæpè virum non inueniunt, ſed faciunt. Spectatorum oculi ſolertiam Præfecti acuunt, ætatem eſtimant, prudentiam erudiunt, & *paruulum* recudunt in *virum. Los pueſtos haçen los hombres, puniendo los en las obligaciones del officio:* ô quoties ſublimitas ſublimes parturit! *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens*, ſublimitate in dies ſublimior.

Præcelſa officij dignitas paruulū Dauidem recudit in virum.

1. Reg. 16. v. 11.

1. Reg. 16. v. 18.

Hic v. 22.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

§. CCCLVI.

Regis familiaribus ſumptuoſior poteſtas olim conceſſa.

1\. ANNON illud Paterculi ſemper verum fuit: *Eminentes viros ſemper magnis adiutoribus ad gubernandum fortunam ſuam vſos eſſe? Etenim magna negotia magnis adiutoribus egent.* Et vt profana, quæ ſe menti cateruatim obiiciunt, tacitus omittam: non Ioſeph apud Pharaonem Ægyptiorum primus? Non Chuſai amicus Dauidis? Et Zabud filius Nathan ſacerdos, amicus Regis, Salomonis inquam? Annon Daniel apud Darium ſuperabat omnes Satrapas? & apud Aſſuerum adæquè Mardochæus? Nonne Tobiæ *Dedit Deus gratiam in conſpectu Salmanaſar regis; & dedit illi poteſtatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluiſſet?* Cautè tamen in hàc re à Principibus procedendum; cauendumque, ne in intimam familiaritatem adſcitis regni tradant gubernacula, neve ab eorum conſiliis, operâve dependere ſe oſtendant. Superiorem patitur, quiſquis ab alterius imperio conſiliove dependet. Et non obſequi, ſeruorum; imperare dominorum eſt? Dominum verè patitur, quiſquis ad alterius nutum facta componit ſua.

Solemne eſt Regibus habere familiares.

Geneſ. 41. 2. Reg. 15. 1. Reg. 4. Daniel. 6. Eſther. 9. Tobiæ 1. v. 13. & 14. Carol. Scrib. in Politic. Chriſt. c. 46.

2\. Geneſeos 26. Abimelech Palæſtinæ rex, è Gerarâ regiâ vrbe, & regni metropoli, venit ad Iſaacum, qui in eius regno figerat tabernacula: *Ad quem locum cùm veniſſet de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, locutus eſt eis Iſaac*, &c. Quiſnam eſt hic Ochozath, qui regem Abimelechum comitatur? *Ochozath amicus illius*, id eſt, regius familiaris, quem Priuatum vocant. Bellè quidem non boni regis Abimelechi Priuatus, Ochozath nominatur, nam *Ochozath eum ſignificat, qui poſſidet Regem*, vt ex nominis etymologiâ obſeruat quiſpiam ingenio & eruditione magnus. Idoneè Rex poſſeſſio erit regij familiaris? Qui ſubditos omnes regali iure poſſidet, erit vnius, ipſiuſque ſubditi poſſeſſio? ô prodigam ſceptri largitionem! ô inertiæ oſcitantis, & eneruis deſidiæ auaritiam! ô ruſticanam barbari Abimelechi vilitatem! Quis niſi agreſtis Abimelechus otio ſuo negotium principandi Priuato emat? S. Hieronymus pro, *Ochozath amicus illius*, regis inquam Abimelechi; exſcribit, *Collegium amicorum*: Chaldæus verò pro, *Abimelech, & Ochozath amicus illius*, vertit, *Abimelech comitatus amicis ſuis.* Quaſi vnus Ochozath regius familiaris Abimelechi, ſit *collegium amicorum* Regis, ſeu totus Regis *comitatus.* S. Chryſoſtomus pro *Ochozath amicus illius*, tranſtulit, *Præfectus gynecei.* Lenocinij miniſterio ſumma regis Abimelechi familiaritis procuratur? Hæc de Abimelecho, pagano rege perſtrinxit Moyſes ad piorum Regum eruditionem, ne in ſe ipſis vnquam admittant; quod in aliis nunc execrantur.

Geneſ. 26. v. 26.

Regius Abimelechi familiaris, & poſſidet Regē, & eſt Collegium amicorum eius.

P. Martinus del Rio.

Hiero. in qq. in Geneſ.

Chryſ. apud Lipom. ibi.

3\. Ad Iſaacum adhuc apud Palæſtinos peregrinantem, venit vt cum eo fœdus iniret, rex Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, & locutus eſt eis Iſaac. Quid veniſtis ad me hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis? *Qui reſponderunt: Vidimus tecum eſſe* &c. Nempe aderat rex Abimelech, aderat regius familiaris Ochozath, & Phicol militiæ princeps, quiſnam eorum reſponſum dat Iſaaco, & facienda decernit; Nec reſpondet Rex ſolus, nec ſolus regius familiaris; ſed omnes reſpondent: *Qui reſponderunt.* Quinam hi ſunt? S. Hieronymus nuper laudatus, pro *Qui reſponderunt*, ſubſtituit, *Collegium amicorum.* An collegium amicorum duntaxat conſulitur, reſpondet, & decernit? Non aderant Abimelecho alij cõſiliarij, haud deuincti eâ fauoris & beneuolentiæ neceſſitudine? Fortè aderant; ſed proculdubiò conſulti non ſunt, quia fortè rigidæ ſtudebant veritati, & ſeueriori iuſtitiæ. Tantummodò conſulitur, & reſpondet *Collegium amicorum*, qui ambitionis obſequio, aut honorum accipiendorum ambitione, regis Abimelechi fauorem ambiunt, aut mercantur. Quid ſi *Collegij* nomen, neſcio quid litteraturæ ſubinſinuat? quaſi duntaxat collegium amicorum ab Abimelecho conſulatur, reſpondeat, & decernat. Puto, ad Principis nutum (ſiue iure, ſiue iniuriâ) collegium amicorum reſpondebit. Vt execror hanc Abimelechi inconſultam Amicorum tantùm conſultationem; ita ſuſpicio conſultiſſimam Catholicorum principum politiam, qui veritatis & iuſtitiæ amãntes, doctiores & ſeueriores conſultores aſciſcũt. Illud barbara tyrannis Priuati Ochozath exigit; hoc pia regiorum familiarium politia: ô non eueniat hæc Abimelechi deſidia, illa Ochozathi inſolentia, ætate vllâ! auertet propudia hæc à Chriſtianis principibus Deus.

Gen. 26. 28.
Dubij Abimelechi regis duntaxat reſpondet amicorum collegium.

4\. Geneſis 41. Pharao Ægyptiorum rex, Ioſephum ad regiam familiaritatem aſciſcit, & Priuatum his verbis euulgat. Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni ſolio te præcedam. Dixitque rurſus Pharao ad Ioſeph: Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu ſuâ, & dedit eum in manu eius: veſtiuitque eum ſtolâ byſſinâ, & collo torquem auream circumpoſuit. *Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genufleéterent, & Præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ Terræ Ægypti.* Præco ſublimi voce clamabat, vt in honorem Ioſephi regij familiaris, *Omnes coram eo genuflecterent.* Pro omnibus his verbis, vnicum verbum אברך *abrech* eſt in Hebræo textu. Clamabat inquam præco? *Abrech*, id eſt *vt omnes coram eo genuflecterent*, vt exſcribit vulgatus. Alij vocem *Abrech*, *Pater benedictus*, tranſtulêre: ſcilicet eximia Priuati ſanctitas præconis voce publicatur. Alij, *Pater gratioſus*; ob beneuolentiam & oris gratiam, qua Ioſephus omnes excipiebat, & gratus audiebat. Alij, *Pater tener*; quia depoſito principandi faſtu, & agnatâ Poteſtatis auſteritate, mitem, blãdum, & tenerum ſe omnibus exhibebat. Denique alij ad rem præſentem vertunt: *Pater Regis*: ô nouam nomenclaturam, & de barbarica Ægypto inſolentem! Regius familiaris Ioſephus, *Pater Regis* nominabitur? Diu rex Pharao, filiusfamiliâs erit, quandoquidem patrem agnoſcit? Saltem pupillus Pharao habebitur, & Priuatus, id eſt, Ioſephus velut Regis tutor reputabitur? Et ipſe Ioſephus infra, à Deo ſe dicit factum, *Quaſi Patrem Pharaonis.* Aduertuntque inibi ſummates interpretum, quòd *Pater* idem ibi ſonat, ac *Conſiliarius, Rector, Inſtructor, & Pharaoni amicus neceſſarius*: ô quàm multa paucis! Sed gratulor Chriſtianis Principibus, quòd ſuos familiares, non parentum, ſed prænobilium ſeruorum loco habeant.

Ioſeph erat velut Pater Pharaonis.

Gen. 41. 43.

Gen. 45. v. 8

Ibi. v. 22.

5\. Pergit ſacer Hiſtoriographus: *Dixit quoque ad Ioſeph: Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non mouebit quiſpiam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* Quæ verba hoc eleganti gloſſemate explicat & ditat Lipomanus, ſacrâ eruditione, & polito ingenio vir: *Dixit igitur Pharao Ioſeph: Ego ſum Pharao, regium tantùm nomen mihi ſeruo, & honorem: in te autem reijcio labores & operas regias: te inconſulto nemo quidquam audebit, ſine tuo iuſſu fiet nihil, tu regni negotia obibis, omnes tibi obedient.* Quid ſumptuoſius ad Ioſephi gloriam? Regium tantùm ſibi nomen ſeruauit Salmanaſar, qui Tobiæ *Dedit poteſtatem quocunque vellet ire, habens libertatem quæcunque facere voluiſſet.*

Gen. 41. 44.
Pharao Regis duntaxat nomen ſibi ſeruat.
Lipom. ibi.

Tobiæ 1. v. 13. & 14.

§. CCCLVII.

Ne Principis latus & aures, vnus aut alter vindicet ſibi.

1\. AVGVSTVS Cæſar, cui Deus plura quàm vlli præſtitiſſe dicitur, non deſiit quietem ſibi precari, & vacationem à Republicâ petere. Omnis eius ſermo ad hoc ſemper reuolutus eſt, vt ſibi pararet otium. Hinc labores ſuos etiam ſi falsò, dulci tamen oblectabat ſolatio: aliquandò ſe victurum ſibi. Tanta viſa eſt res otium, vt illam quia vſu non poterat, cogitatione præſumeret. Quia omnia videbat ex ſe vno pendentia, qui omnibus gentibus fortunam dabat, illum diem lætiſſimus cogitabat, quo magnitudinem ſuam exueret. Hoc votum erat eius, qui voti compotes facere poterat. Hinc Reges, ne mole negotiorum obruantur, aliquem in ſuam familiaritatem aſciſcunt, cum quo partiuntur regiminis curas, quò ſibi viuere aliquando permittatur. Sed viderit, ne qui ſe Priuato tradit, ſe totum vni tradat. Conſulat per ſe ipſe peritos, ſciſcitetur plures, audiat omnes. Ne Regem, qui omnium eſt, vnus aut alter, aut pauculi duntaxat vindicent ſibi, magnâ regnorum iacturâ.

Seneca l. de Breuit. vitæ.

2\. Matthæi 10. Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis adorans & petens aliquid ab eo. *Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Non facile quis diuinet, quidnam hæc mulier petat, vel potiùs ore matris filij expetant ambitioſiùs, *Vnus*, inquid, *ſedeat ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Non poſtulat vt in Chriſti regno, filiorum alter primam ſedem occupet, alter ſecundam, ne vllus ſecundus ſit, & vlli inferior, qui eſt ambitionis faſtus. Quin nec primum locum petit, ne vel in illâ familiaritatis & potentiæ

Matth. 20. v. 21.

Iacobus & Ioãnes, vterque regis Chriſti aures ſibi vindicare præſumit

potentiæ ſerie, alius ſuccedat; quò ipſe vnicè thronum poſſideat. *Poco le pareçe el primer lugar; porque el primero ſe computa con los demas numeros, aunque con ſuperioridad à ellos. Sea vnico cada vno de mis hijos, y haga choro à parte.* Vnde ambitioſa dixit audacia: *Vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Verùm petitè notauit Auctor operis imperfecti, non benè petiiſſe latus ſiniſtrum, etſi expetendum de propinquitate, timendum tamen de infauſto. Nam ſiniſtra adſpectu ad regem Chriſtum, damnatorum ſedes eſt, & reproborum character. Non verentur damnatorum ſtigmate inuri, dummodo Regi propiùs accedant? Planè ambitio quid petat, neſcit. Illud veroſimilius eſt; quod tempeſtiuè aduertit Chryſoſtomus exponens illud: *vnus ad dexteram tuã, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Videbant*, inquit, *enim ſe ipſos honoratos præ alijs...... Timebant verò Petrum ſibi præferri.* Scilicet non petunt ſublimes ſedes, quas audierant ſibi promiſſas in regno Chriſti: ſed id vnum ambiunt, vt Petrum arceant, vt Petrum à regis Chriſti conuerſatione abigant, & à latere excludant. *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Ipſos ſolos vnicè vtrumque Chriſti regis latus cingere negotiantur, & vtramque præoccupare, & ſemper occupare aurem procurant, ne quid vnquam niſi quod ipſi ſuggerunt; ſaltem ne quid Regi niſi coram eis ſuggeratur; *Vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram in regno*, ſic eſſe ambiunt. Quod & reliquorum indignationem commouit, & Chriſti reprehenſionem exacuit. Duobus duntaxat auritus erit rex Chriſtus, & reliquis ſurdus?

Imperfect. hom. 15.

Chryſoſt. homil. 66. in Matth.

3\. Geneſeos 26. Iſaacus valde tunc opulentus & inclytus, in vrbe Berſabee habitabat: *Ad quem locum cùm veniſſet de Geraris Abimelech, (Palæſtinorum Rex) & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum*, &c. Ochozath dicitur Regis *amicus*, Hiſpanè *el Priuado*. Sanctus Hieronymus non exſcribit *Ochozath amicus illius*, ſed pro *Ochozath amicus illius*, habet, *collegium amicorum eius.* (quod pro Curiæ ſapientibus alibi exponebam) Quaſi vnus Ochozath regis Abimelechi Priuatus, ſit omnis Regis amicus. Adeſt Phicol dux militum, ſed heu, procùl abeſt. Vnus Ochozath amicus Regis, eſt totum amicorum collegium: ipſe duntaxat, & eius cognatio, eſt omnis amicorum Regis chorus. Id adeptus eſt Ochozath, (non boni Regis regius familiaris) quod diſcipulorum præſumpſit ambitio apud regem Chriſtum: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Solitudinem regiæ familiaritatis negotiantur, reliquis longè remotis. *Aſſiſtam ſiempre al Rey, à eſtos ſoles de el Rey oidos.* Erga hos duos filios meos ſit Rex auritus; erga reliquos ſurdus. Sit vterque amicus Regis, id eſt, totum amicorum collegium. Bona planè Regibus eruditio, è Bibliorum arcanis eruta!

Geneſ. 26. v. 26.

Hiero in qq. ſuper Geneſ.

Ochozath Regis familiaris, erat omne amicorum collegiũ.

[illegible] v. 22. *Filius accreſcens Ioſeph; filius accreſcens*, dignuſque ſublimiori Regis familiaritate, qui procul ſuos à palatio abegit: & regni proceres non modo à Regis colloquio non arcebat, ſed interceſſores apud Regem aduocabat, de quo aliàs.

Celada *de Benedict. Patriarch.*

§. CCCLVIII.

Attentiùs Rex ſuo regno conſulit, quàm fidentior Priuatus.

NIMIVM Stoica Senecæ vox eſt: *Hoc eſt regnum, nolle regnare, cùm poſſis.* Regnum autem non eſt, nolle regnare, cùm poſſis, & debeas. Quòd ſi Rex quietis tenetur amore, eligat aliquem ad priuatam familiaritatem, quem virtus regia dignum familiaritate ſuadet, & communis populi opinio dignum eâ prærogatiuâ arbitratur; quò magis à ſe, & à Priuato inuidiam propellat. Illud tamen optandum, vt res momenti grauioris per ſe Rex tractet, neque Priuati iudicio illas relinquat: *tum ne in perpetuâ rerum ſuarum ignoratione verſetur, tum ne regius familiaris è magnitudine audaciam ſumat, & non contentus ſuâ ſorte, maiora paulatim viribus & fortunâ ſuâ audeat.* Quod ne eueniat danda omninò opera Regi eſt; vt in maioribus, & magis arduis ad ſe recurrat. Audiat Moyſen: *Quòd ſi difficile vobis viſum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.* Porrò nulla certiori regnorum ruina, quàm vbi non regni Dominus cuncta moderatur. Nam prætetquam quòd neſcio quid auguſtius in regio ſanguine & generoſitate ſcintillat; proprius Princeps rem ſuam agit, Priuatus alienam. Propriorum cura homines vrit, ad aliena deſides ſæpè ſunt: *Solo el Rey mira por ſu reino, como por coſa propria, y en que tanto le va.*

1\. Senec. l. 3. de Benef. c. 37.

Ne Rex iudicio Priuati omnia relinquat negotia, regiminis otio.

Politico-Chriſ. l. 2. c. 46.

Deut. 1. v. 17.

Pharao Ægyptiorum rex, cognitâ Ioſephi induſtriâ, illum in regiam familiaritatem aſciſcit his verbis: *Tu eris ſuper domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni ſolio te præcedam...... Dixit quoque rex ad Ioſeph: Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum aut pedem in omni terrâ Ægypti.* Vide quàm amplam poteſtatem Ægyptius rex Priuato conceſſerit. Interim omittendum non eſt, quod S. Auguſtinus ibi notauit: *Vno tantùm regni ſolio te præcedam. Præcedam, inquit, te throno, id eſt, ſedis honore.* Omnia permittit Pharao regio familiari præter *honorem ſedis*, aut ſedendi præcedentiam. Tanti facit ambitio has vanæ gloriæ nugas? Diademata non patiuntur ſocios: & tamen qui reliquos ſceptri honores negligit, ſedis præcedentia contentus eſt, cetera Ioſepho permittit. Addit, *Ego ſum Pharao, abſque tuo imperio*, &c. Ad quæ verba ſic fatur Lipomanus: *Dicit igitur Pharao Ioſeph: Ego ſum Pharao, regium tantùm nomen mihi ſeruo & honorem: in te autem reijcio labores ac operas regias: te inconſulto nemo quicquam audebit, ſine tuo iuſſu fiet nihil, tu regni negotia obibis, omnes tibi obedient.* Nomen duntaxat regis, re ſcepetri vacuum geſtat Pharao, reliqua regnandi munia Priuato permittit. Sit regius familiaris de ſapientiâ, de probitate, de induſtriâ Ioſephi æmulus, ne faciat Pharaones, reges, quibus duntaxat regis nomen relictum eſt. Sed vide quàm tēperatè Ioſe-

2\. Geneſ. 41. v. 40. & 44.

Sedis duntaxat præcedentiam ſibi ſeruat Pharao.

Auguſt. in Locut.

Lipom. in Catena.

Pharao omnia permittit Priuato, Priuatus nil agit inconſulto Pharaone.

phus, Priuatorum idea, amplissimâ poteſtate vſus ſit; cùm rogatores adſciſcat ex familiâ Pharaonis, qui à Rege impetrent ius patris ſui ſepeliendi extra Ægypti terminos. Scilicet Pharao omnia Ioſepho permittit, ſed nihil alicuius momenti fiat inconſulto Rege. Omnia Regis munia adminiſtret Ioſephus; ſed, *Ego*, inquit, *ſum Pharao*. Adhuc rex ſum: in te reiicio regios labores & operas, mihi reſeruo regis nomen & honorem, & regni curam. *Ego ſum Pharao*, mea ſunt quæ adminiſtras, nō tua. Patiamur imperium, tu operam & induſtriam loca; ego à te conſultus diſquiram & decernam quid mihi magis expediat, & quod è re mea magis ſit. Adhuc poſtquam te in Priuatum adſciui, *Ego ſum Pharao*, & mea mihi, quaſi regni mei dominus prouidebo. Tu regni non tui negotia obibis; ego regni mei curas non negligam.

Gen. 50. v. 4.

3.
1 Reg. 17. v. 1.

3. Regum 17. Idololatrã Iſraëlem ſeueriùs punire cupit Elias, Dei familiaritate cōſpicuus; & vindictæ zelo ſuccenſus, hæc verba fulminat: *Et dixit Elias Theſbites ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Verborum Prophetæ clauibus cælum clauditur, & elementa imbrium adminiſtra ſiccitati militant, ſterileſcunt arua, & dira fames diu inualeſcit. Inediæ macie afflictatus populus, alimenta expoſcit ab auctore vitæ; ſed adhuc Elias flecti-neſcius in propoſito ſiccitatis perſiſtit. Senſim populus perit, mouetur Dei clementia, ſed Dei familiariſſimus Elias ad pietatem non flectitur. Quod ſubtiliter ad rem aduertens Baſilius Seleucus, ſic Deum cum Eliâ fantem inducit: Miror equidem, Elia, zelum tuum, ac virtutem probo. Procliue eſt in peccatum hominum genus, & ſi vindictam cum criminibus confligere patiar, deficiet durius tractari neſcium. (Nota attentiùs quæ ſubtexit verba) *Tibi peccatores cernere graue ſpectaculum; mihi verò, qui ſum Dominus, lex de humanitate ſcripta eſt, me ipſum debitorem clementiæ conſtituit. Quod ſi ad pœnas vnquam ſpectauero, vereor legem de humanitate clamantem.* Quaſi dicat Deus: ô Elia, non me pœnitet, te ad meam familiaritatem aſciuiſſe; & ſi virtutem probo, zelum tuum admiror. Tibi intolerabile videtur, peccata crimino ſi populi cibo paſcere; & inde ad iuſtam vindictam ſeueriùs exaſperaris: *Mihi verò, qui ſum Dominus, lex de humanitate ſcripta eſt, me ipſum debitorem clementiæ conſtituit.* Sic licet non eodem modo eandem rem tractat Dominus, & extraneus. Tu in non tuos, implacabili zelo populi mei calamitates propè negligis: *Mihi verò, qui ſum Dominus, lex de humanitate ſcripta eſt.* Illi ſunt mihi reuerentiæ debitores; ego me illis debitorem clementiæ conſtitui: Ego cùm ſim eorum Dominus, ſi adhuc duriùs illos tractem, vereor legem de humanitate clamantem: ô quam aliter eandem rem, & Dominus, & extraneus tractat! *Muy de otra manera mira vno lo que es proprio, à lo que es ajeno*, Quod vulgari parœmiâ dictitare ſolent Hiſpani: *A lo tuyo tu.*

Principi non Miniſtro, lex de humanitate ſcripta dicitur.

Seleu. orat. 11.

§ CCCLIX.

Præfecti ſola cognatio, meritum eſt ad præfecturas.

SINE merito remuneratus putatur quiſquis viro magno & feliciter potenti cognatus eſt, non quia cognatio cognatorum corrumpat merita, ſed quia electio ad honores redditur de affinitatis blandimento ſuſpecta, quaſi non tam alienum meritum, quàm proprius ſanguis ſublimetur. Saltem ambitio illius dignitatis, niſi potente Cognato aſſertore, opinio eſſet inſperabilis, & præter ſpectatorum, non dico opinionem, ſed præſumptionem. Fortè aliquando benemeritum inueniet, ſed quia meritum ſuperuacaneum & inquæſitum putatur, de conſanguinitatis lenocinio redditur electio ſuſpecta. 1.

Electio cognatorũ ſuſpecta eſt de ſanguinis lenocinio.

Sic admonet Siracides Eccleſiaſtici 32. *Rectorem te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.* Opportuniſſimè & moraliſſimè expendit Hugo Cardinalis voculam *te*, his verbis locum inibi exponens: *Rectorem, ait, te poſuerunt, non dominatorem: paſtorem, non mercenarium: non carnificem, ſed tutorem: non tyrannum, ſed diſpenſatorem: non dominum, ſed miniſtrum. Te*, (aduerte ſententiam quam ſubiicit) *te*, inquam, *non tuam progeniem, ſed te, id eſt, tuam perſonam. Hodie tamen vno facto Epiſcopo, Epiſcopatur tota parentela. Vnde & nomen ſuum amittit tota progenies, & qui dicebatur filius fabri vel Roberti, dicitur nepos Epiſcopi.* Et ad id confirmandum aduocat illud Iſaiæ: *Numquid parturiet terra die vnâ? aut parietur gens ſimul? Verba ſunt Chriſti vel Eccleſiæ admirantis de tot nepotulis vno partu editis.* Opúſne eſt, quòd Præfectus admoneatur, ſe, ſe inquam, Præfectum eſſe conſtitutum? Fortè id ignorabat, & Siracides de cælo afflatus, ſuam electionem olim factam illi denuò denunciat, & de honore gratulatur. Quid neceſſe eſt iam diu Præfecto intimare, ſe creatum eſſe Præfectum? Scilicet vt admoneatur, ſe, non ſuam cognationem præfecturâ auctam. Quaſi dicat Eccleſiaſticus ex mente Hugonis, tua merita (ſi Deo placet) electa ſunt ad dignitatis faſtigium, non miſcellanea tuæ gentis cognatio: te, id eſt, tuam perſonam elegerunt, non promiſcuam Præfecti cognationem. Heu vna duntaxat electio plures parturit electiones, gratiâ ſanguinis obſtetricante. *Numquid parturit terra die vnâ? aut parietur gens ſimul?* ô frequens reipublicæ monſtrum! Meritum muneretur, non cognatio. 2.

Eccli. 32. v. 1.

Hugo ibi.

Præfectus ad officium eligitur, non Præfectorum cognatio.

Iſaiæ 66. v. 8.

Geneſeos 47. hortatore Ioſepho Ægypti Præfecto, intrat Iacob in Ægyptum cum tot filiorum, & nepotum turbâ. Obuius patri occurrit Ioſephus honoris causâ; & mox fratribus comitatus pergit ad Pharaonis palatium: *Extremos quoque fratrum ſuorum quinque viros conſtituit coram Rege.* Haud exploratum eſt, quid ſignificetur per *extremos fratrum ſuorum*, quos ad Regem Ioſephus introducit, & quos Rex gregum ſuorum 3.

Gen. 47. v. 2.

Sublimes Præfecti vel extremos ſuæ cognationis ſublimant. Lipomanus ibidem. rum Præfectos eſſe voluit. Lipomanus ex Lyra ita ſuper hac re ſapienter ſcribit: *Quia extremitas alicuius rei dupliciter accipi ſolet, vel à ſuperiori, vel ab inferiori parte; etiam hic extremos fratrum duplici intellige ſenſu, vel ſeniores, vel natu minores. Et (ſi quid affectibus permittendum eſt, & aulicis) de extremis dicemus, hoc eſt, auctoritate præſtabilioribus. Quanquam non deſint qui de abiectioribus intelligant aſpectu.* Mirabile quidem eſt, ſacrum hiſtoriographum voce ambiguâ vſum fuiſſe ad ſignificandum quos fratres Ioſephus ad Regem introduxerit, & quos aut ſeniores, aut iuniores; deſpicabiles, aut honorabiliores aſpectu & eloquio. An *extremos*, id eſt, præſtabiliores fratres introduxit: quia, vt inſinuat Lipomanus, neſcio quid aulicum vel ſanctiſſimo Ioſepho afflicuit diuturna palatinorum conuerſatio? Nec Ioſephus in palatio tutus eſt ab aulico afflatu? An *extremos*, id eſt, abie-
4. ctiores fratres palatio deſtinat Ioſephus, quia palatiū abiectiores mores inuenit, aut facit? & inde ab aulâ præſtabiliores arcet, ne abiectiores fiant. An voce æquiuocâ vſus, dixit, *Extremos fratrum*, quaſi nil referret, an abiectiores præſtabiliores eſſent, dummodo eius cognati & fratres eſſent? ac ſi nullo delectu ad Regem introduxerit cognatos, Regis gregibus præficiendos, quaſi non meritum, ſed cognatio eſſet honoribus ſublimanda. Niſi me Ioſephi reuerentia teneret, hoc putarem veroſimilius, quia familiarius eſt ſublimiſſimis Præfectis indiſcretè cognationem, ſolo affinitatis titulo ſublimare. Verùm quia Ioſephi ſapientia virtute illuſtris, id non patitur, ſpecie tenus in bono Ioſepho contemplari myſticè licet non boni Præfecti typum: & quod ille conſultiſſimè (vt par eſt opinari) fecit, alij inconſultiſſimè factitant, magno reipublicæ detrimento. *Rectorem te conſtituerunt.* Te, *non tuam progeniem*; non tuæ cognationis extremos, aut abiectiores.

§. CCCLX.

Regij familiaris gratia, ſententioſè luto ſa dicitur.

1. Eccl. 13. v. 2. & 3. QVI ad Principum familiaritatem adſcitus eſt, mente diu verſet illud Sapientis: *Ditiori te ne ſocius fueris: quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, confringetur.* Quid fragili è figulinâ vaſi cum præduro ferro? ô reprime audaces greſſus quiſquis coniunctior Principibus es! time quiſquis quacumque ex causâ adlectus, ne oriare poſteris in exemplum, tuis in mœrorem, inimicis in gaudium! *Alieno cautior ſanguine fige pedem*, ne purpuræ bis tingendæ quid vltrò tuis in ſecures? Quòd ſi tibi non times, in felicitate periculi tui ſecurus, time ſaltem tuis, quos aliquando poſt funera, popularis in te odij heredes relinques, tuo præſidio deſtitutos. Quid tuâ felicitate tuorum infelicitatem mercaris? Neſciunt pretium, & ſolutionem ſcient. *Politico-Chriſ. lib. 1. cap. 12.*

Exodi 1. diu poſt Iacobi mortem, eius nobilis & numeroſa poſteritas barbaricè ab Ægy- 2. Exod. 1. v. 13. & 14. *Regij familiaris gratia, luto ſa dicitur.*
ptiis opprimitur. *Oderantque filios Iſraël Ægyptij, & affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Hinc grande inter commentatores oritur dubium, quare Ægyptij exoſos haberent Iſraëlis filios, ſibi innoxios, omnibus olim proficuos? Mitto varias cauſas, quas adglomerant expoſitores, vt citius ſplendida Ruperti verba reſcribam. Sic fatur Rupertus: *Oderantque filios Iſraël Ægyptij*, &c. *Hic illud dixiſſe ſufficiat, quod luto ſam Ægyptiorum gratiam, in quâ dudum Iſraëlem exceperant propter Ioſeph, felicium aduenarum ita ſplendor vſſit, vt in odij duritiem conuerteret.* Scilicet Ioſephus vnus è duodecim Iſraëlitici populi patriarchis, digniſſimè in regiam familiaritatem adſcitus eſt: in eâ Regi fidelis, proceribus vrbanus, populis proficuus diu enituit. Septennij famem conſultiſſimè depulit, ſed regium ærarium de Ægyptiis opibus valde ditauit. Hinc Regi ſemper charus, reliquis de depauperatione, etſi illuſtriſſima, ſemper querulè inuidioſis. Ergo viuente & florente Ioſepho, & ſuus ſplendidè floret populus, ouat cognatio ſumptuoſius ad coloniam admiſſa. Sed *luto ſam gratiam* regij familiaris, antiquæ felicitatis ſplendor exuſſit, & priſtinus honor in odium, & improperia conuerſus eſt. Bellè dicitur *luto ſa gratia*, quâ Priuatus, Priuatique cognatio floret. *Luto ſa*, id eſt, è figulinâ fragilis, fictilis, & plerumque vitrea. *Luto ſa*, quia ſublimitatis inuidia, defectus, quos reprehendat, fingit; & ſi quid impurum aut ſqualidum in Priuato ſuſpicatur, vituperonum garrulitas fœdè prodit. *Luto ſa* fuit Ioſephi apud Pharaonem gratia, ob quam eius cognatio in *luto & latere* luculenta ſqualet, & in diræ oppreſſionis fornace durè excoquitur. *Oderantque filios Iſraël Ægyptij*, &c. *Hic illud dixiſſe ſufficiat, quòd luto ſam Ægyptiorum gratiam, in quâ dudum Iſraëlem exceperant, felicium aduenarum ita ſplendor vſſit, vt in odij duritiem conuerteret.* Quid elegantius? *Rupert. ibi.*

Et quidem in eodem Exodi capite, opportunè ſcribitur, quòd Ioſepho mortuo, ſimul 3. Exod. 1. 8.
Ægyptij Principis gratia tumulata eſt; ita vt nec Ioſephi memoria apud Regem ſuperſtes eſſet. *Surrexit interea Rex nouus in Ægypto, qui ignorabat Ioſeph: & ait ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſraël multus eſt. Venite, ſapienter opprimamus eum.* *Regij familiaris ſucceſſor, reus eſt auitæ potentiæ.* Eane erant beneficia quæ Ioſephus in Reges affatim contulerat, vt è memoria excidere potuerint? Quidnam in causâ extitit & ingratæ Regum obliuionis, & popularis odij aduerſus Ioſephi cognationem? Pulchrè Lyranus, ad illud: *Surrexit interea Rex nouus, qui ignorabat Ioſeph*, &c. ita ſcribit: *In talibus mutationibus frequenter contingit, quod illi, qui priùs erant dilecti, fiant odioſi.* Conſultiſſimè explicuit Moyſes, quàm ſit odioſa regij familiaris defuncti ſuperſtes cognatio, aiens, quòd eam nouus Princeps ignorat. Non quia eam ignoret, ſed quia populari odio inſtigatus, eam ignoratam damnat. Olim fuiſſe felicem, reatus eſt, & damnationis titulus. Regij familiari ſucceſſor, reus eſt *Lyra ibi.*

 auitæ

auitæ potentiæ, ſplendoris, inuidiæ. O aulicas fortunæ pilas! ô ludicram volaticæ gratiæ felicitatem! ô *lutoſam* Priuatorum *gratiam!* Dum regius familiaris principalis gratiæ aſylo protegitur, tutus eſt à populari inuidiâ? imò commune odium blandâ diſſimulatur adulatione: at vbi primum *lutoſa* Priuatorum gratia deperiit, in eorum cognationem, velut in eius viua ſimulacra diu diſſimulatum odium deſpumant, & Principis odia atrociſſimè concitant; adeò vt ignorate dicatur Priuatorum merita, vt in eius cognationem conſultiſſimè deſæuire videatur. Vnde *in talibus mutationibus frequenter contingit, vt qui prius erant dilecti, fiant odioſi.*

Hic v. 22. Hic verſ. 22. deſcribitur Ioſephi apud Pharaonem gratia: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens*, ſed confeſtim eius inuidia & odium ſuboritur: *Sed exacerbauerunt eum*, ſcilicet in ſua poſteritate quo *lutoſa* Principum gratia deſcribitur.

§. CCCLXI.

Piæ nobilitatis elogium eſt, humilium conuerſationem non faſtidire, ſed perhumaniter ambire.

1. COGNATVS hominis faſtus eſt cum ſe ipſo maioribus communicate: infimos deſpicit, medianos prætereit, conuerſari cum ſupremis anhelat; cum his agere, conuiuere, & amicitias inire ambit, humilium arroganti faſtidio. At vir bonus, piè nobilis, & qui de cælo ſapit, magnatum declinat commercia, & cum inualidis & pauperculis libentius conuerſatur, de cæli politiâ inſtructus, iuxta Salomonis prouerbium: *abominatio Domini eſt omnis illuſor*. (hoc eſt, fortunatus, diues, potens, & arroganter ſublimis, vt mihi Ianſenius commentatur) & *cum ſimplicibus ſermocinatio eius*, id eſt, cum pauperculis, humilibus, & deſpicatis hominibus *ſermocinatio eius, colloquium, concilium*, vel *congregatio eius*, vt plures exſcribunt. O bonam, & de cælo allatam politiam! Diuitum & potentium colloquia faſtidire, quæ alij impotenter ambiunt: & pauperum atque humilium conuerſationem ambire, quam alij arroganter faſtidiunt.

Prouerb. 3. v. 32. Ianſen. ibi.

2. Geneſeos 37. ita ſcribitur: *Ioſeph cum ſedecim eſſet annorum, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer: & erat cum filijs Bala & Zelpha vxorum patris ſui.* Eruditâ ſagacitate peruestigant interpretes, cur ingenuus Ioſeph, & ingenuâ indole præditus, cum ancillarum filiis potius conuerſari maluerit? Rupertus his verbis reſpondet: *Quòd diſtinctè dictum eſt: Et erat cum filijs Bala & Zelpha vxorum patris ſui, æmulationem iam inſinuat fratrum qui erant ex Liâ, cum quibus eſſe non audebat: quia cum de liberâ eſſent, grandiores habentes animos, filium dilectæ Rachelis non libenter aſpiciebant.* Scilicet virtutis moribus factus Ioſeph, maluit cum ancillarum filiis conuerſari, quàm cum æmulis? Non veretur vt ſeruile illorum ingenium, aliquid non ingenuum conuerſatione attrahet, vt æmulos declinet, nec mitiſſimus & innoxius iuuenis audet æmulum pati? Sic æmulatio virtuti inſidiatur? Sic patientiam ſubruit, & labefactat æmulus? Sic virtutem turbat, & pietatem inquietat? Abſentia, æmulationis remedium eſt. Sed ſubtilius & opportunius propoſitæ quæſtioni reſpondet Lipomanus: *Ioſeph ergo iam mortuâ matre ſociabat ſe filijs ancillarum, videlicet Dan & Nephthali, Gad & Aſer, qui à Liâ ſolâ dominante forſan deſpicabantur.* Nempe aduertit Ioſephus ancillarum filios à reliquis fratribus indecorè deſpici; ipſe autem qui erat filius Rachelis vxoris principis, & primaria & princeps eius ſoboles, ſe ſe deſpectis ancillarum filiis perhumaniter aggregat, & amicè adſociat; ſe illis inſinuat, vt eorum opprobrium & conditionem honeſtet. Non timet ne quid ſordidum de eorum conuerſatione hauriat, ſed ſperat aliquid ingenuum illis de conuictu ſuo inſtuare. Negligit arrogantiæ nugas de conuictorum ſublimitate; & inde ingenuorum fratrum exgrex, cum deſpectis ancillarum filiis generoſe verſatur; plus amans conuictorium humilium, quàm ſuperborum contubernium. Sibi velut auctoritatem detrahit Ioſephus, quam aliis impendat. O iuuenem digniſſimum, qui è conditione & vitâ paſtoritia ad principem locum inter palatinos proceres ſublimetur! Qui non erubuit, ſed audè expetiit cum deſpicatis familiariſſimè conuerſari, condignè meretur, ita auguſte ſublimari, vt aulæ regiæ proceres conuerſari cum illo expetant ambitioſè.

Geneſ. 37. 2. Ioſeph ancillarum patris conuictum deſumit.

Rupert. ibi.

Ambit Ioſeph cum ancillarum filijs ingenuè conuerſari.

Lipom. in Catenâ ibi.

Hic verſ. 22.

3. Ioannis 15. Chriſtus Deus viles ſeculo adlegit Diſcipulos, miniſterio illiberales, conditione ignobiles, officio ſordidos; quos toto triennio contubernales habuit, cum quibus amicè egit, & familiariter conuerſatus eſt. Iam vos mundi eſtis, inquit, propter ſermonem, quem locutus ſum vobis: *Manete in me, & ego in vobis*. Mira planè ſententia; & quæ à communi loquendi & ſentiendi modo prorſus peregrinari videtur. Benè eſt, expetat Chriſtus à rudibus tunc & abiectis Diſcipulis, vt cum illo maneant, & eius contubernio, familiaritate, & amicitiâ vtantur. Sed quid eſt, vt à deſpicatiſſimis Diſcipulis petat Chriſtus, vt ipſemet in illis, & cum illis maneat? Quid à Diſcipulis expetit, quod à ſuo ipſius pendet arbitrio? Belliſſimè Hugo Carenſis: *Manete in me, & ego in vobis. Quaſi dicat: Feci quod in me eſt: facite ergo quod in vobis.* Scilicet, quantumuis viles & deſpicati ſitis, ſi vos voltis mecum agere, mecum conuerſari, & mecum perpetuam amicitiam & conſuetudinem habere, è veſtrâ voluntate dependet. Imò & quod ego in vobis, & vobiſcum maneam, (quia non deerit de cælo fauor) è veſtro adæquè dependet nutu. A vobis peto, vt ego in vobis maneam: *Manete in me, & ego in vobis*. Quaſi dicat: Sic eſt mihi pergratum agere cum humilibus, cum abiectis, cum deſpicatiſſimis hominibus, quorum conuerſationem non approbat, ſed opprobrat mundus cognato arrogantiæ faſtu, vt neceſſe non ſit, quod id vos petatis: ego, ego inquam, vniuerſorum Do-

Ioan. 15. 3. *Chriſtus petit à vobis vt maneat.*

Hugo ibi.

min

minus, à vobis peto, non tantùm vt vos in me maneatis, & mecum familiariter agatis; ſed etiam vt ego maneam in vobis, & vobiſcum amicè agam. O amicam & beneuolam Chriſti Dei humanitatem erga homines rudes, ſimplices, & abiectos! Ecce impletum illud? *Et cum hominibus ſermocinatio eius*, id eſt, *colloquium*, aut *congregatio eius*.

---

§. CCCLXII.

Concordia venuſtas iuſtorum eſt, quæ diuinum ſauciat amorem.

1. SAPIENS nunquam potentium iras prouocabit, imò declinabit, non aliter quam in nauigando procellam. Circunſpiciendum nobis eſt, etiam quo modo à vulgo tuti eſſe poſſimus. Nemo quamuis exiguus, ad inferendum malum inutilis eſt. *Semper diſſenſio ab alio incipiat, à te concordia.* Quæ nos dementia exagitat, & in mutua exaſperat odia, & rixas? Quiſquis ſimultates amat, periclitatur periculi ſui causâ: & incertam fortunam expetitur, quæ aduerſus concordes vix vllum habet imperium: fortunam enim ex variâ feliciter firmam conſenſus facit. Nil turpius eſt, quàm cum eo inimicitias gerere, cú quo viuendum tibi eſt. Tametſi ita amicum habere debeas, poſſe vt fieri inimicum putes: tu verò nullius eſſe poſſe inimicum exiſtima. Cede in modicis, ne magna concordiæ emolumenta perdas. Nam pacificus & terrena bona vbertim poſſidet, & contubernalium ſauciat amorem, occulto beneuolentiæ philtro: ſiquidem coniunctio animi maxima cognatio eſt.

Publ. Mi. apud Senecã.

Semper diſſenſio ab alio incipiat, à te concordia.

2. Canticorum 4. diuinus ſponſus amore ſaucius, ſic ſponſæ blanditur, diſertè publicans, quid illi in ſponsa maximè arrideat, & eius excitet amorem: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Hebraicè pro, *vulneraſti cor meum*, ſcribitur, *abſtuliſti cor meum*, id eſt, exanimaſti, obſtupefeciſti me. Vnde iſte amoris ſtupor, & ecſtaſis charitatis? *In vno oculorum tuorum.* Fortaſſis feminæ faciem velabant, vno dempto oculo? quod in Arabiâ vſitatum fuiſſe Tertullianus tradit; quod de Palæſtinis incertum. Sed omitto corticem, vt nucleum emedullem. Philo Carpatius inibi ſic locum exponit: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine. Sponſus ſe vulneratum eſſe dixit; non autem duobus oculis, neque multis crinibus, ne quid niſi ſpirituale totum id eſſe intelligamus, ſanctaque concordia, & charitatis plenum.* Etſi vterque ſponſæ oculus formoſiſſimus ſit, tamen adaggeratio pulchritudinis, quæ numerum facit, & vnitatem ſoluit, ſponſi amorem non ſauciat. Non tota ſponſæ coma, & crines ſparſim volucres, qui diſſolutione diſcordiam adumbrant, ſponſi alliciunt amorem; ſed vnus oculus, vnuſque crinis; *ne quid niſi ſpiritale totum, id eſſe intelligamus, ſanctaque concordia & charitatis plenum.* Quaſi fucata ſit pulchritudo, quam conſenſus non eximiè venuſtat, etiam pulcherrimarum aliàs rerum abiicit venuſtatem; & vnitatis decore, & concordiæ lenocinio, ſponſi charitas vnicè ſauciatur, & amor ecſtaſi ſuſpenditur, ac ſi vnitas ſit placendi gratia, & gratiæ pulchritudo. Ecce tibi, quàm ſit grata cæleſti ſponſo anicorum concordia.

Cant. 4. 9.
Concordia venuſtate vnio ratur ſponſi amor.

Tertul. l. de veland. Virgin.
Philo Carp. ibidem.

3. Vel aliter enucleare iuuat præfatum Canticorum locum, qui animorum conſenſum in Chriſto feliciter ſpirat: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui.* Lyranus: *Vulneraſti cor meum. Modus eſt loquendi amantium ad expreſſionem amoris. In vno oculorum tuorum, id eſt, in Moyſe. Et in vno crine, id eſt, in Ioſeph, qui fuit Deo valde acceptus, & fuit vnus de capillis ſponſæ ſeu crinibus.* Hanc eximiam concordiæ cum infeſtiſſimis fratribus pulchritudinem, & ſponſus prædicat, & hîc Iacobus dilaudat, aiens: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu.* Dein Strabus fuldenſis ſic fatur: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, &c. Omnis tua pulchritudo mihi placet, ſed maximè placet vnitas Catholica, quam & in prælatis, & ſubditis video.* Sic Deo perplacet ſubditorum cum Prælato concordia? Sic prælatio & ſubiectio ſimultatibus obnoxia eſt? Verùm Anſelmus Laudunenſis propius ad rem accedens, ita in Gloſſa interlineari ſcribit: *Vulneraſti cor meum, id eſt, pro amore tuo carnem ſumpſi. Soror mea coherens ſponſa.* Scilicet vnus oculus, & vnus crinis ſponſæ, per quæ vnanimis deſignatur hominum facienda concordia, motiuum fuit etiam corporationis diuinæ. Quâ ſuper re audiendus eſt S. Leo, qui ſic acutè pariter ac dilucidè fatur: *Fides enim vera iuſtificans impios, & creans iuſtos ad naturæ ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſe inuenit innocentem. Et quia vnus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, per communionem ſui generis ad pacem peruenit deitatis, liberum habens de eius potentiâ gloriari*, &c. Ecce tibi Chriſtus verus Deus & homo, vnus Dei & hominum mediator, *per communionem ſui generis ad pacem peruenit deitatis.* Quid? humanorum criminum rixæ inquietabant Deitatis pacem? Mortalium diſſidens peruerſitas immortalem interturbabat Deum? Chriſtus Deus niſi per concordem hominum *communionem* ad pacem non perueniret Deitatis? ô pulchram Magni Leonis exaggerationem! Nimirùm Chriſtus Deus allectus vnius oculi, & capilli vnius concordi vnitate humanam *carnem ſumpſit*, vt natura humana in varias peruerſitates diſtracta, ad naturæ ſuæ tracta participem, ipſum Chriſtum inquam, vnitatis priuilegio, in illo acquireret ſalutem, in quo ſe inuenit innocentem. Vnde vnus mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, pacificans omnia, *per communionem ſui generis ad pacem peruenit Deitatis.* Quid luculentius?

Cant. 4. v. 9.
Lyran. ibi.

Hic v. 22.
Strabus ad eum Canticorum locũ.
Chriſtus per concordiam ſui generis ad pacem peruenit Deitatis.

Anſelm. ibi.

S. Leo ſer. de paſſio.

* *

§. CCCLXIII.

§. CCCLXIII.

Mulier impudica, vna plures dicitur ad malitiæ exaggerationem?

1. Anton. in Meliſ. part. 2. ſerm. 33. *Mulieris impudicæ elogium.*

ARISTIPPVS mulierem paruam, ſed pulchram conſpicatus: *Paruum*, inquit, *pulchrum, magnum autem malum.* Mulier enim non bona, eſt viri naufragium, domus tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, ſumptuoſum bellum, belua conuiua, ſolicitudo confidens, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitioſum, malum neceſſarium. Nec adhuc cum parua eſt, paruum malum eſt, ſed magnum & multiplex: quamuis enim leuicula femina vna ſola ſit, vna plures eſt, quaſi malitiæ vis ſexum multiplicaret ad virorum perniciem. *Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt, qui iudicauit de meretrice magnâ, quæ corrupit terram in proſtitutione ſuâ.* Vnane pulchella mulier vniuerſam terram ſcortatione ſuâ dehoneſtare potuit? vbiuiſne illa erat? an libidinis præſtigiis multiplicatur ad luxum? (Apocal. 19. v. 1. & 2.)

2. Geneſ. 46 v. 6. & 7. *Cur vna Dina plures Iacobi filiæ appellari videtur.*

Geneſis 46. Iacobus, etſi numeroſâ familiâ, & annoſâ ſenectute pergrauis, ſtudio ſui Ioſephi videndi, & graſſantis famis leuandæ deſiderio, è Palæſtinâ in Ægyptum cum ſuis demigrat. *Venitque in Ægyptum cum omni ſemine ſuo, filij eius, & nepotes, filiæ, & cuncta ſimul progenies.* Mitto hîc difficilis quæſtionis ſalebras, interpretum nonnullis imperuias, an in ſeptuaginta animabus, cum Moyſe; an in ſeptuaginta quinque cum Stephano, Iacobi familia cenſenda ſit: an Stephanus in re diſſideat à Moyſe: & quinam ex Iacobæâ progenie hos numeros ad amuſſim expleant, de quo nobis vel ad lectoris nauſeam affatim egimus. Nunc verò ad rem præſentem diſquirendum eſt, quænam ſint iſtæ Iacobi filiæ, quarum hîc Scriptura diſertè meminit. Auguſtinus præfatum locum exponens, ita philoſophatur. *Iuxta alia*, inquit, *exemplaria eſt: Intrauit in Ægyptum Iacob, & omne ſemen eius, filij & filij filiorum eius, & filiæ filiarum eius cum eo. Quærendum quo modo dicat filias, & filias filiarum eius, cum filiam vnam legatur habuiſſe? ... Sed nunc cùm dicit filias filiarum, propter vnam Dinam pluralis numerus pro ſingulari poſitus eſt.* Vnane duntaxat Iacobi filia, pulchella & leuicula, cuius venuſtas, & Sichimitis excidium, & ſuis periculum attulit, numeroſus filiarum grex dicitur? Opinor, nec aliter fortè ſatis denotaretur, quàm fuerit anxiis parentibus oneroſa, nobiliſſimis fratribus periculoſa, & laſciuis ſpectatoribus exitialis, niſi nomine pluratiuo efferretur. Vna Dina ſtupro famoſa, vna plures eſt, & ſollicitudini Liæ matris, & anxietati Iacobi patris, & dedecori ingenuorum fratrum, & luctuoſæ Sichimorum ſtragi. Tota Iacobi familia, omnis Hemoris curia, vniuerſum Sichimitidis regnum, vnius leuitate inquietatur & tumultuat, quaſi plures forent. Vnde *cùm dicit, filias filiarum, propter vnam Dinam pluralis numerus pro ſingulari poſitus eſt.* (S. Auguſt. in qq. ſuper Geneſ.)

3. Hîc verſ. 22. his verbis Ioſephi benedictionem Iacobus auſpicatur: *Filius accreſcens Ioſeph, accreſcens, & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum.* Locus planè perobſcurus, nuſquam enim Scripturarum legitur, nec apud Palæſtinos, vbi veſte polymita ſplendebat pulcher Ioſephus; nec in Ægypto, vbi lacinioſis præfecturæ ornamentis inſigniebatur, per vrbis mœniana, ſtudio Ioſephi videndi, auidè feminas diſcurriſſe, vt adamatam eius venuſtatem propius ſpectarent. Quænam ſunt iſtæ filiæ, quæ per murum diſcurrere dicuntur? Rupertus, ibidem ſic locum interpretatur, ad litteram & ad mores tempeſtiuè. *Vna namque ſcilicet Domina ipſius, (filia magis dicenda, quàm mater familias) inieciſſe in eum legitur oculos ſuos: filia, inquam, ſtulta, & incuſtodita, cuius & incontinentia denotatur dicendo, diſcurrerunt ſuper murum.* Ecce tibi, femina incontinens & impudica, vna cùm ſit, plures dicitur. Vna in ſexus indiuiduo, plures in venereâ multorum pernicie. Quin & vna femina laſciuiens, citò laſciuientium gregem facit, afflatu libidinis, cuius contagium nimis propagatur & ſerpit. Sed obſeruandum eſt, quòd Ioſephi Domina, dum petulanter luxuriari expetit, confeſtim perdidit honorum matronæ vocabulum, & *filia* nuncupatur, non ad minoris ætatis lenocinium, ſed ad maius laſciuiæ detrimentum. Deſueſcit libido ſtatum, & grauem matronam recudit in puellam leuiculam. *Filia* fit non parentum, quæ matris.... familias elogium laſciuiendo corrupit. Tractetur vt *filia*, quæ libidine perdidit honorabile matris vocabulum. (Hic v. 22. *Sententiosè vna duntaxat Ioſephi Domina, filiæ dicitur.*) (Rupert. ibi.)

4. Matthæi 28. mulier illa nuper peccatricis nomine famoſa, ad Chriſti Dei tumulum maturius properat: *Veſpere autem*, inquit, *ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum.* Et quæ non multò ante notæ laſciuiæ facinora deſueuerat, rectè in ſexus peccatricis typum accipitur à Chryſologo, qui ita poſtmodum ſcribit: *Venit, inquit, Maria, & altera Maria. Non dixit venerunt, ſed venit: ſub vno nomine venerunt duæ myſterio, non caſu. Venit Maria, & altera Maria. Non venit ipſa, ſed altera; altera, ſed ipſa, vt mulier mutaretur vitâ, non nomine.* Non vides in vnâ muliere peccatrice, plures non caſu, ſed myſterio, peccatrices mulieres veniſſe? & tamen dictum non eſt, *venerunt*, pluratiuo nomine, ſed *venit*, ſingulari vocabulo. Sicut enim vna leuicula Dina, plures Iacobi *filiæ*, nominatur: & impudens Ioſephi Domina, *filiæ* per murum diſcurrentes, dicitur: ita de muliere olim in ciuitate peccatrice notatur, quòd *Venit Maria, & altera Maria: ſub vno nomine venerunt duæ myſterio.* Liceat concionatoriè ſic fari cum Chryſologo: loci enim Matthæi ſenſus, aliò tendit: nam res parænetica non adeò religioſa, aut ſcrupuloſa eſt, ac exegetica. Hæc genuinum ſenſum emedullat; illa liberius ad mores velitatur. (Matth. 28. 1. *Mulier peccatrix, vna & plures dicitur.*) (Chryſol. ſerm. 74.)

§. CCCLXIV.

§ CCCLXIV.

Vel leuis occaſiuncula in re libidinis, non leuem hominibus ingerit ſuſpicionem.

1\. PRONVM eſt homini de aliorum delictis audacter cenſere, garrire, obloqui; ſed in re libidinis audacior hominum cenſura eſt, temeraria quadam cenſendi libidine. Verùm; etiamò ſic infrene vagatur iudicium, vt non ex aliquâ irrepat occaſiunculâ, etſi irreprehenſibili & inculpatâ, quę anſulam maledicentiæ porrigat: cuius opportunitates malitia obſeruitat, nec iniudicatas præterit ſeueriori, quàm par eſt, cenſurâ. Iudith olim caſtitatis laude præluſtris, puritatis nitor, & vidualis continentiæ ſimulachrum; dum obuias etiam deuitat contubernalium occaſiones, ſic liberiorem hominum cenſuram compeſcuit, vt in eâ ætate, opulentiâ, & formâ, quæ caſtitatis iacturæ, aut non bonæ opinioni maxime inſidiaretur, dictum de illa ſit: *Nec erat qui loqueretur de illâ verbum malum.* Quod ſi nemo de illâ aliquid inhoneſtum ore garribat, opinor, nec mente ſiniſtrè cenſebat: nam lingua, præſertim in re maledicentiæ, mentis bibula, & interpres eſt. Hæc illâ, Iuditha inquam, cuius vel auditum nomen caſtitates ſpirat, pudicitiam loquitur, & ſuadet; de cœlo inſtincta, ambitioſius ornatur, quò Holofernes amoris blanditiis ſaucius, ſuo pugione durè ſaucietur, ad Aſſyriorum funeſtam cladem, & ſui (id eſt, Dei populi) felicem à tanto periculo ſoſpitatem. Res è matronæ voto ſucceſſit: & clanculariam nacta occaſionem, Holofernis caput animoſa præcidit, in manticulâ occultius recondit: incolumis ad ſuos diſſimulanter remeat, ouat, triumphat Aſſyrio deuicto. Heroïnam protinus circumſtat Bethulienſium pauida multitudo, faculiſque lucernatâ nocte, cædem Holofernis roſeo ore coram denarrat. Et proferens de perâ hoſtile caput, ſic ad ſuos fatur: *Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria ſuâ, in euaſione meâ, & in liberatione veſtrâ.* Quis, quæſo, te impudentiæ accuſat, Matronarum caſtiſſima? ecquis tuam dehoneſtat pudicitiam, notam omnibus, ab omnibus prædicatam? quid præproperâ apologiâ dum nemo accuſat, continentiam excuſas? Putauerim, Iuditham tacitis occaſionis vocibus conſultiſſimè palam reſpondiſſe. Scilicet Iuditha attenta audit coniectura inculpatæ occaſionis murmur, & eius ſuſurros, ne ſerpant, ſiſtere ambiens, præmaturè excuſat, quod vel è cælo data occaſio inhonorè apud maledicos culpabit. Sic ab occaſione obmurmurandi timet illa ipſa, de quâ nuper nemo erat, *qui loqueretur verbum malum?* Porrò nemo eſt, qui in re libidinis vel leuem vltrò occaſiunculam porrigat, qui ſiniſtris hominum aut cenſuris, aut ſuſpicionibus anſam non porrigat. Nec Iuditha ſatis tuta eſt in tantæ exiſtimationis aſylo? ô fuge occaſionem etiam innoxiam, tanquam ſuſpicionum fomitem! Cui non deeſt occaſio, vix putatur deeſſe reatus.

Iuditha perfecta occaſionis tacitum murmur excuſat.

Iudith. 8. 8.

2\. Iudith. 13. v. 20.

3\. Geneſis 39. ingenui Ioſephi Domina, libidinis vile mancipium, perditiſſimè bellum iuuenem deperit; impudentique ore omnes veneres cupidineſque adoleſcenti propinat: ſed neque ſeruitij humilitas generoſos Ioſephi animos depreſſit, nec dominæ adulationes perpetuæ ſpe variâ conſtantiam ſubruerunt. Prætereo externas mulieris artes, fucum, verba, veſtes, oculorum pellaciam, lecythos vnguentarias ſe naribus inſinuantes, animæ per aures obſidionem, naturales corporis infractiones. Nam per omnes ſentiendi vias ibat quidquid illecebroſum, omniaque adoleſcentem vnum in ſcopum ferebant. Ille verò caſtitatis amore armatus, & gratitudinis ſtudio clypeatus, ſtuprum pertinaciter refutat, *nequaquam acquieſcens operi nefario.* Sed (ô malum!) *accidit quadam die vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret*: & illa, apprehensâ laciniâ veſtimenti eius, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit & egreſſus eſt foras. Cumque vidiſſet mulier veſtem in manibus ſuis, & ſe eſſe contemptam, vocauit ad ſe homines domus ſuæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum vt illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me vt coiret mecum: cumque ego ſuccla maſſem, & audiſſet vocem meam, reliquit pallium quod tenebam & fugit foras. In argumentum ergo fidei retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum.... *His auditis Dominus, & nimium credulus verbis coniugis, iratus eſt valde,* &c. valdè miratur Baſilius, quod *Illa veſtem oſtentans fidem facit. O inexpectatam maledicentiam! ô inſaniam barbaricam! Cum pallij, quo manus accuſentur, ſit geſtatrix, linguæ accuſanti creditur.* Vel ipſa quæ oſtentat indicia, mulierculæ impudentiam accuſant, & iis excuſatur ipſa, & innoxius iuuenis accuſatur? *ô malum nullis euitabile machinis! ô calamitatem inextricabilem!* Eccur in Ioſephum immeritum refragantibus indiciis, tam ſiniſtra vibratur libidinis cenſura? Verùm quia Ioſephus leuem & inculpatam obtulit occaſiunculam, cùm ſæpè ad laſciuiendum prouocatus à Dominâ, *intrat domum*, (gynæceum inquam) *& operis quippiã abſque arbitris facit*: inde vel ex indiciis ſuam innocentiam cõprobantibus, ipſe culpatur. Porrò malum ineuitabile, & calamitas inextricabilis eſt, ſuſpicionum in re libidinis ſiniſteritas, vbi aliquam, etſi leuiſſimam, reperit ſuſpicandi occaſionem. Iudith fortè extirpare potuit ſuſpicionum exortum: Ioſephus verò, non impar caſtimoniæ nitore, iudiciorum cenſuram neque ſiſtere, neque abrogare valuit. Sic volupe hominibus eſt, ex leuiculâ etiam occaſione in re libidinis ſiniſtrè cenſere. Quiſquis aliquam malè ſuſpicandi obtulit occaſionem, non benè tutus eſt in innocentiæ aſylo. Hæc theſis ex proximè ſequenti §. diuitatur vberius.

Inculpata, ſed minus cauta occaſiuncula, Ioſephum innoxium libidinis damnat.

Geneſ. 39. v. 11. Hic v. 12.

Baſil. Seleu. Orat. 8.

§. CCCLXV.

§. CCCLXV.

Circumſpectæ cautelæ neglectus in caſtâ etiam vxore, maritorum zelotypiam ſubornat.

1. Apud Corn. in c. 5. Numerorum. PROTAGORAS rogatus, cur filiam dediſſet vxorem ſuo inimico? *Quia*, inquit, *nihil illi dare poteram deterius*. Fortè leuiculam nouerat, & idoneam, quæ maritum inimiciſſimum zelotypiâ vreret. Scilicet dedit quæ domum inquietaret, pacem euerteret, & inimicum velut furiis exagitaret irrequietis ſuſpicionibus; quas vel ex leui & inculpatâ occaſione maritus fingit in amoris & honoris officinâ. Nempe Protagoras filiæ periculo ſæuam emit inimici vindictam, & atrociter inimicitias agit malo zelotypiæ, quod leui occaſiuncula excitat, & viſcera morſicat vſque ad inſaniæ furorem.

2. Iudicum 13. erat quidam vir de Saraa, de ſtirpe Dan, nomine Manue, habens vxorem ſterilem. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Concipies & paries filium, &c.
Iudicum 13. verſ. 6. *Quæ cùm veniſſet ad maritum ſuum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cùm interrogaſſem, quis eſſet, & vnde veniſſet, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere*. Multa hîc hæc bona femina de ſuo addidiſſe videtur; neque enim vbi ipſa Angeli apparitio denarratur, vlla fit mentio de his interrogatiunculis, præſertim de apparentis Angeli *terribili* aſpectu: tantùm enim dicitur, quod ei *apparuit Angelus Domini*. Nimia videtur libido mentiendi in hâc matronâ Samſonis matre? Aut ſi mentita non eſt, eccur terribilitatem Angeli marito denarrat? Caietanus id ſagaciſſimè indagat, & ſic acutè reſpondet, ad illa verba: *Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Dictio* (inquit Caietanus) *interpretata Terribilis, ſonat potius formidatum...... Vt etiam ipſa verba vxoris eximerent maritum ab omni ſuſpicione noui amoris in vxore*. O cautelam matronali pudicitiâ digniſſimam! Videt Dei Angelum ſub ſpecie viri, cæleſti iubare ſplendidè amictum, pudicitiam de cælo fragrantem; qui principem prophetat prolem: & confeſtim pergit ad maritum ſuum, & *Terribilem*, ſiue *formidatum nimis* appellat, vt mariti ſuſpiciones præmaturè anteuertat, dum audit *Terribilem* potiùs quàm amabilem; *formidatum* citius, quàm amatum. Sic tenera eſt vxorij amoris valetudo? Vel viſus Angelus ſub viri ſpecie inquietabit ſuſpiciones mariti? Nec cælo parcit zelotypiæ furor? Parùm erat dixiſſe, eſſe virum Dei, & palam prophetantem, niſi addidiſſet, eſſe *Terribilem & formidatum nimis, vt ipſa verba vxoris eximerent maritum ab omni ſuſpicione noui amoris in vxore*? Sic matronalis pudicitia cautè agit, ne cum terris ſuſpicionibus zelotypiæ furias ingerat marito? Sic vel ex leuiculâ occaſione maritorum amor & honor inquietari ſolitæ? Nulla vxorum cautela; quæ præmaturè ſuſpiciones auertat, ſuperuacanea viris eſt. Planè luculenter Caietanus.

Cur Angelus matri Samſonis apparens, Terribilis dicatur.

Caiet. ib.

3. Prouerbiorum 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ: neque acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima*. Nempe viri zelus iracundiam exacuit, & inde zelotypus atrociter furit. Hebraïcè pro, *Non parcet in die vindictæ*, tempeſtiuè ſcribitur, *In die iudicij*. Bella exaggeratio; *El furor de vn zeloſo, es vn dia del Iuicio*. Neque ex magnâ plerumque occaſione hic zelotypiæ furor accenditur, ſed ex leui occaſiunculâ nimis inflammatur. Loquens de adultero, Salomon ita fatur: *Qui annuit oculo dabit dolorem*, Hebraïcè, *Secans oculo*, hoc eſt, diductione & contractione palpebrarum, vel interruptâ intercisâque viſione. Quod adeò grauatè mariti in vxoribus ferunt, vt vel vrbanus adnutus, adulterij ſuſpectus ſit, & laſciniæ reus. Audiendus eſt hac ſuper re Clemens Alexandrinus, qui ſic eleganter ſcribit: *Verſatilibus, & tanquam conniuentibus oculis intueri, nihil eſt aliud, quàm oculis mœchari; cùm per oculos cupiditas ineat prima pugnæ præludia. Annuens enim oculo cum dolo, viris congregat mœrorem*. O quàm debet eſſe diligens & attenta vxorum pudicitia! Vel vagus feminæ aſpectus, qui in virum offendit, periculosè putatur impingere? Prima pugnæ præludia per oculos cupiditas inire cenſetur? Vel vrbana conſenſio, quæ per nutum fit, virorum concitat zelotypiam? Incautus aſpectus, ſcortationis habetur reus? Sic omnis maritus vxoriæ caſtitatis exactor eſt, vt in alienos concurriſſe aſpectus zelotypiam exacuat. Chriſtianus ſoli vxori ſuæ maſculus naſcitur: pudica vxor ſoli viro ſuo viuit. Vnde hîc verſ. 22. malè audiunt apud interpretes hæ Mempheos *filiæ diſcurrentes ſuper murum, vt Ioſephum decorum aſpectu viderent*.

Prouerb. 6. v. 34. & 35. Furor non parcit ſuſpectis, adulterij ſuſpectus eſt.

Prou. 10. 10.

Clemens Alex. l. 3. Pædag.

His 22.

§. CCCLXVI.

Attentiori occaſionum præſcindendarum cautelæ debet Chriſtus, nil æmulos in re libidinis aduerſus eius modeſtiam ſuſpicatos.

1. VEL leuicula libidinis occaſio famam caſtitatis ſuffuratur, virginitatis nitor tantiſper incautus, in cenſoris mente ſcortatur egregiè. Hinc auguſtius elucet ſplendidior Chriſti puritas, quam ſuſpicioſæ inuidiæ malè acutum ingenium nuſquam ſuſpicione conſtuprauit. Minimum planè eſt, cum Chriſti Dei inculpata vita, & cæleſtis doctrina, vituperatores inuenerit ab inuidia Phariſaicæ æmulationis, eius puritatem immunem fuiſſe à ſuſpicionum malitia, & à garrula vituperatorum licentia. Hoc priuilegium debuit Chriſtus; non morum innocentiæ, quæ hominem Deum decebat; (ſic enim nullius vitij vnquam inſimularetur) ſed quia leuiſſimas amouit occaſiones, quibus humana malitia

Cur Christus apud Phariſæos libidinis nil ſuſpectus fuerit.

malitia eiuſmodi ſiniſtras ſuſpiciones poſſet concipere.

2. Matthæi 15. Iudæam Chriſtus deſerit, & regionem Tyri & Sidonis peragrat: *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à Dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum.* Et cùm adhuc pertinenter rogitans diſcipulis moleſta perſiſteret, cum repulſa audiuit increpationis contumeliam: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Chananæa mulier, ſed animi probitate genus refutabat: naturam vicit fides: adeſt cum filia, in eâ ætate & formâ, quæ hominibus perchara eſſe potuiſſet, ſed heu inteſtino Dæmoni chara eſt, Diaboli domicilium filiam peperit. Verecundiam omnem calamitas excutit, & ingenitum à natura pudorem mali vis captiuum ducit: puellæ calamitas nullas capit inducias, irremediabilis morbus Chriſtum Deum expetit medicum: *Miſerere mei Domine fili Dauid.* Sed quare tanta, tamque peregrina huius feminæ fides, & ærumnoſior filiæ calamitas, repulſam patitur, & ſilentio miſericordia negatur? Imo audito probroſo vituperio miſeria cumulatur. Hâc ſuper re ſic ad rem præſentem mirè fatur Baſilius Seleucus. *Miſerere mei. Qui non reſpondit ei verbum.* O ſilentium, inquit, vocalis admodum Iudæorum accuſator! Namque ſilentio ad Iudæos talia loquebatur: Vides Iudæe Chananææ generoſitatem? vides ex improbâ radice fructum dilaudatum? Moyſem non ſuſcepit latorem legis, & Moyſis cognouit Dominum: Prophetas neſciuit, & à Prophetis cantato credidit. Ecce etiam propter te luctu confectam deſpicio, commiſerationem tego, & ſi luctus miſereor, vociferantem vt gentilem auerſor, tibi infidelitatis occaſionem præſcindens. Nondum malum ſoluo, ne te ad inuidiam commoueam: *Sanationem differo, ne infidelitati tuæ materiam ſuggeram; ne vt infidelitatis accuſatus dicas: Quid te Chananæa miſerebat?* Ecce tibi Chriſtus Deus matrē cum puella deſpicit, commiſerationem tantæ calamitati debitam ſilentio tegit: mulieris animoſam fidē velut auerſatur, ne Iudaicæ ſuſpicionis licentiâ illi à tergo ſuggeratur: *Quid te Chananæa miſerebat?* O ad caſtitatis famam neceſſaria cautela! ô non deuenuſtandæ pudicitiæ ingenioſum arbitrium! Scilicet differtur puellæ curatio, vt æmulæ ſuſpicionis amputetur occaſio; ne ſi confeſtim expromptus (quod mulieris generoſa fides expetebat) ad puellę medicinā foret, affectui imputaretur, quod pietas efficiebat? malitioſéque obloquerentur Phariſæi: *Quid te Chananæa miſerebat?* Chriſti cautela ſit noſtra eruditio.

Matth. 15. v.22. & 23. & 26

Puella curatione differt Chriſtus, veritus inhoneſtam Phariſæorum cenſuram.

Seleuc. orat. 20.

3. Mulieri Chananææ mulier ſuccedat adultera; neque impar fuit vtrobique Chriſti cautio. Ioannis 8. Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magiſter hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? *Hoc autem dicebant tentantes eum, vt poſſent accuſare eum. Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terrà.* Callidi Phariſæi in medio adulteram ſiſtunt, adhuc calenti flagitio, vt occaſionem captarent Chriſtum criminandi. Aſt de quonam crimine eum inde accuſare vellent, exploratum non eſt. Profectò hæc quæſtio aliam quæſtionem parturit, cuius ſolutio extricabit priorem, quam his verbis excitat, & diſſoluit P. Ioannes Maldonatus, quâ ſolet ſubtilitate & eruditione. *Sunt qui quærant, ait, cur non etiam adulterum adduxerint? aut ſi alterum ex duobus illis tantum adducere placebat, cur non adulterum potiùs, quàm adulteram, quod fuiſſet fortaſſis honeſtius, adduxiſſent. Nam lex quidem eadem adulterum atque adulteram pœna affici iubebat.* Aduerte ad verba quæ opportunè ſubiicit. *Nonnulli ſuſpicantur, adulteram potius, quam adulterum adduxiſſe, vt Chriſti tentarent pudicitiam. Quiduis de maligno Phariſæorum animo credi poteſt.* Vides malitioſam Phariſæorum vafritiem, & quanta ſit, vt occaſionem Chriſti dehoneſtandi captaret. Vide etiam mihi, quàm diligens, attentus & ſedulus, ſiniſtræ ſuſpicionis occaſiunculas Chriſtus auerterit, neceſſariâ cautelâ. *Ieſus autem inclinās ſe deorſum digito ſcribebat in terrà.* Ad quæ Ioannis verba ſic elegāter ſcribit Chryſologus. *Cùm in Euangelio à Scribis & Doctoribus legis apud Dominum iſta accuſaretur adultera, auertit faciē ſuam Dominus, & declinauit in terrā, ne crimen cerneret, quod puniret: & maluit in puluere ſcribere veniam, quàm dare in carne ſententiam.* Argutè quidem de more Chryſolog. Scilicet cùm Phariſæi malitioſè, non adulterum, ſed *adulteram* adducunt ad Chriſtum, vt ipſius reprehendendæ pudicitiæ leuiſſimā ſaltem anſam vltrò arriperent, & de captatis inde ſuſpicionibus ore garrirent; tunc, tunc quidem, *faciē ſuā auertit Dominus, & declinauit in terrā, ne crimen cerneret, quod puniret: & maluit in puluere ſcribere veniā, quàm dare in carne ſētētiā.* Ecce quàm cautè Chriſtus vituperonū fruſtrauit malitiā, & ſuſpicionū occaſiunculā modeſtia circunſpectiſſimâ declinauit. Expende Chryſol. verba, quæ plus ſignificāt quàm dicūt.

Ioan. 8.6.

Circumſpectiſſimâ cautelâ Chriſtus Adulteram abſoluit.

Maldon. ibi.

Leuit. 20.10. Deut 22.22.

S Chryſol. ſerm. 115.

Ioannis 3. longiuſculam concionem habuit Chriſtus ad mulierem Samaritanam; & quidem extra vrbem in agro, dum abierant Diſcipuli cibos empturi: *Et continuò venerunt Diſcipuli eius: & mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Cur autem mirati fuerint, quòd cum muliere Chriſtus loqueretur, Euangeliſta non docet. Nonnulli exiſtimant, propterea miratos, quòd ſcirent Chriſtum ſolitum non eſſe cum mulieribus colloqui; homines autem inſolita demirantur. Origenes, Ammonius, Leontius, Chryſoſtomus, & Cyrillus, eius humilitatem miratos fuiſſe putant, quòd dedignatus non fuerit cum muliere, & quidem alienigenâ, & paupere loqui. Auguſtinus verò ſic ſuper hâc re ſcribit: *Quia quærebat perditam, qui venit quærere quod perierat. Hoc illi mirabantur. Bonum enim mirabantur, non malum ſuſpicabantur.* Parum eſt nil mali ſuſpicatos eſſe Diſcipulos, quòd cum muliere famosâ tandiu Chriſtus loqueretur, niſi addidiſſet Theophylactus admirationis cauſam tempeſtiuè ad rem præſentem: *Diſcipuli, inquit, admirati ſunt humilitatem eius, quòd cùm tam glorioſus eſſet, non dedignatus ſit cum Samaritanâ muliere tantâ cum modeſtiâ ſermonem habere.* Nimirum non modò Diſcipuli malum non ſuſpicabantur, ſed ita ſe Chriſtus geſſit 4.

Ioan. 4. 27.

Modeſtia Chriſti debetur, quod eius cum Samaritanâ colloquium, ſuſpectum nō fuerit.

S. Aug. tract. 15. in Ioan.

in ipſâ aliquali ſiniſtrè ſuſpicandi occaſiunculâ, vt ipſius tunc *modeſtiam* ſingulariter demirarentur. Semper Chriſtus eam modeſtiam ſpectatoribus obiecit, quæ hominem Deum decebat. At quando loquitur cum Samaritanâ vultum exquiſitiori modeſtiæ ſtudio compoſuit; adeò vt ipſa ſuſpicionis materia ſic honeſtaretur, vt inſolitam reuerberaret in modeſtiam, fitque de aliquali occaſione cenſendi, exquiſita modeſtiæ comprobatio. Quid cautius?

---

§ CCCLXVII.

Serpentem non bonæ famæ rumuſculum ſiſtere, primus fuit Euangeliſtæ labor?

1 Seneca de Remed. fort.

Contemnenda eſt detractorum maledicentia.

MALE de te opinantur homines, ſed mali. Moueret, ſi malè de me M. Cato, ſi Lælius ſapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt vllam auctoritatem habere ſententia, vbi qui damnandus eſt, damnat. Malè de te loquuntur. Moueret, ſi iudicio hoc facerent: nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, ſed de ſe. Malè de te loquuntur. Benè neſciunt loqui: faciunt, non quod mereor, ſed quod ſolent. Quibuſdam enim canibus ſic innatum eſt, vt non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent. Hucuſque Seneca & elegantiſſimè, & moraliſſimè. Quare (detractor ait) hic religioſus laxius habitat? Quare ille lautius cœnat? Papulas obſeruatis alienas, obſiti plurimis vlceribus. Hoc tale eſt, quale ſi quis pulcherrimorum corporum næuos, aut verrucas derideat, quem vera ſcabies depaſcitur. O vos felices, cùm primùm imitari eiuſmodi vitia contigerit! Et ſanè cùm humanæ aures pruriant audire alienos, etiam probiſſimorum, defectus; & leuis rumuſculus per aurium & linguarum traduces nimium ſerpat; ex leuiculi verbuli ſcintillâ, magnum infamiæ excitatur incendium, quod bonum nomen, ſi non abſumit, ſemiuſtulat tamen; totoque flumine opus eſt, vt reſtinguatur. Sic imperitum vulgus vel improbabilibus credit, re indiſcuſſâ!

Matthæi 1. longa texitur ſeries progenito-
2. Matth. 1. 1. rum Chriſti Dei, ab Abrahamo vſque ad Ioſephum Deiparæ ſponſum. *Liber*, inquit, *generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham*, &c. Eccur tam exactum & prolixum tot maiorum catalogum recenſuit Matthæus, ſcribens ad Hebræos, quibus cuiuſque genealogia notiſſima erat? Et eſto, recenſenda foret exactiſſimè; quare id non intertexuit ſicut Lucas in corpore Euangelij, ſed in Euangelij capite expoſuit? Adeò vt Chriſti genealogia ſit noui Teſtamenti auſpicium, & primus Euangeliſtarum labor. Hinc Fauſtus Manichæus auſus eſt dicere, Matthæi hiſtoriam, Euangelium non eſſe, ſed genealogiam. Difficile putans, genealogiam eſſe Euangelium, vt aliàs notabamus. Quam ergo ob cauſſam ſic eiuſmodi genealogiam Matthæus ſcripturit; vt nil ante præſcripſerit? quaſi tota Euangeliſtæ cura & ſolicitudo in id vnum primò incumberet. Dubium hoc tacitè proponit, & diſertè ſoluit Abulenſis, his verbis: *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid filij Abraham. Abraham genuit Iſaac*, &c. *Cùm Chriſtus*, inquit, *eſſet Iudæus, conſtabat eum deſcendere ab Abraham: niſi dicerent eſſe è Gentilibus Samaritanis; ſicut ſemel dixerunt, ſcilicet: Samaritanus es tu, & Dæmonium habes.* Nempe in confeſſo omnibus erat, Ieſum è gente Hebræâ genus ducere: tantummodo ambiguum eſſe poſſet apud Hebræos, an Ieſus eſſet è tribu Iuda, an ex aliâ tribu ortus. Et tamen quia neſcio quis ab irâ furioſus, ab inuidiâ inſanus, ſemel effutit, Chriſtum, non Iudæum, ſed Samaritanum eſſe, ideò primus Euangeliſtæ labor fuit Chriſti genealogiam prolixius & exactius ordiri ab Abrahamo & Dauide. Sic denigrat natalium famam vel leue verbulum, à dicentis iracundiâ falſitatis ſuſpectum, atque contra atteſtatam & notiſſimam rei euidentiam? Euangeliſtæ calamo & auctoritate opus eſt contra ſemel iactatum infamiæ rumuſculum? Hæc prima Euangeliſtæ cura in Euangelij exordio? Sic res perurgebat, vt ante omnia id ſcripturiat Euangeliſta? Res famæ tenella & delicatula eſt; vnde eam aduerſus vituperonum maledicentiam reſtaurare, primus eſt Euangeliſtæ labor, & Euangeliorum auſpicium.

Famã à maleficiis reſtaurare, primus eſt Euangeliſtæ labor.

Abul. q. 5. in Matth. c. 1.

Ioan. 8. 48.

Magis vrgent ſæua inexpertos. Ad ſuſpi- 3.
cionem tyro palleſcit; audacter veteranus cruorem ſuum expectat. Hos itaque Deus quos amat, quos approbat, indurat, recognoſcit, exercet. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſeruat. Erratis enim ſi quem iudicatis exceptũ, veniet ad illum diu felicem ſua portio. Periculoſiſſima felicitatis intemperantia eſt. Hæc cùm & experientiâ nota ſint, & in hominum mente, ipſius rationis calamo inſcripta; vſqueadeò atheiſmus obbruteſcit, vt poſuerit in cælum os ſuum, & aut nullum numen agnoſcit, aut ſic maledictis profanat, vt pudendum Deum effingat. Eiuſmodi otioſorum hominum inſaniæ nil ad Deum pertinent, qui ſibi in omnibus ſufficiens, nec ob humanas laudes maior eſt, nec propter contumelias infamatur. Attamen quaſi humana maledicentia illius diuinitati inſidiaretur, ſollicitè eiuſmodi diffamiam & ſiſtere ſerpentem, & graſſantem abſtergere procurat. Vos autem ſic orabitis, ait Chriſtus Deus, vota hominum ad cæleſtia informans: *Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum.* Quid eſt, *Sanctificetur nomen tuum?* Numquid ſi ab homine non ſanctificetur, ineffabile Dei nomen, Sanctum non erit? Hæcne prima hominum poſtulatio, quæ à Deo impetrare affectat, quod Deo neceſſariò ineſt? Deerant forſitan homini miſerabiles ærumnæ, quas vt Deus aut mitigaret, aut auerteret, primariò poſtularet. Nec petimus, vt Dei nomen ſanctificetur in nobis, ſed imperſonali vocabulo dicitur, *Sanctificetur nomẽ tuum. Suſpensâ enunciatione, non dicentes Sanctificetur in nobis; in omnibus dicimus*, ait Tertullianus. Quid verò ſit Dei nomen ab omnibus ſanctificari appimè expoſuit P. Ioannes Maldonatus,

Matth. 6. 9.

Bona de Deo exiſtimatio, eſt Sanctificatio nominis Dei.

Tertull. de Orat.

4. Mald. ad eũ Matthæi locum. Maldonatus, ingenio & eruditione locuples auctor, & cum primis veterum comparandus. Sic ſcribit Maldonatus ad illa verba: *Sanctificetur nomen tuum. Nomen Dei dicitur, non hoc ſolum Deus, quo eum appellamus, ſed hominum de illo exiſtimatio, & quidquid ad illum quoquo modo pertinet.* Scilicet conſultò dicitur, vt ab omnibus ſanctificetur, non ſolùm Deus ipſe, quòd patum eſſet; ſed Dei nomen etiam, id eſt, *hominum de illo exiſtimatio, & quidquid ad illum quoquo modo pertinet.* Si fortè audieris Dei prouidentiam hominum iudicio culpari; aut alicui forſitan ſubrebat de Deo, & de rebus Dei, non bona *exiſtimatio*; illam ocyſſimè vnuſquiſque deponat, & bonâ exiſtimatione Deum ſanctificet. Hæc ergo ſit prima ad Deum poſtulatio, & hominum cura, vt à mentibus omnium confeſtim abiiciatur omnis non bona de Deo exiſtimatio, vt bonâ omnium exiſtimatione, Deus, Deique nomen ſanctificetur in omnibus. O quàm ſolerter id expetit Chriſtus! Prima humanæ orationis ſupplicatio omnem malam exiſtimationem obliterare, & bonam inſcribere exiſtimationem ſuſpiret, vt quamprimùm fieri poſſit, Dei nomen *ſanctificetur*, id eſt, bona de Deo exiſtimatio ab omnibus habeatur. Scilicet ſicut prima Matthæi cura fuit, in exordio Euangelij reſtaurare Chriſti famam, ne ob nomen Samaritani inſanè obiectum, periclitaretur: ita prima petitio, quam Chriſtus Eccleſiæ indixit, eſt, vt ſanctificetur Dei nomen, id eſt, deterſâ obtrectatorum mente, bonam de illo exiſtimationem habeamus, ne ſanctum Dei nomen periclitetur, ſed ſanctificetur in nobis. Sic ſollicitè negotium reſtaurandæ famæ tantillum labantis, peragendum eſt.

Hîc verſ. 22. Nec Iacob omiſit non bonæ famæ rumuſculum de ſuo Ioſepho ſiſtere, dum in Ægyptias feminas culpam reiicit: *Decorus aſpectu, filiæ diſcurrerunt ſuper murum.*

§ CCCLXVIII.

Acerbior perſecutio, blandimentum virtutis eſt, & pietatis ſequela.

1. NON fert vllum ictum humana felicitas, quam illæſam mundus fingit: ſed quæ illæſa in hoc mundo eſt, vera felicitas non eſt: nam marcet ſine aduerſario virtutis felicitas, quam in aduerſis obdurata patientia verius cudit: *Inter multa magnifica Demetrij, & hæc vox eſt, à qua recens ſum, ſonat adhuc & vibrat in auribus meis: Nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam aliquid euenit aduerſi.* Non licuit eſſe verè felicem, cui ex voto ſuccedunt omnia. Sic felicitati virtutis aduerſitates militant! (Seneca l. de Diuin. Prou.)

2. Ad Rom. 9. v. 10. Geneſ. 25. v. 23. Paulus in tribulationibus gloriari ſcius, ad Rom. 9. de Iacobo & Eſau ita fatur: Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex voluntate dictum eſt ei: *Quia maior ſeruiet minori.* Ardua hinc oritur quæſtio inter veteris ac noui Teſtamenti expoſitores, quando, quave in re Eſau maior ſeruierit Iacobo minori, cùm eiuſmodi ſeruitium nuſquam legatur. S. Auguſtinus totam ſententiam ad ſenſum allegoricum deriuans, tandem his verbis opportunè concludit: *Maior ſeruit minori, Eſau ſeruit Iacobo, non obſequendo, ſed perſequendo.* Nouum planè & inſolens ſeruitij genus eſt, obſequi perſequendo. Perſecutio ſpecies obſequij eſt? Sic Chriſtiana pietas pati expetit; vt atrocior aduerſarij perſecutio ſit iniuriato blandum obſequium? Sæuior aduerſarij rancor, perſequendo lenocinatur grato obſequio? an pietas hominis iuſti præceptum eſt, quæ velut obſequia mandat perſecutionum tormenta? Perſecutorum acerbior moleſtia facta eſt virtutis lenocinium, & pietatis obſequium.

Chriſtiana pietas perſecutiones velut obſequia imperat. Aug. ſer. 78. de Temp.

3. *Chriſtus ſolus manet, cùm eius perſecutores abſcedunt.* Ioannis 8. Scribæ & Phariſæi, quo ſolitant inuidiæ zelo, leuiculam mulierem in adulterio deprehenſam adducunt ad Chriſtum: qui captioſè doloſum animum citius legens in eorum mente deſcriptum, quàm in eorundem ore expreſſum, dixit eis: Qui ſine peccato eſt veſtrùm, primus in illam lapidem mittat. *Audientes autem hæc vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus*; tunc notanter ſubdit Euangeliſta: *Et remanſit ſolus Ieſus.* (Ioan. 8. 9.) Quæ verba ita ſubtiliter expendit Hugo Cardinalis: (Hugo ibi.) *Et remanſit ſolus Ieſus, abſque Phariſæis, non tamen Diſcipulis. Dictio excluſiua non excludit niſi contrarios Ieſu, ſcilicet Scribas & Phariſæos.* Solus dicitur manſiſſe Ieſus, & numeroſo Diſcipulorum collegio comitatus manſit? Fortè duodecim Apoſtoli, & ſeptuaginta duo Diſcipuli numerum non conſlant, nulloque in numero ſunt; & pauculi Scribæ & Phariſæi, quaſi numeroſus & opulentus comitatus ab Euangeliſtâ percenſetur. Et quidem moraliſſimo, vt opinor, cenſu, qui Perſecutionum cenſum ſumptuoſè amplificat ad æſtimationem. Scilicet remanet Chriſtus ſtipatus toto Diſcipulorum comitatu; & quia eius iniurioſi aduerſarij vnus poſt alium abierunt, *Remanſit ſolus Ieſus abſque Phariſæis, non tamen Diſcipulis. Dictio excluſiua non excludit niſi contrarios Ieſu, ſcilicet Scribas & Phariſæos.* Hiſpanè explicatius diceres: *Idos ſus contrarios y calumniadores, ſe hallo Chriſto ſolo.* Sic Chriſtus perſecutiones percupit; perſecutores expetit, calumniatores exambit, vt in numeroſâ ſuorum turbâ, abſcedentibus duntaxat Scribis & Phariſæis, eius aduerſariis & perſecutoribus, ſolus remanſiſſe dicatur? *Tan buena compania le hacen perſecuciones, que ſe halla ſolo ſin ellas?*

4. Exod. 1. *Chriſtus necdum natus perſecutionũ voluptatem prægustat?* Exodi 1. *Dixit autem rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum.... Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: ſi maſculus fuerit, interficite eum: ſi femina, reſeruate.* Edictum planè inhumanum, ſæuum, barbaricũ, & Pharaone dignũ! Sed in quo non tam Regis crudelitas ferocijt dirâ perſecutione, quàm fortè oſtẽtatur præcoquus Chriſti amor, præproperè perſecutiones affectans. Quod profundè notauit Strabus in Gloſſa ad illud Matthæi 1. *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius, &c. In ſemine,* inquit, *proditorũ patrũ Chriſtus intrauit* (Matth. 1. 2. Strab. ibi.)

in Ægyptum: quod præſagiens inimicus populum premebat: & non feminas, ſed mares interrimebat, vt eum extingueret. Sic Tartaro inuiſus eſt Chriſtus, vt eum in immeritis parentibus præmaturè ſic inſectetur? quaſi Chriſtus Deus ſit perſecutionum illex, quippe natus in ſignum, cui contradicetur. Sic olim Chriſtus ambibat affligi, vt tot retrò ſeculis dira perſecutio eius natiuitatem anteuerterit? In Chriſtum necdum natum armatur Orbis? Sic perſecutiones expetit, qui patiendi voluptate poſtea ſaginandus erat. Ante natiuitatem, in parentibus; poſt natiuitatem, in ſe ipſo; poſt mortem, in ſuis filiis, diras perſecutiones perpeti auidiſſimè exoptat, qui dum viueret in perſecutionibus, deliciabatur. In ſemine prædictorum Patrum Chriſtus intrauit in Ægyptum, vt voluptatem patiendi prægustaret? Ægyptius, vel potiùs Tartareus rex Pharao, Chriſto Deo, regum regi, arcanè *ſeruit*, *Non obſequendo, ſed perſequendo.* Idem ſæui eius fratres Ioſepho præſtiterunt: Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens. *Sed exacerbauerunt eum, & iurgati ſunt, inuiderunt que illi habentes iacula.*

His v. 23.

§. CCCLXIX.

Calamitas de manu hominis, acerbior venit; eadem verò de manu Dei, ſuauis & mitior euadit.

1.

Seneca l. de Diui. Proui.

Deus extra patientiam eſt, homo ſupra patientiā ſit.

ANIMOSA nimis Senecæ vox eſt: *ferte fortiter aduerſa, hoc eſt, quo Deum antecedatis. Ille extra patientiam malorum eſt, vos ſupra patientiam.* Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper viuit, quàm natus eſt. Contemnite dolorem: quia aut ſoluetur, aut ſoluet. Contemnite fortunam: nullum illa telum, quo feriret animum, habet. Contemnite mortem: aut finit, aut transfert vos. Ediſcamus de experientiæ, & prudentiæ gymnaſio, cupienda faſtidire, metuenda contemnere, imo expetere; dum attentius conſideramus, ex vltrice Dei iuſtitiâ, amicâ conſultioris prouidentiæ manu, acerbiora mala pœnæ nobis in hâc vitâ obuenire. Inimicus, etiam dum mulcet, irritat, & excruciat; Deus dum excruciat, non irritat, ſed mulcet. Ab amicâ Dei manu inimicum vulnus non timetur. Ferro & igni armantur medici manus, quas mox opulentâ mercede cumulatius oneras; ſcius medicum tormentum eſſe ſalutis officinam. Nota cruciantis beneuolentia, cruciamenti acerbitatem mitigat: Deum dura minitantem, time; eundem minas exequentem, ama. Magis ille te amat, quò minùs tibi in hâc vitâ parcit. Tolerabilior eſt amici Numinis grauis cruciatus, quàm leuior inimici offenſa. O feliciſſimum illum, in quem Deus ipſe durius animaduertit!

2.

3. Regum 19. pſeudoprophetarum piam ſtragem impiæ Iezabeli renunciat Achabus. Talionem minitatur Regina, mittens nuncium ad Eliam, qui hæc eius nomine Prophetæ renunciet: Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, niſi hac horâ cras poſuero animam tuam ſicut animam vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas, & perrexit in deſertum, viam vnius diei. *Cumque veniſſet, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur.* Quid eſt, quòd Elias, dum Reginam anxius timet, & indefeſſus fugit; in manus Dei incurrere exoptat? Parum ſibi conſtat Propheta, cùm mortem quam fugit, acceſſit. Aut expetere non debuit, quod fugit; aut fugere non debuit, quod expetit. O Elia, ſi in votis tibi mors eſt, quare tam ſollerter illam euitare ſatagis? Bellè Angelomus, antiquitate & ingenio locuples auctor: *Conſidero, inquit, virum timore perculſum, de manu Dei mortem petere, de manu mulieris mortem fugiendo vitare.* Planè eleganter. Quaſi dicat: Quid imbecillius muliercula? quid potentius & robuſtius Deo? Femina cognatâ ſexui leuitate mutatur, & miteſcit. Quin etſi adhuc durè ſæuiat, muliebriter ferocit, & femininè excruciat, muliebri infirmitate imbecilla eſt: Deus autem infinitè eſt iuſtus, & omnipotenter ſeuerus, iratæ omnipotentiæ valido adnixu peracerbus. Verùm Elias diuinæ iuſtitiæ & bonitatis benè conſcius, horrendum putat in mulierculæ manus incidere; lene & placidum, Dei iuſtitiam omnipotenter ſeueram incurrere. *De manu Dei mortem petit Elias, de manu mulieris mortem fugit. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Sic homo vel ſupplicij humanitate ſæuit? Sic in hâc vitâ Deus vel pœnæ acerbitate mulcet? Sic diuinæ manus cruciamentum mitigant, vt mortem, quam à muliere inferendam pauidè timet Propheta, auidius à Deo expetat? ô dulces & melleas etiam in ſuppliciis, Dei noſtri manus! Dulceſcit acerbitas, quam Dei manus condit, temperat, mellit.

Mortem, quā de manu hominis horret Elias, de manu Dei intrepidus expetit.

3. Reg. 19. 4.

Angelom. ibi.

3.

Iudith 7. Bethulienſis populus, Holofernis obſidione ferè ad deditionem fame & ſiti compellitur. Vident ſtrictam hoſtis gladium, & anxiè timent; cernunt Numen aduerſus Hebræam gentem iratum, & ad illud confugiunt. Peccauimus, inquiunt, cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. *Tu, quia pius es, miſerere noſtri; aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras, & noli tradere confitentes te populo, qui ignorat te.* Duo hîc orat populus, primùm, vt Deum calamitoſi populi, & ingentia merentis infortunia miſereat: quod vt obtineat, illius clementiam, & pronum ad ignoſcendum animum commendat. Deinde, vt ſi ſtat omninò populum illum ærumnoſum durius flagellare, & funditus perdere, id vt fiat ſuâ, non alienâ manu exoptat. *Aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras, &c. Id eſt*, (& ibi Lyranus) *flagella nos quantum tibi placuerit, dum tamen non tradamur in manus infidelium.* Scilicet grande & peracerbum ſupplicium iniquitas noſtra promeretur, quod tot accepta beneficia ad punitionem exaggerant. Sit diuinus furor, humanæ & infenſæ indignationis aſylum. Profectò dum manu hominis non puniamur, *flagella nos quantum*

Mitius eſt de manu Domini immite flagellum!

Iudith 7. v. 20.

Lyra ibi.

quantum tibi placuerit ; parum eſt quantum ſcelera noſtra merentur. Quaſi dicant : Indignationis tuæ nutus, ſit calamitatis & excidij noſtri menſura. Vltra noſtrorum ſcelerum meritum ærumnas & ſtrages patiemur, dum tuâ duntaxat, non alienâ manu calamitas immittatur. Aliena manus mitiorem punitionem exaſperat ad cruciatum : tua verò manus, quamuis omnipotenter irata, & vltra meritum, pro tuo arbitratu ſeuerius excruciaret, cruciatum lenit, calamitatem mitigat, & mellit in hac vitâ ſupplicium. *Flagella nos quantum tibi placuerit, dum tamen non tradamur in manus infidelium.* Quod de Dauidis gymnaſio edocti eligunt Bethulienſes : ſic enim
2 Reg. 24. v. 14. Gad prophetæ Dauid olim reſponderat : *Coarctor nimis*, inquit, *ſed melius eſt, vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum.* Exinde grauius diræ peſtis malum elegit de manu Domini.

Hic v. 23. Exaſperatur Ioſeph dum de manu hominum acerba patitur, qui acerbiora de manu Dei perpeti paratus ſemper fuit. *Seu exacerbauerunt eum.*

---

§. CCCLXX.

Plures pati Præfectos, eſt Ægyptiacæ oppreſſionis compendium.

1. VERA & mera libertas eſt, quæ non vitiis, ſed Deo ſeruit, cui ſeruire, ingenui animi character eſt. Impius & ſceleſtus homo, malitiæ priuilegio, legum excutit iugum, vt exlex viuat, nullius ſubiectus poteſtati. Sed vitiorum mancipium, magis ſubiectus Poteſtati eſt, quò minùs ſubiectus eſſe ambit : & quod verbis & moribus negat, anxio timore fatetur, vel ad lictorum occurſus pauidè inquietus, & meticuloſè pallidus. Ceterum natura humana ignorat vti beneficio ſublimioris præfecturæ, quæ vt in malorum coërcitionem, ſic in laudem bonorum eminet, neſcit habere, non pati, Præfectos: & quos velut tutores habere debuit, quaſi dominos reputat, & refutat. Quiſquis neſcit vltrò rationi parere, ſentiet debitam Præfectis ſeruitutem. Hinc homo, malo ſuo in peruerſum ſollers, quandoquidem omnem ſubiectionem excutere non ualet ſaltem imminuere ſatagit, & paucioribus ſubiici : ne pluribus ſubiectus ſit, qui vel vni duntaxat ſubiici nimis grauatè ſuſtinet.

2. Exodi 2. Moyſes in Regis palatio a cunis enutritus, adoptione filiæ regis glorioſus, & vrbano ingenio præditus ; non erubuit populum ſuum, tametſi tunc oppreſſum & vilem, quò minùs Hebræis enixè faueret. Poſtquam autem Ægyptium virum percutientem quendam de Hebræis fratribus ſuis occidit, & clanculum abſcondit in ſabulo : *Egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes : dixitque ei qui faciebat iniuriam : Quare percutis proximum tuum? Qui reſpondit : Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos?* Eccur

Exod. 2. v. 13. & 14. *Subditorum repulſa ſæpè Rectori ſuffragatur.*

à ſuis contribulibus à principatu Moyſes reiicitur, quem potiùs cooptare debuiſſent in principem, vt pote ſuum fratrem, & in domo Regis magnum ? Rectè inibi Lipomanus : *Ecce Moyſes ſtatim reycitur ab ipſis, vixdum elementis liberationis inchoatis. Numquid ergo quem homines reiecerunt, cum etiam Dominus Deus noſter reijcit? Minimè omnium. Hunc Moyſen (inquit Stephanus) quem negauerunt, dicentes, quis te conſtituit principem & iudicem, hunc inquam, Deus principem & redemptorem miſerat per manum Angeli.* Subditorum repulſa, ſæpè optimi Rectoris ſuffragium eſt. Quorundam maledicentia vices cum plauſu reciprocat. Improbari ab improbis, elogium regiminis eſt. *Diſpliceamus ergo his, & gratulemur nos diſplicere, quibus & Deus diſplicet*, ait S. Paulinus. Ceterùm poſt Paulini & Lipomani expoſitionem, adhuc dubium eſt, cur Hebræus populus Moyſis gentilis ſui tam ſedulò recuſet præfecturam? *Quis*, ait, *te conſtituit principem & iudicem ſuper nos?* Nonne Hebræorum maximè intererat, habere Præfectum ſibi cognatum, Regis cognatione & gratiâ ſublimem? Profectò certiſſimè Moyſes ſuæ gentis amore, & regiæ cognationis potentiâ Ægyptiorum præſulum violentiam coërceret, magno ſui populi emolumento. Ita quidem. Sed malunt cognato, beneuolo, & perito carere patrono, quam alium habere præfectum & iudicem. Tam graue eſt pluribus ſubeſſe Gubernatoribus, vt gentilem ſuum, qui eos ab Ægyptiorum oppreſſione tueretur, reiiciant, ne vel vnum duntaxat Præfectum reliquis adiiciant. Præeligunt vno beneuolo carere Præfecto, qui reliquos coërceat, quàm vnum ſupra reliquos Superiorem habere. Sic eſt ſubditis moleſtum ſubeſſe Præpoſitis! Reſpuunt ſuam defenſionem, vt nouam reiiciant erga ſe Præfecturam. Vnde Moyſi dicunt : *Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos?* Quod ferè audit Ioſephus à fratribus : *Numquid Rex noſter eris?* Inde *exacerbauerunt eum.*

Lipoman. in Catenâ.

Paulinus epiſt. 6.

Hic v. 22.

3. Exodi 1. Surrexit interea rex nouus ſuper Ægyptum ; qui ignorabat Ioſeph : & ait ad populum ſuum : Ecce populus filiorum Iſraël multus eſt. *Venite, ſapienter opprimamus eum..... Præpoſuitque eis magiſtros operum.* Scilicet Rex barbaricus inhumanè opprimere intentat Hebræos, & conſultis regni ſapientibus, quonam pacto illos opprimeret, modus oppreſſionis faciendæ, *ſapienter* conſultus & decretus dicitur. Sed videamus tyrannicæ oppreſſionis genus, quod maleuolentia armata inuidiâ & potentiâ machinatur, de adytis barbaræ crudelitatis : *Venite*, inquit, *ſapienter opprimamus eum.... Præpoſuitque eis magiſtros operum.* O crudele inuentum, quo atrociter inchoat diriorem in Hebræos perſecutionem! Initium perſecutionis, plurium Præpoſitorum deſignatio eſt. Subiecti ſint pluribus, quo acerbius opprimantur. Hinc crudeliſſima oppreſſio inchoetur. Imò hæc ſumma eſt crudeliſſimæ oppreſſionis, vt acutè notauit Lyranus, hæc verba expendens. *Præpoſuitque eis magiſtros operum. Hic deſcribitur ipſa afflictio populi.* Multiplicatione Præpoſitorum deſcribitur, & velut compendio traditur afflictio & oppreſſio populi,

Exod. 1. v. 10. & 11. *Plures pati Præfectos, eſt Ægyptiacæ oppreſſionis compendium.*

an potius inchoetur ? Vix cœpta eſt, & iam tota dicitur deſcripta, & ante oculos poſita ? Fortè leuia ſunt, quæ huic Præpoſitorum deſignationi ſuccedunt ? Imò grauiſſima, & duriſſima. Sed quam vel multiplicatione Præfectorum certò ominati ſunt, & quaſi iam opinione deuorata, ferè non computantur. Vnde cum ſemel dicitur : *Venite, ſapienter opprimamus eum*, & additur : *Præpoſuitque eis magiſtros operum*, tota oppreſſio velut compendio datur, & totius afflictionis quaſi epitome breui deſcribitur. Sic eſt pergraue & acerbum plures pati Præpoſitos ! Quid exaggeratius ?

---

§ CCCLXXI.

Canam ſenectutem magis dedecet ignorare, quàm diſcere.

1.
Seneca epiſt. 95.

OMNIVM *honeſtarum rerum ſemina animi gerunt, quæ admonitione excitantur : non aliter quàm ſcintilla flatu leui adiuta, ignem ſuum explicat. Erigitur virtus cùm tacta eſt & impulſa. Ingenij vis præceptis alitur & creſcit, nouaſque perſuaſiones adijcit innatis, & deprauata corrigit.* Verùm ſicut *mala natura nunquam doctore indigent*, (vt ex Publio Mi. dixit Seneca) ita ſuperbus animus nunquam doctorem ſuſtinet, ambitionis ſupercilio arroganter elatus. Qui erubeſcit diſcere, non erubeſcit neſcire : *Tandiu audiendum, & diſcendum eſt, quandiu neſcias, (& ſi prouerbio credimus) quandiu viuas.* Pergit idem Seneca : *Debent ſenes ſenectutis viaticum litterarum eruditionem parare diſcendo, ne defecerint inſipienti animo. Litteras tanquam baculum infirmo corpori repertas eſſe dixerim, & eundem finem eſſe diſcendi, atque viuendi.* Profectò quem ab alio diſcere pudet, non pudet in ſe ignorare. Caue ne tua arrogantia Sapientiæ inſidietur, & clanculum inſcitiam negotietur, dum ſuperbiæ faſtu malit à ſe ignorare, quàm ab alio ſcire, quod ignorat.

Idem ſit finis viuendi, atque diſcendi.
Idem epiſt. 77. & in Prouerb.

Hic verſ. 23. Non tantùm Ioſephi præfecturæ fratres inuident, ſed etiam quod ipſe iunior, ſenes eius prudentiam doceret.

2. Exodi 16. Hebræorum populus, de verâ ſapientiâ elatè turgens, Moyſis ductu, è barbarâ Ægypto redux in patriam tendit. Qui dum in vaſtâ eremo diu peregrinatur, impatienter eſurit : & de malignâ aut nullâ annonâ querulus expoſtulat. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra : mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. *Quod cùm vidiſſent filij Iſraël, dixerunt adinuicem : Manhu ? quod ſignificat : Quid eſt hoc? Ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes : Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.* Non mirarer vel eruditæ gentis ſciolos, ignoraſſe quidnam eſſet cæleſtis ille cibus, quem diuino munere vbertim rorabant nubes : at valdè mirum eſt, quòd poſtquàm à Moyſe edocti ſunt de illo cæleſti pane, adhuc appelletur *Manhu ? quod ſignificat : Quid eſt hoc ?* Quod acutè Theodoretus aduertit, aiens : *Cur Manna vocatum eſt ? Quia cùm mox illud conſpexiſſent, ſe mutuò interrogabant, quid eſſet. Itaque hanc ei appellationem indiderunt : Sic enim Manna interpretatur. Neſciebant enim quid eſſet. Itaque factum eſt, vt interrogatio vicem nominis habuerit.* Vide mihi Hebræorum faſtum, moraliſſimè reprehendendum. Ignorant quidnam eſſet, inſolita illa pruina, quam cælum largè rorat; mutuoque quod neſciunt, interrogant, quaſi rem in primis arcanam. Reſpondet Moyſes: *Iſte eſt panis, quem dedit vobis Dominus ad veſcendum*, & quaſi vel à Moyſe diſcere erubeſcant, quod ipſi perſpicuè ignorabant, interrogatione contenti, interrogationem illam nomine rei inſcribunt. Vnde factum eſt, *vt non panis quem dedit Dominus*, ſed ipſorum *interrogatio vicem nominis habuerit*. Sic ſciolos pudet ab alio diſcere, quod ſe neſcire interrogatione fatentur ? Minùs indecorum putant à ſe ignorare, quàm ab alio diſcere ? Audi Stoïcam arrogantiam : *In hoc gaudeo aliquid ſcire, vt doceam :* & Hebræorum ſapientes, In hoc gaudent neſcire, ne doceantur, & ab alio ſe diſcere putentur. Nicodemus nocturnus Chriſti diſcipulus, in meridie caligabat, ne ipſe Iſraëlis Magiſter, vel à corporata Dei Sapientia palam diſcere videretur.

Hebræorum ſcioli malunt ignorare, quàm ab alio diſcere.
Exod. 16. 15.
Theod. ibi.
Seneca epiſt. 5.
Ioan. 3. 2.

3. Prouerbiorum 1. cùm ſublimior Sapientia pauculos inueniret diſcipulos, qui gymnaſia ſua frequentarent, Foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam; in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, inuitans ad doctrinam & eruditionem : *Vt detur paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia & intellectus. Audiens ſapiens, ſapientior erit.* Paruulos & adoleſcentes duntaxat aduocat, vt erudiat ? Fortè ſenior & ſapientior ætas diſcere dedignabitur, canæ eruditionis ſupercilio. Ideò ſubdit : *Audiens ſapiens, ſapientior erit.* Nomen *Sapientis* hîc, æquè probum virum, vel ætate ſenem, & rerum peritum ſonat, vt inibi vulgò notant interpretes. Et τὸ *audiens*, vel *auſcultantem*, vel *obtemperantem*, id eſt, doctrinæ aſſentientes, & obſequentes ſignificat, quod & verbum *audio* Latinum, & Hebræum *Samah* adæquè ſignificat. Quaſi dicat Salomon : Non tantùm iuuenilis imperitia erudiri feſtinet, ſed nec cana ſapientia, ſenectutis faſtu arroganter tumens, diſcere erubeſcat : nam *audiet ſapiens, & addet ſapientiam*, (ſic habent Hebræa) & erudiet ignorantiam. Sapientiſſimus enim quiſque in pluribus deſipit, quàm ſapit. An quia aliqua ſapit, reliqua ignorare iuuabit, ne ediſcere videatur ? Sternat humilitas ſapientiæ viam, quam obſtruit & impedit cana & ineruditibilis ſuperbia, quæ denuò diſcere dedignatur. Non erubeſcis ignorare, & diſcere erubeſcis ? Itaque hos ſapientes arroganter ſuperbos peritè inſtruit Salomon, & S. Auguſtinus his verbis ſapienter erudit, & ſeuerè caſtigat. Sic ergo ſcribit Auguſtinus ad Hieronymum : *Ad diſcendum & audiendum, quod opus eſt ; nulla ætas ſenex videri poteſt : quia etſi ſenes magis conuenit docere, quàm diſcere ; magis tamen decet diſcere, quam ignorare.* Auguſtinum iam Epiſcopum

Prouerb. 1. v. 4. & 5.
Senes magis decet diſcere, quàm ignorare.
S. Auguſt. in epiſt. ad Hieronym. to. 2.

pum& ſenem, magis decet diſcere, quàm ignorare; ſed quoſdam ſeniliter & imperitè arrogantes, magis decet ignorare, quàm diſcere, ne de ineruditæ ambitionis faſtigio cadant. Horum, qui ætate ſunt ſenes, eruditione pueri, optimè vapulat vana-gloria apud Auguſtinum, peritum ſapientiæ & virtutis pædagogum.

---

§ CCCLXXII.

Zelotypiæ angor, & inferni furor, mitior eſt, quàm Inuidiæ paſſio?

1. INVIDIA, iners vitium eſt, tetricum, pertinax, querulum, inhumanum; cuiuſmodi feminæ ſunt, ſeneſque, & ægri, & inualidum omne naturâ eſt inuidum. Quid imbecillius quàm alienâ valetudine ægrotare? Quid iniquius quàm alieno bono malum fieri? Quid inhumanius quàm ſibi non parcere, ne vlli parcat? Putauerim inter reliquos inuitiatæ humanitatis affectus, nullum impotentiorem Inuidiâ, quæ principatum, imò tyrannidem aduerſus ceteros imperioſè exercet deſpotico dominatu.

2. Geneſeos 30. *Cernens autem Rachel quòd infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo*, &c. & confeſtim ſubdit: *Habeo*, inquit, *famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat ſuper genua mea, & habeam ex illâ filios.* Hæcne tu illa Rachel, mariti amantiſſima, & arctiſſimo dilectionis nexu ardentiſſimè redamata? Tune dilectiſſimo ſuadeas marito alterius feminæ amores? Audiendus eſt Lipomanus, qui exponens illud verſiculi 8. vbi poſtquàm peperit Bala, ſic loquitur Rachel: *Comparauit me Deus cum ſorore meâ, & inualui*, ita locum ex Hebræo vertit, & de ſuo explicat Lipomanus. *Peruerſitate inſigni peruerſa ſum cum ſorore meâ:* (ait Rachel) *Quaſi dicat: Cogor propter ſororem meam, & cum eâ agere peruerſo naturæ ordine, longéque aliter quàm ſuſtineat indoles muliebris, cum meo marito, vt cum ancillæ permittam.* Quid, quæſo, impatientiùs in muliebri ingenio, quàm zelotypia, quâ velut furiis exagitari ſolitat? Hinc iurgia, tumultus, rixæ, diuortia, & funeſtiſſimæ quæque nuptiarum tragœdiæ, quæ amantes reddunt amentes, & rem amoris totam planè infelicitant. Quid ergo vſque eò potens excogitari poteſt, quod Rachelem ex chariſſimâ coniuge, reciproco amore felici, fecerit velut lenam mariti? Diſertè id docuit Moyſes, præmittens de Rachele, quòd, *Inuidit ſorori ſuæ:* ô impotentem Inuidiæ affectum, quo naturæ peruerſo ordine, ſic inſanit dilecta femina, vt peramantis mariti velut obeat lenocinium, quò æmulam Liam de ſobole exæquet; aut de poſteritate ſuperet! Sic muliebrem indolem dedidiſcit Inuidia? Sic vel furioſus zelotypiæ affectus Inuidiæ cedit? Scilicet parùm foret Inuidiæ virtutis mores profligare, niſi etiam ad vitij incrementum, reliquorum etiam affectuum tyrannidem vitio ſuperaret.

Gen. 30. v. 1. & 2. & 8.

Zelotypia in feminis cedit Inuidiæ.

Lipoman. in Catena, ibi.

3. 1. Reg. 19. Dauid nouitius adhuc miles Philiſthæum ſuperbiloquentiâ trucem, ſtrenuè ſtrauit in valle terebinthi: victorialia epinicia victori cantantur: tabeſcit Saül inuidiæ veneno; mox dæmoniacâ vagatione exagitatus, Dauidem iteratò accerſit, qui lyræ pulſu impurati ſpiritus dominationem frangat, victamque animam ſoluat ab inconſpicuâ obſidione. *Et factus eſt ſpiritus Domini malus in Saül, ſedebat autem in domo ſuâ, & tenebat lanceam: porrò Dauid pſallebat manu ſua. Niſúſque eſt Saül configere Dauid lanceâ in pariete, & declinauit Dauid à facie Saül.* Baſilius Seleucus infandum admiratus Saulis ſcelus, ſic concinnè exclamat: *ô nouum, incertumque facinus! Dæmon pellebatur, & Dæmone liberatus arma capiebat: Dæmon vincebatur, & hominis mores plus ſumebant audaciæ.* Pulchella in paucis queſtio hinc exurgit, (quam non hîc curſim ad litteræ rigorem dirimo) an cùm Saül lanceam in Dauidem contorſit, adhuc Dæmone obſideretur; an Dauidis Lyrâ iam excantatus, à Saüle abſceſſerit. Dæmonis pulſu actus Saül lethale vibrat telum; an Dæmone lyrâ ablegato, ſuæ malitiæ inſtigatione in ſpaltem Dauidem Saül dirè ſæuit? Laudatus nuper Seleucus quæſtionem ſoluit, & hanc ſuæ ſententiæ rationem reddit. *Paululum*, inquit, *à Dæmonis exitu leuatus Saül, & aduerſorum detersâ caligine, in Dauidem, quem præſentem cognoſcebat, haſtam iaculatus, medicinæ pretium, eadem obtulit: quaſi ad mentem ſobriam ideò ſe recepiſſet, vt iterùm ſeruiret Inuidiæ.* Nempè Diabolorum & aſtutiſſimus & ſæuiſſimus, qui ardenter percupiebat Dauidis exitium, præproperè exiit à Saüle, ne ipſe de Gehennâ ſæuus, lanceam eiaculetur, ſed Saül de *Inuidia* truculentior, telum vibret. Mitiores putat infernales iras gehennali odio efferatas, quàm hominis furorem de *Inuidiâ* ad ſæuitiam obarmatum? *Dæmon vincebatur, & hominis mores plus ſumebant audacia, vt iterùm ſeruiret Inuidiæ?*

Hominis Inuidia pra ferijs Dæmoniacis ferocis?

1. Reg. 19. v. 9. & 10

Baſil orat. 16.

Idem Baſil. orat. 15.

4. Item Dauidicæ lyræ cedit Dæmon, vincitur, fugatur; hinc maiori Inuidiæ fomite Saül accenditur æmuli ſui victoriâ. Mauult Saül à Dæmone, Dauide excantatore ſublato, perpetuò obſideri, quàm propriâ ſaluto æmuli ſui victoriam comparare. Perpetuum ero Dæmonum domicilium, ne Dauid Dæmonum victoriâ feliciter gaudeat. Dæmoni totus corporaliter mancipatur Saül, ne grandi ſuo bono in æmulum ſuum gloriolam reuerberet. *Dæmon pellebatur, & Dæmone liberatus arma capiebat: Dæmon vincebatur, & hominis mores plus ſumebant audacia.* Hinc procliue eſt extricare difficilem illum Eccleſiaſtici locum. *Qui ſibi inuidet, nihil eſt illo nequius, & hæc redditio eſt malitiæ illius.* Scilicet tanto ſe fraudat bono Saül, ne Dauidis victoriæ militet. Mauult eſſe Diabolorũ caueam, quàm ſchema aſſertoris, ſeu excantatoris æmulo ſuo decantari. Bono alieno Inuidia non redimit proprium malum. Sit huius §. clauſora, pulchra apud Proſperum Inuidorum deſcriptio, quæ nuper dicta non inidoneè locupletat. *De bonorum*, inquit, *malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitijs gratuitis ardent: deprehendi pectoris ſui malitiam timent: ſemper amari, nunquam certi: amici Diaboli, inimici*

Expetit Saül à Dæmone Perpetuò obſideri potiùs quàm vt Dauid habeatur eius excantator.

Eccli. 14. v. 6.

Inuidus bono carens non eſt.

Proſp. de Vita contemp. l. 3. c. 9.

etiam ſui : omnibus odioſi : ad gaudenda anxij, ad plangenda læti ; vtrobique peruerſi. Plura epitheta apprimè in rem præſentem quadrant : (Quod autem inuidus ſit homo incertus, ſeu *nunquam certus*, aliàs fortè ediſſeram) & in Ioſephi fratres, qui inuidiæ œſtro agitati, in tot incurrerunt mala ſibi, parenti, fratri.

Hic v. 23.

---

§ CCCLXXIII.

Maleuolentiæ ingenium, opus alioqui innoxium, crimen læſæ maieſtatis appellat.

1\. INFELICITAS inuidos quidem conpeſcit, inimicitias verò non tollit : oderant enim hoſtes ad extremam calamitatem redactos. Nemo eſt qui miſeris inuideat ; multi autem ſunt qui odio inſtigati, nouis indies impoſturis eorum calamitatem exaggerant, dum in maleuolentiæ officinâ inſolentia cudunt dehoneſtamenta, quæ plus miſerorum animos excrucient. Nullum dictum factumve, quamuis honeſtum, ſaltem minimè malum, ab odij cenſuris immune eſt, quin illud in peius interpretentur, ſuamque temerariam malitiam bonitati ingerant alienæ. Exinde nullum opus adhuc in virtutis aſylo, tutum eſt à maleuolâ eorum cenſurâ : quicquid ſaniter dicunt aut agunt, inſanè in peius detorquent, vltra quàm quod capit actio : ô callidos vates, benè maleuolos, & malè aſtutos!

2\. *Quod nec inobedientia quidem eſt, crimen læſæ maieſtatis exhibetur?*

Exodi 5. dirâ ſeruitute, & miſerrimâ calamitate Dei populus à pharaone opprimitur. Tolerabile foret in viliſſimis & ærumnoſiſſimis miniſteriis deſudare & ſuſpirare, niſi ſupra quàm quod vires poſſunt, laborare cogerentur. Nempè regio edicto compellitur per totam Ægyptum populus diſperſus paleas colligere, & ſimul conſuetam laterum menſuram ſine intermiſſione fingere : acerbéque flagellantur, quia non præſtant, quod præſtare non poſſunt. Hinc queruli Iſraëlitæ ad Regem conuolant, & ita fantur : *Cur ita agis contra ſeruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur : en famuli tui flagellis cæduntur, & iniuſtè agitur contra populum tuum.*

Exod. 5. v. 15 & 16.

Nota in clamoſis querelis vrbanitatem. Non aiunt, iniuſtè agis, ſed, iniuſtè agitur, ab exactoribus tuis, & contra intentionem tuam. Neque enim extrema calamitas comitati renunciauit. Sed perueſtigandum eſt, quænam ſit hæc dira calamitas, quâ maximè exacerbatur Dei populus, de quâ tam miſerè conqueritur, & ſub quâ oppreſſus è præcordiis ſuſpirat, ingemiſcit, irrugit? An quia viliſſimo luti & lateris miniſterio addicitur? An quia præclara Abrahami ſoboles in egerendo cloacarum fimo abiectiſſimè conſpurcatur? An quia prægrande, & laboratu impoſſibile ab eis penſum dirè exigitur? An quia in populum ingenuum barbarica Ægyptus inhumanius ferocit? Dira hæc, planè dira, & quibus vel magnanimus flecteretur. Sed cauſam ſæuiendi contra ſe, valde diriorem putat populus. Audi, & expende eius voces, & querelas : *Iniuſtè agitur contra populum tuum.* Id eſt, (vt ex Hebræo textu inibi tempeſtiuè notat Lipomanus) *Punitur perinde populus tuus quaſi peccauerit in Regiam maieſtatem ; detrectando mandatum Regis.* Lipom. in Catena.

Scilicet vulgaris & ordinaria quædam inobedientiæ culpa, (ſi culpa dicenda eſt, culpæ ſimulacrum, quod aſtutia impoſſibilia mandantis finxit) crimen læſæ maieſtatis cenſetur, & quaſi imminutæ maieſtatis reus punitur populus. *El viſo que dan à la falta, es lo que mas les duele, y de lo que mas acerbamente ſe quejan* : ô ferocientis malitiæ hyperbolen! Deteſtabiliorem fingis reatum, quò non acerbiùs, ſed mitiùs quàm par eſt, punire videaris? Profectò de exuberanti tuâ malitiâ innoxium reum culpas, illique execrandam imputas noxam, quò iuſtitiæ prætextu tuam diſſimules ſæuitiam. Itaque Hebræus populus mole diræ ſeruitutis oppreſſus, tantam calamitatem, vt poteſt, tolerat ; intolerabile autem iudicat, & aëra querelis & ſuſpiriis toxicat, dum aduertit, quòd quæ præſtare viribus non eualet, non imputetur violationi edictorum Regis, ſed læſæ maieſtatis crimen cenſeatur : ô alieni ſceleris arbitros! ô malè acutos maleuolentiæ aſtus!

3\. *Ipſa pietas apud impios, impietatis rea eſt.*

Geneſeos 50. Patre defuncto, & expleto planctus tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis : Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis : eò quòd pater meus adiurauerit me, dicens : En morior : in ſepulchro meo, quod fodi mihi in terrâ Chanaan, ſepelies me. *Aſcendam igitur, & ſepeliam patrem meum, ac reuertar.* Geneſ. 50. v. 5. & 7.

Annuit Pharao. Sed Ioſepho ad natale ſolum cum ſuis aſcendente, *ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu Terræ Ægypti.* Quorſùm omnes Ægypti proceres, & regiæ aulæ Præfecti eunt in Chananitidem cum Ioſepho? S. Chryſoſtomus ſincerè Chryſoſt. ibi.

exiſtimauit, *Officium declaraſſe Ægyptum in honorem Ioſephi.* Verùm Lipomanus attentè contemplatus malitiæ aſtutias, non ſatis ſincerum putat hunc Summatum inſolentem comitatum. Sed ideò factum inſinuat, ne Ioſephus aut redire in Ægyptum nollet, aut aliquid moliretur contra regnum. Quam ſuſpicionem ſubodoraſſe videtur Ioſephus, aiens: *Sepeliam patrem meum, ac reuertar* : ô humanas malitiæ ſuſpiciones! ô indecoras inuidiæ, & æmulationis cautelas! Res notiſſima erat, Ioſephum fuiſſe à patre ſuo adiuratum, vt in auito ſepulcro conderetur ; ſimplici animo copiam petit eundi, iuratæ pietatis titulo : & piiſſimum opus, in homine quem fideliſſimum diu experti ſunt, perfidiæ & rebellionis ſuſpicione polluunt? *Eſte viſo dio la malicia à la* Hic v. 23.

major y mas debida piedad. Non tam comites honoris causâ, quàm cuſtodes cautelæ ergò, Ægyptij Proceres cum Ioſepho pergunt. Sic vel ſincera pietas in prauitatem deflectitur? Nil vel in arce pietatis, tutum eſt à malitiæ ingenio. Vnicum huius mali remedium eſt, vota & preces, quæ auertant peſtem hanc malitioſam.

§. CCCLXXIV

§. CCCLXXIV.

Calamitoſis, & de aduerſitate lætanter gratulandum, & glorioſè inuidendum eſt.

Seneca l. de Prouid.

Aduerſitas, gloria officina eſt.

1. GAVDENT magni viri aliquando rebus aduerſis, non aliter quàm fortes milites belli triumpho. Auida eſt periculi virtus: & quò tendat, non quid paſſura ſit, cogitat: quanquam & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori caſu ſanguinem oſtentant. Idem licet fecerint qui integri reuertuntur ex acie, magis ſpectatur qui ſaucius redit. Ipſis inquam, Deus conſulit, quos eſſe quam honeſtiſſimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animosè fortiterque faciendi, ad quam rem opus eſt aliquâ rerum difficultate. Calamitas virtutis occaſio eſt. Illos meritò quis dixerit miſeros, qui nimiâ felicitate torpeſcunt. Hucuſque Seneca. Malo me fortuna in caſtris ſuis, quàm in deliciis habeat: excrucior, ſed fortiter, benè eſt; dehoneſtor, deſpolior, occidor, ſed fortiter, benè eſt. Has glorias aduerſa fortuna peruerſâ aſpergine rorat. Quid ſi hîc tot aduerſitates Ioſepho *inuident?*

Hîc verſ.23.

Exod.1.v.13

Ægyptij inuident eis, quibus contemptim illudunt.

2. Exodi 1. auſpicium duriſſimæ calamitatis, quam Dei populus in Ægypto ſuſtinuit, enarrat Moyſes: *Oderant*, inquit, *filios Iſrael Ægyptij, & affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Biblia vetera ſic quondam hunc locum exſcribebant: *Oderant filios Iſraël Ægyptij: & affligebant illudentes eis, & inuidentes.* Iſraëlitis, quos dirè affligebant, quos propudiosè vexabant, quos miſere opprimebant, & quibus ridiculariè illudebant, Ægyptij inuident? Acerba vexatio, illuſoria irriſio, & barbarica oppreſſio, puto, non eſt res inuidiæ, ſed miſerationis. Afflictis miſeremur, felicibus inuidemus. Quando aduerſa fortuna non compaſſionem, ſed inuidiam extimulat? ô inuidiam de peruerſo ſapientem! (Porrò *impoſſibile eſt eius æſtimare virtutem, cuius vinci, victoria eſt.*) ô felices calamitates, & hominum inuidiâ digniſſimas! Quas in calamitoſo Iob Zeno Veronenſis contemplans, ita fatur: *Quo nuncio accepto, Dei ſeruus ſcidit veſtimenta ſua; non vt Deo inuidiam faceret, ſed vt expeditius cum hoſte pugnaret.* Deo inuidiam facere Iobus potuit acerbiori calamitate proſtratus? Verùm qui Martyrum cicatrices, *inuidioſas apud Chriſtum* putauit, populi Dei ærumnas, hominum mouere inuidiam, potiùs cenſeret: ô beatas iuſtorum calamitates, vel barbaris Ægyptiis inuidioſas! Sic ſuâ inuidiâ patientibus de felicitate gratulantur Ægyptij?

S. Zeno ſer. de Patient. Ser. de Iob.

Tertul. alibi expenſus.

Calamitoſo profuſiùs de calamitate gratulandum eſt?

3. Iacobus ille patientiæ ſimulacrum, & tolerantiæ meta; poſtquam diu exul è paternâ domo, & agreſte ſoceri ingenium, & furaces eius technas paſſus eſt; barbaricam fratris Eſaü inuidiam ſuſtinuit: chariſſimæ coniugis & ſterilitatem doluit, & fœcunditatis lætitiam, eiuſdem præmaturo funere expiauit. Effusâ filij libidine paternus inceſtatur thorus: luget etiam ſibi periculoſam Sichimorum ſtragem, ſuumque Ioſephum à feris laniatum irremediabilibus opplorat lacrymis: & nunc ſterili fame oppreſſus, Beniaminum patris deliciolum, & in tot ærumnis ſolatium, cogitur in barbaram & infenſam Ægyptum quàm primùm dimittere. *Deus autem meus omnipotens*, inquit, *faciat vobis eum* (Ægypti Præfectum) *placabilem: & remittat vobiſcum fratrem veſtrum quem tenet, & hunc Beniamin: ego autem quaſi orbatus abſque liberis ero.* Ad quæ verba poſtquam Lipomanus exaggeratim expendit hanc Iacobi calamitatem, ſententiosè ſubdit: *Obruit Dominus mœrore magno amicum, vt profuſiùs gratuletur.* Sic hominum gratulationem exambit Deus, vt amiciſſimos duris calamitatibus obruat, quò gratulationem extorqueat? Cui, oro te, gratulandum eſt? an Deo, qui patienter calamitoſum habeat amicum? an Iacobo, qui tot ab amico Deo calamitatibus obrui æquanimiter ſuſtinet? Legimus in Tertulliano, quòd ad probroſiſſimam mortem iniuſtè damnatus *Socrates, gloriæ animal, iam de gratulatione reſponderat.* Socratis ambitioni de contumelioſâ morte gratulandum erat, & non erat Iacobo de tot calamitatibus profuſiùs gratulandum? *Obruit Dominus mœrore magno amicum, vt profuſiùs gratuletur*, vel ipſe Deus ſuo calamitoſo Iacobo; vel ipſe calamitoſus Iacobus ſuo Deo tot calamitatibus illum obruenti.

Gen.43. v.14.

Lipoman. in Catena, ibi

Tertull. de Anim. c. 1.

1. Reg. 16 Saülem pertæſus Deus, Samuelem mittit in Bethlehem, qui aliquem ex filiis Iſaï vngat in regem. Sanctificauit ergo Iſaï & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium. *Cumque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus eius? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias vultum eius: quoniam abieci eum*, & reliquos ex ordine oblatos ſimiliter abiecit Deus, & omnium minimum & abiectiorem elegit. Cuius electionis rationem luculentam his verbis tempeſtiuè reddit Seleucianus Baſilius: Arbitremur igitur, inquit, Gratiam in Dauide delectus initi rationem reddere, cur in ipſum ſolum inſpiciens, alios omnes homines deſpexerit. Siquidem rectoris virtutem non prodit tranquillitas, neque qui fertur in puppim ventus, & inſtar alatum nauigium tranſmittit. Sed cùm ventorum impetus, & vndarum eruptiones, atque inſultus feruent, cùm contra nauem ſurgit mare: tunc penitùs rectoris eniteſcunt artes, tunc ſollertia tempeſtatis violentiam palàm vincit: (nota dictorum clauſulam planè elegantem) *Et aurum probat ignis: viri verò virtutem conflant vita aduerſa.* Aduerſitatibus virtus conflatur, & conſtat? Virtuti planè adgaudet, qui de aduerſitatibus gratulatur, qui calamitatibus inuidet. Inde latè Dauidis ærumnas fortiter exantlatas, in palæſtrâ Goliathi, & in ſtadio Saülis, Baſilius denarrat, quò palàm euulgetur, perſecutionum patientiam, eſſe virtutis conceptaculum, meritorum cumulum, & auctarium gloriæ; cui non tam condolendum, quàm gratulandum, imò piè inuidendum eſt. 4

1. Reg. 16. v. 6 & 7.

Vita aduerſa virtutem conflant.

Baſil. orat. 16

§. CCCLXXV.

§ CCCLXXV.

Potentes, ambitione potentiæ, quos iniuſtè læſerunt, inde iniuſtiùs oderunt.

1. *Potentium iria.*

SVPERBA procerum potentia humanam ſæpè dediſcit naturam, & ex hominibus feras facit. Porrò tametſi nemo naturæ ſanus naſcitur, periculoſior reipublicæ morbus eſt, inſanus tumor poteſtatis, quam peſtilentiam manufactam ambitionis artificio, non inidoneè dixeris. Alter in alterius exitium leui compendio ducitur: nulli niſi ex alterius damno quæſtus eſt: felicem oderunt, infelicem contemnunt: maiore grauantur, minori graues ſunt, adeò vt poſt iniuriam minoribus iniuſtè irrogatam, non modò non manſueſcant humanitatis ſacramento, ſed ad noua exaſperentur odia, & ad iterandas offenſas incitentur; eam duntaxat ob cauſam, quia eos ſemel iniuriâ velanè infeſtarunt. Vnde vulgaris illa Senecæ vox; *Potentes quos læſerunt, & oderunt.*

2. *Semel iniuſtè læſus à Potentiori, timeat, ab illo quicquid timeri poteſt.* Matth. 18. 21.

Matthæi 18. Chriſtus Deus multa copioſè diſſeruerat de iniuriarum condonatione. Tunc Petrus acri vir ingenio, animaduertens, ſe, & ſuos ſæpè à Phariſæis, & Iudæorum principibus acerbiùs infeſtari, ob piam Chriſti ſequelam, ſic diſcipulus Magiſtrum interrogat. *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties? Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Magnum eſt inter commentatores diſſidium, quidnam ſignificet Chriſtus dum ait, condonandam eſſe vni fratri offenſori iniuriam, *ſeptuagies ſepties* lædenti. Quis iſte frater, qui vnus cùm ſit, non tantùm *ſepties*, ſed & *ſeptuagies ſepties*, lædere audet, & ab eo Petrus lædi timet? Et quid eſt, *Septuagies ſepties* offenſori parcendum? Iutauerim vtrumque dubium ex alterutro interpretandum. Audiendus eſt S. Hieronymus, qui eleganter ſic locum interpretatur. *Intelligendum eſt ſeptuagies ſepties, id eſt, ... vt toties peccanti fratri dimitteres, quoties ille peccare poſſet.* Quaſi dicat Chriſtus; ô Petre, nimis opulenta tibi videtur iniuriarum condonatio, ſi alicui ex Phariſæis aut cuipiam è ſacerdotum principibus in te peccanti, *ſepties* offenſam dimittas? Nondum planè calluiſti Potentium ingenium. Opulentiori tibi tolerantiâ opus eſt: meâ hâc doctrinâ ſatage tuam validiùs clypeare patientiam. Si ſemel te læſum ſentis Potentium iniuriâ, te fortius patientiâ obarma, vt impotentes eorum iras ſuſtineas, & vel *ſeptuagies ſepties*, offendentibus parcas. Id eſt, *Quoties ille in te peccare poteſt*, ignoſcendum tibi eſt. Porrò ſi Potentes, quos iniuſtè læſerunt, ideò iniuſtius & acriùs oderunt; non modo timere potes, vt te pluriès impetant repetitis iniuriis, *quoties ille peccare poteſt*, ſicut & timendum, ſic & ignoſcendum tibi eſt. Vide audaciam odij, animati Procerum ingenio, & irritati iniuſtâ læſione, quâ pauperculos & imbelles ſemel aut iterùm infeſtarunt. Tam timebit ab offenſore offenſus? Quicquid mali, quicquid offenſæ, quicquid contumeliæ inferre poſſunt, præproperè condonandum eſt illis, velut profusâ Chriſtianæ benignitatis veniâ. Sicut illi quicquid ſauciare poteſt, aduocabunt, vt lædant; tu è contrario, quicquid infeſtare poteſt, iam te infeſtaſſe cenſe, vt benigniùs ignoſcas. Quid exaggeratius? Sic iuuat ex hoc loco ad mores velitari. Litteraliſſimum ſenſum olim tradebam in prælectionibus ad Matthæum.

Hieron. in Com. Matthæi, ibid.

Impius ille Cainus, nominum primogenitura ſuperbus, viribus præpotens, inuidentiâ tumens, ob leuiculam occaſionem aduerſus minorem inſurrexit Abelum, illumque atrociſſimè peremit. Deſæuitne ira Caini minore fratre iniuſtè perempto? Imò non tantùm non deferbuit, ſed illatæ iniuriæ ſtimulis magis exaſperatur. Nam Deo ipſum interroganti: *Vbi eſt Abel frater tuus?* ipſe caperatâ fronte, toruo & minaci vultu, adhuc triſtis & iratus (vt aliqui commentatores ex reſponſione colligunt) ſic reſpondet. *Neſcio, Num cuſtos fratris mei ſum ego?* Super quibus verbis ſic præclarè fatur Baſilius Seleucus. *Etiam Deum, qui audaci facinori præſens aderat, mendacio notitiam adimere ſibi perſuadet.* (ſubdit ad rem opportuniſſimè) *Forte Cainus mæret, quod emortui iugulum repetere nequeat* Quare poſt iniuſtè occiſum Abelum, præ iracundiæ rabie ſic mœret Cainus? imò potiùs gaudendum illi erat, quia eius cæde ſæuas exſatiauit iras: ô barbaricum Potentium ingenium! Sæuo mœrore angitur Cainus, quòd minoris Abeli, ſemel iniuriâ laceſſiti, *iugulum repetere nequeat.* Quaſi Caini odium & ira, ab illatâ offenſâ, & iniuſtâ minoris fratris nece, vires mutuarit: & ſemel innocentem inualidum offendiſſe, ſit odij & iracundiæ proritamentum. Scilicet innocens Abel, ſemel iniuriâ affectus, nec ſuâ ipſius cæde, potentioris Caini iram mitigauit. Adhuc atrociter cæſus, ſecurus non eſt in ſepulchro? in mortis aſylo adhuc ſubit periculum? Sic adhuc mœret & iraſcitur validior frater, *quòd emortui iugulum repetere nequeat?* Quid te, impie Caine, adhuc irritat, niſi quòd viribus præualens, ſemel peremiſti innocentem, & inde furis, quia in hominem, quem de medio ſuſtuliſti, modò ſæuis vulneribus ferocire non potes? Nec mortuis parcit ira, quæ paſcitur Potentium odio, ob iniuriam ſemel iniuſtè illatam! nam potentes quos ſemel iniuſtè læſerunt, inde immortalibus odiis infeſtiſſimè oderunt. 3.

Gen. 4. v. 9.

Baſil. Seleuc. orat. 4.

Mœret Cain quia occiſi fratris iugulum repetere nequeat.

Quaſi ſatis non fuiſſet ſenioribus Ioſephi fratribus, inualidum tunc iuuenem exaſperaſſe, obiurgationem addunt; & odium in quem immeritò læſerunt, manifeſtant: *Sed exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt: inuideruntque illi habentes iacula.* Hic v. 23.

§. CCCLXXVI.

§. CCCLXXVI.

Præfectorum eſculenta abundantia, vrbanè ſuadet attentiorem erga ſubditos prouidentiam.

1. NON eodem modo durum & agreſte ingenium domatur, ac liberale, mite, & ingenuum ad politiæ ſaporem eruditur. Illud ſi eadem patiatur, quæ ſubditorum vulgus, peritè mitigatur: hoc ſi ab illis moleſtiis exemptus ſit. Nec adduci poteſt, vt vel oblatis vtatur deliciis, ſi ſubditos videat, inediâ, aut cibo potuve maligno laborare. *Imò potiùs* (vt alicubi dicebamus ex Plutarcho; ad huic oppoſitum thema comprobandum) *quemadmodum in vaſis inanibus, non queas dignoſcere, an integra ſint an vitioſa: verùm vbi infuderis aliquid, tum apparet, quàm perſtillent:* ſic animi liberales & ingenui, non ferentes præfecturæ delicias, & vitæ commoditates, ſtatim effluunt, illaſque in egentes ſubditos peritè deriuant, bonæ indolis genio nobiliter fatiſcentes, vt aliis liberalius impendant, quod ſibi frugaliſſimè detrahunt. Vnde illorum abundantia perſtillat in reliquos: & Præfectorum vberior penus, communis annonæ arbitrium eſt, & de illorum ſaturitate indigentium fames cibatur.

Præfectorum menſis dapes effluāt ad ſubditos.

Plut. l. de doct. princ.

2. 3. Reg. 17. Elias in præuaricatricem Iſraëlis gentem iratus, diram famem Regi, populoque minatur: *Et dixit Elias ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Videns enim Propheta populum Iudæorum, bonis tam è cælo, quàm è ſolo partis immodice luxuriantem, alimenti auctorem ignorantem, & Dei erga ſe charitatem in impietatis materiam conuertentem, vocem emiſit, quâ cælo legem ſiccitatis impoſuit, vt famis magiſterio populos ad pietatem erudiat, & eruditiùs gubernet. At propenſa Dei in homines beneuolentia, diuturnâ populorum fame pulſatur, & communi miſeriâ ad miſericordiam excietur. Sed adhuc Elias, cui cæli claues commiſit, in ſiccitatis propoſito flectineſcius perdurat, & dira fames multitudinem durè vexat. Verùm aduertite quâ arte bonus Deus Prophetam alliciat, vt imbrium diſpenſator congruam annonam populis impertiat: Factum eſt verbum Domini ad eum, dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith, *Et ibi de torrente bibes: coruiſque præcepi vt paſcant te ibi:* ô in Eliam Dei ſollicitam prouidentiam, fame ipsâ acerbiorem! Puto, coruus non tam paſcit Prophetam, quàm vniuerſalem hominum famem protelat. Elias cæli Præfectus diu conſtitutus, & volucris operâ cibatus, nihili æſtimabit communem famem, quâ non tangitur. Vtatur ipſe eâdem populi fame, ſi fortè communis inediæ experientiâ perculſus, ſiccitatis edictum ſoluat. Perbellè Baſilius Seleucus ita ſuper hâc re ſcribit: *Coruis præcepi vt paſcant te. Sed ne*, inquit, *pius cum impijs adæquè fame diſpereat, alimentum ipſi ſuppeditans, latenter eum de ſententiâ deycit: eum enim nutrit operâ coruorum.* Concinnè pariter ac tempeſtiuè Seleucus. Scilicet adhuc inexorabilis eſt Elias, annonæ Præfectus, & communis famis exactor, ergo indulgentiori prouidentiâ cæli volucres ipſi iugiter ſuppeditent alimentum, vt ſubditis diu fameſcentibus, ipſum abundanter prandere pudeat, & ſic *latenter eum de ſententiâ deycit.* Continuas erubeſcet de cælo dapes, ſub quo vniuerſus populus continuò eſurit. Sit illi ſecura abundantia, alienæ penuriæ iuge monimentum; & propriæ affluentiæ magiſterio generosè ediſcat communi fami ſollerter prouidere. Vnde conſultior Dei prouidentia, *alimentum Eliæ ſuppeditans, latenter eum de ſententiâ deycit.* Et Iacobus hîc ſe à Deo copiosè paſtum commemorat, cum Ephraino & Manaſſe copiam vbertim prouidet, & adprecatur.

Deus Eliæ alimentum ſuppeditans, eum à ſententiâ ſiccitatis deycit.

3. Reg. 17. v. 4.

Seleu. orat. 11

3. Iacobæa familia è Palæſtinâ in Ægyptum aduentarat, vt cognatione cum Ægypti Præfecto, famem redimeret. Ingreſſus ergo Ioſeph nunciauit Pharaoni, dicens: Pater meus & fratres, oues eorum & armenta, & cuncta quæ poſſident, venerunt de Terra Chanaan, & ecce conſiſtunt in Terrâ Geſſen. Extremos quoque fratrum ſuorum quinque viros conſtituit coram Rege: quos ille interrogauit: Quid habetis operis? Reſponderunt: Paſtores ouium ſumus ſerui tui, & nos, & patres noſtri. *Ad peregrinandum in terrâ tuâ venimus: quoniam non eſt herba gregibus ſeruorum tuorum, ingraueſcente fame in terrâ Chanaan* Eſtne idonea hæc ratio? *Quoniam non eſt herba gregibus ſeruorum tuorum, ingraueſcente fame?* Profectò in locis paluſtribus potuit gregibus ſuppetere pabulum, etſi ob frugum ſterilitatem panis paſtoribus defuiſſet. Quin vt peritè inibi Auguſtinus aduertit, cùm cælum vbiuis pluuiam ſiccitate negaret, æqua videbatur eſſe paſcuorum ſterilitas & in Ægypto, & in terrâ Chanaan. Incongrua planè ratio: Quia nos ouium paſtores fame premimur, ideò non eſt herba gregibus ſeruorum tuorum: Venimuſque peregrini in Ægyptum cum gregibus noſtris; quia etſi conſimili ſterilitate Ægyptus laboret, ſaltem frumenta paſtoribus ſuppetunt. Verum enim verò fameſcente paſtore, nullibi eſt gregibus herba. Paſtorum eſuries, fames & ruina gregis eſt. Paſtores benè ſaturi ex diu condito in horreis frumento Ioſephi operâ, ipſi quærent gregibus paſcua in quantumuis malignâ ſterilitate. Vnde in terrâ Chanaan, vbi ingraueſcit paſtorum fames ob penuriam frumenti, *non eſt herba gregibus ſeruorum tuorum.* Ideò in Ægyptum venimus, vbi abundat paſtoribus etiam triticum; & inde vel in malignâ ſeptênij ſterilitate non deerunt gregibus paſcua. Vides boni Paſtoris pabulo ſubiectos greges vbertim ſaginari? Ne annonam ingenuis Paſtoribus auferto, ne ſimul totus grex fame diſpereat. Idoneum Paſtoribus pabulum, idonea paſcua gregibus negotiatur. Eruditio planè moraliſſima, & ad Principes, ne populorum Paſtores depauperent; & ad Paſtores, ne cùm ipſis congruæ dapes ſuppetant, ſubiecti gregis alimenta negligant.

Paſtoris cibus in malignâ ſterilitate, gregis pabulum eſt.

Gen. 47. v. 4.

S. Aug. in qq. ſuper Geneſ.

Pudeat

Pudeat Paſtorem benè pranſum, ieiunum minare gregem. Ex eius plenâ menſâ dapes effluant, & communis victus nutriatur attentior prouidentia. Hanc curam ingenuum Paſtorem decet. Qui ſecùs facit, mercenarius eſt, nec ad eum de ouibus pertinet. Baculum paſtoralem exambit, & tondere & mulgere ſubiecti
Ezech. 34. v. 2. & 3. gregis commoda. *Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis.*

In tantâ terræ ſterilitate, copioſè abundat Iſraël: Ioſephus etiam annonæ Præfectus
Hic v. 23. abundat: & abundantiâ *Paſtoris*, vberrimè cibatur grex: Inde *Paſtor egreſſus eſt.*

§ CCCLXXVII.

Indecori criminis accuſatio, aut infamem inuenit, aut facit.

QVIDAM ex Alexandri Magni
1. Eraſmus l. 8. Apoph. paraſitis Medius nomine, ſolebat alios impiè adhortari, vt in exoſum quemque non metuerent quoduis crimen, quantumuis flagitioſum intendere. Adiecitque ſceleſto præcepto cauſam, homine peruerſè acuto dignam: *Vt maximè*, inquit, *ſanet vulnus,*
Poſt curatum contumelia vulnus, adhuc manet cicatrix. *qui delatus eſt, manet tamen cicatrix.* Profectò experientia compertum eſt, vt vel tenuis rumuſculus, qui ex maledicto increbuit, nimis credulas aures ſæpe inueniens, ſic latè per linguarum & aurium traduces ſerpat, vt vix reſtingui poſſit. Comprobatâ poſteà & maledicentis falſitas, & perſpicua diffamati rei innocentia, ſerò denigratæ famæ ſuccurritur: nam etſi is qui falsò delatus eſt, vulnus curet, manet tamen vulneris perpetua cicatrix, & ſparſę diffamiæ indecorum ſtigma. Infortunatus eſt honor, quem vel ſolleter tribunalia aſſerunt. Viderit contumelioſus impoſtor, ne virginem aliorum famam conſtupret; petulantis maledicentiæ luxurie. Viderint etiam iudices, è quorum arbitrio alienus honor dependet, quàm cautè in re famæ tractandâ agere oporteat.

2. Ioannis 18. Chriſtus Deus; innocentiæ &
Conſultò Pilatus innocentem proclamat Chriſtū, ne in feſti gratiam, nocentem abſoluat. ſanctitatis ſplendor, à Iudæorum principibus ad Pilatum adducitur, & tanquam multorum criminum famoſus reus, pertinaciter accuſatur. Animaduertens Præfectus, & accuſatorum malitioſam inuidiam, & inculpatam rei innocentiam, Chriſtum aduocat ad prætorium, & crebris interrogatiunculis eum pertentat, vt cauſæ meritum attentiùs exploret. Re probè cognitâ, innoxia deprehenditur in tribunalibus innocentia. Sed vide mihi quàm cautè in liberandi Chriſti conatu proceſſit Prætor. Nonnihil de veritate inter reſpondendum diſſeruerat Ieſus. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Tunc magis ſollicitus de liberando Chriſto, non tantùm ab omni infami ſupplicio, ſed etiam ab indecoro ſupplicij reatu, non expectâ reſponſione Chriſtum in prætorio reliquit, & foràs ipſe prodit ad Iudæos: Ioan. 18. v. 38. & 39.
Et dicit eis: Ego nullam inuenio in eo cauſam. Eſt autem conſuetudo, vt vnum dimittam vobis in paſcha. Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Notanda eſt diligens & attenta cautela, quâ Præfectus proceſſit in liberandâ & tuendâ Chriſti innocentiâ, ne reus, etiam fama, inter manus iudicis periclitaretur, quod ſubtiliter obſeruauit Hugo Carenſis, ſic fatus Hugo inibi ex Chryſoſtomo.
ad præfata Ioannis verba: *Et dicit eis: Ego nullam inuenio cauſam. Eſt autem conſuetudo, vt vnum dimittam vobis in paſcha, &c. Intuere*, inquit, *qualiter ſapienter allegat pro eo. Non enim dixit: quia peccauit, & dignus eſt morte; donate eum de feſto: ſed primum eum eruens à cauſâ omni, tunc rogat ex ſuperabundanti.* Scilicet, non ait Præfectus: Tametſi reus, quem adducitis, verè noxius ſit; tamen cùm ex conſuetudine vnum ex ſontibus, quem volueritis, donare vobis teneat, rogo, vt hunc poſtuletis, in mei gratiam. Sic enim ab acerbi- 3.
tate pœnæ Chriſtum abſolueret, non à reatus infamiâ. Sed poſt cauſæ diſcuſſionem, hæc verba conſultiſſimè præmittit: *Ego nullam inuenio cauſam.* Et cùm illum ab obiecto reatu vendicauit. *Eſt autem*, inquit, *conſuetudo, vt vnum dimittam vobis in paſchâ. Vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum?* Quaſi dicat Prætor: Non peto, vt vos hunc reum, quaſi noxium, & ſceleris conuictum, incolumem abire petatis pro diei feſti ſolemnitate: ſic enim reus ibit pœnâ liber, ſed onuſtus reatu: *ſed primùm eum eruens ab omni cauſâ, tunc rogat ex ſuperabundanti.* Quid cautius pro innocentis rei honore tuendo? quid luculentius ad hanc rem comprobandam? *Publicale primero por innocente, cautelando, no ſea que, librandole de aquella manera de la pena, le condene à la infamia de la culpa.* Ecce tibi quàm ſedulò inuigilare debeat iudex, ne in tribunalibus inſontis rei honos periclitetur, & Iuſtitiæ miniſterio, iniuſta oboriatur infamia: ô ſolleter caueant iudices, ne præter honorem accuſatione infuſcatum, innoxij rei fama deteriùs inter iudicandum denigretur, non bono iuſtitiæ fumo! ô tribunalia, honoris diu acquiſiti ſæua carnificina! nam tametſi iudices omnem cautelam adhibeant, ſerò abſoluunt, quem præmaturè vel falſata accuſatio condemnet. *No ay honra que ſalga libre de los eſtrados, aun del Iuez mas juſto.* Exinde iudicaſſe, etſi abſoluat, condemnaſſe eſt. Vide quàm aduertenter dictum ſit hîc in Ioſephi causâ, quòd crimine abſolutus è carcere exiuit; ſed, *Diſſo-* Hîc verſ. 44.
luta ſunt vincula brachiorum eius.

Exodi 6. irritatus Pharao Moyſis pro ſuo 4.
populo legatione, atrociùs exinde ſæuit in Hebræam gentem. Angitur Moyſes, & re tunc infectâ, ad Deum accurrit. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac & Iacob in Deo omnipotenti: pepigique fœdus cum eis, vt darem eis Terram Chanaan. Ego audiui gemitum filiorum Iſraël, quo Ægyptij oppreſſerunt eos: & recordatus ſum pacti mei. *Ideo dic* Exod. 6. v. 6.
filijs Iſraël: Ego Dominus, qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſeruitute: ac redimam in brachio excelſo, & iudicijs magnis:

Ægypti plagæ iudicia, ô nomine, acerbius [illegible] tantur.

gvis: ô quanto verborum apparatu Deus ingenuam libertatem promittit Hebræis! Sed obſeruare oportet, quod atrociter barbaris Ægyptiis *iudicia* duntaxat Deus minitatur; non condemnationis minis terret. Eſto, Deus Iſraël, ad *iudicium* citet Ægyptios; fortè Iſraëlitarum ſoſpitate contentus, pro clementiâ Deo cognatâ, aut impunes è *iudicio* dimittet, aut mitiùs plectet. Annon fortiùs Ægyptios terreret, & eorum peruicaciam domaret, ſi edictum condemnationis, non *iudicij* (quod ambiguum eſt ad condemnationem & abſolutionem) minas prætenderet? Quæ ſunt hæc *iudicia*, quæ Ægyptiis imminent? Lipomanus: *In iudicijs magnis, id eſt, ſignis quæ faciam inter Ægyptios; vel ſupplicium grauiſſimum ſumendo de illis.* Sed adhuc curioſiùs ad rem perueſtigare iuuat, quodnam ſit hoc ſupplicium grauiſſimum, *iudiciorum* nomine emphaticè ſignificatum? Tempeſtiuè Lyranus: *In iudicijs magnis, id eſt, plagis iuſto iudicio meo Ægyptijs infligendis.* Nimirùm, cùm Deus tanta pompa verborum ſuam omnipotentem iram oſtentat; & tot acerbiſſimis plagis ſe depopulaturum Ægypti nomen fulminat; non *Ægypti plagas*, quod mitiùs foret vocabulum, ſed *iudicia*, acerbiori nomine, plagarum ſupplicium grauiſſimum, nominat, ad audientium terrorem. Sic durum & immite eſt, *iudicium* pati? Si, qui in *iudicio* abſoluitur, ad prærogatos in lite ſumptus, & criminis obiecti infamiam, & ſuſpenſæ cauſæ angores, prædamnatur; qui tandem damnatus eſt, cui calamitati obnoxius erit? Crediderim, nonnullos malle ante iudicium hominum prædamnari, quàm poſt iudicij ærumnas abſolui: ô ſæpè cenſum, & ſemper accuſatam famam, in humanis tribunalibus naufragam!

Lipoman. in Caten. ibi.

Lyra in hi.

---

§. CCCLXXVIII.

Vltima neceſſitas non ſit ſpei iactura, ſed fiduciæ conceptaculum.

1. SPES vulnus idem qui facit, ſanat: ſpes enim virtus acerrima eſt, & quam vltima neceſſitas non excutit, ſed fouet, nutrit, incrementat, & vires a periculo ſumit. Quiſquis de ſpe generosè ſapit, periclitari tutum putat; ſecurior in diſcriminis ſui aſylo. Ad incutiendum metum quilibet rumor valet; ſed rumoribus nihil oportet credere; imò nec periculis, quæ imminentem calamitatem propè adnunciant. Nonnunquam & in procellâ confuſis veſtigiis cæli & freti, aliquis portus offenditur proſpero errore: nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenditur cæcâ felicitate. Per ardua Fiducia quaſi per errorem. Quid tu adhuc ſoſpes, de vicinitate periculi viuas plangis exequias? Si ſperare non neſcis, deploratum diſcrimen, non ruinam, ſed incolumitatem

Spei in aſyl periculi ſutura ſit.

fauſtè ominatur. Porrò diu præſcribit diuinioris clementiæ lex, quòd vbi humana deſunt remedia, exprompriùs diuina ſuccurrunt munifico pietatis auctario. 2.

Ioannis 11. erat quidam languens Lazarus à Bethſaniâ. Miſerunt ergo ſorores eius ad Ieſum dicentes? Domine, ecce quem amas infirmatur. Sic dicentes affectum pulſant, interpellant amorem, conueniunt charitatem, & neceſſitatem moriendi beneuolentiæ neceſſitudine geſtiunt ſubmouere. Sed Chriſtus cui plus eſt mortem vincere, quàm remouere languorem, Vt audiuit quia infirmatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus. Quare tandiu Chriſtus expectat? An non præſtaret citiùs languori ſuccurriſſe? Pulchrè Chryſologus: *Videtis,* inquit, *quemadmodum dat locum morti, licentiam dat ſepulcro, corruptioni poſſe permittit: negat nil putredini, nil fœtori: atque vt tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit: atque agit vt humana ſpes tota pereat, & tota vis mundana deſperationis accedat: quatenus quod facturus eſt, diuinum ſit, non humanum.* Scilicet non languenti, ſed mortuo Chriſtus adeſt; nec mortuo recens humato, qui adhuc calenti funere vitæ proximior erat; ſed quatriduano, putrido, fœtenti, deplorato: *atque agit vt humana ſpes tota pereat, & tota vis mundana deſperationis accedat: quatenus quod facturus eſt, diuinum ſit, non humanum.* Spes pereat humana, vt pietas eluceat diuina, diuinaque hominum extimuletur fiducia, quæ de periculo deſperato vires audentiùs ſumat. Extrema neceſſitas ſpem humanam excutiat, vt in re deploratâ opportunum auxilium, Deo militet totum. Itaque diſtulit ſanare, vt doceret ſperare. Glorioſiùs fauet, qui in re deſperatâ auxiliatur. Ergo, ô homo, ne Deo inuideris hanc gloriam, tibi hanc ſpem de periculo generoſam, & ex aduerſo auxiliantem. Irremediabilis neceſſitas remediatorem Deum expoſcit, & auxilium in deſperato diſcrimine, ſtipendia ſunt Deitatis. Reſume naufragam ſpem, de periculo ſuo tutam, atque de naufragio ſecuram. Si benè ſapis, deſperatum periculum fit tibi ſperandi fomes, & fiduciæ conceptaculum. Qui fidentiùs periclitatur, in periculi ſui aſylo eſt, dum grauiori periculo certius tutamentum negotiatur. Re humanitùs deſperata, *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum illius per manus potentis Iacob.* Hic verſ. 24.

Ioan. 11. v. 6.

Chryſolog. ſer. 63.

Spes pereat humana, vt pietas eluceat diuina.

Geneſeos 22. tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum. Serus cùm fuerit pater, in filij cædem properè vrgetur: ô cuiuſmodi in ſpes natum chariſſimum ſeruabat! Non vſque adeo filij orbitas antè luctuoſa fuit, quàm nunc experto peracerba: ô bone Deus, quid Patriarcham partu delectari docuiſti? An vt deinde lugere doceres? Quid amorem mærore commutas? Quid ex amore lamenta concinnas? Illiuſne filij ſanguine dexteram inquinabit, pro quo toties ipſe tibi manus extendit? Patriis ſupplicationibus antè ſuſceptis, patrem ad filij in- 3.

Quare in Iſaaci immolatione, fuerit ſecura Abrahami mens, & ſecurior manus?

teremptionem obarmas? ô Domine, promiſſa tua reſpice. Cui heredem promiſeras, cum heredis ſucceſſorem ſubmitteres? quemve largitus eras ſucceſſorem, mactari poſcis? Verùm Abrahamus dicto citiùs, diuino paret imperio, iter breui peragit, cum inſciâ & charâ victimâ montis verticem ſcandit, lignorum parat ſtruem, & rite ligatum Iſaac in altari reponit, quò adhuc viuas ſpes mortis ſymbolo, non interſtinguat, ſed viuificet,
Gen. 22. v. 10. de promiſſione ſecurus. *Extendit que manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum.*
Zeno ſer. de Abraham. Sed, ô fiduciæ miraculum! *Secura mens, ſecurior manus*, dixit tempeſtiuè Veronenſis Zeno. Eſto *ſecura* fuerit Abrahami mens, tot Dei promiſſionibus fulcta; quare *ſecurior manus* dicitur, quæ arripiens gladium illum iam iam in Iſaaci iugulum mergit? Cito dicam, quod breuiſſimè dixit Zeno. Scilicet manu ense armatâ, & ſecuriùs extenſa in filij cerui-cem, quam tamen non exſecuit, propiùs filij necem operabatur. Ergo cum iam nihil humani remedij ſupereſt, certius adeſt diuinum. Vnde *ſecura* fuit Abrahami mens, ſed *manus ſecurior*: nam in deplorato diſcrimine, vbi nullum ſuppetit remedium humanum, inibi certius adoptatur diuinum. Non periclitatur, ſed ſoſpitatur Iſaacus, ſecuritate periculi ſui, in alto rerum diſcrimine tutus: ô ſtrenuam Abrahami fiduciam, qui de aduerſis diuinæ clementiæ credens, ad neceſſarium fidelium erudi-
ad Rom. 4. v. 18. ditionem, *Contra ſpem in ſpem credidit!* In deſperatis malis bonum audentius ſperare, niſi de Abrahami exemplo, nemo ſolet; niſi de vberiori cæli gratiâ, nemo poteſt: ô homo ſæpe de hac fiduciæ ſcholâ, inopinatæ felicitatis augurium: dum humanitus deſperata calamitas felicitatis incolumitatis auſpicium, & diuinæ bonitatis trophæum.

§ CCCLXXIX.

Carcer certiſſimum ſeculi etiam naufragium eſt, & reorum præda

1\. Tertul. Apolog. c. 44. TERTVLLIANVS Romanos iudices, qui Chriſtianos in carcerem tradebant, his verbis alloquitur: Veſtros iam conteſtamur actus, qui quotidie iudicandis cuſtodiis præſidetis, qui ſententiis elogia diſpungitis: tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recenſentur: quis illic
2\. ſicarius? quis manticularius? quis ſacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo? quis ex illis etiam Chriſtianus adſcribitur? aut cum Chriſtiani ſuo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De veſtris ſemper æſtuat carcer, de veſtris ſemper metalla ſuſpirant, de veſtris ſemper beſtiæ ſa-
Triſtatur in carcere, qui fructum ſeculi ſuſpirat ginantur, de veſtris ſemper munerarij noxiorum greges paſcunt. Nemo illic Chriſtianus, niſi planè tantum Chriſtianus, aut ſi & aliud, iam non Chriſtianus. (Pergit propiùs ad rem Tertullianus, Carcer habet tenebras, ſed
l. ad Marty. cap. 2. lumen eſtis ipſi. Habet vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte illic expirat, ſed vos odor eſtis ſuauitatis. Iudex expectatur de iudicibus, ſed vos eſtis de iudicibus ipſis iudicaturi. (nota elegantem & tempeſtiuam rei clauſulam) *Contriſtetur illic, qui fructum ſeculi ſuſpirat. Christianus etiam extra carcerem ſeculo renunciauit.* Nimirum ille triſtatur in carcere, qui aſpirat ad *fructum ſeculi*, id eſt, ad diuitias, ac voluptates opum appendices. Nam tametſi, veſtrâ innocentiâ propiùs exploratâ, aut aliquali iudicis benignitate, aut aliquâ fortè ſecularis politiæ ratione; è carcere incolumes & innoxij exeatis; opes veſtræ in ingreſſu carceris diminutæ ſunt, & in egreſſu planè abſumentur. Vnde in carcere ille contriſtatur, qui fructum huius ſeculi ſuſpirat. Sic iniuſtâ rapinâ, Iuſtitiæ adminiſtri auarâ rapacitate deſpoliant vinctos! quos potiùs dixeris, Tribunalium victimas.

Actorum 12. Petrum Chriſtianiſmi verticem, Herodes in Iudæorum gratiam, in tetrum carcerem conijcit. Et illâ ipsâ nocte, 2.
quâ producturus eum fuerat Herodes, ſecurè Petrus dormit, etſi inter duos milites, & catenis ſtrictè vinctus. Adeſt tempeſtiuè Angelus, noctis & carceris tenebras perſpicuè clarans, ne putet eſſe phantaſiam: & ne deſes ſegnis cunctetur, eius percutit latus, confeſtim catenæ è manibus excidunt, velociter ſurgere, amiciri, & calceari iubetur, & præcedentem Angelum ſequi. Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ vltrò illis panditur. Et è carcere demùm egreſſi, proceſſerunt in vicum: *Et continuò diſceſſit Angelus ab eo. Et Petrus ad ſe reuerſus, dixit: Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* Mirifimum ſanè eſt, Petrum non cognouiſſe, ſe Angeli operâ è carcere liberari, quouſque Angelus ab eo diſceſſit. Abſentem cognoſcit Angelum, quem clarâ luce non agnoſcit præſentem? Id eleganter notauit Chryſoſtomus, aiens: *Nunc cognoui, inquit, quòd verè miſit Dominus Angelum ſuum, & liberauit me de manu Herodis. Nunc, non tunc quando in carcere eram.* Eccur *nunc* extra carcerem, vbi iam nec Angelum, nec miraculum vllum videt? Et non potiùs *tunc*, quando ab Angelo excitatus exurgit, & in ipſa noctis meridie aduertit, catenas è manibus vltrò cadentes? cùm milites cuſtodiarios nil aduertiſſe, ipſe aduertit? cùm ferrea porta ſpontè panditur? Ecquod nouum miraculum extra carcerem Petrus agnoſcit, quod non agnouit in carcere? An ſe tandem è carcere egreſſum, & veſtitum, & calceatum; eoſdemque tot carceris cuſtodes & miniſtros, quin auaram eorum rapacitatem eſſet expertus? Scilicet fortè Petrus miraculi adinſtar reputat, non eſſe in carcere vel tunicâ exutum, & impunè è carcere abiiſſe, exemptum furaciſſimis vectigalibus, quibus miſeros reos tribunalium miniſtri obnoxios faciunt. Vnde poſitus extra carcerem, non in ipſo carcere dixit: *Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum. Nunc, non tunc quando in carcere eram.* (Sic concionatoriè locum

Miraculi inſtar eſt, non nudū, ſed veſtitum exiſſe Petrum è carcere.

Actor. 12. v. 10. & 11.

Chryſoſtom. homil. 26. in Acta.

locum ad mores flectere iuuat. Scio alium eſſe litteralem ſenſum) Sic aduerſus incarceratos iuſtitiæ miniſtrorum æſtuat auara furacitas; ſic vinctorum facultates in carcere ſuſpirant; ſic reorum direptione, miniſtrorum cupiditas ſaginatur. Scilicet reus, quò magis noxius, magis tributarius eſt; imò quò magis tributarius, minùs noxius eſt. Sic incorrupta Iuſtitia, quæſtuaria efficitur?

3\. Hic v. 24. in Ioſephi Benedictione perſpicuè adluditur ad vincula quæ paſſus eſt, ipſe ſeruus, & pauper, & fœdiſſimi delicti reus, prædiuitem & potentem accuſatorem immeritò nactus. Quanquam tandem ob ſomniorum interpretandorum peritiam, ſoſpes euaſerit præfecturæ faſtigio ſublimis, & locuplete cenſu maximè auctus. *Sedit* (inquit Iacob) *in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob: inde paſtor egreſſus eſt*, &c. Manibus omnipotentis Dei Iacob opus fuit, vt Ioſephi pauperis vincula brachiorum & manuum diſſoluerentur, & tandem è carcere diues ac potens egrederetur? Pulchrè ad rem Caietanus: *Et diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius. Iuxta Hebræum habetur: Et aurata ſunt brachia manuum eius. Inde egreſſus eſt*, &c. Auratis brachiis & manibus opus fuit, vt Ioſephus in carcere incluſus, inde egrederetur? Ferri vincula, auri pondere redimenda & diſſoluenda ſunt? Sic eſt rapax tribunalium auara plebs? Hanc rapinam Iuſtitiæ manibus factam, iudices negligunt; an potiùs ignorant? Aſt ignorare, negligere eſt. Ipſi viderint, an in furta furtis animaduertant, & rapinas rapinis damnent. Non eget virtus, vitiorum adiumento.

Idemne eſt, incarcerati vincula ſolui, ac inaurari?

Hic verſ. 24.

Caiet. ibid.

§ CCCLXXX.

Vinculorum auguſta dignitas, ſublimiores glorias arcanè reuerberat.

1\. VIRTVTI ſeruias oportet, vt tibi contingat vera libertas. Qui ſe illi ſubiicit, & ſeruitutis eius ſtigmate inuritur, vitiorum ſeruitute eximitur, & notis libertatis quaſi ingenuus inſignitur: hoc enim ipſum virtuti ſeruire, libertas eſt. Carcere arctaris, vinciris compedibus, vinculis præpeditus es? habent quidem catenæ aliquid ſeruitutis, ſed ſcenicæ & mentitæ; re verà ſunt, vt Chriſtianæ pietatis indicia, ita & piæ ingenuitatis documenta. Auferamus carceris aut eiectionis nomen, & pro Chriſto vinctos, nouam è mundo cæli coloniam appellemus; quâ domeſtici Dei, Chriſti conciues, empyreæ gloriæ candidati, habitant. Hinc notum eſt, quanti Paulus, & reliqui virtutis coryphæi, catenas æſtimarint, quaſi Chriſtianæ libertatis inſignia, cæli obſides, & glorioſum beatitudinis pignus.

Vinculorum arcana dignitas, libertatis vindex.

2\. Matthæi 1. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Vix hæc Euangeliſtæ verba poſſunt penitiùs exponi, niſi innoteſcat natiuitatis Phares & Zaræ prodigium, quod narrat Moyſes Geneſ. 38. Inſtante, inquit, Thamaris partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsâ effuſione infantium *vnus protulit manum, in quâ obſtetrix ligauit coccinum*, dicens: Iſte egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter.... & vocauit nomen eius Phares. Poſteà egreſſus frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara. Super quâ re ita philoſophatur Chryſoſtomus, verſans celebrem illam quæſtionem; quare Zara, qui manum priùs protulit, & eam, coccino vinctam reuocauit: vnde Phares prior natus eſt; inter progenitores Chriſti cenſeatur, cùm indubiè à genealogiâ Saluatoris excluſus ſit. Et quare infans manum reuocarit, & locum priorem alteri ceſſerit. *Manum, ait, ille protulit, qui ſecundò egreſſus eſt. Quid igitur hoc ænigmate deſignatur?.... Neque enim erat ordinis naturalis, vt is qui emiſiſſet manum, eandem poſtquam eſſet vincta, reuocaret. Nam præmiſſa quidem huius manu, alterum priùs egredi, naturale fortaſſe ſit, retrahere verò iſtam, & tranſitum alteri cedere, non iam fiebat lege naſcentium, ſed Dei gratia tunc pueris aderat, ita diſpenſans.* Argutè planè ad rem præſentem, ænigma ſoluit Chryſoſtomus. Nimirùm Zara, qui prior manu natus, parùm abfuit, quin prior naſceretur (& inde eſſet primogenitus, & progenitor Chriſti) ideò recenſetur inter Chriſti progenitores, vt docet Maldonatus. Propterea autem factum videtur, vt non prior Zara naſceretur, ſed priorem locum Pharæ daret; quia *manum poſtquam eſſet vincta, reuocauit*, quod *non fiebat lege naſcentium, ſed Dei gratia pueris aderat, ita diſpenſans.* Scilicet refutat Chriſtus progenitorem, (cuius filius, & inde imago ſit) qui ſic ligari, prœmaturè recuſat, vt ſatiùs ducat maioratum alteri cedere, quàm pati manus vinciri. Profectò Chriſtus qui mitiſſimè vincula paſſurus erat, quibus cautè per tribunalia tractus eſt: qui voluntatem ſuam per obedientiam Patri aſtrinxit; qui filios refutat *rumpentes vincula*; meritò Zaram reſpuit in patrem; qui ſolutæ libertatis præmaturo ſtudio, manu iam natus, cedit maioratui, ne manus vinciri patiatur. Eliminetur Zara à progenitorum Chriſti Dei cenſu, & in eius locum Phares ſuccedat: quia cùm Zara priùs emiſiſſet manum, & iam propè erat, vt prior naſceretur, *eandem poſtquam eſſet vincta, reuocauit.*

Matth. 1. v. 3.

Gen. 38. 27.

Chriſtus refutat progenitores, qui vincula refutat.

Chryſ. ho. 3. in Matth.

Mald. ibi.

3\. Lucæ 2. Virgo Deipara vicina partui, adſtricta Cæſaris edicto, longum iter à Nazareth ad Bethlehem vſque peregit, indiuiduo virginitatis etiam ſponſo comitata. Factum eſt autem cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. *Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio.* Pannis quidem inuoluitur Deus homo, infans Verbum, Chriſtus Ieſus, & *ſtrictis cingitur faſciis*: quò noua Dei natiuitas præproperâ vinctione dedicaretur, arcanâ faſciarum conſecratione. Sed expenſione digniſſima eſt ſententia, & loquendi modus Tertulliani hâc ſuper re. Magnus hic doctor diſputans contra phanaticos quoſdam illius æui Hæreticos, qui veram Chriſti carnẽ, quaſi Deo

Lucæ 2. v. 7.

Chriſtus infans faſciis dirigitur, vinctionibus formatur?

Deo indecoram, impudenter negabant, quaſi propudioſum foret, è matre, etſi virgine, Deum naſci, & infantis improperia toleraſſe, *Igitur*, inquit, *ſi neque vt impoſſibilem, neque vt periculoſam Deo repudias corporationem, ſupereſt vt quaſi indignam reiicias & accuſes. Ab ipsâ quidem exorſus odio habitâ natiuitate, perora age iam..... Dedignaberis quòd pannis dirigitur, quòd vinctionibus formatur, quod blanditiis deridetur.* Benè eſt, pannis infans *inuoluitur*, vt ait Euangeliſta, vel *dirigitur*, vt emphaticè dixit Tertullianus: ſed quale eſt illud ænigma, *Vinctionibus formatur?* Stricta faſcia, & infantilis vinctio puerum format? ô grandia verba, & conceptuum grauida! At ego contentus digitum intendiſſe ad ſententiam, eam enucleare eruditis omittimus. Gratiora ſunt, quæ quiſque proprij ingenij ſollertia adinuenit. Quin & recuſat calamus per exaggerationum arduas crepidines attentiùs exercere, in hoc præſertim æuo cenſorum fertili.

Tertull. de Car. Chriſti, cap. 4.

4\. Matthæi 1. *Abraham genuit Iſaac.* Ad quæ verba Auctor operis imperf. adſpectu ad hiſtoriam de Iſaaci immolatione, quæ refertur Geneſeos 22. multis comprobat quàm fuerit ſimilis Chriſtus Iſaaco progenitori. Sed præcipuè illuſtrat illa verba: *Cúmque alligaſſet illum,* ſic fatus: *Sicut Iſaac non reſtitit Abrahæ, cùm vellet eum occidere, ſed dixit: Pater mi, liga mihi manus & pedes, ne quando inſurgam in impugnationem: ſic & Chriſtus non contradixit Patri, ſed paratus reſpondit: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu Pater.* Pium profectò Iſaaci arbitrium, qui viribus præpollens, patrem exorat, vt eius manus & pedes liget, ne fortè ipſe inſani vulneris impatientiâ alienatus à mente, vel ſubito corporis motu, rationi inexpugnabili, reluctetur nutui diuino, & pij parentis voluntati. Præpropera Iſaaci cautio, lenocinium obſequendi eſt. Sui compos vinctione præcauet, ne quid mentis impos repugnet iuſſioni diuinæ: ne vel leuiſſima obſequij repugnantia inceſtet puram obedientiæ victimâ. Digna planè vmbra Iſaacus fuit, quam expleret Chriſtus. Nam pius filius pij etiam parentis geminatâ ſimilitudine, imago eſt; & ſæpè non naturæ duntaxat, ſed & pietatis heres. Sed ad rem aduerte, Chriſtum Deum ſtudioſè elegiſſe Iſaacum ad ſui progenitoris dignitatem, & Zaram iam iam priùs naſcentem repudiaſſe. Iſaac Abrahamo dixit: *Pater mi, liga mihi manus & pedes:* Zara verò cùm prior *emiſiſſet manum, eandem poſtquam eſſet vincta reuocauit.* An progenitores Chriſti condecet, *vinctionibus formari?* Sic gloria Ioſephi vinctionibus formatur, quod Iacobus in eiuſdem Benedictione non tacuit.

Matth. 1. v. 2. Gen 22. v. 9. Imperf. homil. 1. in Matth.

Cautela Iſaaci, obſequij lenocinium eſt.

Iſaacum vinctionem expetentem, Chriſtus elegit in parentem?

Hic v. 24.

5\. Sed iuuat aliter rem Zaræ meditari, & Chryſoſtomi ænigma ex oppoſito extricare, ſic concionatoriæ theſes verſatiles ſunt! Conſtat ex hoc ipſo §. Thamarem inſtante partu geminos inſolito prodigio peperiſſe. Curuatur ad pariẽdum iam iam mater. Feſtinat prior Zara, præproperâ primogenituræ ambitione: ſed necdum plenius editus, ſed manu duntaxat natus, cùm *emiſiſſet manum, eandem cùm eſſet vincta, reuocauit..... & tranſitum alteri cedere, non iam fiebat lege naſcentium, ſed Dei gratia tunc pueris aderat, iſta diſpenſans.* Scilicet cùm ſe manu vinctum Zara præmaturè ſenſit, ſtatim tranſitum, & primogenij honorem fratri vltrò ceſſit, contentus præluſtri vinctionis ſtẽmate. Nempè Zara præproperè vrbanus, glorias cum Phare partitur, & vinctionis honorem, honoribus primogenij præfert. Quaſi dicat linguaſo infantiæ ſilentio: ſat gloriæ mihi eſt, ſi ante natiuitatem vincula patior, nexibus decoror ad gloriam, primogenituræ gloriam fratri omitto. Sit ille poſt natiuitatem primogenitus, & ego ante natiuitatem vinctus: ô, audi myſticas infantiæ voces, Chriſtianæ pietatis & eruditionis plenas!

Zara primogenitura cedit, vinctionis gloriâ contentus?

Chry. hom. 3. in Matth.

§ CCCLXXXI.

Quam ſubditus de Superiore reportat, pœnitenda & deflenda victoria eſt.

1\. SAPIENTER monet Xenophon: *Non conuenire viro Principi cum priuatis decertare, quod ſi vicerit, tantùm abeſt vt ſit admirationi, vt magis ſibi conflet inuidiam: ceterùm ſi victus fuerit, omnium maximè ridetur.* Turpe Principi, à ſubdito vinci; vincere non magnum. Quin & ſuccubuiſſe, irâ ferè in Principe prouocat: & cùm pudeat victum dici, properat in vindictam, & iniuriam pro victoria reponit. Periculi res pleniſſima, & tam ſubdito, quàm Principi pœnitenda. Vitabit ſanè hos ſcopulos quiſquis ſub Principe viuit, ne in certamine virium, ſcientiarum, artium, ingenij, aliarumque rerum, ſuperior extitiſſe videatur. Subditus, ſi ſapit, fugiet has concertationes, ſi vitare non poteſt, etiam dum vincere eualet, victoriam Principi concedat. Quòd ſi ſubditus ſui oblitus, victor in quocumque certamine, virium, prudentiæ, eruditionis, aliarumque rerum ſteterit, multa timeat. Non ſolet purpura indignationem ponere, non iram, non vindictam in victorem; neque vinci ſe patitur, licet ſtolida ſit, imbellis, indocta; prudẽs, fortis, docta haberi vult: ô caue à Principe deuicto!

Politico-Chryſ. c. 17.

Concertatio cũ inferiore deuitanda eſt Principi.

2\. Iacob ille Hebrææ gentis Patriarcha, è Meſopotamia redux ad ſuos, re benè compoſitâ cum ſocero Laban, planè duri & agreſtis ingenij viro; aliud ſubit periculum, non minùs formidabile. Nam cùm traductis omnibus quæ ad ſe pertinebant, cis vadum ipſe ſolus remanſit: ecce vir, ſtrenuus pugil luctabatur cum eo, hæſit pede pes, denſuſque viro vir. Oſee 12. his verbis hæc Iacobi lucta denarratur: *In fortitudine ſuâ directus eſt cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum.* Importunus ſanè fletus, & qui expoſitorum ingenia diu torſit; adeò vt Hebræi cenſuerint, non Iacobum, ſed Angelum fleuiſſe. Saltem fletum ſimulaſſe putat Vatablus. Reliqui interpretes fletum referunt ad Iacobum. Sed quam ob cauſam dum Iacob inualuit in Angelum, conſpicuâ hominis ſpecie ſecum colluctantem, fleuiſſe dicitur?

Gen. 32. 24.

Oſee 12. v. 3. & 4.

Plorat victor Iacob, quòd ſublimiorem ſe vicerit!

Figuerus

Figuerius apud Sanct. in Ouc. m.

Figuerius coniectat Iacobum fleuiſſe, ex dolore graui, quem cepit, quo tempore tactus ab Angelicâ manu neruus emarcuit. Sed nimis mollem fingit Iacobum, qui muliebres eiulatus ederet, viro indecoros. Quid ergo plorat Iacob cùm videt Angelum cum quo certabat, deuictum, non ſolùm in corporeo certamine, ſed in myſticâ licet verâ pugnâ, aut Precum, vt putat Haymo; aut Contemplationis, quod inuuit Gregorius? Aptène, poſtquam dicitur: *Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt*, ſubditur, *Et fleuit?* An plorat Iacobus, quod ſublimiorem ſe Angelum in corporeâ, & myſticâ luctâ deuicerit? Lacrymaſne eliciat victoria de ſublimiſſimo antagoniſtâ reportata? Deuictus potiùs Angelus plorare debuiſſet, quàm victor Iacobus: imò vterque pari fletu, diſpari causâ plorauit, quod profundè notauerunt ſeptuaginta Interpretes, ſic locum exſcribentes: Iacob *in laboribus ſuis præualuit erga Deum, & confortatus eſt cum Angelo, & potuit. Fleuerunt & deprecati ſunt me.* Scilicet oportuniſſimè illacrymat Iacobus, dum præualet contra ſe ſublimiorem. Plorat etiam ſublimioris naturæ Angelus, (res peragitur, & explicatur more humano) quia in certamine cum homine ſibi inferiore, ſuperatum ſe videt. Par eiulatus à diſparis conditionis luctatore editur, ex pari plorandi causâ. Nec minùs plorat Inferior, quòd Superiorem vicerit; quàm Superior, quòd ab Inferiore victus ſit: *Et confortatus eſt cum Angelo, & potuit: Fleuerunt.* Lacrymoſus huius typicæ luctæ exitus, ſit Principum, & Inferiorum perquàm bella eruditio. *Aunque el ſúbdito con raçon vença al ſuperior, ambos ſalen deſtroçados de la contienda.*

Haymo ibi. S. Gregor. apud Gloſſ.

3. 1. Reg. 24. hoſtili animo Rex Saül perſequitur Dauidem, qui electâ manu ſtipatus, iras Regis immeritas fugiens, profugus latitat in montibus. Sed occaſionem tandem in ſpeluncâ nactus Regem interficiendi, contentus ſilenter ſcidiſſe oram chlamydis, elapſus eſt. Tunc Saülem, & purpurantis pittacij oſtenſione; & facundiſſimâ, quam ad eum habuit oratione, immeritæ ſæuitiæ arguit & conuicit: & cui ferrum pepercit, non pepercit Dauidis ſermo efficaciſſimis rationibus valenter armatus; quamuis decenter etiam adornatus politicâ circumſpectione, circumſpectâ moderatione, verborum delinimentis & ſubmiſſionibus. At confeſtim deuictus Dauidis rationibus: *Leuauit Saül vocem ſuam, & fleuit... Abijt ergo Saül in domum ſuam: & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.* Ecce tibi exitum huius victoriæ inferioris Dauidis aduerſus Saülem Principem. Saül fleuit, quia *canem mortuum; pulicem vnum* (id eſt, hominem ſubditum, & tunc *ignobilem & impotentem*) *perſequens*, ab eo victus ſit in rationis certamine; & Dauid victor, à victoria timet, & ad tutiora confugit loca. Ante hanc de Saüle victoriam, non tantâ ſibi proſpiciebat cautelâ Dauid: at vbi ſermone deuicit Regem, tutius quærit præſidium. Nuper Regis inuidiam duntaxat timebat, iam nouam victoriæ inuidiâ magis timet. Saülis deuicti lacrymæ, etſi ſpecie tenus mitiorem animum ſpondebant; at minæ ſunt crudelioris iracundiæ, & inteſtinæ diuturnis maleuolentiæ. Vnde poſtquam deuictus *Saül leuauit vocem ſuam, & fleuit; Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.* Ecquid mali non minentur Principis lacrymæ, quas infelix ſubditi victoria ab eo extorſit?

Lacrymæ Saülis deuicti, minæ ſunt Dauidi victori.

1. Reg. 24. v. 17. & 23.

Gloſſ. interl.

Ex Ioſephi ſomnio coniiciunt eius fratres, illius ditioni ſubiiciendos fore, & eum obiurgant & exaſperant. Sed audaciam magno luent: nam *ſedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob.*

Hic verſ. 24.

---

§. CCCLXXXII.

Quiſquis putat, Rempublicam eius peritiâ indigere, ineptus eſt ad Dignitatem.

1. DE ſuperbiæ officinâ eſt, arrogantem quempiam ſecum cogitare, quòd republica aut communitas eo indiget: qui putat eius peritiâ plures egere, ſuperuacaneus omnibus eſt. Nam elatio, vt communitati inuidioſa, ſic & omnibus infructuoſa eſt: ab eiuſmodi enim ventoſiſſimâ perſuaſione, ex ornatiſſimo viro, aliàs vtili, prorsùs redditur inutilis, merito præſumptionis. Porrò nemo eſt tam rerum omnium indigus, qui arroganti homine indigeat.

2. Paulus ad Timotheum ſcribens, eligendi in Eccleſiæ Antiſtitem merita recenſet, aiens: Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem; non violentum, non percuſſorem; ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui benè præpoſitum: filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Vides quàm opulentas naturæ & gratiæ dotes in eligendo Præſule requirat Paulus? Qui ſingulas attentiùs expenderit, & penitiùs explorauerit, proculdubiò vix inueniet virum tot elogiis illuſtrem: & is erit, quem Dignitatum infulæ auidè exambiant. Sed eſto, tot ornamentis vir ille vbertim dotatus ſit, adhuc Dignitate indignus eſt, ſi neophytus ſit. *Non neophytum* (ait Paulus) *ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli.* Quare Neophytum, id eſt, recens Chriſtianum, etſi tot naturæ & gratiæ donis ornatiſſimum, procùl ab Eccleſiaſtico faſtigio Apoſtolus arcet? Imò gratulandum foret Chriſtianæ Eccleſiæ, quod vir tot ornamentis auctus, fidelibus præficeretur. Eleganter Anſelmus Laudunenſis: *Non Neophytum. Quare? ne præ ceteris digniorem ſe putans, quaſi eo egeat Religio, in iudicium incidat diaboli.* Idem olim docuerat Haymo his verbis: *Excluditur Neophytus, ne dicere poſſit: Indigebat Eccleſia meâ ſapientiâ, ideò me ad fidem adduxit, & ſuper ſe conſtituit:* ô in primis neceſſariam cautelam, & officioſitate Paulinæ ſollicitudinis digniſſimam! Nempè Eccleſiaſticæ dignitates, & ſublimiora officia, fraudentur alias digniſſimo & ornatiſſimo viro, & ad ſumma quæque in paucis idoneo,

Neophytus ab Epiſcopatu reijcitur ne putet, Eccleſiam eo indigere.

1. ad Tim. 3. v. 6.

Anſel. ibi.

Haymo ibi.

ne præproperè ad religionis honores euectus, præ ceteris digniorem ſe putet, *quaſi eo egeat Religio*, quo arrogantiæ adnutu, & naturæ & gratiæ ornamenta deuenuſtabit, in iudicium incidet diaboli. Ecce tibi quàm præcoci ſolertiâ has arrogantiæ voces in ipſo faucium meatu intercludit Apoſtolus, *Ne poſſit dicere: Indigebat Eccleſia meâ doctrinâ.* Dei Eccleſia, & Eccleſiæ Religio, nullius eget, qui putat ſe ita prudentem, eruditum, præluſtrem, vt eius ope indigeat. *Ni la Igleſia, ni la Religion tiene neceſſidad de quien pienſa que le an meneſter.*

3. Ex hoc Pauli loco procliue eſt, ductu Chryſoſtomi & Theophylacti, alium perdifficilem
Iſaiæ 14. Iſaiæ, ad rem præſentem fortè non inidoneè
v. 12. & 13. commentari. *Quo modo*, inquit, *cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?...... Qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, ſimilis ero Altiſſimo.* Quæ verba Origenes, Euſebius Ambroſius, Athanaſius, & paſſim veteres,
Leo Caſtr. ibi. quos citat Leo Caſtrius, ad litteram intelligunt de caſu Diaboli. Saltem in ſenſu allegorico, omnes ferè fatentur, & nemo præter Origenem negat. Sed exploratu arduum eſt, quo pacto Luciferi caſus, & cadendi reatus hiſce Iſaiæ verbis denotetur. Porrò Angeli in ipſo cælo creati ſunt; quo ergo pacto dicere, niſi fatuè, Angelus potuit: *In Cælum conſcen-*
Fueritne Luciferi faſtu, præ timere ipſo omnia indigere? *dam?* Prætereà, qui præ Adamo, ſimilis Deo creatus eſt, & *ſignaculum ſimilitudinis* dicitur ab Ezechiele, non niſi inſipienter dixiſſe potuit: *Similis ero Altiſſimo?* Hinc grande diſſi-
Ezech. 28. 12. dium inter Theologos expoſitiuos & ſcholaſticos ortum eſt; ecquod fuerit Luciferi delictum? Et eſto ſuperbię fomite tactus ſit, qualis fuerit hæc arrogantiæ ſcintilla, quæ gehennæ pyram, elationis aurâ flabellauit? Suſpicor ex Doctoris Gentium prælaudato loco ad Timotheum, ſi non lucis meridies, ſaltem fortaſſis non obſcura facula intelligentiæ ad mores accendi poteſt. Sic loquitur Paulus ſuo Timotheo, dicens: eligendum Antiſtitem: *Non*
1. ad Tim. 3. v. 6. *neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli.* Quare eruditus, pius, & reliquis naturæ & gratiæ dotibus ornatus neophytus, eligendus non eſt ad Dignitatis faſtigium? *ne*, inquit Apoſtolus, *in iudicium*, id eſt, reatum, aut condemnationem, *incidat Diaboli.* Quaſi ſimilis ſit reatus ſeu culpa eruditi Neophyti ad principatum electi, & præclari Luciferi recens creati. Quod inſinuare vide-
Chryſoſt. hom. 10 tur Chryſoſtomus his verbis, quæ penè excripſit Theophylactus: *Ne elatus in iudicium incidat Diaboli. Hoc eſt, ne in eandem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit.* Vis noſſe, quænam fuerit belliſſimi Luciferi nuper creati arrogantia; aduerte, quæ erit elatio Neophyti ornatiſſimi electio? Nempe: *Indigebat Eccleſia meâ ſapientiâ*, &c. *Præ ceteris ſe digniorem putans, quaſi eo egeat Religio.* Nimirum Lucifer Angelorum coryphæus, in empyreo palatio natus, ſuper aſtra ſublimis, naturæ & gratiæ dotibus ornatiſſimus, & Dei ſimilitudine pereleganter expreſſus; *præ ceteris ſe digniorem* contemplatus, forſitan in has arrogantiæ voces erupit: Indigebat cælum meis fulgoribus: Spirituum chorus meâ ſapientiâ: Rerum natura meâ prouidentiâ: Homines meâ eruditione & tutelâ: Dei in homines gratia, meo afflatu: Deus tam auguſtè nobili creaturâ, reliquarum facilè principe. Perueſtiget curioſus Eccleſiaſtes, an id inſinuet Paulus ex collatione arrogantiæ litteratiſſimi Neophyti, cum faſtuoſâ belliſſimi Luciferi elatione. Quod ſi illi arriſerit, ſatis arguté propoſitam theſim ad mores comprobabit. Expendenda enim ſunt verba Chryſoſtomi, aientis: Ne Neophytus arrogantet reputans, ſuâ ſapientiâ Eccleſiam indigere, *quaſi eo egeat Religio, in eandem incurrat damnationem*, (ſeu reatum) *quem Diabolus per arrogantiam pertulit.* Ecce arrogantis Neophyti cauſam, & ſuperbientis Luciferi non diſſimilem eſſe videtur inſinuare Chryſoſtomus.

Ioſephus *Lapis* fuit & *Paſtor* electi Dei Hic verſ. 24
populi; ſed ne putet ſe neceſſarium eſſe, tot annis in carceris ſqualore negligitur, vt huic communi hominum morbo præproperè medicinam faciat.

---

§. CCCLXXXIII.

In patiendi ignobilitate, nobilis quidam diuinitatis vigor elucet.

ELVCET quidem quadantenùs 1.
in Deo incorporato, in corpo- Tertul. l. de
rato etiam Deo; & in mero Patien. c. 2.
homine tolerante totam aduerſæ fortunæ molem ſibi incumbentem. Audiendus eſt Tertullianus, qui altè in primis de Dei patientia ſic fatur. *Nobis quidem exercendæ Patientiæ auctoritatem non affectatio canina æquanimitatis ſtupore formata, ſed viua ac cæleſtis diſciplinæ diuina diſpoſitio delegat*, (Nota hominum Patientiam, Patientiæ diuinæ delegatione fungi) *Deum ipſum* Deus etiam
oſtendens Patientiæ exemplum. Iam primum dum ſuâ ſibi
qui florem lucis huius ſuper iuſtos & iniuſtos Patientiâ de-
æqualiter ſpargit. Qui temporum officia, ele- trahit, ſe oſt.
mentorum ſeruitia, totius genituræ tributa di- pat Patientiæ originem.
gnis ſimul & indignis patitur ſimul occurrere. Suſtinet ingratiſſimas nationes, ludibria artium & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familiâ ipſius perſequentes: luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem, vt ſuâ ſibi Patientiâ detrahat. Plures enim Dominum idcircò non credunt, quia ſeculo iratum tandiu neſciunt. Longiuſculè, ſed non eſt longum, cui nihil eſt quod demere poſſis. Ecce tibi (tametſi in Deo propriè non inueniatur Patientia, ſed quaſi Patientia, vt concinnè infrà ipſe notat Tertullianus) Deus dicitur *Patientiæ Exemplum*, exemplar inquam, & idea patiendi, id eſt,
Patientiæ *origo*, vt Cyprianus Magiſtrum Cypr. l. de
exponit: ô generoſos Patientiæ natales, Dei Bon. Patient.
origine auguſtos! Sed mirarer in tam illuſtri etiam Patientiæ auctoritate, non inueniri aliquod dehoneſtamentum patiendi. Vnde addit: *Suâ ſibi Patientiâ detrahit.* Quaſi Patientia ſit res alicuius ignominiæ, cuius ignominiæ generoſus appendix eſt aliquis diuinitatis vigor, in Patientiâ arcanè deliteſcens

ad

ad gloriæ incrementum. Itaque Deus dum *ſuâ ſibi Patientia detrahit*, Patientiæ etiam natales & originem à ſe eſſe oſtendit, ſe publicans Patientiæ originem & exemplar. Ac ſi, quod patiendi ignominia gloriæ Patientiæ detrahit, illud diuinæ originis generoſitate ſumptuoſius reſtituat, dum patiendi ignominiam recudit in diuinam patientis gloriam.

2. *In Christo patientia, eius Diuinitas magis impatibilis demonſtratur.* Venio ad Chriſtum, qui quoniam Deus & homo eſt, propriè in eo Patientia elucet, non impropriè vt in incorporato numine. Quidam de humanæ ſapientiæ ſcholâ arroganter eruditi, Dei corporationem, & ſuſceptam noſtro nomine mendicitatem, Deo vertebant probro. Vide eorum argutias, & hæreſæos ſcintillas doloſo oſtentatæ pietatis cinere tectas: *Nequid Deus patiatur, cùm paſſiones hominum ſine paſſione medicatur. Ac ideò credere refugiunt Dei incarnati generationem ventri mulieris eſſe concreditam*, ait Baſilius Seleucus, qui ita luculenter reſpondet: *Hoc Deo honorificentius, hoc modo magis impatibilis demonſtratur, quod & patibili celatus ſit corpore, quod diuinitatis impatibilitatem oſtendat.* O nimis belle! Nempe Diuinitatis impatibilis de ſe eſt, & paſſionibus negata humanis: ergo hypoſtaticè vniatur impatibilis Deus paſſibili humanitati; in quâ Deus ipſe reſpuitur, deſpuitur, verberatur, deridetur, ſalutatur, ſpinoſis coronatur, ridiculis veſtitur, patibulandus inter ſontes ligno viuus figitur, mortuus dirè lancinatur. Numquid tamen ſubeundæ morti etiam tot contumeliis & cruciamentis opus erat? Verùm ne cenſeas Chriſto Deo fore probrosum, tanta tamque acerba pati. Porrò *Hoc Deo honorificentius, hoc modo magis impatibilis demonſtratur, quòd & patibili celatus ſit corpore, & quod diuinitatis impatibilitatem oſtendat.* Quaſi magis impatibilem ſe demonſtret diuinitas in Chriſto, dum eius humanitas ſibi hypoſtaticè vnita, & inde homo Deus euadens, nimis acerba & dira patitur. O arcanam & piam velut ambitionem Patientiæ! Dum ſæuiora patitur Chriſti humanitas, & honorificentius Chriſtum eſſe Deum oſtendit, & magis eſſe impatibilem Diuinitatem demonſtrat?

Baſil. Seleuc. Orat. 39.

3. *Potiùs ex Patientiâ, quàm ex miraculis Chriſtus cognoſcendus?* Sudatum Tertulliani locum nec pudet nec piget præmittere, vt verba ſequentia, ad hanc rem non incongrua, nouus expenſor locupletem. Summatim recenſuit quanta Chriſtus in vitâ tulerat, & de cruce pendulus adhuc acerbiora patiebatur, & ad incredulum Iudaiſmum ſermonem flectit his verbis: *Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: Patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Nota obiter, comparationem fieri, Patientiæ in cruce exhibitæ, cum reliquis anteactæ vitæ geſtis, diſciplinis, miraculis, quæ magno Orbis ſtupore patrauit Chriſtus ad ſuæ diuinitatis probationem. Quaſi dicat: O Phariſæi, etſi obſtinato animo tot videritis prodigia, quæ ſaxeum cor ad fidem flecterent; dum Chriſti æquanimitatem in tam diro ſupplicio cernitis: *Hinc vel maximè Phariſæi Dominum cognoſcere debuiſtis: Patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Pergit ad rem Tertullianus. *Talia tantaque documenta, quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei eſt, penes vos verò ratio & ſtructio, ſatis apertè non ſermonibus modò in præcipiendo, ſed etiam paſſionibus Domini ſuſtinendo probant his, quibus credere datum eſt, Patientiam Dei eſſe naturam effectam, & præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis.* Expende hæc vltima verba, in quibus diuinum Patientiæ encomium granditer ſonat. Nimirum, parum eſſet, ô Phariſæi, vt ex Patientia in cruce à Chriſto oſtentata, eundem verum eſſe Deum cognoſceretis; niſi ex Patientiâ, quam Chriſtus per omnes etiam vitæ periodos, & præſertim in Paſſione exhibuit, crederetis, probroſam alioqui *Patientiam, Dei eſſe naturam effectam, & præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis.* (Scio verborum ſenſum, quem noſtro Cerdæ olim ſuggerebam ad Notationes in Tertullianum.) Grandi in paucis verborum faſtu de Chriſti Patientia Septimius loquitur. Scilicet Patientiam tranſiiſſe in Chriſti Dei naturam, & præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis; eo inquam modo, quo Tertullianum imitatus, loquitur Ambroſius.

Tertul. l. de Patient. c. 3.

Siue Patientia, Chriſti natura, & præſtãtia ingenitæ proprietatis?

Cerda in c. 3. l. de Patient. Nota 10.

S. Ambr. l. 1. offic. c. 21.

4. *Patientia à Deo delegatâ fungitur auctoritate.* Nuper indotatum expenſione dimiſimus, hîc expendendum, quid ſit, *Patientia auctoritatem non affectatio humana canina æquanimitatis ſtupore formata, ſed viua ac cæleſtis diſciplinæ diuina diſpoſitio delegat.* Quaſi homo de ſe impar ſit dignitatis tranquillè patiendi, & dum æquanimiter patitur, à Deo *delegata* vtatur auctoritate Patientiæ; cuius Deus auctor, origo, & exemplar eſt. Non impatibilis ſeu inuulnerabilis Stoicæ diſciplinæ ſtupor, quem affectata hominum honoris auaritia efformauit, gloriæ ambitione. *Adeſte nunc vos* (ait Philo) *arrogantes, quos inflat infelicitas, qui ceruicem ſupra naturam attollitis.* Profectò infelicitas puſillos & abiectos animos facit infortunati, & ad viliſſima quæque inhonorè demittit. Homo verò vanæ gloriæ mancipium, aliquando felicitate arroganter turget, & ſupra humanum faſtigium ſe ſe attolere ventoſiſſimè gliſcit. At tanta olim & nunc fuit tranquillæ Patientiæ gloria, vt qui eam ambitioſius quærerent, *arroganter infelicitate inflarentur*, & in calamitoſa infelicitate, arcanæ gloriæ felicitatem inueniſſe putarent; dum ambitione patiendi *ceruicem ſupra naturam attollere*, Patientiæque auctoritatem à Deo *delegatam*, rem ambitioſius facere præſumunt.

Tertull. ſupra c. 3.

Arrogantes inflat infelicitas.

Philo l. 3. de Vita Moyſ.

Dum quaſi inſenſilis petra, & durus *lapis*, Ioſeph à fratribus, & à Domino acerbiſſima quæque patitur: inde populi Dei egreſſus eſt paſtor: *Inde Paſtor egreſſus eſt lapis Iſraël.* Hic v. 24.

Et Ægyptij ſcintillam Diuinitatis in eo vidiſſe putant, eumque inter numina ſua collocant. De quo multa profana eruditio

§ CCCLXXXIV.

Arrogantiam prælationis appendicem priſtina quondam ſeculi vilitas oportunè cohibet.

1. *Prælationi cognata eſt arrogantia.* SVBLIME dignitatis faſtigium hominem ſupra homines attollit, & quos ſubiectos ſuæ poteſtati videt, inferioris cuiuſpiam naturæ eſſe putat, exinde elatio appendix potentiæ eſt. Dignitas humanæ naturæ vilitatem dediſcit; & homo imperitare aſſiduus, parere inſuetus, ſupra humanum faſtigium arroganter turget muneris vanâ gloriâ, adeò vt qui inconſpicuus ſqualebat priuatus, in publicâ dignitate præcelſus elatiùs ſuperbire ſeliter, arroganti ambitionis typho. Hinc oportet vt antiquæ ſuæ conditionis recordationem ipſe ſibi ſuggerat Præſul, vt priuatæ vilitatis memoria cautè cohibeat agnatum præſidentiæ faſtum.

2. Ioannis 21. fideliter implet Christus, quod olim Petro dixerat: *Tibi dabo claues regni cælorum*, & dum illum vniuerſæ Eccleſiæ ſummum Paſtorem conſtituit, ſic eundem adloquitur: *Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* (Ioan. 21. 15. — *Petrus cùm Pontifex fit, ſeculari nomine indigitatur à Chriſto.*) Non hîc ad expenſionis libram trutino, aut amoris Petri eminentiam, neque an plenè Saluatoris interrogationi fecerit ſatis, quod alibi copioſè dedi. Sed curioſus inquiſitor interrogo, quare qui à quo tempore primò adſcitus eſt in Apoſtolorum collegium, *Simon Petrus* à Chriſto & Euangeliſtis nominatus eſt, tùm derepentè *Simon Ioannis* (aut *Iona*, quod idem eſt) nuncupetur? Pulchellam hanc queſtionem his verbis excitat P. Maldonatus, ingenij ſagacitate conſpicuus, & ſacrâ eruditione reuerendus. (Mald. inibi.) *Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Rogat* (inquit) *Petrum, Simon Iona. Neque hoc fortaſſe cauſa caret, quod Chriſtus eum non Simonem Petrum, vt Euangeliſta, ſed Simonem Iona vocat, nomine videlicet antiquo. Dixerat enim illi, cùm ad Apoſtolatum vocauit; fore, vt non iam Simon Iona, ſed Petrus, id eſt, petra vocaretur.* Quam ob cauſſam Chriſtus Deus, cum ſummum Eccleſiæ Præſidem conſtituit Petrum, eum non appellat *Simonem Petrum*, quo nomine & ab ipſo Chriſto, & ab Euangeliſtis glorioſè euſque indigitatur; ſed antiquato, abolito, & ſeculari vocabulo, *Simon Iona?* Caſu id excidit ex diuino Chriſti ore? an vt ſublimium nominum aut titulorum in Præſulibus perſtringeret, aut negligeret vanitatem? An potius vt cū ſeculari nomine, ſecularis olim conditionis memoriam ſuggereret opportunam? Quaſi dicat Chriſtus: ſcito te exinceps fore totius gregis Paſtorem, Eccleſiæ toto orbe diffundendæ, ſublimiſſimum Præſulem; ſed prius attentius aduerte ad ſeculare olim nomen, tuæ conditionis memoriale. Ex mercenario piſcandi officio, ſummum orbis principatum obtines; ſi memineris qualis in ſeculo fueris, qualis debeas eſſe in munere Eccleſiaſtico peritè diſces. Non es natus princeps, ſed factus. Non in regali palatio natus, ſed ſagenæ negotio verſatus es. *Simon Petrus* es, & ſuper hanc petram Eccleſiæ fabricam fundo; *Simon Iona* nuper eras, piſcatoriâ arte auarum victum ſolerter perquirens. O bonum Præſulibus documentum!

3. Immorigerum Saulem pertæſus, de nouo eligendo Principe Deus cogitat: mittit Samueleſm in Bethlehem, vt ex filiis Iſai quempiam eligat. Præſto eſt Samuel, & filiorum Iſaï chorus circunſtabat: ignota erat de vnctione diiudicandi ratio, & medius Samuel, quem eligeret dubius hærebat; errabat oculis, & nequibat agnoſcere, cùm maiores natu, & conſpicuos quoſque humanis menſus oculis miratur. (*Quare Deus Dauidem de pera ad purpuram, de virgâ ad ſceptrum aſſumit?*) Quos Propheta inungere feſtinat, diuinior prouidentia ad vnum omnes repudiat. *Dixitque Samuel ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Et ait Samuel ad Iſai: Mitte, & adduc eum.... Miſit ergo, & adduxit eum..... Tulitque Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.* (1. Reg. 16. v. 11.) Eccur Dauidem eligit Deus in ſui populi Principem? Dauidem inquam, in ſe paruulum, adſpectu ad fratres minimum, cenſu patris nullum. Pereleganter Baſilius Seleucus ita fatur. (Baſilius orat. 14.) *Adhùc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Quid eum,* (ait) *qui nec ad gregem paſcendum ſufficit, ad regnum flagitas? Quid inſtituto cognito contentioſius ei tantum coniungere dignitatis allaboras? minor eſt, qui derelictus.* Et paulo antea ſic ſcripſerat: *Oues adhuc ſequentem diadematis coronat: peram purpurâ, virgam ſceptro commutat, ac pro animantium grege Iſraelis turbas paſcere iubet.* Ne putes caſu, in ipſo ſuæ inaugurationis auſpicio in grege ſyluicolam detineri Dauidem, & ruſticanum habitum, & ruralem peram & virgam ad electionem geſtare. Adſint hæc priſtinæ conditionis monimenta, & quaſi vilitatis antiquæ in Dauidis memoriâ deſcripti characteres, qui principandi cohibeant arrogantiam. Cuius etiam recordationem refricat Deus per ora Prophetæ. *Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges, vt eſſes dux ſuper populum meum Iſraël.* (2. Reg. 7. 8.) Et Pſalmo 77. *Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſtfœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hereditatem ſuam.* (Pſal. 77. 70.) Et de Ioſepho dignitate apud Ægyptios ſublimiſſimo, dum in præfecturæ eminebat faſtigio, ait Iacobus, cùm illi auguſtius benedicit: *Inde Paſtor egreſſus eſt lapis Iſraël.* (Hîc v. 24.) Meminerit, quòd nuper fuit opilio, qui nunc ſe videt proregem. Moraliſſimè quidem.

§. CCCLXXXV

§. CCCLXXXV.

Nil mali accidere bono viro poteſt; qui in viuente corpore viuas exequias mortificatione celebrauit.

1. Seneca l. de diuina prouid.

QVARE multa bonis viris aduerſa eueniunt? Nil accidere bono viro mali poteſt. Aduerſarum impetus rerum, viri fortis non vertit animum. Manet in ſtatu, & quidquid euenit; in ſuum colorem trahit. Eſt enim omnibus externis potentior: nec hoc dico, non ſentit illa, ſed vincit, & alioquin quietus, placiduſque contra incurrentia attollitur. Omnia aduerſa exercitationes putat. Quis autem vir modò erectus ad honeſta, non eſt laboris appetens iuſti, & ad officia cum periculo promptus? cui non induſtrio otium pœna eſt? Marcet ſine aduerſario virtus. Tunc apparet quanta ſit, quantum valeat polleatque, cùm quid poſſit, patientia oſtendit. Scias licet, idem viris bonis eſſe faciendum, vt dura ac difficilia non formident, nec de fato querantur. Quidquid accidit, boni conſulant, in bonum vertant. Non quid, ſed quemadmodum feras, intereſt. Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum malâ fortunâ compoſitus. Non video, inquam, quid habeat in terris Deus pulchrius ſi conuertere animum velit; quàm vt ſpectet Catonem iam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus, inter ruinas publicas erectum. His verbis graphicè deſcripſit Seneca illuſtrem boni viri ideam, quam Stoicus ſtupor, mente fingere potuit, opere non valuit efformare, quod diuinæ gratiæ priuilegium eſt. Et vt martyres omittam, vnum producam Baſilium, in quo planè apparet, minus fuiſſe quod Stoica ſchola docuit & finxit, quàm quod iſte geſſit. Nempè

Boni viri magnanima in rebus aduerſis conſtantia.

2. Naz. Orat. pro Baſil.

Ad Modeſtum immodeſtiſſimum, Cæſareæ Præfectum (verba ſunt Nazianzeni) aduerſus Eccleſiam furentem, leoniſque ſpeciem præ ſe ferentem, ac Leonis more rugientem, atque eiuſmodi, vt à multis ne adiri quidem poſſet; vir fortis (Baſilius inquam) adducitur, imò verò ingreditur, perinde ac ſi non ad iudicium, ſed ad feſtum vocaretur... Commotus Præfectus aſperioribus verbis cum eo agere perrexit. Quid? poteſtatem hanc non pertimeſcis? Cur verò pertimeſcam, inquit Baſilius? Quid fiet? quid patiar? *Quid patieris, intulit ille? Bonorum proſcriptionem, exilium, cruciatus, mortem. Tum Baſilius:* (Vide viui martyris, ſpirantis columnæ animoſam conſtantiam, generoſam magnanimitatem, & velut inſenſilem patientiam, vſque ad Stoicorum inuidiam.) *Si quid aliud habes, id nobis minare. Horum enim, quæ adhuc commemoraſti, nihil nos attingit. Quonam modo, inquit ille? Quoniam, inquit Baſilius, bonorum proſcriptioni obnoxius non eſt, qui nihil habet: niſi fortè laceris, & detritis hiſce pannis indiges, ac paucis libellis in quibus omnes mihi facultates & copiæ ſunt. Exilium autem haud agnoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam prouectus fuero, pro meâ duco: imò vt rectius loquar, vniuerſam terram Dei eſſe ſcio, cuius aduena ego ſum & peregrinus. Iam tormenta quid accipere queant, cùm corpus deſit, niſi fortè primam plagam dixeris: huius enim ſolius penes te arbitrium & poteſtas eſt. Mors porrò beneficij mihi loco erit: citius enim me ad Deum transmittet, cui viuo, & muneri meo fungor, maximaque ex parte mortem obij, & ad quam iam pridem propero.* Longiuſculè quidem præter morem, & opinionem meam. Sed non ſuppetebat vbi truncarem verba Baſilio digna, & ad præſens thema in primis opportuna. Ridet Tyrannum Baſilius, & ſpectatores plangunt in macerato Baſilio exequias viuas.

Baſilius adhuc viuens, vita exul, & ad humanas paſſiones velut inſenſilis.

3. Lucæ 11. 7.

Fratri frater ſuccedat, Baſilio Magno Nyſſenus Gregorius. Qui exponens illud Lucæ 11. cùm amico tres noctu petente panes, amicus intempeſtiuam petitionem abnutu refutauit, aiens: *Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi.* Diligenter inueſtigat, qui ſint hi pueri, qui in eodem cubiculo cum tanto patrefamilias cubant, & ita eleganter ſcribit, fortè quod experientiâ in fratre Baſilio didicerat. *Opportunè*, inquit, *eos qui per arma iuſtitiæ impaſſibilitatem vindicauerunt ſibi, pueros appellat, docens quòd bonum, quod per ſtudia in nobis acquiritur, ab initio fuerat in natura repoſitum. Nam quando aliquis abrenuncians carni per rationem exercitio vitæ virtuoſæ, paſſionem confutauit, tunc quaſi puer inſenſibiliter ſe habet erga paſſiones.* Scilicet qui totus de Apoſtolo armatus, exercitio virtuoſæ vitæ paſſiones animosè expugnauit, quandam impaſſibilitatem ſibi vendicat; & quaſi puer malitiâ vacuus, inſenſibiliter ſe habet erga humanas paſſiones. Adeò vt cælicæ impaſſibilitatis candidatus, impaſſionabilis videatur, vt puer; inuulnerabilis, vt Baſilius; inſenſilis, vt cadauer, licet viuum. Cadauer inquam, ad patientiam, viuum ad meritum: quippe qui in adhuc viuente corpore viuas exequias mortificatione celebrauit, ad Stoici ſtuporis inuidiam, & paradiſeæ felicitatis æmulationem. Annon quaſi *lapis* patitur Ioſephus? Hic, v. 24.

Aliquine beneficio rationis & mortificationi, impaſſibilitatẽ vindicant ſibi?

Nyſſen. in Catena ibi.

4. Annon Abrahamus ille, virtutis idea, & patientiæ ſimulacrum, quandam velut impaſſibilitatem ſibi vendicauit, quâ ſenex ætate, innocentiâ puer, quaſi inſenſibiliter ſe habuit erga paſſiones? *Tolle* (ait illi Deus) *filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Tentat Deus Abrahamum tolerantiæ metam, vt nitidiori opere oſtentato ſpectantem rapiat in admirationem: nauiculam ventis agitat, quò gubernatoris artem magis admireris: fluctuum ciet impetum, vt obſtupeſcas quàm nullâ tentatione moueatur: machinas admouet, arcis fortitudinem oſtentans: naturæ fluctus in iuſtum ſuſtollit, vt ſaxeam pectoris duritiem admireris. Sed quare duram præceptionem verbis non mitigat ad obſequium,

Geneſ. 22. 2.

Inconcuſſa Abrahami conſtãtia nec vultum commutat, dum religioſus carnifex inauguratur.

quium, ſed ad difficultatem ſumptuoſius exaggerat? (Seleu. orat. 7.) Eleganter Baſilius: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac. Arma naturæ exacuit, omniaque amoris ingentis tela exhaurit. Nec enim ſimpliciter dixit: Redde, quem dedi, aut: Macta, quem accepiſti, ſed: Vnigenitum filium tuum, quem diligis. Ferit animum amoris commemoratione, multiplicat appellationes, quibus flammam acrius accendat, omnes effundit in eum naturæ vires.* Arma naturæ exacuit Deus, vt doloris ſenſum in Abrahamo exprimat? Annon in præſentiarum cum altero conſtantiæ & magnanimitatis compari, (Iob 6. 12.) dicere potuit: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt?* Sed vide mihi quem ediderit doloris ſenſum in tam arduo facinore. (S. Zeno ſer. 1. & 3. de Abrah.) *Religioſus carnifex* (inquit Zeno Veron.) *ſtringit gladium; Patris erat quòd pepercit.... Ad filio ad agnum tranſtulit dexteram, ſemper lætus & gaudens. Nec mutatus eſt vultus eius, cùm eſſet victima commutata. In illo ſacrificio ſolus Deus doluit, qui aliam victimam procurauit.* Quid luculentius? Omitto hæc inexpenſa; nam hodie politulus quiſque ad Abrahami ſacrificium, quaſi rem inculcatiſſimam, delicatulè nauſeat. Nimirum alia quærantur Biblia, quæ flore nouitatis vernent ad lectoris gratiam.

---

§ CCCLXXXVI.

Dum ſuperior cibat ſubditos, eorum obſequium alit.

1 (Ariſt. 3. Rhetor.) REFERT Ariſtoteles, *Principem & aram idem eſſe: pariter enim ad vtrumque confugiunt, qui iniuriâ afficiuntur.* Adde & debere eſſe ſubditorum ærarium, & panarium. Sic debet eſſe ſollicitus de annonâ ſubiectis populis prouidendâ, vt terreno Principi, citius quàm cæli beneficio abundantia adſcribenda ſit, quod ait his verbis Tertullianus: (Tertul. l. de Pallio c. 1. Cerda ibi. *Annona à Rectoris prouidentiâ, potiùs quàm à cæli clementiâ eſt.*) *Principes ſemper Africæ, viri Carthaginenſes, vetuſtate nobiles, nouitate felices, gaudeo vos tam proſperos temporum.... Hæc annona & otia ab imperio & à cælo.* Quæ verba hac erudita paraphraſi illuſtrat noſter Cerda: *Hæc annona ab imperio Auguſtorum: Hæc otia à cælo: Vt dicat annonam prouenire ab Imperatorum beneuolentiâ, otia à cæli clementiâ.* Annon apud Iſaiam, prudentiſſimus ille vir, cui vltrò offertur principatus, conſultiſſimè (Iſaiæ 3. 7. Gloſſa ibi.) illum refutauit, reſpondens: *In domo meâ non eſt panis:* (*qui ſufficiat mihi & vobis*, ait Gloſſa interl.) *Nolite me conſtituere Principem populi?* Sic præſtando pani populis creditur Princeps vectigalis? Nec tam putauit ſubditorum meſſem ſibi fore tributariam, quàm ſubditis ſuam, dum annonæ penuriâ laborant.

2. (*Prima rectoris Dei ad Adamū edictio, alimenta dat.*) Age igitur, & Adami hiſtoriâ mentem occupemus: ea enim erit opportuna Superiorum eruditio, quandoquidem illi ad paradiſum tranſlato cum licentiori voluptabilium rerum vſu, vnam duntaxat Deus ſcripſit legem, quò ſibi hominis dominium palam vindicaret. Sed non erit otioſa quæſtio, vtrùm Deus dum alimenta præbuit, an dum legem ſanxit, ſe priùs & explicatius Superiorem oſtenderit. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum: Præcepitque ei dicens: (Geneſ. 2. v. 16. & 17. Seleu. orat. 3.) *Ex omni ligno paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Ad quæ verba ita fatur Baſilius Seleucus: *Prima Regis edictio alimenta dat, & ieiunij legem ponit. Accipe poteſtatem in omnia, vno ſolo abſtine: in omnia manus extendatur, & ad vnum contrahatur.* Scilicet quò principatum & dominium in homines ſibi aſſerat Deus, non priùs legem ſcribit, quàm ſubditis alimenta porrigat: *Prima Regis edictio alimenta dat.* Quaſi primariæ Superioris partes, & quæ primò & maximè illum eſſe Principem euulgant & probant, ſit alimenta ſubditis miniſtrare. Fruſtra fortaſſis leges ſcriberentur ieiunis ſubditis, alantur ad ſuſtentationem, vt audiant præceptionem. Ieiunus ſubiectorum venter, & fame latrans, Superiorem arrodit, & leges morſicat. Exinde Deus ante largam annonam præcepta non ſancit, ſed *prima Regis edictio alimenta dat.* Et quidem ſub lati præcepti ſpecie cibos præbet, aiens: *Ex omni ligno paradiſi comede*, non quia ſub præcepto ſumenda alimenta donet, quod nonnullos fefellit; ſed quia tunc vel maximè Superioris negotium procurabat, alimenta ſubditis exhibens, quo ad obedientiam allectet, quaſi obſequium ſit cibationis appendix, & alimentorum redditus.

3. (Hic verſ. 24.) Hic verſ. 24. ſuo Ioſepho benedicens Iacob, ſic & feliciſſimè & obſcuriſſimè regnum illi prophetat, in poſteris diu poſſidendum à regiâ Ephraimi ſobole: Sedit, inquit, in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob: *Inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael.* Alij ex Hebræa origine peritè vertunt: *Deinde Rector petræ Iſrael.* (*Qui ſubditos cibat, veluti ſaxa regit.*) Alij ſignificantiùs: *Inde paſcens lapidem Iſraël.* Rector petrarum ſeu lapidum dicitur Ioſeph? Quo modo, quave arte petras inſenſiles, ſeu præduros & pergraues reget ſilices? ô graue ſaxorum regimen! Scilicet *Rector petrarum* etiam dicitur, qui *paſcens lapides* prædicatur. Sic erogata paſtione & alimoniâ, graues & immorigeræ petræ regi poſſunt? Neceſſariorum ad victum ſuppeditatio, arcanum gubernandi artificium eſt. Sed quo idoneo cibo lapides & ſaxa paſcentur? Idoneus Rector vel ſaxis ſubiectis (ſi vel ſaxa ſibi ſubiecta eſſe cupit) ſagaci induſtriâ quæret idoneum paſtum, quò ea ad nutum gubernare valeat. Fames, inobedientiæ fomes eſt. Vel ſaxea durities pareret, ſi congruus illi erogaretur cibus. Ecquis ieiuno imperet, fame imperium detrectante? Rupicones, & ſaxeos homines idonea cibatio emollit, & ad nutum imperio flectit. *Inde egreſſus eſt Rector petræ Iſrael*, id eſt, *paſcens lapidem Iſraël.* Quid exaggeratius?

(*Obedire cibari eſt.*) Ioſephi rectoratum, alimentorum artificio felicem, adſtruit Pharaonis edictio, quando propter perſpicuam ſomniorum interpretationem, illum totius Ægypti Proregem conſtituit. Dixit ergo Pharao ad Ioſeph: Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid ſapientiorem & conſimilem tui inuenire pote-

rit

to? *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Pro τὸ *obediet*, alij exſcribunt, *armabitur*, quod alibi aduerſus inobſequentes iactauimus. Alij tempeſtiuè ad præſens thema, *Cibabitur*. Idemne eſt: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, ac, *Ad tui oris imperium cunctus populus cibabitur?* ô noua ſynonima, *cibari*, & *obedire*! Subditorum obedientia cibis alenda eſt? Puto, non tam cibus alit ſubditorum corpora, quàm debita Superioribus obſequia. Non benè obedit malè pranſus, & peius cœnatus. Victus neceſſarius eſt obſequij ſtipendium. Porrò ſubditus famelicus & ieiunus, ſuperioris iugum excutit, & ieiunio in illum *armatur*. Conſultiſſimè ergo dictum eſt: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, id eſt: *cibabitur*, alioquin refractarius *armabitur*.

4. In Iordanis alueo tingit Christum Ioannes. Et ecce auditur vox de cælo dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. *Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Friuola videtur hæc tentatio, nec digna, quam tam expromptо tenoro refutet Christus, & refutationem Scripturis confirmet. Quid enim referret, vt coram Dæmone, qui vocem Patris in Iordane audierat: *Hic eſt filius meus dilectus*, miraculum faceret? & qui exinceps toto triennio tot prodigia patraturus erat, ad orbis vſque ſtuporem, aliquod in deſerto miraculum ederet? Niſi forte deſertum idoneus miraculorum locus eſt: & Christus Deus non niſi hominum frequentes concurſus, & turbarum plauſus captaret. Nugæ. Cur ergo oblatos lapides non conuertit in panes? quos innoxiè poſſet conuertere, & conuerſos, pro nutu aut ſumere, aut repudiare. Sicne deſipit Dæmonum aſtutiſſimus, cùm Christum Deum ciborum ſuggeſtione adoritur, vt tentet? *Diabole, feſellit te promiſſio tua. Poteſt famem vertere in ſatiritatem, qui poteſt in panem lapides mutare*, ait Chryſologus, & pergens ſubdit: *Dic vt lapides iſti panes fiant. Diabole, & prodidiſti te, & tuum Dominum non pauiſti.* Nonne tuam ſuperbiam palam prodidiſti, dum tu ſeruus nequam, *tuum Dominum paſcere*, & cibare præſumis, quo te quaſi Dominum ſuum veneretur, & ad nutum pareat. Annon cibatio, futuri obſequij præſumptio eſt? Ioſepho enim dictum eſt: *Ad tui oris imperium cunctus populus cibabitur*, id eſt *obediet*, quaſi obedientia, ſit cibationis ſequela; aut cibatio, obedientiæ nota. Dum tuum Dominum paſcere ſatagis, & te alimenti præbitorem exhibes, Domini characterem diſſimulanter exambis. Speciem offers alimenti, ſed tuæ dominationis inſigne Christo inurere exoptas. Parum referret miraculum facere immutationis, ſed multum intereſt, nullum in ſe præbere tuæ ſignum dominationis. Eſto, Rector ſis tenebrarum harum; ſed quid luci cum tenebris? quæ conuentio Christi & Belial? *Diabole, prodidiſti te, & tuum Dominum non pauiſti*, nec paſtione quandam ſeruitutis notam inuſſiſti.

Matth. 4. 3.
Cibatio quadam ſeruitutis notam inurit.

S. Chryſol. ſerm. 11.

ſ. CCCLXXXVII.

Regium Principum elogium eſt, vel menſæ reliquias non negligere.

1. BONI Principis laudatiſſima vox eſt: Ego terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam omnium. Omnes mihi vectigales naſcuntur, & ego omnibus, nobili diadematis cenſu ingenuè ſtipendiarius. Ego ſic viuam quaſi ſciam aliis me natum, & naturæ rerum hoc nomine gratias agam. Vnum me donaui omnibus, vni mihi omnes. Quidquid habeo, nec ſordidè cuſtodiam, nec prodigè ſpargam. Auaritia purpuras ſordidat, prodigalitas indecorè depauperat; & inde ob immenſos coronæ ſumptus, ad populorum prædam concitat, quò regiam prodigalitatem ſubditorum inopia redimat. Vt pauci immodicè illuſtrentur, regnum euertitur, & communi paupertate pauculi ditantur. Quin & inter exactorum manus Regis atque regni ſubſtantia adhæret, irremediabili iacturâ. Ærarij impenſior cura, ſordida non eſt, nec Principem dedecet: imò eximiè condecet, vt ipſe per ſe hanc principalem curam minimè negligat. Sæpè enim bonorum etiam Regum miniſtri, non ipſum, ſed prædam ſpectant. Et niſi ſollertius attendat, officialium ſubtilis rapacitas cuncta ſenſim arrodet. Nil videatur tam exiguum & minutum in re ſumptuum, quod notitiam & prouidentiam Principum ſubterfugiat: hæc enim attentior cura, meritum ſceptrorum eſt. Ioannis 6. quinque hominum millia largius cibat Christus in eremo. *Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.... Ieſus ergo cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Qui largè de neceſſariis prouidet, & velut parcè de ſuperfluis curat, ne fruſtrà pereant, communi ſuffragio dignus regno confeſtim acclamatur. Obuium hoc, nec tam dicendum erat, quam non tacendum. Pergo ad alia, penitiori Bibliorum indagine eruenda.

Regum elogium eſt vel de menſa reliquijs curare.

Ioan 6. v. 12. & 15.

2. Exodi 8. vna & altera plaga non benè eruditus Pharao, adhuc pertinax Dei imperio, ranarum infeſtatione Ægyptus vexatur. Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi: Sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. *Et ebullet fluuius ranas: quæ aſcendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lecti tui, & ſuper ſtratum tuum, & in domos ſeruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum.* Moraliſſimâ admirabilitate non carent hæc vltima diuinæ comminationis verba, ad Principum eruditionem opportuna. Non enim addidit, loquens cum Rege: Et aſcendent ranæ in menſam tuam; ſed, in *reliquias ciborum tuorum*. Id eſt, vt inibi aduertit Lipomanus: *Ranis omnia complebuntur, etiam intima conſeruacula reliquiarum.*

Exod. 8. 3.
Regis curam non effugiant ciborum reliquiæ.

Lipom. ibi in Catena.

Sic

Sic magno, prædiuiti, potentiſſimo Regi, curæ eſſe debent, quæ de menſâ ſuperſunt ciborum reliquiæ? quid referret, vt tanæ ciborum reliquias conſpurcarent, ac perderent? Inter Dei minas, & Ægyptij Regis plagas cenſetur iſtiuſmodi reliquiarum iactura? Sic vel magnus Princeps attendere debet eſculentorum & poculentorum palatij impenſas? In potentiſſimi Regis œconomia, non modò non negliguntur, ſed magna curâ obſeruantur *intima reliquiarum conſeruacula?* Sic aulicorum ſumptuoſiores menſæ, etiam ex regiæ menſæ reliquiis, Regis cenſum ſenſim abſumunt, arrodunt, & depauperant? *Ninguu gaſto de cada dia ſe a de tener por pequeno.* Regem non dedecet hæc, quæ videntur minutula, impenſius procurare: quod ſuo exemplo docuit ſummus regum Rex Chriſtus Deus, cui abundè ſuppetebant perennes omnipotentiæ gazæ: *Colligite, aiens, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.* Hæc minutiſſima Regum cura populorum depauperationem præproperè redimit. De quotidianis regiæ menſæ reliquiis per plures annos collectis, acies extruatur, non de loculis egenorum. Superflua negligere, non facit ad munificentiam, ſed ad vecordiam, & ingloriam prodigalitatem.

3. Geneſeos 40 in carcere vinctus Ioſephus tenebatur, & arcana inibi ſomnia vident aulicorum principes, quæ perſpicuè Ioſephus ediſſerit: nec ad interpretationis veritatem longiores triduo moras expoſcit. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuium pueris ſuis, recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum, & piſtorum principis.* Quid Regis excitauit memoriam, vt in ſplendido epulo, quo ſuum natalitium celebrat, aulicorum recordatio repentè ſubeat? Fortè magno Regi deerant, qui miniſtrarent in menſâ, nec certatim regni proceres excelſa palatij munera ambibant. Caietanus ita hunc locum & eruditè vertit, & acutè exponit: *Recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum, & piſtorum principis. Iuxta Hebræum habetur: Et leuauit ſupputationem principis pincernarium, & piſtorum principis in medio ſeruorum ſuorum.* Scilicet in die natalitio Pharaonis coram recenſita inſinuatur illius numeroſa familia, vt appareat, an plures ſuperfluant famuli, qui regi miniſtrant, & regium cenſum ſumptuoſius abſumunt. An Rex Ægypti in die natalitio *leuauit ſupputationem*, hoc eſt, ſupputatoriós calculos ſubduxit, vel rationem dati & accepti ſupputauit, cui ſupputationi dies natalitius Regis deſtinatur? Opportunè die natalitio ipſi per ſe Reges, rationes accepti & expenſi ſupputant, quò publicetur, ad id etiam natos vt rem nummariam per ſe procurent: ne ærarij depauperatione cogantur ſubiectos populos nouis veſtigalibus diuexare. Regum barbarorum diſciplina, ſit cultioris politiæ magiſterium. Non deuenuſtat Regum faſtigium, quod Reges condecet, quod purpura expoſcit, quod regno neceſſe eſt. Niſi fortè ſibi ſuperflua negligendo, & neceſſaria ſubditis vſurpando, regia dignitas honeſtetur. O honeſtatem nimis inhoneſtam! Quicquid habet Rex, nec ſordidè cuſtodiat, nec ſuperfluè ſpargat, & ſat opulentus erit.

Ioſephus regalium opum adminiſtrator egregius, ad diuidendam populis annonam copioſè ſollicitus Paſtor eſt: ad ſuperflua, ſterilis petra, & infœcundus lapis *Inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael.*

Geneſ 40. v. 20. *Pharao in ſuo natalitio ſupputationem leuauit cum ſeruis ſuis.*

Caiet. ibid.

Ibid. v. 24.

---

§. CCCLXXXVIII.

Sæpè cæleſtis ſpōſus ſpecie repulſæ, acriùs ſuæ ſponſæ ſauciat amorem.

1. NOn tam Senecæ, quàm Dei vox eſt: *Vtar libertate tota, non amo illum, niſi offendo.* Nonne Deus ipſe dicit: *Ego quos amo, arguo, & caſtigo?* ô amoris notas ænigmati ſimillimas! Amor multa diſſimulat, & quaſi inuiſa prætérit, in multis continet, in nullo offendit. (Annon offenſa character inimici eſt?) Amor totus blandus, totus tener eſt & vel delicatulis dilecti iniuriolis acerbè feritur. Et vbi eſt illud: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei?* Fortè grauatè fert quod alij excrucient, quem ipſe non amat, niſi offendat? Sicne delicietur bonus Deus in amicorum ærumnis? Ecquis tam grauem & durum ſuſtineat amatorem? Imò blandum & ſuauem, in ipſâ acerbitatum duritie. Profectò inter reliqua ſuæ bonitatis illuſtria documenta illud miriſſimum eſt, quod non tantùm ſuauitatis illecebris, & æternaturæ beatitatis cupidine, homines ad ſe trahat, ſed quòd ærumnis & calamitatibus alliciat: Planè deuenuſtat amoris artificium, qui per ſolam gratiam vult placere. Qui aſperitatibus mulcet, & perfectam in ſe arguit bonitatem, & beneuolentiæ artem cumulatius implenit.

2. Canticorum 5. Ieroſolymitana princeps puella, vt Gratiarum manibus formata, ſic Principis Salomonis tenero amore digniſſima, ad ſponſæ vocabulum tandem aſcita eſt: Sponſus verò pulcher venuſtæ ſponſæ amaſius, tametſi aliàs non leuis, ſuæ beneuolentiæ notis amorem ſpirantibus, ſponſæ ſauciauit amorem; tamen ſic illam affatur: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, inebriamini chariſſimi.* Hæc ad hortenſe conuiuium inuitatio, ſpecie tenus amoris ſigna oſtendit, dum ſponſus topiarias delicias & epulas cum ſponſâ communes eſſe amat; ſed ſi penitus ſpectetur, languidum ſponſi probant amorem. Et ſanè quid opus fuit, vt ſponſus toties adderet *meum*, quoties ad aliquid inuitat? Ad *hortum*, inquit, *meum, myrrham meam, cum aromatibus meis, cum melle meo, vinum meum cum lacte meo.* Nonne, etſi hæc propria ſponſi forent, amantius, imò vrbanius dixiſſet, *tuum*; nempe ad *hortum tuum, fauum tuum cum melle tuo*, &c. Quod acumen Theodoretum non fugit, dum pro *melle meo* exſcripſit, *melle tuo*, quò ſponſus innueret, nil tam ſuum eſſe, quod propriùs non foret ſponſæ poſſeſſio: amor enim auarus non eſt, ſed vel proprium cenſum reciprocat in amatum. Quod vel ipſa ſponſa nuper edocuerat, cum ad proprium ipſius ſponſæ hortum

inuita et

Seneca epiſt. 25.

Apocal. 3. v. 19.

Non amat Deus hominem niſi illū offendat.

Zachar. 2.8.

Cant. 5. 1.

Sponſus dum ad reiectaneas dapes illam inuitat blādius allicit.

Theod. ibid.

inuitaret ſponſum, ſic aiens, verbis proximius Cant. 5. 1. præcedentibus: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum; & comedat fructus pomorum ſuorum.* Et quod mirè.e magis, poſtquam ſponſus iam benè pranſus & ſatur erat de optimis horti ſui fructibus, vel cum alijs epulatus fuerat, tunc ſponſam inuitat: *Veni*, inquit, *in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo; bibi vinum cum lacte meo.* Num ad reſidua inuitat ſponſam? reiectaneis fructibus, & quæ primario epulo, alijs adornato, ſuperfuerunt; inſtruit ſponſæ conuiuium? Hæc potiùs ſponſam à ſe alienare, quàm allicere poſſunt. *Mas parecen deſuios, que fauores.* Verùm enimuerò parum foret diuino ſponſo amoris lenocinijs ad ſe ſponſam trahere, etiam offenſis allicit, & amoris velut iniuriâ, tenerè blanditur amori. Quod Gilib. ſer. 40 in Cant. pulchrè notauit Gilibertus his verbis: *Quò quod maior illis innaſcatur auiditas, de ſuo prius blanditur, & proponit conuiuio: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* O nouam beneuolentiæ artem! Diuinus ſponſus dum delicatis ſponſæ blanditur amoribus, non voluptuoſis rebus, ſed acerbis; non blanditijs, ſed offenſis illam charius ſauciat. Adtrahere offenſis, repulſâ allicere, aſperitatibus mulcere, diuinæ bonitatis elogium eſt, & prærogatiua ſingularis.

3\. Matth. 25. 1. Matthæi 25. hanc parabolam auditoribus ſuis Chriſtus proponit: *Tunc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ.* Omnibus in confeſſo eſt, parabolæ corticem è rebus; etſi non veris, ſaltem veroſimilibus, mutuandum eſſe, vt analogia cum re ſignificata viuacius appareat. Et quidem Apud Maldonat. ibi. *Sponſa ...lus ſponſa ...precio ſponſam ...alliciat.* arduum eſt, rerum veriſimilitudinem in hac parabolâ comprobare. Porrò vt quidam acutè arguunt, fieri non ſolet, quòd ſponſa obuiam procedat ſponſo: imò ſponſus ſponſæ amatius, ſumptuosâ amicorum & affinium pompâ comitatus, ſponſæ limina adire ſolitat. Nonne inſolens eſt, vt ſponſa ſponſum perquirat, & illi obuiam vltronea occurrat? Languet ſponſi amor, qui hoc ſponſæ lenocinium requirit. Stupida eſt ſponſa, quæ haſce ſui amoris offenſas inoffenſa ſuſtinet. Quod inter humanos ſponſos fieri non videmus, aduocandum erit ad Chriſtum, qui eſt diuinus animarum ſponſus? Sed eſto, hoc amoris in ſponſo diſpendium, æquè ferant piæ fidelium animæ, quæ Chriſti Dei ſponſæ nominantur; quid eſt quòd additur, quòd hæ virgines cum Chriſto deſponſandæ, *Exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ!* Parumne viſum fuit, quòd pulchræ hæ virgines vltrò occurrerent ſponſo; niſi etiam exire obuiam ſponſo & ſponſæ dicerentur? Adſtet ſponſus amicorum, & ſeruorum ſtipatus obſequio; at cum ſponſa comitatus, his virginibus importunè ad nuptias præſentatur. Sui amoris niues requiſitus oſtendit, & ſponſæ comitatu harum virginum zelotypiam accendit. O infauſtum nuptiarum præſagium! Ecqua harum virginum erit; quæ non nauſeet ad nuptias? quam ſponſi non tædeat? Hoc ſpectaculum odium Virginum procurat, non beneuolentiam negotiatur: propterea fortè Baſilius, Theophylactus, & Euthymius apud Maldonatum ibi, vocem *ſponſæ* omiſerunt. Sed, *Non mireris*, (ait Chryſoſtomus) *quia dixit ire obuiam ſponſo & ſponſæ, cùm Eccleſia inter nos habeatur ſponſa. Sicut enim Chriſtus cum ſit inter nos, tamen venturus dicitur, cùm apparuerit in gloriâ: ſic & Eccleſia, quamuis ſit inter nos, tamen ventura dicitur, cum apparuerit in gloriâ ſuâ.* Chryſ. hom. 52. in Matth. Acutè quidem Chryſoſtomus. Sed poſt tantum acumen vix plenè ſatisfit; niſi ad ingenium cæleſtis ſponſi recurratur; qui repulſâ attrahit, offenſis blanditur, duris mulcet, & peracerbis blandè lenocinatur ad amoris gratiam. Nam, vt arguitè Ennodius aliàs laudatus: *Denenuſtas Inſtitutoris genium, qui per ſolam gratiam vult placere.* In c. 1. Iudith § 6. Hinc cæleſtis ſponſus velut ſuæ ſponſæ repudio ſuam ſponſam blandius allectat. *Sabe Dios grangear voluntades con deſuios.*

Et Ioſephus, prædurus *lapis*, & velut inſenſile ſaxum dicitur, cùm properantius ad Hic v. 24. Deum pergit, & maiori beneuolentiâ illi adhæreſcit.

---

§ CCCLXXXIX.

Mirumne eſt, Iacobum tantiſper in aulâ commoratum, patriæ cæleſtis non fuiſſe oblitum?

PALATINORVN mores in pleriſque Principum aulis, vt vitiorum ſuffragium ſunt, ſic & virtutis, aut periculum, aut iactura. Intuere propius: caſtitatem impudicitia deiectam non vllo loco videbis; *fidem à perfidia excluſam*; miſericordiam à ſæuitia pulſam; modeſtiam à petulantia calcatam; pudorem ab inuerecundia ſuperatum; temperantiam ab intemperantiâ proſtratam: vt fidem ſeruaſſe ſimplicis ſit eſſe ingenij; miſericordiam & modeſtiam, nimiam religionem ſapere; verecundiam & temperantiam femineæ frontis & oris eſſe, nec virum ſuum redolere. Datam fidem fallere, ſocium circumuenire, alienam pecuniam malis artibus parare, ſuam prodigere, falſis ſociorum delationibus ad maiora conſcendere, aliorum euerſionibus ſua ſtabilire, ſacra in profanorum ſubſidia euocare, eadem demum laus eſt. Pleræque Principum aulæ has animi peſtes inhalant. O fuge ſerpens latè contagium, quiſquis æternam ſalutem amas! 1.

Politico-Chriſt. l. 1. c. 11. *Aulicorum cognata vitia.*

Geneſis 47. famis malo è Chananitide pulſus, & Ioſephi blandicijs illectus, in Ægyptum Iacobus migrat. Peramanter exceptum à filio, Ægypti Præfecto, Pharaoni in primis charo, introduxit Ioſeph patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo: qui benedicens illi, & interrogatus ab eo: Quot ſunt dies annorū vitæ tuæ? *Reſpondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali, &* Geneſ. 47. 9. *non peruenerunt vſque ad dies patrum meorum,* 2.

Admiratione dignum est quod Iacob in Regis aulâ, cœlestis patriæ oblitus non sit? *quibus peregrinati ſunt.* τὸ *peregrinationis.* & *peregrinati ſunt*, non debent ita ſtrictè accipi, vt tantùm denotent exilium à natali ſolo. Sic Abrahamus a Chaldæâ extorris in Palæſtinâ peregrinatus eſt, & ipſe Iacob in Ægypto peregrinatur, Palæſtinam deſerens: ſed magno interpretum conſenſu, ſe in hâc mortali vitâ peregrinari dicitur à cœleſti patria; quem loquendi modum exinceps homines Deo aſſlati vſurpauerunt. Quæ ſuper re ſic ad rem præſentem philoſophatur Rupertus: *Benè ergo Apoſtolus in laudem ſidei patrum iſtorum, inter cætera dicit: Et confitentes quod hoſpites & peregrini ſunt ſuper terram. Eorum confeſſio nuſquam clarior aut certior inuenitur, quàm hoc loco, vbi peregrinus Iacob in aulâ Regis, non oblitus patriæ cœleſtis, vltrò ſe peregrinum confitetur.* Quid illuſtrius? Scilicet tametſi in veterum Patriarcharum ore ſemper increbuit ea vox: Peregrinus & aduena ſum in hoc mundo, cœleſtem patriam inquirens; at nullibi Scripturarum *clarior aut certior inuenitur, quàm in hoc loco, vbi peregrinus Iacob in aulâ Regis, non oblitus patriæ cœleſtis, vltrò ſe peregrinum confitetur.* Sic eſt magnum & illuſtre, quod vel Iacobus veteranus virtutis athleta, patientiæ ſimulacrum, religionis idea, ſanctitatis meta, Dei familiaritate notiſſimus; ſanctiſſimus inquam, Iacob in *aulâ Regis*, in quâ tantillum commoratus eſt, non ſit *oblitus patriæ cœleſtis?* Tantùmne faciendum eſt, quod ob breuem illam in Regis aula commorationem, è memoriâ elapſum non ſit, ſed adhuc memoriæ hæſerit, ſe in hoc mundo, non quaſi in patriâ, ſed velut in exilio, non peregrinationis loco verſari? Admirabilitatis res erit, quod ibi ſe moriturum agnouit, & vltrò ſe morti obnoxium confeſſus eſt? Sic aulici Pharaonis, leges naturæ deſueſcunt? Heu aulicorum mores!

3. 1 Reg. 22. v. 9. & 10. 1. Reg. 22. fugitans Dauid immeritas Saülis iras, venit ad Achimelech ſacerdotem in Nobe, à quo vt paſtus, & Goliathi gladio donatus, cœptam capeſſit fugam. Aderat Doeg Idumæus, è Regis aulicis non poſtremus, qui rem totam Saüli detulit: *Reſpondens autem Doeg Idumæus, qui aſſiſtebat, & erat primus inter ſeruos Saül: vidi, inquit, filium Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achitob ſacerdotem. Qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi.* Quo audito ſic Rex ferocit, vt Achimelech ſacerdotem cum totâ familiâ crudeliſſimè trucidarit. Hicne ille Doeg Idumæus, qui nuper tanti Dauidem faciebat, vt eum Saüli aſſiſtere, & è vita paſtoritia inter aulicos conferri, magnificis verbis ſolerter procurauit? *Doeg ſatagit ex Dauidis odium è paſcuis in aulâ inducere, ne Dominus ſit cum eo?* Porrò tradunt Hebræi quod cum quæreretur pſaltes Saüli, hæc Doeg Idumæus Regi palam ſuggeſſit: *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem* 1 Reg. 16. v. 18. *ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulcrum, & Dominus eſt cum eo.* Confeſtim Saül per nuntios de paſcuis tulit eum in palatium: *Et venit Dauid ad Saül, & ſtetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger.* Ecce tam citò vela vertit palatinus Doeg? Quem nuper introduxit in aulam, nunc indecoris delationibus ad necem perſequitur? In promptu eſſet ratio, ſpectato aulicorum ingenio, quod in felicem inclinat parietem, & cum Principis gratia aut ingratia quoquouerſus flectitur. Sed altius rem meditatur Lyranus, dum nouam cauſam refert, ob quam Doeg Idumæus ita magnificè Dauidem laudauerit, cùm illi infenſus perpetuò foret. Lyran. ibi. *Dicunt Hebræi*, inquit, *quòd iſte fuit Doeg, qui erat principalis inter famulos Saül; & dixit hoc ex odio*, (nempe cum Dauidem laudauit) *quia iam Dauid oderat, & ſic quærebat, vt ſtaret in præſentia Saülis*, &c. O nouum odij genus! Syluicola Dauid vitam agit paſtoritiam & ruſticanam; in pecudibus alendis totus, & tunc aſtutus Doeg, vt pernicioſius exoſo Dauidi inſidietur, ſedulò procurat, vt in aulâ Regi adſit, vt inter primos palatinos numeretur, vt Saülis ineat gratiam? Prudentem, robuſtum, bellicoſum, & Deo gratum videt, & hæc Dauidis elogia coram Rege prædicat, vt in aulam inducat, & ita eundem prudentiâ, robore, & Dei fauore exarmet? Quæ fortunæ blandimenta putatis, meræ & veræ inſidiæ ſunt. O viſcata Regum munera! ô periculoſam gratiam! ô aulicos fortunæ pilas! Videt Doeg quòd *Dominus eſt cum eo*, & eundem ſatagit in aulam inducere, hoſtilitate percitus. Sicut enim quaſi res mirifſima de Iacobo prædicatur, quod tantiſper in aulâ commoratus, non eſt *oblitus patriæ cœleſtis*; ſic in aulâ Dauidem à Deo deſerendum Doeg Idumæus putauit. Hæc de aulicis Pharaonis & Saülis dicuntur, ſcio enim aliquorum (heu paucorum!) Principum aulicos virtuti velificari, & pacatè prætendere læuos palatij vortices. (Hæc Lyræ verba auorſum verſari licebit ſequenti §.)

Vnde hîc Iacobus Deum ſpeciatim ſui Ioſephi auxiliatorem precatur, & prædicit, quem tâdiu viuere in aulâ videt, & vſque ad vitæ finem victurum præuidet. Hic v. 25

---

§ CCCXC.

Aulæ felicitas, quam communis ambitio ſuſpirat, inimicorum vota ſunt.

1. Sidon. in epiſt. ad Hecdic. PRVDENTER Sidonius Hecdicio viro magno, ita ſcribit: *Si quid noſtrarum precationibus acquieſcis, aciùntum in patriam receptui canere feſtina, & aſſiduitatem tuam periculoſa Regum familiaritati celer exime: quorum conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque flammarum naturæ benè comparat, quæ ſicut paululum à ſe remota illuminant, ita ſatis admota ſibi comburunt.* Metum itaque qui regibus propiùs adſunt, nunquam deponant. *Familiares aulici nunquam metum deponunt.* Securè vixit, qui timuit: ſecuritatis enim magiſter timor eſt; periculorum, nimia fiducia ſui: nam vt rariſſimus in plano, frequens per præcipitia lapſus: ita timidè per abrupta gradienti, ſecuritas adiacet, temerè procurrentibus pericula. Multa in hanc ſententiam denſâ eruditè manu Polıtico Chriſtianus congerit & ſpiſſit. Tu verò memineris illud Scripturæ: *Rex Aſſuerus exaltauit Aman filium Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag;* Eſther 3. &

& poſuit ſolium eius ſuper omnes principes quos habebat: cunctique ſerui Regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: nec multò poſt, ſuſpenſus eſt Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo, & decem filij Aman ſuſpenſi ſunt. O Regum aulas, ſphæriſteria potiùs dixeris! ô quot in illis regiæ pilæ! Scribam duntaxat bina exempla ad rei expertiſſimæ eruditionem.

Eſter. 7 & 9.

2. Geneſ. 40. v. 1. & 2. & 3.

Geneſeos 40. *Accidit vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & piſtor, Domino ſuo. Iratuſque contra eos Pharao, (nam alter pincernis præerat, alter piſtoribus) miſit eos in carcerem principis militum.* Vt nemo eſt qui ambigat, hoſce pincernarum & piſtorum Principes præcelſa dignitate in aula Regis ſublimes fuiſſe; ita nullus diuinando aſſecutus eſt, quodnam fuerit hoc horum Principum peccatum. *Superuacaneum autem fuerit* (ait ibi Lipomanus) *cum Iudæis diuinare genera peccatorum, quibus pincernarum Præfectus & regius piſtor iram Regis incenderant; muſca ſcilicet in potu, & lapillus in pane repertus.* Digna ſanè reſponſio ad illos; qui ſuperſtitioſius requirunt quæ Spiritus ſanctus inutiliter ſciri omiſit, quaſi non facilè periclitarentur qui potentibus famulantur. Veroſimile autem eſt, ſpectato Principum ingenio, leuem fuiſſe noxam, & incircumſpectæ inciuilitatis potius, quàm grauioris reatus. Eleganter S. Ambroſius hâc ſuper re ita fatur. *De iſtis* pincernarum & piſtorum Præfectis *quid dicam? qui exemplum debent eſſe cæteris, quòd ſtatus eorum fragilis ac tenuis, & in voluntate regiâ ſpes omnis, quibus leuis offenſa ſummum periculum ſit, ſecunda autem res leue miniſterium.* O quam tenera eſt principalis gratiæ valetudo! nil improuidè aut incautè leuiſſimum inciuiliter factum à miniſtris, quaſi veniale negligunt: vel obſequio in Principes peccatur; Regum arbitrium, ſæpè aulicorum delictum eſt. Hanc lubricam, vitream, & volaticam gratiam, omnium ambitio ſuſpirat. O quiſquis ſtas in ſublimi aulæ faſtigio, mente prudẽs tracta, quod præceps ob leuiſſimam occaſiunculam ruina, regij fauoris ſequela eſt, & gratiæ principalis appendix. O fuge ſublimem aulæ gloriam, velut profundi baratri minas! Apud principes *leuis offenſa ſummum periculum eſt.* Nemo mediocriter prudens, ſeruili miniſterio ſummum periculum mercatur.

Lipom. in Cat. ibid.

Facilè periclitantur, qui in aulâ verſantur.

Ambr. de Ioſeph Patriarch.

1. 1 Reg. 16. v. 18.

1. Reg. 16. recedente ſpiritu Domini à Saül, illum ſpiritus nequam atrociſſimè exagitat. Quæritur in regni finibus pſaltes, qui plectri melodiâ dæmonem excantet. *Et reſpondens vnus de pueris,* (qui ab Hebræis putatur Doeg Idumæus) *ait: Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.* Gratulor huic ſummati, quòd Dauidem ruſticanum tunc opilionem coram Rege magnificè dilaudarit. Magna profectò inter eos amicitia conflata erat, ſi Deo placet. Verùm nec multò poſt ipſe Doeg Idumæus Dauidem grauiter apud Saulem accuſat. Quem nuper tot elogiis ornauerat, iam ſubitò mutatâ mente ſic vituperat? Sed vide mihi quo animo Dauidem laudauerit, nimirum vt eum cum quo veteres inimicitias gerebat, in aulam Regis induceret. Quod tempeſtiuè notauit Lyranus: *Dicunt Hebræi,* inquit, *quòd iſte fuit Doeg, qui erat principalis inter famulos Saül, & dixit hoc* (nempe laudes quas retulimus) *ex odio: quia iam Dauid oderat, & ſic quærebat vt ſtaret in præſentiâ Saulis.* Animaduerte huius palatinæ vulpis vafritiem. Diu ſibi infenſum Dauidem magnificè coram Rege dilaudat, vt in aulâ coram Rege familiariter verſetur, & ſic palatij aleam ſubeat, & nimis delicatam Principum gratiam. Quod ferè omnium ambitio expetit, inimici vota ſunt. Fatigetur Dauid (aiebat Doeg) moleſtiſſimis aulæ ſpebus, torqueatur curiali ambitu, caſuro ſimilis immineat è faſtigio, è Principis nutu pendulus ſit, exambiat Saülis gratiam, quam vel obſequiis perdet. O infelicem aulæ felicitatem, quæ clanculum palatinis inſidiatur! Heu, è votis res Idumæo ſucceſſit, & Dauid in paſcuis à feris in eum irruentibus, ſecurus, nullum vbiuis reperit ab aulâ tutum innocentiæ præſidium. O nimis verſatilis aulicorum fortuna! Quæ hîc lubrica probatur, præcedenti §. virtuti infenſa probata fuit.

1 Reg. 22. v. 9. & 10.

Aula ſublimitas, quam cõmunis ambitio expetit, inimici vota ſunt.

Lyra ibi.

Celada de *Benedict. Patriarch.*

---

§. CCCXCI.

Politica ratio ſtatus ex leuiculâ & ſibi pugnante occaſione, Numen aut reuerenter admittit, aut irreuerenter proculcat.

APud Princeps humano ſæpè arbitratu Diuinitas penſitatur, & de politiæ nutu Deus aut reuerenter adorandus admittitur, aut inhonorè peſſundandus reiicitur. Ratio ſtatus (quam vocant) Numen dat populis arbitrio Principis, è cuius voluntate frequentantur templa, cruentantur aræ, religio præpollet, ſtat Numen; & tota res cæli humanæ politiæ arbitratu peragitur, fallacibus præſumptæ ſpei indiciis, aut friuolis imminutæ iuriſdictionis coniecturis. *Vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probatus..... Tiberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introiuit, annunciatum ſibi ex Syriâ Paleſtinâ, quod illic veritatem illius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum cum prærogatiuâ ſuffragij ſui:* Vide quam ob cauſam conſultiſſimus Romanorum Senatus, Chriſti Dei verum numen, quaſi mentitum reiecerit: *Senatus quia non in ſe probauerat, reſpuit.* Nempe veriſſimum Chriſti numen irreuerenter à Senatu abiicitur vrbe & orbe, quia Imperator illud approbauit inconſulto priùs Senatu, ad quem etiam pertinebat de Numine accipiendo ferre ſuffragium: *Roma cabeça del mundo, por vn puntillo de Iuriſdicion, de ja de admitir à Chriſto por verdadero Dios, adorando tanta chuſma de Dioſes falſos.* Vides quàm ex leuiculâ occaſione Principum politia Numen aut admittat, aut reſpuat; vel irreuerenter proculcet, vel religioſiſſimè veneretur. Quaſi inaniſſima ratio ſtatus, aut Deitatis ſublimitatem tribuat, aut à Numinis faſtigio deponat.

1.

Quâ ob cauſã Romanus Senatus olim Chriſti numẽ reiecerit.

Tertull. Apolog. 5.

2.
Math. 1. 8. Inſanè Amaſias victis Idumæorum adorat Deos.
Abul. ibi in commẽtario

Matthæi 1. *Ioram autem genuit Oziam.* Conueniunt commentatores inter Ioram & Oziam tres reges ab Euangeliſta hîc omiſſos, vt integram Regum quaterdenam exhiberet, quorum tertius ex omiſſis fuit rex Amaſias; de quo ſic ſcribit Abulenſis in commentario huius loci. *Amaſias filius Ioas fuit à principio rex bonus. Iſte pugnauit contra Idumæos, & obtinuit. Et Deos eorum, quos in bello cepit, coluit, & cremabat incenſum eis.* Proh inſanum Principis conſilium! Sic à partâ victoriâ Amaſias dementatus eſt? Captiuos colit Deos, quos olim victores reſpuebat? Quid captiuis cum numine? Quos eualuit ſubiicere, tunc maximè cùm ſubditos videt, reuerenter adorat? Fortè ex ſubiectione aliquid Deitatis conceperunt. O è peruerſo pulchrum ſubiectionis elogium! ô veſanum Principem victo Numini de adoratione adulantem! Dij qui ſuis Idumæis opitulati non ſunt ſuppetias ferent extraneis Iudæis? Quid à Numine deuicto ſperet homo, quod vincendo inane probauit, hoſtilibus armis dehoneſtauit, & victoriæ felicitate profanauit? Niſi fortè rex Amaſias hoſtilitatis dehoneſtamento Idumæorum Deos propitios putauit. Quos olim præpotentes & victores profanabat, nunc imbelles, ſordidos, deuictos colit? Hoc religionis monſtrum ideo permiſit Deus, vt principalis politiæ agnata monſtra ridenda proponat. Oculis cernant Reges in Amaſia, Iudaici, id eſt, Dei populi, Rege, quàm à veritate exerrent politiæ iudicia, quæ rationem ſtatus Numini, numiniſque religioni præponit, dum victos Deos humanus Princeps adorat, quos victores contempſit, quaſi ab imbecillitate auxilij robur exoptet.

3.
Rex Achaz inimicos Syria Deos auxiliares adoptat.
Math. 1. 9.
Abulenſis in commẽtario eius verſiculi.

Vidimus regem Amaſiam, rationem ſtatus inaniſſimè ſecutum, Idumæorum deuictos Deos veſano adoraſſe conſilio; videamus oportet quid Rex Achaz, Amaſiæ ſoboles, profanæ policiæ licentiâ ſectatus ſit, conſimili temeritate in negotio abſimili. Super illis Matthæi verbis: *Ioram autem genuit Achaz*, ſic ſcribit idem Abulenſis præſul. *Contra Achaz ſurrexit rex Iſraël, & occidit centum & viginti millia virorum in vno die. Rex quoque Syrorum vaſtauit terram eius, & tulit prædam magnam in Damaſcum.* Rex Achaz male conciſus, & penè viribus fractus victrice Syrorum acie, quid capiet conſilij, vt reconcinnato Iudæorum exercitu Syris reſiſtat? Iudææ ſocios euocat in auxilium? Inducias, iniquis etiam conditionibus ſupplicat à victrice Syria? An antiquum Iudæorum numen propitiandum ſatagit, vt excidium auertat? audiant Principes quid ex politiæ adytis deprompſerit rex Achaz. *Et ipſe Achaz* (pergit Abulenſis) *coluit Deos Syrorum, qui perſecuti fuerant eum.* Scilicet rex Achaz tot cladibus debilitatus eſt, fractus non eſt: Nam adhuc ſpei affulget ſcintilla recuperandi regni gazam & gloriam. Adorat nimirum Deos (idola inquam) victricis Syriæ, qui ipſum ſæua oppreſſerant ſtrage. O falſatam fidem præſumptæ ſpei! Verum Iſraëlis Deum profanè deſerit, & ad aduerſarium & mentitum confugit Numen? Auxilium à ſæuis hoſtibus expetit? Ingratum ſuis cultoribus Syrum Numen exambit, & infeſtis hoſtibus auxiliare? Religionis auitæ profanitate hoſtium alieni Numinis iras placare præſumit? Inimicos Syrorum Deos, ſuæ ſtragis putat aſylum? Vide quàm à ratione aberret politicorum Principum profana politia, quæ à veræ religionis inſtituto exorbitat. Amaſias à ſe deuicta Idumæorum numina colit, quò regnum firmet; eius nepos Achaz, auum peruersè æmulatus, victores Syrorum Deos, qui funeſtam in ſuo regno fecerant ſtragem, nuper colit. O repugnantem & minimè ſibi cohærentem profanorum Principum politiam! Aſt qui delirè ſibi non congruunt, in hoc vno conueniunt, vt auitam religionem peſſundent, vt rationem ſtatus magnificent. Proculcatur religio, vbi vel politia auxiliarem profanitatem exoptat. Vel deuictum, vel inimicum Deum quærit, quiſquis de Machiaueli ſchola Numen, & religionem adoptat.

Hæc aulæ pericula Iacobus prævidens, & ſuo Ioſepho prouidens; non ſimpliciter auxiliarem illi Deum precatur, ſed tunc *omnipotentem* expetit. Quaſi totâ Dei omnipotentiâ opus ſit, ne Ratio ſtatus præualeat religioni, apud Reges, Regumque aulicos. Hic verſ. 25.

---

§. CCCXCII.

E propria ſublimitate aliorum ſublimes honores metimur.

VENIT igitur tandem aliquando ad reformandam & illuminandam hominum naturam, qui venturus à Deo tot antea ſeculis per Prophetas prænunciabatur Chriſtus ille filius Dei; cæleſtis gratiæ diſciplinæque arbiter & magiſter, illuminator atque deductor generis humani filius Dei. Non quidem ita genitus, vt erubeſcat in filij nomine, cum quo eiuſdem Deitatis elogium cum Patre, à Patre Deo æternâ generatione accipit. *Ita de ſpiritu ſpiritus, de Deo Deus; (vt lumen de lumine aſcenſum, manet integra & indefecta materia matrix, etſi plures inde traduces qualitatis mutueris) ita quod de Deo profectum eſt, Deus eſt, & Dei filius, & vnus ambo. Ita de ſpiritu ſpiritus, & de Deo Deus modulo alterum numerum gradu non ſtatu fecit, & à matrice non receſſit, ſed exceſſit*, dixit Tertullianus. Verùm cùm nihil Deo par ſit, periculum ſtatus ſui Deo nullum eſt. Iſte igitur Dei ſplendor, æterni inquam, Patris æternus Filius, vt retrò ſemper prædicabatur, delapſus in Virginem, *in vtero eius caro figurata naſcitur homo Deo mixtus.* Caro igitur ſpiritu inſtructa, Deo tota delibuta, natiuitate reformata generatione cæleſti, naſcitur, nutritur, adoleſcit, affatur, docet, operatur, & Chriſtus eſt. Et qui ineffabiliter Deus naſcitur, naſci humanitus non erubuit in carne. Hinc duplicis naturæ (& diuinæ & humanæ) geminatus nobilitatis cenſus in Chriſto Deo. Quod diſertè Euangeliſtæ tradunt, dum modò humanitatis humilitatem, modò exertæ diuinitatis faſtigium idoneis narrationibus comprobant. Venio ad rem. 1.

Æterna & temporalis Verbi incarnati natiuitas explicatur.
Tertul. Apol c. 21.

Sed quid eſt quod Ioannes à diuinitatis gloriâ Euangelij mutuauit auſpicium, ſublimius intonans, 2.

Ioan. 1.1. Matth. 1.

intonans, *in principio erat Verbum*, &c. Matthæus verò Euangeliſtarum primus, initium Euangelij ab humanâ Chriſti natiuitate deſumit? *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid filij Abraham.* Annon vtriuſque Euangelij auctor, idem Spiritus eſt, qui Euangeliſtarum officio vtitur, tanquam miniſteriali linguâ; aut Scribæ calamo? Sic ſtatim excelſus in Euangelio Ioannis primò apparet, qui in Euangelio Matthæi ſic abiectus ſtatim deſcribitur? Abbas Gagneius, in commentario ſuper Matthæi Euangelio, ita hâc ſuper re ſubtiliter philoſophatur. *Benè Matthæus, qui de publicano in ſupremum Eccleſiaſticæ dignitatis gradum, Euangeliſtam ſcilicet, euectus eſt, ab humilitate & imbelli Chriſti infantia hiſtoriam cœpit, per omnes humilitatis & ignominiæ gradus, ad ſummam reſurrectionis gloriam illum euehens.* Nimirum Matthæus, ſicut ipſe ſublimatus eſt à Chriſto, ſic ipſe Chriſtum per ſimiles gra-

Matthæus ad ſui ſimilitudinem officium Chriſti ſublimitatem?

Gagn. in c. 1. Matth. 1.

3.

Res, & modus beneficij, & gratitudinis menſura.

dus ſublimare procurat. Matthæus ex telonij propudioſâ ignominiâ ad Apoſtoli & Euangeliſtæ faſtigium euehitur à Chriſto: ex ignominiâ ergo pauperum & ignotorum parentum, imbelli mutaque infantiâ ad ſummos Reſurrectionis & Aſcenſionis honores Chriſtum euehit Matthæus. Res & modus benefaciendi, eſt menſura gratitudinis. Tu tibi ex te gratitudinis modum fingis. Vel aliter concipe præfata verba Gagneij, tempeſtiuè ad rem præſentem. Scilicet tam magnificè homo æſtimat proprij honoris & gloriæ ſublimitatem, vt cùm vel auguſtiſſimè affectat Chriſtum Deum ſublimare, illi adſcribat honoris gradus non abſimiles his, per quos ipſe ad faſtigium dignitatis aſcendit; & de ſua celſitudine (ſeruata rerum proportione) metiatur alienam. Sic æſtimat homo quam poſſidet dignitatem, vt maximè grandis illi videatur, qui adſimilem celſitudinem adeptus eſt. Ergo *benè Matthæus, qui de publicano in ſupremum Eccleſiaſticæ dignitatis gradum euectus eſt; ab humilitate & imbelli Chriſti infantiâ hiſtoriam cœpit, per omnes humilitatis & ignominiæ gradus, ad ſummam Reſurrectionis gloriam illum euehens.* Quo alludere quodammodo videtur S. Paulinus ita ad ſuum Sulpicium ſcribens: *Chriſtus ſicut in illo ipſo homine, quem geſſit; ita in noſtris mentibus gradus quoſdam corporeæ ætatis exequitur. Naſcitur, creſcit, roboratur, ſeneſcit. Sed orandus, ne in nobis Dominus aut iugiter paruulus, aut infirmus, aut pauper ſit.*

Paulin. epiſt. 1.

4. Matth. 8. v. 19. & 21.

Magiſtri nomen honor ab illo habitus ſummus habetur.

Matthæi 8. ad Chriſtum ſublimiſſimè ad turbas concionantem, glorioſiſſimè miracula patrantem, *Accedens vnus Scriba*, (id eſt, Legiſperitus & Magiſter, vt notant interpretes) *ait illi: Magiſter ſequar te*, &c. Et protinus, *Alius de diſcipulis eius ait illi: Domine permitte me primum ire* &c. Quare hic legiſperitus dum Apoſtolici Collegij honorem exambit, Chriſtum, non *Dominum*, vt hic illiteratus adoleſcens, ſed *Magiſtrum* appellat? Quod his verbis notauit Hieronymus: *Quid ſimile eſt*, inquit, *inter Scribam, & Diſcipulum: ille Magiſtrum vocat, hic Dominum confitetur?* Imò congruentiori vocabulo Magiſter à Diſcipulo vocaretur. An eſt honoris auarus hic legis Doctor, etiam cùm ambitioſè dignitatem negotiatur? Profectò candidatus quiſque in defendẽdis honoribus dignitatum electori, prodigus eſſe ſolet, vt inanium vocabulorum pompâ dignitatem emat; vili quidem pretio, ſed quod humanis electoribus blandiri ſolitat. *Quando con los electores regateo el pretendiente las corteſias?* Et ſanè, vt benè perſtringit ibi Hieronymus, *Domini* elogium auguſtius eſt, quàm *Magiſtri* vocabulum. Nec adducar vt credam, hunc ambitioſè Apoſtolici Collegij candidatum Scribam, vocabulorum auaritiâ dignitatem negotiari. Verùm cùm ipſe Legiſperitus erat, & ſynagogæ Magiſter, ſic magiſterij infulas æſtimabat, tanti faciebat Magiſtri vocabulum, quo ipſe ad litteraturæ honores inſignitur, vt omiſſo auguſtiori *Domini* vocabulo, *Magiſtri* elogium Magiſter & ipſe auctarium honoris vſurparit. Sic maxima aliorum vilipendimus, & noſtra magnificamus? Sic eſt grandis ſemper honor, quo ſublimamur? ô ventoſiſſimam ambitionis arrogantiam! Niſi tibi ſimilis ſit, nullus erit maximus?

S. Hieron. ibi

Dum Iacobus hîc ſuo Ioſepho amantius benedicit, ſimilem ſuæ felicitatem precatur, & prædicit, aiens: *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt Benedictionibus patrum eius*, &c. Nempe non tam Benedictiones Iſaaci & Abrahæ tibi expeto, quàm Benedictionem, quam ego aſſecutus ſum. Hanc cenſeo præſtantiorem, hac maximè te illuſtratum vellem.

Hîc v. 23.

---

§. CCCXCIII.

Præpropera medicina vitiorum, quæ in Religionis clauſtra irripere incautis poſſent.

SANCTVS Gregor. Nazianzenus ſic de ſuæ ætatis Monachis loquitur: *Horum*, inquit, *opes ſunt in paupertate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu. Qui delicijs minimè ſtudere, pro delicijs habent: qui regni cæleſtis causâ humiles ſunt: qui in mundo nil habent, & ſupra mundum exiſtunt: qui in carne extra carnem viuunt; qui pro portione Dominum habent: qui propter regnum inopiâ laborant, & propter inopiam regnant.* Ecce tibi viri Religioſi ideam, à quâ ne quis deerret, pauca ſubiiciam, quibus pauculorum præcipuè vana gloria vapulet, etſi à non bono Pædagogo.

1. Naz. orat. 12. *Viri religioſi idea.*

2.

Et quidem dolendum eſſet, quòd qui regni cæleſtis causâ humilitatem profitentur, & quorum *gloria in gloriæ contemptu* eſt, ex ipſo Religionis ſtatu, qui demiſſionem & mortificationem ſpirat, ſuperbiæ rumuſculos caparent, & humilitatis mortificatione clariorem nutrirent. *Et qui putantur* (inquit Saluianus) *crucem portare, ſic portant, vt plus habeant in crucis nomine dignitatis, quàm in paſſione ſupplicij.* Veſtium ſqualore, pallidâ abſtinentiâ, mundi penuriâ, voluntariâ vitæ aſperitate, & totâ Dominicæ crucis baiulatione inanem crucigeri gloriolam nemo aucupetur. Dedecet ſic por-

Salu. l. 3. de Guber. Dei.

Religioſus non benè oſtentatâ mortificatione dignitates mercatur.

Qq 5 tare

tare crucem, (mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes) vt plus dignitatis & famæ ex portatoris nomine habeatur, quàm ex portatione cruciatus. Eſto Chriſti, non vanæ gloriæ martyr. Huic adſimilis arrogantia eſt, quam ſeuerè caſtigat Bernardus:(nec pudet, necpiget iterum eius verba deſcribere.) *Sed video (quod magis doleo) poſt ſpretam ſeculi pompam, nonnullos in ſchola humilitatis ſuperbiam magis addiſcere, ac ſub alis mitis humiliſque magiſtri grauius inſoleſcere, & impatientes amplius fieri in clauſtro, quàm eſſent in ſeculo. Quodque magis peruerſum eſt, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in ſuâ non niſi contemptibiles haberi potuerunt: vt quia videlicet vbi à pluribus honores appetuntur, ipſi locum habere non meruerunt, ſaltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur.* Viri iter quidem Bernardus.

S. Bern. homil. 3. ſuper miſſus eſt.

3\. Ne computet Religioſus, quæ habere potuit.

Deinde, *quorum opes ſunt in paupertate, qui in mundo nil habent vt ſupra mundum exiſtant; qui propter regnum inopiâ laborant, & propter inopiam regnant*; non benè, opinor, quæ liberaliter reliquerunt, inaniter computabunt ad faſtum. Imò aliquando non tantùm quæ reliquerunt, ſed quæ habere potuerunt. Matthæi 19. Petrus rudis adhuc & nouitius Ieſuani collegij religioſus, ſic ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Miratur Chryſoſtomus, quòd Petrus (& quidem adſtantibus reliquis condiſcipulis) Chriſto audacter dixerit, ſe reliquiſſe omnia. *Qualia omnia, ô beate Petre? arundinem, rete, nauigium. Omnia quidem hæc dicit.* Paucula & vilia, cùm Petrus à ſe relicta fuiſſe commemorat, *Omnia* dicit. Opportuniſſimè Hugo Carenſis explicans illud Geneſeos 19. *Noli reſpicere poſt tergum*, ita ad mores fatur: *Quidnam exeuntes de mundo in clauſtrum retrò reſpiciunt diuitias, quas dimiſerunt:* (addit ad rem) *vel quas habere potuerunt.* O quàm multa paucis!

Matth. 19. v. 27. — Chryſoſt. ibi. — Geneſ. 19. v. 17. — Hugo ibi.

4\. Addit Nazianzenus de ſuis Monachis: *Qui delicijs minimè ſtudere, pro delicijs habent, qui pro portione Dominum habent, & propter regnum inopiâ laborant.* Procul à viro religioſo ciborum deliciæ, qui propter regnum Dei inopiâ laborat. Idem Hugo Cardinalis nuper laudatus, comparat filios Iſraël exiſtentes in Ægypto, hominibus in ſeculo demorantibus; ipſoſmet autem Iſraëlitas in deſerto verſantes, viris religioſis ad terram promiſſionis properantibus, & tamen Iſraelitæ in deſerto ſic querulè conclamant: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* Sed interrogemus eos quid in Ægypto manducabant. Ipſi mox reſpondent: *Recordamur piſciū quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia.* In Ægypto veſcebantur cœnoſi fluminis piſcibus, & agreſtiori legumine, & in deſerto carnium delicias cum probro expetunt? Quàm bellè Hugo: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Filij*, inquit, *Iſraël concupierunt carnes in deſerto: & delicias in religione.* Qui delicijs minimè ſtudere pro deliciis habere debuiſſent, delicatas epulas in religione quærunt. Addit Hugo illud Iſaiæ 29. *Nonne Libanus conuertetur in Charmel?* Libanus mons multiiugus, aſper, & confragoſus, conuerſus eſt in Charmel, id eſt, *molliciem vel delicias.* Religionis votiua aſperitas conuertetur in molliciem, vel decias? ô caueamus hoc grande malum! *Non enim ideò ad iſtum conuenimus locum, vt nobis mundus famuletur*, aut Euſebius.

Ne qui vili cibo alebantur in ſeculo, delicias in religione expetant. — Numer. 11. v. 4. & 5. — Hugo in Matth. c. 4. — Iſaiæ 29. 17. — Emiſſen. ad Mon. hom. 4.

Præterea Religioſi, *qui in mundo nil habent, & ſupra mundum exiſtunt; qui in carne extra carnem viuunt*, malè ſingularitates expeterent, quæ exorbitent à Religionis ſeuero inſtituto. Diuinum Verbum, verus Deus de Deo vero, ſui corporationem ante ſecula pro humana ſalute decreuit; & tandem, *Verbum caro factum eſt.* Quas, oro te, hominis miſerias, ærumnas, calamitates declinauit homo Deus Chriſtus? Longum facerem, ſi cuncta percenſere voluiſſem. Dicam compendio: Deus homo factus, nihil humanum à ſe alienum putauit, præter peccatum. Audiendus eſt hâc ſuper re Chryſologus limato ingenio vir: *Chriſtus ergo*, inquit, *ſi in ſuis manſiſſet virtutibus, commune cum hominibus nil haberet: & niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio. Suſtinuit ergo has neceſſitates, vt homo verus hominis neceſſitatibus probaretur.* Eleganter quidem de more Chryſologus. *Vna vez hecho hombre, no ſe dedigno, aunque era Dios, de paſſar por las leyes de hombre.* Ergo quiſquis religionem ingreſſus eſt, quantumuis ſapientiâ præluceat, nobilitate emineat, prælatione excellat, canâ antiquitate præpolleat; ſuperbæ ſingularitatis & exemptionis notas refutet. Qui ſecus faxit, commune cum religioſis aliis ferè nihil habet: *& niſi implet* obſeruantiæ *ordinem*, ordinis *in illo erit otioſa ſuſceptio. Suſtineat ergo* communes *neceſſitates*, vt religioſus *verus* religioſorum *neceſſitatibus probetur. Para eſſo, mejor ſe eſtaua en el ſiglo.*

5\. — Iom. 1. 14. — Satius fuit Religionem non ingredi, quàm ſingularitati ſtudere. — S. Chryſol. ſerm. 50.

Ergo faceſſat à Religioſo nomine inanis gloriolæ fumus, relicti aut computati cenſus iactantia, deliciarum concupiſcentia, ex communitatis tædio ſingularitatis ambitio, ne hæc vitia in Religionis clauſtra ſubintrent; *Quo fiet*, (ait Saluianus) *vt etiam nos, qui nos Chriſtianos* (Religioſos inquam) *eſſe dicimus perdamus vim tanti nominis vitio prauitatis. Omninò enim nihil prodeſt nomen ſanctum habere ſine moribus: quia vita à profeſſione diſcordans, abrogat illuſtris tituli honorē per indignorum actuum vilitatem.* Et infrà: *Quid eſt in quo nobis de Chriſtiano* (Religioſo) *nomine blandimur? cùm vtique hoc ipſo magis per nomen ſacratiſſimum rei ſimus.* Inde ante multa retrò ſecula ſic apud Maſſilitenſes valuit Religio, *Vt ſiquis ex nobilibus conuerti ad Deum cœperit, ſtatim honorem nobilitatis amittit.... Vbi, quis mutauerit veſtem, mutat protinùs dignitatem: ſi fuerit ſublimis, fit deſpicabilis: ſi fuerit ſplendidiſſimus, fit viliſſimus: Si fuerit totus honoris, fit totus iniuriæ. Quantus in Chriſtiano populo honor Chriſti eſt, Religio ignobilitatem facit?* ô auerte à Religione Chriſtianâ hæc propudia Deus, ſicut hucuſque auertiſti! *Ille tantorum munerum repromiſſor, non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat coactum, reſpuit indeuotum. Lentum enim & parum gratum quærere gratiā diuini muneris, maxima eſt iniuria remuneratoris*, venuſtè dixit Emiſſenus. Ergo hæc auertantur mala; & quæ optamus bona *fiant in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos.*

6\. Deliciæ & ambitio obliterdit magnū Religioſi vocabulum. — Salu. l. 3. de Guber. Dei. — Idem Salu. l. 4. de Gub. — Emiſſen. ad Mon. hom. 3. — Hic v. 26.

§. CCCXCIV.

§ CCCXCIV.

Spinoſos, & igneos Præfecti mores, humana recuſat politia.

1. MITIS & pacata indoles humanitatis elogium eſt: acre & iracundum ingenium ſapientem Gubernatorem dedecet. Aut ignorantia nos rerum, aut inſolentia iracundos facit. Ignorantia: Quid enim mirum eſt, malos mala facinora edere? Quid noui eſt, ſi inimicus nocet, amicus offendit, filius labitur, ſeruus peccat, homo delinquit? Inclinatio animi ad lenitatem, dulcia verba, & pacatus animus vrbanum Præfectum condecet: agreſte & iracundum ingenium ſpecie ſeueritatis crudelitas eſt, regiminis euerſio, & politiæ naufragium. Quis ſum ego, cuius aures aut oculos lædi nefas ſit? Ignouerunt multi hoſtibus? ego non ignoſcam ſubditis pigris, negligentibus, garrulis? Puerum & iuuenem ætas excuſet & ſenem, feminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas. Nunc primum offendit? Cogitemus quandiu placuerit: Sæpè & aliàs offendit? Feramus quod diu tulimus. Amicus eſt? Fecit quod noluit. Inimicus eſt? Fecit quod debuit. Prudentiori cedamus, ſtultiori remittamus. Pro quocumque illud reſpondeamus nobis, ſapientiſſimos quoſque viros multa delinquere; nemínem eſſe tam circumſpectum, cuius non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat. Neminem tam maturum, cuius non grauitatem in aliquod feruidius factum caſus impingat: neminem tam timidum offenſarum, qui non in illas dum vitat, incidat. Hæc, & his ſimilia, ex immiti & aſpero, lene & pacatum Rectoris elaborant ingenium, & humanam recudunt indolem, quam quaſi aſperitate intractabilem homines non fugiant & exhorreant; imò lenitatis artificio amorem & reuerentiam negotientur.

Ars mitigãdi aſperũ ingenium, Gubernatoribus pernecesſaria.

2. Exodi 3. Moyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian: cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. *Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi.* Eccur in aſperâ, immiti, & ſpinosâ rubo Deus apparet? Annon præſtaret in excelsâ cedro, aut aliâ procerâ & generosâ arbore Deum apparere? Vilis & aſpera arbuſcula, auguſtâ Dei præſentiâ dedicabitur, ſanctificabitur, conſecrabitur? Tempeſtiuè S. Iſidorus: *Hic dicunt Hebræi, propterea in rubo apparuiſſe Deum Moyſi, non in alio ligno; ne fortè ſculperent in eodem Iudæi idolum.* Scilicet reuerentiam, quam ex præſentiâ diuinâ rubus combibit, ex moleſtâ ſpinoſitate deperdit? Quis plantam ſpinarum feracem colat? Ecquis aſperum & ſentïcoſum veneretur ingenium? Mitītas, & lenis indoles, exhibendæ reuerentiæ arbitrium eſt; immitis verò, & agreſtis ſubditorum animos alienat, cultum auertit, & irreuerentiam aſperitate procurat. Quis erit adeò humanitatis expers, vt ſpinosâ rubo Deum ſculpat? Vt aſperum ingenium, non auerſetur, & detrectet? Spinoſitas, reuerentiæ iactura eſt. Vnde conſultiſſimè Deus rubi ſpinoſitate, idololatriæ occaſionem præmaturè præſcindit Hebrææ genti ad idolorum cultum nimis propenſæ. *A vn ſennor pequenno, y con eſpinas; abaenſeguro que ellos, ò no le admitan, ò preſto lẽ pierdan el reſpecto, y le niegen la obediencia.* Qui ex rubo Deum fabricat, non tam ſibi Deum eligit, quàm contra ſe Dominum armat. Vnde Moyſes ſic Ioſephum, & regiam eius tribum benedicendo alloquitur: *Benedictio Illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph,* &c. Deus, ſeu Dominus in ſpinis apparens, non Dominus ex ſpino fabricatus. Beniamin lupus rapax, in Saüle ad ſceptrum eligitur, ſed confeſtim à ſolio deponitur.

Exod. 3. v. 2.

Aſpera ingenia ingratiã, & irreuerentiam ſibi negotiantur.

Iſidor. ibi

Hic v. 26. & 27.

Deut. 33. 16.

3. Itaque apparuit Moyſi Dominus in flammâ ignis de medio rubi, & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de médio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes. Qui reſpondit: Adſum. *Et ait: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob,* &c. Multiplex hinc inter expoſitores oboritur quæſtio, an vera fuerit hæc rubi flamma, an verò Angelus ſpeciem flammæ repræſentans? Verum Deus fuerit, qui in flamma apparuit, & locutus fuit Moyſi, an Angelus vices Dei repræſentans? Seriò cenſet Caietanus, Angelum ſpecie flammæ apparuiſſe in rubo; non tamen Angelum, ſed Deum Moyſi locutum fuiſſe. Nota mihi arguta Caietani verba: *Si quæris, inquit, quorſum apparuit Angelus, ſi Deus ipſe loquitur, reſpondetur quod Angelus non eſt miſſus ad hoc vt loqueretur. In cuius ſignum non eſt miſſus in ſpecie hominis, aut cuiuſcumque habentis inſtrumenta loquendi, ſed in formâ flammæ ignis, quæ ſuâpte naturâ muta eſt.* Vel Angelo, quia in formâ ignis apparuit, non conceditur loquelę miniſterium. Ignis natura ſuâ mutus; nec cæleſti Angelo humanam vocem in igne modulari permittitur, ne de *corde ignis* (vt in Hebræo habetur) vox erumpat humana. Nimis acre elementum ignis eſt, & inde parùm idoneus ad loquelam. Flammei mores, & igneum ingenium muta ſint, ne pro voce flammas eructent. Mitiorem indolem loquela expetit. *De ignis corde*, non tam humana verba, quàm atrocia eructuntur incendia. Exinde præcauet conſultior omnipotentia, ne vel quaſi angelificatus ignis linguatus ſit, ſed omninò mutus, humana non obeat miniſteria, nam igneum ingenium, acri naturæ ſuæ vi, non facit verba, ſed clamorum tonitruo voces fulgurat, & verba fulminat. Hinc Angelus ſpecie flammæ apparens, mutus dicitur; & Deus ipſe loquelæ miniſterium aſſumit; ne ignis loquatur, ſed Deus in igne.

Exod. 3. v. 6.

Vel quaſi angelificatus ignis conſultiſſimè mutus eſt.

Caiet. ibi.

4. Seriò recuſat Moyſes præfecturam obire, cui illam deſtinauerat Deus; qui moraliſſimo prodigio Moyſi animos ingerere ſatagit. Quid eſt, inquit, quod tenes in manu tuâ? Reſpondit: Virga. *Dixitque Dominus: Proijce eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.* Scilicet Moyſis virga, ſeu baculus paſtoralis, id eſt, eius principandi poteſtas, verſa eſt in colubrum, Hebraicè in

Exod. 4. v. 3.

 ſerpen

Venenum, quod ſerpens, Gubernator in alienam perniciem profert, ſine ſuâ continet.
Senec. ep. 82.

ſerpentem. O arcanam metamorphoſim,& Gubernatoribus opportuniſſimam! Profectò rum ſeuera auctoritas, & acris poteſtas, ſerpentis æmula eſt? Opinor, & venenata erit. Sententioſè de ſerpente dixit Seneca, in re morali argutè profundus: *Illud venenum, quod ſerpentes in alienam perniciem proferunt, ſine ſuâ continent.* O quàm multa paucis præſtrinxit, quæ publicare pudor eſt! Profectò agreſtis, iracunda, & virulenta malitia maximam partem veneni ſui bibit. Ab hâc lege ſerpentem, Gubernatorum typum, eximit Philoſophus. Itaque ſerpentis æmulus eſt, aut ſerpentinus Præfectus, qui venenum quod in alienam perniciem profert, ſine ſuâ continere præſumit. Veneno viuit, qui innoxiè venenat alios. Niſi fortè venenum quo alios toxicat, ſibi pro antidoto ſit. Nimis blandus & mitis erga ſe eſt, qui nimis durus & immitis aduerſus alios eſt. Qui ſibi blandiùs indulget,inſolentiùs ſæuit in reliquos, cuius leniori indulgentiâ, in alios armatur furoris ſæuitia. Dumoſos Præfecti mores, igneos, ſerpentinos humanitas recuſat, quaſi politiæ euerſionem, & certam rei publicæ ruinam. Acrem dediſcat feritatem, qui populos regere diſcit.

---

§ CCCXCV.

Opportuna reprehenſio, paterna benedictio eſt, velut prophetia non relabendi, & felix delictorum ſepulchrum.

1. MEDICINA correptionis, artificium eſt emendationis, opportuna enim & beneuola reprehenſio contumaces frangit mores; idoneam verò indolem ad pœnitentiam exſuſcitat, & amiſſam probitatem refingit; adeò vt acerbè tempeſtiua reprehenſio ſit arcana non relabendi prophetia. Non tam irritat improbitatem, quam probitatem mulcet, & cauterium vitiis feliciter inurit.

2. Marci 16. *Nouiſſimè autem, recumbentibus illis vndecim apparuit Ieſus, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ,* &c. Omitto quòd in glorioſo Aſcenſionis Dominicæ triumpho intempeſtiua videtur duræ increpationis acerbitas. Quid feſtino Aſcenſionis gaudio, cum acerbo increpationis mœrore? Et attentiùs cum Auguſtino enucleanda ſunt Euangeliſtæ verba. Increpat ſeueriùs Chriſtus incredulitatem diſcipulorum, & duritiam cordis, & confeſtim eos in mundum vniuerſum prædicare mittit ea, quibus duro & pertinaci corde increduli fuerant? Nuper incredulos, fidei Patriachas conſtituit? Tantùm reprehenſioni fidit, *vt poſt illam exprobrationem dixerit eis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium,* &c. Quos vocat duro corde incredulos, ſtatim poſt reprehenſionem, fidei ſatores Chriſtus conſtituit? Dilucidè Hieronymus: *Exprobrat autem incredulitatem, vt ſuccedat credulitas: exprobrat duritiam cordis lapidei, vt ſuccedat cor carneum charitate plenum.* Scilicet contumacia incredulitati cognata eſt: at tantùm opportunæ reprehenſioni tribuit Chriſtus Deus, vt nuper incredulos, poſt acrem obiurgationem, fidei propugnacula conſtituat. Sic vitia reprehenſione ſiſtuntur? Sic virtus correptione conualeſcit, vt paulò anteà incredulos fidei Patriarchas renunciet? Nempè reprehenſio cor lapideum recudit in carneum, & arcanè emendationem prophetat.

Marci 16.14

Nuper incredulos, poſt increpationem, fidei magiſtros Chriſtus conſtituit.

S. Aug. l. 3. de conſ. Euang. c. vlt.

S. Hieró. ibi.

Hic verſ. 28. poſtquam Iacobus duodecim filios, totidem tribuum principes, benedictionibus, aut prædictionibus ornaſſe dicitur, hæc ſcribit Moyſes: *Omnes hi in tribubus Iſrael duodecim: hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedixitque ſingulis, benedictionibus propriis.* Ad quæ verba ita inibi ſcripſit Caietanus: *Ne intelligeres Iacob aliter benedixiſſe filiis quam ſcriptum eſt, explicuit Moyſes, quòd quilibet filius eſt benedictus, ſicut exigebat ſingulorum benedictio. Vt hinc intelligamus,quod etiam illa quæ mala ſunt (putà Simeon & Leui vaſa iniquitatis, & alia ſimilia mala culpa & pœna) ſunt dicta benedicendo.* (aduerte diligentiùs ad verba,quæ ſubdit) *Nam & arguere, & punire, & præmonere, aliena non ſunt à paternis benedictionibus.* Nempè cùm quis paterno & beneuolo affectu ſibi ſubditos de ſcelere arguit, & ſeueriùs reprehendit, imò & acerbiùs punit, ſicut Iacobus filios ſuos; eiſdem largiùs benedicit. Quin ſi velut flagitiorum neſcius, aut diſciplinæ negligens, correptionem omitteret, potiùs crudeliter malediceret; factus flagitiorum leno. Tunc, tunc quidem chariùs amat, & feliciùs benedicit, cùm ſubiectorum vitia coràm arguit, & tempeſtiuè reprehendit. Porrò increpatio, & exprobratio, arcana patris benedictio eſt; & diſſimulatio parùm differt à maledicto, ſiquidem correptionem ſiſtit, eamque prohibet fructu ſuo, emendatione inquam. Præmonitio enim, & reprehenſio,cautela diſciplinæ eſt, & velut emendationis prophetia: *Nam præmonere, & arguere, aliena non ſunt à paternis benedictionibus.* 3.

Hic verſ. 28

Caiet. ibi.

Præmonere, & reprehendere, aliena non ſunt à paternis benedictionibus.

Hic verſ. 1. *Vocauit Ioſeph filios ſuos, & ait eis: Congregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis,* &c. Diuiſi ſunt interpretes. Alij cenſent, verba quæ ſubiecit Iacob, eſſe futurorum prædictionem, ſeu prophetiam; alij, eſſe filiorum benedictiones. Quâ ſuper re ita fatur Origenes: *Quod vtique magis prophetiam ſignificat, per quam, quæ eis euentura ſunt, præſignantur. In ipſo autem corpore & ſerie verborum, neque benedictiones tantùm, neque futurorum ſola prænunciatio, quantùm mores, vel propoſitum eorum, vel etiam quædam ab eis geſta notabiliter arguuntur.* Nempè, hanc, quam plures prophetiam putant, alij benedictionem, rectè notat Origenes, ſæpè continere publicationem morum, ſiue eorum increpationem. Quaſi publicatio indolis aut morum, & non benè factorum ſeuera obiurgatio, ſit futurorum prophetia, aut beneuola benedictio. Notificatio indolis, futurorum prophetia eſt? Benedictio eſt, vt ſibi caueat in poſterum à vitiis, ad quæ eius 4

Hic v. 1.

Notificatio indolis paterna benedictio eſt.

Orig. ho. 17.

Increpatio filiorum, emendationem prophetat?

eius ingenium, aut malitia poteneer inſtigat? Item ſeuera increpatio, paterna benedictio eſt? An prophetia vltrà non relabendi in id, quod beneuolè reprehenditur? Emendationem prophetat Iacobus, cùm filiorum geſta notabiliter arguit?

5. Matth. 18. v. 15. Matthæi 18. ſic Chriſtus Chriſtianos informat. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Quam Præceptoris noſtri ſententiam his verbis exponit & illuſtrat Auguſtinus:

Aug. ad ea Matth. verba.

Tempeſtiua reprehenſio ſcelerum ſepulcrum eſt.

Ipſa charitas, inquit, *poſtulat, vt ſecretò corrigantur quæ peccantur ſecretiùs: vbi contingit malum, ibi moriatur: Nam ſi ſolus noſti, & vis coram omnibus arguere, non es correctur, ſed proditor.* Nimirùm ſi ſecretò, quantumuis ſeuerè, peccantem proximum reprehendis, vbi contingit malum, ibi morietur. Correptione tuâ alienam occidis malitiam; quæ reprehenſione moritur, & correptoris zelo tumulatur. Sit occulta reprehenſio, malitiæ mors, & ſcelerum ſepulcrum; dum præproperâ increpationis morte pullulandi fiducia reſecatur. Gratulor tempeſtiuæ correctioni tot ſcelerum cadauera: *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Vbi contingit malum, ibi moriatur.*

---

§. CCCXCVI.

In re politicâ, adhuc iurata Magiſtratuum fides, ſuſpectáne eſt?

1. ABſit hoc à virtute malum, vt vnquam iuſtitia ad irreligionem confugiat. Iuſtitiæ ingenua libertas malè vitiorum ſeruitute iuuatur. Puto, non benè iuſtitiam adminiſtrat, qui fortis eſſe niſi iraſcatur, non poteſt; induſtrius, niſi cupit, quietus, niſi timet; feliciter ſeuerus, niſi fidem, tametſi iuratam violet.

Iuſtitia non iuuatur mendacio.

Non pudet vitia in clientelam virtutis aſſumere? Definit Iuſtitia quicquam poſſe, ſi nihil poſſit niſi veritatis diſpendio. Par vtrumque eſt, vbi eſſe alterum ſine altero non poteſt. Heu iurata fides ſæpè negligitur, vt ſeueritati Iuſtitiæ adiiciatur, quod religioni veritatis adimitur! Maxima Iuſtitiæ iniuria eſt, quam efficiunt, aut adiuuari falſis, aut patrocinari, adeò vt aliquando iurata Præfectorum fides, ſit violationis augurium.

2. Geneſis 47. Iacob ſenio confectus, & morti proximus, ſuum è regiâ Pharaonis curiâ Ioſephum accerſit, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conſpectu tuo; pone manum tuam ſub femore meo: & facies mihi miſericordiam & veritatem, vt non ſepelias me in Ægypto: Sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hâc, condaſque in ſepulcro maiorum meorum.

Quare Iacobus virgam ſumit Ioſephi, cùm illū ad iuramentum adigit

Geneſ. 47. v. 31. Cui reſpondit Ioſeph: Ego faciam quod iuſſiſti. *Et ille: Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante, adorauit Iſraël Deum, conuerſus ad lectuli caput.* Quæ verba

Aug. in qq. ſuper Geneſ. ſic exſcribunt LXX. interpretes: *Adorauit Iſrael ſuper cacumen virgæ eius.* Quam verſionem magni faciunt Eccleſiæ Patres, & Auguſtinus ſic ad rem præſentem ſubtiliter expendit. *Quid eſt*, inquit, *Adorauit ſuper cacumen virgæ eius; id eſt, filij ſui Ioſeph? An fortè Iacob tulerat ab eo virgam; quandò ei iurabat idem filius; & dum eam tenet poſt verba iurantis, nondum illâ redditâ, mox adorauit Deum? Non enim putabat Iacobum ferre tantiſper poteſtatis inſigne filij ſui.* Scilicet dum Ioſephus Ægypti Præfectus iurat Iacobo rem optatiſſimam, & quam valdè adimpleri cupit, tulit ab eo virgam; quæ inſigne erat Præfecturæ, quaſi ipſe Iacobus tunc eſſet Præfectus, & Ioſeph homo priuatus. Nempe renuit Iacob, vt dum Ioſephus iurat, publicam gerat perſonam: & ipſe Iacobus cui iurat, velut gerere perſonam publicam mauult. An diffiſus eſt Iacob pollicitationibus, & iuramentis Præfectorum? Filio dum pollicetur & iurat, eximit præfecturæ inſignibus, quò maior & certior adimpletionis affulgeat ſpes? Sic vulgo rata habetur Præfectorum fides? Conſultiſſimè *Iacobus tulit à Ioſepho virgam*, id eſt, ſceptrum, *quando iurabat*, vt iuramentum non à publicâ, ſed à priuatâ excipiat perſonâ. Quod debuiſſet eſſe ſanctioris fidei aſylum, ob aliquorum malitiam habebitur veritatis violandæ quodammodò periculum? ô ſæpè tribunalia, non tam iuſtitiæ ſacrarium, quàm mendaciorum nundinas! ô iuſtitiæ miniſtros, iuſtitiam ſæpè cauponantes! compendium iuſtitiæ erit veritatis diſpendium? Cautela quæ adſpectu ad Ioſephum, ſuperuacanea videtur, pernecceſſariam Præfectis continet eruditionem, ne perfidia militare iuſtitiæ videatur. Idem hîc Iacobus à Ioſepho exigit. Hic v. 29.

Non multis retrò annis, Genel. 42. Ioſephus 3.
Ægypti præfecturâ nuper ſublimis, ſuos fratres agnouit, qui annonæ penuriâ laborantes, è Paleſtinâ frumentatum venerant. Memor fraternæ proditionis, multa ſciſcitatur; & quamuis probè nouerat nil mali tunc in Ægyptum moliri, ad experimentum quòd exploratores non ſint, enixè poſtulat, vt fratrem Benianimum adducant, ſic aiens: *Mittite ex vobis vnum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixiſtis vtrùm vera an falſa ſint: alioquin per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis.*

Quod Ioſephus iurauit, ſuſpectum mendacij eſt. Gen. 42. v. 16.

Perſpicuum eſt, Ioſephum hîc planè iuraſſe conſueto regalium miniſtrorum iuramento: *Por vida del Rey.* Et quidem nimis ſudat Auguſtinus, & cum eo communiter interpretes, vt à mendacio excuſent, quod hoc iuramento Ioſephus affirmauit. Ang. in qq. in Geneſ.

Porrò indubiè norat Ioſephus, eius fratres exploratores non eſſe; quo ergo pacto verè dicere potuit: Niſi vobiſcum afferatis fratrem veſtrum minimum, de quo dixeratis, *per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis?* Nam etſi illum non adducant, exploratores non ſunt. Profectò fratris *proditores* ſunt, (vt illi ſubmuſſitant) ſed *exploratores* non ſunt. Mentitur hîc Ioſephus? An idem eſt *exploratores* eſſe, ac *proditores* fuiſſe? Synonyma ſunt explorator & proditor? Sycophanticus curioſè *explorator*, niſi culpas quas inquirit inuenerit, ne officij negligens inueniatur, criminandi libidine innocentis *proditor* ſæpè fit. Magna planè cognatio eſt inter exploratores & proditores. Et ſanè notatione digniſſimum eſt, nullum vſquam Ioſephi verbulum mendacij ſuſpectum fuiſſe, niſi quod

iure

iureiurando aſſerit, aiens: *Per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis.* Sic iuramentum non ſemper ſancit fidem, ſed credibilitatem minuit? Quando iuramento abſtinet, haud dubiâ fide creditur Ioſephus; & quando certiorem fidem iureiurando ambit, falſitatis & periurij apparenter ſaltem inſimulatur? Sic ſæpe iuramentum fidem deſtruit, quam molitur adſtruere? An potius ſic Præfectorum iuramenta ſunt falſitatis ſuſpecta? Diu multumque laborant ingenioſa Doctorum pietas, vt ſanctiſſimi & veraciſſimi Ioſephi, (Præfecti tamen regni) iuramentum à periurij impietate vindicet; & nuper Geneſim commentans, pro virili vindicabam.

4. Geneſis 21. Abrahamus opibus, & numeroſâ familiâ potens, Regum detriumphator ſtrenuus, *Princeps* apud Palæſtinos audiebat. Quem Abimelech Palæſtinæ regulus, ſic alloquitur. Deus tecum eſt in vniuerſis quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, ſtirpique meæ: ſed iuxta miſericordiam, quam feci tibi,

Gen. 21. v. 23. 24. & 27.

facies mihi, & terræ in qua verſatus es aduena. Dixitque Abraham: Ego iurabo...... Percuſſerunt que ambo fœdus. Iurat Abrahamus ſe nunquam Palæſtinorum Regibus, terræve ſeu regioni illi nociturum; & tamen (vt ibi eruditè

Lipom. ibi. Quo regiorum Miniſtrorum rapacitatem, e grum tumultuat.

Lipomanus adnotauit) *Vix cum aliqua gente bella Iudæorum plura legimus, quàm cum Palæſtinis.* Quare Abrahamidæ ſic deſæuiunt in Palæſtinorum gentem, ſibi iurato fœdere deuinctiſſimam? An quia regij Miniſtri poſſeſſionem Abrahami per vim vſurparunt, de quo ipſe apud Regem tunc expoſtulabat? Nonniſi bello luitur regalium Miniſtrorum aduerſus inſontes ſubditos rapax violentia? Quòd autem id inſcio rege Abimelecho factum ſit, crimen fortè non minuit, ſed ad pœnam exaggerat. Heu quot edent ſtrages Principum miniſtri, ſi inſcio Principe, ſubditorum (aduenarum præſertim) bona diripere permittuntur!

Iuramentum pacis, fuit bellorum augurium.

Saltem admirabilitate non caret, Vix cum aliquâ gente tot Abrahamidum bella legi, quàm cum Palæſtinis, cum quibus iuratâ fide fœdus æternum percuſſerunt, quaſi concordiæ iuramentum fuerit quodammodò bellorum augurium: Sed Abimelechi malitiâ, vt alibi ad litteram tradetur.

---

§. CCCXCVII.

Chriſtus adhuc viuus acerbè præſentit, ſacrum eius corpus poſt mortem lancinari?

1. Pōteſt beatus dici, qui nec cupit contra rationem, nec timet beneficio rationis. Malam & noxiam ſeruitutem ſeruiturus eſt, qui voluptates, doloreſque incertiſſima dominia impotentiſſimaque alternis poſſidebit. Sed admirationi ſunt plures è ſanctiſſimis Patriarchis, qui cùm hæc, dum viuerent, ſibi viuentibus quodammodò negligerent, pio quodam virtutis faſtu, magno ſtudio de arcendâ proprij cadaueris iniuriâ, & de ſumptuoſo ſepulcri honore prouidebant. Corpus dum viuit velut cadaueraſcit ad doloris & iniuriæ patientiam, & dum putre cadauer eſt, delicatè viuit ad ſenſum? An potiùs iure etiam gentium, corporibus defunctorum tantus debetur honos, tantaque viuentium exuuiis reuerentia, vt illas irreuerenter tractare, religio ſit, & probroſa viuentibus iniuria; quaſi quò magis inſenſile cadauer eſt, eò magis viueſcat ad iniuriæ ſenſum.

Pſalm. 21. in Chriſti Dei de cruce penduli typo, ſic ad Deum patrem orat regius Pſaltes: 2.

Chriſtus adhuc viuus acerbè præſentit, poſt mortem lancinari.

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice. An amicum Patris auxilium expetit, ad perferenda dira patibuli cruciamenta? Manus pedeſque immitibus clauis terebrantur, ſpinoſo ſerto caput fodicatur, felleo poculo palatum exacerbatur, inimicorum contumeliis probroſè ſubſannatur. Ad tot fortè cruciatus perferendos, Patris opem ſupplex implorat? Sed attentiùs nota quæ ſubtexuit verba: *Erue à frameâ Deus animam meam.* Per *frameam* Euſebius, Theodoretus, Didymus, Nicephorus, & Baſilius, Diabolum interpretantur. Euthymius deſignari vult *framea* Romanos milites, qui frameas, gladioſque, & arma geſtabant. Id innuit quoque Didymus. Vnde tametſi indubium putemus, non viuo, ſed iam mortuo Chriſto apertum lanceâ latus,

Pſ. 21. v. 21.

Poſſumus accipere deprecationem iſtam, (Erue à frameâ Deus animam meam) ne vulnus lateri infigeretur: quod etiam aliqui putant infixum, quia verebantur ne non mortuus eſſet, aut ne aliquâ arte euaderet. Hæc vſque noſter Ioannes Lorinus, omnigenâ eruditione nobilis interpres. Audis ex mente Didymi & Euthymij, Chriſtum Deum, qui ſic tanx Paſſionis acerbiſſimis cruciamentis ſaginari expetiuit; qui in ſæui patibuli beatis acerbitatibus ſic deliciabatur iucundè; qui quaſi ouis, brutum & penè inſenſile pecus, coram tondente ſe obmutuit, morti iam proximum, ſui corporis defuncti vulnus ſuppliciter deprecantem? ô rem oppidò miriſſimam! totam Chriſtus ſuſtinet atrociſſimæ Paſſionis calamitatem, quaſi doloris ſenſum non haberet; & vulnus poſt mortem, quæ doloris ſenſum adimit, defuncto corpori infligendum, ſic fore ſibi acerbum, præmaturè præſentit? Sic acerbè perferuntur vilipendia, quæ præſagâ mente nouimus defuncto corpori inferenda?

Lorin. ibi.

Quod acutè vidit Chryſoſtomus aiens: *Quia mortuus erat Chriſtus, eius crura non fregerunt: Sed tamen placere volentes Iudæis, aperuerunt eius coſtam lanceâ, etiam mortuo corpori conuiciantes.* Heu infandum improperium, & execrandam crudelitatem, nec in mortis effugio tutum eſſe ab hominum conuitiis! Tantane ſui cadaueris Iacobo cura, niſi aliquid de Chriſto ſuo præſagiret?

Chryſ. apud Hugon. c. 19 Ioan.

Hic v. 29.

2. Paralip. 32. Sennacherib ille, potentiſſimus Aſſyriorum monarcha, & Hebræorum diu terror. *Cùm ingreſſus eſſet domum Dei ſui, filij qui egreſſi fuerant de vtero eius, interfecerunt eum gladio:* ô immane & impium parricidium! nec in templi aſylo tutus fuit Sennacherib à ſuorum irâ & ambitione? Sed animaduerſione digniſſimum eſt, hunc eundem Sennacheribum non ſolùm exules Hebræos immaniter 3.

2. Paral. 32. v. 21.

Sit cadauer tutum in aſylo mortis.

immaniter trucidaſſe, ſed etiam barbarico furore defunctorum corpora proiecisse inhumata, adeo vt in Tobiam ferocierit, eo quod mortuorum cadauera clanculum ſepulturæ mandarit. Porro Tertullianus ſic in Tyrannos debacchatur: *Nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis iam alios, iam nec totos auellant, diſſecent, diſtrahant.* Scilicet dignus eſt Sennacherib, vt nec in Dei ſui aſylo à ſuis tutus ſit, apud quem neque defunctorum cadauera in *aſylo mortis* tuta ſunt. Debitas reciprocet pœnas, nec eum defendat Dei ſui aſylum, qui defunctorum corpora, quæ *aſylum mortis* defendit, impio furore profanat. Nec Deum ſuum, quem tot votis & victimis in domo ſuâ colebat, propitium & defenſorem habuit, qui cadauerum ſtrage Superos quodammodo inquietauit. *Facimus quod dicitur inquietare ſuperos, ſidera diris agitare carminibus, tumulos buſtaque ſcrutari, & amputatis cadaueribus ipſas in ſcelera armare manus.* Quid exaggeratius.

Tobiæ 1. v. 21. & 22.
Apol. c. 36.
Quintil. declam. 14

4. Addam elegantiſſima Caſſiodori verba: *Defunctorum quin etiam ſacram quietem, æquabilis iura tua conſcientiæ communiuerunt, ne quis veſtita marmoribus ſepulcra nudaret, ne quis columnarum decorem irreligioſâ temeritate præſumeret, ne quis cineres alienos aut longinquitate temporis, aut voraci flammâ conſumptos ſceleratâ perſcrutatione detegeret, ne corpus quod ſemel reliquerat moleſtias mundanas, humanas iterum pateretur inſidias.* Hæc Caſſiodorus.

Caſſiod. l. 6. vari. epiſt. . *Homines defuncti humanas non eſſugerunt inſidias.*

---

§. CCCXCVIII.

Redemptoris negotium Dominico cadaueri quodammodo adſcribitur, ad gloriæ auctarium.

1. VETERES, & veteratores olim Hæretici, nouam Chriſti natiuitatem reiiciebant, quaſi *periculoſam Deo corporationem*, periculoſam inquam, non quoad crimina, quorum Deus exors eſt; ſed quoad humani corporis dehoneſtamenta dum viueret, & cadaueris vocabulum, & rem vocabuli, dum moritur: probroſum Deo reputantes caduci exinceps cadaueris elogium. Verùm prætereo quàm quòd Ieſuani cadaueris corruptionem ante multa retrò ſecula Propheta defen- derat à putri vermium corroſu; quin & ſepulcrum eius glorioſum prædicatur; non ob ſaxeam tunicam quæ defunctorum corpus ambit, ſ d propter gloriam cadaueris; duunitatem corporaliter ſpirantis: auguſtum humanæ redemptionis opus, Chriſti morte in cruce peractum defuncto etiam eiuſdem corpori, honorariâ quâdam attributione, adſcribitur ad ſublimioris gloriæ auctarium. Non quia poſt mortem homines redemerit Chriſtus, (procùl calumnia) ſed quia morte redemptionem conſummauerit, prælustri defuncti corporis honorum vſurâ. Quod n. 5. amplius explicabitur.

Tertull. de carn. Chriſt. c. 4.
Pſal. 15 v. .
Iſaiæ 11. v. .

Ioannis 19. barbarica carnificum inhumanitas Chriſto Deo in cruce pendulo, & iam iam morituro, potionē propinat per acerbam. *Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Scio ſuper hac Dominici capitis inclinatione, Doctores olim & nunc multis & expoſitiuè, & concionatoriè philoſophatos fuiſſe; quæ addaggerans inibi Hugo Carenſis, tandem concludit: *Item inclinato capite, tradidit ſpiritum, quaſi ſupponens humerum ad portandum nos, & onera noſtra: ac ſi dicat: Caput inclino, vt videatis me paratum ad onera veſtra portanda, & ponatis ea ſuper me.* Oſee 11. *Ego quaſi nutricius Ephraim in humeris meis portabam eos.* Benè eſt, in auſpicio incarnationis præproperè iam redemptor, dixerit Deo Patri Chriſtus, recens homo Deus: Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: *tunc dixi: Ecce venio.* In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei: At cùm iam iam exhalat animam, quorſum caput inclinat, quaſi humerum ſupponens ad portandum nos, & peccatorum noſtrorum onera? quaſi dicat: ait Hugo: Caput inclino, vt videatis me paratum ad peccatorum veſtrorum onera vltrò portanda. Sera, vt opinor, eſt hæc Chriſti præparatio, vt portet delicta, quæ in cruce copioſius Redemptor morte ſuâ expunxit. Poſtquam dixit: *Conſummatum eſt*, & caput inclinat, vt animam agat, tunc denuò ſe onerat peccatorum ſarcinis, quibus iam exonerat hominis perfectam redemptionem conſummans? Puto tunc non viuum corpus, ſed defunctum, peccatorum mole onerare videtur. Verùm enim verò vſque eò ſolerter ſuſcepit & exequitur Chriſtus Redemptionis opus, quod ei iniunctum à Patre erat, vt tametſi nuper dixerit *conſummatum eſt*, & Redemptionis opus viuus agebat, morte peregit; in ipſo ante mortem momento caput vltrò inclinat, & humerum hominum peccatis ſupponit, ne exors humanæ redemptionis corpus exiſtimetur, ſed vel cadauer eiuſdem redemptionis velut particeps audiat. Eo ſenſu quo de homine qui dum viueret crebras & largas eleemoſynas piiſſimè factitat, dicere ſolemus: *Fulano aun deſpues de muerto hara limoſnas.* Vel ſi mauis, quia in notis habuit dum viueret, vt mortui latus vulnere aperiretur. Sic mundi Redemptor Chriſtus Deus, iam iam expirans, & cadauerafcens; caput tunc inclinat, & tunc quidem, cùm dixerat, *conſummatum eſt*, vt vel defuncto corpori velut inſcribatur auguſtum redemptionis elogium, & honorario Redemptoris titulo quodammodo decoretur ad gloriam.

2.
Ioan. 19 30. *Cur inclinato capite Chriſtus in cruce emittat ſpiritum.*
Hugo ibi.
Oſee 11. v 3.
Pſal 39 v.7. 8 & 9.

Iſaiæ 11 ſic præſagâ mente de Deo corporato Euangelicus Propheta glorioſè vaticinatur: *In die illâ radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulcrum eius glorioſum.* Quænam hæc tanta Ieſuani ſepulcri gloria, quæ ante tot ſecula Iſaiæ conſpicua fuit? An mauſolea pretioſo & polito lapide ſublimia? alieno ſepulcro tumulatus eſt Chriſtus. An Romana cohors, quæ tumulum circumquaque ſplendidè vallabat? 3.

Iſaiæ 11. v. 10.
Mortuus liberat Chriſti Dei tumulus?

vallabat? probroſa cautela fuit aduerſus præſtigiatum ſuſpiciones. An Angeli è cælo amicti, aſſidentes ſepulcro? familiare Chriſto Deo fuit Angelorum obſequium. An quia propriâ virtute è tumulo, in quo ingloriè iacebat, redimiuus glorioſè ſurrexit? Illuſtris hæc Chriſti Dei gloria fuit, non ita tumuli, qui glorioſior erat diuino pignore plenus, non tamen gloriæ vacuitate. Eleganter Baſilius: *Mortuos certò liberaturus erat Chriſti tumulus, & mors futura mortis exitium, & paſſio paſſionum officina medica.* Bellè dictum, Chriſti Dei paſſionem futuram eſſe medicam humanarum paſſionum officinam, & eius mortem noſtræ mortis exitium: at quo pacto Chriſti Dei glorioſus tumulus liberaturus erat mortuos, quos Chriſti in cruce mors, non cadaueris in tumulo depoſitio, liberauit? Verùm qui poſtquam dixerat, *Conſummatum eſt*, deinde inclinat caput, ſupponens humeros ad peccatorum noſtrorum onera portanda, quaſi tunc redemptionem denuò inchoaret; tumulatus etiam mortuos à peccati morte liberare perhibetur: vt tunc typum quoque illum quodammodo compleret, quo Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitauit.

Baſil. Seleuc. orat. 23.

Paſſio Paſſionum officina medica.

4. Ad Epheſios 5. ſic Paulus ſcribit: *Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Ad quæ Apoſtoli verba ita fatur S. Hieronymus. Scio audiſſe me quendam de hoc loco in Eccleſia diſputantem; qui in theatrale miraculum, nunquam ante viſam formam populo exhibuit, vt placeret: teſtimonium hoc, inquiens, ad Adam dicitur in loco Caluariæ ſepultum, vbi crucifixus eſt Dominus. Qui Caluariæ idcircò appellatus eſt, quòd ibi antiqui hominis eſſet conditum caput. Illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus ſuper eius pendebat ſepulcrum, hæc prophetia impleta eſt, dicens: ſurge Adam qui dormis, & exurge à mortuis: & non vt legimus, orietur tibi Chriſtus; ſed [illegible] id eſt, continget te Chriſtus: quia videlicet tactu ſanguinis & corporis dependentis viuificetur atque conſurgat: & tunc typum quoque illum veritate impleri, quo Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitauit. Huic traditioni conſentit Auguſtinus, Origenes, Epiphanius, Athanaſius, Cyprianus, & Albertus Magnus, apud Corn. ibi. Quâ ſuper re ita pangit Tertullianus:

Ad Epheſ. 5. v. 14.
Hieron. ib.

Stillans aqua de Chriſti latere, ſanguini mixta [illegible]

Tertull. l. 2. carm. cont. Marc. c. 4.

Hic hominum primum ſuſcepimus eſſe ſepulcrum.
Hic patitur Chriſtus, pio ſanguine terra madeſcit,
Puluis Adæ vt poſſit veteris cum ſanguine Chriſti
Commixtus, ſtillantis aquæ virtute lauari.

Adami primordialis macula, quæ ſqualidè poſteritatem fœdauit, limpidiſſimo viuentis Chriſti ſanguine abluitur; non aquæ ſtillis, quam poſt mortem lancinatum Chriſti pectus emanat. Adhuc poſt mortem redemptrices aquæ guttas ſtillant vulnerata Chriſti Dei viſcera? Puluis Adæ cum ſanguine Chriſti commixtus, ſtillantis aquæ virtute lauatur? ô ſeram aquæ ablutionem, poſt effuſi ſanguinis balneum! Sic honoratur Chriſti defuncti ſacrum pectus diro mucrone punctum? Chriſti Dei cadauer adhuc ſtillat peccatorum ablutionem? Defunctum Chriſti corpus redimit, an viuum? Profectò viuum redimit, morte redemptionem peregit, conſummauitque. Verum vſqueadeò auidè & peramanter redemptionis negotium peregit Chriſtus, & iam moribundus votis ſuſcepit, cùm inclinato capite humeros ſupponit ad portanda mortalium onera, vt reſiduo cadaueri quodammodò ſuperſit redemptionis vocabulum, ad vſuram gloriæ, eo ſenſu quo nuper explicuimus, & Eccleſia pangit. *Quo vulneratus inſuper Mucrone diro lancea, Vt nos lauaret crimine, Manauit vnda ſanguine.*

---

§ CCCXCIX.

Diuturnior defunctorum luctus, imminentis infortunij augurium eſt?

NEMO ferè neminem quantumuis charum optat ſibi vitâ ſuperſtitem, nec ſcio an ex animo vnquam optauerit. (neque ſapiens mulieribus tragœdiis, etiam in viris, tutò credit, in charorum morte) permittit enim ſibi quædam & contra bonum morem magna erga chariſſimos defunctos pietas. Dandum tamen aliquid dolori eſt in chariſſimorum funere. Palam per genas cadunt guttatim pauculæ lacrymæ; multæ clam, gemitus quantum fieri poteſt, deuorentur. At diuturnior luctus Chriſtianos dedecet, qui ſe in terris peregrinari credunt, & duraturam in cælis coloniam ædificant, æternitatis candidati. Magnus luctus, magna pietas ſæpè putatur, & in impietatem ſæpiùs degenerat: ô caue tibi à diuturnioris planctus ambitione, quaſi ab infelici augurio.

Defuncti breuè lugendi ſunt.

2. Geneſis 50. tandem viuendi ſatur, ſenectute confectus, Iacobus in Ægypto moritur: fleuitque eum Ægyptus ſeptuaginta diebus. Quibus expletis, Ioſephus reuerendas patris reliquias, numeroſo fratrum, & Ægyptiorum ſtipatus comitatu, ad auitum ſepulcrum in Palæſtinam aſportat. *Veneruntque ad Aream Atad, quæ ſita eſt trans Iordanem: vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleuerunt ſeptem dies.* Adeò vt Palæſtini quaſi rem inſolitam demirati, exclamarint: *Planctus magnus eſt iſte Ægyptijs. Et idcircò vocatum eſt nomen loci illius: Planctus Ægypti.* Quis non miretur, quòd poſtquam Hebræi Ægyptiis permixti, totos ſeptuaginta dies in Ægypto Iacobi exequias magno planctu celebrarunt, nunc quoque in areâ Atad, procùl à ſepulcro, luctum in Palæſtinâ reſtaurent? ô vel chariſſimi defuncti luctum nimis ambitioſum! Ecquid nunc in Chananitide lugent, quem perdiu olim in Ægypto deplorarunt? Putauerim, tam prolixas lacrymas pœnitendas fore: & ambitioſiorem defunctorum luctum, non tam eſſe chariſſimi defuncti ambitioſum obſequium, quam funeſtæ alicuius calamitatis præſagium: quod ibi

Hic v. 31.

Gen. 50. v. 10

Diuturnior defunctorum planctus futuram calamitatem prophetat.

Strab. ibid. ibi Strabus Fuldenſis opportunè notauit his verbis. *Qui in hoc loco* (in areâ, inquam Atad) *poſteà multitudo filiorum Iſrael murmurātis contra Dominum, diuino igne conſumpta eſt, tanto luctu non tam mors Iacob, quam ruina populi futura lugebatur.* Scilicet qui propter nimium defuncti amorem, vel propter arrogantiæ faſtum, diuturniùs & ſumptuoſiùs mortuū ſuum luget, funeſtum aliquod infortunium præſagit, & accerſit, tanto dignum luctu. Quicquid lacrymarum ſupereſt, infauſtè prophetat, lugendam adhuc reſtare calamitatem; cui plorandæ tot nunc ſuperflui gemitus idoneè impendantur. Heu infeſtum omen! Scilicet præproperè prophetæ præcurrunt lacrymæ, quæ vbertim mox impendens infortunium deplorent: ô fuge infauſtum futuræ calamitatis augurium!

3\. Eccli. 38. v.16. & 17. *Defunctum plorare, qui incipit, luctū conſūmauit.*
Sapienter Siracides mortales admonet lacrymarum ſobrietatem in chariſſimorum morte: *Fili*, inquit, *in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare.... Propter delaturam autem amare fer luctum illius vno die, & conſolare propter triſtitiam: & fac luctum ſecundum meritum eius vno die vel duobus propter detractionem.* Expende illud, *Incipe plorare*, quaſi planctus non tam explicandus ſit, quàm inſinuandus: parturiant oculi lacrymas, quas ſtatim Chriſtiana prudentia ſimul cum defuncto tumulet. Luctum incepiſſe prudentibus, conſummaſſe eſt. Gen.23.v.2. Geneſeos 23. *Venit Abraham vt plangeret, & fleret eam*, Saram inquam, vxorem ſuam in primis dilectam. Ad quæ verba ita Gloſſa Græca peritè ſcribit: Gloſſa Græca ibid. *Afflictio animi Abraham explicatur: non tamen ſcriptum eſt illum planxiſſe, ſed veniſſe vt plangeret.* Si Abrahamus non planxiſſet chariſſimam vxorem, agreſtis animi, & ſaxeæ duritiei argueretur: ſi plangere induceretur, femineæ lacrymæ maſculam Patriarchæ conſtantiam deuenuſtarent. Vnde ſcriptum non eſt, illum planxiſſe, ſed veniſſe vt plangeret. Scilicet plangit vt pius; non verò apparet plangere, ne magnus Patriarcha, etiam in charæ coniugis funere lacrymas fudiſſe videatur.

4\. *Nimia pietas in defunctos, impietatis ſuſpecta eſt?* Lipom. in Caten. inibi.
Perſæpè quod nefas eſſet non facere, palàm feciſſe nefas eſt. Verùm cùm per Scripturam liceat plorare *incipere* in charorum funere, litteraliùs & moraliùs locum interpretatur Lipomanus. *Ante ſepulturam*, ait, *Sara planxit ſemel, & fleuit Patriarcha: poſt ſepulturam autem nequaquam fleuiſſe legitur. Vt fideles ſuos per hoc ſancta Scriptura doceat, mortuos moderatè deflendos, & tunc tantùm cùm in promptu adeſt funus.* ad Theſſal.4. v. 12. *Quidquid enim aliud poſtmodum agitur præter orationes, & eleemoſynas, & oblationes pro eorum animabus, videtur ex infidelitate procedere, admonente nos Apoſtolo, ne ſuper mortuis contriſtemur ſicut cæteri qui ſpem non habent.* Quid exaggeratius? quaſi effuſiores pro defunctis lacrymæ fidem euaporent: & quod pietatem palàm venditat, impietatis clàm oſtentet reatum.

5\. Baſil. homil. de Inuidiâ. *Mortuorum amicus inuidus.*
Vereor ne ambitioſior defunctorum luctus, eorum inuideat gloriæ, & inuidentiam ſuam prodat. *Mortuorum amicus inuidus* (ait Baſilius) *poſt mortem extollit; verbis ornat, quàm fuerit formoſus, quam ingenioſus, quamque ad omnia accommodatus; cùm certè viuo nec linguæ quidem rectum dediſſet vſum: & cum præſentibus & viuis ſit inimicus, mortuis pereuntibus ſit amicus.* Planè Inuidus, mortuorum amicus eſt, et viuorum inimicus. Morti propinquorum gratulatur, quam lacrymarum ambitione, & pompâ ambitioſi funeris celebrat. Laudat mortuum, quem illaudatum negligebat viuum: & quem faſtidiuit viuentem, qui maluit defunctum, defunctum commendat: ô quàm ſuſpectus & doloſus eſt, exquiſitus defunctorum cultus & planctus!

§. CCCC.

Tempus eſt potentiorum Principum ſubſiſtentia.

1\. Seneca de breuit. vitæ.
ANTIQVA Senecæ vox eſt, Principes præſertim alloquens: *Omnia tanquam mortales timetis, omnia tanquam immortales concupiſcitis.* Nunquam vobis veſtra fragilitas ſuccurrit? An purpuratus puluiſculus à communi terræ ſuæ cenſu exemptus eſt, rubricâ immortalitatis vindice? *Regibus cognata eſt mortis obliuio.* Non pudet te ad reliquias vitæ te tibi ſeruare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod incertum eſt, an victurus ſis? Quæ tam ſtulta mortalitatis obliuio? ô quàm ſerum eſt velle benè viuere incipere, cùm tibi deſinendum eſt, aut fortè iam diu viuere deſiiſti! Quis iſta ſicut diſponis ire patietur? Quem tandem longioris vitę pedem cum ſceptro accipis? Si conſideras, pręter tempus, quod vanus vbique faſtus, ſtulta lætitia, auida cupiditas, blanda conuerſatio, negotiorum otium, aut otij negotiū diripit, quàm exiguum tibi de tuo relictum ſit, intelliges te immaturum mori præterquàm quòd breue Regum æuum eſt, & ſolo tempore ſtat eorum felicitas: ô fragilem, falſatam, & mentitam fortunam, quæ fugaci tempore tota ſubſiſtit! Attende ad tot Regum potentiſſimorum ſcenas, quas vel minor ætas vidit.

2\. Matth.2.v.1.
Matthæi 2. *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem in diebus Herodis regis*, &c. Regum vitam breui dierum menſura Euangeliſta metitur, cùm hominis priuati tempus per annos computetur. Tempus quòd Regibus Fortuna detrahit, adiicit ad gloriam. Altè conqueritur de hâc Regum calamitate magnus ille Hebrææ gentis Rex, dum ſic cum Deo expoſtulat: Pſ.38. v. 6. *Inane nihilum eſt tempus ſeu hypoſtaſis Regum.* *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen in imagine pertranſit homo.* Nota concentum inter Euangeliſtam & Prophetam. Scilicet vterque pariter auarâ *dierum* menſurâ Regum ætatem cenſet. Rex dies viuit, & quidem *menſurabiles*, alij exſcribunt *cubitales* ſeu *palmares*. *Le miden à dedos las horas del reinar.* Vel ſucceſſoris impatiens ambitio, vel ſceptri agnata inuidia, vel odium faſtidioſi Principum ſupercilij, vel immenſis vectigalibus obæratus ſubditorum cenſus, Regum vitam votis minorant, & crebris maledictis ſenſim abrodunt. Addit Propheta: *Et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te*, id eſt, vigor. Hebraïcè, *Tempus meum tanquam nihilum ante te.* Græcè, *Hypoſtaſis*, ſeu *ſubſiſtentia mea tanquam nihilum ante te.* Nempè
3\.
Tempus quod Reges viuunt, eſt eorum *ſubſtantia*, aut *hypoſtaſis*, aut *ſubſiſtentia*? Tota regum

gloria *tempore* quaſi *hypoſtaſi* ſubſiſtit? ô caducam ſceptrorum ſubſiſtentiam! Qui fluxis & fugacibus temporum momentis ſubſiſtit, velut in lubrico vacillat, & caſuro ſimilis ſemper impendet. Vnde rex Dauid, vbi dies ſuos menſurabiles ſeu palmares luget, confeſtim ſubdit: *Et ſubſiſtentia mea tanquam nihilum ante te.* Nihilum inaniſſimum eſt Principum hypoſtaſis? Addit regius Vates: *Veruntamen in imagine pertranſit homo*, id eſt, *inſtar ſpectri*, ait inibi magnus Bibliorum ſcholiaſtes, Mariana inquam. Vita Principum pulchrè ſpectris comparatur: ſpectra autem imaginatione ſubſiſtunt, & ſomno velut fulcro ſuſtentantur, vel potiùs cum ſomno euaneſcunt. Vides fluxam & caducam Procerum ſubſiſtentiam, vide etiam mihi filiorum Dei ſubſiſtentiam, quam his verbis tradidit S. Cyrillus exponens illud Ioannis 1. *In ipſo vita erat. Vnigenitus*, inquit, *Dei filius, principium, & ſubſiſtentia omnium tam viſibilium, quàm inuiſibilium, in ipſis vita erat.* Ecce tibi in quibus vera vita eſt, nimirùm non in his, quorum hypoſtaſis, tempus fugitiuum eſt; ſed *in ipſis vita erat*, in quibus per diuinioris gratiæ dona, *vnigenitus Dei filius, principium, & ſubſiſtentia* eſt. Eleganter ſubſiſtentiæ analogiâ vtitur Cyrillus.

4\. Sapientiæ 2. Dynaſtarum potentiſſimi, & mundi ſummates in id conſilij conſpirant: Venite, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creaturâ tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus. Coronemus nos roſis antequam marceſcant. *Et non prætereat nos flos temporis*: ô homines vecordes, qui coronari roſis expetunt antequam marceſcant: an flores dum decerpuntur, luxuriantis manus attactu non ferè defloreſcunt, & marcent? Sed quid eſt iſte *flos temporis*, quem ſibi proceres vernare præſumunt? Quidam ea verba referunt ad nimiam deliciarum teneritudinem: delicatiſſima enim florum gratia eſt. Aliqui *florem temporis* interpretantur adoleſcentiam, quæ flos ætatis dici poteſt. Quod enim præcipuum eſt in quacumque re, id flos *vrbis, nobilitatis, poëtarum, militiæ, ſapientiæ*, &c. nuncupatur. Alij denique per *florem temporis* intelligunt propriam cuiuſque temporis voluptatem, in hyeme ignes, in vere flores, in æſtate viridaria, in autumno fructus. Ita vt *flos temporis* dicatur quidquid iucundum ac voluptuoſum ſingula ferunt tempora. Hi autem, vt ibi ait S. Bonauentura, *Nihil curant de fructu animæ caleſtis, ſed de flore veris præſentis.* Verùm qui floridam vitam tranſigunt, quorum tempus flos eſt tener, delicatus, caducus, fallax, fugitiuus, ocyſſimè, vt flores marcent. De huiuſmodi Zaphæis, id eſt, florentibus, ſic loquitur S. Auguſtinus: *Qui florent in ſeculo, & areſcent in iudicio, & poſt ariditatem in ignem æternum mittuntur.* Et ad illud Pſalmi 102. *Homo tanquam flos agri ſic efflorebit*, ita rurſus ſcribit: *Totus ſplendor generis humani, honores, poteſtates, diuitiæ, flos fœni ſunt: & ſicut vix annua eſt pulchritudo agri, & perexiguo tempore tranſeunt flores, qui ſunt pulchritudo herbarum, ſic humana proſperitas*, &c. (Multa in hanc ſententiam inibi congerit & ſpiſſat Cetuantes) Scilicet Dynaſtarum felicitas, *flos temporis* eſt, qui manè è papillis nitidus erumpit, meridie rugoſior marcet, veſpere deciduus areſcit, & proculcatus ſqualet, & ad plantæ radices ſepultâ pulchritudine, totum deponit ambitionis faſtum. Heu ecquis ambiat fugitiuam Principum felicitatem, cuius typus, & floris nitor, aut flos temporis; & tempus, eorum ſubſiſtentia? Tandem Iacobus illuſtrioris familiæ conditor & Princeps, tandem inquam, defloreſcit, marcet, moritur, cadaueraſcit, & in matricem puluerem tandem ſoluitur.

Aug. in titulo Pſal. 53. Pſal. 102. v. 15. Auguſt. ibi.

Hic v. 32.

Sat his emedullata opinor, & ad litteram & ad mores, ſex præcipua Geneſeos capita, in quibus ſex præfatæ Benedictiones continentur, qui fuit huius Lucubratiunculæ ſcopus; quem vtinam collimarim ad Dei gloriam, & moralium virtutum Chriſtianam eruditionem.

Si quid in hoc Opere humana tenuitas deliquit, lubens ſubijcio correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ, & eruditorum cultiori iudicio.

Si quid laude dignum appareat, illud vltrò deſtino Virgini Deiparæ, & Diuo Ignatio Protoparenti optimo.

FINIS.

COPIA

COPIA AD SACRAS CONCIONES.

Dominica I. Aduentus.

Lucæ 21.

ERVNT *ſigna in Sole*, &c. Omnes creaturæ expaueſcunt, & expalleſcunt, dum appropinquat dies tremenda finalis iudicij; quod hominum peccatis non tantùm contemni, ſed & ſpeciatim *offendi* dicitur. §.283.*n*.3.*p*.350.*a.b.*

Erunt ſigna in Sole, &c. Quid hæc prodigioſa cæli & terræ ſigna ſignificāt? Quis ſit Deus, non tam Chriſti aduenientis Miſericordia, quàm finalis Iudicij rigor declarat? §. 283. *n*.1.*p*.350

Erunt ſigna in Sole, &c. Prælustres cæli faces luce viduantur, & caligat orbis, quaſi acerbioris ſuæ Iuſtitiæ bonum Deus erubeſcat? §.109.*n*.1. *&* 2.,*&c*.*p*.138.139

Erunt ſigna in Sole, &c. Si tam acerbè punire intentat, cur ſigna præmittit? Annon præſtaret, vt homines inſperato & improuiſo comperentur iudicio, ad Iuſtitiæ ſeueritatem? Profectò in acerbioris ſupplicij rigoribus, diuinioris clementiæ leguntur characteres. §.106.*n*.2. *&* 3.*p*.136

Erunt ſigna in Sole, &c. Cùm Deus ſeuetiùs mundum in extremo Iudicio punit, tenebras oppandit; & cum Sodomam punit, ortum Solis expectat? Eâdem, opinor, de cauſâ vtrumque venit. In Iudicio ſupplicij rigores tenebris abſcondit: & in Sodomorum incendio, cæli ignis, luce Solis occultatur. §.109.*n*.2.*p*.138.139

Erunt ſigna in Sole, &c. Cælum & elementa prodigioſis ſignis Iudicij acerbitatem cur minitantur? Scilicet benignitatis arbitrium eſt. Nam acerbioris ſupplicij iactatæ minæ, ſupplicij meritum ſine ſupplicio redimunt. §.111.*n*.1. *&* 2. *&c*.*p*.140.141

Erunt ſigna in Sole, &c. Eccur Dei minæ in cælo & terra ſcriptæ leguntur? Nempe minacia verba ſæpius euaporant furorem; taciturnitas in homine offenſo, ſæpè crudelitatis comes, & augurium eſt? §.286.*n*.1.*&* 2.*&c*. *p*.352.353

Erunt ſigna in Sole, &c. Quare Iudicij rigores prædictione denunciat? An ſatagit, vt homines hos Iuſtitiæ ſcopulos declinent? Sanè perfectus operator priùs rem efficit, quàm eam incepturus putetur. §.2.*n*.1. *&* 2. *&c*. *p*.21. 22

Erunt ſigna in Sole, &c. Poſt peccatorum diu correptionem, peracerbos Iudicij rigores Chriſtus mundo proponit, ad Iuſtitiæ exaggerationem, Nam flagitium poſt beneuolam correptionem patratum, & Iuſtitiam irritat, & Miſericordiam exacerbat. §. 104. *n*.1. *&* 2. *&c*.*p*.134

Erunt ſigna in Sole, &c. Defectus lucis in Sole, vt Chriſti mortem, ſic & finalis Iudicij rigores ſumptuoſiùs clarat? §. 24. *num*. 3. *p*. 44

Erunt ſigna in Sole, &c. Lux eouſque cetera arguens, tunc tabeſcit, verita in finali iudicio ſui examen? §. 29. *numero* 4. *pagin*. 49. nonnihil hâc ſuper re perſtringitur.

Erunt ſigna in Sole, &c. Cæli luces tunc extinguuntur, an quia delicatior Diaboli cibus ſunt luces extinctæ? §. 188. *num*. 5. *p*.235

Erunt ſigna in Sole, &c. Chriſto iudicante, ſicut & Chriſto moriente, Sol obſcuratur, vt abſconſam hominum malitiam, tenebræ prodant. §. 228. *num*. 2. *pagin*. 274

Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis. Tabeſcit cælum, & cæli nomen, ſuoſque fulgores tunc erubeſcit; quia ſuorum influxuum beneficentia in ſubiectam terram, exinceps vacat? §. 3. *n*. 5. *p*. 23

Et in terris preſſura Gentium, areſcentibus hominibus præ timore. Dei Iudicium timebunt, an Antichriſti tyrannidem? Profectò qui Deum timet, in timoris diuini aſylo, homines non timet, ridens mentitas mundi minas. §. 108. *numero* 1. *&* 2. *&* 3. *p*.137. 138

Areſcentibus hominibus præ timore. Appropinquante Iudicio, mundana magnanimitatis ambitio detumeſcet: ô iam non verum! Arrogantes inflat infelicitas! §. 383. *num*. 4. *p*. 453

Areſcentibus hominibus præ timore. Quia vſqueadeò metus metuendi cauſas exaggerat, vt ſæpè homo felicitatem periculi ſui timeat. §. 194. *n*.2. *&* 3. *p*.240

Areſcentibus hominibus præ timore. An tantæ calamitatis incuſſo terrore, homines reddit puſillanimos ad virtutis facinora? Minimè quidem. Nam audacia de prælio timore armatur: neſcit audere, qui timere neſcit. §. 195. *n*. 2. *&* 3. *p*.241

Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione. Eſto, præ timore areſcant, quomodo areſcunt præ expectatione? Spebus adipati, imbecilles fiunt? Profectò humana imbecillitas, piæ audaciæ conceptaculum eſt. §. 138. *num*. 2. *&* 3. *p*. 175. 176

Præ timore, & expectatione. Annon fiducia nutat in periculi timore? Verùm naufraga ſpes, in aſylo periculi ſui tutior eſt. §.172.*num.*2. & 3.*p.*212

Præ timore, & expectatione. Dum poſtremam calamitatem timent, fidentiùs ſperant. Nam vltima neceſſitas eſſe non debet ſpei iactura, ſed fiduciæ promptuarium. §.378.*n.*1. & 2. & 3.*p.*447. 448

Quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. O bonus Iudex, æquus in omnes! Hinc Solis præfectura, æqui Præſidis idea proponitur; Lunæ verò deuenuſtatur præfectura, quia quod alterâ parte deeſt ſemper aliis offert. §.73.*num.*1. & 2.*p.*93. 94

Tunc videbunt filium hominis, &c. Mitiorne erit gehenna, quàm in Iudicio iratus Chriſti Dei vultus? §.11.*n.*2.*p.*31

Tunc videbunt filium hominis, &c. An vt oppreſſos ab Antichriſto liberet, finale Iudicium Chriſtus inſtituit? §.335.*numero* 4. *p.*404

Tunc videbunt filium hominis venientem. Et cur Spiritus ſanctus in magna Iudicij finalis die iudicare non dicitur? An quia amor eſt? §.225.*num.* 4. &c.*p.* 171. 172

Tunc videbunt filium hominis venientem. O peracerbos Iudicij rigores, nullâ humanâ vi, aut induſtriâ effugiendos! Nam à iudice offenſo nullum ſatis tutum effugiũ eſt. §.231. *n.*1. &c.*p.*276. 277

Tunc videbunt filium hominis venientem, &c. Quare non incorporatus Deus, ſed Deus homo finale Iudicium celebrat? An benignitatis lenocinium eſt, in ſe ipſo expertum fuiſſe rigorum acerbitates? §.254.*n.*2. & 3. *p.*307

Filium hominis venientem in nube. Quia Noëmi tempore in nubibus extitit periculi ſecuritas, vnde poterat timeri periculum. §.105. *num.*2. &c.*p.*135

Venientem in nube cum poteſtate magna. Potentia, cui non præſidet Ratio, ſuſpecta furoris eſt. Inde Chriſtus priùs dicitur Ratio, quàm omnipotentiâ pollere dicatur. §.6.*n.*3. & 4. *p.*27

Cum poteſtate magna, & maieſtate. Quare Cæli luces extinguit, quando venit cum iudicantis maieſtate? An Chriſti Dei maieſtas ex eius potiùs humilitate cẽſenda eſt? §.353. *num.*3. *p.*423

His autem fieri incipientibus, reſpicite. Quid homines iudicandi debent ſtatim retrò aſpicere? Fortè anteactæ vitæ ſcelera, pœnitentiæ oculis. An flagitioſius peccatum perfectâ ipſius cognitione curatur? §.322.*num.*2. & 3.*p.*390

Reſpicite, & leuate capita veſtra. Quorsùm vt videant imminens terræ periculum, oculos in cælum leuare iubentur? An quia in cæli aſpectu perſpicaciùs cernitur terræ ſqualor? §.67. *n.*2.*p.*87

Quoniam appropinquat redemptio veſtra. An tunc dicitur Redemptio appropinquare, quia violenta populorum oppreſſio per Antichriſtum facta, redemptorem vindicem experit? §.325.*n.*4.*p.*404. An Chriſtus per conſummatæ redemptionis meritum, ad pacem deitatis perueniſſe dicitur? §.336.*n.*4.*p.*405

Videte ficulneam.... cùm producunt ex ſe fructum, &c. Cur exemplum apponit in ficulneâ, quæ etſi bis fructificet; ſuo tamen tempore fructus ſuos fert? At Chriſtiana perfectio, non tantùm ſuo, ſed etiam omni tempore fructificare debet. §.65.*n.*2. & 3.*p.*85. 86

Cùm videritis hæc fieri, ſcitote, &c. Indicia tradit, & ſcientiam ex meris indiciis pollicetur, aiens, *Scitote?* Moraliſſimè quidẽ, agens cum hominibus. Nonnulli enim ſic ſe credunt indiciis & coniecturis, vt quod ob indicia credunt, reputent Euangelium. §.38. *num.*2. & 3.*p.*58

His autem fieri incipientibus, reſpicite, &c. Nuper dixerat extinctas eſſe cæli luces, & iubet vt reſpiciant? Nil in tenebris, aut maligna luce videbunt. Aſt perdita Euangelij drachma, meliùs ſtatim quæritur in obſcurâ nocte, quàm poſteà in clara diei luce. §.159. *n.*2. & 3. & 4.*p.*198. 199.

Dominica II. Aduentus.

Matth. 11.

Ioannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, &c. Ioannes olim pernoſcens occultam Chriſti virtutem & miracula, indubiè credit; & cùm ea Chriſtus publicare incipit, de illis Ioannes dubitaſſe videtur? An quia occulta virtus & miracula, credibiliora ſunt? §.24.*n.*2. & 3.*p.*44

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. Quem perſpectum habebat, dum ex famâ audit, velut ignorare videtur? Sic vel ipſa veritas per bonos etiam traduces linguarum, & aurium aliquando malignè ſerpit? §.41. *n.*2. & 3.*p.*61

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. Lux auribus etiam loquitur? vox oculos quoque illuminat? Ioannes videt auribus opera, quę de Chriſto in vinculis audit? §.35. *n.*2. & 3. &c.*p.*55

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, &c. Enimverò inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum. §.100. *n.*2. & 3.*p.*246

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. Prima inquam, quæ patrauit Chriſtus miracula: & inde quaſi incredibilia, narrata ſunt Ioanni. Conſultiſſimè Samſon primum opus fortitudinis ſuæ cautè celat, ne putetur incredibile, quoadvſque fama increbreſcens magno Operi fidem negotietur. §.153.*n.*2. & 3.*p.*192. 193

Ioannes in vinculis. Vinculorum arcana dignitas, libertatis vindex eſt. §.380.*n.*1.*p.*449 Chriſtus Deus cognatos refutat, qui refutant vincula. Ibidem. *n.* 2. Chriſtus infans faſciis dirigitur, vinctionibus formatur? §.380.*n.*3.*p.*449. 450. Conſultiſſimè Zara cedit primogenituræ, vinctionis gloriâ contentus? *Ibi.* *n.*5.*p.*450

Mittens duos de Diſcipulis ſuis. Eccur ipſe Diſcipulos ſuos non docet, ſed docẽdos mittit ad Chriſtum? An quia ſcit, quòd nonnulli

ſic

ſic tenaciſſimè ſuæ ſcholæ adhæreſcunt, vt veritati ab aliis inuentæ planè renunciarint? Iſtiuſmodi eſſe Ioannis diſcipulos traditur. §. 340. *n.* 2. *&c.* *p.* 409

Tu es qui venturus es? Quare ipſius de ſe teſtimonio auguſtam Meſſię dignitatem permittit? Scilicet quod in conferendâ Meſſiæ dignitate Senatores cognati erga Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationem. §. 295 *num.* 2. *&c.* *p.* 361. 362

Tu es qui venturus es? Ioannes non fide, ſed pietate dubitauit. §. 3. *num.* 3. *pagin.* 22

Tu es qui venturus es? Fecit Ioannes ſuos diſcipulos interrogando, potiùs quàm docendo erudit? Scilicet homo ſuæ cognato faſtu, interrogatione citiùs, quàm ratione ſuadetur; ne trahi ad aſſenſum, ſed ire videatur. §. 210. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 256

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Ibiſne ad Patrum limbum, limbi, quò ego propero, Redemptor? (vt putat Hugo ex Sancti Gregorij interpretatione) Nempè bonum inferis nuncium deferre, Ioannes ſatagit; benè ſciens, quòd ipſa rei fauſtæ denunciatio, delati boni nuncij remuneratio eſt. §. 107. *num.* 2. *&* 3. *p.* 136. 137

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Ignorat Ioannes quem prædicat Chriſtum? An vſqueadeò Deus noſter ſublimiſſimè auguſtus eſt, vt videri niſi inuiſibiliter non poſſit? §. 26. *num.* 2. *&* 3. *p.* 46

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Dubitatne Ioannes, & dubitatione ſuâ Ieſuanæ dignitati detrahit? An fauori ſæpè imputandum eſt, quòd perſpectum aliorum bonum nobis placeat? §. 33. *num.* 1. *&c.* *p.* 53. 54

Euntes, renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, &c. Cur non verbis, ſed beneficentia reſpondeat Chriſtus? Scilicet dum magis beneficus oſtenditur, Plenitudo diuinitatis appellatur. §. 3. *num.* 3. *&* 4. *p.* 22. 23

Euntes, renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, &c. Quare Dei Sapientia, non verbis, ſed operibus reſpondet? An quia vitæ citiùs, quam linguæ eloquentia, potentior eſt ad virtutis ſuadelam? §. 351. *n.* 1. *&* 2. *&c.* *p.* 420. 421

Euntes, renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, &c. Hominibus permittit veram rei geſtæ narrationem? Res planè miriſſima! Nam de virgâ Aaronis, & de Magorum figmentis, nil differt loquendi modus. §. 76. *numero* 3. *pagin.* 97

Euntes, renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, &c. Ioannis Baptiſtæ diſcipulis veram rei, quam audierant, narrationem permittit; qui Aaronem prophetiæ ſpiritu donauit, vt quod ex Moyſis ore audit, fideliter populo referat? §. 41. *num.* 3. *pagin.* 61

Euntes, renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, &c. Conſultò auditui viſum addit. Nam auditus ſæpè fallax teſtis eſt; ſecus rei viſio. §. 40. *numero* 4. *&c.* *p.* 60

Euntes, renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæcį vident, &c. Confeſtim à ſe ablegat æmulos Ioannis diſcipulos, ad maiorem teſtimonij fidem, ne ex ſuo collegio putentur. Nam indubia habetur veritas, cui militat æmuli ſuffragium. §. 45. *num.* 2. *&c.* *p.* 65

Renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, &c. Æmulorum oculos ſiſtit teſtes. Sic æmulus Saül, Dauidis *Oculator* dicitur. §. 39. *num.* 2. *p.* 59

Et vidiſtis. Cæci vident, &c. Splendor Patris oculis explorandus erat. Sed æmuli viſus, lucem niſi extinctam non videt. §. 188. *n.* 2. *&* 3. *p.* 234

Cæci vident, claudi ambulant, &c. Quaſi dubitat Ioannes audiendo Chriſti opera, & dubitati Chriſtus operibus reſpondet? Dum quaſi deuenuſtatur operum auctor, adhuc famam ex operibus quærit? Hinc diu claudicauit Diſcipulorum Ioannis fides? Nam opus non ex ipſius merito, ſed ex famâ operantis taxari ſolitat. §. 153. *n.* 2. *&* 3. *p.* 192. 193

Claudi ambulant. Quia claudis pedes donantur, ſe probat Chriſtus omnium Redemptorem? Efficaciſſimè quidem. Nam myſticè pedis ſanitas, largitam nobilioribus membris ſanitatem importat. §. 91. *num.* 2. *&c.* *p.* 111. 112

Pauperes euangelizantur. Et cur non etiam diuites, vt omnium Doctor agnoſcatur Chriſtus? Idémne eſt, Pauperes euangelizantur, ac totus omninò mundus euangelizatur? Nam cura erga pauperes, ſollertem erga reliquos curam vulgò ſupponit. §. 91. *n.* 3. *&* 4. *p.* 112

Pauperes euangelizantur. Inter Chriſti miracula denarratur, quòd pauperes euangelizentur? Miraculi adinſtar eſt, Euangelium pauperibus prædicari? Sic olim & nunc volupe eſt Prædicatoribus, lucrum è concionibus captare? *Super hac theſi vberiùs, in Tobia commentariis.*

Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Virtus eximia, an viſcatum vitium ſcandalizat? Heu! cùm vitia arrident & proſunt, peccat qui rectè facit? §. 23. *n.* 1. *&* 2. *&c.* *p.* 43

Cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne. Cùm videtur quaſi offenſus vel ſpecie dubij, tunc illius encomiaſtes factus eſt? Scilicet pietas Chriſtiana iniuriis neſcit offendi. Pro malis bona non donare tantùm, ſed *reſtituere* debemus, velut rem debitam. §. 62. *n.* 1. *&* 2. *p.* 82

Cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne. Quia Chriſtus de alienæ lucis extinctione, ſuam non accendit: excellens gloriam cæli, quod lucere neſcit, quin terras obſcuret. §. 27. *n.* 2. *&* 3. *p.* 46. 47

Quid exiſtis in deſertum videre? Ioannes in deſerto Chriſtus putatur: Chriſtus Deus in vrbibus vix Ioannes habetur? §. 191. *n.* 4. *p.* 238

In Domibus Regum ſunt. Probaturne Ioannis virtus eximia, quia Regum palatia non frequentat? An quia mirum fortaſſis fuit, Iacobum tantiſper in aula commoratum, patriæ cæleſtis non fuiſſe oblitum? §. 389. *num.* 2. & 3. *p.* 459. 460

Ecce ego mitto Angelum meum. Sic in Ioanne natura humana peregrinatur, vt non tam homo, quàm Angelus dicatur? Scilicet Ioannes ingratus naſcitur in naturam, vt totum ſe debeat gratiæ. §. 327. *num.* 4. *p.* 396

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis, &c. Diu in carcere Ioannes ſuſtinuit vincula ferrea; quæ ſi inauraſſet, fortè ſoſpes extitiſſet. §. 278. *num.* 4. *p.* 335

Dominica III. Aduentus.

Ioannis 1.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis, &c. Fortè Ieroſolymitani Senatores non valdè optarunt Ioannem inaugurare in Meſſiam, dum legatos tot peragendæ miſerunt? Porrò rem cupitam non per vicarios, ſed per ſe ipſum exequi, magni amoris character eſt. §. 259. *num.* 1. & 2. & 3. *pag.* 312

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis, &c. Diuinus amor oſtenditur; quia Deus non per alios, ſed per ſe, homines redemit; & homines non per ſe, ſed per alios Redemptorem quærunt? §. 259. *n.* 4. *p.* 312. 313

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis, &c. Iſtiuſmodi legatio è Ieroſolymis mittéda erat: nam frequens & populoſa ciuitas, vt regni, ſic & vitiorum metropolis eſſe ſolet. §. 146. *n.* 2. &c. *p.* 185. 186

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes, & Leuitas ad Ioannem. Sacerdotes & Leuitæ, Ioanni ſacerdoti & Leuitæ ſummam Dignitatem offerunt: nam Præfecti cognatio, meritum eſt ad Præfecturas. §. 359. *n.* 2. & 3. *p.* 428. 429.

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes, & Leuitas ad Ioannem. Leuitæ Ioanni Dignitatem Meſſiæ, oriundi è Iudæ tribu, Ieroſolymitani Pontifices offerunt? Id biblicè eruditi conficiant? Quid mirum, ſi duntaxat Collegium amicorum conſulitur. §. 356. *n.* 3. *p.* 426. Velis & ſenties, quos ſentire velis, §. 76. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 96. 97. Non affectus, ſed Ratio aduocetur in Conſilium. §. 80. *n.* 2. & 3. *p.* 100

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, &c. Quod in conferendâ Meſſiæ dignitate, Senatores cognati erga Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationē. §. 295 *n.* 2. & 3. *p.* 361. 362

Vt interrogarent eum: Tu quis es? Reipublicæ Senatores id à Ioanne interrogare non erubeſcunt; Profectò canam ſenectutem magis dedecet ignorare, quàm diſcere. §. 371. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 440

Vt interrogarent eum: Tu quis es? Ex Ioannis reſponſo haud dubiè colligitur, ſciſcitatos fuiſſe, an eſſet Chriſtus. Scilicet Ioannes in deſerto, Chriſtus putatur: Chriſtus in vrbibus, vix Ioannes habetur? §. 191. *n.* 4. *p.* 238

Vt interrogarent eum: Tu quis es? Quaſi dicant: Per nos quiduis ſublime eſſe poteris: nam cognatus Senatorum es. Cognati autem ſunt ſuorum *ſubſiſtentia.* §. 56. *num.* 2. *p.* 76

Vt interrogarent eum: Tu quis es? Senatores arroganter ſapientes, quaſi dubij aliquid interrogant? Verùm ambitioſus ſapientiæ faſtus, vel de dubitatione ſuâ ſic arroganter præſumit, vt illam ad ſui ingenij famam perpetuare præſumat. §. 298. *n.* 2. & 3. *p.* 364. 365

Vt interrogarent eum: Tu quis es? Non benè ſuo ipſius ſuffragio permittitur hominis cenſus. Si interroges, Quis ſit in re nobilitatis? perſpicuum eſt, quòd humana genealogia, quæ non eſt in Bibliis, Euangelium non eſt. §. 113. *n.* 1. & 2. &c. *p.* 142. 143. Si interroges, Quis ſit in re diuitiarum? Sæpè diuitiæ, opinione potiùs, quàm opibus conſtant. §. 165. *num.* 2. & 3. *p.* 204. 205. Si interroges, Quis ſit in re virtutis? Nemo non benignus eſt ſibi cenſor. §. 247. *num.* 1. & 2. & 3. *p.* 299. 300

Et confeſſus eſt, & non negauit, &c. Honorum repulſa, eſt pia Sanctorum ambitio. §. 157. *num.* 1. & 2. & 3. *p.* 196. 197

Et confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Cur ſemel, iterùm; & tertiò ſummum honorem conſtanter recuſat? Profectò obſtinata honorum recuſatio, electorem velut contentioſum facit, vt illam ſublimet. §. 338. *num.* 2. & 3. &c. *p.* 407

Elias es tu? .... Propheta es tu? Si Ioannes habetur vt Elias, aut magnus aliquis Propheta, cur ipſi non credunt teſtimonio, quod de Chriſto perhibuit? An quia fauori imputandum eſt, quod perſpectum aliorum bonum nobis placeat? §. 33. *num.* 2. & 3. *p.* 53. 54

Ego vox clamantis in deſerto. In deſerto citiùs, quàm in metropoli, Regum enormiora flagitia Ioannes reprehendit. §. 84. *n.* 3. & 4. *p.* 104. & 105

Ego vox clamantis in deſerto. In deſerto clamat, an in frequenti vrbium multitudine? Planè in deſerto clamat, non tam linguæ, quàm vitæ eloquentiâ. §. 351. *num.* 1. & 2. &c. *pag.* 420. 421. Bonum opus Dei verba maritat; ne ſint infœcunda perſuaſionis aborſu. §. 351. *num.* 4. &c. *pagin.* 421

Ego vox clamantis in deſerto. Quia vocis habet officium, vocem ſe nominat, vt inſinuet cum officio cognationem, quæ perfectiſſimum efformat officialem. §. 87. *num.* 2. & 3. *p.* 107. 108

Ego vox clamantis in deſerto. Quodnam eſt ſubiectum, aut ſuſtentaculum huius Vocis? Scilicet cuiuſque officium, eſt eius baſis, & ſubſiſtentia. §. 133. *num.* 1. *p.* 162

Dirigite viam Domini. Obliquáne eſt Dei via? Heu, toto diuinioris omnipotentiæ adniſu opus eſt, vt homo ad terram promiſſionis per obliquam Philiſthinorum viam pergere deſiſtat? §. 51. *n.* 2. *p.* 70. 71
Dirigite viam Domini. Ductu naturalis & moralis ſapientiæ, non imus in cælum, ſed aliquando erramus? §. 51. *n.* 4. *p.* 71
Dirigite viam Domini. Via virtutis dirigenda eſt: via autem vitij, prorsùs amouenda: ne pertinaci ſtudio per illam pergere contendamus. §. 51. *n.* 3. *p.* 71
Quid ergo baptizas? Si tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta. Paulò ante præmiſerat, hos legatos eſſe Phariſæos. Et bellè quidem. Qui venerunt diſcipuli à Ioanne edocendi, viri veritatem audiunt, reprehenſores euadunt.
Ego baptizo in aqua. Medius autem veſtrum ſtetit, &c. Errant Phariſæi dum Ioanni Meſſiæ honorem deferunt. Sed inde res Chriſtiana, Ioannis teſtimonium fœnerat. An præcelſum opus prouidentiæ diuinæ, per errorem humanum fieri debebat? §. 187. *n.* 2. & 3. *p.* 233
Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Inter eos eſt, & ab eis non cognoſcitur, ſed planè ignoratur? Hinc, ô Iudæi, Chriſtum cognoſcere debuiſſetis. Vſque adeò enim Deus noſter ſublimis eſt, vt videri niſi inuiſibiliter non poſſit. §. 26. *n.* 2. *&c. p.* 46
Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, &c. Errant Phariſæi dum Meſſiæ dignitatem Ioanni deferunt. Sed inde ad Chriſti notionem manuducuntur à Ioanne. Porrò rei præſentis error, ſæpè blanditur futurorum peritiæ. §. 186. *num.* 2. *p.* 232
Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt. Quia recentior apparuit Chriſti doctrina, non eſt poſtponenda doctrinæ Ioannis Baptiſtæ. §. 306. *num.* 4. & *toto* §. *p.* 375
Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Vel Ioannes Baptiſta indignus eſt obeundi muneris, ad quod electus non eſt? §. 270. *num.* 2. *&c. p.* 325. 326
Elias es tu? ... Propheta es tu? Et reſpondit: Non. Et quo modo Chriſtus ipſe dixit, eſſe Eliam, & pluſquam Prophetam? An quia amor, exaggeratior rei amatæ encomiaſtes eſt? §. 36. *num.* 2. *&c. p.* 56. An quia auguſtioris materiaris honos ex viliori humilitate cenſendus eſt? §. 353. *n.* 1. & 2. *&c. p.* 422. 423

Dominica IV. Aduentus.

Lucæ 3.

ANno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, &c. Probi, & improbi Superioris elogia vbertim traduntur in Indice, qui inſcribitur *Inſtitutio Politico-Chriſtiana.* Inde ſelige quod magis opportunum cenſebis.
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. Vide oculis hos Principes, flagitiis notiſſimos. Porrò Principum defectus, faſtigium ſublimitatis egregiè prodit. §. 21. *num.* 2. *p.* 41
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. O quot ſcelera horum Principum mentio ingerit memoriæ! Profectò ſublimior regum potentia, inconſulti furoris ſuſpecta eſt, niſi aduocata Ratio hanc notam eluat. §. 6. *n.* 1. & 2. *&c. p.* 26
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. Heu quot obſcuriſſima ſcelera horum Principum purpurâ nitent! Profectò auctoritatem conciliare delictis, magnum ſcelus eſt, magno luendum. §. 22. *n.* 2. & 3. *p.* 42
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. Hi omnes Principes flagitiis inſignes fuerunt. Scilicet Reges geminato & naturæ, & dignitatis velut fomite inſtigantur ad malum? §. 84. *n.* 1. & 2. *&c. p.* 104
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. Tot Principes improbi recenſentur, vt aduentus Redemptoris iam iam appropinquare denotetur: nam Regum crimina, indigentiam Redemptoris ſingulariter probant. §. 84. *n.* 2. *&c. p.* 104
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. O vide, qualis erit reſpublica, cui huiuſmodi Dynaſtæ imperant! Porrò Princeps, appoſita forma eſt, cui ſubiectus populus imprimitur. §. 122. *n.* 2. & 3. *p.* 151. 152
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. In acerbiſſimâ oppreſſione nec gemere populo licet; nec Deum orare iuuat? §. 125. *n.* 2. & 3. *p.* 154. 155. Aſt dura ſeruitus libertati de oppreſſione affinis eſt. §. 224. *n.* 2. & 3. *p.* 270
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c. Tot inhumani Principes referuntur, vt Chriſti probetur aduentus. Nam violenta ſubditorum oppreſſio, Redemptorem vindicem expetit. §. 335. *n.* 2. *p.* 404
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato, &c. Tot Paleſtinæ Principes recenſet, ad calamitatis exaggerationem. Nam plures pati Præfectos, Ægyptiacę oppreſſionis compendium eſt. §. 370. *n.* 2. & 3. *p.* 439
Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato, &c. O fugacem & volaticam Regum felicitatem! Porrò Tempus eſt Nihilum, eſt potentiorum Principum *ſubſiſtentia.* §. 400. *num.* 2. *&c. p.* 471. 472
Tetrarchâ autem Galilææ Herode, &c. Magni & improbiſſimi Herodis improba ſoboles, regni ſciſſione dignè caſtigatur. Nam conſors in regimine, Ira Dei nuncupatur. §. 71. *n.* 2. & 3. *p.* 92
Sub principibus ſacerdotum Anna, & Caïpha. Sic eſt populis pergraue, ſceleſtis Sacerdotibus ſubeſſe, vt Reipublicæ euangelizetur prauorum Sacerdotum cædes, etiam cum ingenti populorum clade? §. 208. *n.* 2. *p.* 253. 254
Sub principibus ſacerdotum Anna, & Caïpha. Sic eſt Deo infenſa populorum oppreſſio, quæ ab improbis Sacerdotibus venit, vt Deus à ſæuitia vindicandus ſit, cùm Sacer-

 dotum

dorum flagitia vindicat? §. 208. *num.* 5. p. 254

Factum eſt verbum Domini, &c. Non dictum, ſed factum dicitur in Ioanne verbum Domini, vt celeritas executi operis denotetur. Nam perfectus operator prius rem effecit, quàm eam inceptuius putetur. Sæpè enim operaturi verba præuia, vim operandi faſcinant. §.2.*n*.1.& 2.&c.p.21

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, &c. Et quare eò vſque factum non eſt? Scilicet ſapientiſſimus operator eſt, qui ſcire diſſimulat quovſque inſtet operandi tempus. §.40.*n*.2.p.60

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Sermo Dei, voluntas eſt, vt voluntatis ſuæ cogitationem proderet operantis effectu? §.37. *n*.4.p.57

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Antequam Dei verbum narretur Ioanni dictum, factum in Ioanne dicitur? Et antequam Dei verbum narretur in cælis factum, bis dictum perhibetur? §.5[illegible].*n*.2.p.71.72

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Nondum Dei verbum Ioanni dictum narratur, & iam factum perhibetur? An in Ioanne idonea ad rectè operandum potentia, præproperè gaudet operis priuilegio? §.89.*n*.2. & 3.p.109.110

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Antequam Dei verbum illi intimatum dicitur, iam factum dicitur? An potentia ad operandum in Ioanne, arcanum quoddam præceptum eſt? §.89.*n*.4.p.110

Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem. Necdum dicitur verbum *Domini*, Ioanni dictum, & præpropero obſequio factum dicitur: etſi *Domini* nomen, ſæpe obſequium, & amorem auertat. §.128. *num.* 2.& 3. p.158

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Conſultiſſimè Ioannes ad tractandum Dei verbum eligitur, poſt ſanctiſſimam in eremo vitam. Nam bona Prædicantis opera, Dei verba maritant, ne ſint infœcunda perſuaſionis aborſu. §.351.*n*.4.&c.p.421

Super Ioannem, Zachariæ filium. Nobilitas Ioannis innuitur. An nobilitas, quæ ſeritur, aut Principum fauore obtinetur, ſæpè adulterina eſt? §.156.*n*.3.p.196. Dignitas originis, in operum conſiſtit exemplis. §.170. *n*.4.p.210.211. Virtutem tamen Zachariæ (ſicut & Abrahami) nobilitare generis cōpenſat Deus? §.156.*n*.2.p.195.196

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. O quàm à pœnitentiæ balneo, fœdus delictis homo pulchreſcit! Profectò Berſabee non cùm agnatam pulchritudinem ornamentorum munditie exaggerat; ſed cùm ſordes abluit, tunc, tunc quidem perplacuiſſe dicitur. §.293. *num.* 1.p.359. 360

Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini: rectas facite, &c. Hæ ſententiæ expoſitæ ſunt ſermone præcedenti.

Omnis vallis implebitur. Quia Deus noſter, Deus etiam vallium eſt. §.91. *n*.4.p.112

Omnis vallis implebitur. Quia auguſtior maieſtas ex depreſſiori humilitate cenſenda eſt. §.353. *num*.1.& 2.p.422.423.&c. Porrò humilitas profundè deſcendit, vt Deum inueniat, cui omnia tribuit. §.354.*n*.2.p.423. 424

Et omnis mons, & collis humiliabitur. Nam ſublimius faſtigium ruinæ inſidiatur. §.132. *n*.1.& 3.p.161.162

Et omnis mons, & collis humiliabitur. Magnitudinem enim humilitas metitur. §.353.*n*.2. & 3.p.422.423

Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Planè impiorum iter, peruium & tritum; & ſimul inuium, deſertum, & inacceſſum dicitur. §.59.*n*.1.& 2.&c.p.79

Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Annon in arduo virtus eſt? Eſt quidem. Sed arduos patiendi labores, mellea virtutis voluptas compendioſè abbreuiat. §.242. *n*.1.& 2.&c.p.294

Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Ideo naſcente Domino nouæ etiam cæli faces accenduntur. Sed quid eſt, quod eo moriente, olim accenſæ extinguuntur? §.154. *num*.1. & 2.p.193.194

Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Quo modo nomen *Ieſu* ſalutem ſignificet, ex propria vocabuli ſignificantia, copioſè traditur in Serm. de Circumciſione. Inde, ſi lubet, mutuare potens.

In Natiuitate Domini.

Ioannis 1.

In principio erat Verbum. Cùm Verbum ſit perfectiſſima Patris imago, omnia quæ ſunt in Patre repræſentans, conſultiſſimè alicubi, duntaxat imago paternæ bonitatis nominatur, vt filialis perfectio publicetur? §.118.*n*.3.p.148

In principio erat Verbum. Cùm Græcum λόγος non tantùm *Verbum*, ſed etiam *Rationem, Orationem, Sermonem*, & *Definitionem* ſignificet; *Verbum*, quod Patris cor eructat, arcanè dicitur. Num quia inter cor & linguam totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum? §.200.*n*.3.p.246

In principio erat Verbum. Græcè ſcribitur: *In principio erat Sermo.* An Dei Sermo, voluntas eſt? §.37.*n*.4.p.57

In principio erat Verbum. Græcè, *Ratio.* Indene non Spiritus ſanctus, ſed Verbum à Patre Deo conſuli dicitur? §.80.*n*.3.p.100

In principio erat Verbum. Vbi primùm appellatur Verbum, confeſtim omnipotens dicitur. Sic verba apud homines putantur imbecilla? §.286.*n*.1.p.352

In principio erat Verbum. Scilicet Pater Deus impaſſibiliter eſt Scriptor Sapientiæ genitæ. Quod ſingulare Scriptorum priuilegium eſt. §.305.*n*.4.p.372

Et Verbum erat apud Deum, &c. Cùm verbum diuinum ſit etiam Dei Patris filius, cur ſæpè nunc Verbum, non Filius nuncupatur? Cur auguſta Dei Patris filiatio tacetur? An expectatur, vt Verbum caro factum ſit, & naturalis etiā ſit Deiparæ filius, vt ſublimi hâc appellatione ſublimetur? Porrò vbi corporatum

tum dicitur, ſtatim Deus vnigenitus nuncupatur. *Super hac theſi agimus in Tobiæ commentarius, ex Hugonis Victorini doctrina.*

Et Verbum erat apud Deum. Apud Deum Patrem eſt, poſterior origine: Sed eadem eſt vtriuſque diuinitas. Nam in diuinis non eſt minor gradu, poſterior origine. §. 324. *n.* 3. *p.* 392

Et Verbum erat apud Deum. Sic eſt apud Patrem, vt in dexterâ eius ſedeat. Verùm ſic à dextris ſedet Filius, vt pater non ſedeat à ſiniſtris. §. 324. *n.* 2. *p.* 392

Et Verbum erat apud Deum. Inde diuinum Verbum probatur Deus, quia erat apud Deum? Sic Dei præſentia facit ad perfectionem, vt ſi Pater Deus Verbo diuino abeſſet, eſſe Deus deſineret! Vnde ſubdit Euangeliſta: *Hoc erat in principio apud Deum*, ne vnquam Deo abeſſe putetur.

Hoc erat in principio apud Deum. Nec diuinum Verbum in tempore corporatum, dum mittitur in mundum, à Deo mittente abeſt. Porrò (ſi humana licet diuinis comparare) Moyſes Deo præſens, dum longiùs mittitur, propius Deo accedit. Hominis enim obſequium, eſt artificium appropinquandi Deo. §. 175. *n.* 2. & 3. *p.* 215. Sed aduerte, ô homo, quòd ſi in te ipſo ipſe non es, Deus in te non erit. §. 249. *n.* 4. *p.* 02

Hoc erat in principio apud Deum. Dum Euangeliſta ad Dei cultum & obſequium homines allicere ſatagit in ſui Euangelij auſpicio, cum perſæpè *Deum* appellat, nunquam *Dominum*, (vt Moyſes) probè ſcius, quàm ſit arduum, *Dominum*, quaſi *Deum* venerari. §. 128. *n.* 2. *p.* 158

Omnia per ipſum facta ſunt. Ecce tibi diuini Verbi Omnipotentiam. Sed quare Verbum priùs dicitur *Ratio*, poſtea omnipotens? An quia ſublimior potentia, inconſulti furoris ſuſpecta eſt apud homines, niſi aduocata Ratio hanc notam eluat? §. 6. *n.* 2. & 3. *p.* 26. 27

Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Ecce titulus iuriſdictionis in creata omnia. Sed homines ſic belligerari ſolent pro ſuâ tuendâ iuriſdictione, vt Dæmon Chriſtum deiicere tentarit, ſeſe inferendo in humanam eius iuriſdictionem. §. 244. *n.* 2. & 3. *p.* 296

In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Quæ verba omnes penè expoſitores interpretantur de mente ſeu ratione hominis. Itane Deus hominis vita & mens? Scilicet cùm Dei voluntatem facere debeamus, ſit Deus nobis velut noſtra mens, quò exactiùs in nobis Dei voluntas fiat. Voluntas enim ductum mentis ſequitur. §. 81. *num.* 2. & 3. *p.* 101

Lux in tenebris lucet. Nam præuiæ tenebræ ſunt lucis gratia. §. 46. *n.* 2. *p.* 66. Sed heu, nonnulli niſi extinctam lucem non vident! §. 33. *n.* 3. *p.* 53. 54

Non erat ille lux, (Ioannes inquam) *ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine: Erat lux vera*, Chriſtus inquam. Ioannes lux non erat, & creditur eſſe lux: Chriſtus vera lux erat, nec habebatur vt lux. Heu! Fauori imputandum eſt, quod bona lux nobis placeat. §. 33. *num.* 2. *p.* 53

Non erat ille lux, Ioannes inquam; qui Chriſto, (qui erat *lux vera*) præluxit. Scilicet Chriſto ferè totos triginta annos occultante fulgores. Porrò ſplendidius fulget, qui aliquando adnatum ſplendorem inuiſus diſſimulat. §. 176. *n.* 1. & 2. &c. *p.* 215. 216

Erat lux vera. Dei Verbum, lux eſt, vt auditus etiam luce illuminetur? §. 35. *num.* 2. & 3. *p.* 55

Mundus eum non cognouit. An myſterium Incarnationis aliquâ nunc ignoratione meliùs cognoſcitur? §. 26. *n.* 2. & 3. §. 46

Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Chriſtus Deus Filij nomen Patri reſtituit in filiis! §. 281. *n.* 2. *p.* 337

Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Quibuſnam eiuſmodi poteſtatem dedit? Nempe iis qui non ex voluntate carnis, *ſed ex Deo nati ſunt.* Quomodo ergo ei, qui ex Deo natus eſt, dat poteſtatem, vt denuò filius Dei fiat? ô diuinæ beneuolentiæ hyperbolen! Profectò inter auguſta Dei noſtri elogia cenſetur, quod etiam non filiorum pater nominetur. §. 119. *n.* 2. & 3. *p.* 148. 149

Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis.... Sed ex Deo nati ſunt. Chriſtus enim dicitur, Mundi Deus ex virginitate humilium. §. 88. *n.* 3. *p.* 109

Verbum caro factum eſt. Carnis humilitate non dehoneſtatur Dei maieſtas. Imò Chriſti Dei maieſtas ex eius humilitate cenſetur. §. 353. *num.* 3. *p.* 423

Verbum caro factum eſt. Niſi Chriſtus impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio? §. 133. *n.* 4. *p.* 163

Verbum caro factum eſt. Deiparæ, & eius progenitorũ caro vernat in Chriſto Deo? §. 317. *n.* 3. *p.* 385. 386

Verbum caro factum eſt, vt Deus factus homo, ſi appoſita forma, cui homines imprimantur. §. 122. *n.* 2. & 3. *p.* 151. 152

Verbum caro factum eſt. Eccur diuinum Verbum, non homo, (conſtans carne & animâ) ſed *caro factum* eſſe dicitur? An quia Chriſti anima ſeu ſpiritus, homo redimendus putatur? §. 136. *n.* 4. & 5. *p.* 174

Verbum caro factum eſt. An diuinum Verbum caro factum dicitur, vt eius carne acerbiſſima tormenta patiente, eiuſdem diuinitas magis impatibilis demonſtretur. §. 383. *num.* 2. *p.* 453

Verbum caro factum eſt. An diuinum Verbum caro factum dicitur, vt in vitâ ſpirituali imbecillæ carnis noſtræ ſubſiſtẽtia foret? §. 400. *n.* 2. *p.* 472

Verbum caro factum eſt. Vt hominum humilitas profundè deſcendens, Deum inueniat, cui omnia tribuat. §. 354. *n.* 2. *p.* 423. 424

Verbum caro factum eſt. Scilicet diuinum Verbum homines redempturus, homo factus eſt, an quia aliqua cum obeundo officio cognatio, ſollertiſſimum efformat officialem? §. 87. *n.* 2. & 3. *p.* 107. 108

Plenum gratia, &c. An Chriſtus dicitur plenus gratiâ, quia gratiam in ſe habet, an quia illam aliis vberrim largitur? Variant commentatores. Hoc eſt indubium, quòd dum Chriſtus magis beneficus oſtenditur, plenitudo diuinitatis appellatur. §. 3. *num.* 3. & 4. *p.* 22. 23

In

In Circumciſione Domini.

Lucæ 2.

POſtquam conſummati ſunt dies octo,&c. Cælum ob ſuæ naturæ præſtantiam, cunctanter parere videtur; & Chriſtus Deus pœnaliſſimæ legi à qua immunis erat, expromptius obedit? §.52.*n*.2.*p*.71.72

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c. Bonus Princeps Chriſtus Ieſus, ab infantia parere aſſuetus: nam apud homines, ſcientia imperandi, in parendi eruditur gymnaſio. §.82. *num*.2. *&* 3.*p*.102

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c. O acerbum & cruētum Chriſti infantis obſequium! At ſpontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat. §.86.*n*.2.*&* 3. *p*.106.107

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c. An non plures ſuppetebant cauſſæ, vt Chriſtus peccati velut characterem, in Circumciſione impreſſum excuſaret? ô exemplarem Chriſti obedientiam! Non habet Chriſtus quid dicat, vt declinet Patris mandatum? §.181.*n*.1. *p*.220

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c. Eſtne diuinum præceptum, velut diuinæ voluntatis character? §.181.*n*.3.*p*.220

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c. Præcedentes dies ſilentio præterit; & hunc octauum diem, in quo velut prodigâ beneficentiâ Circumciſionis ſanguinem Ieſus effundit, honorificè commemorat: nam beneficentia, integritas diei eſt, eiuſque redemptio, benedictio, & ſanctitas. §. 50. *num*. 2. *&c*. *p*.69.70

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer. Non cùm puer circumciditur, ſed cùm Circumciſionis ſanguis ſtetit, Deus placatur, ne Moyſen interficiat? §.47. *n*.2.*p*.67

Vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Arcanè Ioſephus filiorum nomina ſcripſit in tenella infantium carne. §.265. *num*.1.*p*.320

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Eſtne Ieſu nomen, Chriſto Deo ſubſtantiale? §.265.*n*.2. *p*.320

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Ieſuitis tribuitur nomen, quod ambiret Adamus? §.285.*n*.5. *p*.352

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Diſpoſitionis merito nomen Ieſu noſtræ Societati tribuitur? §.285.*n*.4.*p*.352

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Num venerabile Ieſu nomen, cum odij ſui lege propagatur? §.285.*n*.3.*p*.351.352

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Iehouah nomen, filiat nomen Ieſu, auguſta Nominis filiatione? §.266.*n*.2.*p*.321

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Sacroſanctum Ieſu nomen, arcanè Ieſuitis filiatur? §.266. *n*.3.*p*.321.322

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Venerabile Ieſu nomen, iuueneſcit, & velut viueſcit in Ieſuitis? §.266.*n*.4.*p*.322

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Auguſtum Ieſu nomen, Ipſius Solis radio deſcriptum eſt in Ieſuitis? §.266.*n*.5.*p*.322

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Auguſta nominis Ieſu maieſtas, & redemptrix efficacia, fuit crucifixionis reatus? Audi Euangeliſtam: *Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus rex Iudæorum.* Matth.27.v.37

In Epiphania.

Matthæi 2.

CVm natus eſſet Ieſus. Chriſtus naſcendo rationalem naturam homini reddidit? §.269.*n*.3. *&* 4.*p*.324.325

In diebus Herodis regis. Regum tempus, cubitales dies ſunt: nam inane nihilum, eſt Principum ſubſiſtentia. §.400.*n*.2. *&* 3.*p*.471. 472

In diebus Herodis regis. Dies vacuos aut dimidiatos vixit hic inhumanus Rex: nam integer dies eſt, quem liberalitas benefaciendo impendit. §.50.*n*.2.*&c*.*p*.69.70

Ecce magi ab Oriente venerunt, &c. Prophetarum clamor Iudæis ſilet, & ſtellæ ſilentium Magis clamat? §.350.*n*.5.*p*.420

Dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Sapientiſſimâ velut ignoratione quaſi dubitanter Magi interrogant, non docent Iudæos. Nam homo præ cognato faſtu, interrogatione citius quàm ratione ſuadetur. §.210.*num*.1.*&* 2.*&* 3.*p*.256

Dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Non erubeſcunt ſapientiſſimi Magi interrogare quod neſciunt: nam eruditos Sapientes magis dedecet ignorare, quàm diſcere. §.371. *n*.1.*&* 2.*&* 3.*p*.440.

Dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Gentiles Magi ſciunt, quod antiqua Iudæorum eruditio de Deo ignorat. Porrò priſca ſapientia, ſolo antiquitatis titulo, de veritate diu poſſeſſa non præſcribit. §.306.*n*.1.*&* 2. *&c*.*p*.373

Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus. Magis noua cæli lux accenditur; Phariſæis olim accenſæ extinguuntur? §.154.*num*.1. *&* 2.*p*.193.194

Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus. Cur naſcente Domino, nouæ in cælo faces accenduntur; & eodem moriente, olim accenſæ arcanè extinguuntur? §.154.*n*.1.*&* 2. *p*.193.194. *Et* §.34.*n*.3.*p*.54

Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus. O expromptum obſequium, *Vidimus, & venimus!* Scilicet benè nouerant ſapientiſſimi Magi, quòd homo, cui diuina voluntas intimatur, diuini honoris humanus arbiter conſtituitur. §.102.*n*.2.*&* 3.*p*.132

Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus. Quàm citiſſimè Magi obtemperant diuino nutui, vt Deum inueniant. Nam promptius obſequium, breui tantæ diſtantiæ compendio, appropinquat Deo. §.175.*num*.1.*&* 2. *&* 3.*p*.214.215

Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus

omm

enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Gentiles Magi Iudæos fideles in rebus fidei inſtruunt? Arcanè quidem, Gentiles Magiſtri fidelibus Iudæis deſtinantur. §. 45. *n.* 4 *p.* 65

Audiens autem Herodes rex turbatus eſt. Magorum voces ſolus & primus Herodes audiſſe legitur? Nil citò timueris, ne periculum quod times, citiùs ad te veniat. §. 121. *n.* 2. & 3. *p.* 151

Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. Turbato Rege populus perturbatur: nam Superior eſt morum norma, in quam ſubditi imprimuntur. §. 122. *n.* 2. & 3. *p.* 151. 152

Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. Hebræorum populus Herodi ſubiectus, turbatur, cùm optatiſſimus eius Princeps veniſſe audit? An quia plures habere Præfectos, Ægyptiacæ oppreſſionis compendium putatur? §. 370. *n.* 2. & 3. *p.* 439

Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. Scilicet perniciem Herodianæ ſæuitiæ vrbs electa timet. Nam venenum, quod ſerpens Gubernator in alienam perniciem profert, ſine ſuâ continet. §. 394. *n.* 4. *p.* 465. 466

Et congregans omnes principes ſacerdotum, & ſcribas populi, &c. Regum dubiis tantum reſpondet Collegium amicorum? §. 356. *n.* 3. *p.* 426

Sciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudæ, &c. Gratulor his regiis conſultoribus, quòd veritatem dixerunt: Sed eam produnt, quando celaſſe magis oporteret, ne Tyranni furorem infans Deus incurreret. Heu perſæpè Principis nutus, potiùs quàm prudentiæ conſtantia, curialium Doctorum extorquet ſuffragia! §. 267. *n.* 2. & 3. *p.* 322. 323

Cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. O aſtutam vafritiem ſimplicitate & religione tectam! Porrò ſublimior poteſtas, callidè aſtutos vel è candidè ſimplicibus ſæpè elaborat. Inde in viro Principe ſemel fraudulentum fuiſſe, ſimplicitas reputatur? §. 198. *n.* 1. & 2. &c. *p.* 244

Cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Fidem ſuam obſtringit Herodes de adorando puero. Sed in re politicâ adhuc iurata Principum fides ſuſpecta eſt? §. 396. *n.* 2. & 3. &c. *p.* 467. 468

Vt & ego veniens adorem eum. Impius Herodes ante reliquos electi populi pollicetur, ſe adoraturum infantem Deum? Scilicet ſæpè vitium virtuti præit ſumptuoſâ ambitione affectatæ virtutis. §. 19. *n.* 1. & 2. *p.* 39. *Et* §. 300. *n.* 2. *p.* 3 7

Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos. Nempe quia dux ſtella diſparuerat Magi errarût Chriſtum Ieroſolymis quærentes. Sed inde nati infantis fama Iudæis omnibus innotuit. An illuſtrius opus prouidentiæ diuinæ, per errorem humanum fieri debebat? §. 187. *n.* 2. & 3. *p.* 233

Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos. Scilicet ſtella illa in Oriente olim viſa, dudum lucere deſierat. Sed fortè dum ad tempus lucere deſinit, micantius ſcintillat. Nam ſplendidius fulget, qui aliquando adnatum ſplendorem inuiſus diſſimulat. §. 176. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 215. 216

Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos. Quare ſtella lucere couſque deſiit? Scilicet vel aſtra ſplendidius lucendo quodammodò fatigantur. §. 155 *n.* 2. *p.* 194. 195

Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt, &c. Nam præuiæ tenebræ ſunt lucis gratia. §. 46. *n.* 2. *p.* 66. Et præcedentem depuliſſe moleſtiam, eſt humani gaudij voluptas. §. 46. *n.* 2. & 3. *p.* 66

Et intrantes domum, inuenerunt puerum. Mirum eſt, quem vident puerum, ſubmiſſius adoraſſe. Nam hominibus agnatum vitium eſt, nil magnum putare de eo, quem puerum aliquando nouerunt. §. 253 *n.* 1. & 2. &c. *p.* 305. 306

Et procidentes adorauerunt eum. Puerum in belluino præſepio iacentem Magi adorant? Scilicet Chriſti Dei maieſtas ex eius humilitate cenſetur. §. 353. *num.* 3. *p.* 423. An ex Chriſti etiam humili natiuitate, Dei maieſtas cenſenda eſt? *ibid.*

Obtulerunt ei munera. Regem quærunt, & dum inueniunt, opulentè munerant? Munera Abimelecho regi donata ad memoriam, obliuionem procurant: & Saul cum munerum obſequio, obſequij ebibit obliuionem. §. 164. *n.* 2. & 3. *p.* 203. 204. Aſt accepturum à Deo munus, ſignum eſt diuinæ promiſſionis certò adimplendæ. §. 204. *n.* 2. & 3. *p.* 250

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

Lucæ 2.

C*Vm factus eſſet* Ieſus *annorum duodecim.* Æternum Verbum in tempore corporatum, menſurabiles, aut cubitales annos patitur, etſi rex regum ſit homo Deus. Num tempus eſt potentiorum Principum *ſubſiſtentia?* §. 400. *n.* 2. *p.* 471. 472

Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim. Totos hos duodecim annos Chriſtus Deus vixit; quia virtuti vixit. Homines autem vix vnâ *horâ vnâ* potiuntur. §. 276. *num.* 5. *p.* 332

Aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem, &c. Chriſtus cum ſuis, per tritum, etſi arduum iter, Ieroſolymam aſcendit. At Hebræus populus per viam Philiſthinorum ad Terram promiſſionis aſcendere ſatagit. §. 51. *n.* 2. *p.* 70. 71

Aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem, &c. Arduo aſcenſu, & moleſtâ defatigatione, feſtam Paſchatis lætitiam exaggerant: nam præuius labor & induſtria, paradiſo & beatitudini impenſa, vtriuſque delicias facit gratiores. §. 279. *num.* 2. & 3. *p.* 335. 336

Conſummatiſque diebus. Conſummati dicuntur dies, diuino cultui deſtinati: nam dies non ab initio, ſed à fine, laudis elogium accipit. §. 47. *n.* 3. *p.* 67

Conſum

Conſummatiſque diebus, quos Paſchatis celebritati impendebant. Etſi dies virtutis laboribus deſtinatus, non dicitur habere veſpere & mane: quia virtus caret tempore. §.242. *n.4.p.*294

Conſummatiſque diebus. Non fauſtum boni operis auſpicium, ſed conſummatio & finis, illi de perfectione gratulatur. §.47. *num.*2.*&* 3. *p.*67

Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. Aberant parentes, aberant omnes cognati & noti, & non dicitur puer Ieſus, *ſolus* Ieroſolymis manſiſſe? Scilicet adſunt Scribæ & Phariſæi, infenſi calumniatores. Ieſus autem ſuorum turbis comitatus, dum Phariſæi abſunt, *ſolus* manſiſſe dicitur. §. 136. *num.* 3. *pag.* 173. 174

Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. Abeſt Ieſus, vt ſuorum deſiderium excitet? Sic ſui deſideria Deo perplacent? Sic in Mannâ non tam res deſiderata, quàm ipſum editur deſiderium. §.114.*n.*2.*p.*143. 144

Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. Abeſt Ieſus, vt inde pluris æſtimetur? Scilicet res magnæ de abſentiâ magni æſtimantur. §. 134. *n.*2. *&* 3.*p.*163. 164

Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. In regiâ Curia habitare Ieſus exambit? Sed triduo ibi manet, & lubens domum rediit. Nam vir Religioſus, quaſi inquilinus peregrinatur in regum Curiâ. §. 171.*n.*1. *&* 2.*p.*211

Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. A ſanctiſſimis parentibus ſe abſentat, & in regiâ Curiâ, vitiorum metropoli, habitat? Sanctiſſimos quoſque velut deſerit Chriſtus, vt cum peccatoribus habitet?

Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Abeſt Chriſtus, nec eius abſentia ſtatim percipitur?

Et venerunt iter diei, & requirebant eum. Vbi primùm abeſſe Ieſum ſentiunt, confeſtim illum ſollertius quærunt. Et cur illum illâ ipſâ nocte quærunt, nec expectant claram diei lucem? An quia perdita Euangelij drachma, melius ſtatim quæritur in obſcurâ nocte, quàm poſtea in clarâ diei luce? §. 151. *n.*1. *&* 2. *&* 3.*p.*198. 199

Et venerunt iter diei, & requirebant eum, &c. Eccur parentes velut dimittit Chriſtus, dum ſe ab illis abſentat? An vt auidius ad ſe alliciat? Nam Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtentatione, arctius ſibi deuincit ſuos. §. 98.*n.*2.*&* 3.*p.*128

Et quærebant eum inter cognatos & notos. Corporata Dei Sapientia non eſt quærenda inter cognatos & notos. Neque enim valde probatur doctrina, quæ cognatione hæret tenaciſſimè, & longiſſimè propagatur. §. 87.*n.*4. *p.* 108

Et non inuenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum. In Ieruſalem perditus Deus, ibi quærendus eſt. O quoties infelix malitia, felix quodammodo redditur, nobilioris pœnitentiæ ſuffragio! §.318.*num.*2.*&* 3. *&* 4. *p.*386.387. An aliquando peccatorum hyems, diuini amoris ſcintillas reuerberat in affectum? §.292.*num.* 2. *&* 3.*&* 4.*p.*358. 359

Inuenerunt illum ſedentem in medio Doctorum. Sapientiæ gloriam quærit: eſt enim vera ſapientia, Emanatio omnipotentis gloriæ. §. 30.*n.*2.*p.*49

Inuenerunt illum ſedentem in medio Doctorum. Rem litterariam *ſedens* tractat; non prætериens, non in tranſcurſu, quaſi ad alia feſtinans. *El que à de ſer conſumado en letras, al eſtudio no le à de hacer paſſo para la pretenſion del pueſto.* Seſſio permanentiam denotat, non tranſitum.

Inuenerunt illum ſedentem in medio Doctorum. In medio ſedens, in neutram Doctorum partem inclinat, ne tunc litteratorum pacem interturbet. Nam diuiſionem inter ſapientes, etſi per cælum factam, non approbat Deus. §. 31.*n.*3.*p.*51. Rixæ enim inter Catholicos ſapientes Eccleſiam inquietant. *ibid. num.* 4. *p.* 51

Sedentem in medio Doctorum; audientem illos, & interrogantem eos. Vide vrbanitatem, puer eſt, inde tacitus audit, & quaſi dubius interrogat. Vſque adeò vrbanitatem colit, vt Zaræ comitas illum retulerit in progenitorum Chriſti catalogum? §. 246.*n.*3.*p.*298. 299

Audientem illos, & interrogantem eos. Scilicet ſuperbos ſcribas interrogando ſapienter erudit. Homo enim pre cognato faſtu, interrogatione citiùs, quàm ratione ſuadetur. §. 210. *n.*2.*&* 3. *p.*256

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis eius. Non pauci è commentatoribus cenſent, parentes etiam pueri Ieſu obſtupuiſſe ſuper eius ſapientiâ. Certò ſciunt eſſe Deum, & nihilominus eius ſapientiam ſtupent? Item in re ſapientiæ, priùs admirantur ſuper prudentiâ, & deinde ingenij acumen admirantur? Sic eſt commendanda prudentia in re litteraria, vt acumini, & eruditioni præcedat?

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentiâ, & reſponſis eius. Et non potiùs in puero Scribæ admirentur, modeſtiam in audiendo, acumen in interrogando? Non benè laudat, qui laudat quod exorbitat. §.53. *n.*3. *p.* 73. Niſi malis, ſuperbos Scribas reſponſa laudare: quia reſponſio peracuta non eſt, niſi de propoſiti dubij ſubtilitate, occaſionem fœneretur. *ibid. n.* 2.*p.*73

Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Etſi in Dauide & Abrahamo recenſendis, negligit Scriptura præcedentiæ ciuilitatem; tamen antelatio iunioris Dauidis ſtatim compenſatur Abrahamo. §. 323.*n.*2. *p.*:91

Quid eſt, quod me quærebatis. Renuítne Chriſtus cum dolore quæri?

In his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe. Præproperè ſatagit Chriſtus, filios per gratiam Patri procreare, vt nomen Filij Patri reſtituat in filijs? §.281.*n.*2.*p.*337

Et deſcendit cum eis. Nuper aſcendit, & iam deſcendere legitur? Vix aſcenderat, & iam deſcendit? Aſt qui ſemel cadere incipit, gradiendo, non præcipitando deſcendere, tatum priuilegium eſt. §. 272. *num.* 2. *&* 3. *pagin.* 328

Et erat ſubditus illis. De exprompto obſequio, ne longum faciam, Vide verbo, *Obedientia.*

Domini

Dominica II. poſt Epiphaniam.

Ioannis 2.

N*Vptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Quàm timuerit Sulamitis olim, morum examen ad principales nuptias præuium. §. 202. *n*. 4. *p*. 248

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Parilitas inter coniuges in primis quærenda eſt. Inde Ioſephus Patriarcha, diuinitatem aliquam diuinatione ſpirans, congruè ducit Sacerdotis filiam. §. 239. *n*. 4. *p*. 285. 286

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Cana id eſt, *æmulatio*. Eſtne æmulatio coniugibus agnata? Scilicet proprium defectum non videt vxor, quo vſque illum in marito notat? §. 219. *n*. 2. *p*. 265. Vxor diligitur ex priuilegio? §. 205. *n*. 4. *p*. 251. Vxor (ſed defuncta) eſt ambitioſum mariti ſuffragium. §. 240. *n*. 1. *p*. 286

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Cana, id eſt, *poſſeſſio*. Nam vxor eſt, os de oſſe; caro de carne viri; ſed non anima de anima. Inde Adam non audet ſua dicere, quæ ſcit non eſſe de terra. §. 240. *num*. 2. *pagina* 286

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Cana, id eſt, *zelus*. Nam circumſpectæ cautelæ neglectus, in caſta etiam vxore, maritorum zelotypiam ſubornat. §. 365. *num*. 2. & 3. *pagin*. 434

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ; & erat mater Ieſu ibi: Vocatus eſt autem & Ieſus. Ad nuptias idoneè conciliandas, Princeps pacis conſulitur. §. 239. *n*. 2. *p*. 285

Deficiente vino. Tam citò deficit coniugatis voluptatis vinum? Sic nauſeat homo ad expromptas delicias? Scilicet humana voluptas non tam de boni præſentis gratiâ, quàm de alienatione ſibi complacet. §. 93. *num*. 2. *p*. 113. 114. *&c*. Eodem vocabulo explicatur, & frui delicijs, & incommoda pati. §. 94. *n*. 4. *p*. 116

Deficiente vino. Quare Ioannes (ſic vulgò creditur) vxorias delicias contrahit, quas confeſtim repudiet? An quia mundi deliciæ, opportunæ ſunt, non vt poſſideantur, ſed vt relinquãtur? §. 142. *n*. 2. *p*. 180. 181. Profectò Ægypti ager, amœniorem ſe obiicit à tergo, quàm oculis. §. 176. *n*. 3. *p*. 216

Dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Congruè orat Deipara Deum filium, probè noſcens, quòd vel ante eius orationem, eius orationi adnuitur? §. 177. *num*. 4. *pag*. 333. 334

Dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Rem difficilem Deipara petit, vt familiarium neceſſitati ſuccurrat. An humana oratio, de impoſſibili facit neceſſarium? §. 280. *n*. 3. *p*. 336

Dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Quod pia mater ſuggerebat, neſciebat Chriſtus Deus? Quid ergo opus fuit, *vt* neceſſitas ſuccurrenda ſuggereretur à matre? An notitia, quæ venit ex Deiparæ ore, plus inclinat ad miſericordiam, quàm ea, quæ venit ex omniſcientiæ notione?

Celadade *Benedict. Patriarch.*

Quid mihi, & tibi eſt mulier? Orationem Deiparæ repudiat Chriſtus? An Deus vt orationis vota adimpleat, aliquoties orantis vota contemnit? §. 337. *n*. 3. *p*. 406

Quid mihi, & tibi eſt mulier? O quàm acerbè animam ſupplicantis excruciare ſolet rei petitæ negatio! §. 282. *num*. 2. & 3. & 4. *p*. 338. 339. Verùm dulcius accipitur, quod dilatione præſtatur. §. 337. *n*. 2. *p*. 406

Quid mihi, & tibi eſt mulier? Hoc eſt, Quid ad nos pertinet aliena inopia? Verùm Chriſti beneficentia, eſt eius plenitudo, & notio. §. 3. *n*. 3. & 4. *p*. 22. 23. Sic Cælum, niſi illi inops terra ſubeſſet, cui munificè benefaceret; auguſtum Cæli nomen erubeſceret. §. 3. *n*. 1. & 2. *p*. 22

Quid mihi, & tibi eſt mulier? Supplicem matrem duriuſculè dimittit? An Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, arctius ſibi deuincit ſuos, arcano alliciendi arbitrio? §. 98. *num*. 2. & 3. *p*. 128

Quid mihi, & tibi eſt mulier? An aſperiori verbulo Deiparæ amorem exacuit? Sæpè enim cæleſtis ſponſus ſpecie repulſæ, acrius ſuæ ſponſæ ſauciat amorem. §. 388. *num*. 1. & 2. & 3. *p*. 458. 459

Nondum venit hora mea. Quare nunc hora inidonea dicitur ad illuſtre miraculum perpetrandum? Scilicet quia nondum erat celebre Chriſti nomen, & ita incredibile videbitur miraculum. Nam opus non ex ipſius merito, ſed ex fama operantis, taxari ſolitat. §. 153 *n*. 2. & 3. *p*. 192. 193

Nondum venit hora mea. Hora Chriſti Dei non eſt, in quâ non benefacit? Profectò largior beneficentia, in *horâ vinâ* exerceri dicitur. §. 273. *n*. 5. *p*. 329. Eſtque *integritas* diei. §. 50. *n*. 2. *&c*. *p*. 69. 70

Nondum venit hora mea. Non vult perdere faciendi miraculi gloriam. Nam expetita miracula in pretio ſunt, vltronea ſæpè vileſcunt. §. 70. *n*. 2. *p*. 91

Quodcumque dixerit vobis, facite. An maius miraculum Deipara expetit à miniſtris, quàm experiuerat à filio Deo? Magni prodigij adinſtar eſt, in omnibus parere.

Quodcumque dixerit vobis, facite. Velut repulsâ reiicitur, dum petit miraculum, & exactum in omnibus obſequium à miniſtris exigit? Num obedientia, operandi miracula arbitrium eſt? an ſaltem prognoſticon? Vel quaſi negatum miraculum obedientiæ artificio fieri ſatagit?

Implete hydrias aquâ. Eccur non ex nihilo, ſed ex diuerſâ aquæ naturâ vinum facit? An vt intelligatur auctor naturæ, quæ ex humore terræ vinum in vite eliquat? (Sic putat Hugo.) Nempe extraordinariis prodigiis, naturalia naturæ miracula adſtruit. An omnipotentiæ diuinæ facilius eſt (vt ſic loquar) aliquid de nihilo creare, quàm ſemel creatum in diuerſam demutare naturam? Saltem rem perfectam adhuc magis perficere, diuinioris gratiæ facinus eſt. §. 52. *n*. 2. *p*. 71. 72

Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam. Vinum iam eſt, & quia aqua nuper erat, aqua nominatur? Sic altè hæret antiquæ famæ nomen? Inde Serpens, qui nuper virga fuit, Virga nominatur. §. 186. *num*. 3. *p*. 231

Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam. Vinum nunc generoſum eſt, & quia aqua nuper fuerat, aqua nominatur? Si vinum eſt, cur aqua nuncupabitur? Sic Terra dum in rerum primordio emerſit, non terra, ſed *Arida* nuncupatur, ne adhuc nomen patiatur naufragium. §. 58. *n.* 2. *p.* 78

Et crediderunt in eum Diſcipuli eius. Num Chriſti Diſcipuli, cùm adhuc infideles eſſent, Diſcipuli appellantur? Non ex eo quod quiſque eſt, ſed ex eo quod mox erit, nomen ſortitur? §. 201. *n.* 3. *p.* 247

Dominica in Septuageſima.

Matthæi 20.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane, &c. Exſomni curâ agricolationi incumbit: nam terræ ſterilitas cultori imputatur. §. 166. *n.* 2. *p.* 205. 206

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane, &c. Bonus hic paterfamilias valde ſtudioſè rem agriculturę tractat. Scilicet homo è terra producitur, quia agriculturæ deſtinandus erat: nam cognatio cum officio, perfectiſſimum officialem excudit. §. 56. *n.* 3. *p.* 76. & §. 87. *n.* 2. *p.* 107

Conducere operarios in vineam ſuam. Mercedem proponit in laboris præmium certò erogandum. Idcirco homines vulgò ad laborem ſollerter incumbunt. Pauculi enim ſunt, qui loco præmij ſibi debiti, Dei gloriam malint, quod eſt ſumptuoſius Sanctiſſimorum præmium. §. 131. *n.* 3. *p.* 161

Conuentione autem facta ex denario diurno. Laborem præmittit Beatitudinis gloriæ, quam denarius diurnus denotat. Scilicet prærius labor & induſtria, paradiſo, & Beatitudini impenſa, vtriuſque delicias facit gratiores? §. 279. *n.* 2. & 3. *p.* 335. 336

Conuentione autem facta ex denario diurno. Eſto, cæleſtis Beatitudo, *denarij* nomine nuncupetur; cur *diurnus appellatur?* Quod enim diurnum eſt, perbreuem & fugacem durationem denotat: beatitudo autem de ſe æternat. An quia ad mundiales delicias, quæ ſpei humanæ nunc gratè blandiuntur, faſtidioſè nauſeat poſſeſſio? §. 114. *n.* 1. & 2. *p.* 143. 144

Conuentione autē facta ex denario diurno. Quod nondum datum, ſed poſtea dandum eſt, quaſi alienum reputatur. At humana voluptas non tam de boni præſentis gratiâ, quàm de alienatione nunc ſibi complacet. §. 93. *n.* 2. &c. *p.* 113. 114

Conuentione autem factâ ex denario diurno. Gratia, aut gloria, *Denarius* dicitur? Eſtne Numus auaris eorum gratia, & gloria? An Numus pauperi donatus, eſt gratia, & gloria largitori?

Conuentione autem facta ex denario diurno. Denarius diurnus eſt mercenarij præmium. Nā humana amicitia ſpe potiùs, quàm fide comparatur. §. 150. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 189. 190

Miſit illos in vineam ſuam. Ne agro Dominico cultor deſit. Sic vbi primùm auditur Paradiſi nomen, ſuus illi cultor deſignatur. §. 57. *n.* 4. *p.* 77

Miſit illos in vineam ſuam. Miſſos fuiſſe dicitur, laboraſſe in vinea hîc tacetur. Num de bonis operariis ſuperuacuè id diceretur? An quia idonea & expedita potentia ad rectè operandum, præproperè operis gaudet priuilegio? §. 89. *n.* 2. & 3. *p.* 109. 110

Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Integrum denarium illis donat, ſicut iis, qui portarunt pondus diei & æſtus; & quod iuſtum fuerit, ſe illis daturum pollicetur? Quod ex liberalitate donat, *iuſtum* eſſe dicit? Nempe in re liberalitatis, opportunè Iuſtitiæ nomen auditur. §. 5. *n.* 4. & 3. & 2. *p.* 25. 26

Iterum autem exiit circa ſextam, & nonam horam; & fecit ſimiliter. Nulla hora vacat, in quâ Deus in agrum ſuum operarios non mittat? Perpetua cultione ager Dei indiget? Sic vel ante productum cultorem Adamum, præproperè terra ſiccatur, & *Arida* dicitur, ne vnquam non ſit vomeris patiens. §. 57. *num.* 7. *p.* 77

Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Benè culpat otioſos. Homines enim nihil agendo, male agerę perdiſcunt in otij gymnaſio. §. 326. *n.* 1. &c. *p.* 394. Tametſi quietis otium, & hominum ingratitudo, non operariis, ſed Bibliorum ſtudioſis adulatur. §. 327. *num.* 1. & 2. &c. *p.* 395. 396

Ite & vos in vineam meam. His operariis, qui prope finem diei miſſi ſunt, non dixit: Quod iuſtum fuerit dabo vobis: nec denario diurno illos conduxit; & tamen denarium diurnum illis dedit, ſicut eis, qui denario diurno conducti, portarunt pondus diei, & æſtus. Scilicet largius accipit præmium, qui ſine ſpe præmij laborat, quaſi præmij neglectus, ſit negotioſa pietatis vſura. Adnitere, ſi fortè poſſis, huc flectere. §. 131. *num.* 3. *p.* 161. & §. 150. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 189. 190

Voca operarios. O ſollicitam operariis ſoluendæ mercedis curam! Anteuertit citiſſimæ, & importuniſſimæ eorum exactioni, dum *vocandos* ait; & tamen *ſerò* ſoluiſſe dicit? Scilicet ſemper laboris merces, *ſerò* mercenariis redditur; etſi illa ipſa die detur, etſi *vocandi* ſint, vt detur.

Cùm veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Eccur hi, quibus ex liberalitate potius, quàm ex iuſtitia denarius tribuitur, illum accepiſſe leguntur, nec illis tributum dicitur? Non tam donationis, quàm acceptionis fit mentio? An bona à Deo hominibus donata, gratiora Deo apparent, poſtquam donata illi ſunt; & inde præproperè accepta dicuntur? §. 95. *n.* 2. & 3. *p.* 116. 117

Acceperunt ſingulos denarios. Quam ob rem hi denarij in mercedem tributi, non tam donati, quàm *accipi* dicuntur? Silentio abſcondit, quod non liberaliter donat, ſed ex meritis tribuit, quaſi Deum bonum retributionis quodāmodo erubeſcat? §. 189. *n.* 2. & 3. *p.* 235

Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias. Denarium ſibi debitum hi accipiunt: Denarium indebitum alij acceperant, tantú-

dem

dem vtrique poſſident. Quid hi alijs inuident? quid obmurmurant? Scilicet mundiale bonū in alio viſum, gratius apparet inuidiæ lenocinio. § 93. *n.* 2. & 3. &c. *p.* 113. 114

Pares illos nobis feciſti? Pares illis factos ægrè ferunt. At ſat gloriæ eſt honorum cupidis, ſi cum potiſſimis comparentur. §. 228. *num.* 2. & 3. *p.* 274

At ille reſpondens vni eorum, dixit, &c. Plures obmurmurant, & obmurmurantium vnus duntaxat reprehenditur? Scilicet è multis maledicentibus vnus duntaxat maledicitur, ne omne genus humanum maledicatur? §. 207. *n.* 2. & 3. *p.* 253

At ille reſpondens vni eorum, dixit, &c. Quare munificus Deus, qui præ infinitâ liberalitate dona ſua parturit, donando non adnuit his querulis operariis? An quia illa obmurmurando expetunt? Sic Chriſtus non lauit Petri manus, ne detractoribus Phariſæis cedere videatur. §. 69. *n.* 2. *p.* 90

Amice, non facio tibi iniuriam. Humano more, & quidem moraliſſime loquitur hic homo pater familias, dum *amicum* vocat, cui non facit iniuriam. Beneficij loco ponendum eſt, non accipere iniuriam? Non lædenti amicè gratus ero? ô tempora beneficentiæ auara, iniuriarum prodiga!

Tolle quod tuum eſt, & vade. Amicum appellat operarium obmurmuratorem, & à ſe ablegari eum procurat? Amicitias cum detractoribus init, vt venenatas eorum linguas cohibeat; & tamen procul ab illis eſſe ſatagit. *Amice, tolle quod tuum eſt, & vade.*

Volo autem & huic nouiſſimo dare, ſicut & tibi. Nam arcana Dei electione primus fratrum inuenitur, qui erat nouiſſimus. §. 261. *n.* 2. &c. *p.* 314. 315

Aut non licet mihi quod volo, facere? Exlex enim eſt Dei liberalitas. Liberalitas Dei adeò eſt velut effusè benefica, vt detractorum linguas euacuat?

An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Inuidorum oculus in bono malum videt. Heu, fauori imputabitur, quòd perſpectum aliorum bonum nobis placeat? §. 53. *n.* 2. & 3. *p.* 53. 54

Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Benè ex Chryſoſtomo notat Hugo, quòd in cælo. *Nemo nouiſſimus dicitur, nemo primus.* An nomen Primi & Secundi vel Angelorum inquietaret concordiam? §. 48. *n.* 1. &c. *p.* 68

Dominica in Sexageſima.

Lucæ 8.

CVm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Ieſum. Nomine *Turba*, ſicut diuerſitas hominum, ita diuerſitas ſtudiorum innuitur. Quidam Chriſtum ſequũtur ſanitatis cauſa, alij diſciplinæ. Alij vt comederent de panibus, alij vt viderent noua miracula, alij vt obſeruarent eum, (quod notauit Rabanus.) An hi, qui non benè Chriſtū ſequuntur, magis *properabant?* Celada *de Benedict. Patriarch.*

Nam ſæpè vitium virtuti præit ſumptuoſâ ambitione affectatæ virtutis. §. 19. *n.* 1. & 2. *p.* 39. & §. 300. *n.* 2. *p.* 367

Exiit qui ſeminat, ſeminare. Cùm exit ad ſeminandum, iam ſeminat? Præmaturè nimis ſeminare dicitur, dum exiit ad ſeminandum. An cùm exit ad ſeminandum, iam ſeminare dicitur? quia idonea & expedita ad rectè operandum potentia, præproperè ſæpè gaudet operis priuilegio? §. 89. *num.* 2. & 3. *p.* §. 109. 110

Exiit qui ſeminat, ſeminare. Pius Sator certas ex horreo diuitias ſpe proiicit; plus ſperans de incerto, quàm fuerat ſecurus de proprio. §. 137. *n.* 2. &c. *p.* 174. 175

Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Rem ſuam iactat, non rem alienam, ad gloriæ vſuram. Nam qui de ſuo, etſi modicè ornatur, adſcititios cæli fulgores æmulari poteſt, de ornamenti præſtantia. §. 63. *n.* 1. & 2. &c. *p.* 83

Seminare ſemen ſuum. Hoc ſemen, quod Sator appellat *ſuum*; cæleſtene eſt, an terrenum? Nam Adamus, quod è terrâ non eſt, *ſuum* appellare non audet. §. 240. *num.* 2. & 3. *p.* 286

Seminare ſemen ſuum. Dei verba, bonæ vitæ artificio, Concionator facit *ſua*, magno auditorum fructu. Porrò ſterilis eſt Philoſophorum adhortatio, quia erumpit ex ſententia, non è vita. Bonum Prædicantis opus, Dei verba ad fœcunditatem maritat. §. 351. *n.* 1. & 2. & 3. & 4. *p.* 420. 421

Seminare ſemen ſuum. Semen ſuum ſeminabit Chriſtianus concionator, qui Chriſtianè loquitur, Chriſtianè ſuadet. Nam ſecularis ſapientia, conſcientiæ gratulator: & profana eloquentia balbutit ad diuina. §. 352. *num.* 2. & 3. *p.* 421. 422

Et dum ſeminat, aliud cecidit. O, redige te ad parua, ex quibus cadere non poſſis! §. 172. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 212

Et dum ſeminat, aliud cecidit. Hoc rationale granum, *ceciditne* videns vbi *caderet*, an *non videns?* Porrò reproborum, eſt retrorſum *cadere*, quia ibi *cadunt*, vbi non vident: Iuſtus autem in faciem ſuam *cadit*, quia ibi *cadit*, vbi videt. §. 333. *n.* 3. *p.* 402

Et dum ſeminat, aliud cecidit. O rationalis ſpicæ diſertiſſimum & prudentiſſimum granum! Proiicitur à Satore, & *cadere* ſe putat, & *cecidiſſe* dicit? Scilicet conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias iniurias velut ignorare videtur. §. 288. *num.* 2. & 3. *p.* 354. 355

Et dum ſeminat, aliud cecidit. Planè indecorè proiectum eſt in terram; & ab Euangeliſtâ *cecidiſſe* dicitur? An ſerpentem non bonæ famæ rumuſculum ſiſtere, fuit primus Euangeliſtæ labor? §. 36. *num.* 1. &c. *p.* 436. 437

Et dum ſeminat, aliud cecidit. Spes ſuas reponit Sator in grano, quod à ſe proiicit? Scilicet ſæpe Chriſtus ſpecie repulſæ, arctius ſibi deuinxit ſuos. §. 98. *n.* 2. & 3. *p.* 128

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt. Sic hominum frequentia, virtuti officit? Nempè Iſaacus, qui conculcatur in regis curiâ, in ſeceſſu viuens, à regibus ſublimatur. §. 191. *n.* 2. *p.* 237

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt. Selectum granum non in via publica, & hominum frequentiâ, ſed in receſſu, & inuiſo loco abſcondendum eſt. Nam Ioannes in deſerti abditis, Chriſtus putatur: Chriſtus in frequentia hominum, vix Ioannes à pluribus habetur. §. 191. *n.*4. *p.*238

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt. Vix enim creditur virtus, quæ nimis in publico eſt. §.24.*n.*2. *&c. p.*44

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Religioſus frequens in publicâ via; & à prætereuntibus detractione proculcatur, & electus Diaboli cibus efficitur. Quem in receſſu Dæmones perhorreſcunt, in publico conculcatum, auide expetunt ad delicias.

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Vbi primùm ſagaciſſimi Dæmones hoc myſticum granum conculcatum, & diffamatum vident, confeſtim illud quaſi ſuas delicias expetunt? Conculcatos & diffamatos homines ſibi Dæmon corporare exambit. Iudas poſt infamiam fit Diabolorum domicilium: & hoc granum, expetita Dæmonis eſca. §. 127. *n.* 2. *p.*156

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. O, viderint Præpoſiti, in quo loco ſubditum locant! hoc myſticum granum ſi in loco idoneo poſitum fuiſſet, abſque dubio fructificaſſet. Quando autem caſu quodam & abſque maturo conſilio (quod indicat verbum, *cecidit*,) loca diſtribuuntur; ſubditus, qui in incongruum cecidit locum; & proculcatur, & Dæmonum expetita eſca efficitur. *No le hechag aqui la culpa al grano, ſino al pueſto.*

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli, &c. Iuxta viam cecidit, & ab iter agentibus conculcatur? Putauerim, quòd non conculcatur ab eo, qui per viam incedit; ſed ab eo, qui à via exorbitat, & errat. Errat, & exorbitat, qui quod non eſt in via, ſed extra viam, pedibus proculcat. Niſi velis, partem viæ eſſe, quod prope viam eſt. Sic eſt procliue hominibus, latiorem viam appetere, aut facere? ô quàm pauci per arctam viam incedunt! Qui prope viam eſt, conculcari negligit.

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, &c. Vbi cadentem vident, ſtatim exorbitant, vt eum conculcent. Sic eſt procliue conculcare cadentem?

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, &c. Quod prope viam eſt, tam prope eſt, vt in via ſit, vt iam conculcetur, ac ſi in via eſſet?

Aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Ergo viuamus ſucco radicis æternæ, ne areſcamus. §. 12. *num.* 4. *p.* 21. 22

Aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Nam infœcundum eſt, quod non eſt vomeris patiens. §. 47. *n.*2. *&* 3. *p.* 77

Aliud cecidit inter ſpinas. Inter ſpinas mittitur electum granum? Sed in rubo eſt, qui ad ſpinas damnauit hominem. 254. *num.*2. *&* 3. *p.* 307

Aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exorta ſpinæ ſuffocauerunt illud. Miror, quod vitioſa herba non priùs pullulauerit: nam vitium ſolet virtuti præcurrere. §. 19. *num.*1. *&* 2. *p.* 39

Et ſimul exorta ſpinæ ſuffocauerunt illud. Bona & noxia herba ſimul exoritur. Sed quomodo noxia herba bonam deprauat, non è contrario? An quia prauorum contubernium peſtilentiatiam malitiam piis moribus exhalat? §. 148. *num.* 1. *&* 2. *&c. pag.* 187. 188

Simul exorta ſpinæ ſuffocauerunt illud. Vitium virtuti nunc coæuum eſt, & virtuti vitium. Sed vitium præualet, & vitio cedit virtus? Præſtantiam in ſuis delictis Tertullianus agnouit. §. 297. *n.* 3. *p.* 364

Aliud cecidit in terram bonam. Tametſi agricola toties fruſtretur ſpe fructuum, non deſiſtit à ſatione: nam propoſitum, quod in animum irruit, & opere inchoatum eſt, adeò vrget homines ne ceſſent, vt vel impoſſibilia tentare audeant, ne ab incepto videantur deſiſtere. §. 197. *n.*2. *&* 3. *p.*243

Aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Vna tantum pars fructificat, tribus aliis miſerè deperditis. An in vno homine ſanctitate perfecto, affatim recuperat Deus tot reproborum iacturam? Vnde homo perfectus dicitur *Orbis ſupplementum*, vt ex Nazianzeno notabamus in Comment. ſuper Iudith.

Dominica in Quadrageſima.

Lucæ 18.

ASſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos. Aſſumuntur, & vocantur, non ſe vltrò ingerunt Principis Chriſti lateri. §. 70. *n.*2. *&c. p.* 91

Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos. Omnes aduocantur, nemo omittitur, vt indifferentem benignitatem erga omnes doceat. Nam quod ſingulari fauore alicui impenditur, cæteris detrahitur. §. 73. *n.*2. *&* 3. *&* 4. *p.* 94

Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos (ſecretò additur Matthæi 20.) Secretò loquitur, nec dicit ſe loqui ſecretò. Nam qui ſuum ſecretum alicui credit, & ſecreti exigit fidem; publicationem ſubornat. §. 228. *n.* 2. *&* 3. *p.* 274

Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos ſecretò. Sed in occulto loquitur nihil, qui multa in *ſecretò* loquitur. §. 227. *num.* 2. *&* 3. *p.* 273

Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos ſecretò. Secretum dicitur, & duodecim hominibus publicatur? An ideo *ſecretum* appellatur, quia qui illud audierunt, minimè *intellexerunt*? Quod auditor non intelligit, duntaxat poteſt nuncupari ſecretum?

Aſſumpſit Ieſus duodecim Diſcipulos ſuos ſecretò, & ait illis: Ecce aſcendimus. Quaſi rem nouam, nec vulgarem diſcipulis ſecretò dicit, ſe *aſcendere*? Annon itineris defatigatione ipſi ſentiunt, ſe per arduum iter *aſcendere*?

dere? Quodnam ſecreti myſterium hîc delitеſcit? An fortè quod arduos patiendi labores, mellea patientiæ voluptas compendioſè abbreuiat? §.242. *n.*1.*&* 2. *&* 3. *&c.* *p.* 294

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Ad arduum Paſſionis opus alacer ipſe *aſcendit.* Nam ſpontanea voluntas operantis, operis difficultates exanimat. §. 86. *num.*2. *&* 3.*p.*106. 107

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Arduum iter ipſe *aſcendit*,& vltrò pergit ad Paſſionis diſcrimen. Nam ardua pericula feliciter exantlare, ſpontanei propoſiti ſtipendia ſunt. §. 167. *n.*2. *&* 3. *p.*207

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Laborioſâ ardui itineris defatigatione, ad cæleſtem Ieroſolymam *aſcenditur.* Nam præuius labôr paradiſo & beatitudini impenſus, vtriuſque delicias facit eſſe gratiores. §. 279. *num.*2. *&* 3. *p.*335. 336

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Chriſtus duobus ſaltibus *aſcendit*, & numeratis gradibus deſcendit, quod rarum priuilegium eſt. §. 272. *n.*2. *p.*328

Et conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas, &c. Nam Chriſtus munus implendi Scripturas, implet, & ſuperimplet. §. 277. *n.*3. *p.*333

De Filio hominis. Filium hominis duntaxat ſe nominat, qui etiam filius Dei naturalis eſt? Deus à præſtabiliori parte creaturis, Chriſtus ſibi à minùs præſtabili, nomen facit? §. 49. *n.*2. *&c.* *p.*69

Tradetur enim Gentibus. Chriſtus in Paſſione, à Principibus ſacerdotum Gentibus ſe tradi prædicit. Et cur non prædicit etiam, ſe Principibus ſacerdotum à ſuis infidè tradendum? Quare Chriſtus velut ignorare videtur Iudæ proditoris offenſam? §. 288. *num.* 2. *p.*354. 355

Tradetur enim Gentibus. Quam ob cauſam dum cetera particulatim Chriſtus recenſet, tam alto ſilentio Iudæ proditionem diſſimulat? An quia conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, enormiores, iniurias velut ignorare videtur? §. 288. *num.* 2. *&* 3. *pag.*354. 355

Tradetur enim Gentibus. Quare nec leuiter perſtringit Iudæ proditionem; quæ fortè plus exacerbabat Chriſti animum? An quia ſcelus publicatum, intimius patratori corporatur, & obdurationem publicitate procurat? §. 120. *n.*2. *&* 3. *p.*150

Tradetur enim Gentibus. Sed à Iuda tradetur Pontificibus, qui tradent eum Gentibus, & tamen dum de complenda à ſe Paſſione loquitur, profundè celat Iudæ malitiam. An quia Iudæ malitia, Chriſti quodámodo Paſſionem compleuit? §. 141. *num.*5. *pag.*179. 180

Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, &c. Ecce acerbiſſimum Dominicæ Paſſionis compêdium. Sed quare Chriſtus Deus Paſſione potiùs, quàm Omnipotentiâ mundum redimere maluit? §. 6. *n.*2. *p.*26

Et poſtquam flagellauerint, occident eum. Chriſti Dei morti, an etiam eius cadaueri, negotium redemptionis adſcribitur, ad gloriæ auctarium? §. 398. *num.* 2. *&c.* *pag.* 469

Et poſtquam flagellauerint; occident eum. Tormenta ante mortem patienda, prædicit; & tacet tortorum ſæuitiam in ſuum corpus demortuum? Chriſtus adhuc viuus acerbius præſentit, ſacrum eius corpus poſt mortem lancinari? §. 397. *n.*2. *p.*468

Occident eum, & tertia die reſurget. Cur dominicum corpus Reſurrectio conſecrare dicitur? §.322. *n.* 3. *pag.*390. Reſurrectio potiùs quam Paſſio erit Paterni amoris incentiuum? §. 189. *n.*2. *p.*235

Et ipſi nihil horum intellexerunt. Longè enim erat à Diſcipulorum exiſtimatione, quem Deum eſſe exiſtimabant, pati poſſe. At in Chriſti Dei Paſſione magis impatibilis Diuinitas demonſtratur. §. 383. *n.* 2. *p.* 453

Et ipſi nihil horum intellexerunt. Ad percipiendas patiendi vtilitates, obtuſus eſt hominis intellectus: & vel bruti ſenſus ad voluptabilia ingenioſi ſunt. §. 79. *num.*1. *&* 2. *&c.* *p.*99. 100

Et non intelligebant, quæ dicebantur. Eſtne imperita ruditas, an arcana peritia, non attendere, aut non *intelligere*, diſcipulos, quod in *ſecreto* audierunt? Quod os loqui non poteſt, mens non dicitur intelligere? Moraliſſimè quidem ad Confeſſariorum eruditionem (vt omittam alia, quæ in ſecretó audimus.) Neſcit Confeſſor, quod dicere nefas eſt.

Feria IV. Cinerum.

Geneſis 3.

Memento homo, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Vt ſpiritualis ædificij molem homo altius fundet; caput puluere aſpergitur. Nam leuis terræ puluiſculus, *terra humeris* ſententioſè nominatur. §. 59. *n.*4. *p.*79. 80

Memento homo, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Homone puluis nunc eſt, an puluis poſt mortem erit? Profectò puluis eſt, qui puluis erit: non enim tam ex præſenti, quàm ex futuro rerum ſtatu, totius hominis titulatur elogium. §. 201. *num.* 1. *&* 2. *&c.* *p.* 247

Memento homo, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Cùm in Quadrageſimæ ſpiritualibus nundinis, mores comere iubemur, mortis refricatur memoria. Nam mortis propius ſpectatæ memoria, aſtrorum adornat fulgores, & paradiſæam conſummat felicitatem. §. 274. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.*330

Memento homo, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Puluis nunc eſt, an iam iam puluis erit? Profectò homines vix vnâ *hora viuâ* potiuntur: nam vita humana, fuga Mortis eſt, vnde prima vitæ inſpiratio, moraliſſimè dicitur, *Spiritus emiſſio.* §. 276. *n.*2. *&* 3. *&* 5. *p.*332

Memento homo, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sic homo morti obnoxius eſt, vt vel immortalis Angelus in aſsúpto corpore,

mortem velut timere videatur? §. 276. *n*.5. *p*. 332

Memento homo, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Puluis iam eſt, an puluis poſt mortem erit? Scilicet dum ſatagit Eccleſia, vt homo laude digna operetur, & laude dignus ſit, hominem velut iam mortuum repræſentat. Nam homo non in vitæ auſpicio, ſed in mortis clauſulâ, dignus laude cenſetur. Inde in mundi exordio, ceteris creaturis laudatis, homo illaudatus dimittitur. §.96. *n*.2. & 3. *p*.117. 118

Memento homo, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Cùm Eccleſia ſpirituales athletas largius munerare procurat, mortalium mortem ingerit. Nam mors eſt ſtipendiorum plenitudo. §. 96. *n*.4. *p*.119

Memento homo, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Idoneum planè præludium, ad eleemoſynas largius faciendas, quod ſeriò in huius feriæ Euangelio ſuadetur. Nam mortis propius ſpectatæ meditatio, abdicationi bonorum gratulatur. §. 135. *n*.2. & 3. *p*.172. 173

Matthæi 6.

Cùm ieiunatis, nolite, &c. Ieiunium Chriſtus ſuadet, vt mox ad faciendas eleemoſynas adhortetur. Nam panem eſurienti frangere, arcanum ieiunium eſt. §. 144. *n*.2. *p*.183

Cùm ieiunatis, nolite, &c. Præuium & frequens ieiunium, ſecuros reddit homines in obuiis vitæ periculis, in quibus benè ſaturi periclitari ſolitant. Hinc Daniel in periculo prandet, qui extra periculum ſolet ieiunare. §. 112. *n*.3. *p*.142

Cùm ieiunatis, nolite, &c. Simile ieiunium & Diſcipulis, qui futuri erant Eccleſiæ antiſtites, & ſubiectis turbis Chriſtus Deus iniungit: quia eoſdem cibos & homini præſidenti, & ſubiectis animantibus Deus adſignauit. §. 92. *n*.2. *p*.113

Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ. Primi, qui hîc ieiunantes occurrunt, ſunt hypocritæ? Annon priùs occurrebant alij, qui ex virtute ieiunant? An vitium ſæpè virtuti præit ſumptuoſâ ambitione affectatæ virtutis? §. 300. *n*.2. *p*.367

Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Seriò præcauet Chriſtus, vt virtus non habeatur *triſtis*: nam triſtitia vitiis cognata eſt. Porrò mœror perſæpè de inferno eſt; energumenumque aut inuenit, aut facit. §. 243. *num*. 2. *p*. 295

Sicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Vide hîc quantas ſubeat difficultates, inanis glorię cupidus. Porrò gloria inanis, nimis gloriæ ambitioſum fatigat. §. 155. *num*. 2. & 3. *p*.194. 195. & §. 59. *num*. 1. *p*.79. Et quidem mundi glorię plus additur, dum timetur. §. 157. *n*.2. *p*.196. 197

Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum... ne videaris hominibus ieiunans. Abſconde bonum opus. Virtutiſne miracula, quæ in occulto fiunt, credibiliora ſunt, quàm publicata? §. 24. *num*. 1. & 2. *pag*. 43. 44

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Vſque eò progreditur auaritiæ libido, vt non vnum duntaxat theſaurum, ſed plures exambiat? Profectò qui ſemel vni cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit. §. 8. *n*.1. & 2. &c. *p*.28. 29

Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo. Nam diuitiæ virtuti arrident; non vt poſſideantur, ſed vt poſſeſſæ pro Chriſto relinquãtur. §. 141. *n*.2. & 3. & 4. *p*.179

Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo. Porrò eleemoſynæ, viuæ opes dicuntur: inde inopia pauperum locupletat diuitem: cuius probatur fides miſericordiæ ſuffragio. §.145. *n*.2. & 4. *p*.184

Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo. Nam prætetquam quòd eleemoſyna vitam colorat, Manus pauperis, gazophylacium eſt Chriſti. §. 145. *num*. 4. *p*. 184. Et ſeculo rapit, quod in cælo reponat. §. 316. *num*. 2. *p*. 384

Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo. Tam prodigè auarus debet eſſe homo faciendi eleemoſynas, vt non tantùm quod habet, ſed etiam quod habere poteſt, pauperibus eroget? §. 89. *n*.2. *p*.109

Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo. Num pro veſtitu pauperibus donato, in cælo redonatur lucida veſtis, quæ tranſit in corpus? §. 145. *n*.4. *p*.184

Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo. Deuſne miſericordiam ſuam ſolis miſericordibus præſtat? §.143. *n*.3. *p*.182. Eſtne humana miſericordia, miſericordiæ diuinæ mẽſura? §. 142. *n*. 4. *p*. 181. Ergo vltra quàm quiſque poteſt, eleemoſynas erogare debet? §.144. *num*.1. *p*.182. 183. Itaque pauper victum primò prouideat aliis, deinde ſibi, ne à benignitate exors ſit. §. 144. *num*. 3. *pagin*. 183

Feria VI. poſt Cineres.

Matthæi 5.

A*Vdiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Procliue odium aduerſus inimicos, non tantùm audierunt; ſed auribus quodammodo intellexerunt. Nam ad voluptabilia vel bruti ſenſus quaſi intellectu inoculantur, voluptatis veneficio. §. 79. *num*. 1. & 2. & 3. *p*.99. 100

Diliges proximum tuum. Sed verus proximorum amor, fide potiùs, quàm ſpe conſtat. Inde humanæ amicitiæ nundinæ reprobantur. §.150. *n*.2. & 3. *p*.189. 190

Diliges proximum tuum. Nomine *proximi*, contribulem, aut affinem etiam quidam interpretantur. Quod ſpeciatim præmonendum erat. Nam ſæpè inurbana cognatorum auaritia, ſpe capiendæ hereditatis, de cognati funere ſibi animitùs gratulatur. §. 296. *num*. 2. & 3. *p*.363

Diliges proximum tuum. Etſi proximus ambigat de noſtro in eum amore, adhuc diligendus eſt, ad dilectionis auctarium. Nam adhuc diligere eum, qui dubius eſt de noſtro in

eum

cũ amore, dilectionis exaggeratio eſt. §.237. *n.*2. & 3. *p.*283. 284

Et odio habebis inimicum tuum. Quid ſi iam futuræ amicitiæ lenocinari videatur? Aſt ſæpè blandimenta inimici offenſam exaggeratiùs irritant. §.300.*n.*2. & 3.*p.*367

Et odio habebis inimicum tuum. Quid? ſe ipſum homo odio habebit? Porrò plerumque mitior in hominem inimicus eſt vel ipſe Dæmon: homo verò ſæuior & atrocior ſui inimicus eſt. §. 285. *num.*2. & 3. *pag.*351 352

Et odio habebis inimicum tuum. Eſto, priuato odio inimicum proſequaris. Sed ne dum tuas inimicitias agis, rectæ fidei cauſam te tueri malitioſè ſimules. §.307. *num.*1. & 2. *pag.* 374

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Durum planè verbum! An Chriſtus illud exemplo ſuo in ſe expreſſit, & ſic eius duritiem mitigauit? Num gratiam ſuam vberiùs donat Chriſtus, vt acerbas ſuæ mortis compenſet iniurias? §. 62. *numero* 4. *pag.* 82

Diligite inimicos veſtros. Blandè diligam eum, qui durè me offendit? Fortè pietas Chriſtiana iniuriis neſcit offendi? §. 62. *num.*1. *pag.* 82

Diligite inimicos veſtros. Honorem impunè vulnerari patiar? At illuſtris honor vindictâ periclitatur, non aſſeritur. §. 299. *numero* 2. *p.* 365 366. Inde Iacob veniam non rogat pro filiis proditoribus, ne ſuum Ioſephum eiuſmodi petitione deuenuſtet. Et illacrymat ipſe Ioſephus ſumendæ vindictæ ſuſpicione læſus. §.299. *n.*3. & 4.*p.*366

Diligite inimicos veſtros. Tantus ſolet eſſe acceptæ iniuriæ ſenſus, vt Adamo & Iſaaco diuina immittatur ecſtaſis, ad humanæ velut iniuriæ fruſtrationem? §. 211. *num.*2. & 3. *p.* 257

Diligite inimicos veſtros. Sic Chriſtus ſuos dilexit inimicos, vt illis abſentibus, dicatur eſſe *ſolus*, etſi diſcipulorum turbis conſtipatus? §. 136. *n.*3. *p.*173. 174

Diligite inimicos veſtros. Quiſquis de offenſore bonam habet exiſtimationem, iniuriam condonaſſe videtur, & iniiſſe cum illo amicitiam? §. 212. *n.*2. & 3. *p.*258

Diligite inimicos veſtros. Aduerſarius Dæmon aliquâ hominis beneuolentiâ permulcendus eſt? §.235. *n.*3. *p.*281. Rex Achaz aduerſarios Syrorum Deos adorando, illos vincere præſumit? *Ibid. n.* 4.*p.* 281. 282

Diligite inimicos veſtros. Deuſne ſub aduerſarij nomine diligendus proponitur, ad beneuolentiæ humanæ redundantiam? §.235.*n.*5. *p.* 282

Diligite inimicos veſtros. Arcana quædam parcendi genera proponuntur. §. 236. *num.* 1. & 2. & 3 *p.*282. *Et* §. 299. *n.*4. *p.*366

Diligite inimicos veſtros. Parùm eſt illatas condonare offenſas; iniuriæ etiam, quæ fieri poſſunt, condonandæ ſunt inimicis? §. 16. *n.*3. *pag.* 36

Diligite inimicos veſtros. Quid ſi hic amor piè generoſus deſit? Saltem conſultior prudentia pro ſui auctoritatis decoro, proprias iniurias velut ignorare videtur. §. 288. *num.*2. & 3.*p.* 354. 355

Diligite inimicos veſtros. Quod vt præſtes, offenſæ memoria deponenda eſt: nam iniuriarum recordatio, ſic atrociter ad vltionem inſtigat, vt *Satan* meritò nuncupetur. §. 232. *n.*2. & 3. *p.*278

Diligite inimicos veſtros. Tam ſunt diuerſa, ſiue aduerſa hominum ingenia, vt nullas mutuò inimicitias agere, ſed homines concordiam inter ſe habere, aliquis humanæ virtutis faſtus ſit? §. 233. *n.* 2. *p.* 279

Diligite inimicos veſtros. Omnis inimicitia valdè pernicioſa eſt: ſed inimicitiæ inter Catholicos ſapientes Eccleſiam inquietant. §.31.*n.*1. & 2. & 4. & 5.*p.*50.51. Inde diuiſionem inter Doctores, etſi per cælum factam, non approbat Deus? §. 31. *numero* 3. *pag.* 51

Benefacite his, qui oderunt vos. Pro malis bona, non donare duntaxat, ſed & *reſtituere* debemus? §. 62. *n.*2. *p.*82. Exinde Ioſephus Patriarcha dona largitur fratribus, quæ ſingulis reſpondeant offenſis. §. 62. *num.* 3. *pag.* 82

Benefacite his, qui oderunt vos. Quid ſi beneficia accepta ſæpè inimicitias pariunt? §. 10. *n.*2. & 3.*p.*30

Et orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Perſecutores non appellat inimicos? Tam opulentum enim reportatur de perſecutionibus lucrum, vt cum ſæuo perſecutore amicitias conciliet. §. 216. *n.*2. *p.*272

Et orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Omnem felicitatem inimico optabo; tametſi omni feritur plagâ, qui ſuum æmulum fortunatum videt. §.213. *numero* 2. &c. *p.* 259

Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Calumniis & detractionibus Inimici, ne reſpondeant calumniæ & detractiones veſtræ. Nam qui inimico detrahit, eidem victoriæ pignus offert. §.217.*n.*2. & 3. *p.*263. 264

Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Tam ſollerter Chriſtus conciliare vult inimicos, vt illos duntaxat ad concordiam reducat? an etiam vt omnium hominum concordiæ ſtudeat? Quid? nemini quantumuis concordiæ ſtudioſo, inter rixantes pax eſſe poteſt? §. 234. *n.*2. &c. *p.* 280

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, &c. An Chriſtus Deus tam ſedulò procurat hominum concordiam; quia ipſe per concordiam ſui generis ad pacem deitatis perueniſſe dicitur? §. 362. *n.*3. *p.*431

Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt. Si homines Patrem habent in cælis, quid opus eſt, vt per concordiam ſtudeant, eſſe eiuſdem Patris filios? Verùm inter ſumma Dei elogia cenſetur, quod etiam non filiorum pater nominetur. §. 119. *num.*2. & 3. *p.*148 149

Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. An hinc Ionas quaſi in impios nimis pium accuſat Deum, ad diuinæ pietatis notionem? §.215. *num.*4. *p.*262

Eſtote ergo & vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Perfectionis diuinæ piè ſuperba æmulatione, primum cæli locum vnuſquiſque exambiat? §. 199. *n.* 1. & 2. &c. *p.* 245

Eſtote ergo & vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Vltra perfectionem audet virtus, piâ ambitione merendi. §. 16. *n.* 2. & 3. & 4. *p.* 36

Dominica I. Quadrageſimæ.

Matthæi 4.

D*Vctus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum.* Vt Ieſus ob hominibus habeatur Chriſtus, conſultiſſimè priùs ducitur *in deſertum.* Nam Ioannes in deſerto, Chriſtus putatur: Chriſtus in vrbibus, vix Ioannes habetur. §. 191. *n.* 4. *p.* 238

Ductus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum. Vt homines doceat, per *deſertum* in Terram promiſſionis eundum eſſe. An toto diuinioris omnipotentiæ adniſu opus eſt, vt homo non per viam Philiſthinorum, ſed per *deſertum*, ad terram promiſſionis pergat? §. 51. *num.* 2. *p.* 70. 71

Vt tentaretur à Diabolo. Vbi primùm præclarâ de cælo voce renunciatur Chriſtus, Orbis magiſter, confeſtim Dæmon auidè properat illum tentaturus. Nam delicatior Diaboli cibus, ſunt luces extinctæ. §. 188. *num.* 5. *p.* 234

Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Quam ob rem Dæmonum callidiſſimus, eſurientem Chriſtum cibare ſatagit? An quia cibatio quandam ſeruitutis notam inurit; & obſequium potiùs, quàm hominem alit? §. 386. *n.* 3. & 4. & 2. *p.* 456. 457

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Ecce cur lapides, & non panes eſurienti offert? Sic eſt miſericordiæ auarus? An ſic malus Dæmon arcetur à miſericordiæ bono, vt illi non permittatur, panem eſurienti frangere, ne vitam ſuam *coloraret?* §. 145. *numero* 4. *p.* 184

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Tentationem planè leuiſſimam, de infernalis aſtutiæ pharetrâ, malus Dæmon iaculatur. Nam ſæpè qui magna vicit, minimis vincitur. §. 101. *numero* 1. & 2. & 3. *p.* 131.

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Leuem cibi cupiditatem eſurienti aſtutiſſimè ingerit; benè ſcius, quòd qui vni cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit. §. 8. *n.* 1. &c. *p.* 28. 29

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Vel Dæmon eſurienti Chriſto in eremo, eſcas offert viles: & Religioſus, qui vili cibo alebatur in ſeculo, eſculentas delicias in Religione expectet? §. 393. *n.* 4. *p.* 464

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Eſurientem videt Chriſtum, & paſſionem famis, oblato cibo exacuere, malitiosè præſumit. Sic malus Dæmon in homines humanas paſſiones intentat iaculari. §. 285. *num.* 3. *p.* 352

Et filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Si filium Dei eſſe ſuſpicatur, cur re viliſſima illum deiicere intentat? Planè aſtutus Dæmon obbruteſcit. Et tamen obtuſi quidem homines intellectum ſe debere Diabolo credunt. §. 341. *n.* 1. *p.* 410

Qui reſpondens, dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, &c. Solo pane Diabolus Chriſtum tentat: & *ſolo pane* Chriſtus tentationem eludit. Eſtne pia virtutis arrogantia, ferire conantem, eodem telo referire? §. 334. *numero* 2. &c. *pagin.* 402. 403

Qui reſpondens, dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, &c. Eſto, totum alimentum homini neceſſarium non offerat; partem tamen maximè neceſſariam alimenti offert. Acceptet ergo partem maximè neceſſariam, & minùs illi deerit. An præſtat omni carere, quàm partem accipere? An qui totum non dat, è cælo non dat? An qui nihil habet, faciliùs à Deo impetrat totum? An qui nihil habet, totum poſſidet, diues paupertate ſua?

Tunc aſſumpſit eum Diabolus, &c. Miſerè deuictus eſt, & adhuc audet reſtaurare certamen? ô nimis verum! Arrogãtes inflat infelicitas. §. 383. *n.* 4. *p.* 453

Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem. In ſanctam ciuitatem eum adducit, vt de ſanctitate deiiciat.

Et ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi. Porrò ſublimius faſtigium ruinæ inſidiari ſolet. §. 132. *n.* 2. & 3. *p.* 161. 162

Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum. Si deiicere illum intentat, cur non ipſe impulſu illi impreſſo, violenter deturbare nititur; ſed vaferrimè ſuadet, vt ipſe ſe deorſùm mittat? An quia mitior in hominem inimicus eſt Dæmon; homo verò ſæuior & atrocior ſui hoſtis eſt? §. 285. *num.* 2. & 3. *p.* 351. 352

Mitte te deorſum. Quia citò ad faſtigium aſcenderat; citò deſcenſurum putauit, more aliorum hominum. At alicubi Chriſtus duobus ſaltibus ad culmen aſcendit, & numeratis deſcendit gradibus, quod rarum priuilegium eſt. §. 272. *n.* 2. *p.* 328

Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. Non verâ, ſed imaginatâ mundi gloriâ, Chriſtum Deum ſubuertere Diabolus præſumit. Sic mundi gloria de noſtrâ imaginatione ſubſiſtit. §. 94. *num.* 2. & 3. *p.* 115. 116

Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, &c. Aſtutè ſatagit, vt mundi bona ab aliis tunc poſſeſſa videat, vt illa auidiùs appetat. Nam mundiale bonum in alio viſum, gratiùs apparet, quaſi placendi vſuram ab alienatione mutuetur. §. 93. *numero* 4. & 3. & 2. *p.* 114

Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, &c. Semel, & iterùm deuictus Dæmon, aliam validiorem machinam torquet, Chriſti Dei regna appellando ſua. Scilicet Præpoſitorum ardor pro ſuâ iuriſdictione nimis tuenda, periculoſum

z calolum tormenti genus eſt. §. 244. *n.* 2. *&c. p.* 296

Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo. Sua eſſe dicit, vt Chriſti appetentiam exacuat; bene ſcius, quod bonum quoduis ab æmuli poſſeſſione placendi gratiam fœneratur. §. 114. *n.* 2. *&* 3. *p.* 260

Hæc omnia tibi dabo. Omnia in vnum duntaxat, etſi benemeritum, conferre, Diaboli munificentia eſt: non ſic Deus dona ſua diſtribuere ſolet. §. 64. *num.* 2. *&* 3. *p.* 84

Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. A Dei viuo templo adorationem expetit? Profectò Beniamin præ reliquis fratribus, Ægypti Præfectum non adorat, quia in eius ſorte templum erigitur. §. 247. *num.* 2. *p.* 299

Vade Satana..... Tunc reliquit eum Diabolus. Abſentia Iudæ, glorificationis Chriſti initium fuit. & Angelorum ne mam è cœlo eiectio. Beatitudinis compendium? §. 13. *n.* 2. *&* 3. *p.* 33

Tunc reliquit eum Diabolus, ſemel, iterùm, & tertiò deuictus. At Chriſtus victoriæ ſuæ fructum hominibus tribuit. §. 354. *num.* 3. *p.* 424

Feria IV. à Dominica I. Quadrageſimæ.

Matthæi 12.

MAgiſter, volumus à te ſignum videre. Annon Phariſæi iſti nuper viderant mutum Dæmonem à Chriſto excantatum, glorioſà turbarum acclamatione? Aſt aliena gloria incredibilis eſt homini qui ſuam nimis amat. ... §. 324. *n.* 2. *&* 3. *p.* 382

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Profectò paulò anteà oculis viderant malum Dæmonem ab energumeno omnipotenter expulſum. Quare Phariſæi oculis non credùt? An fauori imputandum eſt, quod perſpectum aliorum bonum nobis placeat? §. 33. *n.* 2. *&* 3. *p.* 53. 54

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Annon oculis viderant celebre excantati Dæmonis miraculum, à Chriſto tunc patratum? Viderant quidem. Sed tunc quidam malitioſè obmurmurarunt, Dæmonem in Beelzebub expulſum, non in Chriſti virtute. Ad quem rumuſculum alludunt Phariſæi, aientes: *Volumus à te ſignum videre.* Sic vulgi rumoribus annuunt vel ſapientes Scribæ? Fortaſſis ſerpentem, non bonæ famæ rumuſculum ſiſtere, primus fuit Euangeliſtarum labor? Sic liuè ſerpit inanis & falſatus rumor? §. 367. *n.* 2. *&c. p.* 436. 437

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Quaſi diſſimulanter dicant ex vituperonum opinione: Quæ à te iactantur patrata miracula, à te facta non ſunt, ſed à Beelzebub Dæmoniorum principe. Fac tu aliquod ſignum, quod videamus *à te* factum. Nam qui de ſuo, etſi modicè elucet, adſcititios cœli fulgores æmulari poteſt de operis præſtantià. §. 63. *n.* 1. *&* 2. *p.* 83

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Ipſi legis Magiſtri, honoris causà Chriſtum appellant *Magiſtrum.* Nam è propriâ ſublimitate aliorum ſublimes honores metimur. Sic noſtra ſublimitas magni eſt apud nos? §. 392. *n.* 2. *&* 3. *p.* 462. 463

Magiſter volumus, &c. Ad *Magiſtrum Phariſæi voluntatem* afferunt, & non potiùs mentem deferunt? Doceri cupiunt, non quod verè res eſt, ſed quod volunt, vt ſit. Inde vel Chriſtus Deus audit Hæreticus, quia quod volunt Phariſæi, ipſe non docet. §. 307. *n.* 2. *p.* 374

Magiſter, volumus, &c. Non benè duntaxàt *voluntas* ad notionem veritatis defertur. Annon verum illud? Velis, & ſenties, quod ſentire velis. §. 76. *num.* 1. *&* 2. *&c. p.* 96. 97

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Phariſæorum inuidia, oculis videre cupit Chriſti opera. Sic inuidus Saül, Dauidis *Oculator* dicitur. §. 39. *n.* 2. *p.* 59

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Annon nuper præclari miraculi fulgores viderant? Viderant quidem, ſed Phariſaicis oculis, caligantibus Heli oculis quàm ſimilibus, qui noctu Dei lucernam videre non poterat interdiu videbat extinctam. §. 188. *n.* 2 *&* 3. *p.* 234

Qui reſpondens, ait illis: Generatio mala, & adultera, &c. Mitiſſimus Chriſtus ſic durè reprehendit eos, qui eum *Magiſtrum* appellant, & Diſcipulorum nomine gaudere exambiùt? An quia inculpata *Magiſtri* vita, Diſcipulorum vitiis culpatur? §. 343. *n.* 2. *&* 3. *p.* 412. 413

Qui reſpondens ait illis: Generatio mala, & adultera. Pacatiſſimus Chriſtus ſic aperè obiurgat eos, qui eum profitentur *Magiſtrum?* Pater futuri ſeculi, ſic durè filios reprehendit? At præmonere & reprehendere, aliena non ſunt à paternis Benedictionibus; imò ſynonyma. §. 395. *n.* 3. *p.* 466

Qui reſpondens, ait illis: Generatio mala, & adultera, &c. Eccur mitiſſimus & pacatiſſimus Chriſtus ſic iraſcitur aduerſus hos Scribas & Phariſæos? quare tam duris verbis illos caſtigat? Scilicet viſo nuper miraculo excantati Dæmonis, nonnulli è vulgo obmurmurarunt, in Beelzebub Dæmoniorum principe, eieciſſe Dæmonium, non in propriâ virtute. Ergo meritò Chriſtus, cùm audit vulgi rumuſculos in ore litteratorum Scribarum, & grauium Phariſæorum, aientium, volumus *à te* ſignum videre, tam acerbè illos reprehendit: ò procùl eſto à viris auctoritate illuſtribus, auctoritatem conciliare inaniſſimis vulgi rumuſculis!

Generatio mala, & adultera. Abrahami virtutem, generis etiam nobilitate compenſat Deus; & Abrahamidum vitia, generis ignobilitate caſtigat? §. 156. *num.* 2. *pag.* 195. 196

Generatio mala, & adultera. Adulterina ſoboles dicitur, quæ a parentum moribus deſciſcit: non enim ſucceſſio carnis quæritur, ſed fidei hereditas. Hinc Deus dicitur potés, de

lapidibus

lapidibus ſuſcitare legitimos Abrahæ filios. §. 97. *n.* 3. *p.* 127

Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ. Annon exinde plura alia ſigna oſtendit Chriſtus Iudæis? Annon vox de cælo audita eſt? Annon Lazarus ſuſcitatus eſt? &c. Num ſigna exinceps non dicuntur illis data, quia non ipſi, ſed alij ſignorum fructum perceperunt? An quia non dâta ſunt illis ſigna, quæ ipſi petebant, & qualia ipſi poſtulabant? Cui non datur quod vult, quando, & quomodo vult, nihil ſe putat accepiſſe?

Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Ad patrationem quæſiti miraculi, propriam duntaxat voluntatem adducunt, aientes, *volumus*: inde res Ionæ opportune reſpondet. Procliue enim fuit Ionæ naufragari, quia ipſe ſui naufragij auctor extitit? §. 86. *n.* 3. *&c. p.* 107

Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Idoneè Chriſtus adſpectu ad ſuam mortem, Ionæ exemplum inducit. Nam Ionas in naufragio littus quò tendebat, inuenit. §. 112. *n.* 2. *p.* 141. 142

Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit filius hominis, &c. Ionas enim feliciter naufragus, in aſylo periculi ſui tutus fuit. §. 172. *num.* 2. *p.* 212

Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam. Opportunè aduerſus ingratos Iudæos, pœnitentium Niniuitarum exemplum adducitur. Nam pœnitentia diuiniori olim gratiæ gratanter officioſa eſt. §. 163. *n.* 3. *p.* 203

Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio (finali inquam) *cum generatione iſta, & condemnabunt eam.* Iudiciaria poteſtas Apoſtolis conceſſa, pœnitentibus etiam conceditur? An Apoſtoli iudicabunt, & pœnitentes condemnabunt? Apoſtoli *ſedentes* iudicant, & pœnitentes *ſurgunt*, vt condemnent? Apoſtoli verbis iudicant, Pœnitentes operibus condemnant?

Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio (finali) *cum generatione iſta, & condemnabunt eam.* Pœnitentes citiùs quàm innocentes, iudiciariâ hîc poteſtate donantur? An quia olim peccatores, mitiùs in peccatores agent? An quia Pœnitentes ſuis delictis iraſci adſueti, alienis ſeueriùs iraſcentur? Ex proprio aduerſus ſe iudicio, iudicium ediſcitur alienum.

Feria VI. à Dominica I. Quadrageſimæ.

Ioannis 5.

IN his iacebat multitudo magna languentium, &c. Languidè iacent, & viuidè ſanitatem ſperant? Scilicet humana imbecillitas, piæ fiduciæ conceptaculum eſt. §. 138. *num.* 2. *&* 3. *p.* 175. 176

In his iacebat multitudo magna languentium, &c. expectantium aquæ motum, &c. Subitum aquæ motum expectant, vt quamprimùm ſeſe in lacum demittant; & non erecti, ſed *iacentes* expectant? ô humanam inertiam, quæ *iacendo* negat, quod *expectando* fatetur!

In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, &c. Ægritudines duntaxat refert, quæ de humanâ medicinâ deſperant. Ne vltima neceſſitas ſit ſpei inſtituta; ſed fiduciæ conceptaculum. §. 378. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 447. 448

Cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum, &c. Porrò naufraga ſpes in aſylo periculi ſui tutior eſt. §. 172. *num.* 2. *&* 3. *p.* 212

Angelus enim Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, &c. Porrò à beneficentiâ, *hora vna* eſt, & temporis *integritas*. §. 50. *num.* 2. *&c. p.* 66. 70. *Et* §. 276. *n.* 5. *p.* 332

Et mouebatur aqua, &c. Aqua in oculorum piſcinis mota, ſic eſt beneficentiæ diues? Scilicet cæleſtes Solis radij humanis oculis inuident lacrymas, & ſidereo furto eas rapiũt. §. 61. *n.* 2. *p.* 81

Et qui prior deſcendiſſet...., ſanus fiebat à quâcumque detinebatur infirmitate. Ei, qui prior *deſcendit*, perfecta eminet è cælo ſanitas? Sic exprompté infima loca debemus expetere, piè ambitioſâ humilitate? Qui prior deſcendit, cæleſtem præripit beneficentiam: ô bonam humilium æmulationem, cui Angeli adſtanent, & cælum adridet! *La competencia ſobre quien occupara primero el mas bajo lugar; fauoreçe declaradamente el cielo.*

Sanus fiebat à quâcumque detinebatur infirmitate. Si à quâcumque infirmitate ſalus omninò recipitur, quis de ſalute deſperet? Si è quâcumque infirmitate ſalus omninò recipitur, eccur peccator, qui per *aquæ motum*, (id eſt, per pœnitentiam) recipit integram ſanitatẽ, adhuc in bono nomine infirmatur? §. 58. *n.* 1. *&* 2. *p.* 78

Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Et quis eſt hic homo in inueteratâ peccatorum infirmitate tandiu iacens? fortè carebat nomine, Minimè quidem. Sed ſæpè infamia perſonæ priùs auditur, quàm perſonæ nomen, aut ingenio detractionis, aut caſtigationis arbitrio. §. 17. *n.* 2. *p.* 37

Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? De homine peccare adſueto, qui in malitiâ diu iacuit, meritò dubitari poteſt, an ſanus eſſe velit? an in votis beatitudinem habeat? an ſpebus vale dixerit? an reſcindere velit, aut poſſit diu inolitam peccandi conſuetudinem? Saltem Dauid peccare aliquando adſuetus, viam iniquitatis à ſe amoueri poſtulat; non ſe amouere? §. 51. *n.* 3. *p.* 70

Dicit ei: Vis ſanus fieri? Quid opus fuit hoc interrogare ab homine, qui tam diuturnâ & moleſtâ infirmitate languebat? qui ſalutis quærendæ causâ, piſcinæ aderat? Scilicet (vt notat Hugo) rem indubiam interrogat, vt perfecta eius manſuetudo & patientia *in*

molli reſponſo appareat. Quaſi non tam apparuiſſet in acerbæ & diuturnæ infirmitatis tolerantiâ. Scilicet ſæpè qui magna vicit, minimus vincitur. §. 101. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 131

Dicit ei: Vis ſanus fieri? Triginta octo annos habebat in moleſta ægritudine, & illum interrogat, an ſanari velit? Nempe diuturnos diu patiendi labores, ſæpe mellea virtutis voluptas compendioſè abbreuiat. §. 242. *n.* 2. *&* 3. *p.* 294

Dicit ei: Vis ſanus fieri? Putabat Paralyticus, vnum duntaxat de more ſanandum. Dicitur ergo illi: Vis ſanus fieri? an vt te in infirmitate permanente, alius præ te ſanitatem recipiat? Vis infirmitate tuâ alienam emere ſanitatem? degeneroſam fraternæ charitatis eminentiam, quæ in quibuſdam Sanctorum elucet? Non ſic putauerim de hoc Paralytico. Et ſanè malum quod quiſque patitur, acerbiſſimum omnium eſſe putat. §. 221. *n.* 2. *&* 3. *p.* 267

Dicit ei: Vis ſanus fieri? Vt donum porrigat, accipientis voluntatem explorat: quaſi donantis gratia ſit in accipientis voluntate. Semper magna dat, qui cupita donat. Quiſquis cupita donat, donum exaggerat, & gratitudinem ſubornat. Sæpè voluntas accipientis, cenſus muneris eſt.

Dicit ei: Vis ſanus fieri? Et cur non expectat, vt æger ſanitatem roget? An Chriſtus non rogatus, vltrò ſanitatem offert, vt liberè ſanitatem donaſſe putetur? §. 280. *num.* 2. *p.* 336

Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo. Languidus, quem non cognoſcebat, honoris causâ *Dominum* vrbanè appellat. Nam vrbanitas etiam in ægritudine, negligenda non eſt, ægritudinis priuilegio. §. 246. *n.* 4. *&c. p.* 299

Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo. Vrbanè quidem languidus reſpondet; ſed non ad rem. Interrogatur, an ſanari velit, & reſpondet ſe hominem non habere, qui eius ſalutem ſollerti diligentiâ procuret? Profectò inanis voluntas eſt, & re ipsâ nulla, quæ ſine patrono aliquid negotiari ambit. Non vis adipiſci quod ſolis meritis patrono deſtitutis, negotiari ſatagis.

Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo. Sed tu homine deſtitutus feliciter potieris, præ reliquis qui hominem habent. Sic Manaſſes, cui Dextera tam ſollicitè procuratur, non tantùm illam perdidit, ſed duplici dehoneſtatus ſiniſtrâ. §. 261. *num.* 4. *p.* 315

Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Annon præſtaret, vt priùs Paralytico largiretur ſalutem, & poſteà rem faciendam imperaret? An cum præcepto ad difficilius obſequium vires donantur? Velis obedire, & obedire valebis.

Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Nullo præmiſſo iudicio, aut verbulo ſanitatis faciendæ, perfectam ſanitatem fecit. Nam perfectus operator priùs rem efficit, quàm eam incepturus putetur. §. 2. *n.* 1. *&* 2. *p.* 21

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Eccur Chriſtus iubet, vt grabatum tollat? Annon occurrebat aliud perfectę ſanitatis indicium? Scilicet qui totos triginta octo annos in grabato iacuerat, ſic infirmitati adſuetus ſurgit, vt congruum ſit, quòd ſecum grabatum portet, ſi fortè confeſtim relabi contingat. Heu quàm expromptè redimus ad conſuetos mores!

Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis eſt homo ille, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula. Duo dixerat Paralyticus, & miraculoſè fuiſſe ſanatum, & ab eodem ſe iuſſum tollere grabatum, & quod glorioſum erat curationis omittunt, duntaxatque ſciſcitantur, quis in ſabbatto iuſſerit portare grabatum. Scilicet Deus à præſtabiliori parte, Detractor à deteriori, rebus nomina facit. §. 49. *num.* 2. *&c. p.* 69

Ieſus enim declinauit à turba conſtituta in loco. Fugit miraculi gloriam? an declinat beneficentiæ periculum? Profectò beneficium beneuolentiùs exhibitum, prębiton ſæpè inſidiatur. §. 10. *n.* 1. *&* 2. *&c. p.* 30.

Dominica II. Quadrageſimæ.

Matthæi 17.

A*ſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem.* Hîc elucet Chriſti ſingularis beneuolentia, & largior beneficentia erga hos Apoſtolici collegij proceres. Nam gratius eſt donum, quod ceteris velut detractum, quibuſdam donatur. §. 252. *num.* 2. *p.* 304

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Glorificationi Chriſti Dei non adſunt reliqui Apoſtoli, ne etiam adſit Iudas. An quia abſentia Iudæ à Chriſti ſocietate, glorificationis Chriſti fuit initium? §. 13. *n.* 3. *p.* 33

Aſſumpſit Ieſus Petrum, &c. in montem excelſum ſeorſum. Ardui montis aſcenſum præmittit tantæ gloriæ. An prænius labor paradiſo & beatitudini impenſus, vtriuſque delicias facit eſſe gratiores? §. 279. *n.* 2. *&* 3. *p.* 335

In montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. In ardui montis occulto receſſu, pauculis pandit ſuæ gloriæ virtutem. Nam occulta virtutis miracula, latiùs buccinant patratoris famam. §. 24. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 43. 44

In montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Sepoſiti procul montis ſecretum eligit, vt pauculis reuelet diuinæ corporationis myſterium, ne tunc omnibus pateat. Porrò dum velum templi ſcinditur, ſynagoga tumulatur; quia eius arcana pateſcunt. §. 25. *n.* 2. *p.* 45

Et transfiguratus eſt ante eos, &c. Chriſti gloria tribus ocularis teſtibus primò reuelatur; & poſteà toto orbe publicatur; & viſa in Thabore gloria adhuc manet myſterium? §. 12. *n.* 3. *p.* 32

Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit

facies

facies eius ſicut Sol. Quaſi parùm fuiſſet, tres Apoſtolos adſciuiſſe in teſtimonium, Solis ſplendorem in teſtem aduocat. Nil enim putatur illuſtre, quod nitorem non mutuat lucis ſuffragio. §. 28. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 47

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. Dum Chriſti gloria Solis imitatur fulgores, ſumptuoſiùs expetit ſpectatorum ſuffragium: quia lux non tam ore, quàm oculis laudatur, & ita verum ſubſcribat teſtimonium. §. 36. *n.* 4. *p.* 57

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. Tanquam Sol ſplendet Chriſtus: ſed ô quàm citò fulgores deponit! An vel ipſe Sol ſplendidiùs lucendo, quodammodo fatigatur? §. 155. *n.* 2. *p.* 194. 195

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, &c. Cognata erat Chriſto Deo, ſplendidior fulgendi gloria, & tamen poſt breue tempus, dotem claritatis deponit. An ſplendidius fulget, qui aliquando adnatum ſplendorem inuſius diſſimulat? §. 176. *n.* 1. *&* 2. *&c. p.* 215. 216

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. Eccur tam citò Thaboris luces Chriſtus interſtinguit? An vt ab omnibus videri poſſit? Scilicet niſi lucem extinctam non vident aliqui. §. 33. *n.* 2. *p.* 53. 54

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. Si Chriſtus vt Sol fulget, quid neceſſe fuit, vt vox de cælo tonaret? Annon auditus etiam Solis radiis illuminari dicitur? §. 35. *num.* 2. *&* 3. *p.* 55

Et reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. An in cæli gloria donatur lucida veſtis, quæ tranſit in corpus? §. 145. *n.* 5. *p.* 184. 185

Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes. Quare tunc cum Moyſe apparet Elias? An Elias caſtitatis merito adeſt etiam legiſlatori Chriſto? §. 289. *num.* 3. *p.* 356

Et ecce apparuerunt illi Moyſes, & Elias cum eo loquentes. Et cur non potiùs aliqui ex Apoſtolorum ſummatibus, in gloriâ apparent coram aliis Apoſtolis? An in Moyſe & Elia, gratior Apoſtolis apparet gloria, quam ſi in ipſis appareret Apoſtolis? §. 214. *n.* 2. *&* 3. *p.* 260

Domine, bonum eſt nos hîc eſſe. Vt viuamus ſucco radicis æternæ, ne areſcamus. §. 12. *num.* 4. *p.* 32. 33

Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Si cæleſtis gloriæ guttula, ſtillans in corpus, ſic dulcedine ſuâ Petrum inebriat, ecquid boni non ſperes, cũ fluminis impetus lætificet ciuitatem Dei?

Bonum eſt nos hic eſſe. Bonúmne erit Chriſto ibi permanere, & Redemptionis officium negligere? Annon officium cuiuſque eſt eius baſis, & ſubſiſtentia? §. 133. *n.* 1. An Chriſtus niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio? §. 133. *n.* 4. *p.* 163

Bonum eſt nos hic eſſe. Proprium officium eſt omittendum in vitâ, quod adhuc poſt mortem negligendum non eſt? §. 277. *num.* 3. *&* 4. *&* 2. *p.* 333. 334

Faciamus hîc tria tabernacula, &c. Retia piſcatui expandere noſti, tabernacula fabricare neſcis, quid artem, quam ignores exercere præſumis? Peritia in proprio officio (quin & prudentia) peregrinatur in officio alieno. Nam non modo induſtria, ſed & aliqua cum obeundo officio cognatio, perfectiſſimum efformat officialem. §. 87. *n.* 2. *&* 3. *p.* 107. 108

Faciamus hîc tria tabernacula. Eſto, Petrus vltrò ſe ingerat in extraneum ſibi officium: quid aliorum operam & laborem offert? Fortè Iacobus & Ioannes peregrinum ſibi laborem recuſabunt. Niſi fortè Moyſen & Eliam exoptet operis faciendi conſortes. Quid alienum laborem Petro promittit?

Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, &c. Domum vnicuique extruere cupit, vt beatâ Thaboris gloriâ quiſque priuatè fruatur. An communem multis gloriam refutat Petrus? an niſi in propriâ domo gloriam eſſe non putat? ô quàm multa paucis!

Faciamus hic tria tabernacula. Videt Petrus præluſtrem Ieſuani corporis gloriam, & non domum; ſed tabernaculum (quæ eſt extemporalis & tranſitoria habitatio) illi extruere molitur? Non diu durans, ſed dum citò tranſit, humanis oculis corporalis mundi gloria gratiùs adridet? ô quàm auidè appetimus, & quàm citò faſtidimus corporeas huius mundi glorias? *Super hâc theſi in commentariis Tobiæ iam iam agimus.*

Neſciens quid diceret. (addit Lucas cap. 9.) An quia Petrus, Apoſtolorum vertex, inſcitiæ notatur coram Iacobo & Ioanne; eidem Ioanni & Iacobo dicitur: *Neſcitis quid petatis?* §. 20. *n.* 2. *&* 3. *p.* 40

Ecce nubes lucida obumbrauit eos. De cælo apparet nubes lucida, & non tam illuminare, quàm *obumbrare* dicitur? Vel cælum ipſum ſubcæleſtium rerum obſcuritate ſpendores ſuos adornat? §. 27. *n.* 3. *&* 4. *p.* 46. 47

Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Lucida dicitur, & obumbrat? Profectò ſi obumbrat, aliquâ ex parte obſcura eſt. Sed nomen non eſt faciendum à deteriori, ſed à præſtabiliori. §. 34. *n.* 2. *p.* 54

Hic eſt filius meus dilectus. Qui auguſtum *Fily* nomen Patri reſtituit in filiis. §. 280. *num.* 2. *p.* 336

Et audientes Diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam. Porrò Reproborum eſt retrorſum cadere, quia ibi cadunt, vbi non vident: Iuſtus autem in faciem ſuam cadit, quia ibi cadit, vbi videt. §. 333. *num.* 2. *&* 3. *p.* 401. 402

Leuantes autem oculos ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum: ô feliciſſimos Chriſti Diſcipulos, qui in terris nil vident, niſi ſolum Ieſum!

Nemini dixeritis viſionem. Eccur Thaboris gloria publicari prohibetur? Fortè ne futuri regni gloria præoſtenſa, incredibilis præ amplitudine tunc videatur? §. 12. *n.* 2. *p.* 32

Nemini dixeritis viſionem, &c. Chriſtus enim necdum habebat tunc ſatis celebre nomen, vt de illo tanta gloria crederetur. Opus enim non ex ipſius merito, ſed ex opinione perſonæ taxari ſolet. §. 153. *n.* 2. *&* 3. *p.* 192. 193.

Feria

Feria IV. à Dominica II. Quadrageſimæ.

Matthæi 20.

P*Otior pars huius Euangelij locupletata eſt in Dominica Quadrageſimæ.*

Feria VI. à Dominica II. Quadrageſimæ.

Matthæi 21.

H*Omo erat paterfamilias, qui plantauit vineam.* Cum Deus inducitur agriculturam exercens, conſultiſſimè *homo* dicitur, quo impenſiùs terræ colendæ ſtudium innuatur. Sic homo vt ſtudioſiùs terram colat, è terra formatur, quò aliquâ, cum officio cognatione ad agricolationem ſtimuletur. §. 56. *n.* 3. *p.* 76

Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam. Magnus hic paterfamilias, ipſe per ſe vineam plantat. Nam rem cupitam, non per vicarios, ſed per ſe ipſum exequi, magni amoris character eſt. §. 259. *n.* 1. & 2. *&c.* *p.* 312. 313

Homo paterfamilias, qui plantauit vineam. Hic homo princeps, agricolationis labori vacat? Scilicet principi Adamo ſpecies laboris indicitur, ne apud principes præſcribat otium. §. 326. *n.* 2. *p* 394

Plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei. Per *ſepem*, Regum cuſtodiam quidam interpretantur. Vineæ cuſtodes, non vindemiatores tantùm deſtinantur Reges.

Sepem circumdedit ei. Aptane erit vineæ maceria, Regum fauor? Putauerim, quòd hæc maceria valdè decidua eſt: nam Regum gratia ſententioſè dicitur *lutoſa*. §. 360. *num.* 1. *p.* 429. Profectò tempus & nihilum eſt potentiorum Principum *ſubſiſtentia*. §. 400. *n.* 2. *p.* 471

Sepem circumdedit ei. Hugo ibi, *ſepes*, *merita Patrum*. Aſt mundities decus, quod ex aliorum meritis obuenit, vix computari ſolet ad faſtigij gloriam. §. 193. *n.* 2. *&c. p.* 221

Sepem circumdedit ei. Bellè *merita Patrum*, electæ vineæ tutamen & decus appellat. Nam vberior & officioſior eſt gratia, quæ in bono patre filiis condonatur. §. 97. *num.* 2. & 3. *p.* 127

Et fodit in eâ torcular. Torcular, id eſt, *altare*, aiunt interpretes. Altare (hoc eſt, *alta ara*) effoditur, an erigitur? Heu altaria iacent!

Et ædificauit turrim. Id eſt, legem condidit. Vnam, non plures turres ædificare dicitur. Nam legem vnam, vnam plures putare, inobedientiæ ingenium eſt. §. 177. *num.* 1. & 2. *p.* 216. 217

Et ædificauit turrim. In vineâ quidem, vt de eodem vineæ ſolo, & ſurgat rationalis vitis, & turris ſiue lex. Porrò lex obedituro cognata obſequium ſubornat. §. 56. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 76

Et locauit eam agricolis. Per hos vineæ colonos, Sacerdotes intelligi, paſſim docent interpretes: ô ſciant Sacerdotes, quòd ſacræ ſacerdotij infulæ dono illis non dantur, ſed locantur. Censũ pendant non propriæ cognationi, aut negotioſæ ambitioni, ſed Deo; ſiue in ſuo tẽplo, ſiue in pauperibus ſuis. Qui ſecùs facit, Deo locanti detrahit, quod aliis impendit.

Et locauit eam agricolis. Hi non boni coloni ſiue Sacerdotes, in cauſâ ſunt totius tragœdiæ, quæ in hâc parabolâ continetur. Inde reipublicę euangelizatur non boni ſa... dotis interitus, etiam cum ingenti totius populi iacturâ. §. 208. *num.* 2. *p.* 253. 254. Et cæleſtis hic paterfamilias à ſæuitiâ vindicatur, cùm ſacerdotum flagitia vindicat. *Ibid.* *n.* 3. *p.* 254

Et peregrè profectus eſt. Deuſne is eſt, qui poſſit, longè homini abeſſe? ô homo, ſi in te ipſo ipſe non es, Deus in te non erit. §. 249. *n.* 3. *p.* 302

Et peregrè profectus eſt. Ab immorigeris, & inobſequentibus his colonis Deus dicitur longiùs abeſſe. Nam hominis obſequium, eſt artificium appropinquandi Deo. §. 175. *n.* 2. & 3. *p.* 215

Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet. Fructuum tempus appropinquare dicitur, cùm non tantùm ſuo, ſed omni etiam tempore fructificandum ſit? §. 65. *num.* 2. & 3. *p.* 85. 86

Miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Cum tempus ſoluendorum fructuum appropinquat, ſeruos mittit, non qui exigant, aut extorqueant; imò neque qui petant; ſed qui *acciperent* debitum vltrò reddendum? ô vrbaniſſimum creditorem!

Iterum miſit alios ſeruos. Et cur eos, qui è priori ſtrage euaſerant, non miſit etiam cum his pluribus ſeruis? Annon præſtaret, vt ſuperſtites periculi admonerent eos, qui denuò mittuntur? Scilicet nil ritè ab homine offenſo aduerſus offenſorem peragitur?

Nouiſſime autem miſit ad eos filium ſuum. Semel & iterùm res malè ceſſit, nec deſiſtit à propoſito, quod exequi intentauit? Scilicet vel impoſſibilia tentare audemus, ne deſiſtamus à propoſito, quod ſemel in animum iuit, & opere inchoatum eſt. §. 197. *n.* 2. & 3. *p.* 243

Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum. Deus miſit Filium ſuum in mundum, vt debita hominum exigat, an vt eorum debita ſoluat? Planè homo ſoluendo non eſt Deo, & à Deo mittitur debiti exactor? Venitne Chriſtus, hominum exactor, an Redemptor? An quia Redemptor, exactor? Sic redemptione obærati ſumus?

Dicens: Verebuntur filium meum. Antiqua Biblia habent: *Verebuntur fortè filium meum.* Idne ambigit cæleſtis pater? Annon indubiè noſcit, quòd ſuum filium non verebuntur; ſed irreuerenter occident? Noſcit quidem, & indubiè id noſcit. Sed conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias offenſas velut ignorare videtur. §. 288. *n.* 2. & 3. *p* 354. 355

Hic eſt heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Hi coloni, contribules erant; & cognati Filij heredis; & ita ipſius necem moliuntur. Porro barbarica cognatorum auaritia, de cognati funere ſibi animicus gratulatur. §. 296. *numero* 2. & 3. *p.* 363

Hic eſt heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Eſto, heredem filium occidant, annon ſupereſt Pater flagitioſiſſimi ſceleris vltor? Sic ſtulteſcit impietas? Scilicet peccatorum Ratio à diu inolitâ malitiâ, belluinis ratiocinationibus ſæpè obbruteſcit. §. 325. *num.* 2. & 3. &c. *pag.* 393. 394

Hic eſt heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Chriſtum Dei filium occidunt, & eius heredes fieri ambiunt? An quaſi occiſionis ſtipendium, eius hereditatem accipere præſumunt? Num gratiam ſuam donat Chriſtus, vt compenſet ſuæ mortis iniuriam? §. 62. *numero* 4. *pag.* 82

Venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Iudæorum auaritia Chriſtum occidit? An Iudæ auaritia Chriſti Paſſionem impleuit? §. 141. *numero* 5. *pag.* 179. 180

Et apprehenſum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Eccur in ſua vinea, vineæ Dominum non occidunt? An timent, ne res inſenſilis pro beneficio ſuo Domino decertet? An, non in occulto, ſed in publicâ viâ illum occidere audent? Aſt impudentia in delinquendo, delicti exaggeratio eſt, & puniendi fomes §. 311. *num.* 3. &c. *pag.* 379. O grandia ſupplicia Iudæis inflicta!

Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas. Turbas timet, qui non timet Deum. Incertum timet vulgus, qui certum Dei ſupplicium non timet. Profectò qui Deum timet, ſecurus in timoris diuini aſylo, homines non timet, ridens menitas mundi minas. §. 108. *n.* 1. &c. *p.* 137. 138

Dominica III. Quadrageſimæ.

Lucæ 11.

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. τὸ *erat* denotat Chriſtum, valdè impensè incepiſſe Dæmonem excantare, vnde confeſtim rem feliciter perfeciſſe dicitur. Nam bonum opus pigrè & cunctanter inchoatum, etiam poſt conſummationem vix cœptum creditur. §. 179. *n.* 2. & 3. *p.* 218. 219

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. τὸ *erat* planè denotat validam Chriſti vim, qua diu rebellem & pertinacem coëgit Dæmonem, vt exiret. Porrò Dæmones, vel quod à ſe facere appetunt, ſi alieno cogantur imperio, facere exhorreſcunt. §. 86. *n.* 2. &c. *p.* 106. 107

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. O quam ſuum hominé Chriſtus felicitat Dæmonis eiectione! Nam Dæmonum è cælo eiectio, Beatitudinis compendium dicitur. §. 13. *n.* 4. *p.* 13

Et illud erat mutum. Malus Dæmon mutum fecit hominem, vt aditum ſaluti præcludat. Porrò inter cor & linguam totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum. §. 200 *n.* 2. & 3. *p.* 246

Et illud erat mutum. Dæmone erat mutus, an homo malo Dæmone obſeſſus? Eſtne Dæmô linguatus hominis linguâ, ad exaggerationem malitiæ? Eſt etiam Dæmon mutus, dum homo obmuteſcit? Humanam linguam, aut ſilentium mauult Dæmon, quàm linguam, aut ſilentium ſuum? ô pericula humanæ linguæ, etiam dum muta tacet! An vel muta labiorum apertio obſtetricante indiget gratiâ, ne faciat verborum abortum? §. 347. *n.* 2. & 3. *p.* 416

Et illud erat mutum. Mutum fecit hominem malus hic Dæmon, ne poſſet ore auxilium implorare? At muto etiam ſilentio ſua ineſt arcana eloquentia, quâ eleganter ſuadet. §. 350. *n.* 2. & 3. *p.* 419

Et illud erat mutum. Ore & auribus intrauit, & aures oraque claudit? Scilicet ianuam per quam intrauit, occludit, ne poſſit exire. Per has animi ianuas, non exinceps intret frequens malum, dum non exeat antiquum. Sic antiqua, & conſuetudine diu inolita malitia nocet? Multa hinc concionatoris acumen ſagacius indagabit.

Erat Ieſus eiiciens Dæmoniũ, & illud erat mutum. Et cur Chriſtus Deus omnipotenti virtute non ſtatim mutum eiecit Dæmonium: nam τὸ *erat* perſeuerantem conatum denotat? An quia dulciùs accipitur, quod dilatione præſtatur? §. 337. *n.* 2. & 3. *p.* 406

Et cùm eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus. Mutus dicitur etiam dum loquitur? Vtrumque ex alterutro redarguitur: aut mutum non eſſe qui loquitur, aut dum loquitur, mutum non eſſe dicendum. Scilicet mundus à deteriori parte, Deus à præſtabiliori rebus nomina facit. §. 49. *n.* 4. & 3. & 2. *p.* 69

Et cùm eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus. Mutus dicitur, dum loqui perhibetur? Mutus dicendus eſt, qui mutus fuit, etſi modò linguâ donetur? Sic hærent antiquæ malitiæ nomina? Aſt res iam munda antiquo ſqualoris vocabulo deuenuſtanda non eſt. §. 58. *n.* 1. & 2. &c. *p.* 78

Et cùm eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Sed quid mirum eſt, vt expulſo Dæmone muto, vocalis homo loquatur? Vide vulgi iudicia. Non dicuntur mirari, expulſum Dæmonem contumaciſſimum, & valdè mirantur, quod homo expulſo iam Dæmone muto, loquatur: ô quàm paucorum eſt de re, etiam cui adſunt, peritè cenſere; & de rebus quaſi per anatomiam, iudicia ferre! Exploranda priùs ſunt ſuffragantium iudicia, ad ſuffragij æſtimationem. Dum benè etiam ſuffragaris, malè ſentis?

Locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Diu mutum expeditè loquentem turbæ mirantur. An admirari etiam poſſent, Dæmonem vſum humanæ linguæ abſtuliſſe; & Chriſtũ eiuſdem linguæ vſum tribuiſſe? Sic eſt ſecurum tacere, ſic periculoſum loqui!

Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia. Quam ob cauſam conſpicuo & perſpicuo miraculo non credunt? An quia aliena gloria incredibilis

bilis eſt homini, quia ſuam nimis amat? §. 314. *n.* 2. & 3. *p.* 382

Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia. Sic Phariſæi vituperant Chriſtum, cum glorioſè laudatur à turbis, quaſi tanti miraculi eximius patrator? Scilicet indignus laude laudandus etiam eſt; vt laude dignus laudari permittatur? §. 273. *n.* 2. & 3. *p.* 329

Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia. In quonam Iudæorum animos offendit, benefica Chriſti vis erga hunc energumenum? Nempe prælulſtris aliorum bonitas, & aſpectabilis nitor, Maledicorum linguas exacuit. §. 218. *n.* 2. & 3. *p.* 264. 265

In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia. Vide quam ſtulteſcat inuidorum maledicentia. Vt Chriſti virtutem vituperent, in malitiæ regno diſcordiam eſſe meditantur: & tamen iniquorum cognatam concordiam malicia conflat. §. 294. *num.* 2. & 3. *p.* 360. 361

Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si regni prouinciæ, vrbes, & domus, in ſe ipſis diuiſæ ſunt quo modo domus non ſupra ſolum, ſed ſupra domum cadit? An quia dum populus ſeditionibus ſcinditur, nemo cadit, quin alij ſimul corruant? An quia ſi domus non ita illuſtris, illuſtriorem deiiciat, ſupra ſe deiicit? Nam quam inferior de ſuperiori reportat victoriam, pœnitenda, & deflenda victoria eſt. §. 381. *n.* 2. & 3. *p.* 450. 451

Si ego in Beelzebub eiicio Dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Nam quantùm prauitatis in alio curioſis oculis malignè ſuſpicaris, tantùm in te alius reciprocâ pœnâ videbit. §. 117. *n.* 2. & 3. *p.* 146. 147

Si ego in Beelzebub eiicio Dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Quæ vel malignè notamus in alijs ſcelera, noſtrorum notitiam ad nos reuerberent. §. 219. *num.* 2. & 3. *p.* 265. 266

Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem. Immundus de Inferno ſpiritus, lacrymarum vdorem fugiens, arida & inaquoſa quærit corda, in quibus delicietur. At cæleſtes Solis radij, humanis oculis lacrymas inuident, & ſidereo furto eas auidè & delicioſè rapiũt. §. 61. *n.* 2. *p.* 81

Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, &c. Delicioſiùs redit Dæmon ad pœnitentiam, qui etſi verè, tepidè tamen peccata deteſtatus eſt; & per pœnitentiam cor ſuum mundauit, & ornauit? Huius hominis nouiſſima fiunt peiora prioribus? An hinc pius pater filium Prodigum, non cùm abijt, ſed cum excipit, tunc deplorat? §. 256. *n.* 3. *p.* 309

Cum immundus ſpiritus exierit ab homine .... dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui, &c. Tam citò immundus ſpiritus redire præſumit in domum, è quâ nuper exiit? An in remiſſâ immundæ libidinis pœnitentia, relapſionis notæ leguntur? §. 190. *n.* 3. *p.* 356. 357

Inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, &c. *Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Eccur tam eximiè gratiis ornatam animam, ſic expetit immundus ſpiritus? An qui ſemel à Chriſtianâ perfectione deſciſcit, ferè ineptus ad illam recuperandam cenſetur? §. 52. *num.* 2. & 3. & 4. *p.* 71. 72.

Feria IV. à Dominica III. Quadrageſimæ.

Matthæi 15.

Acceſſerunt ad Ieſum ab Ieroſolymis ſcribæ, & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui, &c. Scribæ & Phariſæi erant Hebræorum Doctores; qui in re ſuperuacuæ doctrinæ, Chriſti diſcipulos probroſè arguunt. Profectò ſapientia eſt res omnium inuidioſiſſima, pax verò magiſtra Chriſtianæ doctrinæ eſt. Vnde diuiſionem inter ſapientes, etſi per cælum factam, non approbat Deus: nam rixæ inter Catholicos ſapientes, Eccleſiam inquietant. §. 31. *n.* 1. & 2. & 3. & 4. *p.* 50. 51

Tunc acceſſerunt ad Ieſum ab Ieroſolymis ſcribæ & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui, &c. Inteſtino odio æſtuant Phariſæi aduerſus Chriſti diſcipulos, & illos arguunt quaſi auitæ religionis tranſgreſſores? Hinc cauendum eſt Doctoribus, ne dum mutua vlciſcuntur odia, rectæ fidei cauſam ſe tueri ſimulent. §. 307. *n.* 1. & 2. *p.* 374

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Cur hi faſtuoſi ſcioli dubitando potiùs, quàm arguendo, vim ſuæ ratiocinationis proponunt? An ſciolus quiſque vel de dubitatione ſuâ ſic arroganter præſumit, vt illam ad ſui ingenij famam perpetuare procuret? §. 298. *n.* 2. & 3. *p.* 364. 365

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? At priſca ſeniorum ſapientia, ſolo antiquitatis titulo, de veritate diu poſſeſſâ non præſcribit. §. 306. *numero* 1. & 2. &c. *p.* 373

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Sed eximia laus foret canæ ſapientiæ, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla. §. 342. *num.* 1. & 2. & 3. *p.* 411. 412

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Quia Phariſæi nullum poterant Chriſto crimen inferre, diſcipulorum defectus notant, quos reuerberent in Magiſtrum. §. 343. *n.* 2. *p.* 412

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Phariſæi de alienis næuis ſe venuſtare præſumunt. Cùm vel fatuæ Virgines, vt præluceant, non alienas extinguere, ſed ſuas lampades illuminare feſtinẽt. §. 328. *n.* 4. *p.* 397

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Hebræorum nobilitate, & ſapientiâ proceres, alios obſcurant, vt ipſi præluceant? Vel cælum ipſum ſubcæleſtium terrâ obſcuritate ſplendores ſuos adornat? §. 27. *n.* 2. & 3. *p.* 46. 47

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Deſpicatos, & pauperculos Chriſti diſcipulos, ſic contumelioſè Phariſæi denigrant? Primas tenebras Cælum Terris oppandit? §. 23. n. 3. p. 43

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Vafertimè Phariſæi Euangelicæ doctrinæ Prædicatores vitiis infamant, vt doctrinam elumbent. An infamia Concionatoris, languor doctrinæ eſt? §. 152. num. 2. & 3. p. 191. 192

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Et vnde nouerunt Apoſtolorum defectus, vt ipſi putabant? Profectò quaſi omnibus notiſſimos, illos ſupponunt. Scilicet inuidia altè buccinat vel leuiculos procerum defectus. §. 21. n. 2. & 3. p. 41

Quare diſcipuli ſui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Ne Seniores legum condendarum faſtu, leges multiplicent, magno ſubiectorum damno. Nam multiplex ſuperiorum lex, non exarmat malitiam; ſed ſæpè ſubditos ad inobedientiam armat. §. 100. num. 1. & 2. & 3. p. 130

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Vt inutilis legum ſylua beneficè abſcindatur. Nam legum abrogatio, arcanum parcendi genus eſt. §. 136. n. 3. p. 282. Porrò lex eſt Pædagogia puerorum inſolentium. *Ibid. n. 4. p.* 282

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? (Biblia antiqua pro *vò traditionem, traditiones* habent) Quò Iudæorum inobedientia arguitur. Nam legem vnam, vnâ plures putare, inobedientiæ ingenium eſt. §. 177. n. 2. & 3. p. 216. 217

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant. Negligunt Phariſæi flagitioſa populi crimina, & leues diſcipulorum defectus tam ſolleriter obſeruant? Scilicet quò quis eſt magis perfectus, eò eſt magis zelabilis, inuidiæ & malitiæ ingenio. §. 21. n. 3. p. 41

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant. Dum Phariſæi vel leues Diſcipulorum defectus zelant, magnam in ſe virtutis peritiam oſtentare præſumunt. Aſt nimius alienæ virtutis zelus, imperitorum vitium eſt. §. 301. n. 1. & 2. &c. p. 367. 368

Non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant. Exinde Chriſtus in vltimâ cœnâ, non lauit Petri manus, etſi anxiè id Petrus expeteret, ne detractoribus Phariſæis cedere videatur? §. 69. n. 1. p. 90

Non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant. Chriſto Deo, & ſanctiſſimis Diſcipulis palàm detrahere non verentur; cùm vel Gentium Idolis ferè detrahendum non ſit, ne detractioni homines aſſueſcant. §. 147. n. 2. p. 186. 187

Non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant. Diſcipulos non lauiſſe manus ante prandium, negligentiæ potuit eſſe negotium, & velut contemptus auitæ religionis reprehenditur? *El viſo que dieron à vna falta tan ligera, ſi es que era falta.* Nempè maleuolentiæ ingenium, opus alioqui innoxium, vel crimen læſæ maieſtatis appellat. §. 373. n. 2. & 3. p. 442

Non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant. Vix leuiculus Diſcipulorum defectus, contemptus patriæ religionis cenſetur? Scilicet iudicij audacter temerarij officina, iudicantis maleuolentia eſt. §. 225. n. 2. &c. p. 271

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Non videtur Chriſtus reſpondiſſe Phariſæorum quæſito. Illi interrogant, cur eius diſcipuli non lauant manus ex maiorum traditione; & ipſe reſpondet, cur ipſi tranſgrediuntur mandata Dei. An eius accuſatio, qui in grauioribus peccat, falſitatis conuincitur, accuſatoris flagitiis?

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Ipſi notant Diſcipulorum defectus, violatæ traditionis, & inde notantur violatæ legis diuinæ. Nam quantùm prauitatis in alio curioſis oculis videris, tantùm (imò & plus) alius reciprocâ pœnâ videbit. §. 117. num. 2. & 3. p. 146. 147

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei? Notant diſcipulos violatæ traditionis, & violatæ legis notantur. Quæ notamus in aliis ſcelera, noſtrorum notitiam ad nos reuerberent. §. 219. n. 1. & 3. p. 265. 266

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Dei legem ſuis interpretatiunculis eludere conabantur. At qui Superioris præceptum, velut diuinæ voluntatis characterem accipit, humanis ratiunculis illud eludere deſiſtit. §. 181. n. 2. & 3. p. 220

Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? Virtuſne ea eſt, quæ ſcandalum creet? §. 23. n. 2. & 3. p. 43

Sinite illos, &c. Palàm Chriſtus auaritiam, impietatem, & hypocriſim Phariſæorum publicarat, & tunc ait Apoſtolis, vt *ſinant illos*, quaſi irremediabiles? An deſperationem infamia procurat? §. 127. num. 2. &c. pag. 156. 157.

Feria VI. à Dominica III. Quadrageſimæ.

Ioannis 4.

Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Seſſione duntaxat Chriſtus à moleſtiſſimo labore placidè requieſcit. Nam præcedentem diſpuliſſe moleſtiam, eſt humanæ voluptatis gratia. §. 46. num. 2. & 3. p. 66

Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Verbum diuinum corporatum, redemptionis negotio occupatiſſimum, hîc *ſedere* ſcribitur: eccur Spiritus-ſanctus nuſquàm ſedere perhibetur? §. 225. n. 4. p. 271. 272

Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Eſto, Chriſtus Deus ſic defatigetur, quid neceſſe fuit, ſic eius defatigationem publicari? An quia Chriſto Deo defatigationem

gationem patiente, eius diuinitas magis *impatibilis* demonſtratur? §. 383. *numero* 2. *pag.* 453

Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Scilicet videant Diſcipuli Chriſtum valde defatigatum, qui illos tot defatigationibus deſtinauit. Porrò in rubo eſt Deus, qui Moyſi iubet, vt diſcalceatus in rubeto incederet, & hominem olim damnauit ad tribulos. §. 254. *n.* 2. *&* 3. *p.* 307

Hora erat quaſi ſexta. Vide quàm impensè ſtudeat Ioannes veritati, ne ab eâ vel latum vnguem recedat. An prophetiæ ſpiritu opus fuit, vt quod Aaron audiuit à Moyſe, fideliter referret? Sic eſt hominibus pronum aliquid adiicere, aut demutare de veritate! §. 4. *n.* 3. *p.* 24

Hora erat quaſi ſexta. Sex priores diei horas itineri conficiendo impenderat Chriſtus; reliquas deſtinat conuertendæ Samaritanę, ne diem velut euacuet? Nam beneficentia *integritas* diei eſt; eiuſque redemptio, benedictio, & ſanctitas. §. 50. *num.* 2. *&c. p.* 69. 70

Hora erat quaſi ſexta. Conſultò Euangeliſta abſtinuit verbo *veſpere* & *mane*. Nam dies virtutis laboribus deſtinatus, non dicitur habere veſpere & mane: quia virtus caret tempore. §. 242. *n.* 4. *p.* 294

Venit mulier Samaritana. Carebatne nomine hæc mulier Samaritis? Sed nomen, quod libidine perdidit, per pœnitentiam recuperauit. §. 58. *n.* 3. *p.* 78

Venit mulier Samaritana. Et cur eius nomen tacetur. An quia exinde cœpit eſſe pudica, antiquum ſub libidine nomen ſiletur? Porrò laſciuus etiam patitur in nomine ſupplicium, quod meretur in re. §. 291. *n.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 357. 358

Venit mulier Samaritana. Chriſtuſne is eſt, qui meretricem & adulteram feminam expectet? Quo ſenſu dicantur meretrices & adulteræ Deo quodammodo placere, traditur. §. 293. *n.* 3. *p.* 360

Venit mulier Samaritana. Tantine faciat Chriſtus è meretrice futuram eximiè caſtam? An caſtitas poſt lapſum inſigniter reſtaurata, felix dicitur luxuriæ ſuffragio? §. 318. *n.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 386. 387

Venit mulier Samaritana. Vnàne erat hæc Samaritana, an plures? Profectò mulier impudica, vna plures dicitur ad malitiæ exaggerationem. §. 363. *num.* 2. *&* 3. *&* 4. *pagin.* 432

Venit mulier Samaritana. Samaritanæ nomine effuſa eiuſdem impudentia denotatur. Verum delinquendi olim temeritas, fuit in eâ diligendi officina, & fomes amoris. §. 292. *numero* 3. *pag.* 359. An libidinis incentium fecit virtutis lenocinium? §. 229. *num.* 3. *p.* 275

Da mihi bibere. Quid aquam petit, vt vberiùs donet? Eſtne miſericordia humana, diuinæ miſericordiæ menſura? §. 143. *num.* 4. *pagin.* 182

Da mihi bibere. Quare Chriſtus petit, quod ſcit illi minimè concedendum? Ideò petit (ait Hugo) quia ſcit negandum. Repulſæ acerbitatem ſitit Chriſtus in aquâ? Porrò nimis acerba eſt petenti petitionis repulſa. §. 282. *numero* 2. *&* 3. *&* 4. *pag.* 338. 339

Da mihi bibere. Aquam petit, vt ipſe bibat: aquam viuam offert, quâ ipſa emaculetur. Nam de Chriſti latere, aqua exiuit, vt mundaret, ſanguis, vt redimeret. §. 61. *numero* 4. *p.* 81

Numquid tu maior es patre noſtro Iacob? E gentili Chaldæorum proſapiâ oriundi erant Samaritani, non ex Iacobi ſobole; & *patrem* ſuum appellant Iacobum? Scilicet humana genealogia, quæ non eſt deſcripta in Bibliis, Euangelium non eſt. §. 113 *num.* 1. *&* 2. *&c. p.* 142. 143

Vade voca virum tuum. Vt vel leue munuſculum accipiat vxor, virum ſuum priùs vocare iubetur? Et quidem moraliſſimè ad pacatam coniugatorum concordiam. Nam circumſpectæ cautelæ neglectus, in caſtâ etiam vxore maritorum zelotypiam ſubornat. §. 365 *n.* 2. *&* 3. *p.* 434

Quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir. Nam qui ſemel vni cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit. §. 8. *n.* 1. *&c. p.* 28. 29

Vos adoratis quod neſcitis. Ecquis adorat, quod neſcit? Nempè Samaritani cum vero Hebræorum Deo, Deos pariter Gentium adorabant. Aſt qui plures Deos adorat, nullum adorat. Inde Ægyptius populus, cui omnis Deus, *Atheos* iure cenſetur. §. 4. *n.* 1. *&* 2. *p.* 23

Nos adoramus quod ſcimus. Tametſi aliqua nunc de Deo ignoratio, humanæ ſapientiæ aduletur, Deumque perſpicaciùs pernoſcat. §. 25. *num.* 1. *&* 2. *&c. p.* 44. 45. *Et* §. 26 *n.* 1. *&* 3. *p.* 46

Et mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Admirantur, ſed nil mali ſuſpicantur. Nam attentiori occaſionum præſcindendarum cautelæ debet Chriſtus, nil vel æmulos in re libidinis, aduerſus eius modeſtiam ſuſpicatos. §. 366. *numero* 2. *&* 3. *pagin.* 435

Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. Tantùm illi dixerat Chriſtus, ſeptem viros habuiſſe, &c. & omnia, quæ in vitâ ſuâ fecerat, prodidiſſe affirmat? Mentitur hæc mulier? An qui hominis libidinem pandit, omnia quæ in totâ vitâ ſuâ fecit, ſimul manifeſtat? §. 290. *num.* 2. *&* 3. *pag.* 356. 357

Venite, (mecum) *& videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Sua feminæ vitia increpauerat Chriſtus, & ſic illam attrahit, vt ſecum alios attrahere feſtinet? Scilicet ſæpè cæleſtis ſponſus ſpecie repulſæ, actiùs ſuæ ſponſæ ſauciat amorem. §. 388. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 458. 459. *Et* §. 98. *n.* 2. *&* 3. *pag.* 128

Numquid ipſe eſt Chriſtus? Quare Samaritana interrogando fidem Chriſti perſuadet? Scilicet homo præ cognato faſtu, interrogatione citiùs, quàm excertâ ratione ſæpè ſuadetur. §. 210. *numerò* 2. *&c. pagin.* 256

Ex ciuitate autem illâ multi crediderunt in eum, &c. Coniecturas tantùm Samaritana proponit, vt Samaritanis ſuadeat, illum hominem eſſe Chriſtum, & populariter aſſen-

ſum extorquet ? Nempè nonnulli ſic ſuis ſe credunt coniecturis, vt quod ob indicia credunt, reputent Euangelium. §. 38. *n.* 2. & 3. *p.* 58

Ex ciuitate autem illâ multi crediderunt in eum, &c. Inſuauem Gentilibus Chriſti diſciplinam, & quæ odium apud Iudæos negotiatur, tam facilè Samaritana perſuadet ? Scilicet pulchra femina venuſtatis præſtigio, te odij negotiatur amorem. §. 330. *num.* 2 & 3. *p.* 399.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Ioannis 6.

A*Biit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis : & ſequebatur eum multitudo magna.* Multitudo magna ſequitur Chriſtum, & ipſe fugit in montem ? Eccur Chriſtus cùm homines ſequentes ſe videt, hîc fugit, alibi *turbatur* ? §. 122. *num.* 2. *p.* 151. 152

Abiit Jeſus trans mare Galilææ.... & ſequebatur eum multitudo magna. Quare fugit Chriſtus in montem, cùm multitudo magna eum ſequitur ? Et quod mirere magis, hæc multitudo magna magis Chriſtum ſequitur, quò ipſe magis ab eâ fugit. An Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, arctiùs ſibi deuinxit ſuos ad ſequelam ? §. 98. *n.* 2. & 3. *p.* 128

Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Ex patientia potiùs quàm ex miraculis Chriſtus Deus agnoſci maluit. §. 383. *n.* 2. *p.* 453

Subiit ergo in montem Ieſus. Videt Chriſtus magnam hominum multitudinem ſequentem ſe, & ad ſolitudinem eos ducit ? Scilicet impensè adnititur, ne homo per viam Philiſthinorum, ſed per deſertum ad Terram promiſſionis pergat. §. 51. *n.* 2. *p.* 70. 71

Subiit ergo in montem Ieſus. Chriſtus fugiens aduerſariorum furorem, Iudæam relinquit, & *abiit* trans mare Galilææ, & in montis receſſu ſedet ; ſuis hoſtibus loco cedens, vel potius illis ignoſcens. Nam qui aduerſarios fugit, illis arcanè parcit. §. 236. *numero* 2. *p.* 282

Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus. In ardui montis vertice erat Ieſus, & vt videat fame ſqualidam turbam infernè iacentem, non ſubmittit oculos in depreſſam vallem, ſed oculos in cælum ſubleuat ? Cælum videt, vt ea, quæ ſunt in terra peruideat ? Sic Noë cælum ſuſpicit, vt videat terræ ſqualorem. §. 67. *n.* 2. & 3. & 4. *p.* 87. 88.

Dixit ad Philippum : Vnde ememus panes, vt manducent hi ? Tridui inediâ fameſcit Chriſtus cum Diſcipulis, & maximâ illâ hominum turbâ. An ideò tunc turbam Chriſtus cibauit ? Scilicet Elias ad communem famem damnatur, vt eſurientem populum congruè alat. §. 92. *num.* 3. *p.* 113. Licet aliquando eſculenta Præfectorum abundantia, vt hanc ſuadet attentiorem erga alendos ſubditos prouidentiam. §. 376. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 445

Dixit ad Philippum : Vnde ememus panes, vt manducent hi ? Sollerter Chriſtus prouidet de alendis turbis ; nam dum Superior cibat ſubditos, eorum obſequium alit. §. 386. *n.* 1. & 2. &c. *p.* 456

Dixit ad Philippum : Vnde ememus panes, vt manducent hi ? Et cur in re tam arduâ Petrum non conſulit, aut Iacobum, aut Ioannem ? Annon hi perpetuò ceteris præferuntur ? Imò inde. Nam de honorariis benemeriti ſtipendiis, homo inferioris meriti aliquandò honeſtandus eſt ; ne ille arroganter turgeat, hic tabeſcat ſqualidè. §. 64. *n.* 2. & 3. & 4. *p.* 84. 85

Dixit ad Philippum : Vnde ememus panes, vt manducent hi ? Ieſus pauper ipſe, & fameſcens; pauperis & famelicæ turbæ piè miſeretur. Non vt diuites & potentes, qui ſicut delicati ſunt ad incommodi ſenſum, ita pauperculos & inualidos quaſi inſenſiles putát. §. 77. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 97. 98

Dixit ad Philippum : Vnde ememus panes, vt manducent hi ? Non menti occurrit panarium, vnde tot panes emi poſſint; ſed neque numeroſa pecunia ſuppetit ad tot panum emptionem. An inde Chriſtus pauper, à debito tot pauperum alendorum exemptus eſt? An potiùs pauper eleemoſynis vltrà quam poteſt erogandis, obæratus eſt, paupertatis ſuæ titulo ? §. 144. *n.* 1. &c. *p.* 182. 183

Dixit ad Philippum : Vnde ememus panes, vt manducent hi ? Nil famelica turba petit, nil Apoſtoli rogant ; & Chriſtus ſic ſollerter ſilenti inopiæ prouidet ? Profectò humana miſeria, neceſſitatis lenocinio diuinam beneficentiam clanculùm ſubornat ad gratiam. §. 169. *n.* 2. & 3. & 4. *p.* 209

Dixit ad Philippum : Vnde ememus panes, vt manducent hi ? Inops inopem de alienâ inopiâ leuandâ interrogat. Sed inopi nec manus ſuppetunt ad emendos cibos, nec humerus ad eos portandos. Nam qui inopiâ laborat, & humeris, & manibus mutilus eſt. §. 278. *n.* 2. & 3. *p.* 334

Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces : ſed hæc quid ſunt inter tantos ? Philippi diffidentiæ, Andreæ diffidentia ſuccedit ; & cum vtrâque decertat, & vtramque vicit liberalitas Chriſti. An hîc etiam exclamare cum Tertulliano licet : ô Deum non naturâ beneficum, ſed æmulatione ? §. 312. *num.* 1. & 2. &c. *p.* 379. 380

Qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, &c. Viles profectò cibos apponit conuiuis ; ſed delicatiores non ſeruat ſibi. Nam eoſdem cibos & homini Præſidenti, & ſubiectis animantibus olim aſſignauit Deus. §. 92. *n.* 2. *p.* 113

Facite homines diſcumbere. Oculis vident Diſcipuli, nec nummos ſuppetere, quibus panes emantur ; nec panarium, vnde emi poſſint ; & tot hominum millia confidenter diſcumbere faciunt ? Quâ, rogo, ſpe ? Scilicet vltima neceſſitas non ſit ſpei iactura, ſed fiduciæ conceptaculum. §. 375. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 447. 448

Accepit ergo Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet,

diſtribuit

diſtribuit diſcumbentibus. Alacris iam turba videt Ieſum, panes in manus ſuas accipientem: & Chriſtus vultu hilaris cælum ſuſpicit, & gratias Patri agit. Omnes hilareſcunt dum Euchariſtiæ ſymbolum in panibus præſentatur. Porrò Chriſtus in Euchariſtiâ hilaritatem diuinitatis oſtendit. §. 322. *num.* 2. *p.* 390

Diſtribuit diſcumbentibus. Ipſe quidem Ieſus. Nam rem cupitam non per vicarios, ſed per ſe ipſum exequi, magni amoris character eſt. §. 259. *n.* 1. *&* 2. *p.* 312

Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta. Famelicæ turbæ cibatione opus erat, non ciborum redundantiâ. An Chriſtus vel ſuperuacua concedit dona ad ſuæ potentiæ defenſionem? §. 169. *n.* 2. *p.* 209

Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, &c. Quid neceſſe fuit, vt ſupereſſent tot ciborum reliquiæ? Nempe qui vltra indigentis neceſſitatem donat, gloriæ ſuæ id donat, beneficentiæ probatione. §. 68. *numero* 1. *pagin.* 88

Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Quid, quæſo, referret vt ciborum reliquiæ omitterentur? Scilicet Regum & Principum elogium eſt, vel menſæ reliquias non negligere. §. 387. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *pag.* 457. 458

Ieſus ergo cùm cognouiſſet quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit in montem. Porrò honorum repulſa, eſt pia Sanctorum ambitio. §. 157. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 196. 197

Ieſus ergo cùm cognouiſſet quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum regem, &c. Velut furto aut *rapinâ* accipitur, qui ad ſceptra ſublimatur? Subditi quaſi *rapinâ* Principem poſſident? Et cui *rapitur* Princeps, vt bonus Princeps fiat? Putauerim, quòd ſibi ſubripitur. Nam bonus princeps, iam ſuus non eſt, ſed populorum ſeruus. Profectò Benedictio Eſau eſt, non Idumæis imperare, ſed aliis ſeruire. §. 225. *n.* 4. *pag.* 269. (Tantiſper theſim flecte)

Feria IV. à Dominica IV. Quadrageſimæ.

Ioannis 9.

P*Ræteriens Ieſus vidit hominem cæcum &c.* Vel in tranſitu Chriſtus explorat miſeros, quibus largius benefaciat, ne vnquam à benefaciendo ceſſet. Sicut cælum (quod motu proficuos ſpargit influxus) nunquam fuit ſine terra, cui benefaciat, ne ſi aliquando immunificum foret, præluſtre cæli nomen erubeſceret. §. 3. *n.* 5. *p.* 23

Vidit hominem cæcum. Sed Heli oculatus, ad terrenam lucem cæcus eſt, quo vſque de cælo illuminetur. §. 14. *num.* 3. *p.* 34. Et Iſaacus cæcus ad præſentia, futura peruidet. §. 186. *n.* 2. *p.* 232

Vidit hominem cæcum. Peruerſa eſt cæcitas eius, qui noctu accenſam lucernam videre non potens, interdiu videt extinctam. §. 188. *n.* 1. *&* 3. *p.* 234

Vidit hominem cæcum. Sed oculus ſaltem videat voces, quod oculus non videt, videat tactus. §. 35. *n.* 4. *&* 5. *p.* 55. 56

Vidit hominem cæcum à natiuitate. Homo è natiuitate lapſui obnoxius, malè cæcus naſcitur à natiuitate; quia ibi cadet, vbi non videt, quod reproborum eſt. §. 333. *num.* 2. *&* 3. *p.* 401. 402

Quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Audierant Diſcipuli Paralytico dictum fuiſſe: Noli ampliùs peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: & ex hoc indicio indubiè affirmant, hanc cæcitatem fuiſſe alicuius peccati pœnam. Scilicet nonnulli ſic ſuis ſe credunt coniecturis, vt quod ob leuia ſæpè indicia credunt, reputant Euangelium. §. 38. *n.* 2. *&* 3. *p.* 58

Quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Grande ſupplicium eſt, quod ex parentum delictis deriuatur in filios. Sed vberior & officioſior eſt gratia, quæ in bono patre filiis condonatur. §. 97. *num.* 2. *&* 3. *p.* 127

Neque hic peccauit, neque parentes eius: Sed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Hæc cæcitas, non eſt peccati pœna: Sed huius cæcitatis præmium, erit diuinior Dei gloria. §. 131. *n.* 2. *&* 3. *p.* 160. 161

Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt. Id eſt, virtutes, & miracula in clarâ diei luce operari oportet, licet miraculis & virtuti perſæpè lenocinentur tenebræ. §. 24. *n.* 2. *&* 3. *p.* 44

Quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi. Inde nil putatur illuſtre, quod nitorem non mutuet lucis ſuffragio. §. 28. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *pag.* 47. Heu, fauori reputabitur, quòd bona lux nobis placeat? §. 33. *n.* 2. *p.* 53

Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius. Rex regum Chriſtus luto eximiè fauet? An vt diſſimulanter innuat, humanarum rerum gratiam plerumque *lutoſam* eſſe? §. 360. *num.* 2. *pagin.* 429

Vade, laua in natatoriâ Siloë. In remedium cæcitatis luto oculos linit, & confeſtim cæcum mittit vt lutum aquis detergat, quo ſanitatem recipiat? Ablatione remedij ſalus acquiritur? Chriſtus Deus & remedio, & ablatione illius remedij ſanare poteſt. At humani medici remediis, ſæpè periculoſius ægrotamus. Vnde Medicus artem cum funeratore reciprocare dicitur. §. 241. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 293

Vade, laua in natatoriâ Siloë. Qui luti ſordibus ſqualet, perplacet dum lauat ſordes. Sic immundus, dum ſe lauat pulchreſcit? Scilicet venuſta Berſabee non placet dum compta pulchrius nitet, ſed dum cognatas humano luto ſordes ſtudioſius lauat? §. 293. *num.* 1. *p.* 359. 360

Vade, laua in natatoriâ Siloë. Quem ad ſe attrahere Chriſtus ſatagit, à ſe ablegat, aiens: *Vade, &c.* Sic Moyſes Deo præſens, dum longius mittitur, propius Deo accedit. §. 175. *n.* 2. *&* 3. *p.* 215

Vade, laua.... Abiit ergo, & lauit, & venit. Eccur à ſe reiicit, quem ad ſe trahere procurat?

Scilicet Chriſtus ſpecie repulſæ arcanè ad ſe allicit,& arctius ſibi deuincit ſuos ad ſequelam. §.98.*n.*2. *&* 3.*p.*128.*&* §.388.*n.*1.*&* 2. *&* 3.*p.*458. 459

Et qui viderant eum priùs quia mendicus erat. Quare antequam viſum miraculosè reciperet, mendicum fuiſſe non dicitur? An quia vt Dei vbertima gratia recipiatur, oculus à ſpe lucri diuertendus eſt? §.141.*n.*1.*&* 2. *p.*179

Ille homo,qui dicitur Ieſus,lutum fecit: & vnxit oculos meos, &c. Non bene, opinor, rem cæcus narrat: non enim duntaxat lutum fecit, ſed lutum fecit ex ſui oris ſputo:quod valde facit ad miraculi gloriam. Quare id narratione ſemel & iterum ſubticet? An quia id cæcus non viderat, ſed tantùm audierat? Porrò auditus, fallax teſtis eſt, ſecus viſus. §.40.*n.*4.*&c.p.*60. An quia veritas per bonos etiam traduces linguarum & aurium, malignè plerumque ſerpit? Inde prophetiæ ſpiritu opus eſt, vt quod Aaron audit à Moyſe, fideliter referat? §. 41.*num.*2. *&* 3. *p.* 61

Adduxerunt eum ad Phariſæos,qui cæcus fuerat. Tametſi hic homo, ſimpliciter cæcus iam non appelletur, appellatur tamen, *Qui cæcus fuerat.* Nam peccatoris reſipiſcentia, tarò recuperat infamiam, quæ priſtini ſceleris appendix eſt. §.149.*n.*1.*&* 2. *&* 3.*pag.*188. 189

Adduxerunt eum ad Phariſæos,qui cæcus fuerat. Adhuc poſt ſanitatem,auditur cæcitatis nomen? Sed res iam per pœnitentiam munda, antiquo vitioſi ſqualoris vocabulo deuenuſtanda non eſt, re benè ſanata, malè ægrotat nomen. §.58.*n.*1.*&* 2. *&c.p.*78

Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Nequiores Phariſæi præ reliquis, ſe magis officioſos exhibent religioni diuinæ. Sic impius Cain vel pio Abelo præcurrit in obſequij diuini oſtentatione. §. 19. *num.*1. *pag.* 39

Alij autem dicebant: Quo modo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? O quàm magni faciendum eſt hoc Phariſæorum teſtimonium pro te Chriſti! Porrò indubia eſt veritas, cui militat infenſioris inimici ſuffragium. §. 45. *n.*2. *&c. p.*65

Et ſchiſma erat inter eos. Phariſæi erant Hebrææ Eccleſiæ Doctores. Vnde diſſenſio inter eos de re tunc nondum ſatis exploratâ, *Schiſma* nominatur. Nam pax eſt magiſtra veræ doctrinæ: diuiſionem inter Catholicos ſapientes, etſi per cælum factam, non approbat Deus: nam Catholicorum ſapientum contentioſę ambitioſius rixæ,Eccleſiam inquietant. §.31.*n.*2. *&* 3. *&* 4.*p.*50.51

Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuiſſet & vidiſſet, donec vocauerunt parentes eius, &c. Si contra Chriſtum dixiſſet teſtimonium, proculdubio Phariſæi vel Cæco credidiſſent. Crimen quærunt, non veritatem. Inde à Iudice offenſo nullum ſatis tutum aſylum eſt. §. 231. *num,* 2. *&c. p.* 276. 277

Ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Vide quomodo hi non boni parentes totum periculum reijciunt in filium. Profectò parentes qui pro tuendo filio vltra vires non audent, & viuo filio parentum nomen perdunt; & ſuperſtite vtroque parente, filius nominatur pupillus: & eorum erga filium charitas, *fugitiua* nominatur. §. 129.*n.*2. *&* 3. *p.*158. 159

Et dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Qui nuper ſe iactarant Moyſis diſcipuli,faſtuosè detrectant à peccatore doceri.Sed dum Moyſis doctrinam malè intelligunt, non tantùm homo peccator, ſed homo etiam infidelis, idoneus adſcitur eorum magiſter. §. 45. *n.*4. *p.*65

Feria VI. à Dominica IV. Quadrageſimæ.

Ioannis 2.

Erat quidam languens Lazarus. In lecto languidus iacet,an ſedet in ærumnarum throno? §.196.*n.*3.*p.*242

Erat quidam languens Lazarus, &c. Lazarus eſt qui iacet languidus, & ipſe(qui à Chriſto impensè amabatur) in extremâ infirmitate ſic Chriſti oblitus videtur, vt nec nuncium miſerit,nec vrbanâ ſalutatione miſerit ſalutatum? An quia piè calamitoſus in periculi ſui aſylo tutus eſt,fiduciæ priuilegio? §.112.*n.*1. *&* 2. *&* 3.*p.*141. 142. An quia eius etiam qui nuper præ diuino amore languebat, protinus languet amor, & laſſeſcit propoſitum? §.162. *n.*2. *&* 3.*p.*202

De caſtello Mariæ, & Marthæ. Hîc Maria pręcedentiæ honore antecellit Martham: exinceps Martha præcellit Mariam. An hîc ſicut in Dauide & Abrahamo recenſendis, negligit Euangeliſta præcedentiæ ciuilitatem? §.323.*n.*2.*p.*391. An antelatio iunioris Dauidis ſtatim compẽſatur ſeniori Abrahamo? §. 323. *n.*2. *&* 3. *p.*391

Domine, ecce quem amas infirmatur. Eccur *Dominum* appellant, quem expectant beneficum? An quia *Dominus* per beneficentiam *Deus* agnoſcitur? Ita hîc ſe res habuit. §. 3. *n.*5. *p.*23

Ecce quem amas infirmatur. Quare proprio nomine fratrem non appellant, nec alijs titulis ſumptuoſius adornant? An quia amor ſatis ſplendidum ornamentum eſt? Scilicet Spiritus ſanctus quia amor eſt, ſpeciatim dicitur, Patris, & Filij ornatus. §.36. *nummro* 2. *p.* 56

Ecce quem amas infirmatur. Cur nihil hic Maria ſupplicat,ſed ærumnam duntaxat proponit? An Mariæ precibus ante preces adnuitur? §. 277. *n.*4,*p.*333.334. Sic vel de nomine confidit?

Ecce quem amas infirmatur. Quare dum mutuam vtriuſque amicitiam ſorores proponunt, fiducialiter ægroti ſanitatem non poſtulant? An quia vera amicitia non ſpe, ſed fide conſtat? §. 150. *num.* 2. *pag.* 189. 190. Humanæ amicitiæ nundinæ reprobantur. *ibid. num.*3. *p.*190

Ecce quem amas infirmatur. Et vbi eſt litteratum

raſtum eloquentia, quæ languido fratri ſanitatem extorqueat : An ſilentio ineſt ſua arcana eloquentia, quâ elegãter ſuadet! §. 350. *n.* 2. *&* 3 *&c. p.* 419. *&* §. 349. *n.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 418

Infirmitas hæc non eſt ad mortem, &c. Prædicit veritas, quòd Lazari infirmitas non eſt ad mortem, & tamen mox Lazarus verè mortuus eſt ? An forſan res non tam cenſetur ex eo quod eſt, quàm ex eo quod erit ? §. 186. *n.* 3. *p.* 232

Infirmitas hæc non eſt ad mortem, & tamen Lazarus tandem mortuus eſt. Mendacij arguitur veritas ? Arguetur quidem ab his, qui nimis rigidè verba obſeruant, vt in eis quid mendacij reprehendant, ſcrupuloſè & inuidioſe obſeruant. Nil eſt tam verè & ſincerè dictum, quod calumniæ non pateat. O vtinam noſtrę voces oculos illuminarent ad rei auditæ euidentiam ! §. 45. *num.* 2. *&* 3. *p.* 55. An ſenſuum ingenia per aliena obiecta peregrinantur, vt certiores rerum notitias inueniant ? *ibid. p.* 55

Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus. Dicit ſe impensè ærumnoſos fratres diligere, & tandiu ceſſat ? Profectò Spiritus ſanctus quia amor eſt, nuſquam *ſedere* dicitur. §. 225. *n.* 4. *p.* 271. 272

Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus. Quare expetitum remedium tamdiu differt ? Scilicet Deus vt orationis vota adimpleat, aliquoties orationis vota contemnit : nam dulcius accipitur, quod dilatione præſtatur. §. 337. *n.* 2. *&* 3. *p.* 406

Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus. Et cur tamdiu ceſſat, & amici Lazari funus expectat ? Scilicet ſpes pereat humana, vt pietas eluceat diuina. §. 378. *numero* 2. *pagin.* 447

Eamus & nos, vt moriamur cum eo. Plus cæteris Thomas timet periculum, & ſic audet ? An ſæpè imbecillitas, piæ audaciæ conceptaculum eſt ? §. 138. *num.* 2. *&c. pag.* 175. 176

Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo. An potiùs calamitoſis, & de aduerſitate lætanter gratulandum, & glorioſè inuidendum eſt ? §. 374. *n.* 2. *&* 3. *p.* 443

Secuti ſunt eam, dicentes : Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. Verùm nimia pietas in defunctos, impietatis aliquando ſuſpecta eſt : & diuturnior defunctorum planctus, futuram calamitatem ſæpè prophetat. §. 399. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 470. 471

Et lacrymatus eſt Ieſus. An illacrymat Ieſus, quia ſolum Lazarum, & non omnes mortuos ſuſcitat ? quaſi quod ſingulari fauore alicui impenditur, cæteris detrahatur. §. 73. *num.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 94

Et lacrymatus eſt Ieſus. An plorat Chriſtus in Lazari morte, quia nuper dixerat, *Gaudeo propter vos ?* Sic humani gaudij ſequela, mœror eſt ? §. 238. *numero* 2. *&c. pag.* 284. 285

Et lacrymatus eſt Ieſus. Nuper ſemel & iterum dictum fuerat, Lazarum à Chriſto diligi, & inde illacrymat : nam blandus amor duras lacrymas elicit. §. 256. *numero* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 309

Et lacrymatus eſt Ieſus. Dum moritur Lazarus, *gaudet* Chriſtus ; & cùm eum reſuſcitat, tunc deplorat ? §. 344. *num.* 2. *&* 3. *pag.* 413. 414

Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo : venit ad monumentum. An bis lacrymatur Ieſus, quia Lazarus, quem valdè diligebat, bis moriturus erat ? Nam mori ſemel Iobus expetit. §. 123. *n.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 152. 153

Venit ad monumentum. Secum ducens nobilem & numeroſam hominum turbam, vt mortem propius ſpectent. Nam memoria inſtantis ſibi mortis, aſtrorum adornat fulgores, & paradiſeam conſummat felicitatem. §. 274. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 330

Ait Ieſus : Tollite lapidem. Quam ob rem ipſe Ieſus lapidem non tollit, & quæ miraculum circumſtant, non ipſe operatur ? An vt glorioſius appareat his, qui miraculo quodammodo cooperantur ? §. 63. *num.* 2. *&* 3. *p.* 83. 84

Dicit ei Martha.... Domine iam fœtet, quatriduanus eſt enim. Homo in morte fœtet, & non potiùs in exordio vitæ ? Scilicet homo non in vitæ auſpicio, ſed in mortis clauſulâ, dignus laude cenſetur : ideò in mundi exordio, ceteris rebus dilaudatis, ſolus homo illaudatus dimittitur. §. 96. *n.* 2. *&* 3. *p.* 117. 118

Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamauit : Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit, &c. Magnâ voce imperat, ne cunctetur obſequium. Nam homo cui diuinum præceptum imponitur, diuini honoris humanus arbiter conſtituitur. §. 102. *n.* 2. *&* 3. *p.* 132

Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit, &c. Putridus cadaueris puluiſculus *ſtatim* paret ; & cælum ob ſuæ naturæ præſtantiam velut cunctanter obedit ! §. 52. *n.* 2. *p.* 71. 72

Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit, &c. Quatriduanum cadauer, Chriſti excipit imperium ? Quid ſi brutæ animantes arcano ſenſuum ingenio, Dei etiam iuſſa percipiunt ? §. 78. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 98. 99

Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis. Et cur vinctus prodiit ? An ad gloriæ auctarium *ligatus* reſurgit ? Porrò Chriſtus faſcijs dirigi, & vinctionibus formari dicitur. §. 380. *num.* 3. *p.* 449. 450. Et Zara primogenituræ cedit, vinctionis gloriâ contentus. *ibidem numero* 4. *p.* 450

Soluite eum, & ſinite abire. Et cur abire iubet, & quaſi à ſe abijcit, quem ſibi reſuſcitat? An Chriſtus ſpecie repulſæ, arctius ſibi deuincit ſuos ? §. 98. *n.* 2. *&* 3. *p.* 128

Dominica in Paſſione.

Ioannis 8.

QVis ex vobis arguet me de peccato ? *Sic lux cetera arguens, priùs ipſa examinatur.* §. 29. *n.* 4. *p.* 49

Quis

Quis ex vobis arguet me de peccato? Sed ſatis nó eſt peccatum non habere, vt non quis de peccato arguatur. Nam prælustris aliorum bonitas, & aſpectabilis gloriæ nitor, maledicorum linguas exacuit. §. 218. *n.*2. *&* 3. *p.*264. 265

Quis ex vobis arguet me de peccato? Aſt vituperonem ingenium malè acutum, opus a Ioqui innoxium, non modo peccati arguet; ſed quaſi crimen læſæ maieſtatis damnabit. §. 373. *n.*2. *&* 3. *p.*442

Quis ex vobis arguet me de peccato? Argui ſe de peccato non putat, non tantùm quia peccatum non admiſit, ſed quia attentiorem adhibuit cautelam præſcindendi vel leues occaſiunculas, vnde maligna ſuſpicio poſſet ingenerari Phariſæorum æmulationi. §. 366. *n.* 2. *&* 3. *p.*435

Quis ex vobis arguet me de peccato? Vel ſibi infenſos Phariſæos ſuæ innocentiæ iudices conſtituit? Profecto à iudice offenſo nullum ſatis tutum aſylum eſt. §. 231. *num.* 2. *&c.* *p.*276. 277

Quis ex vobis arguet me de peccato? Æmulos ſuos ſiſtit ſuæ innocentiæ teſtes? Scilicet, inuidia eſt veritas, cui militat infenſioris inimici ſuffragium. §. 45. *n.*2. *&c.* *p.*65

Quis ex vobis arguet me de peccato? Neceſſe erat vt vel à ſuſpicione peccati immunis foret Chriſtus, qui eſt appoſita forma, cui homines imprimantur. §. 122. *n.*2. *p.*152

Quis ex vobis arguet me de peccato? Procul à corporato Verbo omnis malitiæ ſuſpicio. An ideo imago duntaxat paternæ bonitatis alicubi dicitur? §. 118. *n.*3. *p.*148

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui verbis Chriſti non credunt, fortè ſcriptis crediduſſent. Quare Chriſtus Deus doctrinam ſuam verbo duntaxat tradidit, nec eam ipſe ſcripſit? An Chriſtus nil ſcripſit, veritus iniquiorum cenſuras aduerſus ſcriptores? §. 305. *num.* 2. *p.*372. Hinc grande elogium eſt Patris æterni, quod *impaſſibiliter* eſt Scriptor Sapientiæ genitæ? §. 305. *n.*4. *p.*372

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? An ſicut fauori imputatur, quòd bonum nobis placeat; ita etiam quod veritas explorata noſtrum extorqueat aſſenſum? §. 33. *n.* 2. *p.* 53

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Vera Chriſti diuinitas non creditur à Phariſæis: nam aliena gloria incredibilis eſt homini, qui ſuam nimis amat. §. 314. *n.*2. *&* 3. *p.* 382

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Non aſſentiunt Phariſæi Chriſto vera dicenti, quia aſſentire nolunt. O nimis verum! Velis, & ſenties, quod ſentire velis. §. 76. *n.*1. *&* 2. *&c.* *p.*96. 97

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Chriſto vera dicenti non credunt Phariſæi, quia rei diſplicentis etiam opinio reprobatur. §. 212. *n.*3. *&c.* *p.*258

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Non credunt Phariſæi doctrinæ Chriſti Dei: nam homines ſunt propriæ ſententiæ nimis amantes, quamuis ſæpè ſine ratione. §. 268. *n.*2. *&* 3. *p.*323. 324

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Nouæ doctrinæ, quam Chriſtus de cælo attulerat, non credunt rancidi Phariſæi, exiſtimantes, quòd priſca ſapientia, ſolo antiquitatis titulo, de veritate diu poſſeſſa præſcribat. §. 306. *n.*1. *&* 2. *&c.* *p.*373

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Non credunt eruditi Phariſæi veræ Chriſti doctrinæ; quia ſic nonnulli ſuæ ſcholæ tenaciſſimè adhærent, vt veritati ab aliis inuentæ planè renunciauerint. §. 340. *n.*2. *&* 3. *p.* 409. Aſt eximia laus canæ ſapientiæ eſt, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla. §. 342. *num.*1. *&* 2. *&* 3. *p.*411. 412

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Scribæ & Phariſæi Bibliis enutriti, vſque eo rudes erant, vt exploratæ veritati non crederent? At non ſolùm rude nimis, ſed nimis ſubtile ingenium, lectioni Scripturarum ſæpè officit. §. 341. *n.*1. *&* 2. *&c.* *p.*409. 410

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Cani Hebræorum Doctores non credunt Chriſto, ne aliquid de nouo diſcere videantur. At canam ſenectutem magis dedecet ignorare, quàm diſcere. §. 371. *num.*1. *&* 2. *&* 3. *p.*440

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Arrogantes Phariſæi perſpectæ veritati non credunt, ne in diſputationibus cum Chriſto, victi putentur. Verùm inæſtimabilis eſt eius virtus, cuius vinci, victoria eſt. §. 374. *n.*2. *p.* 443

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Audire hîc obedire eſt. Idemne eſt auribus audire, ac manibus audita exequi, & auditis obedire? Inde manus ac ſi auritæ forent, inauribus ad obſequium ornantur? §. 263. *n.*2. *p.*316. 317

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. An qui ex Deo eſt, verba Dei audit, quia eius auditus non tantùm voces excipit, ſed auditus etiam radiis Solis arcanè illuminatur? §. 35. *num.*2. *&* 3. *p.*55

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Quia qui ex Deo eſt, diuinum præceptum velut diuinæ voluntatis characterem accipit. §. 181. *n.*3. *p.* 220

Qui ex Deo eſt verba Dei audit. Bellè ibi Gloſſa; *Qui ex Deo eſt, verba Dei amat*, quaſi idem ſit, *amare* & *audire*. Noua planè ſynonyma! Auribus amamus? voluntate audimus? O quàm ſurdi & hebetes ſumus ad ea, quæ nolumus! O ſenſuum ingenia ad voluptabilia! §. 79. *n.*2. *&* 3. *p.*99. 100

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Mitiſſimus Ieſus, is eſt, qui tam aſperè ſuos Iudæos reprehendat? Verùm præmonere, & reprehendere, aliena non ſunt à paternis Benedictionibus. §. 394. *n.*2. *&* 3. *p.*466

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Hac veriſſimâ reprehenſione non emendantur, ſed inſaniunt Iudæi. Scilicet iuſto Dei iudicio eos reprehendit, dum erant irati: nam qui iratum corripit, hominem fruſtrat correptionis fructum. §. 308. *num.* 2. *&* 3. *pag.*375. 376

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus

es

es tu? Samaritani habebantur velut Hebræorum hæretici. Nempe Chriſtus appellatur hæreticus à Phariſæis, quia quod ipſi ſentiunt, ipſe non docet. §. 307. *n.* 2. *p.* 374

Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me. Scilicet ſollerter ſatagit Chriſtus oſtendere, quòd ipſe non ſeipſum laudat, ſed ab alio laudatur. Nam plerunque propria laus, illius rei, quam in ſe commendat, defectum aliquem præſentire ſignificat, & arcere feſtinat. §. 258. *n.* 2. & 3. *p.* 311

Eſt Pater meus, qui glorificat me, &c. Grauatè admodum ferunt Phariſæi Chriſtum vetuſtimè & digniſſimè laudari. Nempe indignus laude, laudandus etiam eſt, vt laude dignus impunè laudari permittatur. §. 273. *n.* 2. & 3. *p.* 329

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. In Chriſtum, qui ſuam diuinitatem oſtendebat, inimicè armantur petræ? An ideò in eius morte amicè ſcinduntur, vt ſciſſionis ſuffragio eius diuinitatem demonſtrent? § 45. *n.* 2. *p.* 65

Et exiuit de templo. Alij ad templi ſacrarium confugiunt, vt tuti ſint; & vt tutus ſit Deus, è templo exit? Heu, ſic Deus aliquando in ſuo offenditur templo?

Feria IV. à Dominica in Paſſione.

Ioannis 10.

F*acta ſunt encænia in Ieroſolymis, & hyems erat.* (Encænia, id eſt, feſtum dedicationis, ſeu renouationis templi.) Ne frigore tepeſcat, virtus renouanda eſt: nam eius adhuc qui nuper præ diuino amore languebat, protinus languet amor, & frigeſcit propoſiti ardor. §. 162. *n.* 2. & 3. *p.* 202

Facta ſunt encænia in Ieroſolymis, & hyems erat. Vel Ieroſolymitanum templum toto orbe ſanctum, reſtauratione eget? Sic iam olim Chriſti diſcipuli? §. 178. *n.* 2. *p.* 217

Facta ſunt encænia in Ieroſolymis, & hyems erat. Renouetur virtutis propoſitum, vt perfectionis ſublimetur. Nam pium opus cunctanter & pigrè inchoatum, etiam poſt conſummationem, vix cœptum creditur. §. 179. *n.* 2. & 3. *p.* 218. 219

Facta ſunt encænia in Ieroſolymis, & hyems erat. In hyeme feſtum calet ad religionis feruorem? ô quoties in eximiè pœnitentibus, peccatorum hyems, diuini amoris ſcintillas reuerberat in affectum! §. 292. *n.* 2. &c. *p.* 358. 359

Et hyems erat. Non cùm homo feruenter peccat, ſed cùm frigidè peccatorum pœnitet, cæleſtis pater lugere dicitur? §. 344. *n.* 2. & 3. *p.* 413. 414

Hyems erat. Et ambulabat Ieſus in templo. Ambulatne Ieſus, vt hyemalis frigoris depellat moleſtiam? Non tantùm inuidia animorum, ſed temporum moleſtia Chriſtum Deum fatigat? Auctor temporum à tempore etiam pati expetit? Scilicet in Chriſto patiente, eius diuinitas magis *impaſsibilis* demonſtratur. §. 383. *n.* 2. *p.* 453

Et ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis. Templum Salomonis dirutum olim fuit à Chaldæis, & denuo extructa porticus, adhuc retinet glorioſum vocabulum, & *porticus Salomonis* nuncupatur? Scilicet mundus à deteriori parte, Deus à præſtabiliori, rebus nomina facit. §. 34. *n.* 2. *p.* 54

Circumdederunt ergo eum Iudæi. Vnanimi aſtutia & dolo malo Chriſtum Iudæi circumdant: nam ſceleratorum cognatam concordiam malitia conflat. §. 294. *n.* 2. & 3. *p.* 360. 361

Circumdederunt ergo eum Iudæi. Chriſtus iam vir factus, non refugit perſecutores, qui necdum natus, perſecutionum voluptatem quodammodo prægustat. §. 368. *num.* 3. *pagin.* 437

Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Hoſtilem animum Phariſæi tectius diſſimulant lenocinij ſpecie. Sed blandimenta inimici offenſam ſumptuoſius exaggerant. §. 50. *num.* 2. & 3. *p.* 49. 50

Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Malitioſi Iudæi aliud corde deferunt, & aliud linguâ præferunt. Profectò inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum. §. 200. *n.* 2. & 3. *p.* 246

Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Hi non boni Iſraëlitæ; nunc ad gratiam videntur loqui; poſtmodum palam loquuntur ad odium. Ad ille eſt verè Iſraëlita in quo dolus non eſt, qui neque ad odium aliquid loquitur, neque ad gratiam. §. 37. *n.* 2. *p.* 57

Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Verſutè quidem Principes ſacerdotum, & Phariſæorum proceres, id interrogant: vt ſi palàm fateatur ſe eſſe Chriſtum regem, iras Romanorum incurrat: Si verò id neget, eâ de re illi ſilentium indicant. O malè aſtutos Iudæorum Principes! Scilicet ſublimior Poteſtas callidè aſtutos vel è candidè ſimplicibus ſæpè elaborat. §. 198. *num.* 2. & 3. *p.* 244. Nollem tamen vt Gubernator ſit tam candidè ſimplex, vt ſemel videatur totus. §. 203. *num.* 2. & 3. *p.* 249

Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio, &c. Eccur hanc nactus opportunè occaſionem, eloquentiâ quâ ſolet, non probat nunc ſe eſſe Chriſtum; ſed patrata miracula ſiſtit in teſtimonium? Scilicet ne incurreret Romanorum iras, tunc non expediebat id palam aſſerere, & diſertè probare, vnde miracula pro diſertis verbis ſubrogat. Sic in eloquentiæ locum, Virga miraculorum operatrix Moyſi ſubſtituitur. §. 348. *numero* 2. *p.* 417

Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent. Quænam ſunt hæc opera, quæ ſiſtit Chriſtus in teſtimonium? Suntne miracula? An ex patientiâ potiuſquam ex miraculis Chriſtus Deus cognoſcendus eſt? §. 383. *n.* 3. *p.* 453

Oues meæ vocem meam audiunt.... & ſequuntur

tur me. Sic æſtimat Chriſtus, quòd homines illum ſequantur, & cùm eos ſequentes ſe videt, *turbari* dicitur? §. 122. *num.* 2. *p.* 151. 152

Ego vitam æternam do eis.... & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Nemo prædeſtinatos de manu Chriſti rapiet; ſed à prædeſtinatis rapienda ſunt cæli bona, (quaſi inteſta: parentis) vt de pio velut furti lenocinio dulcius ſapiant, vnde peccatores in cælum quaſi in locum alienum intrare dicuntur. §. 316. *n.* 1. & 2. & 3. & 4. *p.* 384

Ego & Pater vnum ſumus. Veritas hæc nimis fuit obſcura Iudæis: etſi dies Trinitatis, ter vnus, ſine veſpere niteat. §. 51. *num.* 4. *pagin.* 70

Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Petræ hoſtiliter armantur in Chriſtum Deũ, ſuam diuinitatem manifeſtè publicantem? An ideò in eiuſdem Paſſione amicè ſciſſæ ſunt, vt ſciſſionis ſuffragio eius diuinitatem demonſtrent? §. 45. *n.* 2. *p.* 65

Multa bona opera oſtendi vobis, propter quod eorum me lapidatis? Porrò beneficium beneuolentiùs exhibitum, largitori perſæpè inſidiatur. §. 10. *n.* 1. & 2. &c. *p.* 30

Multa bona opera oſtendi vobis, propter quod eorum me lapidatis? Alterius bonitati erga nos beneficæ, debitam gratitudinem negare, nefas eſt; quandoquidem meræ & abſolutæ alterius bonitati gratitudo noſtra quodammodo debetur. §. 34. *num.* 1. & 2. &c. *p.* 54

De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: quia tu homo cùm ſis, facis te ipſum Deum. Cùm de diuina ſua genealogia agit Chriſtus, quâ ſe æterni Patris Filium oſtendit; *blaſphemus* audit, & ſæuos lapidum ictus iam iam excipit? Chriſti proſapia tot ipſius moleſtiis tractatur? An inde in humana eiuſdem genealogiâ, inter eius progenitores, labores patienter tolerati recenſentur? §. 321. *n.* 2. *p.* 389

Non de bono opere lapidamus te, ſed de blaſphemia, &c. Chriſtus Deus dicitur in Deum *blaſphemus*, & lapidibus iam iam impetitur? His incunabilis Chriſti diſciplina enutrienda erat? An Chriſtiana pietas Perſecutiones velut obſequia imperat? §. 368. *n.* 2. *p.* 437. Sanctitas in veritate dicitur, quæ de perſecutionum meritis reportatur. §. 226. *num.* 3. *p.* 272. 273

Feria V. à Dominica in Paſſione.

Lucæ 7.

R*Ogabat Ieſum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo.* Porrò non ſemel Præfectorum eſculenta abundantia, vrbanè ſuadet attentiorem erga alendos ſubditos prouidentiam. §. 376. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 445

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vò *peccatrix*, luxuriæ vitia addenſet, multiplicat, & exaggerat. Nam qui vni cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit. §. 8. *n.* 1. & 2. &c. *p.* 28. 29

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Vnane, an plures fuerunt Magdalenæ? Hoc tamen in confeſſio eſt, quòd mulier impudica, vna plures dicitur ad malitiæ exaggerationem. §. 363. *n.* 2. & 3. & 4. *p.* 432

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Sed quæ nunc appellatur *peccatrix*, confeſtim per pœnitentiam recuperat illuſtre Magdalenæ nomen. §. 58. *n.* 2. & 3. *p.* 78

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Publica, & impudens huius feminæ libido notatur. An præceptum non fornicandi ſolis exterioribus ceremoniis aliquando ſatis impleri putatur? §. 182. *n.* 2. & 3. *p.* 221. *Tametſi pulchritudo ſuſpecta ſit de ſtupri affinitate.* §. 182. *n.* 3. *p.* 221

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Peccatricis vocabulum non tantùm pudicitiæ, ſed etiam plurium aliarum virtutum violationem indicare videtur. Nam agreſtis luxuria homines aut exleges inuenit, aut facit. §. 289. *n.* 1. & 2. & 3. *p.* 355. 356

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Luxuriæ vocabulo tota huius feminæ vita titulatur? An qui hominis libidinem publicat, omnia quæ in tota vita ſua fecit, ſimul manifeſtat? §. 290. *n.* 2. *p.* 356

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Eccur luxuriæ vocabulo hæc mulier nominatur? Scilicet laſciuus acerbè quoque patitur in nomine ſupplicium, quod etiam meretur in re. §. 291. *n.* 2. & 3. & 4. *p.* 357. 358

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Quo ſenſu dicatur, quòd meretrices, & adulteræ Deo placere videntur. §. 293. *numero* 3. *p.* 360

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. O nemo deſperet! Num caſtitas poſt lapſum inſigniter reſtaurata, ardentis pœnitentiæ merito, felix quodammodo dicitur luxuriæ ſuffragio? §. 318. *n.* 2. & 3. & 4. *pag.* 386. 387

Vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit, &c. Nempe occaſionem inopinatæ felicitatis quæſiuit, & inuenit. §. 161. *n.* 2. *p.* 201

Vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum, &c. Vt libidinis olim incentiuum, eſſet iam virtutis lenocinium. §. 229. *n.* 1. & 4. *p.* 275

Et ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, &c. Capillis ſuis ad terram prona extergit pedes, & *ſtare* dicitur? An quia magnitudinis menſura, humilitas eſt? §. 353. *n.* 1. & 3. *p.* 421. 423

Et ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit, &c. Retrò accedit verita offenſi Chriſti iratam faciem? Mitiorne eſt inferni gehenna, quàm iratus Chriſti vultus? §. 311. *n.* 1. *pag.* 378. 379

Et ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, &c. Magdalena pedibus Chriſti inſidiatur, vt præripiat eius gratiam? §. 339. *n.* 3. *p.* 408

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, &c. An delinquendi olim temeritas, fuit

fuit diligendi officina, & fomes amoris ? §.192.n.3.p.359

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, &c. Sic officioſa eſt in Deum, quę ſic erat laſciuiens erga homines? An lumborum cupiditas in Deum transferri poteſt, & transferenda eſt ? §.318.n.3. & 5. p.386. 387.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Oculis, labiis, capillis, & toto pulchri oris præſtigio, Chriſti gratiam promereri ſatagit, & libidinem profligare ? Eſtne pia virtutis arrogantia, ferientem malitiæ vulnere, eodem telo referire ? §. 334. n.2. & 3. & 4. p.402. 403

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, &c. Quare importuna ſeſe ingerit conuiuio, vt priſtina peccata defleat? Ecur opportunam non expectat occaſionem ? Sic amiſſa Dei gratia quærenda eſt ? Sic perdita Euangelij drachma meliùs etiam quæritur vel in obſcura nocte, quàm poſtea in clarâ diei luce. Moras rumpat pœnitentiæ vis. §. 159. n.2. & 3. & 4. p.198. 199

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, &c. Cœpit tantùm plorare, & confeſtim ſiſtit lacrymas ? An diu illacrymat ? *Cœpiſſe* dicitur, quia in vero pœnitente non apparet delictum, quod defleat. §. 184. n.3. p.230

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, &c. Vndulatam comam, & capillos ſupra caput turritos, ad Chriſti demittit pedes, ne ſupra caput habeat delicta, aut delinquendi occaſionem ? §.43. n.2. p.62. 63

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, &c. Ad pedes prouoluitur pia gratiæ ambitione. Sic humilis Ruth è Boozi pedibus ad caput transfertur Euangelij. §.353.n.2.p.422 423

Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſſet mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Quare Phariſæus de pœnitentia laſciuæ feminæ ſic deſperat, vt nec ad pedes Chriſti admittendam putauerit ? An Aliquando in ipſa libidinis pœnitentiâ leguntur relapſionis notæ ? §. 290. numero 3. pagin. 356. 357

Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſſet mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Scilicet citius culpat Phariſæus Chriſti ſciētiam, quàm eius modeſtiam, dum à peccatrice tangitur. Porrò attentiori occaſionum præſcindendarum cautelæ debet Chriſtus, nil æmulos in re libidinis aduerſus eius modeſtiam ſuſpicatos. §.366.num. . & . .p.415. Tametſi vel leuis occaſiuncula in re libidinis, non leuem hominibus ingerat ſuſpicionem. §.364.n.2. & 3. p.433

Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſſet mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Negat Chriſtum eſſe Prophetam, quia non videt culpas, quas pœnitentia deleuit: ipſe potiùs Phariſæus, ſicut Saül, eſt alienorum defectuum propheta, & inuidus *Oculator.* §.19.n.2. & 3.p.59

Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique, &c. Vides quàm longè à veritate exerret hoc temerarium Phariſæi iudicium ? Cohibenda eſt iudicij audacia, & ne de fratre aliquid iudicemus, præſumendum de illo eſt, quidquid boni Deus poteſt facere ? §.115. num.2. &c. p.144. 145

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, &c. Cœpiſſe laudatur, & non fletum conſummaſſe ? Profectò non fauſtum operis auſpicium, ſed finis, illi de perfectione gratulatur. §. 47. n.2. & 3. p.67

Feria VI. à Dominica in Paſſione.

Ioannis 11.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi Concilium. Conſilioſi Senatores aduocantur, vt Rationi ſubiciatur ſublimior Potentia, ne videatur degenerare in furorem. §.6. n.2. & 3. & 4. p.26. 27. O quale dederunt conſilium !

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium. Aſt non affectus, ſed Ratio in conſilium aduocanda eſt. §.80.n.1.& 2.p.100. Ratio ipſa ſeducta ab affectu, rectène dicitur ad malitiam prompta ? ibid.n.3.p.100

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium. Sed à Iudice offenſo reus tutus non eſt in innocentiæ aſylo. §.231.n.2.& 3.p.273.274

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit ? Miraculoſæ virtutis fit reus Chriſtus ? Nullum aliud crimen in eo reperit Inuidia; quæ & curioſè perueſtigare, & altè buccinare ſolitat procerum defectus. §. 21. num. 2. & 3. pag. 41

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit ? Miraculorum ſplendorem culpant ? At præluſtris aliorum bonitas, & aſpectabilis nitor, Maledicorum linguas exacuit. §.218.num.2. & 3. p.264. 265

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit ? Si oculis vident perſpicua miracula, cur illis non credunt ? Scilicet aliena gloria incredibilis eſt homini, qui ſuam nimis amat. §.314. n.2. & . .p.382

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? O quàm moleſtè Pontifices ferunt præluſtrem è tot miraculis gloriam ! Nempe omni feritur plagâ qui ſuum æmulum fortunatum videt. §. 213. numero 2. & 3. & 4. pagin. 259

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit ? Admirantur perſpicua miracula, & ea depretiant ? Num fauori imputabitur, quòd perſpectum aliorum bonum nobis placeat? §.33. n.2. & 3. p.53. 54

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? O, ſic furunt ob miraculorum Chriſti gloriam ? Nempe zelotypiæ angor, & Inferni furor, mitior eſt, quàm Inuidiæ paſſio. §.372. n.2. & 3. p.441

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit ? Phariſæi vitiis innutriti, virtutem accuſant. Scilicet cùm vitia arrident, & proſunt, peccat qui rectè facit ? §.23. n.2. & 3. p.43

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? An diſcruciantur Phariſæi, quoniam ipſi adſimilia miracula non patrant? Scilicet Procerum arrogantia, ſubditos in omnibus præcellere exambit. §. 20. *numero* 2. *&* 3. *pagin.* 40

Quid facimus, quia hic homo, &c. Vulgaris quidam homo putabatur Chriſtus à Principibus ſacerdotum, & ita in eum atrociter ſęuiunt. Nam diuites & potentes ſicut delicati ſunt ad iniuriæ ſenſum, ita pauperculos & inualidos velut inſenſiles tractant. §. 77. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 97. 98

Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum. Et vnde coniiciunt, obſtinatiſſimos etiam Chriſti fidem ſuſcepturos? an quia omnium mores ſolleртer ad virtutem inſtruit? Priùs mores inſtrue, & ſic vel pertinaciſſimos hæreticos ad Chriſti fidem facile flectes. Quia non tam excæcata mens, quàm voluntas vitiis inſoleſcens, hæreſeos conceptaculum, & officina eſt. §. 264. *n.* 1. *&* 2. *&c. pag.* 317. 318

Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Suum, ſuæque gentis nomen perpetuare procurant: ſed terrenum æternandi nominis monimentum, ruinæ prophetia eſt. §. 257. *num.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 310. 311

Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Ideone Ieſus, in ſe innoxius, & omnibus proficuus, occidendus erit? Scilicet politicus Princeps non tantùm inolitam libidinem, ſed pietatis etiam iura citiùs deſerit, quàm rationem Status, quam ſibi putat proficuam. §. 173. *n.* 2. *&* 3. *p.* 213

Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Deuſne perimendus erit ob hanc leuiculam Status rationem? Nempe politia ratio Status ex leui, & ſibi pugnante occaſione, Numen aut reuerenter admittit, aut irreuerenter proculcat. §. 391. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 461. 462

Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Errant hi Senatores, quia humana duntaxat ratione ducuntur. Nam rationibus, quæ cœlum ſapiant, tanquam *baſi* debet homo inniti. §. 14. *n.* 2. *p.* 34

Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Homines ſic timent, qui Deum non timent? Videlicet qui Deum timet, ſecurus in timoris diuini aſylo, homines non timet, ridens mentitas mūdi minas. §. 108. *n.* 1. *&c. p.* 137. 138

Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. O quàm præmaturè timent! & ideò periculum quod timebant, incurrerunt. Nil citò timueris, ne periculum quod times, citiùs ad te veniat. §. 121. *n.* 1. *&* 2. *&c. p.* 150. 151

Et venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Qui ſic pauidè timent, ſic temerariè audent in Chriſtum? Scilicet audacia de præuio timore armatur: neſcit audere, qui timere neſcit? §. 195. *n.* 2. *&* 3. *p.* 241

Vos autem neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, &c. Errare dicuntur conſultores in ferendis ſuffragiis, vt Chriſtus Deus ſuà Paſſione homines redimeret? An excelſum opus prouidentiæ diuinæ, per errorem humanum fieri debebat? §. 187. *num.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 233

Vos autem neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, &c. Conſilioſos Senatores, inſcios Pontifex appellat. Nempe impiorum ratio à diu inolità malitià, belluinis ratiocinationibus obbruteſcit. §. 325. *num.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 393. 394

Vos autem neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, &c. O quàm ſunt homines propriæ ſententiæ peramantes, quamuis ſæpè ſine riuali! §. 268. *n.* 2. *&* 3. *p.* 323. 324. Suus tamen deſtinatur dies propriæ rationi expiandæ. §. 269. *n.* 2. *p.* 324

Vos autem neſcitis quicquam, nec cogitatis, &c. Ignorantia in Gubernatoribus, grande ſcelus eſt, & regiminis euerſio. §. 185. *num.* 2. *&c. p.* 231. Et canam ſenectutem magis decet ignorare, quàm diſcere. §. 371. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 440

Vos autem neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, &c. O conſilioſiſſimum conſilij Præſidem, qui conſiliarios inſcitiæ accuſat, quia in ſuffragio ferendo non ſpectant ad id, quod ſibi ipſis magis expedit!

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Eccur Chriſtus Deus ſua morte homines redimere maluit? Scilicet vt Ratione potiùs, quàm omnipotentia homines à Diaboli imperio liberaret. §. 6. *n.* 2. *p.* 26

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo. Pro populo, inquam, peccatis immundo, & captiuo ſub Diaboli iugo. Nam de emortui Chriſti latere aqua exiuit, vt mundaret; ſanguis, vt redimeret. §. 61. *numero* 4. *p.* 81

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo. Expedit vt Chriſtus occidatur, quò vberiorem etiam Chriſti gratiam accipiant; Num gratiam ſuam donat Chriſtus, vt compenſet mortis iniuriam? §. 62. *num.* 4. *pagin.* 82

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo. Mortem patiatur homo Deus, quò eius Diuinitas magis *impatibilis* demōſtretur. §. 383. *n.* 2. *p.* 453. An etiam vt per communionem ſui generis, ad pacem perueniat Deitatis? §. 336. *n.* 4. *&c. p.* 405

Dominica in Palmis.

Matthæi 21.

INuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea. Quare iumentum (quo adumbratur humanum genus) vinculis ligatum mauult, quàm exolutum? Nempe vinculorum augusta dignitas, ſublimiores glorias arcanè reuerberat. §. 380. *num.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 449 450

Inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea. Quam ob rem bruta pecora expetit ad triumphi ſui gloriā? An quia eius gratia ex rationalibus rationales facit? §. 269. *n.* 3. *p.* 324. 325

Soluite,

Soluite, & adducite mihi. Aliter ſolui mandat ac apud humanos Iudices; apud quos idem ſæpè eſt, vincula inaurari, ac ſolui. §. 278. *n.* 4. *p.* 335

Soluite, & adducite mihi. Vile iumentum ſic parat ad triumphi gloriam? An Chriſti maieſtas ex eius humilitate cenſenda eſt? §. 353. *n.* 3. *p.* 423

Soluite, & adducite mihi. Domini omnium oſtentat auctoritatem Chriſtus, dum abſque dominorum licentia, adduci iumentum imperat. O quam rarò Chriſtus de hac auctoritate curat! ne Præpoſitorum zelus totus ferueat pro ſua auctoritate tuenda. §. 245. *n.* 2. *&* 3. *p.* 297. 298

Ecce Rex tuus venit. Vides nunc ſublimẽ gloriam, qua regio triumpho ouat Chriſtus, poſt paucos dies inter duos latrones in cruce patibulatus occumbet. O fugacem mundi gloriam! Porrò ſublimius mundiale faſtigium, caſui inſidiatur. §. 132. *num.* 2. *&* 3. *p.* 161. 162

Ecce Rex tuus venit tibi. Non tam ſibi, quàm nobis de cælo rex venit, æmulus ſidereæ Præfecturæ; quæ non tam Præfectum, quàm ſubditos claros & illuſtres reddit. §. 75. *n.* 2. *&* 3. *p.* 91

Ecce Rex tuus venit tibi. Vides nunc triumphalem Chriſtum, manu palmam geſtantem; humeris cõfeſtim egebit, quibus pergrauem & probroſam crucem portet. Sic humerus principi Abrahamo donatur, vt Terræ promiſſionis felicitatem portet. §. 132. *num.* 3. *p.* 162

Ecce Rex tuus venit tibi. Qui rex, & *Dominus* de cælo venit tibi, per beneficentiam agnoſcitur *Deus.* §. 3. *n.* 2. *p.* 22

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Porrò Princeps meritò dicitur iuſtus, quia mitis & pius, quaſi pietas ex iuſtitia debeatur. §. 9. *n.* 1. *&* 2. *p.* 29. Vnde Hebraicè Iuſtitia eodẽ vocabulo ac Miſericordia deſignatur. *ibid.* *n.* 2. *p.* 30

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Gratulor regno Chriſti, quod Regem habet mitem, & manſuetum; quippe qui in ſe experitur rigores, quos ſubditis imperat. §. 254. *n.* 2. *&* 3. *p.* 307

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Manſuetudine eget, vt portet ſceptri, & triumphi gloriam? Nempe felicior mundi fortuna, ſæpè vices cum aduerſa reciprocat. §. 252. *num.* 2. *&* 3. *pag.* 304. 305. Inde mundialis felicitas, ſententiosè, *lutoſa* dicitur. §. 360. *num.* 2. *p.* 429

Et poſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua.... plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Suorum veſtimentis adornatur triumphi gloria? Num glorioſiores exambiunt veſtes? An pro veſte Chriſto donatâ, in cæli gloria redonatur lucida veſtis, quæ tranſeat in corpus? §. 145. *n.* 3. *p.* 184

Alij autem cædebant ramos de arboribus, vt obſequium & gloriam Chriſto, non ſuo etiam tempore fructificent. Porrò non tantùm ſuo, ſed omni etiam tempore fructificandum eſt. §. 65. *n.* 2. *&* 3. *p.* 85. 86

Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur: clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, &c. Vbi Rex dicitur Chriſtus, confeſtim ſumptuoſiùs laudatur. Nam Regem eſſe, & glorioſiùs laudari, antiqua ſynonima ſunt. §. 313. *n.* 2. *p.* 381

Clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, &c. Laudatur Chriſtus ob triumphi gloriam, an ob inſtantis Paſſionis ignominiam? Laus vel Chriſtum in ſtadio Paſſionis animat? §. 160. *n.* 5. *p.* 200

Clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, &c. Morti proximus ſic glorioſè laudatur, qui in totâ vitæ periodo non ſic laudatus eſt? Sic homo in rerum primordio, non laudatur cum ceteris creaturis; quia homo non in vitæ auſpicio, ſed in mortis clauſula laudandus eſt? §. 96. *n.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 117. 118

Clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, &c. Chriſtus è cælo Rex venerat, cur tam tarò hanc regiam & triumphalem gloriam, ſibi debitam & cognatam publicat, & illam ſæpiùs humilitate abſcondit? An ſplendidiùs fulget, qui aliquando adnatum ſplendorem induſtrius diſſimulat, quàm qui ſemper micantiùs fulgere expetit? §. 176. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 215. 216

Clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, &c. Quare Chriſtus Paſſioni proximus, mundialis triumphi gloriam expetit? Qui ſe probroſiſſimæ morti deuouerat, paulo antè tantam ſibi gloriam procurat? Scilicet mundialis gloria virtuti adridet, non vt poſſideatur, ſed vt poſſeſſa repudietur. §. 142. *n.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 180. 181

Clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, &c. Non ſatis glorioſus ſibi videtur tanti triumphi gloriâ, & ideò contumelioſam confeſtim expetit Paſſionem? An auguſtioris maieſtatis ſublimior honos ex abiectiori humilitate cenſendus eſt? §. 353. *n.* 1. *&* 2. *&c.* *p.* 422. 423

Clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, &c. Quam ob rem Chriſtus ante Paſſionem, illuſtrioris triumphi glorias exoptat? An vt Paſſionis meritum præluceat? Nam opus non tam ex ipſius merito, quàm ex fama operantis taxari ſolet. §. 153. *num.* 2. *&* 3. *p.* 192. 193

Clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, &c. Dauidis filius appellatur, vt mundialis nobilitas Chriſtum honeſtet? an vt Dauidem illuſtrent? Porrò generoſa ſoboles progenitores illuſtrat. §. 317. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 385. 386

Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur: clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid. Chriſtus multâ turbarum, & diſcipulorum turbâ comitatus triumphat. An quia ibi non aderant calumniatores Phariſæi, *ſolus* manſiſſe; & triumphum egiſſe dicetur? §. 136. *n.* 2. *&* 3. *p.* 173. 174

Clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, &c. O quam breui tempore diſparuit tota hæc regalis triumphi ſpecies, quâ Rex acclamatur! Scilicet tempus eſt humanę terrenorum Regum gloriæ *ſubſiſtentia*: & Principatus, flos temporis nominatur. §. 400. *num.* 2. *&* 4. *p.* 471. 472

Feria V. in Cœna Domini.

Ioannis 13.

A*Nte diem feſtum Paſchæ.* Id eſt, veſpere Paſchæ. Sed conſultò omittit nomen veſperæ. Nam dies virtutis laboribus & moleſtiis deſtinatus, non dicitur habere *veſpere.* §. 242. *n.* 4. *p.* 294

Sciens Ieſus quia venit hora eius. Totum acerbiſſimæ Paſſionis tempus *horam* appellat? Imo plures horas, ipſaſque longiſſimas, appellare debuiſſet. Aſt diuturnos diu patiendi labores mellea virtutis voluptas compendioſè abbreuiat. §. 242. *num.* 1. *&c. pagin.* 294

Quia venit hora eius. Hora eius nominatur, in quâ peracerbam ſubit Paſſionem? *Hora viua* dicitur in quâ Deus moritur? an in quâ largiùs benefacit? §. 276. *num.* 4. *pagin.* 332

Quia venit hora eius. Horam ſuam appellat, cùm acerbiſſimam Paſſionem ſubibit homo Deus? Aſt in cruenta Chriſti Paſſione magis *impaſſibilis* diuinitas demonſtratur. §. 383. *n.* 2. *p.* 453

Quia venit hora eius. Quare horam, in qua probroſam, ærumnoſam, & calamitoſam ſubibit mortem, ſic expetit Chriſtus; & non potiùs Omnipotentia, quàm Paſſione mundum redimere maluit? §. 6. *n.* 2. *p.* 26

Sciens Ieſus quia venit hora eius. Præpropero dolorum ſenſu Chriſtus excruciatur tormentorum præſentia, vt adhuc viuus torqueatur etiam iis cruciamentis, quæ poſt mortem ſubiturus erat. Nam Chriſtus adhuc viuus acerbè præſenſit, ſacrum eius corpus poſt mortem lancinari. §. 397. *num.* 2. *p.* 468. An redemptionis negotium Dominico etiam cadaueri adſcribetur, ad gloriæ auctarium? §. 398. *n.* 2. *&* 3. *&c. p.* 4'9. 470

Sciens Ieſus quia venit hora eius. Præſcit Chriſtus omnia, quæ iam iam paſſurus eſt cruciamenta; & tametſi illa vt homo timet, audenter eadem ſubire ambit. Nam audacia de præuio timore armatur: neſcit audere, qui timere neſcit. §. 195. *n.* 2. *&* 3. *p.* 241. Sed tu nil cito timueris, ne periculum quod times, citiùs ad te veniat. §. 121. *n.* 1. *&* 2. *&c. p.* 150. 151

Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Tranſitum, potiùs quàm mortem, eam appellat; & ſic Chriſtus homo Deus mortem timet? Sic agnatum eſt hominibus mortem timere? Timuitne aliquando Angelus in aſſumpto corpore mortem? §. 276. *n.* 5. *p.* 332

Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Eccur tam impensè de ſua morte cogitat Chriſtus? An memoria inſtantis ſibi mortis, aſtrorum adornat fulgores, & paradiſeam conſummat felicitatem? §. 274. *numero* 1. *&* 2. *&* 3. *pagin.* 330

Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Quare mortem, quam præſciens, timet, (vt aliàs perſæpè) non fugit? Scilicet Elias, Chriſti typus, mortem quærebat, dum fugeret. §. 275. *n.* 2. *&c. p.* 331

Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Tota vita ſua Chriſtus dilexit hominem; qui Chriſti anima ſeu ſpiritus dicitur, ob amoris præſtantiam. §. 136. *n.* 4. *&* 5. *p.* 174

Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ex amore lamenta pulchrè concinnantur. §. 156. *numero* 1. *&* 2. *&* 3. *pagin.* 309

Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et vnde innotuit Chriſti in homines eximius amor? An quia eos redemit? an quia eoſdem non per alios, ſed per ſe redemit? §. 259. *n.* 4. *p.* 312. 313

Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Oſtentat Chriſtus dilectionem ſuam, quia homines ſuum amorem non merentes, eximiè dilexit. An erogari in meritorum ſtipendium generoſus amor erubeſcit? §. 189. *n.* 2. *&* 3. *p.* 235

Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Perfectè dilexit, qui in finem diligit. Non enim operis auſpicium, ſed finis, illi de perfectione gratulatur. §. 47. *n.* 2. *p.* 67

Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Porrò finis lucendi, cenſus dici eſt. §. 47. *n.* 3. *p.* 67

Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Deus vſque ad finem hominem diligit; & hominis, qui præ diuino amore modò languebat, protinus languet amor, & laſſeſcit propoſitum? §. 162. *num.* 2. *&* 3. *p.* 202

Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Quia homines aliquando dilexit, vſque ad finem diligit? *A ſe empeñado Chriſto en amar à los hombres.* Profectò vel impoſſibilia ſæpè tentare audemus, ne deſiſtamus à propoſito, quod ſemel in animum irruit, & opere inchoatum eſt. §. 197. *num.* 2. *&* 3. *p.* 243

Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. At non omnes digni amore cenſentur. In *ſuis* omnibus reperit quid diligeret? An ſicut in optimis aliquid peſſimi, ita & in peſſimis aliquid optimi reperitur, quod amorem alliciat? §. 116. *num.* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 145. 146

Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum. Cœpit tantùm lauare, nec lotionem conſummauit? Scilicet manu cœpit lauare; ſed paulò poſt de ſacro eius latere aqua exibit, vt mundaret; ſanguis, vt redimeret. §. 61. *numero* 4. *pagin.* 81

Venit ergo ad Simonem Petrum. Proculdubio poſtquam lauit pedes Iudæ, qui inurbanè præſtantiorem locum vſurpauit. Profectò pia vrbanitas de Pythagoræ ſchola erudienda eſt. §. 325. *n.* 4. *&c. p.* 392. Petrus de cæli politia eruditus, negligit humanæ præcedentiæ vrbanas nugas. §. 324. *n.* 2. *&* 3. *p.* 392. Tametſi inurbanitatis culpa, præproperè ſeueriſſima mulctetur pœna. §. 260. *n.* 1. *&* 3. *pag.* 1. 314

Non

Non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput. An Chriſtus non lauat Petri manus, (etſi id enixè poſtulet) ne videatur cedere Phariſæis obmurmurantibus, *Non lauant manus ſuas?* §. 69. *n.* 2. *&* 3. *p.* 90

Non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput. Petrus Eccleſiæ caput, caput ſuum lauari, & à delictis emaculare expetit: nam ſupra caput habere delicta, infelix omen eſt, & damnationis minæ. §. 43. *num.* 2. *p.* 62. 63.

Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, &c. Homo, qui lotus eſt, & eſt mundus totus, eget vt pedes lauet? Vel Angeli ſpecie tenus corporati bis in eodem veſpere pedes lauant? §. 116. *n.* 3. *p.* 146

Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, &c. Qui totus mundus eſt, adhuc eget lauari pedes mundos? Scilicet ſedulus virtutis ſtudioſus, vel quod virtutis adeptus eſt, pia virtutis auaritiâ denuò poſſidere exambit. §. 178. *numero* 2. *&* 3. *&* 4. *pagin.* 217. 218

Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, &c. Munda adhuc mundare expedit? Nempe cælum etſi perfectum, adhuc perfici moraliſſimè dicitur. §. 16. *n.* 1. *&* 4. *p.* 36. Geminatâ voce cæli produci dicuntur, ob perfectionis arrogantiam? §. 51. *n.* 2. *p.* 71. 72

Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Scilicet vir eximiè iuſtus, vltra perfectionem audet pia ambitione merendi? §. 16. *num.* 2. *&* 3. *&* 4. *pag.* 36. An potentia ad benè operandum, arcana quædam benè operandi præceptio, dicenda eſt? §. 89. *n.* 4. *p.* 110

Feria II. in Reſurrectione.

Lucæ 24.

D*Vo ex illis ibant ipsâ die in caſtellum.* Eccur eorum nomina tacentur, nec expreſſius Diſcipuli nominantur? An quia & magiſtrum patientem deſeruerunt, & nunc reſurgentem velut fugiunt? Diſcipulorum deſertio negat Chriſto diuinitatem? §. 343. *num.* 2. *&* 3. *pag.* 412. 413. Olim Diſcipulis intimatur, vt denuò fiant Diſcipuli? §. 178. *n.* 2. *p.* 217

Et ipſe Ieſus appropinquans, ibat cum illis. Alij ex Diſcipulis ſolletter Ieſum quærunt in monumento, & illis tunc non apparet; & hos Diſcipulos, qui longius abſcedunt, ſedulus quærit, & reſuſcitatus apparet? Fugientes ſe quærit, & à ſe quærentibus fugit? An Chriſtus ſpecie repulſæ, arctiùs ſibi Diſcipulos deuinxit ſuos? §. 98. *num.* 2. *&* 3. *p.* 128

Et ipſe Ieſus appropinquans, ibat cum illis: oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent. Quare non agnoſcunt Chriſtum, cum quo familiariter diu conuerſati ſunt? An quia Dominicum corpus Reſurrectio conſecrare dicitur? §. 321. *n.* 3. *p.* 390

Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoſcerent. Præſentem vident Chriſtum ſibi notiſſimum, & eum non agnoſcunt? An ſublimior Reſurrectionis gloria, humanæ credibilitati quodammodo officit? Scilicet Diſcipuli (tunc rudes) oculis corporeis ſe ſpiritum videre mox putabant, ne alienam gloriam indubiè credere cogantur? §. 314. *n.* 2. *pag.* 382

Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoſcerent. Sed oculi, qui præſentem Chriſtum velut non vident, reſurgentis Chriſti voces videbunt? quod oculi non vident, videbit tactus? §. 35. *n.* 4. *&* 5. *&c. p.* 55. 56

Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Num aliqua nunc de Deo ignoratio, illius notioni arcanè adulatur? §. 25. *num.* 1. *&* 2. *&c. pag.* 44. 45. Deúmque quodammodo perſpicacius peruidet? §. 26. *n.* 2. *&* 3. *p.* 46

Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes? Ignoratne Chriſtus Deus, quid ipſi inter ſe mutuò confabulentur? Nempe conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias iniurias velut ignorare videtur. §. 288. *num.* 2. *&* 3. *p.* 354. 355

Et eſtis triſtes. An Diſcipulorum triſtitia impedijt quominus Chriſtum agnoſcerent? Scilicet lætis datur ſpiritus ſapientiæ & prophetiæ, non mœſtis? §. 243. *n.* 3. *p.* 295. Quia Chriſtum valde diligebant, nunc valde triſtantur? Porrò amor mœrore commutatur. §. 256. *n.* 2. *p.* 309

Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael. Spes laſſeſcit, & fugitiua Diſcipulorum tepeſcit charitas. Sic eius adhuc qui nuper præ diuino amore languebat, protinus languet amor, & laſſeſcit propoſitum? §. 162. *n.* 2. *&* 3. *p.* 202

Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael. Non putant ſe Paſſione redemptos, qui Omnipotentia potius ſe redimendos putabant? Sed Paſſione potiùs redimendi erant, vt ratione potiùs, quàm potentia Chriſtus Deus redimere videatur. §. 6. *n.* 2. *p.* 26

Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſraël. Diu conſtanter ſperarunt, & iam nutat ſpes? Non fauſtum operis auſpicium, ſed finis & conſummatio illi de perfectione gratulatur. §. 47. *n.* 2. *&c. p.* 67

Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſraël. Aiunt Chriſtum ab Iſraëlis Principibus & Sacerdotibus morti traditum, & non credunt Iſraëlem ab eo redemptionis gratiam accepturum? Num fuit Chriſto cauſa redemptricis gratiæ donandæ, compenſare mortis iniuriam? §. 62. *n.* 4. *p.* 82

Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ fuerunt ante lucem ad monumentum, &c. Profectò hi Diſcipuli à communi hominum ingenio peregrinantur, dum tot indiciis, & coniecturis non ſatis credunt. Nam plures ſic ſe credunt indiciis, vt quod ob leuia ſæpè indicia credunt, reputent Euangelium. §. 38. *n.* 2. *&* 3. *p.* 58

Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum &c. Pro bono reſurgentis Chriſti nuncio Diſcipulis delato, nec fidem accipiunt, nec gratitudinem ſperant, ſed velut ſuorum terrorem extorquent? Hoc donatiuo munerantur

pro felici nuncio delato ? Aſt ipſa rei fauſtæ
denunciatio, delati boni nuncij remuneratio
eſt. §. 107. *n.* 2. *&* 3. *p.* 136. 137
Quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, &c.
Chriſtum, quem morte perdidiſſe putabant,
ante lucem quærunt ? Et cur non expectant
diei claritatem, vt facilius inueniant ? Ve-
rùm Euangelij drachma, melius ſtatim quæ-
ritur in obſcurâ nocte, quàm poſtea in clarâ
diei luce. §. 159. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 198. 199.
Miraculis, & virtuti lenocinantur tenebræ.
§. 24. *num.* 2. *&* 3. *p.* 44. Tenebræ, cenſus diei
ſunt. §. 47. *n.* 3. *p.* 67
Fuerunt ad monumentum.... & venerunt dicen-
tes, ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, &c.
Quare Angelus in Chriſti ſepulcro ſedere
dicitur, Reſurrectionis magiſter ? §. 45. *n.* 3.
p. 65
Viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vi-
uere. Pater Deus velut dereliquiſſe Chri-
ſtum in Paſſione dicitur, & Angelos mittit,
qui reſurrectionis glorias publicent, & com-
mendent ? Reſurrectio potiùs quàm Paſſio,
erit Paterni amoris incentiuum ? §. 189. *n.* 2.
p. 235
Et dixit ad eos : ô ſtulti, & tardi corde ad cre-
dendum, &c. Sic durè pius pater filios re-
prehendit ? At præmonere, & reprehendere,
aliena non ſunt à paternis Benedictionibus;
imò ſynonyma. §. 395. *n.* 3. *p.* 466
Et dixit ad eos : ô ſtulti, & tardi corde ad cre-
dendum, &c. Annon hæc verba exaſperent,
& auertant Diſcipulorum amorem ? At ſæpè
cæleſtis ſponſus ſpecie repulſæ, acrius ſuæ
ſponſæ ſauciat amorem. §. 388. *num.* 1. *&* 2.
& 3. *p.* 458. 459
Et dixit ad eos : ô ſtulti, & tardi corde ad cre-
dendum, &c. Infidelitatis reprehendit Diſ-
cipulos, quos Euangelij præceptores conſti-
tuit ? Nempe Apoſtolos nuper incredulos,
poſt opportunam reprehenſionem, fidei Ma-
giſtros Chriſtus elegit. §. 395. *num.* 2. *pa-*
gin. 466
Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare
in gloriam ſuam ? Nam labores patienter to-
lerati, paradiſeæ felicitatis conſummatio di-
cuntur, & hominum menſura. §. 251. *n.* 2.
& 3. *p.* 303. 304
Accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porri-
gebat illis. Mœſtis Diſcipulis porrigit panem,
Euchariſtiæ ſymbolum : An Chriſtus in Eu-
chariſtia hilaritatem diuinitatis oſtendit ?
§. 322. *n.* 2. *p.* 390
Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum lo-
queretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas?
De cæli ſcholâ erudienda eſt doctrina Chri-
ſtiana : nam ſecularis ſapientia, conſcientiæ
gratulatur: & profana eloquentia balbutit ad
diuina. §. 352. *num.* 2. *&* 3. *p.* 421. 422. *Et*
§. 351. *n.* 2. *p.* 420
Et inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui
cum illis erant. Redemptione peractâ per
vnanimem concordiam ſuos cógregat Chri-
ſtus; qui per concordiam ſui generis ad pa-
cem Deitatis perueniſſe dicitur. §. 362. *n.* 2,
& 3. *p.* 431

Dominica in Albis.

Ioannis 20.

C*Vm ſerò eſſet die illo, vna ſabbatorum ſerò*
dicitur, non *veſpere*, quia hæc dies *ſab-*
bati nomine nuncupatur ? Porrò dies ſab-
bati, nec mane, nec veſpere habere dicitur.
§. 234. *n.* 2. *p.* 280
Cùm ſerò eſſet die illo, vna ſabbatorum. Prælu-
ſtris hæc dies de lucendi fine cenſetur. Por-
rò dies non ab initio, ſed à fine, laudis elogiũ
accipit. §. 47. *n.* 3. *p.* 67
Et fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congre-
gati. Plures portæ hîc recenſentur in Apo-
ſtolicâ Eccleſiâ, quibus ad illam poſſit intra-
ri. Multæ etiam videntur eſſe cæli portæ;
vna tamen inuenitur, ipſaque peranguſta.
§. 110. *n.* 1. *&* 2. *&c. p.* 139. 140
Et fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congre-
gati propter metum Iudæorum. Pauidè time-
tur Potentia non ſubiecta rationi. §. 6. *n.* 2.
&c. p. 26
Et fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli con-
gregati propter metum Iudæorum. Tunc Diſ-
cipuli nondum de Spiritu ſancto armati,
non tam Deum, quàm homines timent? Por-
rò qui Deum timet, ſecurus in ti ... ons diui-
ni aſylo, homines non timet, ridens menti-
tas mundi minas. §. 108. *num.* 1. *&c. p.* 137.
138
Et fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli con-
gregati propter metum Iudæorum. Iudæorum
minas nunc timent, qui eorum perſecutio-
nibus mox felicitati ambibunt ? Scilicet vſ-
que adeò metus metuendi cauſas exaggerat,
vt ſæpè homo felicitatem periculi ſui timeat.
§. 194. *n.* 2. *&* 3. *p.* 240
Et fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congre-
gati propter metum Iudæorum. Sic pauidè ti-
ment, qui ſic animosè mox audebunt ? Sci-
licet audacia de præuio timore armatur :
neſcit audere, qui timere neſcit. §. 195. *n.* 2.
& 3. *p.* 241
Et fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congre-
gati propter metum Iudæorum. Clauſis fori-
bus, à Principibus ſacerdotum ſatis tutos ſe
eſſe putant ? Aſt à Superiori infenſo nullum
ſatis tutum aſylum eſt. §. 231. *n.* 2. *&c, p.* 276.
277
Venit Ieſus, & ſtetit in medio. In medio Diſci-
pulorum ſtat Ieſus, in nullam tunc partem
inclinans. Nam quod ſingulari fauore alicui
impenditur, ceteris detrahitur. §. 73. *num.* 2.
& 3. *&* 4. *p.* 94
Venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis : Pax
vobis. In medio ſtat, neminemque alteri
præfert, qui pacem defert, & paci ſtudet.
Porrò nomen primi & ſecundi pacatam con-
cordiam ſcindere ſolet. §. 48. *num.* 2. *&* 3.
p. 68
Et dixit eis : Pax vobis. Nam concordia, venu-
ſtas iuſtorum eſt, quæ diuinum ſauciat amo-
rem. §. 362. *n.* 2. *&* 3. *p.* 431
Et dixit eis : Pax vobis. Pacem & concordiam
ſtudioſè afflat Chriſtus, qui per concordiam
ſui

ſui generis ad pacem Deitatis perueniſſe dicitur. §. 362. *n.* 3. *p.* 431

Et dixit eis : Pax vobis. Dum magis beneficus in eos oſtenditur, pacem ſpirare ſatagit. Nam ipſa beneficia ſæpè pacem inquietant. §. 10. *n.* 2. *&* 3. *p.* 31

Et dixit eis : Pax vobis. Eccleſiæ Magiſtros amicâ pace fœderat. Nam de ſchola pacis & concordiæ, erudienda eſt Chriſtiana Doctorum ſapientia. §. 31. *n.* 1. *&* 2. *&c. p.* 52. 53. Porrò diſcordiam inter Catholicos Magiſtros, etſi per cælum factam, non approbat Deus. §. 31. *n.* 3. *p.* 51

Et dixit eis : Pax vobis : Sollerter pacem à ſuis expetit. Num concordiam cum hominibus ſeruare, aliquis humanæ virtutis faſtus eſt ? §. 233. *n.* 2. *p.* 279

Et dixit eis : Pax vobis. Eccleſiæ proceres ſtudio pacis informat, ne vllo prætextu inter ſe alant ſeditiones. Nam ſi deſint ſeditionum fautores, altâ pace turbulentior reſpublica florebit. §. 66. *num.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 86. 87. Et ſanè nemini quantumuis concordiæ ſtudioſo, inter rixantes pax eſſe ſolet. §. 234. *n.* 2. *&c. p.* 280

Et dixit eis : Pax vobis. Nam beneuola multorum concordia, auguſtioris gloriæ officina eſt. §. 294. *n.* 2. *&* 3. *p.* 360. 361

Gauiſi ſunt ergo Diſcipuli, viſo Domino. Verè gaudet, qui in Chriſto gaudet. Nam præcedentem depuliſſe moleſtiam, eſt humani gaudij voluptas. §. 46. *n.* 2. *&* 3. *p.* 66

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Pater miſit Filium ſuum, quin Filius ab eo diſcederet. Ad hunc modum, iubente Chriſto mittuntur Diſcipuli, quin ab eo recedant ? Scilicet Moyſes Deò præſens, dum longiùs mittitur, propiùs Deo appropinquare dicitur. §. 175. *n.* 2. *&* 3. *p.* 215

Dixerunt ergo ei alij Diſcipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Niſi videro, &c. Sic ſe præbet difficilem ad credendum, quæ vidiſſe, & audiſſe aiunt homines fide digniſſimi ? An quia ipſa veritas per bonos etiam traduces linguarum & aurium, aliquando malignè ſerpit. §. 41. *num.* 2. *pag.* 61. An Aaron ſpiritu prophetiæ donatur, vt quod ex Moyſis ore audit, fideliter referat ? *Ibid. n.* 3. *p.* 61

Dixerunt ergo ei alij Diſcipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Niſi videro, &c. Errat, errat Thomas, ſed de errore ſuo exinceps eruditur. Nam rei præſentis error, ſæpè blanditur futurorum peritiæ. §. 186. *num.* 2. *p.* 232

Dixerunt ergo ei alij Diſcipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Niſi videro, &c. Errat in fide Thomas ; ſed eius errore fides aſtruetur, & fideles de fide inſtruentur ? An excelſum opus prouidentiæ diuinæ, per errorem humanum fieri debebat ? §. 187. *num.* 2. *&* 3. *p.* 233

Niſi videro, &c. non credam. An quia fide imbecillior erat Thomas, poſteà animoſior euaſit, reſumens de imbecillitate vires ? §. 138. *n.* 2. *p.* 175. 176

Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Negotium credendi ad voluntatem ſpectat, an ad mentem? Quid voluntatem flectere ſatagit, aiens : *Noli* eſſe incredulus? Profectò qui Hæreticos ad fidem conuertere ſtudet, non ſtatim rationibus cum eorum mente diſceptet ; ſed voluntatem virtutibus inſtruat. Nam voluntas vitiis cœnulenta, per mentem hæreſes euaporat. §. 264. *n.* 1. *&* 2. *&c. p.* 317. 318

Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Viſu vulnerum, & attactu lateris, res fidei peragitur ? An vt fidem faciant ſenſus, per extranea obiecta arcanè peregrinantur ? §. 35. *n.* 2. *&c. p.* 55. 56

Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Hic Diſcipulus incredulus veram Chriſti fidem ab ipſo accipit Chriſto. An vera Chriſti fides, ab infidelibus etiam ediſcenda eſt, ad credibilitatis auctarium ? §. 45. *n.* 4. *p.* 65

Dominus meus, & Deus meus. Multa hoc breui ſermone Thomas compendiauit. Porrò arduum nimis eſt, quem *Dominum* experiris, quaſi *Deum* habere, & colere. §. 128. *num.* 2. *&* 3. *p.* 158

Quia vidiſti me Thoma, credidiſti : beati qui non viderunt, & crediderunt. Oculi Thomæ illuſtrati ſunt ad fidem : ſed beati quorum auditus radiis Solis illuminatur. §. 35. *num.* 2. *&* 3. *p.* 55.

In feſto Aſcenſionis.

Marci 16.

R*Ecumbentibus vndecim Diſcipulis*, &c. Iiſdem dapibus omnes aluntur, vt quodammodò reſtaurent innocentiæ ſtatum ; in quo eoſdem cibos & homini Præſidenti, & ſubiectis animantibus aſſignat Deus. §. 92. *n.* 2. *p.* 113. Tametſi aliquando Præfectorum eſculenta abundantia, vrbanè ſuadet attentiorem erga alendos ſubditos prouidentiam. §. 376. *n.* 1. *&* 2. *&* 3. *p.* 445

Recumbentibus vndecim Diſcipulis, &c. Obuiis, & facilè parabilibus cibantur eſcis : nefas enim eſt, vt qui vili cibo alebantur in ſeculo, delicias in religione expectant. §. 393. *n.* 4. *p.* 464. Et ſanè Elias ad communem famem damnatur, vt eſurientem populum congruè alat. §. 92. *n.* 3. *p.* 113

Recumbentibus vndecim Diſcipulis, &c. Iudæorum Pontifices ſæuiunt in Chriſti Diſcipulos, & tunc recumbentes prandent ? Sic Daniel in periculo prandet, qui extra periculum ſolitat ieiunare. §. 112. *n.* 3. *p.* 142

Recumbentibus vndecim Diſcipulis, apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem eorum. Ab incredulis fides exigitur in conuiuio ? Aſt olim vel iurata fides ſuſpecta erat, niſi ieiunâ ſaliuâ obſtringeretur. §. 174. *num.* 3. *p.* 214

Et exprobrauit incredulitatem eorum, &c. Incredulitatem Diſcipulorum reprehenſione exprobrat, & confeſtim eoſdem facit fidei præceptores ? Tantùm Chriſtus amicæ reprehenſioni tribuit, vt nuper incredulos, fidei Magiſtros conſtituat ? §. 395. *num.* 2. *p.* 466

Exprobrauit incredulitatem eorum, &c. Cùm pius pater charos filiolos deſerit, eos durius increpat, & nō potiùs illis blandè benedicit?

 Aſt

Aſt præmonere, & reprehendere, aliena non ſunt à paternis Benedictionibus, ſed ſynonyma. §.395.*n*.3.*p*.466

Et exprobrauit incredulitatem eorum. Poſt increpationem, fidei negotium nuper incredulis permittit? An paterna filiorum increpatio emendationem prophetat? §.395.*n*.4. & 5. *p*.466. 467. Et quidem qui poſt beneuolam correptionem delinquit, & Præpoſiti iuſtitiam irritat, & miſericordiam inquietat. §. 104. *n*.1. & 2. &c. *p*.134

Et exprobrauit incredulitatem eorum, &c. Sic aſperè tractat, quos ad ſe allicere ſtudet? Scilicet Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtentatione, arctiùs ſibi Diſcipulos deuinxit ſuos. §. 98. *n*.1. & 3. *p*.128. *Et* §. 388. *n*.1. & 2. & 3. *p*.458. 459

Et exprobrauit incredulitatem eorum, &c. Olim incredulos, iam eximiè fideles, & fidei magiſtros, incredulitatis priſtinæ nomine deuenuſtat? Res iam per pœnitentiam munda, antiquo vitioſi ſqualoris vocabulo dehoneſtanda eſt? §.58.*n*.1.& 2.&c.*p*.78. Profectò reſipiſcentia non recuperat partam infamiam, quæ eſt ſceleris appendix. §.149. *n*.1. & 2. & 3. *p*.188. 189

Euntes in mundum vniuerſum, prædicate, &c. Vt vltrò ipſi eant, ſuggerit. Nam ardua pericula feliciter exantlare, ſpontanei propoſiti ſtipendia ſunt. §. 167. *n*.1. & 2. &c. *p*.207

Euntes in mundum vniuerſum, prædicate, &c. Rudes, & litteratos homines, nuper incredulos, mundi vniuerſi magiſtros conſtituit? Scilicet diuina electio, quem non inuenit dignum, dignum facit. §. 270. *num*.2. & 3. *p*.325. 326

Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium. O quantâ probitate fulgere debet, cui munus euangelizandi committitur? An ex Prædicatoris probitate Euangelium cenſetur? §. 154. *num*. 2. & 3. *pag*. 193. 194. Ille efficaciter ſuadet, quem cùm videris, & cùm audias, idem eſt. §. 351. *n*.1. & 2. &c. *p*.420. 421

Prædicate Euangelium omni creaturæ. Omni creaturæ prædicandũ eſt Euangelium, Chriſti Dei iuſſu? An brutæ animantes arcano ſenſuum ingenio, Dei iuſſa percipiunt? §.78. *n*. 1. & 2. & 3. *p*.98. 99. Senſuum ingenia per aliena obiecta ad fidem peregrinantur? §. 35. *n*.2. *p*.55

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Aurium fidei, Saluatio committitur; an etiam manuum operibus? An fortè manus audiunt? Saltem manus, ac ſi auritæ forent, inauribus adornantur. §.263. *num*.2. *p*.316. 317

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, &c. Chriſtus præcipit, vt *mundo vniuerſo* denuncietur fides, de cæli ſcholâ à ſe edocta? Profectò cælum, reſque cæli, *vniuerſi baſis* ſententioſè dicitur. §.14. *n*.2. *p*.34

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, &c. In mundum vniuerſum Apoſtolos mittit, vt *omni creaturæ*, etiam remotiſſimæ, & abiectiſſimæ Euangelium prædicent, quò *ſalua* fiat. Nam ſollers cura erga infima & abiecta, habetur prouidentiæ clauſula, & integritas §.91.*n*.2.& 3. & 4. *p*.111. 112

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, &c. Ad ſaluationem ſatis eſt fides? annon etiam opera requiruntur? Requiruntur quidem, ſed qui viuidam habet fidem, in bona opera ſtudioſè erumpit. An idonea ad rectè operandum potentia, præproperè gaudet operis priuilegio? §. 89. *n*.2. & 3. *p*.109. 110. Potentia ad benè operandum, arcanum quoddam præceptum dicitur? §.89. *num*.4. *p*. 110

Qui verò non crediderit, condemnabitur. Porrò flamma illa velut rationalis, quæ vrit in gehenna, Damnati interrogabit oſſa, cur non crediderit, cur rectè operatus non ſit. §.126. *num*.3. *p*.156. Damnationis hîc meminit, vt homines à damnatione auertat. Nam igneus gehennæ color, qui in iride apparet, eſt vitandæ gehennæ felix auſpicium. §.105. *n*.3. *p*. 135

Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, &c. Rudes & ineloquentes Prædicatores mittit, qui mundo vniuerſo Euangelium perſuadeant? Sed largam illis patrandorum miraculorum facit poteſtatem. Sic in locum eloquentiæ, Virga miraculorum Moyſi ſubrogatur. §.348. *num*.2. *p*.417. Timetur, ne eloquentia ſibi arrogaret publicati Euangelij glorias? §.348. *n*.3. *p*.417

Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Ab his Medicis ſalutem expete. Nam humanus Medicus artem cum funeratore ſæpè reciprocat. §. 241. *n*.1. & 2. &c. *p*.293

Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum. An Sacerdotis titulo Chriſtus Deus aſcendit in cælum? §. 209. *n*.4. *p*.255

Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. Verbum corporatum à dextris Dei ſedere hîc dicitur. Quare Spiritus-ſanctus nuſquã *ſedere* perhibetur? §. 225. *n*.4. *p*.271. 272

Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. Præſtantiorem apud homines locum Chriſtus habet? Id cæleſtis politiæ vrbanitas patitur? An Chriſtus non ſedet ad Patris dexteram, niſi iubente Patre? §.246. *num*.2. &c. *p*.298. 299

Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. In præſtabiliori loco Chriſtus ſedet? An cæli politia ſugillat humanæ præcedentiæ vrbanas nugas? Scilicet ſic à dextris ſedet Filius, vt Pater non ſedeat à ſiniſtris. §.324. *n*.2. &c. *p*.392. 393

Domino cooperante, & ſermonem confirmante, &c. In mundo reſuſcitatus, & in cælos aſſumptus, ſollerter adhuc tractat Chriſtus rem mundi conuertendi. Nam negotium, cui homo ſuam fidem viuens obſtrinxit, adhuc poſt mortem negligendum non eſt, ſed impensè procurandum. §.277. *num*.1. & 2. & 3. *p*.333.

In die Pentecoſtes.

Ioannis 14.

S*I quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Ament præcipientem, vt præcepta diligant.

gant Nam ſubditos ad cupita ſponte cogi, gratiæ officioſitas eſt, & regendi peritia. §. 55. *n.*2. *&* 3. *p.*75

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Porrò ſpontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat. §.86 *n.*2. *&* 3. *p.*106. 107

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Verùm cum perfecta obſequij ratio in animorum conſenſione ſita ſit, (§. 55. *num.*2. *&* 3. *pag.*75.) fit nobis Deus velut noſtra mens, quò exactiùs in nobis Dei voluntas fiat. §.81. *n.*2. *&* 3. *p.*101

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Amori, an perfectioni adſcribitur, perfectius Deo obſequium? Amori, amori inquam. An aliquandò aliquis perfectionis faſtus eſt, cunctanter obedire? §. 52. *n.*2. *p.*71. 72

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Nam homo, cui diuinum præceptum imponitur, diuini honoris humanus arbiter conſtituitur? §.102. *n.*2. *&* 3. *p.*132. An brutæ etiam animantes arcano ſenſuum ingenio, Dei iuſſa quodammodò percipiunt? §. 78. *n.*1. *&* 2. *&* 3. *p.*98. 99

Et Pater meus diliget eum. Patris nomen aduocat, cùm de amore agit erga ſuos, electione adoptatos. Nam amor parentum erga filios, nimis ſolet audere, ne filius viuo patre ſit pupillus: ſecùs fugitiua charitas nominatur. §. 129. *n.*2. *&* 3. *p.*158. 159

Et Pater meus diliget eum. Obſequio ſuæ doctrinæ, & ſuis præceptis, ad omnem perfectionem adoptatos filios informat Chriſtus, vt Patri nomen Filij, reſtituat in filiis? § 281. *n.*2. *p.*337

Et Pater meus diliget eum. Ecquid boni, amore ſuo dignum Deus inueniat in homine, in peccatis nato, & vitiis enutrito? Verùm eximius amor, exaggeratior rei amatæ encomiaſtes eſt. §. 36 *n.*2. *&* 3. *p.*56. 57. An erogari in meritorum ſtipendium, generoſus amor erubeſcit? §. 189. *numero* 2. *&* 3. *pagin.* 235

Et Pater meus diliget eum. Patrem appellat, non *Dominum*, cùm ad Dei amorem allicit. Nam ſubiectio ſæpè amorem impedit, & odia ſubornat. §. 205. *numero* 2. *&* 3. *&* 4. *p.* 251

Et Pater meus diliget eum. Et quare Chriſtus nil hîc de ſuo, ſed de Patris amore dicit? Homo, qui Chriſtum diligit, diligetur à Patre? & non etiam diligetur à Chriſto? An ſuperuacaneum foret id expreſſiſſe; cùm homo Chriſti anima, ſeu ſpiritus dicatur, ad beneuolentiæ auctarium? §. 136. *n.*4. *&* 5. *p.* 174

Et Pater meus diliget eum. Quare Deus quos blandè diligit, tam durè aliquando tractat? Annon ſæpe cæleſtis ſponſus ſpecie repulſę, acriùs ſuæ ſponſæ ſauciat amorem §. 388. *n.*1. *&* 2. *&* 3. *p.*458. 459. *Et* §. 98. *num.*2. *&* 3. *p.*128

Et ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Deus veniens ad hominem, qui eius præceptis paret, non ad diſtantem à ſe veniet. Nam hominis obſequium eſt artificium appropinquandi Deo. §. 175 *n.*1. *&* 2. *&* 3. *p.*214. 215

Et ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Sed quare Chriſtus non ab hominibus, ſed à Patre petit, vt ipſe Chriſtus maneat in nobis? §. 362. *numero* 3. *pagin.* 430

Et ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Grande quidem præmium, quò perſeueret in amore. Nam eius etiam qui nuper præ diuino amore languebat, protinùs languet amor, & laſſeſcit propoſitum. §. 162. *n.*2. *&* 3. *p.*202

Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Eccur mandata ſeruanda, nuper *ſermonem ſuum* appellat: & mandata non ſeruanda, pluratiuo vocabulo, *ſermones ſuos* nominat? An quia legem vnam, vnam plures putare, inobedientiæ ingenium eſt? §. 177. *n.*2. *&c.* *p.*216. 217

Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater, &c. Cùm operandi tempus aduenit, Spiritus-ſanctus in Diſcipulos mittitur, vt opera bona cum Spiritu faciant, Deum imitantes. §. 28. *n.*4. *p.*48

Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo. An quia Spiritus-ſanctus, Patris & Filij amor eſt, ſpeciatim dicitur Patris & Filij *ornatus*? §.36. *numero* 2. *p.* 56

Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Quare nomen Angeli, quod habere affectauit Dei Filius, Spiritus-ſanctus non admittit? An quia cùm ex proprio charactere ſit amor; à ſe, & per ſe munia exequi mauult? §. 259. *num.*2. *&* 3. *&* 4. *p.*312. 313

Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Spiritus-ſanctus mitti dicitur: & ſic viuidè & actuosè ſuum obit munus, vt *ſedere* nullibi legatur. §. 2. 5. *n.*4. *p.*171. 172

Ille vos docebit omnia, &c. Tantâ pollet ſapientiâ, vt omnia docere poſſit, eccur Verbum diuinum dicitur Conſiliarius, & in cõſilium aduocari perhibetur; ſecùs Spiritus-ſanctus? An quia cõſilium amoris, eſt apud homines ſuſpectum? §.80. *n.*3. *p.*100

Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Chriſtianam ſapientiam, quam corporatum Verbum Eccleſiæ tradidit, vnus Spiritus-ſanctus ſuggeret? ô auguſtum Chriſtianæ ſapientiæ elogium! An vera Chriſtianorum ſapientia eſt, emanatio omnipotentis gloriæ? §.30. *n.*2. *pag.*49. Aliquando ductu naturalis, & moralis ſapientiæ humanæ, non imus ad cælum, ſed erramus? §. 51. *n.*4. *p.*71

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quare pacem, quam homines in hâc vitâ ſeruant, non appellat *ſuam*; ſed quæ erit in cælo? An pacem cum hominibus nunc ſeruare, aliquis humanæ virtutis faſtus eſt? §. 233. *numero* 2. *pagin.* 279

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Pacem relinquit, pacem hominibus donat Chriſtus; quia per concordiam ſui generis ad pacem Deitatis peruenisse dicitur? §. 362. *numero* 3. *pagina* 431

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Valde impensè Chriſtus ſuis pacem commendat:

mendat:nam pax, venuſtas iuſtorum eſt, quæ diuinum ſauciat amorem. §.363.*num.*1.*&c.* *p.* 431

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Grandi planè, & præluſtri dono ſuos munerat Chriſtus: nam beneuola multorum concordia, auguſtioris gloriæ officina eſt. §.284. *n.*2. *&* 3. *p.*350. *p.* 351

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Ecquid inter Diſcipulos turbaret pacem? Profectò res maximè delicata eſt concordia: nam vel collata beneficia pacem inquietant. §. 10. *n.*2. *&* 3. *pag.*30

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Porrò iniquorum cognatam concordiam, ſæpè malitia conflat. §.294. *num.*2. *&* 3. *p.*360. 361

Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Siquidem naufraga ſpes in aſylo periculi ſui tutior eſt. §. 172. *numero* 2. *&* 3. *pagin.* 212. Et Petrus firmitatem ſtandi, in ipſo cadendi periculo recepit. §. 184. *numero* 3. *pagin.* 230. Et ſanè de maiori periculo, certius extruitur effugiendi periculi præſidium. §. 105. *numero* 1. *&* 2. *&c. pagin.* 135.

F I N I S.

SYLLA

SYLLABVS
RERVM ET VERBORVM, præſertim, quæ mores inſtruunt, & paulò vberiùs traduntur.

§. paragraphum deſignat, n. numerum denotat marginalem, p. paginam indicat.

A

Aaron.

PROPHETIÆ ſpiritu donatur, vt quod ex Moyſis ore audit, fideliter referat? §.41. num.3. pag.61
Ex irâ Dei datur Aaron, conſors Moyſis in regimine? §.71.n.2.p.92
Non putatur æquo animo laturus vnius noctis incommodum? §.101.n.3.p.131
Vbi primùm Aaron idoneus dicitur ad præfecturam, illam Moyſes non recuſat. §.329. n.2. p.398

Abel.

Vide verbo, *Cain.*

Abimelech.

Rex Abimelech anxiè timet impunitam procerum libidinem. §.18.n.3.p.38
Munera Abimelecho data ad memoriam, obliuionem negotiantur. §.164. num.2. p.203. 204
Rex Abimelech collegium tantùm amicorum conſulit. §.356.n.2.p.425
Abimelech erat generale Regum Palæſtinæ nomen. *In comment. Litter.* Benedict. 3. n.12. p.171

Abraham.

Abrahamus ob regnum Dauidis, illi poſtponitur. §.11.n.2.p.31
Præemineat Dauid; ſed ſuus honór Abrahamo ſeruetur. §.64.n.4.p.85
Credituri, dicuntur filij Abrahæ, ad vberiorem Dei largitatem illis exhibendam. §. 97. n.2. & 3. p.127
Abrahamus in maximis probatus, in minimis exactiùs exploratur. §.101.num.2.p.131
Ad portandam felicitatem humeris donatur. §.132. n.3. p.162
Plus ſperat de incerto, quàm fuerat ſecurus de proprio. §. 157.numero 2. & 3. pag.174. 175
Abraham extortis ipſe, pauperum domus fuit, & patria. §.146.n.1.p.185
Diuinæ amicitiæ nundinator dicitur. §. 150. n.3. p.190
Abrahami virtutem, generis nobilitate compenſat Deus? §.156.n.2.p.195.196
Inter Abrahami merita, felicitas terrena computatur? §.158.n.3.p.197.198
Munera quæ Abrahamus Regi donat ad memoriam, obliuionem negotiantur. §.164. n.2. p.203. 204
Melius ſeruauit filium, dum non pepercit. §.172.n.3.p.212
Laus fuit obedientiæ Abrahami, quod lento gradu ierit ad filium mactandum? §. 180. n.2. p.219
Quare in Iſaaci immolatione fuerit ſecura Abrahami mens, & ſecurior manus. §.378. n.3. p.447. 448
Gemina Abrahæ vocatio adſtruitur. *In comment. Litter.* Benedict.3. num.1. & 2. & 3. p.167. 168
Diuturna Abrahæ in Haran commoratio. *Ibid.* n.4. p.168
Copioſa eius Benedictio. *Ibid.* num. 5. & 6. p.168

Abſalom.

Stuprum Sororis primò innotuit Abſalomo? §.121.n.4.p.151

Abſens, Abſentia, Præſentia.

De Abſentia vnius boni, æſtimantur reliqua. §.99.n.2. & 3. p.129
Strenuos viros, quos viuentes contempſimus, mortuos de Abſentiâ magni æſtimamus, & ſerâ pœnitentiâ lugemus. §.134. n.2. & 3. p.163. 164
Mundialia bona piè derelicta, auidiùs ad ſui amorem alliciunt: quaſi eorum deſertio, ſit cenſus eorum? §.140.num.2. &c. pag.177. 178
Principis Abſentia puſillanimos facit ſubditos; præſentia ſtrenuos. §.160. num.2. &c. p.199. 200
Hominis obſequium, eſt artificium appropinquandi Deo. §.175.n.2. & 3. p.215
Moyſes Deo præſens, dum longiùs mittitur, propiùs Deo accedit. §.175.n.2.p.215
Ægypti ager amœniorem ſe obiicit à tergo, quàm oculis. §.167.n.3.p.216
Si in te ipſo ipſe non es, Deus in te non erit. §.249.n.4.p.302

Abſentia

Abſentia Iudæ, glorificationis Chriſti initium fuit: & nequam Angelorum è cælo eiectio, Beatitudinis compendium? §.13. n.2. & 3. p. 33

Acceptio perſonarum.

Quod ſingulari fauore alicui impenditur, ceteris detrahitur. §.73.n.2.& 3. & 4. p.94

Defectibus, quibus deturpantur plures, à qui ad placendi gratiam venuſtantur. §.320 n.2. & 3. p.388. 389

Adam.

Non ex relatione, ſed ex viſione, nomina rebus imponit. §.40.n.5.p.60

Deus velut vita, & mens Adami eſt, quò exactiùs in eo Dei voluntas fiat. §.81.n.2. & 3. p. 101

Subeat iugum præcepti, quò ipſe imperare edifcat. §.82.n.3.p.102

Rectori Adamo dat Deus Miniſtrum quaſi eum. §.85. n.2. p.105

Eoſdem cibos Adamo præſidenti, & ſubiectis animantibus aſſignat Deus. §. 92. num. 2. p. 113

Adami coſta ab eo ſciuncta, plus illi placet. §.93.n.6.p.115

Adamo interdicitur vna arbuſcula, vt reliquas dignè æſtimet. §.99.n.2.p.129

Adamus quod gratus conſeruaret, ingratitudine perdidit. §.163.n.3.p.203

Adamo, & Iſaaco diuina ecſtaſis immittitur, ad humanæ iniuriæ fruſtrationem. §.211. n.2. & 3. p.257

Suendi artem non abſque furacitate dedicauit Adamus? §.220.n.2. &c. p.266. 267

Adam non audet ſua dicere, quæ ſcit non eſſe de terra. §.240. n.2. & 3. p.286

Adam vbi vxorem ſuam mortis ſententiam incurriſſe vidit, eam Euam, id eſt, *vitam* appellat. paragr.258.n.2.p.311

Ambiuitne Adam, Dei nomen, quod Ieſuitis erogatur? paragr.265.n.5.p.321

Quodnam dominium in animantes habuerit Adam. *In Comment. Litter.* Benedict.1.n.64. p. 19

Vbi terrarum creatus fuerit. *Ibidem.* num.65. pag. 19

Aduerſitas.

Vide verbo, *Labor.*

Adulatio, Adulator.

Primus omnium impius Cain munera Deo adulanter obtuliſſe legitur. Inde repulsâ mulctatur? paragr.300.n.2.p.367

Principem eſſe, & effuſiùs laudari, antiqua ſynonyma ſunt. paragr.313. n.2.p.381

Aulici laudatores in ſe culpam reiiciunt, ne Princeps damnandus videatur. *Ibid.* num.3. p.381. 382

Adulter, Adulterium.

Quare coniugium cum Berſabea, potiùs quam adulterium, Dauidi exprobrat Propheta? paragr. 43. n.3. p.63

Ægrotus, Ægritudo.

Morbus eſt aliquis, per Sapientiam mori. §.25. n.3. p.45

Auaritia abiicienda eſt, vt ſanitas recipiatur. paragr. 141. n.1. & 2. p.179

Caueas à medico, vt à funeratore. §.241. n.1. & 2. &c. p.293

Ægrotus non renunciauit vrbanitati. §. 246. n.4. p.299

Ægyptus.

Ægyptius populus, cui omnia Deus, Atheos iure cenſetur. paragr.4.n.2.p.23.24

Ægyptus à tergo relicta, gratior eſt. 140. n.2. p.177. 178

Ægyptus expugnanda eſt, non vt poſſideatur, ſed vt deleatur. §.142.n.2.p.180.181

Ægypti ager amœniorem ſe obiicit à tergo, quàm oculis. paragr.176.n.3.p.216

Æmulatio.

Vide verbo, *Inuidia, Zelus.*

Aër.

Tenebrarum nomine, tenebroſus aër ſignificatur. *In comment. Litter.* Benedict. 1. n. 16. pag. 6.

Elementum aëris & ignis, vſque ad cælum empyreum ſpatiatur. *Ibid.* n. 35. & 34. & 33. & 32. p.10. 11

Ærumna.

Vide verbo, *Labor.*

Ætas.

Vide verbo, *Tempus.*

Affectus.

Non affectus, ſed ratio, in conſilium aduocanda eſt. §.80. n.1. & 2. & 3. p.100

Affectus ſic Rationem ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum eſſe videatur. §.190.n.2. & 3. & 4. p.236. 237

Ratio ipſa seducta ab affectu, dicitur ad malitiam prompta? *Ibid.* n.3. p.236

Vide verbo, *Affinitas, Amicitia, Amor.*

Affinitas. Cognatio.

Iudex cognatus cognatione abſoluit. §.18.n.2. & 3. & 4. p.38. 39

Conſanguinei dicuntur, ſuorum ſubſiſtentia. paragr. 56. n.2. p.76

Aliqua cum obeundo officio cognatio, perfectiſſimum efformat officialem. paragr. 87. n.2. & 3. p.107. 108

Vberior & officioſior gratia datur filiis in Patre. paragr. 97. n.2. & 3. p.127

Pulchritudo ſuſpecta eſt de ſtupri affinitate. paragr. 182. n.3. p.221

Simeon & Leui fratres dicuntur, non tam ſanguinis, quàm malitiæ cognatione. §. 294. n.2. p.360. 361

Quod in conferendâ Meſſiæ dignitate, Senatores cognati erga Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationem. paragr.295. num. 2. & 3. p.361. 362

Inurbana cognatorum auaritia, de cognati funere, ſibi animitùs gratulatur. paragr. 296. n.2. & 3. p.363

Quam ſit difficile cognatis imperare. §. 329. n.2. p.398

Præfecti ſola cognatio, meritum eſt ad præfecturas? paragr.359. n.2. & 3. p.428. 429

Rahab olim meretrix, meretrix non fuit, quia pertinet ad Chriſti progeniem? paragr.317. n.5. p.386

Agricola.

Homo è terrâ producitur, quia agricultura illi iniungenda erat? §. 56. n.3. p.76. & §.87. n.2. p.107. 108

Præpto

Præproperè terra ſiccatur, & arida dicitur, ne vnquam non ſit vomeris patiens. paragr.57. n.2. p.77
Vt auditur paradiſi nomen, confeſtim ſuus illi cultor deſignatur. *Ibid.* n.4.p.77
Terræ ſterilitas cultori imputatur. paragr.166. n.2. p.205. 20

Alienum.

Fauori imputatur, quod perſpectum aliorum bonum nobis placeat? paragr.33. n.2. & 3. p.53. 54
Meræ & abſolutæ aliorum bonitati gratitudo noſtra debetur? paragr. 34.n.1. &c.p.54
Qui de ſuo,etſi modicè ornatur,adſcititios cæli fulgores æmulari poteſt de ornamenti præſtantia. § 63.n.1.& 2.& 3.p 63.84
Non tantùm ſuo,ſed alieno etiam tempore homo fructificet. §.65.num.2. &c. pag.85.86
Mundiale bonum in alio viſum, gratius appareet; quaſi placendi vſuram ab alienatione mutuetur §.93.n.2.& 3.& 4.p.113.114
Humana ſublimitas, quæ ex aliorum meritis, obuenit,non computatur ad faſtigij gloriam? §. 183. n.2.&c. p.222
Vel ad concupita ab alio cogi, grauatè ſuſtinemus. paragr 196.n.2 & 3.p.242
Proprium defectum non videt Eua, quovſque ſimilem in Adamo videt. paragr.219. n.2. p. 265
Aliena gloria incredibilis eſt homini, qui ſuam nimis amat. paragr.314.n.2.& 3.p.382
Peccatores in cælum, quaſi in locum alienum intrant,ad gloriæ ſaporem? §.316. n.3. &c. p. 384

Ambitio. Candidatus.

Arrogantior honoris ambitio, eſſe ſolet inhonoratæ abiectionis ſequela. §.44.num.2.&c. p.63. 64
Ambitionis artificium eſt, ſe vltrò Potentioribus ingerere. §.70.n.2.&c.p.91
Virtuti præit vitium, ambitioſâ oſtentatione merendi? paragr.19.n.1. & 2. p. 9
Studioſior lucendi gloria, ambitioſè glorioſum nimis fatigat. paragr.155.num.2.& 3.p.194. 195
Honorum repulſa, eſt pia Sanctorum ambitio. §.157.n.1. & 2. & 3. p.196.197
Domeſtica virtus receſſu contenta, pia Dignitatum ambitio eſt. paragr. 191. num.2 &c. p. 237
Præambulum electorum examen, prius trutinet merita candidati. paragr.202.n.2.& 3 p.248
Ambitionem ſubolet tantus Præpoſitorum zelus pro ſuâ tuenda Dignitate. §.245.num.2. & 3. p.297. 298
Præfectura ingenio negotiationis parta, vix computatur ad honorem. § 250.num.2.& 3. p.302. 303
Primogenitus Manaſſes,cui dextera procuratur, duplici deuenuſtatur ſiniſtrâ. §.261.num.4. p. 315
Ambiuitne Adamus, Dei nomen,quod Ieſuitis erogatur? §.265.n.5.p.321
Cognatio cum Senatoribus, dignitates ambit. §.295.n.2.& 3.p.361.362
Sat gloriæ eſt honorum cupidis,ſi cum potiſſimis comparentur. §.328.n.2.& 3.p.397
Qui ſe ſolum putat idoneum ad præcelſum munus obeundum, illud faſtidire ſolet:ſecùs ſi ſciuerit,alios æquè idoneos cenſeri. §.329. n.2. & 3. p.398
Obſtinata honorum recuſatio, Deum velut contentioſum facit, vt illam ſublimet? §.388. n.2. & 3. &c. p.407
Quiſquis putat rempublicam eius peritia indigere, ineptus eſt ad Dignitates. paragr.382. n.2. & 3. p.451. 452
Deliciæ & Ambitio oblitterant magnum Religioſi vocabulum. paragr.393.n.6.p.464
Religioſus non benè mortificationis arbitrio Dignitates mercatur. *Ibid.*n.[illegible]p.463.464

Amicus. Amicitia.

Traditur quæ ſit temporaria Amicitia. §. 150. n.1. p.189
Vera Amicitia non ſpe, ſed fide conſtat. *Ibid.* n.2. p.190
Humanæ amicitiæ nũdinæ reprobantur.§.150. n.3. p.190
Tam opulentum reportatur de perſecutionibus lucrum,vt cum ſæuo inimico amicitias conciliet. paragr.226.n.2 & 3.p.272 273
Amicitiam habere cum eo, qui dubius eſt de noſtro in eum amore, eximia amicitiæ exaggeratio eſt. §.326.n.2. & 3.p 382
Infeſtior eſt inimicitia, quæ ſpecie amicitiæ mentita eſt. §.300.n 2.p.367
Lenocinia affectata hominis de amicitiâ ſuſpecti, timorem exaggerant. *Ibid.*n.3. p.367
Amicorum tantùm collegium reſpondet Regum dubiis? paragr.356.n.3. p.426
Mortuorum amicus,inuidus. paragr.399. n.5. p. 471
Vide verbo, *Amor. Inimicorum amor. Pax.*

Amor.

Eximius Amor, exaggeratior rei amatæ encomiaſtes eſt. paragr.36. n 2. &c.p.56
Amor non aduocatur in conſilium. §. 80. n.2. p. 100
Amorem neceſſitas exarmat. paragr. 90. n.2. p.110. 111
Amor parentum erga filios, vltra vires audeat, ne filius viuo patre,ſit pupillus. paragr.129. n.2. &c. p.158. 159
Secùs,fugitiua charitas appellatur. *Ibid.*num.3 p.159
Amor Chriſti erga homines. paragr.136. n.2. & 4. & 5. p.173. 174
Spiritus-ſanctus qui amor eſt, ſpeciatim dicitur, Patris, & Filij ornatus. paragr 35. n.2. pag. 56
Eius etiam qui nuper præ diuino amore languebat, protinùs languet amor, & laſſeſcit propoſitum. §.162.n.2. & 3.p.202
Fraternus Amor cunctationem obſequij aliquando exigit. §.180. n.2. & 3. p 219
Erogari in meritorum ſtipendium, generoſus Amor erubeſcit? §.189. n.2. & 3. p.235
Reſurrectio potius quàm Paſſio, erit Paterni Amoris incentium? §.189.n.2.p.235
Amor ſic ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum eſſe videatur? paragr.190. n.2. & 3. p.236
Subiectio Amorem impedit, odia ſubornat. §. 205. n.4. & 3. & 2. p.251
Qui minus diligitur, relinqui dicitur. *Ibidem.* num.4
Vxor diligitur ex priuilegio? §. 205. num. 4. p. 251

Charitatis radio multitudo peccatorum operitur. §.225. n.2. &c. p.271
Spiritus-ſanctus,quia amor eſt,nuſquam *ſedere* dicitur? §.225.n.4 p.271.272
Diligere eum, qui dubius eſt de noſtro in eum amore,eximia Amoris exaggeratio eſt.§.237. n.2. & 3. p. 83. 284
Amoris vulnus, idem qui ſanat, facit. §.256. n.1. p.309
Ex Amore lamenta pulchrè concinnantur.*Ibid.* n.2. p.309
Pater filium Prodigum, non cùm dimittit, ſed cùm amanter excipit,tunc deplorat? §.256. n.3. p.309
Amor lacrymas elicit. *Ibidem*.n.4.p.309
Rem cupitam non per vicarios,ſed per ſeipſum exequi,magni Amoris character eſt. §.259. n.1. & 2.&c. p.312. 313
Spiritus-ſanctus, quia Amor eſt, Angelus, id eſt, nuncius, non appellatur. *Ibid.* num.3. p.312
Diuinus Amor oſtenditur, quia Deus non per alios, ſed per ſe, mundum redemit? §.259. n.4. p.312. 313
Aſpectu ad trinam negationem,ardentiùs Petri amor ſufflammatur. paragr.292.n.2.p.358
Delinquendi olim temeritas, ſit nunc diligendi officina,& fomes Amoris. *Ibidem*.num.3. pag. 359
Cùm plus Amoris à Petro exigitur, ſeculare nomen opportunè refricatur. paragr.292. n.4.& 5. p 359
Pulchra femina venuſtatis præſtigio, te odij negotiatur amorem. paragr. 330. n.2. & 3. p.399
Concordia,venuſtas iuſtorum eſt,quæ diuinum allicit amorem. §.362.n 2.& 3.p.431
Sæpè cæleſtis ſponſus ſpecie repulſæ, acriùs ſuæ ſponſæ ſauciat Amorem. §.358.num.1. & 2. & 3. p.458. 459
Vide verbo, *Inimicus*, *Pax*, *Concordia*.

Angelus.

Angeli ante cælos non creantur,ne eorum oratio cælos parturire videatur? §. 1. n.1. & 2. & 3. p.20. 21
Angelorum nequam è cælo eiectio, fuit beatitudinis compendium? §.13.n.4.p.31
Angelus infirmatur viribus, terreno corpore apparenter aſſumpto? §.15.n.4.p.35
Quare Angelus in ſepulchro ſedere dicatur, Reſurrectionis magiſter? §. 45. num.3. pag. 65
Nomen primi, & ſecundi, Angelorum inquietaret concordiam? §.48.n.2.p.68
Vel Angeli ſpecie tenus corporati, bis in eodem veſpere pedes lauant. §. 116. num. 3. p. 146
Quia boni erant Angeli, ideò cunctanter peragunt Sodomorum ruinam. §. 180. num.3. p. 219
Lex Hebræis data per diſpoſitionem Angelorum,habet Angelos velut ad obſequium paratos. §.255.n.4.p.308
Spiritus-ſanctus,quia amor eſt, Angelus,id eſt, nuncius, non appellatur. paragr.259. n.3. p.312
Glorioſiſſimum fuit Angelo luctanti, Iacobo ceſſiſſe. §.271.n.3 p.327
Timétne Angelus in aſſumpto corpore mortē? §. 276. n.5. p.332
Silentio Angeli confortatur Chriſtus? §. 350. n.3. p.419
Angeli deſcendunt in terram, vt Deum inueniant, cui omnia tribuunt? §.354. num.4. p.423. 424
Cur Angelus matri Samſonis apparens, Terribilis dicatur. paragr.365.n.2.p.434
Illacrymat victor Iacob,quòd Angelum vicerit? §.381.n.2.p.450.451
Angelus in igne apparens, mutus eſt? §.394. n.3. p.465
Primâ mundi die creati ſunt Angeli, & non priùs. *In comment. Litter.* Benedict.1. n.11. & 12. p.5.6
Cur tacetur eorum creatio. *Ibidem*. numer.13. pag.6
Vide verbo, *Dæmon*.

Antiquum.

Vide verbo, *Nouum*.

Antiſtes.

Vide verbo, *Superior. Rex. Index.*

Apoſtata.

Nil tibi prodeſt,quod è religione diſcedas, ſi te tecum fers. paragr.249.n.1.p.301
Terra promiſſionis Patriarchis fuit peregrinatio, Prophetis patria, impiis pernicies, piis vmbra beatitudinis. *Ibid.*n.2.p.301
Expulſus è paradiſo, in paradiſum impudenter armatur. paragr.249.n.3.p.302
Si in teipſo ipſe non es, Deus in te non erit. *Ibid.* n.4. p.302
Ad ſubditos radicitùs extirpandos de virtutis plantatio, valde difficilem ſe præbeat religioſus ſuperior. paragr. 310. num. 2. & 3. p.377. 378

Apoſtolus.

Apoſtoli cùm ſe aduertunt imbecilliores, rem ambitionis tractant? paragr.44.n.2.pag.63. 64
Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtentatione, arctiùs ſibi Apoſtolos deuincit ſuos. paragr.98. n.2. & 3. p.128
Ioannes præ Apoſtolis fructificat, quia maiorem gloriam habebat apud homines? §.152. n.2. p.191. 192
Apoſtolorum ex virtute nobilitas. §.156. n.2. p.195. 196
Olim Apoſtolis intimatur,vt denuò fiant Apoſtoli? paragr.178.n.2.p.217
Apoſtoli vocantur, qui Apoſtoli erunt. §.201. n.3. p.247
Cur vetatur Apoſtolis, ne præmeditentur quid Tyrannis reſpondeant? paragr.268.num.2. p.323. 324
Apoſtoli (tunc rudes) oculis corporeis ſe ſpiritum videre putant, ne alienam gloriam credere cogantur? paragr.314.n.2.p.382
Apoſtolorum proceres ſunt Matthæi diſcipuli? §.324.n.4.p.392.393
Apoſtolos nuper incredulos, poſt increpationem, Fidei magiſtros Chriſtus conſtituit. §.395.n.2.p.466
Diſcipulorum in Paſſione deſertio,negat Chriſto diuinitatem? §.343.n.2.& 3.p.412.413

Appropinquare.

Vide verbo, *Abſens*.

Aqua.

Boni ſuperioris idea in aquis apparet; quæ vnum corpus conflat,æquale habet dorſum,

ipſa

ipſa ſe præcedit vrget,& ſequitur. §.60.n.2. & 3. p.80
De Chriſti latere aqua exiuit,vt mundaret;ſanguis, vt redimeret. §.61.n.4. p.81
Aquarum concordia Ægyptios perdidit. §.294. n.3. p.361
In aquis inurbana vrbanitas apparet. §. 324. n.4. p.392. 393
Veras aquas ſupra cælos eſſe adſtruitur: & reſpõdetur aduerſariorum argutiis. *In comment. Litter.* Benedict.1.n.37.& 38. & 39. & 40. & 41. p.12. 13
Quare aquarum expanſio non appelletur cælum. *Ibid.*n.42.p.13
Aquę non adſurgunt ſupra terræ globum.*Inibi.* n.44. p.13

Arcus cæli.

Vide verbo, *Iris.*

Arida.

Præpropere terra ſiccatur, & *arida* dicitur, ne vnquam non ſit vomeris patiens. §.57. n.2. p.77
Si terra emerſit,cur terræ nomen patitur naufragium? Ergo non terra,ſed *Arida* appelletur. §.58.n.2.p.78
Vide verbo, *Terra.*

Arrogantia.

Vide verbo, *Superbia*, *Ambitio.*

Aſtra.

Quænam ſint aſtra matutina, & veſpertina? §.28. n.4. & 5. p.48
Aſtrorum elogium eſt,quod etiam tempore non ſuo luceant. §.65 n.4.p 86
Aſtra dum præter terræ neceſſitatem influunt, auguſtioribus titulis honorantur. §. 68. n.2. p.88. 89
Aſtra interſtincta magis æſtimamus. §.134.n.3. p. 164
Aſtra ſplendidiùs fulgent,cùm agnatum fulgorem inuiſa diſſimulant. paragr.179. num.1. & 2.&c. p.215.216
Glorioſiſſimum eſt lucidioribus aſtris, aliis cedere. paragr.271.n.1.p.326
Aſtra matutina occaſui proxima,pluſquàm noctu prælucentia Deo placent. paragr. 274. num.1. p.330
An aſtra circumagantur ab innatâ aliquâ qualitate? *In Comment. Litter.* Benedict. 1. n.36. p.11. 12
Aſtra ſunt æqua portio ignei elementi, adhuc retinens formam ignis. *Ibid.* num.50.& 51. pag. 15

Aſtutia. Verſutia.

Sublimior Poteſtas callidè aſtutos è candidè ſimplicibus elaborat. paragr.198. n. 2. & 3. p. 244
Inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum? §.200.n.2. p.246
Gubernator ne ſit tam candidè ſimplex, vt ſemel videatur totus. paragr.203. n.2. & 3. pag. 249
Quos Aſtutia parat honores, vix ad honores computantur. §.250. num.2. & 3. pag.302. 303
Vide verbo, *Simplicitas.*

Atheus.

Ægyptius populus, cui omnia Deus, Atheos cenſetur. §.4.n.2.p.23

Attrahere. Allicere.

Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtentatione, arctiùs ſibi diſcipulos ſuos deuinxit ad ſequelam. paragr. 98. n.2. & 3. p. 128
Sæpè cæleſtis ſponſus ſpecie repulſæ, acriùs ſuæ ſponſæ ſauciat amorem. §.388. num.1. & 2. & 3. p.458. 459
Mundialia bona piè etiam derelicta, auidiùs ad ſui amorem alliciunt. paragr.140.n.1. & 2. p.177. 178

Auaritia.

Vide verbo, *Diuitiæ.*

Audax. Auſus.

Humana imbecillitas piæ audaciæ conceptaculum eſt. paragr.138.num.2.& 3.pag.175. 176
Audacia,de præuio timore armatur: neſcit audere,qui timere neſcit. paragr.195.n.2. & 3. p.241
Audaciſſimè vel impoſſibilia intentamus, ne videamur deſiſtere à propoſito, quod ſemel in animum irruit, & opere inchoatum eſt. §.197.n.2. & 3.p.243

Augurium.

Supra caput habere delicta, infauſtum omen eſt. §.22.n.2 p.42.Et §.43.n.2.p.63
Iuramentum pacis, fuit bellorum augurium? §.396.n.4.p.468

Auctor.

Opus alioqui præcelſum, auctoris vilitate decreſcit,deuenuſtatur,viloſcit. paragr.222.n.1. & 2. &c. p.268
Vide verbo, *Liber.*

Auctoritas.

Auctoritatem conciliare delictis, magnum ſcelus eſt,magno luendum. paragr.47.n.2. &c. p. 67
Præpoſitorum zelus, ne totus ferueat pro ſuâ tuendâ auctoritate. paragr.245.num.2.& 3. p.297. 298
Conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias offenſas velut ignorare videtur. §.288.n.2.& 3.p.354.355
Patientia,delegata à Deo fungitur auctoritate. §.383. n.4. p.453

Aulicus. Palatinus.

Principem eſſe, & effuſiùs laudari, antiqua ſynonyma ſunt. paragr.313. n.2. p 381
Aulici laudatores in ſe culpam reiiciunt, ne principem damnaſſe videantur. *Ibid.* num.3. p.381. 382
Aulici doctores, id eſt, collegium amicorum, duntaxat à Principe Abimelecho conſuli dicuntur. paragr.356.n 2.p.425
Mirúmne eſt, Iacobum in Regis aulâ tantiſper commoratum,patrię cæleſtis non fuiſſe oblitum? paragr.389.n.2.p.459.460
Regiæ aulæ pericula. *Ibid.* num.1.& 3. p.459. 460
Aulæ regiæ felicitas, quam communis ambitio ſuſpirat,inimicorum vota ſunt. paragr.390. n.1. & 2. & 3. p.460. 461
Vide verbo, *Curia. Rex.*

Auris. Auditus. Inaures.

Auditus radiis ſolis illuminatur? §.35. num.2. & 3. p.55
Aurium narratione credenda non eſt delictorum inquiſitio? §.40.n.2.&c.p.60

Qui inaurem vnam Superiori donat, non donat vtramque. §.263.n.2.p.316.317
Manus, ac ſi auritæ forent, inauribus ad obſequium ornantur. *Ibid.*
Ne Principis latus & aures, vnus aut alter vindicet ſibi. §.357.n.2. & 3.p.426.427

Aurum.

Idemne eſt vincula aurari, ac diſſolui? §.278. n.4. p.335

Auſtriadum domus.

Cur menſa propoſitionis in Auſtriadum domũ vergit. §.345.n.1.p.414
Auſtriadum vrbes & orbes Euchariſtiæ alligantur. *Ibid.*n.2. p.414
Euchariſtia eſt menſa regalis curiæ. §.345.n.3. p.414. 415
Auſtriadum milites hauriunt cum Euchariſtiâ trophæa. *Ibid.*p 414.415

B

Baſis.

CÆlum eſt Baſis vniuerſi? §.14.n.2.p.34
Officium cuiuſque, eſt eius Baſis. §.133. n.1. p.162

Beatitudo. Beatorum gloria.

Cæli gloria in Transfiguratione oſtenſa, non publicatur, ne præ ſublimitate incredibilis videatur? paragr.12.n.2.p.32
Viſa in Thabore gloria, adhuc manet myſterium. *Ibid.*n.3.p.32
Viuamus ſucco radicis æternæ, ne areſcamus. §.12.n.4.p.32.33
Angelorum nequam è cælo abſentia, fuit Beatitudinis compendium? §.13.n.4.p.33
Pro veſtitu pauperi donato, in cælo redonatur lucida veſtis, quæ tranſit in corpus. §. 145. n.3. p.184
Captiuitatem ſoluere, præ empyreâ gloriâ cenſetur? paragr.223.n.3.p.269
Prænius labor & induſtria, paradiſo & Beatitudini impenſa, vtriuſque delicias facit gratiores? paragr.279.n.2. & 3. p.335.336
Rapienda ſunt cæli bona, vt de pio furti lenocinio dulciùs ſapiant? paragr. 316. num.1. & 2. &c. p.384
Peccatores in cælum, quaſi in locum alienum intrant? *Ibid.*n.3.p.384
Rapiamus cæli bona inteſtati parentis. §. 316. n.4. p.384

Bellum Prælium.

Vix cum aliquâ gente, bella Abrahamidum plura legimus, quam cum Palæſtinis, cum quibus perpetuum fœdus Abrahamus iniuit. § 164.n.2 p. 203.204. Et §.396.n.4.p.268

Benedictio.

Bonum opus, Benedictio diei eſt. paragr.50. num.4. p.70
Semi Benedictio, fuit ſublimior Dei ſui gloria. paragr.131.n.2.p.160.161
Perfectionis diuinæ piè ſuperba æmulatione, primum cæli locum exambiamus. §.199.n.2. & 3. p.245
Benedictio Eſaü eſt fratri ſeruire? §.224. n.4. p. 270
Cur Iacobus ſuam Benedictionem ſilentio abſcondat? §.250.n.2.p.302.303
Benedictio in bonis mundialibus, parùm à maledictione differt. §. 252. num.2. pag.304
Nepotes tantùm, quos non vidit pueros, Iacobus Benedictionibus auget ſupra reliquos. §.253.n.2.p.305.306
Rerum mundialiũ Benedictione, Iſaacus ſuum Eſau ad virtutem ſtimulare ſatagit. §. 262. n.2. p.315. 316
Dies Sabbati otio deſtinata, Benedictione eget. paragr.326.n.3.p.395
Notificatio indolis, paterna Benedictio eſt. paragr 295 n.4.p.466
Præmonere & reprehendere, aliena non ſunt à paternâ Benedictione. *Ibid.*n 3.p.466
Quid *Benedicere*, & *Benedictio* ſignificet, latè traditur in explicatione *tituli huius Operis.* n.4. p.42
Nouiſſima Iacobi verba, vaticinia potius quàm Benedictiones ſunt. *In comment. Litter. Benedict.*6. n.1. &c. p.342

Beneficium.

Beneficium beneuolentiùs exhibitum, largitori perſæpè inſidiatur. paragr. 10. n.1. & 2.&c. p.30. 31
Beneficium præſtamus perſpecto bono, quod nobis placeat. paragr.33.num.2. & 3. & 4. p.53. 54
Beneficij loco habenda eſt perſecutio, exinde amicitias conciliat. paragr.226. n.2.p.272
Infelix eſt, cui beneficia detrahere, maius beneficium eſt. paragr.253. n.3.p.306
Beneficiorum nomina Ioſephus inſcripſit in tenellâ filiorum carne. paragr.265. n.1. p.320
Vide verbo, *Gratitudo*, *Ingratitudo.*

Beniamin.

Beniamin neminem adorat, quia in eius ſorte templum erigitur? §.247.n.2.p.299

Berſabee.

Priùs eius infamia, quàm nomen auditur. §.17. n.4. p.37
Quare coniugium cum Berſabea, quàm adulterium, Dauidi exprobrat Propheta? §.43.n.5. p. 65
Pulchritudo Berſabee perplacet, dum ſordes abluit. §.293.n.1.p.359.360

Biblia.

Quietis otium, & hominum ingratitudo, Bibliorum ſtudijs adulatur. §.327.n.1.& 2.&c. p.395. 396
Iuuentutis audacia, feminarum garrulitas; nimis ſubtile, aut rude nimis ingenium, lectioni Scripturarum officit. §.341.n.1. & 2.& 3. & 4. p.409. 410

Bona terrena, & cæleſtia.

Viuamus ſucco radicis æternæ, ne areſcamus. §.12.n.4.p.32.33
Homo niſi cælo tanquam baſi nitatur, planè labaſcit. §.14.n.2.p.34
Fauori imputandum eſt, quod perſpectum bonum nobis placeat? §.33.n.2.& 3.p.53.54
Meræ, & abſolutę bonitati gratitudo noſtra debetur. §.34.n.1.&c.p.54
Mundialia bona, dum falſato ſemper aſpectu cernuntur in ſeipſis, conſpicua apparent: Cælum ſuſpice, vt Terram deſpicias. §. 67. n.1. & 2. &c. p.87. 88
Mundiale bonum in alio viſum, gratius apparet, quaſi placendi vſuram ab alienatione mutuetur. §.93. num.2. & 3. & 4. pag.113. 114.

Mentita

Mentita hominum imaginatio, mundialibus bonis nimis lenocinatur. §.94.n.2.& 3.& 4. p.115.116
Sublimius terræ faſtigium, minæ inſidiatur. §.132.n.2.& 5.p.161.162
Mundi bona,piè etiam derelicta,auidiùs ad ſui amorem alliciunt? §.140.num.1.& 2.p.177. 178
Mundialia bona aliquando arcanè blandiuntur virtuti,& pro meritis computantur? §.158. n.2.& 3. p.197. 198
Bonum quoduis ab æmuli poſſeſſione lacendi gratiam fœneratur. paragr.214.num.2.& 3. pag. 260
Felicior proſperitas vices cum infelicitate reciprocat. paragr.251.n.2. &c.p.304
Bona terrena aliquando ſtimulant ad virtutem. §.262.n.2. & 3.p.315.316
Rapienda ſunt cæli bona, vt de pio furti lenocinio dulciùs ſapiant. §.316.n.2.&c.p.384

C

Cadere.

Redige te ad parua, ex quibus cadere non poſſis. §.172.n.1.p.212
Christus duobus ſaltibus aſcendit,& numeratis gradibus deſcendit, in Matthæi genealogiâ. paragr.272. n.2. p.328
Deus ſcalam firmat, ne deſcendentes corruant? *Ibid.* n.3. p.328
Reproborum eſt, retrorsùm cadere,quia ibi cadunt, vbi non vident: Iuſtus autem in faciem ſuam cadit, quia ibi cadit, vbi videt. §.333. n.2. & 3. p.401. 402

Cælum.

Cælum formatum eſt ante Angelos, ne eorum precibus productum videatur? paragr.1.n.1. & 2. p.20
Cælos parturit oratio humana? *Ibid.*n.3. p.21
Cælum ſi immunificum foret,cæli nomen erubeſceret, ideò ante terram creatum non eſt. §.3.n.5.p.23
Cælum eſt mundi maioris, & minoris, id eſt, hominis baſis. paragr.14. n.2. p.34
Cælum etſi perfectum, adhuc perfici moraliſſimè dicitur. paragr.16. n.2.& 4 p.36
Cælum de terræ ſeparatione venuſtatur. §.15. n.2. p.35
Cæli defectus,ipſi ſe produnt,inuidiâ ſublimitatis. paragr.21. n.2.p.41
Primas tenebras Cælum terris oppandit. §.23. n.3. p.43
Vel Cælum ipſum ſubcæleſtium rerum obſcuritate ſplendores ſuos adornat? paragr. 27. n.2. & 3. p.46. 47
Quicquid habet potentiam vt ſit Cælum, Cælum dicitur? paragr.49. n.3.p.69
Geminatâ Dei voce Cæli produci dicuntur, ob ſublimitatis arrogantiam? §.51.n.2.p.71.72
Facile eſt Cælum creare, difficile verò Cælum reformare, & expolire Cælum. *Ibid.*n.3.p.72
Cælum,quia de alieno ornatur,non tam venuſtè,quàm terra ornatum eſt? §.63.n.2.p.81
Ante Cælum terra exornatur, ne omnibus prærogatiuis ſuperbiat Cælum. §.62.n 2. p.82
In Cælo, terræ ſqualor oculis cernendus eſt. Cælum ſuſpice cum Ignatio, vt terram deſpicias. paragr.67. n.2.p.87
Cælum dicitur, quod idoneè poteſt eſſe Cælum? §.89.n.1.p.109
Multæ putantur eſſe Cæli portæ; vna tamen inuenitur,ipſaque peranguſta. §.110.num.1. & 2. &c. p.139
Cęlum non dicitur quovſque ſegregetur à terræ contubernio. paragr.148.n.2.p.187.188
Nomina in Cælis ſculpenda ad omnem æternitatem. paragr.257.n.2.p.310
Nullum Cælum præter Empyreum,eſſe durum & ſolidum,ſed omnes Cælos eſſe fluxos,nec ab elemento aëris & ignis diſtinctos,adſtruitur. *In Comment. Litter.* Bened.1. num.31. & 32. &c. p.10.11

Cæcus.

Vide verbo, *Oculus.*

Cain.

Abelo præcurrit in oſtentatione virtutis. §.19. n.1.p.39
Alieno Caini priuilegio ſe tutum putat impius Lamech. paragr.5. n.3. p.74
Deſperâtne Cainus, quia Dei correptionem parricidio contempſit? paragr.104.n...p.134
Cainus ob Dei repulſam, non Deo, ſed Abelo iraſcitur. paragr.124. n.3.p.154
Vrbem primus ædificans, primæ ruinæ monimenta fundat. paragr.146. n.3. p.185. 186
Omne bonum cenſet Cainus, bonum ſingulare, quod eius æmulus poſſidet. §. 214. n. 2. pag. 260
Caini ira, eius reatum prodit. paragr.230. n.3. p. 276
Loco pœnæ parricidij, petitionis repulsâ mulctatur Cain? §.282.n.1.p.338
Cain Deum irritat,cùm ſe donis quaſi amicum inſinuat? §.300.n.1.p.367
Primus Cain munera Deo obtulit. *Ibidem.* p.367

Calamitas.

Vide verbo, *Labor.*

Calceus.

Eſto, Moyſes calceamenta deponat, nonne ſuper terram illa depoſuit? §.254. n.2. p.307
In rubo erat Deus, dum iuſſit, vt Moyſes per rubetum diſcalceatus incederet. *Ibidem.* pag.307
Nudas pedum plantas obſeruat, qui cæli gazas latrocinari piè ambit. paragr.339. n. 2. & 3. p.407. 408

Candidatus.

Vide verbo, *Ambitio.*

Captiuus.

Captiuis Hebræis nec gemere licet, nec Deum orare iuuat. §.125.n.2. & 3. p.154.155
Captiuitatem ſoluere, præ empyrea gloria cenſetur? §.223.n.3.p.269
Dira ſeruitus libertati de oppreſſione affinis eſt. §. 224 n.2. & 3. p.270
Captiuitas Babylonica inter Christi progenitores recenſetur? §.321.n.2.p.389

Caput.

Supra caput habere delicta, infelix omen eſt. §.43. n.2. p.63

Carcer.

Carcer,certiſſimum facultatum naufragium eſt, & reorum præda. §. 379. num.1. & 2. & 3. p.448. 449
Vide verbo, *Vincula.*

Caro. Corpus.

Caro humana è matrice terrâ naſcitur imbecilla. §.15.n.1.p.34

Angelus infirmatur viribus, terreno corpore apparenter aſſumpto? §.15.n.4.p.35

Caro noſtra eſt humanæ ſuperbiæ cenſus. §.44. n.3. p.64

Vel Angeli ſpecie tenus corporari, his in eodem veſpere pedes lauant. §.116.n.3. p.146

Pro veſtitu pauperi donato redonatur lucida veſtis, quæ tranſit in corpus. §.145. num.3. p.184

Caro progenitorum vernat in ſobole. §.317. n.3. p.385. 386

Caſtitas.

Conſtuprata caſtitas, virginitatis ambit priuigia. §.54.n.4.p.74

Præceptum non fornicandi, ſolis ceremoniis ſatis hodie impletur? paragr.182. n.2. &c. p.221

Caſtitas obſequentis, obſequio adulatur. §.289. n.2. & 3. p.355. 356

Qui ſemel à caſtitate deſciſcit, totâ ſuâ vitâ libidini ſeruit. §.290.n.2. & 3. p.356.357

Caſtitas, poſt lapſum inſigniter reſtaurata, fœlix eſt luxuriæ ſuffragio? paragr.318.n.4. & 3. & 2. p 386. 387

Vide verbo, *Virginitas*, & verbo, *Luxuria*.

Catena.

Vide verbo, *vinculo*.

Cedere.

Valde illuſtre eſt, illuſtriori & lucidiori cedere prælucendi gloriam. paragr.271. n.1.p.326

Generoſior extitit Zara, victoriam fratri cedendo, quàm ſi victor extitiſſet. *Ibi.* n.2.p.326. 327

Glorioſiſſimum fuit Angelo luctanti, ceſſiſſe Iacobo. paragr.271.n.3.p.327

Cenſor.

Nemo non benignus eſt ſibi ipſi cenſor. §.297. n.2. & 3. p.363 364

Ceremonia.

Caſtitatis præceptum hodie ceremoniis conſtat? paragr.182.n.2.p.221

Character.

Superioris præceptum, diuinæ voluntatis character appellatur. paragr.103.n.1.p.133

Bonum exemplum ſpectatoribus characterem imprimit. paragr.170.n.2.p.210

Charitas.

Vide verbo, *Amor*, *Amicitia*.

Chriſtus.

Chriſtus dum magis beneficus oſtenditur, plenitudo diuinitatis nuncupatur. §.3.n.3.& 4. p.22. 23

Quare Verbum diuinum priùs dicatur Ratio, quàm omnipotens. §.6.n.3 p.27

Glorificationis Chriſti initium, fuit Iudæ diſceſſus ab eius contubernio? §.13.n.2. & 3. p.33

De Chriſti fimbriâ *imprudenter* ſperatur ſalus? §.15.n.5.p.35

Chriſtus ignoratione meliùs cognoſcitur? §.26. n.1. p.46

De Chriſti latere aqua exiuit, vt mundaret; Sanguis, vt redimeret. paragr.61.n.4. p.81

Num gratiam ſuam donat Chriſtus, vt compenſet mortis iniuriam? §.62.n.4.p.82

Chriſtus non lauat Petri manus, ne videatur cedere Phariſæis obmurmurantib': *Non lauans manus?* §.69. n.2. & 3. p.90

Chriſtus dicitur Mundi decus ex virginitate humilium. §.88. n.3. p.109

Sublimitatis alienæ appetitu, Diabolus Chriſtum ſuperare præſumit. §.93.n.4 p.114

Imaginatæ gloriæ illecebris Chriſtum Diabolus tentat, quò potentiùs illum alliciat. §.94. n.3. p.115. 116

Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtentatione, arctiùs ſibi Diſcipulos deuinxit ſuos. §.98. n.1. & 3. p.128

Chriſtus deliciatur in Cruce cum vxore Eccleſia. §.115.n.1.p.145

Quare turbatur Chriſtus, cùm ſe imitandum proponit? §.122.n.2. p.151.152

Chriſtus eſt appoſita forma, cui imprimamur. *Ibid.* n.3. p.152

Chriſtus multâ Diſcipulorum turbâ comitatus, abeuntibus Phariſæis, ſolus manſiſſe dicitur. §.136. n.3. & 2. p.173. 174

Chriſti anima, ſeu ſpiritus, homo dicitur? §.136. n.4. & 5. p.174

Non auaritiæ ſtudio Chriſtus in paupere eleemoſynas captat. paragr.145. n.1.p.184

Prima Chriſti gloria occultatur, ne ſcandalizet. §.153.n 3.p.193

Cur in Chriſti natiuitate accenduntur cæli faces; in morte, olim accenſæ extinguuntur? §.154 n.1. & 2. p.193. 194

Chriſti præſentia quàm faciat ſtrenuos Chriſtianos athletas. §160.n.3. & 4. p.200

Non habet Chriſtus quid dicat, vt declinet Patris mandatum? §.181.n.2. p.220

Ioannes in deſerto Chriſtus putatur: Chriſtus in vrbibus vix Ioannes habetur. §.191. n.4. p.238

Sacerdotis titulo aſcendit Chriſtus in cælum? §.209.n.4.p.255

Dæmon Chriſtum decipere tentat, ſeſe inferendo in humanam eius iuriſdictionem? §.244. n.1. p.296

Chriſtus etiam dum reus eſt, ſuæ iuriſdictionis amplitudinem aduerſus Pilatum tuetur. *Ibid.* n.3. p.296

Chriſtus non ſedet ad Patris dexteram, niſi iubente Patre? §.246.n.1.p.298

Eſtne patientia, Chriſti Dei principium? §.251. n.3. p.303. 304

Chriſti virtus, improbabilis fit Nazaræis, qui ipſum puerum aliquando viderunt? §.253. n 4. p.300

Eſtne Ieſu nomen Chriſto Deo ſubſtantiale? §.265.n.2.p.320

Chriſtus duobus ſaltibus aſcendit, & numeratis gradibus deſcendit. §.272.n.2.p.328

Chriſtus munus implendi Scripturas, implet, & ſuperimplet. §.277. n.3.p 333

In ipſo mortis articulo Chriſtus ſupponit humerum ad portandum? §.277.n.5.p.334

Chriſtus Deus filij nomen Patri reſtituit in filiis. §.281.n.2.p.337

Chriſtus eſt Salomon, id eſt, pacificus: & eſt Roboam, id eſt, impetus. §.287. n.2.p.353

Quare Chriſtus velut ignorare videatur Iudæ proditoris offenſam? §.288. num.1. p.354. 355

Nihil Chriſtus ſcripſit veritus litteriorum cenſuras? §.305.n.2.p.372

Quia

Quia recentior apparuit Chriſti doctrina, non eſt poſtponenda doctrinæ Ioannis Baptiſtæ. §.306.n.4.p.373
Mitiórne eſt gehenna, quàm iratus Chriſti vultus. §.311. n.2. p.378.379
Humana Chriſti Dei natiuitas, auguſtam in progenitores reuerberat gloriam. §.317.n.2. & 3. &c. p.385. 386
Chriſtum Deum honeſtat mundialis nobilitas. *Ibid.* n.1. p.385
Chriſtus eſt noſtræ culpæ ſuccidaneus. §.318. n.1. p.386
Labores patienter tolerati, inter Chriſti Dei progenitores recenſentur? paragr.322. n.2. & 3. p.389. 390
Hilaritatem diuinitatis Chriſtus oſtendit in Euchariſtia? paragr.322.n.2.p.390
Negat Chriſtum eſſe Deum, qui Chriſtianas virtutes erubeſcit? paragr. 343. n. 2. & 3. p.412.413
Chriſtus iam iam moriens, ſe ſe hominum redemptioni deuouit. §.346. n.2.p.415
Silentio Angeli confortatur Chriſtus? §. 350. n.3. p.419
Chriſti Dei maieſtas ex eius humilitate cenſenda eſt? paragr.353.n.3.p.423
Ex Chriſti natiuitate, Dei cenſetur maieſtas? *Ibi* p.423
Chriſtus ſuæ victoriæ fructum hominibus tribuit. paragr 354. n.3. p.424
Chriſtus non ab hominibus, ſed à Patre petit, vt ipſe Chriſtus in nobis maneat? §.361.n.3. p.430
Chriſtus per concordiam ſui generis ad pacem peruenit Deitatis? §.362.n.2.p.431
Chriſtus infans faſciis dirigitur, vinctionibus formatur. §.380.n.3. p.449.450
Sitne patientia, Chriſti natura, & præſtantia ingenitæ proprietatis? §.383. n.3.p.453
Citiùs ex patientiâ, quàm ex miraculis Chriſtus agnoſcitur? *Ibid.* p.453
In Chriſto patiente, eius diuinitas magis impatibilis demonſtratur. §.383.n.2.p.453
Sæpè cęleſtis ſponſus ſpecie repulſę, acriùs ſuę ſponſæ fauciat amorem. §.388. num.1.& 2. & 3. p.458. 459
Matthæus ad ſui ſimilitudinem efformat Chriſti ſublimitatem? §. 92. n.2. p.462.463
Chriſtus adhuc viuus acerbè præſentit, ſacrum eius corpus poſt mortem lancinari? §. 397. n.2. p.468
Redemptionis negotium Chriſti Dei cadaueri quodammodo adſcribitur, ad gloriæ auctarium? §.398.n.2. & 3. p.469
Chriſtus Deus, Subſiſtētia ſuſtotum eſt? §.400. num.3.
Quomodo Chriſtus dicatur deſideratus à Gentibus, à quibus ignorabatur. *In comment litter. Bened.*6. n.14.p.346

Cibus.

Vide verbo, *Gula.*

Circumciſio.

Non cùm puer circumciditur, ſed cùm ſtetit ſanguis, Deus placatur, ne Moyſen interficiat? §.47. n.2.

Clericus.

Vide verbo, *Sacerdos*

Comitas.

Vide verbo, *Vrbanitas.*

Compaſſio. Miſeratio.

Bonus latro, quod ipſe patiebatur, acerbiſſimum putabat in Chriſto. §.221. n.3.p.267
Vide verbo, *Miſericordia.*

Concionator. Concio.

In oppidis etiam procul à regia Curiâ, enormiora Regum flagitia obiurganda ſunt, Ioânis adinſtar? paragr.84.n.4.p.104.105
Bona Euangelici concionatoris fama, Euangeliſtæ miniſterium adimplet? §.152.n.1.&c. p.191. 192
Ex concionatoris probitate, Euangelium cenſetur? paragr.154.n.3.p.194
Concionator qui Hæreticos conuertere ad fidem ſatagit; non tam errores è mente euellere, quàm voluntatis vitia extirpare procuret: nam inolita vitia, hæreſum officina eſt. §.264. *toto* §. p.317.318
Diuina electio, quem non inuenit dignum, facit. §.270.n.2. & 3. p.325.326
Ille efficaciter ſuadet, quem cùm videas, & cùm audias, idem eſt. paragr.351.n.1.p.420
Sterilis eſt Philoſophorum adhortatio; quia erumpit ex ſententia, non è vita. *Ibi.*num.2. p.420. 421
Paulini operis, potius quàm ſermonis eloquentia. paragr.351. n.3.p.421
Bonum opus, Dei verba maritat, ne ſint infœcunda perſuaſionis abortu. *Ibi* n.4. p.421
Sæcularis ſapientia, conſcientiæ gratulatur: & profana eloquentia balbutit ad diuina. §.352. n.2. & 3. p.421.422

Confeſſarius, Confeſſio.

Vide verbo, *Pœnitentia.*

Conjectura.

Vide verbo, *Iudicium.*

Coniux, Nuptiæ. Matrimonium.

Dauidis cum Berſabea coniugium magis quàm adulterium, cur Dauidi Propheta exprobrat? §.22.n.3.p.42
Quoniam vxor ſterilis erat, fœcundus Abraham ſterilis dicitur. §.166. n.3.p.206
Quàm timeat Sulamitis præuium ad principales nuptias examen. §.202. n.4. p.248
Vxor diligitur ex priuilegio? §.205.n.4.p.252
Proprium defectum non vidit vxor, quouſque illum in marito notauit. §.219. n.2.p.265
Ad nuptias idoneè conciliandas, Princeps pacis conſulitur. §. 239. n. 2. p.285
Vxor quantumuis efferum maritum edomat. *Ibi* n.3. p.285
Ioſephus diuinitatem aliquam ſpirans, congruè ducit Sacerdotis filiam. §. 239. n. 4. p.285. 286
Vxor eſt, ambitioſum mariti ſuffragium. §.240. n.1. p.286
Vxor eſt, os de oſſe, caro de carne viri; non anima de anima. *Ibid.*n.2. p.286
Inde Adam non audet ſua dicere, quæ ſcit non eſſe de terra. *Ibid.*p.286
Matrimonium Mariæ & Ioſephi, indiuiſibilem animarum coniunctionem operatur? §.240. n.4. p.286. 287
Mariæ & Ioſephi coniugium in virginitate deputatur? *Ibid.*n.5. p.287
Religioſiores ſunt mentium, quàm corporum copulæ. §.240.n.7.p.287
Virtutum coniugium magis quàm corporum. *Ibi* n.6. p.287

Circumſpectæ cautelę neglectus, in caſtâ etiam vxore, maritorum zelotypiam ſubornat. §. 365. n. 2. & 3. p. 434

Conſcientia.

Fides diuina à non bonâ conſcientiâ fictilis redditur? §. 264. n. 5. p. 319

Secularis ſapientia, conſcientiæ gratulatur: & profana eloquētia balbutit ad diuina. § 352. n. 2. & 3. p. 421. 422

Conſilium. Conſultores.

Non affectus, ſed ratio in conſilium aduocanda eſt. §. 80. n. 1. & 2. &c. p. 100

Principis nutus, Curialium Doctorum extorquet ſuffragia. §. 267. n. 2. & 3. p. 322. 323

Quàm ſint homines propriæ ſententiæ peramantes: quamuis ſæpè ſine riuali. §. 268. n. 2. & 3. p. 323. 324

Nemo quantumuis pius & ſapiens, ſuæ humanæ rationi tutò ſe credit. §. 269. num. 2. &c. p. 324. 325

Eximia laus canæ ſapientiæ eſt, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla. §. 342. n. 1. & 2. & 3. p. 411. 412

Regum dubiis tantùm reſpondet Collegium amicorum? §. 356. n. 3. p. 426

Ne Princeps falſa Conſultoribus proponat, vt eorum conſenſum extorqueat. §. 142. num. 1. p. 180

Conſolatio.

Vide verbo, *Funus.*

Conſortium. Contubernium.

Vide verbo, *Societas.*

Conſtantia.

Conſtantiam in delinquendo, in Dauide agnoſce. §. 51. n. 3. p. 71

Luna dicitur luminare minus, ob inconſtantiam præſidentiæ? §. 37. n. 4. p. 53

Qui in pietatis propoſito nunquam laſſeſcit, ad virtutis metam feliciter peruenit. §. 346. n. 2. & 3. p. 415. 416

Nil mali accidere viro bono poteſt, qui in viuente corpore viuas exequias mortificatione celebrauit. §. 385. n. 2. & 3. &c. p. 455. 456

Conſuetudo.

Dauid peccare aliquando adſuetus, viam iniquitatis à ſe amoueri ſatagit, non ſe à viâ amouere. §. 51. n. 3. p. 71

Contentioſus.

Homo contentioſus vel Deum faciet contentioſum? §. 338. n. 3. p. 407

Qui obſtinatè Dignitates recuſat, dignus eſt, vt Deus velut contentioſè cum illo agat, quò Dignitatem acceptet? §. 338. num. 2. & 4. p. 407

Contrarium.

Chriſtus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtentatione, arctius ſibi Diſcipulos deuinxit ſuos. §. 98. n. 2. & 3. p. 128

Cor.

Inter Cor & linguam, totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum. §. 200. n. 2. p. 246

Quæ Eſaü dixit in corde ſuo, Rebeccæ nunciata ſunt. §. 227. n. 2. p. 273

Corpus.

Vide verbo, *Caro.*

Correctio. Correptio.

Vide verbo, *Reprehenſio.*

Creatio. Creare.

Reges creare non poſſunt. §. 11. n. 4. p. 31

Cæli ob præſtantioris naturæ arrogantiam, geminata voce creati dicuntur? §. 52. num. 2. p. 71. 72

Credibilitas.

Beata cæli gloria in Thabore oſtenſa, non publicatur, ne videatur incredibilis? §. 12. n. 2. pag. 32

Credibiliórne eſt virtus occulta, quàm publicitus exhibita? §. 24. n. 1. & 2. & 3. p. 43. 44

Credibilitas ex indiciis tanti habetur apud homines, vt Euangelij fidem adſtruat? §. 38. n. 2. & 3. p. 58

Veritas per bonos etiam traduces linguarum & aurium, malignè ſerpit? §. 41. num. 2. & 3. p. 61

Magni operis credibilitatem, præuia operantis fama, celebri opinione mercatur. §. 153. n. 2. & 3. p. 192. 193. Et §. 154. n. 1. &c. p. 193

Nouitas credibilitati non præiudicat. §. 306. n. 1. & 2. &c. p. 373

Aliena gloria incredibilis eſt homini, qui ſuam nimis amat. §. 314. n. 2. & 3. p. 382

Crudelitas. Crudelis.

A crudelitate vindicatur Deus, cùm ſacerdotum flagitia punit. §. 208. n. 2. p. 253. 254

Dira ſeruitus libertati de oppreſſione affinis eſt. §. 224. n. 2. & 3. p. 270

Taciturnitas in homine offenſo, ſæpè crudelitatis comes & indicium eſt. §. 286. n. 1. & 2. &c. p. 352. 353

Vide verbo, *Iuſtitia*, & verbo, *Supplicium*, & verbo, *Tyrannus.*

Crux.

Chriſtus deliciatur in Cruce cum vxore Eccleſia. §. 115. n. 3. p. 145

Cur præſepio accenduntur cæli faces; & olim accenſæ, Cruci extinguuntur? §. 154. n. 1. & 2. p. 193. 194

Vide verbo, *Paſſio Chriſti.* Et verbo, *Redemptio.*

Culpa.

Vide verbo, *Peccatum.*

Curia Principum Metropolis.

Frequens & populoſa ciuitas, vt régni, ſic & vitiorum metropolis eſſe ſolet. §. 146. n. 2. & 3. & 4. p. 185. 186

Vir religioſus quaſi inquilinus peregrinetur in Regum Curiâ. §. 171. n. 1. & 2. p. 211

Dum è Curiâ exit, habilis putatur ad cælum. *Ibid.* n. 3. p. 211

Iſaacus qui depretiatur in Curiâ: extra Curiam à Regibus honoratur, & ſublimatur. §191. n. 2. p. 237

Euchariſtia eſt menſa regalis Curiæ. §. 345. n. 3. p. 414. 415

Vide verbo, *Aulicus.*

Curioſitas. Curioſus.

Curioſa obſeruatio in re humanæ genealogiæ, mendacij ſuſpecta eſt. §. 113. n. 2. & 3. & 4. p. 142. 143

Quantum prauitatis in alio curioſis oculis videris, tantùm in te alius reciproca pœna videbit. §. 117. n. 2. & 3. p. 146. 147.

D

Dæmon. Diabolus.

IMbecilluſne eſt Dæmon aduerſus Reges? §.11.n.3.p.31
Dæmonum è cælo eiectio, fuit Beatitudinis compendium? §.13.n.4.p.33
Dæmon Petro præcurrere ſatagit in Chriſti Dei confeſſionem? §.19.n.2.p.39
Dæmones à ſe facere experunt, quod alieno imperio coacti. facere exhorreſcunt? §. 86. n.2. p.106. 108
Sublimitatis alienæ appetitu, Diabolus Chriſtum ſuperne præſumit. §.93.n.4.p.114
Imaginatam proponit gloriam, quò potentiùs alliciat. paragr.94.n.5.p.115
Delicatior Diaboli cibus, ſunt luces extinctæ. §.188. n.5.p.235
Linguam ſub tecti ſerpentis mutuat Dæmon, vt ſæuiùs Dominum feriat. paragr.205.n.3.&c. p. 251
Iniuriarum memoria, Satan appellatur. §.231. n.3. p.278
Malúſne Dæmon aliquâ hominis beneuolentiâ euincendus eſt? paragr.205.num.2.p.251
Mœſtus, à Dæmone agitari dicitur. §.243.n.2. p.295
Dæmon Chriſtum deiicere intentat, ſe ſe inferendo in humanam eius iuriſdictionem. paragr.244.n.2 p.296
Mitior in hominem inimicus, eſt Dæmon; homò verò ſæuior & atrocior ſui hoſtis eſt. §.285.n.2. & 3. p.351. 352
Dæmon in nos, paſſiones noſtras iaculatur. §.285.n 3.p.352
Eſtne pia virtutis arrogantia, ferientem vitiorum vulnere, eodem telo referire? §. 334. n.2. &c p.402. 403
Obtuſi quidam homines, intellectum ſe debere Diabolo credunt. paragr.341.n.4.p.410

Damnatio.

Non eſt iuſtitia perfecta damnantis, niſi clementia præceſſerit corripientis? §.104.n.2. p.134
Improbitate prædicantis, Euangelium damnatur? paragr.154.n.3.p.194
Eſtne felicitas damnationis argumẽtum? §.252. n.4. p.305
Reus de indecoro crimine accuſatus, etiam abſolutus damnatur? paragr. 377. num. 1. & 2. & 3. p.446

Daniel.

In periculo prandet, qui extra periculum ſolet ieiunare paragr.112. n.3.p.142

Dauid.

Plus Saülem timet, poſtquam illi largiùs benefecit paragr.10.n.2.& 3.p. .o
Regia Dauidis dignitas, maior eſt quàm naturę? §.11.n.2 p.31
Dauid propter regiam dignitatem, è fratre minimo, fratrum maximus euadit? Ibid.num.5. p. 32
Dauid cum regno, vires in Dæmonem accepit? §.11.n.3.p.31
Cur non tam adulterium, quàm coniugium Dauidi exprobrat Propheta? §. 43. num. 3. pag. 63
Quia ipſe non declinat à via iniquitatis, iniquitatis viam à ſe amoueri ſatagit. §.51.n.3. p. 71
Dauid ſit Principibus, boni regiminis abſoluta idea. §.60.n.4.p.80
Philiſthæus videns Dauidem, illum ignorat, quia Principem videt? §.203.n.3.p.249
Dauidis manſuetudo, atrociores alit iras. §.287. n.4. p.354
Dauid eodem telo ferientem referit? §.334.n.2. p.402. 403
Præcelſa officij dignitas, paruulum Dauidem recudit in virum. paragr.355. n.4.p.425
Quare Deus Dauidem de pera ad purpuram, de virga ad ſceptrum aſſumit? parag.384. n.3. p. 454

Delator. Delatio.

Maleuolentiæ ingenium opus alioqui innoxium, crimen læſæ maieſtatis appellat. §.373. n.2. & 3. p.442
Indecori criminis accuſatio, aut infamem inuenit, aut facit. paragr.377. n.1. & 2. & 3. p. 446

Deliciæ.

Vide verbo, *Voluptas.*

Deſiderium.

In Manna non tam res deſiderata, quàm ipſum deſiderium editur. §.114.n.2.p.143.144
Deſiderium mortis, diutius viuendi arbitrium eſt. paragr.275.n.2. & 3.p.331

Deſperatio.

Deſperátne Cainus, quia poſt beneuolam correptionem, flagitium patrat? paragr. 104.n.3. p. 134
Deſperationem infamia procurat. paragr.127. n.2. &c. p.156. 157
Mors quæ inurbanè de tædio vitæ naſcitur, in ſui deſiderij ſepulcro tumulatur. paragr.275. n.1. & 2. & 3. p.331
Vltima neceſſitas, non ſit ſpei iactura, ſed fiduciæ conceptaculum. paragr.378. n. 1. & 2. & 3. p.447. 448

Detractio. Obmurmuratio.

Ante perſonam, perſonæ auditur infamia, aut ingenio detractionis, aut caſtigationis arbitrio. paragr.17.n.2 &c p.37
Deus à præſtabiliori parte, Detractor à deteriori, rebus nomina facit. §.49. num.2. &c. p. 69
Chriſtus non lauat Petri manus, ne detractoribus Phariſæis cedere videatur. §.69. num. 2. p. 90
Ægyptiacæ incantationes, Inſuſurrationes mortaliſſimè dicuntur. §.76. n.2.p.97
Idolis etiam detrahendum non eſt, ne detractioni aſſueſcamus. §.147.n.2. p.186.187
E multis maledicentibus, vnus duntaxat maledicitur, ne omne genus humanum maledicatur. §.207.n.2. & 3. p.253
Qui inimico muliebriter detrahit, eidem victoriæ pignus offert. §.217. n.2. & 3. pag.263. 264
Prelustris aliorum bonitas, & aſpectabilis nitor, Maledicorum linguas exacuit. §. 218. n. 2. & 3. p.264. 265
Quæ notamus in aliis ſcelera, noſtrorum notitiam ad nos reuerberent. §. 219. n.2. & 3. p.265. 266
Nulla librorum ſcriptio, vel in peritiæ ſtylo, ſati-

ſatis tuta eſt à vituperonum cenſu ? §.305. n.2. & 3. & 4. p.372
Detractorum ingenium, opus alioqui innoxiũ, crimen læſæ maieſtatis appellat. §.373.n.2. & 3. p.442
Ille eſt verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt;qui neque ad odium aliquid loquitur, neque ad gratiam. §.37. n.2. p.57
Vide verbo, *Lingua*.

Deus.

Dei beneficentia, plenitudo diuinitatis ſententioſè appellatur. paragr.3. n.4. p.23
Dominus, per beneficentiam quodammodo redditur Deus ? paragr.3.n.5.p.23
Qui plures Deos colit, nullum adorat. §.4.n.1. p.23
Ægyptius populus, cui omnia Deus, *Atheos* iure cenſetur. paragr.4. n.2. p.23
Opulenta Philoſophorum ſuperbia, plures fabricat Deos,ne vllum colat. *Ibid.*n.3 p.24
Philiſthæi qui vnum Deum formidant, plures vilipendunt. paragr.4. n.4. & 5. p.24
Cur Hebræi vnum vitulum, plures Deos appellent ? paragr.4.n.6.p.24
Deus in te etiam liberalitatis, iuſtitiam obſeruat,exemplari documento ? §.5.n.1.& 2.&c. p.25
Ad oſtentandos ſuæ iuſtitiæ rigores, cùm Deus acerbius punit,vnus plures nominatur ? §.7. n.1. & 2. &c. p.27. 28
Dei iuſtitia vices cum miſericordia reciprocat ? §.9. n.3. p.30
Res Dei aliqua nunc ignoratione meliùs cognoſcuntur ? §.25 n.1. & 2. & 3. p.44 45
Vſque adeò Deus noſter ſublimis eſt,vt videri niſi inuiſibiliter non poſſit ? paragr.26. n.2. & 3. p.45
Inſanus Hebræorum amor, diuinitatem multiplicat. paragr.36 n.3.p 56
Dei ſermo, voluntas eſt ? §.37.n.4.p.57
Deus eſt, *Qui eſt*, an, *Qui erit* ? §.47. num.4. pag.67
Deus à præſtabiliori parte, mundus à deteriori rebus nomina facit. §.49.n.2.& 3.p.69
Brutæ animantes arcano ſenſuum ingenio, Dei iuſſa percipiunt ? §.78.n.2. & 3. p.98.99
Sit Deus nobis velut noſtra mens,quo exactius in nobis Dei voluntas fiat. paragr.81. n.2. & 3. p.101
Deus debitor eſt ſuæ clementiæ, quaſi lege de humanitate latâ. § 90.n.3.p.111
Non tantùm Deus montium, ſed etiam Deus vallium eſt. §.91.n.4.p.112
Creaturæ poſtquam hominibus à Deo donatæ ſunt,gratiores Deo apparent ? §.95.n.1.& 2. & 3.p.116. 117
Deus in abſcondito punire ſatagit, quaſi iuſtitiæ ſuæ bonum erubeſcat ? §.109. n.1. & 2. & 3. p.138. 139
Cur Dei Filius, imago paternæ bonitatis dicitur ? §.118.n.3.p.148
Inter auguſta Dei elogia cenſetur, quod etiam non filiorum pater nominetur. §. 119. n.2. &c. p.148. 149
Quàm ſit arduum Dominum colere quaſi Deũ. §.128.n.2.p.158
Dei gloria, eſt ſumptuoſius Semi, & Ignatij præmium. §.131.n.2. & 3.p.160.161
Vel nomen Dei in Deo falſo, deſpiciendum non eſt ? §.147.n.2.p.186.187
Hominis obſequium, eſt artificium appropinquandi Deo. §.175. n. 1. & 2. & 3. p. 214. 215
Eſtne ſacerdotum,diuinitatis nota ? §.209.n.3. p.255
Tenuitas humana,niſi vitiorum nominibus digne de Dei clementia non cenſet ? §. 215. n.2. &c. p.261. 262
Deúſne ſub Aduerſarij nomine diligendus proponitur, ad Chriſtianæ pietatis redundantiam ? §.225.n.5.p.271.272
Si in te ipſo ipſe non es, Deus in te non erit. §.249.n.4.p.302
In rubo eſt Deus,qui Moyſi iubet,vt diſcalceatus in rubeto incederet : & hominem olim damnauit ad tribulos. paragr.254.n.2. & 3. p.307
Dei amor oſtenditur, quia Deus non per alios, ſed per ſe mundum redemit. §.259. num.4. p.312. 313
Quis ſit Deus, declarat rigor finalis iudicij. §.253.n.2.p.350
Cur Deus Cainum reiicit,dum primus omnium munera illi offert ? §.300.n.2.p.367
Irato Deo non credit Ionas. §. 301. numer.3. pag. 368
Eliæ zelum Deus reueretur. §. 301. numero 4. pag. 368
Deitatis hilaritatem Chriſtus oſtendit in Euchariſtiâ ? §.322.n 2.p.390
Sit homo Peripateticus Deo,Pythagoræus mũdo. §.323.n.4.p.392
Dei maieſtas ex Chriſti natiuitate cenſenda eſt. §.353.n.3. p.423
Humilitas profundè deſcendit,vt Deum inueniat,cui omnia tribuit. §.354. num.2.p.423. 424
Bona de Deo exiſtimatio, eſt ſanctificatio nominis Dei ? §.367.n.3.& 4. p.436.437
In Chriſto patiente,eius diuinitas magis impatibilis demonſtratur. §.383.n.2.p.459

Dies.

Dies à præſtabiliori parte, non à deteriori nomen habet. §.34.n.2.p.54
Dies non ab initio, ſed à fine, laudis elogium accipit. paragr.47.n.3.p.67
Bonum opus,integritas diei eſt;eiuſque redemptio,benedictio, & ſanctitas. paragr.50. n.2. &c. p.70
Dies Trinitatis,ter vnus eſt, & ſine veſpere nitens. §.51.n.4.p.71
Qui claram diem detractione vituperat, obſcuræ nocti parcit. paragr.218.n.2.p.264
Cur dies mundi ſeptima, non dicatur habere mane & veſpere ? §.234. n.2.p.280
Suus etiam deſtinatur dies rationi expiandæ. §.269.n.2.p.324
Dies ſabbati otio deſtinata, Dei Benedictione eget. §.326.n. .p.395
Pharao in die natalitio ſupputationem leuauit cum ſeruis ſuis. §.387.n.3.p.458

Difficultas.

Spontanea voluntas operantis, operis difficultatem exarmat. §.89.n.2.& 3. p.106.107
Difficilia, & furtiua bona, gratiora hominibus ſunt. §.316.n.1.p.384

Dignitas. Prælatio.

Regia dignitas ex natu minimo,natu maximum facit ? §.11.n.5.p 32

Quàm

Quàm ſolerter repudietur à magnis viris. §.157.n.1.p.196
Dignitatis repulſa, eſt Dignitatis meritum. *Ibid.* n.2. & 3. p. 96. 197
Prælatio callidè aſtutos è candidè ſimplicibus elaborat. §. 198. n. 2. & 3. p.244
Cur Petrus eligendus in Præſulem, ſeculari nomine nuncupetur? §.202.n.2.p.248
Præpoſitorum zelus, ne totus ferueat pro ſua tuenda Dignitate. §.245.num.2.& 3.p.297. 298
Prælatio ingenio negotiationis parta, vix ad honorem computatur. §.250.n.2.& 3.p.419
Obſtinata Dignitatum recuſatio, Deum velut contentioſum facit, vt illam ſublimet. §.338. n.2.&c. p.407
Præcelſi muneris Dignitas, ſæpè magnos viros, aut inuenit, aut facit. §. 355. n.1. & 2. &c. p.424. 425
Præfecti ſola cognatio, meritum eſt ad Dignitates? paragr.359.n.2.& 3.p.428.429
Quiſquis putat rempublicam eius peritia indigere, inidoneus eſt ad Dignitates. §.382.n.2. & 3. p.451. 452
Arrogantiam prælationis appendicem, priſtina quondam ſeculi vilitas, opportunè cohibet. §. 384. n.2. & 3. p.454

Dignus.

Ordo pro cuiuſuis merito, eſt cæli & terræ ornatus. §.27.n.3.p.47
Dignitatum repulſa, aut dignum inuenit, aut facit? §.157.n.1.& 2.& 3.p.196.197
Diuina electio, quem non inuenit dignum, facit. §.270.n.2. & 3. p.325.326
Indignus laude, laudandus etiam eſt, vt laude dignus laudari permittatur. paragr.275.n.2. & 3. p.329
Vide verbo, *Meritum*

Diſcipulus.

Homo fidelis, inidoneus infidelium diſcipulus eſt? paragr.45. n.4. p.65
Iam diu Chriſti Diſcipulis intimatur, vt denuò Chriſti fiant Diſcipuli? §.178. num.2. p. 217
Sic nonnulli ſuæ ſcholæ tenaciſſimè adhæreſcunt, vt veritati ab aliis inuentæ planè renunciarint. §. 40.n.2.p 409
Inde Chriſtus Ioannis Diſcipulos, Ioannis voce conuincere ſtudet. *Ibid.*n.3.p.409
Quia Phariſæi nullum poterant Chriſto crimen inferre, de Diſcipulis interrogāt. §.343 n.2. p.412
Præſtat vt ſenex, Diſcipulus fiat, quàm quòd inſcius ſit. §.371.n.1.& 2.& 3.p.440
Vide verbo, *Sapiens*, & verbo, *Doctrina.*

Diſertus.

Vide verbo, *Eloquentia.*

Diſſimulatio.

Diſſimulatio in Superiore, ſæpè ſubdito medicinam facit. paragr. 29. num. 2. & 3. & 4. p.48. 49
Splendidè fulget, qui aliquando adnatum ſplēdorem inuiſus diſſimulat. paragr.176. n.1. & 2. & 3. p.215. 216
Defectum, quem in nobis experimur, propriis laudibus diſſimulare præcurrimus. §. 258. n.2. & 3. p.311
Aliquando patientia impatientiam diſſimulat. §. 286. n.1. & 2. &c. p.352. 353

Conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias offenſas velut ignorare videtur. §.288. n.2. & 3. p.354.355

Diuitiæ. Opes. Auaritia.

Qui ſemel vni cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit. §.8.n.1. & 2. &c. p.28.29
Diuites & potentes, delicati ſunt ad iniuriæ ſenſum; & pauperculos & inualidos velut inſenſiles tractant. paragr.77. n.1. & 2. &c. p.97. 98
Mortis propius ſpectatæ meditatio, diuitiarum abdicationi blanditur. paragr.135.n.2. & 3. p.172. 173
Vt Dei vberrima gratia recipiatur, oculus à ſ e lucri auertendus eſt. §.141. num.1. & 2. pagin.179
Chriſtus in Matthæo non tam publicanum, quàm hominem videt? paragr.141. num.3. & 4. p.179
Iudæ auaritia Paſſionem impleuit? §.141. n.5. p. 180
Diuitiæ virtuti adridēt, non vt poſſideantur, ſed vt poſſeſſæ pro Chriſto repudientur. §. 142. n.2. & 3. & 4. p.180. 181
Diuitum probatur fides, miſericordiæ ſuffragio. §. 145. n.4. p.184
Pauperum inopia diuitem locupletat. *Ibidem* p. 184
Eleemoſynæ, viuæ opes dicuntur. *Ibid.* n.2.
Bona temporalia arcanè aliquando blandiuntur virtuti, & pro meritis computantur. §.158. n.2. & 3. p.197. 198
Fama diuitiarum, ſat diues cenſus eſt, famæ negotiatione. §.165. n.2. & 3. p.204. 205
Locuples cenſus, compendium honoris eſt. *Ibid.* n.2. p.204. 205
Iſaacus opibus & honoribus ſuum Eſaü ad virtutem ſtimulat? §.262. num.2. & 3.p.315. 316
Maligna cognatorum auaritia, de cognati funere ſibi animitus gratulatur, ob hereditatis ſpem. paragr.296.n.2. & 3.p.363
Carcer eſt Diuitiarum naufragium, & reorum præda. §.379.n.1.& 2. & 3.p.448.449
Regum vel de ſuperfluis cura, regias opes comparat. §.387.n.1. & 2. & 3. p.457.458
Diuitiæ, ſunt hominis manus, & humeri. §.178. n.2. & 3. p.334
Brachiorum vincula, dum inaurātur, diſſoluuntur. §. 278. n.4. p.335
Vide verbo, *Paupertas.*

Doctor.

Vide verbo, *Sapiens*, *Doctrina.*

Doctrina.

Hæreticorum voluntas vitiis cænulenta, per mentem hæreſes euaporat. §.264.toto p.317. 318
Priſca ſapientia ſolo antiquitatis titulo de opinione diu poſſeſſā non præſcribit. §. 306. p.373
Cauendum eſt, ne dum litterati mutua vlciſcuntur odia, fidei cauſam ſe tueri ſimulent. §.307.n.1.p.374
Chriſtus audit hæreticus, quia quod ſentiunt Phariſæi, ipſe non docet. §.307.n.2.p.374
De ſchola pacis & concordiæ erudienda eſt Chriſtiana ſapientia. §.31.n.1.& 2.&c.p.50

Dolus.

Vide verbo, *Aſtutia*

Dominus. Herus.

Domini nomen, obſequium, & amorem auertit. §.128.n.1. & 3. p.158

Dominus pro ſeruo ſanitatem rogans, exorator eſt. §.130.n.2.p.159.160

Domini pro famulis cura, cum ſublimiori liberalitate contendit. *Ibid.*n.3.p 160

Odia ſubditorum in Dominum. §.205.n.2. c. p.251

Qui fratri ſeruit, vnus plures ſeruus eſt, multiplici ſubiectus ſeruitute. §.206.num 2.& 3. p.252

Nemini ſeruire quam omnibus imperare, gratius eſt. §.223.n.2. & 3. p.269

Dira ſeruitus libertati de oppreſſione affinis eſt. paragr.224. n.2. & 3. p.270

Cibatio quandam ſeruitutis notam inurit. §.386.n.4.p.456.457

Donum.

Vide verbo, *Munus. Liberalitas.*

Dubitatio.

Sciolus quiſque, vel de dubitatione ſuâ ſic arroganter præſumit, vt illam ad ſui ingenij famam perpetuare procuret. §.298.n.2 & 3. p.364. 365

E

Eccleſia.

CHriſtus deliciatur in Cruce cum vxore Eccleſia. §.115.n.3.p.145

Eccleſia habeat inaures in manibus, ſicut Rebecca. paragr.264 n.7.p.319

Eccleſia pro templo, vide verbo, *Templum.*

Elatio.

Vide verbo, *Ambitio. Superbia.*

Electio. Electores.

Sciant Electores, quod qui de ſuo, etſi modicè ornatur, vt terra, adſcititios cæli fulgores æmulari poteſt de præſtantiæ merito. §. 63. n.1. & 2. &c. p.83. 84

De honoratis benemeriti ſtipendiis, homo inferioris meriti honeſtandus eſt; ne ille arroganter turgeat, hic tabeſcat ſqualidè. § 64. n.2. & 3. p.84. 85

Quiſquis vltrò ſe Electoribus ingerit, ſuſpectus ſit. §.70.n.2. & 3. & 4 p.91

Velis, & ſenties, quod ſentire velis. §.76.n.1. & 2. & 3. p.96. 97

Non affectus ſed Ratio aduocetur in conſilium. §.80. n.2. & 3. p.100

Præſul eligendus, ætatis, eruditionis, & meritorum indiget ſuffragio. paragr.83. num.1. & 2. & 3. p.103

Sciant Electores, quod non Dignitatum ambitio, ſed fuga & repulſa, meritum eſt ad Dignitates. paragr.157.n.2. & 3. p.196. 197

Affectus ſic Rationem ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum videatur. paragr.190. n.2. & 3. p.236

Præambulum Electorum examen, priùs trutinet merita candidati. paragr.202.n.2.& 3.p.248

Vel ſuperuacua commemoratione oportet Electi æmulum honorare. paragr. 216. num.3. pag.262. 263

Mera grandior ætas in Electionibus reprobanda eſt. §.261.n.2. &c.p.314

Abiectis primo genitis, natu minimos Deus eligit. *Ibid.*

Diuina Electio, quem non inuenit dignum, facit. §.270. n.2. & 3. p.325. 326

Quod in conferenda Meſſiæ dignitate, Senatores cognati erga Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ob obſequij exaggerationem. §.295.n.2. & 3. p.361.362

Sciant Electores, quòd Candidatus, qui ſe ſolum putat idoneum ad præcelſum munus, illud faſtidire ſolet: ſecus ſi ſciuerit, alios æquè idoneos cenſeri. §.329.n.2.& 3.p.398

Eleemoſyna.

Qui vltra neceſſitatem dat, gloriæ ſuæ id donat, beneficentiæ probatione. §.68.n.1.& 2.&c. p.88. 89

Eleemoſyna eroget etiam, quod quis habere poteſt. §.89.n.2.p.109

Quod Eleemoſyna donat, viuæ opes dicuntur. §.145. n.2. p.184

Argentum quod Eleemoſyna dat, nunquam minuitur. *Ibid.* p.184

A paupercula viduâ panem poſcit Elias, ne viduæ vnquam iuge deſit panarium. §. 143. n.2. p.182

Deúſne miſericordiam ſuam ſolis miſericordibus præſtat? *Ibid.* n... p.182

Eſtne humana miſericordia, miſericordiæ diuinæ menſura? paragr.143.n.4.p.182

Vltra quam quiſque poteſt, Eleemoſynas erogare debet? paragr.144.n.1.p.182.183

Panem eſurienti frangere, arcanum ieiunium eſt. *Ibid* n.2.p.183

Pauper primò victum prouidet aliis, deinde ſibi, ne à benignitate exors ſit. §.144. num.3. p.183

Paupertas benignitatem, quam in alios ciet, in ſe negotiatur. *Ibid.*n.4.p.183

Non auaritiæ ſtudio Chriſtus in paupere Eleemoſynas captat. §.145. n.1.p.184

Eleemoſyna, pia furacitas prædicatur. *Ibid.*n.2. p.184

Pro veſtitu pauperi donato, redonatur lucida veſtis, quæ tranſit in corpus? §.145.num.4. p.184

Diuitum probatur fides, miſericordiæ ſuffragio. *Ibid.* p.184

Pauperis inopia diuitem locupletat. §.145.n.4. p. 184

Pauper eſt redemptionis occaſio? *Ibid.*p.284

Manus pauperis gazaphylacium eſt Chriſti. §.145. n.4. p.184

Eleemoſynæ vitam colorant. *Ibid.*

Pauperes permittit Deus, ne propriæ redemptionis occaſio hominibus deſit? §.161.n.3. p 201

Eleemoſyna ſeculo rapit, quod in cælo reponat. §.316.n.2.p.384

Elegantia.

Vide verbo, *Eloquentia.*

Elementum.

Vide verbo, *Terra*, & *Aqua*, & *Aër*, & *Ignis*, & verbo, *Cælum.*

Elias.

Elias ad communem famem damnatur, vt eſurientem populum congruè alat. §.92.num.3. p.113

Se contrahit & minorat, vt puero adæquetur? §.44. n.4. p.64

Elias à viduæ eleemoſynam petit, nequid vnquam viduæ deſit. § 142. n.2.p.180.181
Eliæ poteſtas, nimis cedendi auara eſt? §.244. n.4.p.296.297
Elias quærebat mortem, dum mortem fugiebat. §.275.n.2.p.331
Elias de manu mulieris mortem fugit, de manu Dei mortem petit. paragr.330.n.2.p.399
Deus Eliæ alimentum ſuppeditans, eum à ſententia ſiccitatis deiicit. paragr.376. num. 2. pag.445

Eloquentia.

Quod Moyſes Pharaoni perſuadere deſperat, inflictæ plagæ arcanè perſuadent. §. 126. n.2. & 3. p.155. 156
Homo præ cognato faſtu, interrogatione citiùs quàm exerta ratione ſæpe ſuadetur. §. 210. n.1.&c. p.256
Lingua rhetori quiduis eſt. paragr.348.num.1. p. 417
In locum eloquentiæ, Virga miraculorũ Moyſi ſubrogatur. paragr.348.n.2.p.417
Timetur ne eloquentia ſibi arrogeт publicati Euangelij glorias? *Ibid.*n.3.p.417
Arcana ſilentij vis, & ingenium acutè elimat, & eloquentiam concinnè elaborat. §. 349. n.2. & 3. & 4. p.418
Silentio etiam ſua ineſt arcana eloquentia, quâ eleganter ſuadet. paragr.350. n.2. & 3. &c. p.419. 420
Vitæ, quàm linguæ eloquentia, potentior eſt ad virtutis ſuadelam. paragr.351.num.1. & 2. &c. p.420. 421
Secularis ſapientia, conſcientiæ gratulatur; & profana eloquẽtia balbutit ad diuina. §.352. n.2. & 3. p.421.422

Epiſcopus.

Vide verbo, *Sacerdos. Superior.*

Eremus. Deſertum.

Toto diuinioris omnipotentię adniſu opus eſt, vt homo non per viam Philiſthinorum, ſed per deſertum, ad terram promiſſionis pergat? §.51.n.2.p.70.71
Solitudo ad perfectionis neceſſitatem Religioſum conſtringit? paragr.139.n.3.p.177
Iſaacus, qui depretiatur in Curia, in ſeceſſu à Regibus ſublimatur. paragr.191.n.2.p.237
Ioannes in deſerto Chriſtus putatur: Chriſtus in vrbibus, vix Ioannes cenſetur. *Ibid.*n.4. p. 238

Error.

Rei præſentis error, ſæpè blanditur futurorum peritiæ. paragr.186. n.2.p.232
Excelſum opus prouidentiæ diuinæ, per errorem humanum fieri debebat? paragr. 187. n.2.& 3. p.233
Hæretici experunt à Prophetis, vt errores videant. paragr.264.n.2. & 3. p.317.318
Quicquid in aliorum doctrinâ nobis moleſtiam exhibet, non eſt putandus error. paragr.307. n.5. p.374

Eſau.

Loco regni datur Eſaü, excutere ſubiectionis iugum. paragr.46.n.3.p.66
Vnus Eſaü, multiplex Iacobi ſeruus eſt. §.206. n.2. & 3. p.252
Benedictio Eſaü eſt, fratri ſeruire. paragr.224. n.4. p.270
Iſaacus opibus & honoribus ſuum Eſaü ad virtutem ſtimulat? §. 262. n.2. &c. p.315. 316

Eua.

Saporem videt concupiſcentiæ oculis. §. 79. n.3. p.100
Proprium defectum non videt Eua, quouſque ſimilem in Adamo videt. §.219.n.2.p.265
Adam vbi vxorem ſuam mortis ſententiam incurriſſe vidit, eam Euam, id eſt, vitam appellat. paragr.358.n.2. p.311
Exarmauit ſe Eua, Dei voce Diabolo credita. §.341.n.2.& 3. p.410

Euangelium. Euangeliſta.

Significat etiam donum, quod bonum afferenti nuncium dari ſolet. paragr.107.n.1.p.136
Humana genealogia in Biblijs non deſcripta, Euangelium non eſt. paragr.113.n.2. & 3. & 4. p.142.143
Opus non peragit Euangeliſtæ, qui bonam famam miniſterio prædicationis nõ adiungit? §.152.n.3.p.192
Euangelium prædicatoris improbitate damnatur? paragr.154. n.3.p.194
Qui ad doctrinam addit exemplum, dignitatem Euangeliſtæ æmulatur. §.170.n.3.p.210
Euangelizatur reipublicæ non boni ſacerdotis interitus, etiam cum ingenti ipſius populi iacturâ. paragr.208.n.2.p.254
Ruth è Boozi pedibus ad caput Euangelij transfertur. paragr.353.n.2.p.422.423
Serpentem non bonæ famæ rumuſculum ſiſtere, fuit primus Euangeliſtarum labor? §.367. n.2. &c. p.436. 437

Euchariſtia.

A candore eam dignè accipientis, Euchariſtia candicat. paragr.322.n.1.p.390
Chriſtus in Euchariſtia hilaritatem diuinitatis oſtendit? *Ibid.*n.2
Cur dominicum corpus Reſurrectio conſecrare dicitur? paragr.322. n.3. p.390
Quare menſa propoſitionis in Auſtriadum domum vergit? §.345.n.1.p.414
Auſtriadum vrbes & orbes, Euchariſtiæ alligantur. *Ibid.*n.2. p.414
Euchariſtia eſt menſa regalis curiæ. §.345.n.3. p.414.415
Auſtriadum milites hauriunt cum Euchariſtia trophæa. *Ibid.*p.414.415
Datur præmium in cibo, vt reſpondeat præmium pugnæ. *Ibid.* p.414.415

Exemplar.

Vide verbo, *Idea.*

Exceſſus.

Sic excedunt humanum captum perfectiones diuinæ, vt de eis, niſi vitiorum nominibus dignè loqui non valeat? §.215. num.3.&c. p. 261

Executio.

Verba præuia, executionem faſcinant. §.1.n.1. & 2. &c. p.21
Rem cupitam non per vicarios, ſed per ſeipſum exequi, magni amoris character eſt. §.259. n.1. & 2. p.312
Vide verbo, *Opus. Operator.*

Exemplum.

Iudæ abſentia à Chriſti contubernio, glorificationis Chriſti initium fuit? §.13. n.2. & 3. p. 33

Nequam Angelorum è cælo eiectio, Beatitudinis compendium eſt? *Ibid.* n.4. p.33
Impiorum contubernium peſtilentiariam malitiam pris moribus exhalat. §.148.n.1.& 2. &c. p.187. 188
Bonum exemplum velut characterem ſpectatoribus imprimit. §.170.n.2.p.210
Virtutem aliis impertit. *Ibid.* n.4.
Qui videt bonam alterius vitam quaſi hereditario iure illam in ſe exprimit. paragr. 170. n.4.p.210.211
Qui ad doctrinam addit exemplum, dignitatem Euangeliſtæ æmulatur. paragr.170.n.3. p. 210
Exemplum præcipientis, vigor præceptionis eſt ad ſequelam. §.255.num.1. & 2. &c.pagin. 424
Sterilis Philoſophorum adhortatio eſt, quia erumpit ex ſententia, non è vitâ. §.351.n.2. p.420. 421
Paulini operis, potiùs quàm ſermonis eloquentia. *Ibid.* n.3.p.421
Bonum opus, Dei verba maritat, ne ſint infœcunda perſuaſionis aborſu. §. 351. n.4. pagin. 421

Exilium.

Nequam Angelorum è cælo exilium, Beatitudinis compendium eſt. §.13.n.4.p.33
Cain mundi exul, primus vrbem condit. §.146. n.3. p.185. 186

Expectatio.

Vide verbo, *Spes.*

F

Fabula.

Genealogia, quæ non eſt deſcripta in Bibliis, fabula dicitur. §.113. num.4.&c. p. 143

Fama.

Bona hominis iuſti fama, aſſertrix virtutis eſt, eique dignitatem filij Dei impertit. §. 151. n.2. & 3. & 4. p.190. 191
Bona Euangelici præconis fama, Euangeliſtæ miniſterium adimplet. §.152.n.1. & 2.& 3. p.191. 192
Opus non ex ipſius merito, ſed ex fama operantis, taxari ſolitat. §.153. num.2. & 3.Et §.154.n.1.&c.p.193.194
Fama diuitiarum, ſat diues negotiatoribus cenſus eſt. §.165.n.2.& 3. p.204.205
Terrenum monimentum, quo ſuum nomen cũ fama perpetuare, mortales procurant, æternæ obliuionis prophetia eſt. §.257.n.2. & 3. & 4. p.310. 311
Bonæ famæ officina, concordia eſt. §.284.n.2. & 3. p.350. & 351
Serpentem non bonæ famæ rumuſculum ſiſtere, fuit primus Euangeliſtæ labor? §.367. n.2. &c. p.436. 437
Bona de Deo exiſtimatio, eſt ſanctificatio nominis Dei? §.367. num. 3. & 4. pag.436. 437

Fames.

Fames inobedientiam procurat. §.386.num.1. & 2. & 3.&c. p.456
Vide verbo, *Ieiunium*, & verbo, *Eleemoſyna*, & verbo, *Gula.*

Familiaris regius. Priuatus.

Sublimius faſtigium ruinæ inſidiatur. §. 132. n.2. & 3. p.161. 162
Mortuo Ioſepho Regis familiari, filij Iſraël illuſtriùs creuerunt. §.184.n.2.p.222
Qui ſemel cadere incipit, gradiendo, non præcipitando deſcendere, rarum priuilegium eſt. §. 272. n.2. & 3. p.328
Regius familiaris nil ſibi poſtulet. §.282. n.3. p.338.339
Regius familiaribus ſumptuoſior poteſtas olim conceſſa. §.356. n.1. p.425
Priuatus regis Abimelechi, & poſſidet Regem, & eſt collegium amicorum. *Ibid.* num.2.pagin.425
Priuatus regum olim, erat Præfectus etiam gynæcei? *Ibid.* p.425
Dubiis Abimelechi regis duntaxat reſpondet Priuatus, id eſt, collegium amicorum. §.356. n.3. p.426
Ioſephus Pharaonis Priuatus, erat velut pater regis, réxque eius pupillus? *Ibid.* num.4.pagin.426
Rex Pharao omnia permittit Ioſepho, tantúmque Regis nomen ſibi ſeruat? §.356.num.5. p. 426
Pharaonis Priuatus, erat Regis amicus neceſſarius. *Ibid.* n.4.p.426
Ne Principis latus & aures, vnus aut alter vindicet ſibi. §.357.n.2. & 3. p.426.427
Attentius Rex ſuo regno conſulit, quàm fidentior Priuatus. §.358.num.1.& 2.& 5.p.427. 428
Regij familiaris gratia, ſententioſè *Lutoſa* dicitur. §.360.n.2.p.429
Regij familiaris poſteritas, ita eſt auitæ potentiæ. §.360.n.3.p.429
Regum gratia, vitrea eſt; faciléque periclitantur, qui Principibus famulantur. §.390. n.1. & 2. & 3. p.460. 461

Famulus.

Vide verbo, *Dominus*, & verbo, *Seruus.*

Felicitas.

Deus felices vberius felicitat, ad ſuæ beneficentiæ oſtentationem. §.68.n.3.&c.p.89
Sublimior felicitas de honeſtamentis tributaria eminet. §.72.n.2. & 3. p.93
Mentita hominũ imaginatio, mũdialibus bonis nimis lenocinatur. §.94.n.2.&c. p.115.116
Felicitatẽ annunciare, delati boni nuncij remuneratio eſt. §.107.n.1. & 2. & 3.p.136.137
Sublimius faſtigium ruinæ inſidiatur. §. 132. n.2. & 3. p.161. 162
Humeris Abrahamus donatur, vt promiſſam felicitatem toto pondere incumbentem, ſuſtineat. *Ibid.* n.3.p.162
Mundialis aliquando felicitas, arcanè blanditur virtuti, & pro meritis computatur? §. 158. n.2. & 3. p.197. 198
Quiſquis occaſionem virtutis rapit, inopinatam inuenit felicitatem. §.361.n.2.p.431
Sæpè homo felicitatem periculi ſui timet. §. 194. n.2. & 3
Omni feritur plagâ, qui ſuum æmulum felicem videt. §.213.n.2.&c.p.259
Felicior fortuna vices cum aduerſa reciprocat. §. 252. n.2. & 3. p.304. 305
Felicior proſperitas, argumentum damnationis eſt? *Ibid.* n.4. p.305

Feliciórne

Feliciórne fortuna, virtuti aliquando militat? §.262.n.2.&c.p.315.316
Aliena felicitas incredibilis eſt homini, qui ſuam nimis amat. §.314.n.2. & 3.p.382
Mundialis felicitas, ſententioſè *Luteſa* dicitur. §.360.n.2.p.429
Principum felicitas appellatur, Flos temporis. §.400.n.4.p.472

Fœmina.

Vide verbo, *Mulier.*

Fides.

Vt fidem faciant ſenſus, per extranea obiecta arcanè peregrinantur. §.35. num.2. &c. pagin.55
Fides ex indiciis, non ſit indubia, & velut Euãgelium. §.37.n.2. & 3.p.57
Veritas per bonos etiam traduces linguarum & aurium, malignè ſerpit. §.41. num.2. & 3. pag.61
Fides vera ab infidelibus ediſcenda eſt? §.45. n.4. p.65
Quare fideles, Abrahæ dicantur filij. §.47.n.3. p.67
Diutium probatur fides, miſericordiæ ſuffragio. §.145.n.4.p.184
Fide potiùs, quàm ſpe, vera amicitia conſtat. §.150.n.2.p.189.190
Rara ſecretorum fides eſt. paragr.227. & 228. p.273. 274
Cauendum eſt, ne dum mutua vlciſcimur odia, rectæ fidei cauſam nos tueri ſimulemus. §.307.n.1.& 2.& 3.p.374.375
Nuper infideles, poſt opportunam reprehenſionem, fidei magiſtri conſtituuntur. §.395.n.2. p.466
Vide verbo, *Credibilitas.*

Fiducia.

Vide verbo, *Spes.*

Filius.

Quare pacifici, filij Dei appellentur. §.31.n.5. p.51
Bonus filius ad tegendos patris defectus, toto pietatis ingenio, ſedulus incumbit. §.118. n.2. & 3. p.147.148
Inter auguſta Dei elogia cenſetur, quòd etiam non filiorum pater nominetur. paragr.119. n.2. &c. p.148. 149
Parentes, qui pro tuendo filio vltra vires non audent; & viuo filio parentum nomen perdunt, & ſuperſtite vtroque parente filius nominatur pupillus. paragr.129. num.2. & 3. p.158. 159
Vberior & officioſior eſt gratia, quæ in bono patre filiis condonatur. paragr 97 n.2. & 3. p.127
Parentum amor, qui vltra vires non audet, fugitiua charitas appellatur. §.129.n.3.p.159
Bona virtutis fama, nomen filiorum Dei, Iuſtis tribuit. paragr.151.n.2.& 4.p.190.191
Filiorum rixæ, dirè parentes exacerbant. §.234. n.3. & 4. p.280
Parentes in tenellâ filiorum carne, diuina deſcribant beneficia. paragr.265.n.1.p.320
Iehouah nomen filiat nomen Ieſu, auguſta filiatione? paragr.266.n.2.p.321
Auguſtum Ieſu nomen arcanè Ieſuitis filiatur. *Ibid.*n.3.p.321.322
Chriſtus Deus filij nomen Patri reſtituit in filiis? paragr.281. n.2. p.337
Parentum caro originali iure vernat in filiis. §.317.n.3.p.385.386
Filij priuatorum, rei ſunt auitę potentiæ. §.360. n.3. p.429
Paterna Filiorum increpatio, emendationis prophetia eſt? §.395.n.4.p.466
Vide verbo, *Parens.*

Finis.

Non fauſtum operis initium, ſed conſummatio & finis, illi de perfectione gratulatur. §.47. n.2. &c. p.67
Laudandus eſt homo, in fine, non in vitæ initio. paragr.96.num.2. & 3. &c. pag.117. 118
Finis lucendi, cenſus diei eſt. §.47. numero 3. p.67
Vide verbo, *Incipere*, & verbo, *Mors.*

Firmamentum.

Nomine *firmamenti* non poteſt Terra intelligi. *In Comment. litter.* Benedict. 1. numero 50. p.10
Nil ſolidum ſignificari vbertim traditur. *Ibid.* n.31. & 32. &c. p.10.11
Vide verbo, *Cælum.*

Fomes.

Reges geminato & naturæ & dignitatis velut fomite inſtigantur ad malum? §.84.n.2.&c. p.104

Fortuna.

Vide verbo, *Felicitas.*

Frater.

Qui fratri ſeruit, vnus plures ſeruus eſt, multiplici ſubiectus ſeruitute. §.206.num.2 & 3. p.252
Benedictio Eſau eſt, fratri ſeruire. §.224.num.4. p.270
Præcoque fratrum rixæ, dirè Rebeccam exacerbant. §.234.n.3.& 4.p.280
Arcana Dei electione primus fratrum reperitur, qui erat nouiſſimus. §.261. n.2. &c. p.310. 311
Generoſior fuit Zara, fratri victoriam cedens, quàm ſi victoriam reportaſſet. §.271. n.2. p.326. 327
Vnius fratris purpurâ, ſeptuaginta alij fratres fulgent. paragr.284. n.3. p.351
Simeon & Leui fratres dicuntur, non tam ſanguinis; quàm malitiæ cognatione. §.294. n.2. p.360. 361
Iſmaël adducitur ad Iſaaci immolationem, ne fortè alius, qui frater non foret, illam impediret. paragr.296.n.2.p.363

Fructus.

Non tantum ſuo, ſed omni etiam tempore fructificandum eſt. paragr.65.num.2.& 3.p.85. 86
Quod fructum non facit, neque arari, neque excoli dicitur. §.166.n.2.p.205.206

Fuga.

Parentum amor, qui ſupra vires non audet, Fugitiua charitas appellatur. paragr. 129. n.3. p.159
Fugitiua honorum humilitas eleganter deſcribitur. paragr.157.n.1.p.196
Honorum fuga, eſt meriti prærogatiua. *Ibid.* n.2. & 3. p.196. 197
Qui aduerſarios fugit, illis arcanè parcit. §.236. num.2.

Elias querebat mortem,dum mortem fugiebat. §.275.n.2.p.331
Vita hominis, mortis fuga dicitur. §.276.n.5. p.332
De diſcipulorum fugâ Chriſtus accuſatur? §.343.n.2.p.412

Funus.

Diuturnus defunctorum planctus futuram calamitatem prophetat? §.399.num.2.p.470. 471
Defunctum plorare,qui incipit, luctum conſummauit. *Ibid*.n.3.p.471
Nimia pietas in defunctos, impietatis ſuſpecta eſt? §.399.n.4.p.471
Mortuorum amicus, inuidus. *Ibidem*.num.4. p.471
Inurbana cognatorum auaritia, de cognati funere ſibi animitus gratulatur. §.296.num.2. & 3 p.363

Furtum. Fur.

Solis radij, aquæ marinæ furaces ſunt. §.61. n.2. p.81
Eleemoſyna, pia furacitas prædicatur. §. 145. n.2. p.184
Suendi artem non abſque furacitate dedicauit Adamus? §.220.n.2.p.267
Tobiæ vxor ſartoriam exercens, furti ſuſpecta fuit? *Ibid*,n.3.p.26 .267
Rapienda ſunt cæli bona, vt de pio velut furti lenocinio dulcius ſapiant. paragr 316. n.1. & 2. p.384
Peccatores in cælum, quaſi in locum alienum intrant? *Ibid* n.3.p.384
Rapiamus cæleſtia bona inteſtati parentis. §.316 n.4.p 384
Nudas pedum plantas obſeruat, qui cæli gazas latrocinari piè ambit. paragr.339. n.2. & 3. p.407 408
Carcer, certiſſimum faculcatum naufragium eſt, & reorum præda. paragr 379.n.1. & 2. & 3. p.448. 449
Ob regalium miniſtrorum furacitatem,regnum bellis ſæpè tumultuat. paragr. 396. num.4. p 468

Futurum.

Deus eſt, *Qui erit?* §.47.n.4.p.67
Rei præſentis error, ſæpè blanditur futurorum peritiæ. §.186.n.2.& 3. p.232
Non tam ex præſenti, quàm ex futuro rerum ſtatu, totius hominis titulatur elogium. §.201.n.1.& 2. & 3. p.247

G

Gaudium. Lætitia.

PRæcedentem depuliſſe moleſtiam, eſt humani gaudij voluptas.§.46.n.2.& 3.p.66
Humani gaudij ſequela,mœror eſt. paragr.238. n.2.& 3. p.284.
Lætis datur ſpiritus propheticæ, non mœſtis. §.243.n.3.p.295
Gaudij felicitas,& infelicitas triſtitudinis,vices reciprocant? §.252.n.1. p.304.305
Chriſtus in Euchariſtia hilaritatem diuinitatis oſtendit? paragr.312.num.2. & 3. pag.379. 380

Gehenna. Infernus.

Igneus gehennæ color, qui in inde apparet,eſt vitandæ gehennæ felix auſpicium. §. 105. n.3. §.135
Flamma illa rationalis,damnati oſſa iure rogat. §.126.n.1.p.156
Lingua maledicentis in re genealogiæ,à gehenna inflammatur. §.207.n.4.p.253
Triſtitia ad inferos deducit. paragr.2. 3.num.4. pag.295
Mitiorne eſt gehenna,quàm iratus Chriſti vultus? §.311.n.2.p.378.379

Genealogia.

Humana genealogia, quæ non eſt in Biblijs, Euangelium non eſt. §.113.num.1.& 2.&c. p.142.143
Lingua maledicentis in re genealogiæ, à gehenna inflammatur. §.207.n.4.p.253
In Chriſti genealogiâ,labores patienter tolerati recenſentur. §.321.n.2.p.389

Generoſitas.

Vel ipſa obſequiorum ſubmiſſione in ingenuis elucet generoſitatis ſcintilla. §.315.num.2. & 3. p 383
Vide verbo, *Nobilitas.*

Gloria Dei.

Semi, Pauli, & Ignatij præmium, eſt illuſtrior Dei gloria. paragr.131. num.2. & 3. p.160. 161
Humilitas profundè deſcendit, vt Deum inueniat,cui omnia tribuit. §.354.n.2. pag.423. 424

Gloria inanis.

Nil inani gloria difficilius. paragr.59. num.1. p.79
Leuis terræ puluiſculus,terræ humerus ſententioſè appellatur. §.59.n.4.p 79.80
Virginitatis lampadem aura vanitatis extinguit. § 88.n.4.p.109
Gloria inanis nimis ambitioſum fatigat.§.155. n.2. & 3. p.194. 195
Mundi gloriæ plus additur,dum timetur.§.157. n.2. p.196. 197
Aliena gloria incredibilis eſt homini, qui ſuam nimis amat. §.314.n.2. & 3. p.382
Sat gloriæ eſt honorum cupidis, ſi eum potiſſimis comparentur. paragr.328. n.2. & 3. p. 397
Medianus honor ab illum habente,magni æſtimatur. §.392.n.4.p.463

Gratia.

Gratiæ faſtus eſt, hominem ſanctitate perfectum, adhuc perficere. §.52. n.2. &c. p.71. 72
Cùm Iuſtus labitur, Dei gratia valdè dehoneſtatur? §.52.n.5.p.72
Gratiæ donandæ cauſa, eſt compenſare mortis iniuriam? §.62.n.4.p.82
Vberior & officioſior gratia datur filiis in bono patre. §.97.n.2. & 3. p.127
Gratiæ ſtatim obtemperandum eſt:melius enim quæritur perdita Euangelij drachma, in obſcura nocte, quàm poſtea in clara diei luce. §.159 n.1.& 2.& 3.p.198.199
Chriſti gratia ex irrationabilibus rationales facit? §.269.n.3.p.324.325
Ioannes Baptiſta ingratus naſcitur in naturam, vt totum ſe debeat gratiæ. paragr.327. n.4. p. 396
Vel muta labiorum apertio,obſtetricante indiget

get gratiâ, ne faciat verborum aborſum? §.347.n.2.& 3.p.416

Gratitudo.

Fauori imputandum eſt, quod perſpectum aliorum bonum nobis placeat? §.33. numer.1. p.53

Meræ & abſolutę bonitati gratitudo noſtra debetur. §.34.n.1.&c.p.54

Alicuius rei prohibitio, ad reliquarum præbitorem agnoſcendum manuducit. §.99.num.2. & 3.p.129

Futura gratitudo, præſentis conſeruandæ gratiæ, artificium eſt. §.165.n.2.& 3.p.203

Exlex gratitudo eſt. paragr.228.n.3.p.174

Beneficiorum nomina Ioſephus inſcripſit in tenellâ filiorum carne. §.265.n.1.p.320

Studiiſne aliena gratitudo officit? paragr.327.n.4.p.396

Res, & modus benefaciendi, eſt menſura gratitudinis alienæ. paragr.392.n.3.p.463

Gula. Cibus.

Eoſdem cibos & homini præſidenti, & ſubiectis animantibus aſſignat Deus. paragr.92.n.2.p.113

Elias ad communem famem damnatur, vt eſurientem populum congruè alat. *Ibid.*num.3.p.113

Delicatior Diaboli cibus, ſunt luces extinctæ. paragr.188.n.4.p.234

Præfectorum eſculenta abundantia, vrbanè ſuadet attentiorem erga alendos ſubditos prouidentiam. §.376.n.1.& 2.& 3.p.445

Dum Superior cibat ſubditos, eorum alit obſequium. paragr.386.n.1.& 2.&c.pag.456.457

Cibatio quandam ſeruitutis notam inurit. §.386.n.4.p.456.457

Qui vili cibo alebantur in ſeculo, delicias in Religione expetent? §.393.n.4.p.464

Quare carnes poſt diluuium conceſſæ ſint ad eſum. *In Comment.* Bened.2. n.4 p.122

Vileſcit quod comeditur? *Ibibi.* Cur prohibetur eſus ſanguinis cum carne. *Ibid.* num.7. p.123

H

Hæreticus. Hæreſis.

Voluntas vitiis cænulenta, per mentem Hæreſes euaporat. §.264.n.1.p.317

A prophetis expetunt, vt videant, quod ipſis placet, & eorum delictis adulatur. *Ibid.*n.2. p.317.318

Expetunt etiam vt errores videant. paragr.264. n.3.& 4 p.318

Fides diuina à non bonâ conſcientiâ, fictilis redditur? *Ibid* n.5.p.319

Hęretici credentes in Chriſtum, credentes quoque errant? paragr.264.n.6.p.319

Itaque non tam excęcata mens, quàm voluntas vitiis inſoleſcens, hæreſeos conceptaculum & officina eſt. §.264.*per totum*.p.317.318

Inde Eccleſiæ, ſicut Rebeccæ manus, inauribus ornandæ ſunt, quod erit opportunum hæreſibus amuletum. *Ibid.*n.7.p.319

Hæreticus, lucifuga Scripturarum appellatur. §.266.n.5.p.322

Ne quiſquis moleſtiam exhibet, in hęreticorum numero habeatur. §.307.n.1.p.374

Chriſtus audit hæreticus, quia quod ſentiunt Phariſæi, ipſe non docebat. *Ibid.*n.2.p.374

Negat Chriſtum eſſe Deum, qui Chriſtianas virtutes erubeſcit? paragr.345.num.2.& 3. p.412.413

Hebræi.

Dum vnum Deum timent, plures contemnunt. §.4.n.6.p.24

Hebræus populus vni cupiditatis idolo ſeruiens, pluribus ſeruit. paragr.8.n.1.& 2.&c. p.28.29

Hebræus populus mortuo Ioſepho illuſtriùs creſcit. paragr.183.n.4.p.222

Ægyptij inuidēt Hebræis, quibus contemptim illudunt? paragr.374.n.2.p.443

Heli.

Heli niſi de cæli lumine illuſtratus, ſubcæleſtia lumina non videt. paragr.14.n.3.p.34

Nec videt lucem niſi extinctam. paragr.33. n.3.p.53.54

Non bene filios ex relatione corripit. §.40.n.4. p.60

Hereditas.

Inurbana cognatorum auaritia, de cognati funere ſibi animitus gratulatur, ob ſpem hereditatis. §.296.n.2.& 3.p.363

Vide verbo, *Diuitiæ.*

Hiſtoria.

Prophetiæ ſpiritu opus eſt, vt quæ quis aure excepit, fideliter referat? paragr.41.num.3. pag.61

Neceſſariúſne eſt Prophetiæ ſpiritus ad hiſtoriam retroacti æui verè narrandam? §.304. n.2.p.371

Vide verbo, *Veritas*, & verbo, *Mendacium.*

Homo.

Homo cælo, cælique rationibus tanquam baſi nitatur. §.14.n.3.p.34

A matrice terra homo imbecillus naſcitur. §.15. n.1.& 2.p.34.35

An quia homo incomprehenſibilis ab homine eſt, imago Dei dicitur? §.25.n.4.p.45

Homo de carnis vilitate ſuperbit. §.44.num.3. p.64

Vt homo terram ſtudioſius excolat, de terra formatur. §.56.n.3.p.76

Homo arbor inuerſa eſt, & quæ omni tempore fructificare debet. §.64.num.1.& 2.&c. p.84.85

Sit Deus velut hominis mens, quò exactius in eo Dei voluntas fiat. §.81.n.2.& 3.p.102

Homo non in vitæ auſpicio, ſed in mortis clauſula, dignus laude cenſetur. Ideò Adamus non laudatur. §.96.n.2.p.117

Homo ingenuus grauatè fert, fieri legibus vectigalem. §.100.n.1.p.130

Homo cui diuinum præceptum imponitur, diuini honoris humanus arbiter conſtituitur. §.102.n.2.& 3.p.152

Vel Angeli ſpecie tenus corporati, bis in eodē veſpere pedes lauant. §.116.n.3.p.146

Homines non dignè æſtimant viros magnos, niſi cùm extinguuntur. §.134.n.3.p.264

Chriſti anima, ſeu ſpiritus, homo arcanè appellatur. §.136.n.4.& 5.p.174

Humana imbecillitas, piæ audaciæ conceptaculum eſt. §.138.n.2.& 3.p.175.176

Hominis, qui nuper præ diuino amore langue-

bat protinus languet amor,& laſſeſcit propoſitum. §.162.n.2.& 3.p.202
Hominis menſura patientia eſt. §.251.num.3. p.303. 304
Quàm ſint homines propriæ ſententiæ peramantes, etiam ſine riuali. §. 268. n.2. & 3. p.323. 324
Nemo quantumuis pius & ſapiens, ſuæ humanæ rationi tutò ſe credit. §.269. num.2. pagin. 324
Chriſti gratia ex irrationalibus rationales facit? *Ibid.* n.3. p.324.325
Mitior in hominem inimicus, eſt Dæmon;homo verò ſæuior & atrocior ſui hoſtis eſt. §.285.n.1. & 2. & 3. p.351.352
Homo nimis benignus ſui cenſor eſt. §. 297. n.2. & 3. p.363.364
Chriſtus non ab hominibus, ſed à Patre petit, vt ipſe Chriſtus in hominibus maneat.§.361. n.3. p.430
Inuidus,incertus homo eſt. §.372. num.4. pagin.441
Homo immodicus ſui æſtimator eſt.§.392.n.4. &c. p.463
An homo ſecundùm corporis lineamenta ſit Dei imago? *In Comment. litter.* Benedict.1. n.63. p.18. 19
In quo ſita eſt ratio diuinæ imaginis in homine: & an poſſit dici imago Dei. *Ibid.* n.62. & 63. p.18. 19

Honor.

Ambitioſiùs expetitur à vilioribus. §. 44. n. 2. & 3. &c. p.63.64
Peritus gubernator, ob commune ſubditorum bonum,honori ſuo cedat. paragr.74.num.2. & 3. p.95
Præcipientis honor, in obedituri arbitrio collocatur? paragr.102. n.3.p.132
Bona hominis iuſti fama, aſſertrix virtutis eſt, eique dignitatem filij Dei impertit. §. 151. n.1. & 2. &c. p.190. 191
Diues cenſus,compendium honoris eſt. §.164. n.2.p.203.204
Præfectura ingenio negotiationis parta, vix ad honorem computatur. paragr.250.n.2. & 3. p.302. 303
Beneuola multorum concordia, honoris officina eſt. §.284.n.2. & 3. p.350.b.351
Illuſtrior honos dum vindictâ recuperari ambitur,periclitatur egregiè.§.299.n.2.&c.p.365. 366
Sat gloriæ eſt honorum cupidis,ſi cum potiſſimis comparentur. §.328.n.2.& 3.p.397
Auguſtioris maieſtatis honos ex viliori humilitate cenſendus eſt. §.353.num.1. & 2.&c. p.422. 423
Præcelſi muneris dignitas, ſæpè magnos viros aut inuenit,aut facit. §.355.num.1. & 2.&c. p.424. 425
Serpentem non bonæ famæ rumuſculum ſiſtere,fuit primus Euangeliſtæ labor. §.367.n.2. &c. p.436
E propriâ ſubli mitate aliorum ſublimes honores metimur. §.392.n.2.& 3.p.462.463

Hora.

Vide verbo, *Tempus. Dies.*

Hoſpitalitas.

Abraham extorris ipſe, peregrinorum domus fuit, & patria. §.146.n.1.p.185

Hoſtis.

Vide verbo, *Inimicus.*

Humerus.

Humeris donatur Abrahamus, ad portandam Terræ promiſſionis felicitatem. §. 132. n.3. p.162
In ipſo ſuæ mortis articulo Chriſtus ſupponit humerum ad portandum? §.277.num.5.pagin.334
Hominũ manus & humerus, opes ſunt. §.278. n.2. & 3. p.334

Humilitas.

Humilium & abiectorum vitium,ambitioſa ſuperbia eſt. §.44.n.2.& 3. &c. p.63.64
Virginitas humilitate deſtituta, mẽtis elatione periclitatur. §.88.num.2.& 3.& 4.pag.108. 109
Deus noſter,Deus etiam vallium eſt. §.91.n.4. p.112
Chriſtus dicitur mundi decus ex virginitate humilium. §.88.n.3.p.109
Nobilium ea maxima gloria eſt, ſe poſſe quam maximè ſubmittere §.142.n.3.p.181
Humilitas, quæ Dignitates fugit, eſt meritum ad Dignitates. §.157.n.2.& 3.p.196.197
Mundi gloria plus additur,dum timetur. *Ibid.* n.2.p.196.197
Abiectis primogenitis,natu minimos Deus eligit. §.261.n.2.&c.p.314.315
Auguſtior eſt gloria, vltrò victoriæ generosè cedere, quàm victoriam feliciter reportare. §. 271. n.1. & 2. & 3. p.326. 327
Vel in ipſa obſequiorum ſubmiſſione, in ingenuis elucet generoſitatis ſcintilla.§.315.n.2. & 3.p.383
Obſtinata honorum recuſatio,Deum velut cõtentioſum reddit, vt illam ſublimet. §. 338. n.2. &c. p.407
Auguſtior maieſtas ex viliori humilitate cenſenda eſt. paragr.353.num.1.& 2.&c.p.422. 423
Humilitas profundè deſcendit, vt Deum inueniat,cui omnia tribuit. §.354. n.2. pag.423. 424
Piæ nobilitatis elogium eſt, humilium conuerſationem non faſtidire, ſed perhumaniter ambire. §.361.n.2. & 3. p.430
Arrogantiam prælationis appendicem, priſtina quondam ſeculi humilitas,opportunè cohibet. §.384.n.2. & 3. p.454

Hypocriſis.

Vitium virtuti præit ſumptuosâ ambitione affectatæ virtutis? §. 19. n.1. & 2. p.39. Et §.300.n.2.p.367

I

Iacob.

CVr tam grauatè tulit bonorum ſcrutationem. §.165.n.3.p.205
Iacobi amorem egeſtas vicit. §.168. numer.2. p. 208
Iacob tantùm iraſcitur de re, cuius culpa non vacat. §.230. n.2 p.276
Quare ſubricet Iacobus, ſe à parente Iſaaco benedictum? §.250.n.2.p.302.303
Nepotes tantùm, quos non vidit pueros, Iacobus

bus

bus benedictionibus auget ſupra reliquos. §.253.n.2.p.305.306
Illacrymat victor Iacob, quòd ſublimiorem ſe vicerit? §.381.n.2.p.450.451
Mirúmne eſt Iacobum tantiſper in Regis aula commoratum, patriæ cæleſtis non fuiſſe oblitum? §.389. n.2.& 3. p.459. 460
Quare Iacob veſtes aſſumit. *In comment. Litter.* Benedict.4. n.5. p.227
Non à mendacio,ſed ab iniuſtitia Iacobus vindicatur. *Ibid.* n.6. & 7. p.227. 228
An ſedens Iacob benedixerit nepotibus. *In Comment. Litter.* Benedict.5. n.1. p.90
Cur in via,& non in Hebron, Rachelem ſepelierit: & quare huius rei mentionem ingerat? *Ibid.*n.3. & 4.p.291

Iacobus Apoſtolus.

Vide verbo, *Ioannes Euangeliſta.*

Iaphet.

Eius faſtigium ruinæ inſidiatur. §.132.num.2. p.161. 162
Iaphet natu maximus probatur. *In Comment. Litter.* Benedict.2. n.11. p.124
Quo pacto Iaphet habitet in tabernaculis Semi. *Ibid.*n.20.p.126
Quomodo Chanaã ſeruiuit Iaphet. *Ibid.* n.21. p. 126

Idea.

Res factitia, diuerſiſſima eſt in ſeipſâ, ac in humani factoris idea. §. 42. num. 2. & 3. pag.62
Boni gubernatoris idea apparet in aquis. §.60. n.2. & 3. p.86
Miſericordia diuina eſt diuinæ iuſtitiæ idea? §.312.n.9.p.380
Viri religioſi idea traditur. §.393. n.1. p.463

Idolum. Idololatria.

Qui plures Deos adorat,nullum adorat.§.4.n.1. p. 23
Ægyptius populus, cui omnia Deus, Atheos iure cenſetur. *Ibid.*n.2.p.23
Opulenta Philoſophorum ſuperbia, plures fabricat Deos, ne vllum colat. §.4. numer.3. pag.14
Cur Hebræi vnum vitulum, plures Deos appellent. §.4.n.6.p.24
Ad oſtentandos iuſtitiæ rigores, cùm acerbiùs punit Deus,vnus plures nominatur?§.7.n.1. &c. p.27
Qui ſemel vni cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit. paragr.8. n.1. &c.p.28
Delinquítne magis, qui idola fingit, quàm qui adorat? paragr.14. n.4. p.44
Vel nomen Dei in Idolo deſpiciendum nõ eſt? §.147.n.2.p.186.187
Achaz aduerſarios Syrorum Deos adorando, illos vincere præſumit? §. 235. n.4. p.281. 282
Politica ratio ſtatus, idololatriæ, aut atheiſmo affinis eſt. §.391.num.1.& 2. & 3.pag.461. 462

Ieiunium.

Eoſdem cibos & homini præſidenti, & ſubiectis animantibus aſſignat Deus.§.92.num.2. p.113
Daniel in periculo prandet, qui extra periculum ſolet ieiunare. §.112. n.3. p.142
Panem eſurienti frangere, arcanum ieiunium ſit. §.144.n.2.p.183
Ieiunâ ſaliuâ olim iurabatur. §.174. numer.3. p.214

Ieſuitæ.

Vide verbo, *Societas Ieſu.*

Ieſus.

Vide verbo, *Nomen*, & verbo, *Societas Ieſu.*

S. Ignatius.

Vberior & officioſior eſt gratia,quæ noſtræ Societati in protoparente Ignatio condonatur. §.97.n.2.p.127
Semi, Pauli, & Ignatij præmium, eſt ſumptuoſior Dei gloria. §.131.n.2.& 3.p.160.161

Ignis.

In primâ rerum creatione, nomine *lucis*, elementum ignis ſignificari, latè traditur. *In comment. Litter.* Benedict. 1.n.19.& 20. &c. pag.7
Aſtra ſunt aliqua portio ignei elementi, adhuc retinens formam ignis. *Ibid.*num.50. & 51. pag.15
Elementum aëris & ignis vſque ad cælum empyreum ſpaciatur. *Ibidi.* n. 32. & 33. & 34. & 35. p.10. 11

Ignobilis.

Vide verbo, *Nobilis. Infamia.*

Ignorantia.

Aliqua nunc de Deo ignoratio, ſapientiæ adulatur. §.25. n.1. & 2. &c. p.44. 45
Deúmque perſpicaciùs peruidet. §.26.n.2.& 3. p. 46
Sapientiſſima ignoratio eſt, quæ ſcire diſſimulat, quouſque inſtet operandi opportunitas. §.40.n.2.p.60
Ignorantia in Rectore, grande ſcelus eſt, & regiminis euerſio. §.185. n.2. &c. p.231
Conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias offenſas, velut ignorare videtur. §.288.n.2. & 3. p.354.355
Canam ſenectutem magis dedecet ignorare, quàm diſcere. §.371. num.1. & 2. & 3. pagin.440

Imaginatio.

Imaginatæ gloriæ illecebris, Diabolus Chriſtum tentare præſumit, quò illum potentiùs alliciat. §.94. n.3. p.115.116
Mentita hominum imaginatio, mundialibus bonis nimis lenocinatur. §.94.num.2. & 3. p.115. 116

Imago.

Cur Dei Verbum alicubi dicatur paternæ tantùm bonitatis imago? §.118.n.3.p.148
In quo ſita ſit ratio diuinæ imaginis in homine: & an homo ſecundum corporis lineamenta ſit Dei imago? *In comment. Litter.* Benedict.1. n.62. & 63. p.18.19

Imbecillitas. Infirmitas.

Humana imbecillitas, piæ audaciæ conceptaculum eſt. §.138.n.2.& 3.p.175.176

Imitatio.

Quare turbatur Chriſtus, dum ſe imitandum proponit? §.122.n.2.p.151.152

Impaſſibilis.

In Chriſto patiente, eius diuinitas magis impatibilis demonſtratur. §.383.numer.2. pagin.453
Nil mali accidere viro bono poteſt,qui in viuo corpore viuas exequias mortificatione celebrauit. §.385. num.2. & 3. &c. p.455.456

Impatientia.

Muta patientia, aliquando impatientiæ arguitur. §.286.n.1.& 2.&c.p.352.353

Vide verbo, *Patientia, & verbo, Labore.*

Impoſſibile.

Humana oratio ex impoſſibili facie neceſſariū? §.280.n.3.p.336

Impudentia.

Impudentia delinquendi, delicti exaggeratio eſt, & puniendi fomes. §.311.num.1.& 2. p.378.379

Impudentia delinquendi, ſupplicij exigit pertinaciam. *Ibid.*n.3.p.379

Impudens malitia eſt peruerſa oratio, vltionem impetrans. §.311.n.4.p.379

Incarnatio.

Myſterium Incarnationis aliquâ ignoratione nunc melius cognoſcitur.§.26.n.2.& 3.p.46

Corporatur Verbum, vt oppreſſos Regum tyrannide liberet? §.335.n.3.p.404

Redemptionis humanæ adhuc perennat myſterium, quo Chriſtus Filij nomen Patri reſtituat in filiis, & pacem Deitatis inueniat? §.336.n.2.& 3.& 4.p.405

Ex Chriſti natiuitate cenſenda eſt Dei maieſtas? §.353.n.3.p.423

Incipere.

Ab opere incepto deſiſtere, nimis arduum eſt. §.155.n.2.p.194.195

Pium opus cunctanter & pigrè inchoatum, etiam poſt conſummationem, vix cæptum creditur? paragr.179.n.2.& 3.p.218.219

Vel impoſſibilia tentare ambimus, ne deſiſtamus à propoſito, quod ſemel in animum irruit, & opere inchoatum eſt. paragr.197. n.2.& 5.p.243

Defunctum plorare, qui incipit, luctum conſummauit. paragr.399.n.5.p.471

Independentia.

Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, & Independentiæ oſtentatione, arctiùs ſibi diſcipulos deuinxit ſuos. paragr.98.n.2.& 3.p.128

Indicium. Coniectura.

Nonnulli ſic ſe credunt indiciis & coniecturis, vt quod ob leuia ſæpè indicia credunt, reputent Euangelium. §.38.n.2.& 3.p.58

Ex leuibus indiciis æmulatio prophetat in malum. paragr.39.n.2.& 3.p.59

Indignus.

Vide verbo, *Dignus.*

Induſtria.

Præuius labor & induſtria, paradiſo, & beatitudini impenſa, vtriuſque delicias facit gratiores? §.279.n.2.& 3.p.335.336

Quiſquis putat rempublicam eius induſtriâ egere, ineptus eſt ad Dignitates. §.382.n.2. & 3.p.451.452

Infamia.

Infamia perſonæ priùs auditur quàm perſonæ nomen, ingenio detractionis. §.17.n.2.p.37

Præuia infamia, eſt ſiniſtræ ſuſpicionis vigor. §.115.n.3.p.145

Scelus publicatum, intimiùs patratori corporatur, & obdurationem publicitate procurat. §.120.n.2.& 3.p.150

Publicata infamia, fit ſæpè impudenter delinquendi licentia. §.127.n.2.& 3.&c.p.156 157

Iudas poſt infamiam, fit Dæmonum domicilium. §.127.n.2.p.156

Reſipiſcentia non recuperat ex præterito ſcelele partam infamiam, quæ eſt flagitij appendix? §.149.n.1.& 2.& 3.p.188.189

Sæpè virtuti nocet. paragr.152.n.2.& 3.& 4. p.190.191

Infamia Concionatoris, languor doctrinæ eſt? §.152.n.2.& 3.p.181. 192

Non declinet infamiæ notam, qui alieno priuilegio ab ea liberatur. §.183.n.3.p.222

Quod in nobis diffamatum dolemus, propriis laudibus colorare præcurrimus. §.258.n.2. & 3.p.311

Nominis etiam infamia, libidinis ſupplicium eſt. §.291.n.2.&c.p.357.358

Serpentem non bonæ famæ rumuſculum ſiſtere, fuit primus Euangeliſtæ labor? §.367. n.2.&c.p.436.437

Reus de indecoro crimine accuſatus, etiam dum abſoluitur, ad infamiam damnatur? §.377.n.1.& 2.& 3.p.446

Infans.

Vide verbo, *Puer.*

Infelicitas.

Humana felicitas vices cum infelicitate reciprocat. §.252.n.2.& 3.p.304.305

Arrogantes inflat infelicitas. paragr.383.n.4. p.453

Infernus.

Vide verbo, *Gehenna.*

Ingenium.

Brutæ animantes arcano ſenſuum ingenio, Dei iuſſa percipiunt? §.78.n.2.& 3.pag.98.99

Ingenia ſēſuum ad voluptatem. paragr.79.n.1. & 2.&c.p.99.100

Vide verbo, *Mens.*

Ingratitudo.

Ex acceptis beneficiis ſæpe odium naſcitur. §.10.n.1.& 2.p.30.31

Priuatorum hominum obſequia, obliuia Principum negotiantur. Hinc viris magnis agnata ingratitudo eſt. §.164.num.1.& 2.& 3. p.203.204

Quietis otium, & hominum ingratitudo, Bibliorum ſtudiis adulatur. §.327.n.1.& 2. &c.p.395.396

Ioannes ingratus naſcitur in naturam, vt totum ſe debeat gratiæ. *Ibid.*n.4.p.396

Vide verbum, *Gratitudo. Beneficium.*

Inhumanus.

Vide verbo, *Crudelis.*

Inimicus. Inimicorum amor.

Beneficia accepta ſæpè inimicitias pariunt. §.10.n.2.& 3.p.30

Iniuriæ, etiam quæ fieri poſſunt, inimicis condonandæ ſunt. §.16.n.3.p.36

Inimicitiæ inter Catholicos litteratos, Eccleſiam inquietant. §.31.n.4.&c.p.51

Inimicorum ſuffragium, indubiam facit veritatem. §.45.n.2.&c.p.65

Pietas Chriſtiana iniuriis neſcit offendi? §.62. n.1.p.82

Pro malis bona non donare, ſed *reſtituere* debemus. *Ibid.*n.2.p.82

Ioſephus dona largitur fratribus, quæ reſpondeant offenſis. §.62.n.3.p.82

Cauſa gratiæ donandæ, eſt compenſare mortis iniuriam? *Ibid* n.4.p.82

Abſentibus

Abſentibus inimicis, Chriſtus eſſe ſolus dicitur. §.136.n.3.p.173.174
Adamo, & Iſaaco diuina ecſtaſis immittitur, ad humanæ velut iniuriæ fruſtrationem? §.211. n.2. & 3. p.255
Qui de offenſore bonam habet æſtimationem, iniuriam condonaſſe videtur. §.212.num.2. & 3. p.258
Omni feritur plagâ, qui ſuum æmulum fortunatum videt. §.213.n.2. &c.p.259
Qui inimico muliebriter detrahit, eidem victoriæ pignus offert. §.217.n.2.& 3.p.263. 264
Tam opulentum reportatur de perſecutionibus lucrum, vt cum ſuo inimico amicitias contrahet. §.226.n.2.p.272
A Iudice offenſo nullum ſatis tutum aſylum eſt. §.231.n.2.&c.p.276.277
Iniuriarum memoria ſic atrociter ad vltionem inſtigat, vt Satan merito nuncupetur. §.232. n.2. & 3. & 4. p.278
Pacem cum hominibus habere, aliquis humanæ virtutis faſtus eſt? §.233.n.2. p.279
Nonnumquam inter concordiæ ſtudioſos, inter rixantes pax eſſe poteſt? §.234.num.2. &c. p.280
Dauidis erga aduerſarium Saülem beneuolentia, illi regalia inſignia præmaturè præripuit. §.235.n.2.p.281
Aduerſarius Dæmon aliquâ hominis beneuolentia euincendus eſt? Ibid.n.3. p.281
Rex Achaz aduerſarios Syrorum Deos adorando, illos vincere præſumit? §.235. num.4. p.281. 282
Deus ſub Aduerſarij nomine diligendus proponitur? §.225.n.5.p.272
Arcana quædam aduerſariis parcendi genera proponuntur. §.236. n.1. & 2. &c. p.282
Mitior in hominem inimicus eſt Dæmon; homo verò ſæuior & atrocior ſui hoſtis eſt. §.285.n.2. & 3. p.351.352
Minacia verba euaporant furorem: taciturnitas in homine offenſo, ſæpè crudelitatis comes, & indicium eſt. paragr. 286. n.1. & 2. &c. p.352. 353
Illuſtris honor vindictâ periclitatur, non aſſeritur. paragr.299. n.2. p.365. 366
Iacob veniam non rogat pro filiis proditoribus, ne ſuum Ioſephum petitione deuenuſtet. Ibid.n.3.p.366
Flet Ioſephus, ſumendæ vindictæ ſuſpicione læſus. §.299.n.4.p.366
Blandimenta inimici offenſam exaggeratiùs irritant. §.300. n.2. & 3. p.367
Inter litteratos cauendum eſt, ne dum mutua vlciſcuntur odia, rectæ fidei cauſam ſe tueri ſimulent. §.307.n.1. & 2.p.374
Chriſtus per concordiam ſui generis, ad pacem peruenit Deitatis? §. 362.num.3. pagin.431

Iniuria.

Iniuriæ, etiam quæ fieri poſſunt, condonandæ ſunt inimicis. §.16.n.3.p.36
Largior erga offenſorem beneficentia, acceptæ iniuriæ ſtipendium eſt. §.62.n.2. & 3.& 4. p. 82
Adamo, & Iſaaco diuina ecſtaſis immittitur ad humanæ iniuriæ fruſtrationem? §.211.n.2. & 3. p.259
Qui de offenſore bonam habet opinionem, iniuriam condonaſſe videtur. §.212. n.2. & 3. p. 258
Iniuriarum memoria atrociter ad vltionem inſtigat. §.232.n.2. &c. p.278
Conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias iniurias velut ignorare videtur. §. 288. n.2. & 3.p.354.355
Blandimenta inimici, iniuriam exaggeratiùs irritant. §.300.n.2.& 3.p.367
Vide, *Inimicorum dilectio.*

Inquiſitio.

Diſtrictior delictorum inueſtigatio, ſæpè medicinam non facit; ſed occultum vulnus exulcerat. §.29.n.2.& 3.p 48 49
Delictorum exploratio, non tam credatur auribus, quàm oculis. §. 4. num.2. & 3. pag.23 24
Perdita Euangelij drachma, meliùs ſtatim quæritur in obſcura nocte, quàm poſtea in clara diei luce. paragr.159. n.1. & 2. & 3.p.198. 199

Intellectus.

Vide verbo; *Mens. Ingenium.*

Interrogatio.

Quare quod Moyſi præcipitur, Iſaiæ interrogatur? paragr.167. n.2. p.207
Iacobus & Ioannes interrogatione ad martyrium alliciuntur. *Ibid.*n.3.p.207
Homo præ cognato faſtu, interrogatione, potiùs quàm ratione ſuadetur. paragr.210.n.1.& 2. & 3. p.256

Inuidia.

Altè buccinat Procerum defectus. §.21.num.2. & 3. p.41
Vel cælum lucere neſcit, quin alios obſcuret? §.27.n.2. & 3. p.46.47
Fauori imputabitur, quòd perſpectum aliorum bonum, nobis placeat? paragr.33. n.2. & 3. p.53. 54
Scelera, quę curioſè ſuſpicioſa æmulatio in alio fingit, prophetiæ oculis perſpexiſſe ſibi videtur. §.39.n.2. & 3. p.59
Mundiale bonum in alio viſum, gratiùs apparet, inuidiæ lenocinio. §. 93. n.2. & 3. &c. p.113. 114
Somniata Ioſephi gloria, fratrum mouet inuidiam; ſecus exhibita. §.94.n.2.p.115
Omni feritur plagâ, qui ſuum æmulum fortunatum videt. paragr 213. num.2. & 3. & 4. p.259
Bonum quoduis ab æmuli poſſeſſione, placendi gratiam fœneratur. paragr.214. num.2.& 3. p. 260
Præluſtris aliorum bonitas, & aſpectabilis nitor, Maledicorum linguas exacuit. §. 218. n.2. & 3. p.264. 265
Gratius eſt donum, quod quibuſdam detrahitur, vt mihi donetur. §.252.n.2.p.304
Indignus laude laudandus etiam eſt, vt laude dignus laudari permittatur. §.273.n.2.& 3. p. 339
Aliena gloria incredibilis eſt homini, qui ſuam nimis amat. §. 314. n.2. & 3. p.382
Vel fatuæ Virgines, non alienas extinguere, ſed ſuas lampades illuminare ambiunt. §. 328. n.3. p.397
Zelotypiæ angor, & inferni furor, mitior eſt, quàm inuidiæ paſſio? §. 372. num. 2. & 3. p. 441

Inuidus

Inuidus, incertus homo eſt. §.372.n.4.p.441
Calamitoſis, & de aduerſitate lætanter gratulandum, & glorioſè inuidendum eſt. §.374. n.2. & 3. p.443
Mortuorum amicus, inuidus. §.399.numero 5. p.471

S. Ioannes Baptiſta.

Non fide, ſed pietate dubitauit de Chriſto. §.3. n.3. & 4. p.23
Ignoratione cognoſcit Chriſtum? §. 26. n.3. p. 46
Cur Præcentor veritatis appelletur? §.31.n.5. p. 51
In oppidis etiam procul à regiâ Curiâ, Regis flagitia reprehendit. §.84.num.4. pag.104. 105
Ioannes præ Apoſtolis fructificat, quia maiorem gloriam apud homines habebat. §.152. n.2 p.191. 192
Ioannes in deſerto, Chriſtus putatur: Chriſtus in vrbibus, vix Ioannes habetur. §.191.n.4. p. 238
Serpens caput fractus, Ioannis caput petere ſatagit. paragr.221. n.2.p.267
Vel Ioannes Baptiſta indignus eſt obeundi miniſterij, ad quod electus non eſt? §.270.n.2. p.325. 326
Quod in conferenda Meſſiæ dignitate, Senatores cognati erga Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationem. paragr.295. n.2. & 3. p.361. 362
Ingratus naſcitur in naturam, vt totum ſe debeat gratiæ. paragr.327.n.4.p.396
Quare Chriſtus Ioannis diſcipulos, Ioannis voce conuincere ſtudet? §.340. n.3. p.409

S. Ioannes Euangeliſta.

Ioannes & Iacobus interrogatione ad martyrium alliciuntur. paragr.167. n.3.p.207
Ioannes & Iacobus primas cæli ſedes exambiunt. paragr.199.n.3.
Ioannes & Iacobus, honorum, quos aſſecuti ſunt, repulſam pati, cur dicuntur? §. 250. n.3. p.303
Ioannes & Iacobus cognationis iure throni primatum exambiunt. paragr.295.n.4.p 362
Ioannes & Iacobus ambiunt Chriſti regis latus & aures, ſibi vnicè vindicare. §.357.n.2. p.426. 427

Ionas.

Ne habeatur falſidicus propheta, Niniuæ euerſionem durè negligit. paragr.74.n.2.p.95
Procliue fuit Ionæ naufragari, quia ipſe ſui naufragij auctor extitit? §.86 n.3. p.107
Ionas in naufragio, littus quò tendebat, inuenit. paragr.112. num.2.p.141.142
Feliciter naufragus, in aſylo periculi ſui tutus eſt. paragr.172. n.2. p.212
Ionas publicam aliorum ſtragem negligens, ob leuiculum ſui incommodum grauiter angitur. paragr.193.n.2. & 3. p.239
Non tam Dei gloriam, quàm ſuam auctoritatem Ionas zelat? paragr.245. n.2.p.297
Nimij zeli arguitur. §.301.n.2. & 3. p.368
Præ zelotypiâ Deo irato non credit. *Ibid.* pagin.368

S. Ioſephus.

Meritò dicitur iuſtus, quia pius. paragr.9. n.2. p. 29
Fuit Euangeliſtarum magiſter. §.38. n.2. p.58
Opportunus Mariani pudoris teſtis fuit. §.45. n.5. p.65
Cur Mariani pudoris aſſertor dicatur. §. 151. n.3.p.191
Diuinitatem aliquam ſpirat, vt dignè cum Deiparâ nuptias celebret? paragr.239. n.5. p. 286
Matrimonium Mariæ & Ioſephi indiuiſibilem animorum coniunctionem operatur. §.240. n 4.p.286.287
Mariæ & Ioſephi coniugium, in virginitate deputatur? *Ibid.* n.5. & 6. p.287

Ioſephus Patriarcha.

Dona, quæ reſpondeant offenſis, largitur fratribus. paragr.62. num.3.p.82
Somniata Ioſephi gloria, fratrum mouet inuidiam; ſecùs exhibita. §.94.n.2.p.115
Ioſephus diuinitatem aliquam ſpirans, idoneè ducit Sacerdotis filiam. paragr.239. num.4. p.285. 286
Ioſephus diuina beneficia in tenellâ filiorum carne deſcripſit. paragr.265. n.1.p.320
Ioſephi oſſa deducunt Iſraelem, quem ipſe è terra promiſſionis euocarat. paragr.277.n.2. p.333.
Iacobus veniam non rogat pro filiis proditoribus, ne Ioſephum ſuum petitione deuenuſtet. paragr.299.n.3.p.366
Flet Ioſephus, ſuſpicione ſumendæ vindictæ læſus. *Ibid.* n.4. p.366
Quare Ioſephi fratres illum non agnouerint. §.314.n.3.p.382

Ira.

Conſors in regimine, Ira Dei appellatur. §.71. n.2. & 3. p.92
Deus cùm apertè iram gerit, occultò clementiam demonſtrat. paragr.106.n.3 p.136
Ira, ſicut non ſcit cur iraſcitur; ita cur naſcatur, neſcit. §.124.n.1. & 2. & 3.p.153.154
Qui immodicè iraſcitur, non tantùm iræ reus eſt, ſed & cauſæ iraſcendi. paragr.230. n.2. & 3. p.276
Taciturnitas ſæpè ſæuiores alit iras. §.286.n.1. & 2. &c. p.352. 353
Diuturnior patientia exaſperata, in acerbiores excandeſcit iras. paragr.287. n.1. & 2. & 3. p.353. 354
Irato Deo non credit Ionas. paragr.301. n.3. pag.368
Homo qui iratum corripit hominem, fruſtrat correctionis fructum. paragr.308. n.2. & 3. p.375.376
In iram ratio ſeu mens inſpiratur; quo indignatio opportuna ſit pietatis auxiliatrix. §.309. n.1. & 2. & 3. p.376.377

Iris.

Igneus gehennæ color, qui in Iride apparet, eſt vitandæ gehennæ ſignum. paragr.105.n.3. p. 135
Iris ſat fauſta ſibi eſt, quia fauſta nobis denunciat. §.107.n.3. & 4. p.137
Quo pacto Iris eſſe poſſit ſignum non futuri exinceps diluuij. *In Comment. Litter.* Benedict.2. n.10. p.124

Iſaac.

Iſaac non tam cenſu, quàm ſui cenſus æſtimatione, opulentus erat? §.165.n.2.p.204.205
Meliùs ſeruatur, dum illi non parcitur. §. 172. n.3 & 4. p.212

Cœcus

Cæcus ad præſentia, futura oculatiſſime videt §.186.n.2.p.232
Iſaacus,qui depretiatur in Curiâ,extra Curiam à Regibus honoratur,& ſublimatur. §.191. n.2. p.237
Iſaacus plenè non videt,quem familiæ inaugurat Principem. §.203.n.2. p.253.254
Adamo, & Iſaaco diuina ecſtaſis immittitur,ad humanæ iniuriæ fruſtrationem? §.211.n.2. & 3. p.257
Iſaacus opibus & honoribus ſuum Eſaü ad virtutem ſtimulat. §.262.num.2. &c.pag.315. 316
Iſmaël adducitur ad Iſaaci immolationem, ne fortè alius non cognatus illam impediret. §.296.n.2.p 363
Quare in Iſaaci immolatione fuerit ſecura Abrahami mens, & ſecurior manus. §.378. n.3. p.447. 448
Quàm fuerit vinculorum appetens, & quare. §.380.n.4.p.450
Iſaaci caligo, non tam ex ſenectute, quàm ex morbo. *In comment. Litter.* Benedict. 4.n.1. p. 226
Cur Iſaacus antequam Eſaü benedicat,ferinam expetit. *Ibid.*n.2. & 3.p.226. 227

Iudas filius Iacob.

Iudæ tribus Potentioribus genua flectet, ſed ſicut leo, id eſt, generosè. §.315. n.2.p.383
Iudas vino, quod ſolet veſtes maculare, veſtes emaculat. §.320.n.3.p.388.389
Quomodo intelligendum: *Non auferetur ſceptrum de Iuda* vſque ad Regem Chriſtum. *In Comment. Litter.* Benedict.6.n.11. & 12. & 13.p.345.346

Iudas proditor.

Iudæ abſentia à Chriſti contubernio, fuit glorificationis Chriſti initium? paragr.13.n.2. & 3. p.13
Poſt infamiam, fit Dæmonum domicilium. §.127.n.2.p.156
Iudæ auaritia Paſſionem impleuit? paragr.141. n.5. p.179. 180
Eius flagitium, quia omnem menſuram excedebat,ipſe in ſe dignè caſtigat. paragr.285. n.2. p.351

Iudex.

Iudex meritò dicitur pius,quia iuſtus;& iuſtus, quia pius. §.9. n.1. & 2. & 3. p.29. 30
Iudex cognatus cognatione abſoluit. §.18.n.2. &c. p.38. 39
Iudex in alieno territorio deuenuſtatur, ſicut Luna, cùm in die apparet. §.75.n.3.p.96
Paupertas litigantis,veritatem facit mendacem. §.103.n.3.p.133
A Iudice offenſo nullum ſatis tutum aſylum eſt. §. 231. n.2. &c. p.276. 277
Paupertas in tribunalibus, reatus damnabilis eſt. paragr.231. n.2.p.276.277
Iudex per veniam ſupparat diſciplinam.§.236. n.3. p.282
Iudicum ardor pro ſuâ iuriſdictione nimis tuēdâ,periculoſum tētamenti genus eſt. §.244. n.2. &c. p.296.297
Iudicum zelus, ne totus ferueat pro tuendâ Dignitate. paragr.245.n.2. & 3, p.297.298
Benignitatis lenocinium eſt, in ſeipſo experiri rigores,quibus alios addicit. §.254. num.2. & 3.p.307
Caueat Iudex, ne dum reus vincula inaurat,ea diſſoluat. §.278.n.4.p.335
Impuritas Notariorum, euerſionem regni portendit:acerbior eorum mulcta,populos felicitat. §.319.n.1. & 2. & 3. p.387.388
Indecori criminis accuſatio,aut infamem inuenit, aut facit. §.377. num.1. & 2. & 3. pagin.446
Sciat Iudex, quod carcer non tam eſt reorum cuſtodia,quàm præda. paragr.379.n.1. & 2. & 3.p.448.449
Vide verbo, *Superior*, & verbo, *Rex*, & verbo, *Iuſtitia*, & verbo, *Supplicium.*

Iudicium finale.

Cur Spiritus ſanctus in magnâ finalis iudicij die,non dicitur iudicare? §.225.n.4.p.271. 272
Quis ſit Deus,acerbus declarat rigor finalis iudicij quod hominum peccatis offendi dicitur. §. 283. n.2. & 3. p.350. a. b.
Mitiórne erit gehenna, quàm iratus Chriſti Dei vultus. paragr.311. n.2.p.378.379
Vt oppreſſos ab Antichriſto liberet, Chriſtus finale iudicium celebrat? §. 335. numer.4. p. 414
Vide verbo, *Iuſtitia. Gehenna.*

Iudicium proprium.

Vide verbo, *Sententia propria.*

Iudicium temerarium.

Ne quod quis ex coniecturis & indiciis noſcit, putet eſſe Euangelium. paragr.38. n.2.& 3. p. 58
Scelera, quæ curioſè ſuſpicioſa æmulatio in alio fingit, prophetiæ oculis inſpexiſſe ſibi videtur. paragr.39. n.2. & 3. p.59
Ne de fratre ſiniſtrè indicemus, præſumendum de illo eſt,quicquid boni Deus poteſt facere. §.115.n.2.p.144.145
Tota arbitrij poteſtas exerenda eſt, ne prauè de aliquo iudicemus. §.115.n.4.p.145
Quantùm prauitatis, in alio curioſis oculis videris, tantùm in te alius reciprocâ pœnâ videbit. §.117.n.2. & 3. p.146.147
Quæ notamus in aliis ſcelera, noſtrorum notitiam ad nos reuerberent. §.219.num.2.& 3. p.265. 266
Iudicij audacter temerarij officina, indicantis maleuolentia eſt. §.225.num.2.&c.pag.271. 272
Vel leuis occaſiuncula in re libidinis non leuem hominibus ingerit ſuſpicionem. §.364. n.2.& 3. p.433
Circunſpectæ cautelæ neglectus, in caſta etiam vxore maritorum zelotypiâ ſubornat.§.365. n.2. & 3. p.434
Attentiori occaſionum præſcindendarum cautelæ debet Chriſtus, nil æmulos in re libidinis aduerſus eius modeſtiam ſuſpicatos, §.366.n.2. & 3. p.435
Maleuolentiæ ingenium,opus alioqui innoxiū, crimen læſæ maieſtatis appellat. §.373. n.2. & 3. p.442

Iuramentum.

Noli iurare,ne incipias peierare. §.174,num.2. p. 214
Ieiunâ ſaliuâ olim iurabatur. *Ibidem.* num.3. p. 214
Iuramenti reuerentia inſenſiles creaturas comprimit. §.174. n.4. p.214

Cur Iacobus Virgam ſumit Ioſephi, cum illum ad iurandum adigit? §.396.n.2.p.467
Quod Ioſephus iurauit, ſuſpectum mendacij eſt. *Ibid.*n.3.p.467.468
Iuramentum fœderis fuit bellorum augurium? §.396.n.4.p.468
Ieiunâ ſaluâ olim iurabatur. §. 174. num.3. p. 214

Iuſtitia. Rigor.

Iuſtitiæ nomen in re liberalitatis opportunè auditur. §.5 n.1 & 2.&c p.15.26
Ad oſtentandos iuſtitiæ ſuæ rigores, cùm acerbius punit Deus, vnus plures nominatur? §. 7. n.1. & 2. &c. p.27.28
Iudex ex iuſtitiâ debet clementiam? §. 9. n.1. & 2. &c. p.29.30
Iuſtitiam acerbè irritat flagitium, poſt beneuolam correptionem patratum. §.104. num.1. & 2. &c. p.134
In acerbioris ſupplicij rigoribus, diuinioris clementiæ leguntur characteres. §.106.num.1. & 2. &c. p.136
Iuſtitiæ ſuæ bonum Deus quaſi erubeſcens, in abſcondito acerbius caſtigare ſatagit? §.109. n.1. & 2. &c. p.138.139
A crudelitate vindicatur Deus, cum ſacerdotum flagitia punit. §.208.n.2.p.253.254
Diuinam iuſtitiam Ægyptiorum plagis exhauſtam putant Philiſthini. §. 215. numero 3. p 261
Benignitatis genus eſt, in ſeipſo experiri rigores, quibus alios ſeuerè addicit. §.254. n.2. & 3. p.307
Quis ſit Deus, declarat rigor finalis iudicij: quod hominum peccatis offendi dicitur. §.283. n.2. & 3. p.350. a. b.
Impudentia delinquendi, delicti exaggeratio eſt, & puniendi fomes. §.311. num.2. & 3. p.378.379
Iuſtitia diuina Miſericordiam æmulatur? §.312. n.1. &c. p.379. 380
Diuina Miſericordia eſt diuinæ Iuſtitiæ idea? *Ibid.* n.9. p.380
Elias de manu mulieris mortem fugit, de manu Dei mortem quærit. paragr.330.num.2. pag.399
Vide verbo, *Supplicium.*

Iuſtus.

Vide verbo, *Religioſus.*

L

Labor. Ærumna. Tribulatio.

EOdem vocabulo exprimitur, & deliciis frui, & ærumnas pati. §.94. n.4. p.116
Piè calamitoſus in periculo ſuo tutus eſt, fiduciæ priuilegio. paragr.112. n. 1. & 2. & 3. p.141. 142
Pœnæ diuturnitas, repetita plaga eſt, & calamitatis acerba exaggeratio. paragr.123.n.2. & 3. & 4. p.152. 153
In acerbiſſima oppreſſione, nec gemere licet, nec Deum orare iuuat? paragr.125. num.2. & 3. p.154. 155
Quanta eloquentiæ vis calamitatibus inſit. §. 126. n.2. & 3. p.155. 156
Studioſior lucendi gloria, ambitioſè glorioſum nimis fatigat. §.155. n.2. & 3. p.194.195
Arduos labores feliciter exantlare, ſpontanei propoſiti ſtipendia ſunt. §.167.num.2.& 3. p. 207
Verecundiam omnem calamitas excutit. §.168. n.1. p.208
Thronus ærumnæ. paragr.196. n.3. p.242
Inuidiæ labores. paragr.213. n.2.&c p.259
Malum quod quiſque patitur, acerbiſſimum omnium eſſe putat. paragr. 221. n.2. & 3. p. 267
Dira ſeruitus, libertati de oppreſſione affinis eſt. §.224.n.2.& 3.p.270
Diuturnos diu patiendi labores, mellea virtutis voluptas compendioſè abbreuiat. §.242.n.2. & 3. p.294
Præuius labor & induſtria, paradiſo & Beatitudini impenſa, vtriuſque delicias facit gratiores? paragr.279.n.2. & 3. p.345.346
Labores patienter tolerati, inter Chriſti Dei progenitores recenſentur? paragr.321. n.2. & 3. p.389. 390
Calamitas de manu hominis acerbior venit; de manu Dei mitior euadit. paragr.369.num.1. & 3. p.438 439
Calamitoſis, & de aduerſitate lætantes gratulandum, & glorioſè inuidendum eſt. §.374. n.2. & 3. p.443
Vitæ aduerſa, virtutem conflant. *Ibid.* num.4. p. 443
Inæſtimabilis eſt eius virtus, cuius vinci victoria eſt. paragr.374.n.2.p.443
Extrema calamitas, non ſit ſpei iactura, ſed fiduciæ conceptaculum. paragr.378.n.1.& 2. & 3. p.447. 448
Arrogantes inflat infelicitas. §.383. numero 4. p. 453
Nil mali accidere viro bono poteſt, qui in viuẽte corpore viuas exequias mortificatione celebrauit. §.385.n.2.& 3.&c. p.455.456
Sæpè cæleſtis ſponſus ſpecie repulſæ, acriùs ſuæ ſponſæ ſauciat amorem. paragr.388.n.1. & 2. & 3. p.458. 459

Lacryma.

Cæleſtes Solis radij, humanis oculis inuident Lacrymas, & ſidereo furto eas rapiunt? §.61. n.2. p.81
Irriguum ſuperius dicitur cælum, lacrymis rigatum. *Ibid.* n.3. p.81
De Chriſti latere aqua fluxit, vt mundaret; ſanguis, vt redimeret. paragr.61. n.4.p.81
Blandus amor duras lacrymas elicit, & lamenta concinnat. paragr.256.n.2. & 3. p.309
Cum Lazarus moritur, gaudet Chriſtus; ipſum cùm reſuſcitat, tunc deplorat. paragr.344. n.3. p.413.414
Illacrymat victor Iacobus, quòd ſublimiorem ſe vicerit? paragr.381. n.2.p.450.451
Lacrymæ Saulis deuicti, minæ ſunt Dauidi victori. paragr.381.n.3.p.451
Diuturnior defunctorum luctus, imminentis infortunij augurium eſt? §. 399. n. 2. & 3. &c. p.470. 471

Lapis.

Cur petrarum ſciſſio, indubium ſuffragium pro Chriſto ferat. §.45.n.2.p.65

Lætitia.

Vide verbo, *Gaudium.*

Laſciuia.

Vide verbo, *Luxuria.*

Latro.

Vide verbo, *Fur.*

Laus.

Oculi potiùs quàm lingua lucem laudent, & quare. §.36.n.4.p.57

Ille eſt verè Iſraëlita in quo dolus non eſt, qui neque ad odium aliquid loquitur, neque ad gratiam. §.37.n.2.p.57

Humana laus à voluntate citiùs, quàm ab intellectu oritur. *Ibid.*n.3.p.57

Ad laudandum aliquem animus priùs perpurgandus eſt. §.37.n.5.p.58

Non bene laudat, qui laudat quod exorbitat. §.53.n.2.& 3.p.71.72

Homo non laudatur cum reliquis creaturis; quia non in vitæ auſpicio, ſed in mortis clauſula, dignus laude cenſetur. §.96.n.2.& 3.& 4.p.117.118

Laus vel Chriſtum in ſtadio Paſſionis animat? §.160.n.5.p.200

Propria laus illius rei, quam in ſe commendat, defectum aliquem præſentire ſignificat, & arcere ſatagit. §.258.n.2.& 3.p.318

Indignus laude, laudandus etiam eſt. vt laude, dignus impunè laudari permittatur. §.273.n.2.& 3.p.329

Principem eſſe,& effuſiùs laudari, antiqua ſynonyma ſunt. §.313.n.2.p 381

Lazarus, frater Marthæ.

Quare Chriſtus non tollit ipſe lapidem,& vinculis ſoluit Lazarum. §.63.num.3.p.83.84

Illacrymat Ieſus, quia ſolum Lazarum, & non omnes mortuos reſuſcitat? paragr.73.n.4.p.94

Cùm moritur Lazarus, gaudet Chriſtus; ipſum cùm reſuſcitat, tunc deplorat. paragr.344.n.3.p.413.414

Leui.

Simeon & Leui fratres dicuntur, non tam ſanguinis, quàm malitiæ cognatione. §.2,4.n.2.p.360.361

Cur Leuitis Leui atrum cædes committatur? §.296.n.3.p.363

Lex. Præceptum.

Felix præcepti neceſſitas, quæ votis præſtat obſequium, dum liberæ iuſſioni ſeruit affectus. §55.n.3.p.75

Lex obedituro cognata, obſequium ſubornat. §.56.n.1.& 2.& 3.p.76

Lex dicitur, Hominis ſubſiſtentia. *Ibid.* num.2.p.76

Brutæ animantes arcano ſenſuum ingenio, Dei iuſſa percipiunt? paragr.78.numer.2.& 3.p.98.99

Subeat legis iugum Adamus, quo ipſe imperare ediſcat. paragr.82.n..p.102

Potentia ad benè operandum, arcana quædam lex eſt. §.89.n.4.p.110

Adamo vna arbuſcula prohibetur, vt omnium præbitorem agnoſcat. §.99.n.2.p.129

Multiplex ſuperiorum lex, non exarmat malitiam; ſed ſæpè ſubditos ad inobedientiam armat. §.100.n.1.& 2.& 3.p.130

Homo cui diuinum præceptum imponitur, diuini honoris humanus arbiter conſtituitur. §.102.n.2.& 3.p.132

Obſequium obedientis, verum facit mandatum præcipientis. §.103.n.2.& 1.&c.p.133

Superioris præceptum, diuinæ voluntatis character dicitur. *Ibid.*n.1.p.133

Dei præcepta, quibus parere reluctantur, *verba mendacia* à Pharaone dicuntur.§.103.num.3.p.133

Legem vnam, vnam plures putare, inobedientiæ ingenium eſt. §.177.n.2.& 3.p.216.217

Qui Superioris præceptum, velut diuinæ volũtatis characterem accipit, humanis ratiũculis illud eludere deſiſtit. §.181.n.2.& 3.p.220

Vel ad rem maximè concupitam præcepto cogi, grauatè admodum ferre conſueſcimus. §.196.n.2.& 3.p.242

Exlex eſt gratitudo. §.228.n.3.p.274

Legum abrogatio, arcanum parcendi genus eſt. §.236.n..p.282

Lex eſt, Pædagogia puerorum inſolentium. *Ibid.* p.282

Præcipientis exemplum, vigor præceptionis eſt ad ſequelam. §.255.n.1.& 2.&c.p.307.308

Dei populus à mulieribus purus, legem Dei iubetur accipere. §.289.n.2.p.355.356

Moyſes legis proculcatione, Legiſlatoris gratiam mercatur? §.320.n.4.p.389

Liber. Scriptores.

Quod ſit diſcrimen inter librum cæleſtem, & terrenum. §.257.n.2.p.310

Simeoniana tribus ex Simeonis maledictione, librorũ ſcriptioni addicitur? §.303.n.2.p.370

Grauatè fert Chriſtus, vnũ de pluribus Simeonianis ſcriptoribus haberi? *Ibid.* n.3.p.370

Neceſſariúſne eſt Prophetiæ ſpiritus, ad hiſtoriam retroacti æui verè narrandam? 304.n.1.& 2.& 3.p.371

Nullum librum Chriſtus ſcripſit, veritus litterionum cenſuras? §.305.n.2.p.372

Impiorum malitia, an proborum pietas, librum, quem Deus ſuâ manu ſcripſit, deleuit? *Ibid.* n 3.p.372

Pater impaſſibiliter eſt ſcriptor Sapientiæ genitæ. §.305.n.4.p.372

Quietis otium, & hominum ingratitudo, Bibliorum ſtudiis adulatur. §.327.n.1.& 2.&c. p.395.396

Liberalitas. Munificentia.

Cælum, ſi immunificum foret in terram, auguſtum cæli nomen erubeſceret. §.3.n.1.& 2.p.22

Chriſti liberalitas, eſt eius plenitudo, & notio? *Ibid.* n.3.& 4.p.22.23

Dominus per beneficentiam Deus agnoſcitur. §.3.n.5 p.23

In re liberalitatis, opportunè iuſtitiæ nomen auditur. §.5.n.1.& 2.&c.p.25

Donatio vltra neceſſitatem, diuinioris gloriæ procurat auctarium. §.68.num.1.& 2.&c. p.88.89

Creaturæ à Deo homini donatæ, gratiores illi apparent, poſtquam donatæ ſunt? §.95.n.2.& 3.p.116.117

Virginitas eſt, diuinæ dilectionis munificentia. §.88.n.1.p.108

Erogari in meritorum ſtipendium, generoſus amor erubeſcit. paragr.189.num.2.& 3.pagin.235

Acceptum à Deo munus, ſignum eſt diuinæ promiſſionis indubiè adimplendæ. §.204.n.2.& 3.p.250

Infinita Dei liberalitas, donando, ad vlterius donandum quodammodo obligatur. §.281. n.2. & 3. p.337.338
Vide verbo, *Miſericordia.*

Libertas.

Dira ſeruitus, libertati de oppreſſione affinis eſt. §.124.n.2. & 3. p.270
Nemini ſeruire, quàm omnibus imperare, gratius eſt. §.123. n.2. & 3. p.269
Vide verbo, *Dominus. Seruus.*

Libido.

Vide verbo, *Luxuria. Caſtitas.*

Lingua.

A præuiis operaturi verbis, vis languet operandi. §.2.n.2. & 3.p.21
Dei ſermo, Voluntas eſt? §.37.n.4.p.57
Lingua magnorum etiam virorum, de mendacio ſuſpecta eſt. paragr.41.n.2. & 3. p.61
De virga Aaronis, & de Magorum figmentis, nil differt loquendi modus. paragr.76. n.3. p.97
Inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum. §.200.n.2.& 3.p.246
Linguam ſubiecti ſerpentis mutuat Dæmon, vt ſæuius feriat ſerpentis dominum. §.205.n.2. &. p.251
E multis maledicentibus, vnus duntaxat maledicitur, ne omne genus humanum maledicatur? paragr.207. n.2. & 3. p.252
Lingua maledicentis in re genealogiæ, à gehenna inflammatur. paragr.207. n.4.p.253
Hominum lingua, arcana effutit ſecreta. §.227. n.2.& 3.p.273. Et §.228.n.2. & 3. pag.274
Vel muta labiorum apertio obſtetricante indiget gratiâ, ne faciat verborum abortum? §.347.n.2. & 3. p.443
Silentij lingua erudita §.350.n.2.p.419
Quaſi angelificatus ignis in rubo, conſultiſſimè mutus dicitur. paragr.394.n.3.p.465
Vide verbo, *Detractor*, & verbo, *Veritas*, & verbo, *Mendacium.*

Lot.

Lot in ipsâ inurbanitate inurbanitatis ſupplicium inuenit. paragr.160.n.3.p.313.314
Eius nepotes filij, inceſtum in nomine præferunt. paragr.291.n.4.p.358
Lot non fuit adoptiuus Abrahæ filius. *In comment. Litter.* Benedict.3. n.7. p.169

Luna.

Dicitur Luminare minus, ob inconſtantiam præſidentiæ? paragr.32.n.4.p.53
Sol & Luna ſunt ſeditionum fautores, inter lucem & tenebras. paragr.66.n.2.p.86
Luna dignitatis ſplendore infelix eſt.§.72.n.3. p.93
Lunæ deuenuſtatur præſidétia, quia quod alterâ parte deeſt, ſemper aliis offert. §.73.n.2.p.94
Lunæ præfectura eſt, ſubiectam ſibi noctem clarare. paragr.75. n.2.p.96
Subditorum ſolatium eſt ſuæ præfecturæ eſſentia. paragr.75.n.3.p.96
Quare Luna non tunc neceſſaria, à Joſue pariter cũ Sole aduocetur? §.216.n.3.p.262.263
Vide verbo, *Aſtra*, & verbo, *Lux*, & verbo, *Cælum.*

Lutum.

Principum gratia, ſententiosè *Lutoſa* dicitur. §.360.n.2.p.429
Vide verbo, *Terra.*

Lux. Sol.

Subcæleſtis lucerna niſi de cæli lumine non videtur. paragr.14.n.3.p.34
Defectus lucis in Sole, ſumptuoſiùs clarat Chriſti Dei mortem. paragr.24.n.3.p.44
Nil putatur illuſtre, quod nitorem non mutuet lucis ſuffragio. §.28. num.1. & 2.& 3. p.47
Angeli non ante lucem, ſed cum aſtrorum luce, Opificis laudes decantant? paragr.28. n.4. p.48
Cur priùs maligna lux, potiuſquàm clara lux, infecto accenditur mundo? §.29.numer.2. p.48
Lux cætera arguens, priùs examinatur. *Ibid.* n.4. p.49
Fauori imputandum eſt, quòd bona lux nobis placeat? §.33.n.2.p.53
Niſi lucem extinctam non videt Heli.*Ibid.*n.3. p.53. 54
Auditus etiam radiis Solis illuminatur? §.35. n.2. & 3. p.55
Quare lux non tam ore, quàm oculis laudetur, moraliſſima redditur ratio.paragr.36.num.4. p.57
Præuiæ tenebræ ſunt lucis gratia. paragr.46. n.2.p. 66
Finis lucendi, cenſus diei eſt. paragr.47. n.3. p.67
Solis radij, marinæ aquæ furaciſſimi ſunt. §.61 n.2. p.81
Sol & Luna ſunt ſeditionum fautores, inter lucem & tenebras. §.66.n.2.p.86
Exorto Sole, occultetur Sodomiticus ignis, ne Deus tam acerbè punire videatur? §.109. n.1. & 2. p.138
Cur naſcente Chriſto, accenduntur cæli faces; moriente verò, olim accenſæ extinguuntur? §.154.n.1. & 2. p.193
Sol ſplendidiùs lucendo, quodammodò fatigatur. §.155.n.2.p.194.195
Splendidiùs fulget, qui aliquando adnatum ſplendorem inuiſus diſſimulat.§.176.num.1. & 2.&c. p.215. 216
Qui noctu accenſam lucernam videre non poteſt, interdiu videt extinctam. paragr. 188. n.2. & 3. p.234
Delicatior Diaboli cibus, ſunt luces extinctæ. *Ibid.*n.5.p.235
Sol crucis ſacrificium honorat, dum radios tunc abſcondit. §.248.n.3.p.301
Solis radio nomina ſcribuntur. §. 266. num.5. p. 322
Sol ab occaſu ſemper à ſe ſpectato, vitam & fulgores fœneratur. §.274.n.3.p.330
Primæua lux præſidentiæ beneficio euadit Sol & Luna. §.355.n.2.p.424
Lucis nomine deſignatur elementum ignis, in primâ eius productione. *In Comment. Litter.* Benedict.1.n.19. 20. &c. p.7
Sol eſt portio quædam ignei elementi, adhuc retinens formam ignis. *Ibid.* num.50. & 51. p. 15
Vide verbo, *Luna*, & verbo, *Aſtra.*

Luxuria. Libido.

Qui ſemel vel Cupiditatis idolo ſeruit, pluribus ſeruit. §.4.n.1. &c. p.23.24
Impunita Procerum libido, regno minatur ruinam. §.18.n.3.p.38
Citiùs inolitam libidiné deſerit politicus Princeps,

ceps, quàm rationem ſtatus, quàm ſibi putat proficuam. §. 175. n. 2. p. 213
Præceptum non fornicandi, ſolis ceremoniis ſatis impleri putatur? §. 182. n. 2. &c. p. 221
Pulchritudo ſuſpecta eſt de ſtupri affinitate. §. 182. n. 3. p. 221
Malus Dæmon paſſiones carnales in homines iaculatur. §. 285. n. . p. 352
Agreſtis Luxuria homines aut exleges inuenit, aut facit. §. 289. num. 1. & 2. & 3. pag. 355. 356
Qui hominis libidinem publicat, omnia quæ in totâ vitâ ſuâ fecit, ſimul manifeſtat? §. 290. n. 2. p. 356
In ipsâ libidinis pœnitentiâ leguntur relapſionis notæ? Ibid. n. 3. p. 356. 357
Laſciuus acerbè etiam patitur in nomine ſupplicium, quod meretur in re. §. 291. n. 2. & 3. & 4. p. 357. 358
Quo cenſu dicantur Deo placere meretrices & adulteræ. §. 293. n. 3. p. 360
Caſtitas, poſt lapſum inſigniter reſtaurata, felix eſt luxuriæ ſuffragio? paragr. 318. n. 2. & 3. & 4. p. 386. 387
Lumborum cupiditas in Deum transferenda eſt? Ibid. n. 3. & 5. p. 386. 387
Pulchra femina, vel dirâ hoſtilitate virû allicit. §. 330 n. 2. p. 399
Regij olim familiares erant gynæcei Præfecti? §. 356. n. 2. p. 425
Mulier impudica, vna plures dicitur, ad malitiæ exaggerationem. paragr. 363. n. 2. & 3. & 4. p. 432
Vel leui occaſiuncula in re libidinis, non leuem hominibus ingerit ſuſpicionem. §. 364. n. 2. & 3. p. 433
Circumſpectæ etiam cautelæ neglectus, in caſtâ etiam vxore meritorum zelotypiam ſubornat. §. 365. n. 2. & 3. p. 434
Attention occaſionum præſcindendarum cautelæ debet Chriſtus, nil æmulos in re libidinis aduerſus eius modeſtiam ſuſpicatos. §. 366. n. 2. & 3. p. 435

M

Magdalena.

Mulier peccatrix recuperat per pœnitentiam, Magdalenæ nomen. §. 58. n. 3. pag. 78
Occaſionem inopinatæ felicitatis quæſiuit, & inuenit. §. 161. num. 2. p. 201
Libidinis incentiuum fecit virtutis lenocinium. §. 229. n 3. p. 275
Delinquendi olim temeritas, fuit diligendi officina, & fomes amoris? §. 292. n. 3. p. 359
Magdalena pedibus Chriſti inſidiatur, vt præripiat gratiam. paragr. 339. n. 3. p. 408

Magi reges.

Magorum voces cur ſolus & primus Herodes audiſſe legitur? paragr. 121. n. 3. p. 151
Magis noua cæli lux accenditur; Phariſæis olim accenſæ extinguuntur. §. 154. n. 1. & 2. p. 193
Prophetarum clamor Iudæis ſilet, & ſtellæ ſilentium Magis clamat. §. 350. n. 5. p. 420

Magiſter.

Homo infidelis opportunus fidelium magiſter eſt? §. 44. n. 4. p. 64
Vide verbo, *Diſcipulus*, & verbo, *Sapiens*.

Magnanimus.

Sæpè qui magna vicit, minimis vincitur. §. 101. n. 1. & 2. & 3. p. 131
In periculo ſuo tutus eſt, fiduciæ priuilegio. §. 112. n. 1. & 2. & 3. p. 141. 142
Auguſtior magnanimitas in Abrahamo ſuſpicitur, in Socrate meritò culpatur. §. 222. n. 3. p. 268

Magnus. Sublimis.

Decreſcit Magnus, vt Minimo poſſit æquari. §. 44. n. 4. p. 64
Dehoneſtamentis tributarius eminet. §. 72. n. 2. & 3. p. 93
Sæpè qui magna vicit, minimis vincitur. §. 101. n. 1. & 2. & 3. p. 131
Sublimius faſtigium ruinæ inſidiatur. §. 132. n. 2. & 3. p. 161. 162.
Magnos viros, quos viuentes contempſimus, mortuos ſerâ pœnitentiâ lugemus. §. 134. n. 2. & 3. p. 163. 164
Ille verè magnus & ſplendidus eſt, qui agnatum ſplendorem diſſimulare noſcit. §. 176. n. 2. & 3. p. 216
Humana ſublimitas, quæ ex aliorum meritis obuenit, non computatur ad faſtigij gloriam? §. 183. n. 2 &c. p. 222.
Non putatur magnum, quod à Magno viro non fit. §. 222. n. 2. &c. p. 268
Magnitudinis menſura, patientia eſt. §. 251. n. 3. p. 303. 304
Magnitudinem humilitas metitur. §. 353. n. 2. & 3. p. 422. 423
Præcelſi muneris Dignitas, ſæpè magnos viros, aut inuenit, aut facit. §. 355. num. 1. & 2. &c. p. 424
E propriâ magnitudine, alienam æſtimamus, & metimur. paragr. 392. num. 2. & 3. p. 462. 463

Maledictio.

E multis maledicentibus, vnus duntaxat maledicitur, ne omne hominum genus maledicatur? §. 207. n. 2. & 3. p. 253
Prælustris aliorum virtus Maledicorum linguas exacuit. §. 218. n. 2. p. 264
Benedictio in rebus mundialibus, parùm differt à Maledictione. paragr. 252. numero 2. p. 304
Scriptioni, & pædagogiæ operam nauare, inter Simeonis Maledictiones computatur. §. 303. n. 2. p. 370
Vide verbo, *Benedictio*.

Malitia.

Vide verbo, *Peccatum*.

Manna.

In die deficit Manna, vt ex carentia æſtimetur bonum, quod poſſeſſione ignoratur. §. 99. n. 3. p. 129
In Manna non tam res deſiderata, quam ipſum editur deſiderium. §. 114. n. 2. p. 143. 144
Scioli Hebræorum vel dubitationem ſuam in Manna ſcribunt. §. 298. n. 2. p. 364. 365
Hebræorum ſcioli malunt ignorare, quid ſit Manna, quàm ab alio diſcere. §. 371. num. 2. p. 440

Manſuetudo.

Manſuetudinis præmium, non actualis poſſeſſio, ſed poſſeſſionis ſpes datur. §. 114. num. 3. p. 144

Mitibus terrena bona promittuntur; non vt ea poſſideant, ſed vt eadem pro Chriſto repudient? §.142.n.4.p.181
Dauidis manſuetudo,atrociores alit iras? §.287. n.4.p.354

Manus.

Manus noſtra expromptior famulus eſt. §.259. n.1.p.312
Quaſi auritæ forent ſubditorum manus,inauribus ad obſequium ornantur. §.263. num.2. p.316. 317
Manuum ad parendum intelligentia, obſequio adulatur. *Ibid.*n.3.p 317
Humerus & manus hominis, diuitiæ ſunt. §.278.n.2. & 3. p.334
Calamitas de manu hominis acerbior venit; eadem verò de manu Dei mitior euadit. §.369.n.2. & 3. p.438.439
Quare in Iſaaci immolatione fuerit ſecum Abrahami mens, & ſecurior manus. §.378. n.3. p.447.448

Mare.

Mari pręcipitur obſequium,ad quod vi naturali propendet. paragr.56.n.4.p.76
Sol furaciſſimus eſt marinæ aquæ. paragr. 61. n.2.p.81
Vide verbo, *Aqua.*

Maria Deipara.

Cur Ioſephus Mariani pudoris teſtis dicatur. §.45.n.5.p 65
Cur etiam aſſertior. paragr.151.n.3.p.191
Matrimonium Mariæ & Ioſephi, indiuiſibilem animarum coniunctionem operatur? §.240. n.4. p.286.287
Mariæ & Ioſephi coniugium in virginitate deputatur? *Ibid.* n.5. & 6. p.287
Mariæ precibus ante preces adnuitur? §.277. n.4. p.333. 334

Maritus.

Vide verbo, *Coniux.*

Martyr.

Auida Martyrij cupido argutè deſcripta.§.160. n.3. p.200
Qui inimicis benefacit, Martyr ſine plagis dicitur. paragr.232.n.4.p.278

Matrimonium.

Vide verbo, *Coniux.*

Matthæus.

Priùs ſe nominat Publicanum, quàm Matthæum, humilitatis ingenio. paragr.17.n.3. pag.37
Chiſtus in Matthæo non tam publicanum quàm hominem videt? paragr.141.num.3. & 4. p.179
Apoſtolorum proceres ſunt Matthæi diſcipuli? §.324.n.4.p.392.393
Paulus eſt Matthæi, & Diſcipulus,& Magiſter: & è contrario. *Ibid.*p.393
Serpentem non bonæ famæ rumuſculum ſiſtere, fuit primus Matthæi labor? paragr.367. n.2. &c. p.436.437
Matthæus ad ſui ſimilitudinem efformat Chriſti ſublimitatem? §.392. num. 2. pag.462 463

Medicus.

Conglobata medicorũ elogia. §.251.n 1.p.293
Medicus artem cum funeratore reciprocat? *Ibid.* n.1.p.293
Honorandus eſt medicus dum illo non egemus,ne poſteà creſcat de medicinâ calamitas. §.241.n.3.p.293
Qui medicos ægrotus acceſſit, ipſe ſe vltrò proſcribit. §.241.num.4.p.293

Memoria.

Vel à poſſibilis iniurię memoriâ cauendum eſt. §.232.n.2.p.278
Memoria offenſæ etiam conditionatæ, Satan appellatur. *Ibid.*n.3.p.278

Melchiſedech.

Sacerdos ſummi Dei fuit, ſine patre & matre, id eſt, *ens.* §.83.n.3.p.103

Mendacium.

Homines ex meris indicijs expromptiùs credunt. paragr.38. n.2. & 3. p.58
Veritas per bonos etiam traduces linguarum & aurium,malignè ſerpit. §. 41. num.2. & 3. p. 61
Præceptum,cui non paremus, appellantur *Verba mendacia.* paragr.103. n.3.p.133
Humana genealogia, mendacij ſuſpecta eſt. §.113.n.2. & 3. & 4. p.142.143
Ne Ionas mendacij arguatur,euerſionem Niniuæ procurat. paragr.245.n.2.p.297
Neceſſariúſne eſt Prophetiæ ſpiritus ad hiſtoriam retroacti æui verè narrandam? §.304. n.1. & 2. &c. p.371

Mens. Intellectus.

Sit Deus velut mens noſtra, quò exactius in nobis Dei voluntas fiat. §.81.n.2.p.101
An manibus Mens inſit ad parendum? §.263. n.2. & 3. p.316.317
In iram mens inſpiratur,quo indignatio opportuna ſit pietatis auxiliatrix. paragr.309.n.2. & 3. p.376. 377
Mens impiorum, à malitiâ obbruteſcit. §.325. n.2.& 3.&c. p.393. 394
Obtuſi quidam homines, intellectum ſe Diabolo debere credunt. §.341.n.4.p.410
Arcana ſilentij vis,& intellectum acutè climat, & eloquentiam concinnè elaborat. §. 349. n.2.& 3. &c. p.418

Menſa.

Menſa propoſitionis cur ad Aquilonem vergit? §.345.n.1.p.414
Regium principum elogium eſt, vel menſæ reliquias non negligere. §.378. n.1. & 2. &c. p.457. 458

Meritum.

Non tam operis meritum, quàm operantis fama operis cenſus eſt apud homines. §. 153. & 154. p.192. 193. 194
Dignitatum fuga, eſt meritum dignitatis. §.157.n.2.& 3.p.196.197
Terrena felicitas inter Abrahami merita computatur? paragr.158.n.3.p.197.198
Humana ſublimitas, quæ ex aliorum meritis obuenit,non computatur ad faſtigij gloriam. §.183.n.2.&c.p.222
Erogari in meritorum ſtipendium, generoſus amor erubeſcit. §.189.n.1.& 2. & 3.p 235
Præambulum electorum examen, priùs trutinet merita candidati. §. 202. num. 2. & 3. p. 248
Cognatio cum Senatoribus,meritum eſt ad dignitates. §.295.n.2. & 3. p.361.362
Timor dignitati, illius obeundæ meritum eſt. §.338.n.2.p.407

Præfecti

Præfecti ſola cognatio, meritùm eſt ad præfecturas. §. 359. numero 2. & 3. pagin. 428. 429

Metus.

Vide verbo, *Timor.*

Minæ.

In acerbioris ſupplicij terrore, diuinioris clementiæ leguntur characteres. §. 106. num. 1. & 2. & 3. p. 136

Supplicij minæ, ſupplicij meritum ſine ſupplicio redimunt. §. 111. n. 1. & 2. &c. p. 140. 141

Minacia verba euaporant furorem: taciturnitas in homine offenſo, ſæpè crudelitatis comes, & augurium eſt. §. 286. n. 1. & 2. &c. p. 352. 353

Minima. Parua.

Sæpè qui magna vicit, Minimis vincitur. §. 101. n. 1. & 2. & 3. p. 131

Miniſter.

Adamo Rectori dat Deus miniſtrum quaſi eum. §. 85. n. 2. p. 105

Cunctanter exequatur, quæ aliis moleſta ſunt; impendens charitati; quod expromptiori defraudat obſequio. §. 18. n. 2. & 3. p. 38

Regis Miniſtri, ſicut Pharaonis Magi, regni plagas augent. paragr. 328. n. 2. p. 397

Rem cupitam non per adminiſtros, ſed per ſeipſum exercere, magni amoris character eſt. §. 259. n. 1. & 2. &c. p. 312

Miraculum.

Occulta miracula credibiliora ſunt, quàm publica? paragr. 24. n. 2. p. 44

Experta miracula in pretio ſunt, vltronea ſæpè vileſcunt. paragr. 70. n. 2. p. 91

In eloquentię locum, Virga miraculorum Moyſi ſubrogatur. paragr. 348. n. 2. p 417

Ex patientia potiùs quàm ex miraculis Chriſtus agnoſcendus eſt? paragr. 383. num. 3. pagin. 454

Miſericordia. Benignitas.

Iudex ex iuſtitia debet miſericordiam? §. 9. n. 1. & 2. & 3. p. 29. 30

Largior beneficentia ſæpè periculum creat largitori. paragr. 10. n. 2. & 3. p. 30

Dies in quo Deus benefacit, dies *integer* dicitur. §. 50. n. 2. p. 69. 70

Deus debitor eſt clementiæ, quaſi lege de humanitate latâ. paragr. 9. n. 3. p. 30

Miſericordiam irritat flagitium patratum poſt beneuolam correptionem. §. 104. n. 1. & 2. & 3. p. 134

In acerbioris ſupplicij terrore, diuinioris clementiæ characteres leguntur. paragr. 106. n. 1. & 2. & 3. p. 136

Miſericordiæ Dei, *Reſpectiones* appellantur. §. 106. n. 3. p. 136

Supplicij minæ, ſupplicij meritum ſine ſupplicio redimunt. paragr. 111. n. 1. & 2. &c. p. 140. 141

Eſtne Miſericordia humana, diuinæ miſericordiæ menſura. §. 145. n. 4. p. 182

Cui Dei miſericordia parcit, omniſcientia non parcit? §. 149. num. 1. & 2. & 3. pagin. 188. 189

Deus velut parturit dona ſua. §. 169. n. 1. p. 208. 209

Tenuitas humana, niſi vitiorum nominibus dignè de Dei clementiâ non cenſet? §. 215. n 2. &c. p. 261. 262

Ionas quaſi nimis pium accuſat Deum, ad diuinæ pietatis notionem? §. 215. n. 4. p. 262

Pœnitentes oriundi ſunt ex Dei miſericordia, & inde nobiliores. §. 293. n. 4. p. 360

Celebris ille Tertulliani locus, (*ô Deum non naturâ beneficum, ſed æmulationes*) diuinæ miſericordiæ vindex, vindicatur, & ex aliis eiuſdem Tertulliani locis aſſeritur. §. 312. toto §. p. 379. 380

Deo agnata eſt Miſericordia, Iuſtitia velut peregrina. *Ibid.* n. 2. p. 379. 380

Deus Miſericordiâ ſuâ ſuam naturam vendicat apud homines. §. 312. n. 3. p. 380

In Dei conſilio liberalitas præeſt? *Ibidem.* n. 6. p. 380

Quod ſæuitiam putamus, Dei gratia eſt. §. 312. n. 8. p. 380

Miſericordia diuina eſt diuinæ Iuſtitiæ idea? *Ibid.* n. 9. p. 380

Vide verbo, *Liberalitas,* & verbo, *Pœnitentia.*

Mitis.

Vide verbo, *Manſuetudo.*

Modus.

Rei petitæ cenſus, modus petendi eſt? §. 302. n. 2. p. 369

Præmaturè Lucifer quod habiturus erat, concupiſcit. *Ibid.* n. 3. p. 369

Statuitur modus in defunctorum luctu. §. 399. n. 2. & 3. &c. p. 470. 471

Monachus.

Vide verbo, *Religioſus. Eremus.*

Morbus.

Vide verbo, *Ægrotus.*

Mores.

Religionis mores compenſat Deus generis nobilitate. paragr. 156. n. 3. p. 196

Mora.

Perdita Euangelij drachma, meliùs ſtatim quæritur in obſcurâ nocte, quàm poſteà in clarâ diei luce. §. 159. n. 2. & 3. p. 198. 199

Pium opus cunctanter & pigrè inchoatum, etiam poſt conſummationem, vix cœptum creditur? §. 179. n. 2. & 3. p. 218. 219

Mora in obſequendo, pietati aliquando blanditur. §. 180. n. 2. & 3. p. 219

Dulciùs accipitur, quod aliquâ dilatione præſtatur. Vnde Deus vt orantis vota adimpleat, aliquoties orationis vota contemnit. §. 337. n. 2. & 3. p. 406

Mors.

Eſtne mors, perfectionis conſummatio? §. 47. n. 2. & 3. p. 67

Homo non in vitæ auſpicio, ſed in mortis clauſula, dignus laude cenſetur: ideo in mundi exordio illaudatus dimittitur. §. 96. n. 2. & 3. p. 117. 118

Mors eſt ſtipendiorum plenitudo. *Ibidem.* num. 4.

Mori ſemel Iobus expetit. §. 123. n. 2. & 3. & 4. p. 152. 153

Strenuos viros, quos viuentes contempſimus, mortuos magni facimus, & ſerâ pœnitentiâ lugemus. §. 134. n. 1. & 2. &c. p. 163. 164

Mortis propiùs ſpectatæ meditatio, abdicationi bonorum gratulatur. §. 135. num. 2. & 3. p. 172. 173

Memoria inſtantis ſibi Mortis, aſtrorum adornat fulgores, & paradiſeam conſummat felicitatem. §. 274. n. 1. & 2. & 3. p. 330

Mors quæ inurbanè de tædio vitæ naſcitur, in ſui deſiderij ſepulcro tumulatur. §.275.n.1. &c. p.331
Elias quærebat mortem, dum fugeret. *Ibid*.n.2. p.331
Quærenti mortem, mors periit. §.275. num.3. p.331
Prima humanæ vitæ inſpiratio, moraliſſimè dicitur, *Spiritus emiſſio*. §.276. numer.2. pagin.332
Vita humana, Mortis fuga eſt. *Ibidem*. num.2. p.332
Vita humana tanquam flos efflorеſcens decidit. §.278.n.3.p.332
Homines vix vnâ horâ vita potiuntur. *Ibid*. n.5.p.332
Timeátne Angelus in aſſumpto corpore mortem? §.276.n.5.p.332
Negotium, cui homo adhuc viuens, ſuam fidem obſtrinxit, adhuc poſt mortem, negligendum non eſt. §.277. num.2. & 3. &c. pagin.333. 334
Mors cognatorum, cognatis grata eſt, de ſpe hereditatis §.296. n.2. & 3. p.363

Mortificatio.

Ille maſculâ virtute viget, qui paſſionum ſuſtinet violentiam, & ſapienter viuit; non qui bona indole præditus eſt. §. 229. numer.2. p.275
Mortificationis elogium. §.283.n.3.
Nil mali accidere viro bono poteſt, qui in viuente corpore viuas exequias Mortificatione celebrauit? §.385.num.2. & 3.&c.pag.455. 456
Sæpe cæleſtis ſponſus ſpecie repulſæ, acriùs ſuæ ſponſæ ſauciat amorem. §.388.num.1. & 2. & 3. p.458.459
Religioſus non benè oſtentatâ mortificatione, dignitates mercatur. §. 393. num.2. p.463. 464

Moyſes.

Cur Moyſes non tam Deus, quàm Dij Pharaonis Hebraïcè nominetur. §.7.n.2.p.27
Lucem audit oculis? paragr. 35. num.2. & 3. p.55
Ita Dei dat Moyſi conſortem in regimine. §.71. n.2. p.92
De Moyſis ſpiritu imbuit Deus eiuſdem Subpræfectos. §.85.n.3.p.105.106
Non putatur æquo animo laturus vnius noctis incommodum. §.101.n.3.p.131
Moyſes Deum timeat, ne Pharaonem timeat. §.108.n.2.p.137
Cur Moyſes ſuperſtite vtroque parente, pupillus vocetur. §.129.n.3.p.159
Moyſes timore & repulsa dignitatis, benemeritum ſe probat. §.157. num.2. & 3. p.196. 197
Quare quod Moyſi præcipitur, Iſaiæ interrogatur? paragr.167.n.2.p.207
Moyſes Deo præſens, propiùs Deo accedit, dum longiùs ab eo mittitur. §.175. n.2. p.215
Eſto, ſoluit Moyſes calceamenta, nonne ea ſuper terram depoſuit? §.254.n.2.p.307
Moyſes futurorum prædictione, fidem facit hiſtoriæ præteritorum. §.304.n.2.p.371
Moyſes legis proculcatione legiſlatoris gratiam meretur. §.320.n.4.p.389
Otium, & hominum ingratitudo Moyſi profuit ad ſapientiæ ſtudium. §.327.n.3.p.396
Vbi Aaron idoneus dicitur ad perfecturam, illam Moyſes non recuſat. §.329 n.2.p.398
In eloquentiæ locum, virga miraculorum Moyſi ſubrogatur. §.348.n.2.p.417

Mulier.

Pulchræ mulieris elogia. §.330.n.1.p.399
Pulchra femina venuſtatis præſtigio, re odij negotiatur amorem. *Ibid*.n.2. & 3.p.399
Elias de manu mulieris mortem fugit; de manu Dei mortem petit. *Ibid*.n.2.p.399
Eloquij diuini muliebris commentario, occaſionem dedit primæuo delicto. §. 341. n.2. & 3. p.410
Mulieris impudicæ elogium. §.363.n.1.
Mulier impudica, vna plures dicitur, ad malitiæ exaggerationem. §.363. n.2. & 3. & 4. p.432
Quantâ cum cautelâ Chriſtus Deus mulieres alloquitur. §.366.n.2.& 3. & 4. p.435

Mundus.

Cur ante mundum Angeli creati non ſint. §.1. n.1. & 2. &c. p.20. 21
Mundus creatus non eſt ab aliquo Rege. §.11. n.4. p.31
Mundus etſi perfectus, adhuc perficitur. §.16. n.2. & 4. p.36
Deus non rogatus mundum condit, vt liberè mundum condidiſſe putetur? §.280.num.2. p.336
Eſto Peripateticus Deo, Pythagoræus mundo. §.323.n.4 p.392

Munificentia.

Vide verbo, *Liberalitas. Miſericordia.*

Munus. Donum.

Dei munera plus illi placent, poſtquam ea hominibus dono dedit, arcanâ placendi vſurâ? §.95.n.1.& 2.& 3. p.115. 116
Munera Abimelecho donata ad memoriam, obliuionem procurant. §. 164. n. 2. p.203. 204
Saül cum munerum obſequio, obſequij ebibit obliuionem. *Ibid*.n.3.p.204
Acceptum à Deo munus, ſignum eſt diuinæ promiſſionis indubiè adimplendæ. §. 204. n.2. & 3. p.250
Infinita Dei liberalitas, donando, ad vlteriùs donandum quodammodo obligatur. §.281.n.2. & 3. p.337 338
Primus omnium Cain, Deo munera obtuliſſe legitur. §.300.n.2.p.367

Murmuratio.

Vide verbum, *Detractio.*

Mutatio.

Luna quia perſæpè mutatur, Luminare minus dicitur. paragr. 2 n.4.p.53
Superiori, qui regimen euariat, difficilè obedientia præſtatur. *Ibid*.n.1.& 2. p.52

Mutus. Elinguis.

Qui mutus fuit, etſi modo loquatur, Mutus dicitur? paragr.49.n.4.p.69
Vel muta labiorum apertio, obſtetricante indiget gratiâ, ne faciat verborũ aborſum? §.347. n.2. & 3. p.416
Qui fecit mutum, artifex eſt eloquentiæ §.349. n.4. p.418
Vel quaſi angelificatus ignis in rubo, conſultiſſimè mutus eſt. §.394. n.3. p.465

N

Nabuchodonoſor.

Bonus in hoc Princeps Nabuchodonoſor, qui herbis alligatus,non eas extirpat,ne ſubditos eradicet. §.310.n.2.p.377

Natiuitas. Ortus.

Pharao & Herodes diem ſuæ natiuitatis celebrant ; Deus verò hominem non in natiuitate,ſed in morte laudat. §.96.num.1.& 2. p. 117

In Chriſti natiuitate cæli faces accenduntur;in eius morte, accenſæ olim extinguuntur. §.154.n.1.& 2.p.193.194

Humana Chriſti Dei natiuitas, auguſtam in progenitores reuerberat gloriam. §.317.n.2. & 3. &c. p.385. 386

Ex Chriſti natiuitate cenſenda eſt Dei maieſtas. §.353.n.3.p.423

Neceſſitas. Neceſſarium.

Neceſſitas amorem exarmat, & detriumphat. §.90.n.2.p.110.111

Quod in te virtutis fieri oportet facere neceſſe eſt. §.90.n.2.& ..p.110.111

Solitudo ad perfectionis neceſſitatem Religioſum conſtringit ? §.139. num.2.&c.p.176. 177

Deus velut impotens non ſuccurrendi humanę Neceſſitati,bonorum ſuorum quaſi rapinam patitur. §.169.n.3.p.209

Humana Neceſſitas Chriſti Dei paſſionem parturit ? *Ibid.*n.4.p.209

Humana oratio ex impoſſibili facit neceſſariũ ? §.280.n.3.p.336

Regius familiaris dicitur, Neceſſarius Regis amicus. §.356.n.4.p.426

Vltima Neceſſitas,non ſit ſpei iactura,ſed fiduciæ conceptaculum. §. 378. n.1. & 2. & 3. p.447. 448.

Negotium. Negotiatio.

Religioſus negotiis ſecularibus obſeſſus, non poteſt ſeruire Deo ? §.139.n.2.p.176.177

Diuitiarum fama,ſat diues negotiatoribus cenſus eſt. §. 165. n.2. & 3. p.204. 205

Qui ſecreti fidem exigit,publicationem negotiatur. paragr.228. n.2. & 3. p.274

Præfectura ingenio negotiationis parta, vix computatur ad honorem. paragr. 250. n.2. & 3. p.301. 303

Primogenitus Manaſſes, cui dextera procuratur,duplici dehoneſtatur ſiniſtrâ. §.261.n.4. p.315

Negotium, cui hominum adhuc viuens, ſuam fidem obſtrinxit; adhuc poſt mortem,negligendum non eſt. paragr.277. n.2.&c.p.333

Vita lacinioſa, & negotiis implicata, officit ſtudiis ſapientiæ. §.327. n.2. &c. pag.395. 396

Nobilitas.

Nobilium defectus notiſſimi ſunt. paragr.21. n.2. & 3. p.41

Maxima Nobilium gloria eſt, ſe poſſe quam maximè ſubmittere. paragr.142.n.3.p.181

Nobilitas, quæ ſeritur, aut Principum fauore obtinetur,adulterina eſt ? §.156.n.3.p.196

Abrahami virtutem,nobilitate generis compenſat Deus ? §.156.n.2.p.195.196

Dignitas originis in operum conſiſtit exemplis. §.170.n.4.p.210.211

Vrbanitas,ingenuitatis ſtemma eſt,& nobilitatis inſigne. §.246.n.2. &c. p.298. 299

Illuſtrior Nobilium honos,dum vindictâ recuperari ambitur, egregiè periclitatur. §. 299. n.2. &c. p.365. 366

Vel in ipsâ obſequiorum ſubmiſſione, in Nobilibus elucet generoſitatis ſcintilla. §. 315. n.2. & 3. p.383

Chriſtum Deum honeſtat mundialis nobilitas. §.317.n.1.p.385

Nobilitas genere manante fluit. *Ibid.* num. 3. p.385. 386

Generoſa ſoboles progenitores nobilitat.§.317. n.2. & 3. &c. p.385. 386

Auguſtior nobilitas, ex viliori humilitate cenſenda eſt. §.353.n.2.& 3.p.422.423

Piæ nobilitatis elogium eſt,humilium conuerſationem non faſtidire, ſed perhumaniter ambire. paragr.361.n.2. & 3.p.430

Noe.

Noë ſuſpiciens cælum,cernit terræ ſqualorem. §.67.n.2.p.87

Vberior & officioſior eſt gratia, quæ filiis Noë datur in Patre. paragr.97. n.2. p.127

Noë nullos poſt diluuium ſuſcepit filios. *In comment. Litter.* Benedict. 2. n. 12. & 13. p.124. 125

Nomen.

Nomen ingenuum dat pax. §.31.n.5.p 51

Nomen à præſtabiliori, non à deteriori faciendum. paragr.34. n.2. p.54

Non ex relatione,ſed ex rei viſione imponatur. §.40.n.5.p.60

Res iam munda, antiquo ſqualoris vocabulo deuenuſtanda non eſt. §.58.n.1.& 2.p.78

Vbi primùm parcitum eſt vrbi Balæ,nomen illi mutatur. *Ibid.*n.4.p.78

Seculare olim Petri nomen ſuſcitatur, cùm illi prælatio conceditur. paragr.83.n.2.p.103

Dei nomen Tetragrammaton exponitur.§.128. n.3. p. 58

Nomina obſtetricum cur exprimuntur; ſecus parentum Moyſis nomina? §.129.n.2.p.158. 159

Dei nomen in Idolo venerandum eſt; §. 147. n.1. p.186. 187

Tenuitas humana, niſi vitiorum nominibus, dignè de Dei clementia non cenſet ? §.215. n.2. &c. p.261. 262

Nominum etiam mortes,& memoriæ cadauera. §.257.n 1.p.310

Perdit nomen quiſquis illud in terris perennare ſatagit. *Ibid.*n.2.p.310

Nomina in cælis ſculpenda ad omnem æternitatem. *Ibid.*p.310

Studium æternam ſui nominis memoriam relinquendi,eſt primordialis delicti monimentum. paragr.257.num.3.p.310

Terrenum æternandi nominis monimentum, ruinæ prophetia eſt. paragr.257. n.4.p.310. 311

Nulla tranſgreſſio, nomina labefactauit. §.265. n.1. p.320

Ioſephus nomina inſcripſit in tenellâ infantiũ carne. *Ibid.*n.1.p.320

Eſtne Ieſu nomen, Chriſto Deo ſubſtantiale ? §.265.n.3.p.320

Diſpoſitionis merito nomen Ieſu Societati tribuitur. *Ibid.*n.4.p.320.321

Societati Ieſu erogatur nomen Dei, quod ambiret Adamus? §.265.n.5.p.321

An auguſtum Chriſti Ieſu nomen, Ieſuitis ſic arcanâ fœcunditate filietur, vt ipſius Solis radio videatur deſcriptum? §. 266. toto p.321.322

Chriſtus Deus filij nomen Patri reſtituit in filijs. §.280.n.2.p.336

Laſciuia acerbè etiam patitur in Nomine ſupplicium, quod meretur in re. §.291.num.2. & 3. &c. p.357.358

Cùm plus amoris à Petro exigitur, ſeculare nomen ſuſcitatur. §.292.n.4.& 5.p.359

Bona de Deo exiſtimatio, eſt ſanctificatio nominis Dei? §.367. numer.3. & 4. pag.436. 437

Nomen Ieſu.

Vide verbo, *Nomen*, & verbo, *Societas Ieſu.*

Vide verbo, *Scientia: Notitia.*

Nouum. Recens.

Eſtne Deus, *Qui eſt*, an, *Qui erit?* §.47.num.4. p.67

Arcanâ Dei electione primus fratrum reperitur, qui erat nouiſſimus. paragr.261.num.2.&c. p.314.315

Non eſt verum, quodcumque primum. §.306. n.1. p.373

Chriſtum in nouis veterem laudat Tertullianus. *Ibid.*n.2.p.373

Illuſtre S.Bernardi teſtimonium contra nouitatis vituperones. paragr.306. n.3. p.373

Quia recentior apparuit Chriſti doctrina, non eſt poſtponenda doctrinæ Ioannis Baptiſtæ. *Ibid.*n.4 p.373

Antiquitas nouis quæſtionibus non deuenuſtatur. paragr.306.n 5.p.373

Antelatio iunioris Dauidis, ſtatim compentatur ſeniori Abrahamo. §.12..n.2.p. 91

Sic nonnulli ſuæ ſcholæ tenaciſſimè adhæreſcunt, vt veritati ab alijs recens inuentæ planè renunciarint. §.340.n.2. & 3.p.409

Eximia laus canæ ſapientię eſt, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla. §.341. num.1. & 2 &c. p.411. 412

Nubes.

Exiſtat in nubibus, diluuij ſecuritas, quia inde poterat timeri diluuium. paragr.105.n.2. p.135

Nuncius.

Ipſa rei fauſtæ denunciatio, delati boni nuncij remuneratio eſt. paragr.107. num. 2. & 3. p.136. 137

Bonus nuncius eſt, qui nunciat malos ſacerdotes occiſos, etiam cum ingenti totius populi clade. paragr.308. n.2. p.253.254

Spiritus ſanctus, quia amor eſt, Angelus, id eſt, nuncius non appellatur. §.259.n.3.p.312

O

Obduratio.

Vide verbo, *Obſtinatio.*

Obedientia.

SVperiori qui regimen euariat, difficilè obedientia præſtatur. §.32. num.1.& 2.&c. p.52. 53

Nulli parere, eſt regnandi gratia. §.46.numer.3. p. 66

Cælum ob ſuæ naturæ præſtantiam, cunctanter obedit? §.52.n.2.p.71.72

Subditos ad cupita præcepto ſponte cogi, gratiæ officioſitas eſt, & regendi peritia. §.55. n.2. & .. p 75

Obſequij ratio in animorum conſenſione ſita eſt. *Ibid.*p.75

Brutæ animantes arcano ſenſuum ingenio, Dei iuſſa percipiunt? §.78. n.1. & 2. & 3. p.98. 99

Sit Deus nobis velut noſtra mens, quò exactius in nobis Dei voluntas fiat. paragr.81. n.2. & 3. p.101

Scientia imperandi, in parendi eruditur gymnaſio. paragr.82.n.2. & 3. p.102

Spontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat. §.86.n.2.& 3.p.106.107

Multiplex Superiorum lex, non exarmat malitiam, ſed ſæpè ſubditos ad inobedientiam armat. §.100.n.1.& 2.&c.p.130.131

Homo cui diuinum præceptum i.. ponitur, diuidi honoris humanus arbiter conſtituitur. §.102.n.2. & 3. p.132

Quàm ſit difficile, Dominum quaſi Deum habere. paragr.128.n.2.p 158

Expromptius hominis obſequium, .. cui tantæ diſtantiæ compendio, Deo appropinquat. §.175. n.1. & 2. & 3. p.214. 215

Legem vnam, vnam plures puta.. inobedientiæ ingenium eſt. paragr.177. num. 2. & 3. p.216. 217

Aliquando obſequentis cunctatio p.. ſapientis pietati blanditur. paragr.180.n.1. & 2.& 3. p. 219

Non habet Chriſtus quid dicat, vt d.. .. Patris mandatum? paragr.181.n.2.p.220

Sit nobis præceptum, ve.. diuinæ vo.. ntatis character. *Ibid* n.3.p.220

Benedictio Eſaü eſt, fratri ſeruire? §.224. n.4. p. 270

Quaſi auritæ forent ſubditorum manus, inauribus ad obſequium ornantur. §.263. num.2. & 3. p.316. 317

Caſtitas obſequentis, obſequio adulatur. §.289. n.2. & 3. p.355. 356

Dum Superior cibat ſubditos, eorum alit obſequium. paragr.386.n.1.& 2.&c.p.456

Obedire, cibari eſt. Quin etiam & armari. §.386.n.3.p.456

Vide verbo, *Superior*, *Rex.*

Obliuio.

Priuatorum hominum obſequia obliuioni principum adulantur. paragr.164.n.1.&c.p.203

Adamo & Iſaaco diuina ecſtaſis immittitur, ad iniuriæ obliuionem? paragr.211. n.2. & 3. pag.257

Obliuio iniuriarum nimis cômendatur. §.232. n.2. &c. p.278

Qui ſuum nomen in terris perpetuare procurat, obliuionem negotiatur. paragr.257.n.2. & 3. & 4. p.310. 311

Regum aula, rerum cæleſtium obliuia procurat. §.389.n.1. & 2. & 3. p.459.460

Obſequium.

Vide verbo, *Obedientia.*

Obſtinatio.

Scelus publicatum, intimiùs peccatori corporatur,

tur,& obdurationem publicatione procurat? §.120. n.2. & 3. p.150

Obſtinatè inſiſtimus in propoſito, quod ſemel in animum irruit, & opere inchoatum eſt. §.197.n.2.& 3.p.243

Obſtinata honorum recuſatio, Deum velut contentioſum facit, vt illam ſublimet. §.338. n.2. &c. p.407

Occaſio.

Occaſio quondam delinquendi, etſi iam honeſta, ſtudioſè adhuc fugienda eſt? §.43.n.2. & 3. p.63

Quiſquis occaſionem exercendæ virtutis captat, & inopinatam felicitatem, ad ſuæ redemptionis occaſionem inuenit. §.161.n.2. & 3. p.201

Vel leuis occaſiuncula in re libidinis, non leuem hominibus ingerit ſuſpicionem.§.364. n.2. & 3. p.433

Circumſpectæ cautelæ neglectus, in caſtâ etiam vxore, maritorum zelotypiam ſubornat. §.365.n.2.& 3.p.434

Attentioni occaſionum præſcindendarum cautelæ debet Chriſtus, nil æmulos in re libidinis aduerſus eius modeſtiam ſuſpicatos. §.366.n.2.& 3. p.435

Occultum. Secretum.

Occulta virtutis miracula latius buccinant patratoris famam. §.24. n.1. & 2. & 3. p.43. 44

Occultare patris defectus, boni filij elogium eſt. §.118.n.2.& .p.147.148

Scelus publicatum, intimius patratori corporatur, & obdurationem publicatione negotiatur. paragr.120.n.2.& 3.p.150

Publicata infamia fit ſæpè impudenter delinquendi licentia. paragr.127. n.2.&c.p.156. 157

Dum velum templi ſcinditur, Synagoga tumulatur; quia eius arcana pateſcunt. §.25.n.2. p.45

Prima Samſonis,& Chriſti gloria occultatur, vt de famâ priùs fidem negotietur. paragr.155. n.2.& 3. p.192. 193

In occulto loquitur nihil, qui multa in ſecreto loquitur. paragr 227. n.2. & 3.p.273

Qui ſuum ſecretum alicui credit,& ſecreti exigit fidem, publicationem ſubornat. §.228. n.2. & 3. p.274

Occupatio.

Vide verbo, *Otium. Negotium.*

Oculus. Cæcus.

Heli ad terrenam lucem cæcus eſt, quouſque de cælo illuminetur? §.14.n.3

Oculus voces videt? paragr.35. n.4.p.55

Quod oculus non videt, videt tactus. *Ibid.*n.5. p.56

Oculi citiùs quàm lingua, lucem laudant.§.36. n.4. p.57

Inuidus Saul, Dauidis *Oculator* dicitur. §.39. n.2. p.59

Delictorum inquiſitio, non tam credatur auribus, quàm oculis. §.4.n.2. & 3.p.23.24

Noë ſuſpiciens cælum, videt terræ ſqualorem. §.67.n.2.& 3.p.87.88

Eua concupiſcentię oculis ſaporem videt.§.79. n.3. p.100

Iſaac cæcus ad præſentia, futura peruidet. §.186.n.2.p.232

Qui noctu accenſam lucernam videre non poteſt, interdiu videt extinctam. §.188.num.2. & 3. p.234

Gubernator ne ſit tam candidè ſimplex, vt ſemel videatur totus. §.201. n.2. & 3. p.249

Oculi parum fauentes, ſacrificium profanant? §.248.n.2.& 3.p.300.301

Reproborum eſt retrorſum cadere, quia ibi cadunt, vbi non vident: iuſtus autem in faciem ſuam cadit, quia ibi cadit, vbi videt. §.333. n.2. & 3. p.401. 402

Oculus peruerſo tumore ambit pedis officium. §.353.n.1.p.412

Odium.

Ille eſt verè Iſraëlita in quo dolus non eſt, qui neque ad odium aliquid loquitur, neque ad gratiam. paragr.37. n.2. §.57

Sæpe ex acceptis beneficiis odium naſcitur. §.10.n.1.& 2

Odium ſubiectio parit. §.205.n.2.&c.p.251

Iudicij audacter temerarij officina, indicantis maleuolentia eſt. paragr.225. numer.2. &c. p.271. 272

Perſecutio, in locum odij, amicitias conciliat. §.226. n.2. & 3. p.272. 273

Nomen Ieſu propagatur cum Odij ſui lege §.265.n.3.p.320

Cauendum eſt, ne dum mutua vlciſcimur odia, rectæ fidei cauſam nos tueri ſimulemus. §.307.n.1.& 2.p.374

Pulchra femina venuſtatis præſtigio, te odij negotiatur amorem. paragr.330.num.2.& 3. p. 399

Maleuolentiæ ingenium, opus alioqui innoxium, crimen læſæ maieſtatis appellat.§.373. n.2. & 3. p.442

Potentes ambitione potentiæ, quos iniuſtè læſerunt, inde iniuſtius oderunt. paragr.375. n.2. & 3. p.444

Sæpè cæleſtis ſponſus te odij amorem allicit. §.388.n.2. & 3.p.458.459

Quia Doeg odiebat Dauidem, ideò eum allicit ad Regis aulam. §.389.n.3.p.460

Officium. Miniſterium.

Aliqua cum obeundo officio cognatio, perfectiſſimum efformat officialem.paragr.87.n.2. & 3. p.107. 108

Officium cuiuſque, eſt eius baſis,& ſubſiſtẽtia. §.133.n.1.p.162

Qui miniſterium ſuum implet, innocentiæ ſtatum æmulatur. paragr.133.n.2.p.162

Officium ſuum implere, perfectionis clauſula eſt. *Ibid.*n.3.p.162.163

Chriſtus niſi impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio? paragr.133. n.4.p.163

Nomen Ieſu (id eſt, ſui officij) eſtne Chriſto Deo ſubſtantiale? paragr.265.n.2.p.320

Diuina electio, quem obeundo muneri indignum inuenit, dignum facit. paragr.270. n.2. & 3. p.325.326

Proprium officium, adhuc poſt mortem, negligendum non eſt. paragr.277. num. 2. & 3. & 4. p.333.334

Chriſtus iam iam moriens, ſe ſe hominum redemptioni deuouit? §.346.n.2.p.415

Omnipotentia.

Prius operatur, quàm operatura putetur. §.2. n.2. & 3. p.21

Omnipotentiæ ratione deſtitutæ, inconſulti furoris ſuſpecta foret. §.6.n.2.& 5. p.26.27
Omnipotentia eſt diuinæ rationis principatus. §.6.n.4.p.27
Bene omnia fecit, qui bene aliquid fecit? §.184. n.2. p.230
Cur vbi primùm nominatur Verbum diuinum, confeſtim dicitur, Omnipotens? §.2. 6.n.1. p.35?

Opus. Operator.

Perfectus Operator priùs rem efficit, quàm eam incepturus putetur. §.2. n.1. & 2. &c. p.21
Præuia verba, vim operandi faſcinant. *Ibidem* p.21
Sapientiſſimus Operator eſt, qui ſcire diſſimulat, quouſque inſtet operandi tempus. §.40. n.2. p.60
Res facticia, diuerſiſſima eſt in ſeipſa, ac in humanæ factoris idea. §.42.n.2.& 3.p.62
Non operis initium, ſed finis, illi de perfectione gratulatur. paragr.47. n.2. & 3. p.67
Spontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat. §.86.n.2.& 3.p.106.107
In re virtutis, qui potentiam habet, operari dicitur. paragr.89.n.2 & 3.p.109.110
Opus non ex ipſius merito, ſed ex fama operantis, extolli ſolitat. §.153.n.2. & 3. p.192. 193. Et §.154. n.1. &c. p.193
Opus alioqui præcelſum, patratoris vilitate decreſcit, dehoneſtatur, vileſcit. §.222.num.1. & 2. &c p.268
Rem cupitam non per vicarios, ſed per ſeipſum operari, magni amoris character eſt. §.259. n.1. & 2. &c. p.312. 313
Manus ad præſtandum opus præceptum, inſtitutibus adoptantur. paragr.263. num.2. & 3. p.316. 317

Oratio. Preces.

Quid neceſſe fuit dicere, Cælum nulla præmiſſa oratione creatum fuiſſe? paragr.1. n.1. & 2. p.20
Oratio humana, Deo grauida, cælos parturit? *Ibid.* n.3. &c. p.21
In grauiſſima oppreſſione nec gemere licet, nec Deum orare iuuat. paragr. 125. n. 2. & 3. p.154. 155
Domini pro famulo oratio, exoratio eſt. §.130. n.2. p.159. 160
Deiparæ precibus ante preces adnuitur? §.277. n.4.p.333 334
Humana Oratio vim Deo infert? paragr. 280. n.1. p.336
Deus non rogatus mundum condit, vt liberè mundum condidiſſe putetur? paragr. 280. n.2. p.336
Humana Oratio de impoſſibili facit neceſſarium? *Ibid.* n.3.p.336
Deſiſne iuſti orationem veretur? §. 280. n.4. p.336. 337
Quàm acerbè animum ſupplicantis excruciet rei petitæ negatio. paragr.282.n.2.& 3.& 4. p.338. 339
Impudens malitia eſt, peruerſa oratio, vltionem impetrans. paragr.322. n.4. p.379
Deus vt orationis vota adimpleat, aliquoties orationis vota contemnit. §.337. n.3.p.406
Dulcius accipitur, quod dilatione præſtatur. *Ibid.* n.2.p.406

Ordo.

Cæli politia ſugillat humanæ præcedentiæ vrbanas nugas: dum ſic à dextris ſedet Filius, vt Pater non ſedeat à ſiniſtris. §.324.num.2. p.392
In diuinis non eſt minor gradu, poſterior ordine. *Ibid.* n.3.p.392
Apoſtolorum proceres ſunt Matthæi diſcipuli. §.324.n.4.p.392.393
Inurbanè vrbaniſſima præcedentiæ politia apparet in aquis. *Ibid.* n.5.p.393
Vide verbo, *Vrbanitas.*

Ornatus.

Ornatus terræ, eſt à cælo ſeiungi? §.57.num.3. p.47
Qui de ſuo, etſi modicè ornatur, adſcititios cæli fulgores æmulari poteſt, de ornamenti præſtantia. §.63.n.1.& 2.&c.p.83.84
Ornatus Chriſti eſt, humilium virginitas. §.88. n.3. p.109

Otium.

Religioſus negotiis ſecularibus obſeſſus, non poteſt ſeruire Deo? §.139.n.2. p.176.177
Nil agendo homines, male agere perdiſcunt in Otij gymnaſio, §.326.n.1.p.394
Adamo in paradiſo, Otium non permittitur, etſi ſuperuacuo labore. *Ibid.* n.2.p.394
Speciem laboris ſuſcepit Princeps Adam, ne Superiorum præ ſe ferret otium. paragr.326. n.2. p.394
Dies Sabbati ſegregatur à reliquis, ne reliquas otiari doceat? *Ibid.* n.4.p.395
Dies quieti & otio deſtinata, Dei benedictione & ſanctificatione eget. §.326.n.3.p.395
Quietis otium, & hominum ingratitudo, Bibliorum ſtudiis adulatur. §.327.n.1.& 2.&c. p.395. 396

P

Pædagogus.

Lex eſt, Pædagogia puerorum inſolentium. §.236.n.3.p.282
Simeoniana tribus ex Simeonis maledictione Pædagogiæ, & ſcriptioni addicitur. §.303. n.2. p.370

Palatium.

Vide verbum, *Aulicus.*

Paradiſus.

Præuius labor & induſtria, paradiſo & beatitudini impenſa, vtriuſque delicias facit gratiores? §.279.n.2. & 3. p.335.336.
Vbi primùm auditur paradiſi nomen, confeſtim ſuus illi cultor deſtinatur. §.57.num.4. p.77
Patientia, paradiſeæ felicitatis conſummatio eſt, & hominum menſura. §.251. n.2.& 3. p.303. 304

Parcere.

Deus parcere dicitur, cùm hominem præuenit, ne materiale peccatum committat. §.147. n.4. p.187
Pœnitenti cui Miſericordia parcit, Omniſcientia non parcit? §.149.n.1. & 2. & 3.p.188. 189
Qui de offenſore bonam habet exiſtimationem, iniuriam condonaſſe videtur. §.212.num.2. & 3. p.258

Arcana

Arcana quædam aduerſariis parcendi genera propalantur. §.236.n.1.& 2.& 3.p.182
Adde etiam ex. §.299.n.4.p.366

Parens. Progenitores.

Vberior & officioſior eſt gratia, quæ in bono patre filius impenditur. §.97. numer.2. & 3. p. 127
Bonus filius ad tegendos patris defectus, toto pietatis ingenio ſedulus incumbit. §.118. n.2. & 3. p.147. 148
Inter auguſta Dei elogia cenſetur, quod etiam non filiorum pater nominetur. paragr. 119. n.2.& 3. p.148. 149
Parentes qui pro tuendo filio vltra vires non audent, & viuo filio, parentum nomen perdunt,& ſuperſtite vtroque parente,filius nominatur pupillus. §.129.n.2.p.158.159
Parentum amor vltra vires non audens, fugitiua charitas appellatur. *Ibid.*n.3.p.159
Pater filium Prodigum,non cùm abiit,ſed cùm amanter excipit, tunc deplorat. paragr.156. n.3. p.209
Parentes in tenellâ filiorum carne deſcribant diuina beneficia. paragr.265.n.1.p.320
Chriſtus Deus filij nomen Patri reſtituit in filiis. paragr.281.n.2.p.337
Pater Deus impaſſibiliter eſt ſcriptor Sapientiæ genitæ. paragr.305.n.4.p.372
Humana Chriſti Dei natiuitas, auguſtam in progenitores reuerberat gloriam. §.317.n.2. &c. p.385
Progenitorum caro originali iure vernat in ſobole. *Ibid.*n.3.p.385.386
Labores patienter tolerati, inter Chriſti Dei progenitores recenſentur? paragr.321. n.2. & 3. p.389. 390
Pater Regis dicitur regius familiaris.§.356.n.4. p.426
Chriſtus refutat progenitores, qui vincula tefarant. paragr.380.n.2.p.449

Paſſio Chriſti.

Cur Paſſione potiùs,quàm omnipotentia,mundum Chriſtus redimere maluit? §.6.num.2. p. 26
Iudæ auaritia Paſſionem impleuit? paragr.141. n.5. p.179. 180
Humana neceſſitas Paſſionem parturit? §.169. n.4. p.209
Reſurrectio potiùs quàm Paſſio, erit Paterni amoris incentiuum. §.189.n.2.p.235
In Chriſti Paſſione Sol obſcuratur,vt latentem Iudæorum malitiâ caligine oſtendat. §.228. n.2. p.274
In Chriſti Paſſione magis impatibilis diuinitas demonſtratur. §.383.n.2.p.453
Chriſtus adhuc viuus acerbè præſentit,ſacrum eius corpus poſt mortem lancinari? §.397. num.2
Redemptionis negotium Dominico etiam cadaueri adſcribitur, ad gloriæ auctarium? §.398.n.2. &c. p.469

Paſſiones humanæ.

Ille maſculâ virtute viget, qui à Paſſionibus ſubſtinet violentiam, & ſapienter viuit. §.229.n.2.& 3. p.275
Malus Dæmon Paſſiones noſtras in nos iaculatur,quò ſæuius feriat. §.285.n.3.p.352

Paſtor.

Largior Paſtoribus cibus,in malignâ ſterilitate, gregis pabulum eſt. §. 376. numero 3. pagin.445
Vide verbo, *Superior.*

Patientia.

Humilis & pauperculus, velut inſenſilis à potentioribus habetur. §.77.n.2.p.98
Sæpe in minimis, maximè patientia probatur. §.101.n.2. & 3. p.131
Malum, quod quiſque patitur, acerbiſſimum omnium eſſe putat. §.221.n.2. & 3.p.267
Diuturnos diu patiendi labores,mellea virtutis voluptas compendioſè abbreuiat.§.242.n.2. & 3.p.294
Patientia, paradiſeæ felicitatis conſummatio eſt, & hominum menſura. §.251.n.2. & 3. p.303
Eſtne patientia, Chriſti Dei principium? *Ibid.* n.3. p.303
Muta patientia,aliquando crudelitatis fomes,& indicium eſt. §.286.n.2.p.352.353
Diuturnior patientia exaſperata, in acerbiores excàdeſcit iras.§.287.n.1.& 2.&c.p.353. 54
Labores patienter tolerati, inter Chriſti Dei progenitores recenſentur. paragr. 321. n.2. & 3. p.389. 390
Deus extra patientiam eſt, homo ſupra patientiam ſit. paragr.369. n.1. p.438
Calamitas de manu Dei veniens,mitis & ſuauis eſt. paragr.369.n.2.&c.p.438.439
Deus etiam dum ſuâ ſibi patientia detrahit, ſe oſtentat patientiæ originem? paragr. 383. n.1. p.452
In Chriſto patiente, eius Diuinitas magis impatibilis demonſtratur. *Ibid.*n.2.p.453
Citius ex patientia, quàm ex miraculis Chriſtus agnoſcitur? paragr.383.n.3.p.453
Sitne patientia, Chriſti natura, & præſtantia ingenitæ proprietatis? *Ibid.*p.453
Patientia delegatâ à Deo fungitur auctoritate. §.383.n.4.p.453
Nil mali accidere viro bono poteſt, qui in viuente corpore viuas exequias mortificatione celebrauit. §.385.n.2.& 3. &c.p.455.456

Patriarcha.

Quid ſignificet *Patriarcha,* & quibus hoc nomen congruat. *In explicatione tituli totius Operis.* n.2.p.1
Patriarchæ nomen in bonam partem accipitur. *Ibid.*n.3.p. 2
Cur antiqui Patriarchæ dicuntur, Colles æterni? *In Comment. litter.* Benedict.6. num.28. p. 349

Patronus.

Primogenitus Manaſſes, cui dextera ſollicitius procuratur, meritò deuenuſtatur duplici ſiniſtra. §.261.n.4.p.315

S. Paulus.

Pauli, & Semi præmium eſt Dei gloria. §.131. n.3. & 2. p.160. 161
Vel Paulus timet ne bona derelicta ſibi placeant? §.140.n.3.p.178
Paulus eſt Matthæi Magiſter & Diſcipulus: & è contrario. §.324.n.4.p.392.393
Paulini operis, quàm ſermonis eloquentia. §.351.n.3.p.421

Pauper. Paupertas.

Diuites & potentes delicati ſunt ad iniuriæ ſenſum, & pauperculos & inualidos velut inſenſiles tractant. §.77.n.1.& 2.& 3.p.97.98

Neceſſitas

Neceſſitas amorem exanimat & detriumphat. §.90.n.2.p.110.111
Paupertas litigatis, veritatem facit mendacem. §.103.n.5.p.133
Mortis propius ſpectatæ meditatio, abdicationi bonorum gratulatur. §.135. n.1.& 2.p.172. 173
Mundialia bona piè derelicta, auidius ad ſui amorem alliciunt; quaſi eorum deſe tio ſit cenſus eorum? §.140.n.2. &c. p.177.178
Mundialia bona virtuti adrident; non vt poſſideantur, ſed vt poſſeſſa pro Chriſto repudiētur. paragr.142.n.2.&c.p.180.181
Pauper eleemoſynis vltra quàm poteſt erogandis obæratus eſt, paupertatis titulo? §. 144. n.1. &c. p.182.183
Manus pauperis, gazophylacium eſt Chriſti. §.145.n.4.p.184
Pauper eſt redemptionis occaſio. *Ibid.* p.184
Inopia aliena diuitem locupletat. paragr.145. n.3. p.184
Pauperes permittit Deus, ne propriæ redemptionis occaſio hominibus deſit? §.161.n.3. p. 201
Dira egeſtas amoris neceſſitudines vincit, & verecundiam excutit. paragr. 168. num. 1. & 2. p.208
Infirmitas ſeu languor virtutis eſt, & iniquitas appellatur? *Ibid.*n.3.p.208
Humana miſeria neceſſitatis lenocinio, diuinam beneficentiam clanculum ſubornat ad gratiam. paragr.169. n.2. & 3. & 4. p.209
Socrates ſponte pauper, ſpontaneam paupertatem dehoneſtat. paragr.222.n.2.p.268
Paupertas in tribunalibus, reatus damnabilis eſt. paragr.231.n.2.p.276.277
Qui inopia laborat, & humeris, & manibus mutilus eſt. paragr.278.n.2.& 3.p.334
Paupertas, vinculum eſt, quod cum inauratur, diſſoluitur. *Ibid.*n.4.p.335
Ne computet Religioſus, quæ habere potuit. §.393.n.3.p.464
Vide verbo, *Diuitiæ.*

Pax. Concordia.

Vel ipſa beneficia pacem inquietant? §.10.n.2. & 3. p.30
De ſchola pacis & concordiæ erudienda eſt Chriſtiana Doctorum ſapientia. paragr.31. n.1. & 2. &c. p.50.51
Nomen Primi & Secundi, pacatam concordiam ſeditioſè diuidit. paragr.48. n.2. & 3. p.68
Deſint ſeditionum fautores, & altâ pace turbulentior reſpublica æternùm florebit. §.66. n.1. & 2. & 3. p.86.87
Diuiſionem inter ſapientes, etſi per cælum factam, non approbat Deus. paragr.31.num.3. p. 51
Concordiam cum hominibus ſeruare aliquis humanæ virtutis faſtus eſt? paragr.233.n.2. p. 279
Ad concordiam ſeruandam ſatis non eſt, homines, vt homines diligere? §.233.n.3.p.279
Nemini quantumuis concordiæ ſtudioſo, inter rixantes pax eſſe poteſt? paragr.234.num.2. &c. p.280
Beneuola multorum concordia auguſtioris gloriæ officina eſt. paragr. 284. numer.2. & 3. p.350. b. 351
Iniquorum cognatam concordiam, malitia conflat. §.294. n.2. & 3. p.360.361
Per redemptionis meritum ad pacem perueniētur deitatis? §.336.n.4.p.405
Concordia, venuſtas Iuſtorum eſt, quę diuinum ſanciat amorem. §.362.n.2.& 3.p.431
Chriſtus per concordiam ſui generis, ad pacem peruenit deitatis? §.362.n.3.p.431

Peccator. Peccatum.

Vitium virtuti præit ſumptuosâ ambitione affectatæ virtutis. §.19.n.1. & 2.p.39
Procerum delicta, quàm notiſſima ſunt ſublimitatis inuidiâ. §.11.n.2.& 3.& 4.p.41
Delictis auctoritatem conciliare, magnum ſcelus eſt, magno luendum. paragr.22. num.2. & 3. p.42
Cum vitia proſunt, peccat qui rectè facit. §.23. n.2. & 3. p.43
Peccator per viam Philiſthinorum ambit ad cęlum ire. paragr.51. n.2. p.70.71
Via iniquitatis amouenda à peccatore eſt.§.51. n.3. p.71
Peccator ex Iuſto eximiè, ferè gratiam non recuperat? paragr.52.n.2.& 3. & 4. p.71.72
Peccator per pœnitentiam recuperat antiquum nomen. paragr.58. n.1. & 2.&c. p.78
Peccatores ambulant vias difficiles. §.59. n.1. & 2. &c. p.79
Principes geminato & naturæ & dignitatis velut fomite inſtigantur ad vitia? paragr.84. n.2. & 3. p.104
Flagitium poſt beneuolam correptionem, & iuſtitiam irritat, & miſericordiam exacerbat. §.114.n.1.& 2.& 3. p.143.144
Sicut in optimis aliquid peſſimi; ita & in peſſimis aliquid optimi reperitur? paragr. 116. n.2. & 3. & 4. p.145.146
Scelus publicatum intimius patratori corporatur, & obdurationem publicatione procurat? §.120.n.2. & 3.p.150
Virtutis ſtudioſus, materiale etiam peccati ſtudioſe deuitat. §.147.n.2. &c.p.186.187
Peccatoris reſipiſcentia non recuperat partam infamiam, quæ eſt ſceleris appendix? §.149. n.1. & 2. & 3. p.188. 189
Vnam legem, plures eſſe putant, ad inobedientiæ excuſationē. §.177.n.2.& 3.p.216.217.
Peccator aliquando opibus & honoribus ad virtutem ſtimulatur. paragr.262. n. 2. & 3. p.315. 316
Diu inolita vitia, hæreſum officina eſt. §.264. toto p.317. 318
Peccata nequeunt alienare nomen. paragr.265. n.1. p.320
Quis ſit Deus, declarat rigor finalis iudicij: quod hominum peccatis offendi dicitur. §. 283. n.2. & 3. p.350. a. b.
Peccatorum hyems, diuini amoris ſcintillas reuerberat in affectum? paragr.292. n.2. & 3. &c. p.358. 359
Peccatorum cognatam concordiam, malitia conflat. §.294.n.2. & 3. p.360.361
Peccatorum blandimenta, quæ virtutem ſimulant, nimis odioſa ſunt Deo. §. 300. num.2. p.367
Impudentia delinquēdi delicti exaggeratio eſt, & punienti fomes. §.311.num.2.& 3.p.378. 379
Peccatores in cælum quaſi in locum alienum intrant? §.316.n.3.p.384
Aliquorum defectus, felices ſunt.§.320.num.2. & 3. & 4. p.388. 389.

Peccatorum Ratio, à diu inolitâ malitiâ, belluinis ratiocinationibus obbruteſcit. §.325. n.2. & 3. &c. p.393

Peccati notitia, initium ſalutis eſt, & remiſſionis prognoſticon? §.331.num.1. & 2. & 3. p.399.400

Flagitioſius delictum perfectâ ipſius cognitione curatur? §.332.n.2.& 3.p.400.401

Peccatorum eſt retrorſum cadere: quia ibi cadunt, vbi non vident: iuſtus autem in faciem ſuam cadit, quia ibi cadit, vbi videt. §.333. n.2. &c. p.401. 402

Eſtne pia virtutis arrogantia, ferientem vitiorum vulnere, eodem telo referire? §.334.n.1. & 2.p.402.403

Præſtantiam in ſuis delictis Tertullianus agnoſcit. paragr.297.n.3.p.364

Perfectio.

Vir iuſtus vltra perfectionem audet piâ ambitione merendi? paragr.16.n.2.& 3.& 4.p.36

Perfectionis amans, cum ſpiritu operari debet. §.28.n 4.p.48

Non operis auſpicium, ſed finis, illi de perfectione gratulatur. paragr.47. n. 2. & 3. pagin.67

Benè omnia fecit, qui aliquod opus perfectè facit? paragr.184.n.2.p.230

Perfectionis diuinæ piè ſuperbâ æmulatione, primum cæli locum vnuſquiſque exambiat. §.199.n.2 & 3.p.245

Inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum. paragr.200.n.2. & 3. p. 246

Perfectionis menſura, patientia eſt? paragr.251. n.2.p.303.304

Qui in virtutis propoſito nunquam laſſeſcit, ad virtutis metam feliciter peruenit. §.146.n.2. & 3. p.185. 186

Vide verbo, *Religioſus.*

Periculum.

Beneficia beneuolentius exhibita, ſæpe periculum creant præbitori. paragr.10. n. 1.& 2. &c.p.30

Periculum olim delinquendi, etſi iam periculi expers, fugiendum eſt. paragr.43.num.3.pagin.63

De maiori periculo, certius extruitur periculi aſylum. paragr.105. n.1. & 2. &c. p.135

Piè calamitoſus, in periculo ſuo tutus eſt fiduciæ priuilegio. paragr.112.num.1.& 2. &c. p.141. 142

Nil citò timueris, ne periculum quod times, citius ad te veniat. paragr.121.n.1.& 2.&c. p.150. 151

Ardua pericula feliciter exantlare, ſpontanei propoſiti ſtipêdia ſunt. §.167.n.2.& 3.p.207

Naufraga ſpes in aſylo periculi ſui tutior eſt. §.172.n.2 & 3.p.212

Petrus firmitatem ſtandi, in ipſo cadendi periculo recepit. paragr.184.n.3.p.230

Sæpe homo felicitatem periculi ſui timet. §.194.n.2.& 3.p.240

Quò deſperatius videtur periculum, eò ſecurior eſt Abrahamus. paragr.378.n.3.p 447.448

Ratio humana ſæpe periculoſa eſt.§.51.num.4. p.71

Vide verbo, *Tentatio.*

Perſecutio.

Tam opulétum reportatur de Perſecutionibus Celada *de Benedict. Patriarc.* lucrum, vt cum ſæuo perſecutore amicitias concilier. §.226.n.2.p.272

Sanctitas in veritate dicitur, quæ ex perſecutionum meritis reportatur. *Ibid.*num.3.p.272. 273

Chriſtiana pietas Perſecutiones velut obſequia imperat? paragr.368.n.2.p.437

Chriſtus manere ſolus dicitur, cùm eius perſecutores abſcedunt? *Ibid.*n.3.p.437

Chriſtus necdum natus, Perſecutionum voluptatem prægustat? paragr.368.n.3.p.437

Perſeuerantia.

Vide verbo, *Finis*, & verbo, *Conſtantia.*

Pertinacia.

Vide verbo, *Obſtinatio.*

Pes.

Qui totus mundus eſt, eget vt pedes lauet. §.116.n.2.p.145.146

Nudas pedum plantas obſeruat, qui cæli gazas latrocinari piè ambit. p.339.n.2. p.407. 408

Magdalena pedibus Chriſti inſidiatur, vt præripiat gratiam. *Ibid.*n.3.p.408

Oculus peruerſo tumore ambit pedis officium. §.353.n.1.p.422

S. Petrus.

Petri manus non lauat Chriſtus, ne detractoribus Phariſæis ceſſiſſe videatur. §.69.num.2. p. 90

Dum Petrus ſummus orbis Pontifex eligitur, obedientis nomine nuncupatur. §. 82. n.2. p. 102

Seculare olim Petri nomen ſuſcitatur, cùm illi prælatio conceditur. §.83.n.2.p.103

Petrus in nauigio nudus, in mare ſe demergit indutus. §.133.n.2.p.162

Auaritiam à ſanãdo abiicit, vt ſanitatem faciat. §.141.n.1.& 2.p.179

In viuido Petri amore amoris humani ad Deum imbecillitas examinatur. §.162.num.2. & 3. p. 202

Chriſti dextera Petrum antequam deiiceretur, excepit? §.184.n.3.p.230

Quare Petrus eligendus in Pontificem, appellatur ſeculari nomine? §.202.n.2.p.248

Vrbanè exigit Petrus, vt in Ioannem etiam claudus intendat. §.216.n.2.p.262

Quare Petrus dicens, ſe Chriſtum diligere, ſignificet ſe eum præ cæteris diligere? §.236. n.2. p.282

Adſpectu ad trinam negationem, ardentius Petri amor ſufflammatur. §.192.n.2.p.358

Cum plus amoris à Petro exigitur, ſeculare nomen ſuſcitatur. §.292.n.4. & 5.p.359

Petrus omnia ſe reliquiſſe putat, cum rete & arundinem reliquit. §.297.num.2.pag.363. 364

Petrus Eccleſiæ præficitur, quia non eſt dedignatus ſequi iuniorem? §.342.n.2.p.411

Phantaſia.

Vide verbo., *Imaginatio.*

Pharao.

Pharao parientes non ſinebat eſſe matres; & filiæ, quæ non pepererat, dat eſſe matrem. §.11.n.1.p.31

Pharao & Herodes diem ſuæ natiuitatis celebrant. §.96.n.1.p.117

Deum timeat Moyſes, ne Pharaonem timeat. §.108.n.2.p.137

Pharaó in ſuo natalitio, ſupputationem leuauit cum ſeruis ſuis. §.387.n.3.p.458

Phariſæi.

Chriſtus audit Hæreticus, quia quod ſentiunt Phariſæi, ipſe non docet. §.307. numero 2. pag.374

Abſcedentibus Phariſæis, Chriſtus manſiſſe ſolus dicitur, etſi Diſcipulorum turbâ comitatus. §.368.n.3.p.437

Philiſthæi.

Philiſthæi, qui vnum Deum formidant, plures contemnunt. §.4.n.4.p.24

Deos ad ſuam calamitatem Philiſthæi multiplicant. paragr.7.n.3.p.28

Peccator per viam Philiſthinorum ire ſatagit ad terram promiſſionis. §.51. num.2. p.70. 71

Philiſthæi putabant, diuinam iuſtitiam in Ægyptiorum plagis exhauſtam. §.215.num.3. p..61

Philoſophia.

Opulenta Philoſophorum ſuperbia, plures Deos colit, ne vllum adoret. §.4.n.3.p.24

Sterilis Philoſophorum adhortatio eſt, quia erumpit ex ſententia, non è vita. §.351.n.2. p.420.421

Plaga.

Decem Moyſis præcepta, decem Ægypti plagis computantur. paragr.100. n.4. p.131

Quod Moyſis Pharaoni perſuadere deſperat, inflictæ plagę arcane perſuadent. §.126.n.2. & 3. p.155. 156

Omni ſe ferit plagâ, qui ſuum æmulum fortunatum videt. paragr.213.n.2.&c.p.259

Pluralitas.

Deus, ſi non vnus, ſed multiplex eſſet, & contemptibilis foret, & nullus? paragr.4. n.2. & 3. p.23.24

Fratris ſeruus, vnus plures ſeruus eſt. §.206. n.2. & 3. p.252

Mulier impudica, vna plures dicitur, ad malitiæ exaggerationem. paragr.363.n.2. & 3.& 4. p. 432

Plures per Præfectos, eſt Ægyptiacæ oppreſſionis compendium? §.370.n.3.p.439

Pœna.

Vide verbo, *Supplicium.*

Pœnitentia.

Res iam per pœnitentiam munda, antiquo vitioſi ſqualoris vocabulo denenuſtanda non eſt. §.58.n.1. & 2. &c. p.78

In regibus peregrinatur pœnitentia? §.84.n.5. p.105

Vel Angeli ſpecie tenus corporati, bis in eodem veſpere pedes lauant. paragr.116. n.3. p.146

Reſipiſcentia non recuperat partam infamiam, quæ eſt ſceleris appendix. paragr.149. n.1. & 2. & 3. p.188. 189

Perdita Euangelij drachma, meliùs ſtatim quæritur in obſcurâ nocte, quàm poſtea in clarâ diei luce. §.159.n.2. & 3. & 4.p.198.199

Magdalena occaſionem inopinatæ felicitatis quæſiuit, & inuenit. §.161.n.2.p.201

Pœnitentia eſt diuinæ olim gratiæ gratanter officiosa. paragr.163. n.3. p.203

In vero pœnitente non apparet delictum, quod deflet. paragr.184. n.3.p.230

Pater filium Prodigum, non cùm abiit, ſed cùm amanter excipit, tunc deplorat. §. 256. n.3. p. 309

Pœnitentiæ elogium. §.283.n.3.p.350.a.b.

In ipſa libidinis pœnitentia leguntur relapſionis notæ? paragr.290.n.3.p.356.357

Pulchritudo Berſabee perplacet, dum ſordes abluit? paragr.293.n.1.p.359.360

Deône magis placent meretrices & adulteræ? *Ibid*.n.2.p.360

Pœnitentiæ meritum ſuperat innocentiæ prærogatiuam? paragr.293.n.3.p.360

Pœnitentes oriundi ſunt ex Dei miſericordia, & inde nobiliores. *Ibid*.n.4.p.360

Caſtitas poſt lapſum inſigniter reſtaurata, felix eſt luxuriæ ſuffragio? §. 318. n.2. & 3. & 4. p.386. 387

Flagitioſius peccatum perfectâ ipſius cognitione curatur? §.3 2.n.2. & 3.p.400.401

Eſtne pia virtutis arrogantia, ferientem vitiorum vulnere, eodem telo ſtrenuè referire? §.334.n.2.&c.p.402.403

Non cum homo feruenter peccat, ſed cùm tepide peccatorum pœnitet, Cæleſtis pater lugere dicitur? §.344 n.2. & 3.p.413.414

Pręſtantiam in ſuis delictis Tertullianus agnoſcit. paragr.297.n.3.p.364

Porta.

Multæ videntur eſſe cæli portæ; vna tamen inuenitur, ipſaque perangusta. paragr. 110. n.1. & 2. &c. p.139. 140

Poſſeſſio.

Ad delicias, quæ ſpei humanæ gratè blandiuntur, faſtidioſè nauſeat poſſeſſio. §.114. n.1. & 2. &c. p.143. 144

Vide verbo, *Abſens.*

Potentia

Sublimior potentia, inconſulti furoris ſuſpecta eſt, niſi aduocata Ratio hanc notam eluat. §.6.n.2. & 3. p.26.27

Dei potentiam Potentes æmulari præſumunt. §.11.n.1. & 2. &c. p. 1

Potentia dehoneſtamentis tributaria eſt. §.72. n.2. & 3. p.93

Inualidi, abſque potentia ad ſentiendum putantur. paragr.77. n.2. & 3. p.98

Idonea ad rectè operandum potentia, præpropere gaudet operis priuilegio? 89.n.2. & 3. p.109. 110

Potentia ad operandum, arcanum quoddam præceptum dicitur? §.89.n.4.p.110

Præcedentia.

Vide verbo, *Primus. Ordo. Vrbanitas.*

Præceptum.

Vide verbo, *Lex.*

Præfectus.

Vide verbo, *Rex. Index. Superior.*

Præmium.

Ipſa rei fauſtæ denunciatio, delati boni nuncij remuneratio eſt. paragr.107. n.1. & 2. &c. p.136 137

Gloria Dei, eſt Serui & Ignarij præmium. §.131. n.2. & 3. p.160. 161

Nulla res Dei pretio cõſtat. §.150.n.1.p.189.190

Virtutis præmium, eſt generis nobilitas? §.156. n.2.p.195.196

Præſens.

Vide verbo, *Abſens, Futurum, Poſſeſſio.*

Præſul,

Præſul.

Vide verbo, *Superior*, *Sacerdos*, *Index*, *Rex*.

Præſumptio.

Quiſquis præſumit, rempublicam eius peritiâ indigere, ineptus eſt ad Dignitates. §.382. n.2. & 3. p.451

Vide verbo, *Ambitio, Superbia, Primus*.

Primus.

Nomen Primi & Secundi pacatam concordiam inquietat. §.48.n.2. & 3. p.68

Primus, id eſt, victor. *Ibid*.n.1.p.68

Perfectionis diuinæ piè ſuperba æmulatione, primum cæli locum vnuſquiſque exambiat. §.199.n.2. & 3.p.245

Cæli politia ſuggillat humanæ præcedentiæ vrbanas nugas. paragr. 324. n.2. & 3. &c. p. 392

Sat gloriæ eſt bonorum cupidis, ſi cum potiſſimis comparentur. paragr. 328. n. 2. & 3. p.397

Vide verbo, *Ordo, Ambitio, Superbia*.

Princeps.

Vide verbo, *Rex*.

Priuilegium.

Priuilegium vni conceſſum, in reliquos mox ſerpit, humanæ ambitionis licentia. §.54. n.2. & 3. p.74

Non declinat infamiæ notam, qui alieno priuilegio ab ea liberatur. paragr.183. num.3. p. 222

Prodigus adoleſcens.

Etſi amiſit quod filij erat, Deus quod patris eſt, non amiſit. §.119.n.2.p.148

Sine lacrymis dimittitur à bono patre, & cum lacrymis excipitur? paragr.256. num.3. pagin. 309

Felix fuit luxuriæ ſuffragio? §.318.num.4.& 5. p.387

Progenitores.

Vide verbo, *Parens*.

Prohibitio.

Alicuius rei prohibitio, ad reliquarum prohibitorem agnoſcendum manuducit. paragr.99. n.2.p.129

Vide verbo, *Præceptum*.

Promiſſio.

Abrahamus plus ſperat de promiſſo, quàm erat ſecurus de proprio. paragr.137.num.2. & 3. p.174. 175

Acceptum à Deo munus, ſignum eſt diuinæ promiſſionis indubiè implendæ. §.204.n.2. & 3. p.250

Negotium cui homo ſuam fidem viuens obſtrinxit, adhuc poſt mortem negligendum non eſt. §.277.n.2. & 3.&c.p.333.334

Promiſſiones Dei perſæpè ſunt conditionatæ. *In comment. Litter.* Benedict.3. numero 14. p. 171

Prophetia. Propheta.

Mera indicia, Prophetiam, aut Euangelium putamus. paragr.38. n.2. & 3. p.58

Scelera, quæ curioſè ſuſpecta æmulatio in alio fingit, Prophetiæ oculis inſpexiſſe ſibi videtur. paragr.39.n.2. & 3.p.59

Prophetiæ ſpiritu opus eſt, vt quæ quis aure excepit, fideliter referat. paragr.41.numer.3. p. 61

Præceptum, obſequij prophetia dicitur? §.103. n.2. p.133

Caligat ad præſentia, oculatiſſimus ad futura. §.186.n.3.p.232

Lætis datur ſpiritus prophetiæ, non mœſtis. §.243.n.3.p.295

Neceſſariuſne eſt prophetiæ ſpiritus, ad hiſtoriam retroacti æui verè narrandam? §. 304. n.2. &c. p.371

Paterna filiorum increpatio, emendationem prophetat? §.395.n.4.p.466

Propoſitum.

Eius adhuc qui nuper præ diuino amore languebat, protinus languet amor, & laſſeſcit propoſitum. §.162.n.2.& 3.p.202

Vel impoſſibilia tentare audemus, ne deſiſtamus à propoſito, quod ſemel in animum iruit, & opere inchoatum eſt. §.197. num.2. & 3. p.243

Proſperitas.

Vide verbo, *Felicitas*.

Prouidentia.

Cura erga infima & abiecta, habetur prouidentiæ clauſula, & integritas. §.91.num.2.& 3. & 4. p.111.112

Prouidentia heri erga famulos, eximiè commendatur. §.130.n.2. & 3. p.159.160

Excelſum opus prouidentiæ diuinæ, per errorem humanum fieri debebat? §.187.num.2. & 3.& 4. p.233

Præfectorum eſculenta abundantia, vrbanè ſuadet attentiorem erga alendos ſubditos prouidentiam. paragr.376.num.1.& 2.& 3. pag. 445

Prudentia.

Imprudens dicitur mulier, quæ de Chriſti fimbriâ ſperat ſanitatem? §.15.n.5.p.35

Conſultior prudentia pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias iniurias velut ignorare videtur. §.288.n.2.& 3.p.354.355

Homo qui iratum corripit hominem, imprudens fruſtrat correctionis fructum. §. 308. n.2. & 3. p.375.376

Pudor.

Impudentia delinquendi, delicti exaggeratio eſt, & puniendi fomes. §.311. num.2. & 3. p.378. 379

Negat Chriſtum eſſe Deum, qui Chriſtianas virtutes erubeſcit? §.343. n.2.& 3.pag.412. 413

Puer.

Magnus Elias ſe contrahit, vt puero adęquetur. §.44.n.4.p.64

Puer de interrogationibus potius quàm de reſponſis laudandus eſt. §.53.n.2.p.73

Senibus agnatum vitium eſt, nil magnum putare de eo, quem puerum aliquando nouerunt. §.253.n.1. & 2.&c.p.305.306

In tenellâ pueri carne nomẽ inſcribitur. §.265. n.1. p.320

Pulchritudo.

Suſpecta eſt de ſtupri affinitate. §.184. num.3. p. 221

Pulchra femina venuſtatis præſtigio, te odij negotiatur amorem. §.330. n.2. & 3. p.399

Pulchræ feminæ elogia. *Ibid*.n.1.p.399

Concordia, pulchritudo Iuſtorum eſt, quæ diuinum ſauciat amorem. §.362.n.2. & 3.p.431

Puluis.

Leuis terræ puluiſculus, terræ humerus ſententioſè appellatur. §.59.n.4.p.79.80

Puluis eſt, qui puluis erit. §.201.numer.1. &c. p.247

Pupillus.

Superſtite vtroque parente, Moyſes appellatur pupillus. §.129 n.3.p.159

R

Rahab.

RAhab olim meretrix, meretrix non fuit, quia pertinet ad Chriſti progeniem? §.317.n.5.p.386

Ratio.

Rationi ſubiiciatur potentia, ne degeneret in furorem. §.6. n.2. & 3. p.26. 27

Omnipotentia Rationi ſubiicitur? *Ibid.* n.4. p. 27

Cur Ratione potiùs, quàm omnipotentiâ, homines redempti dicuntur? §.6.n.2.p.26

Rationibus, quæ cælum ſapiant, tanquam baſi innitatur homo. §.14.n.2.p.34

Ratio humana ſæpe periculoſa eſt. §. 51. n.4. p. 71

Non affectus, ſed Ratio in conſilium aduocanda eſt. §.80. n.1. & 2. & 3. p.100

Affectus ſic Rationem ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum eſſe videatur. §.190.n.2. & 3. p.236

Ratio ipſa ſeducta ab affectu, dicitur ad malitiam prompta? *Ibid.*n.3.p.236

Homo præ cognato faſtu, interrogatione citiùs, quàm Ratione ſuadetur? paragr. 210. n.1. & 2. & &c. p.256

Suus etiam deſtinatur dies rationi expiandæ? §.269.n.2.p.324

Chriſti gratia ex irrationalibus rationales facit. *Ibid.*n.3.p.324.325

Quod errorem putat Ioſephus, Dei Ratio, & prouidentia eſt. §.269 n.3. p.324.325

In iram Ratio inſpiratur, quò indignatio opportuna ſit pietatis auxiliatrix. §. 309. n.2. & 3. p.376.377

Impiorum Ratio, à diu inolitâ malitiâ, belluinis ratiocinationibus obbruteſcit. §.325.num.2. & 3. &c. p.393. 394

Vide verbo, *Mens*, *Ingenium*.

Ratio ſtatus, ſeu politica.

Citiùs inclitam libidinem, & pietatis iura deſerit politicus Princeps, quàm rationem ſtatus, quam ſibi putat proficuam. §.173.n.2. & 3. p.213

Politica ratio ſtatus, ex leuicula, & ſibi pugnante occaſione, Numen aut reuerenter admittit, aut irreuerenter proculcat. paragr.391. n.1. & 2. & 3. p.461.462

Rebecca.

Rebecca inaures portat in manibus. §.263.n.2. p.316. 317

Redemptio.

Violenta ſubditorum oppreſſio, Redemptorem vindicem expetit? paragr.335. num.2. &c. p. 404

Per redemptionis meritum ad pacem peruenitur deitatis? §.336.n.4.p.405

Cur Ratione potiùs quàm omnipotentia, homines Redempti dicuntur? §. 6. numer.2. p. 26

Regum flagitia Redemptione egent. §.84.n.2. p.104

Ioannes ſe probat Præcurſorem redemptionis, quia Regum ſcelera obiurgat. *Ibid.*n.3. & 4. p.104. 105

Cognatio Redemptoris cum officio, lenocinatur redemptioni. §.87.n.3.p.108

Pauper eſt redemptionis occaſio? §. 145. n.4. p. 184

Segregatio proborum ab improbis, præpropera redemptio eſt. §.148.n.3.p.188

Pauperes permittit Deus ne propriæ redemptionis occaſio hominibus deſit? §.161.n.3. p. 201

Redemptionis negotium Dominico cadaueri quodammodo adſcribitur, ad honoris auctarium? §.398.n.2.p.469

Religioſus. Vir perfectus.

Quò magis perfectus, eò magis zelabilis. §.21. n.3. p.41

Qui ſemel à Chriſtiana perfectione deſciſcit, ferè ineptus ad illam recuperandam habetur? §.51.n.1.&c. p.71.72

Hominem perfectum adhuc perficere, illuſtre gratiæ facinus eſt. *Ibid.*num.2. &c.pag.71. 72

Caueat ne aliorum priuilegia ad ſe deriuare exambiat. §.54.n.2.& 3.p.74

Semper ſit vomeris & culturæ patiens. §. 57. n.2. & 3.p.77

Qui perfectionem ſumptuoſius expetit, non tantùm ſuo, ſed omni etiam tempore fructificat. §.65.n.2. & 3.p.85.86

Sit Deus nobis velut mens noſtra, quò exactiùs in nobis Dei voluntas fiat. §. 81. n. 2. & 3. p.101

Spontanea voluntas operantis, operis difficultates examat. paragr.86.n.2. & 3.pag.106. 107

In re virtutis potentia ad operandum, præproperè gaudet operis prærogatiua? §. 89. n.2. &c.p.109.110

Quod fieri oportet, facere neceſſe eſt? §.90.n. 2. & 3. p.110. 111

Sæpè qui magna vicit, minimis vincitur. §.101. n.1. & 2. &c. p.131

Moyſes & Aaron putantur à Pharaone viri ſpirituales, qui valde genio indulgent. §.101. n.3. p.131

Multæ putantur eſſe cæli portæ; vna tamen inuenitur, ipſaque perangusta. §.110.n.1.& 2. &c.p.139

Sicut in peſſimis aliquid optimi; ita & in optimis aliquid peſſimi reperitur? §.116.num.2. & 3. p.145. 146

Infamia vitam ſpiritualem ſæpe ſtrangulat. §.127.n.3.p.156.157

Officium ſuum plenariè adimplere, perfectionis eſt meta. §.133.num.1. & 2. &c. p.162. 163

Religioſus ſecularibus negotiis obſeſſus, non poteſt ſeruire Deo? Solitudo ad perfectionis neceſſitatem Religioſum conſtringit? §.139. n.2. &c. p.176.177

Bona opera cum Spiritu faciat, Deum imitatus. §.28.n.4.p.48

Mūdialia bona piè derelicta, auidius ad ſui amo-

rem

rem alliciunt, quaſi eorum deſertio ſit cenſus eorum? §.140.n.1.&2.p.177.178
Virtutis ſtudioſus, materiale etiam peccati ſtudioſè ſeuitat. §.147.n.1.&c.p.186.187
Eius adhuc qui nuper præ diuino amore languebat, protinus languet amor, & laſſeſcit propoſitum. §.162.n.2.&3.p.202
Vir religioſus quaſi inquilinus peregrinetur in Regum Curia. §.171.n.1.&2.p.211
Sapientes religioſi dum è Curia exeunt, habiles inueniuntur ad cælum. *Ibid.*n.3.p.211
Sedulus perfectionis ſtudioſus, vel quod virtutis adeptus eſt, pià perfectionis auaritià denuò poſſidere exambit.§ 178.n.2.& 3.p.217.218
Bene omnia fecit, qui bene aliquid fecit? §.184.n.2 p.230
Iſaacus, qui depretiatur in Curiâ, in receſſu à Regibus honoratur. §.191.n.2.p.237
Sæpè viri, quos ſpirituales vocant, propriis cômoditatibus nimis indulgent.§.192.& 193.p.238.239
Perfectionis diuinæ piè ſuperbâ æmulatione, primum cæli locum vnuſquiſque exambiat. §.199.n.2.& 3.p.245
Ille maiori virtute viget, qui Paſſionum ſuſtinet violentiam & ſapienter viuit.§.259.n.2.& 3.p.312
Si in te ipſo ipſe non es, Deus in te non erit. §.249 n.4.p.302
Virtutis menſura, patientia eſt? paragr.251.n.3.p.303 304
Electi, in faciem ſuam cadunt; reprobi retrorſum, & quare. paragr.333.n.2.p.401.402
Nil mali accidere viro bono poteſt, qui in viuente corpore viuas exequias mortificatione celebrauit. §.385.n.2.& 3.&c.p.351.352
Viri religioſi idea. §.393.n.1.p.463
Religioſus, non benè oſtentata mortificatione dignitates mercatur. *Ibid.*n.2.p.463.464
Sæpe qui in ſeculo erant viliores, in Religione ſunt ambitioſiores. §.393.n.2.p.463.464
Religioſus ne computet, quæ habere potuit. *Ibid.*n.3.p.464
Ne qui vili cibo alebantur in ſeculo, delicias in Religione expetant. §.393.n.4.p.464
Satius foret in Religionem non ingredi, quàm ſingularitati ſtudere. *Ibid.*n.5.p.464
Deliciæ & ambitio oblitterant magnum Religioſi vocabulum. §.393.n.6.p.464
Chriſtus eſt Iuſtorum ſubſiſtentia. §.400.n.3.p.471

Reliquiæ Sanctorum.

Ioſephi oſſa deducunt Iſraelem, quem ipſe è terrâ promiſſionis euocarat.§.277.n.2.p.333
Quanto in pretio ſint habendæ Sanctorum reliquiæ. paragr.282.n.3.p.338.339

Renouatio.

Eius adhuc qui nuper præ diuino amore languebat, protinus languet amor, & laſſeſcit propoſitum. paragr.162.n.2.& 3.p.202
Iam olim Chriſti Diſcipulis intimatur, vt denuò fiant Chriſti Diſcipuli? §.178.n.2.p.217
Pium opus cunctanter & pigrè inchoatum etiã poſt conſummationem, vix cœptum creditur? paragr.179.n.2.& 3.p.218 219
Vide verbo, *Nouum.*

Reprehenſio. Correctio.

Lux cetera arguens, priùs examinatur. §.29.n 4.pag.49
Procul etiam à regia curiâ reprehendit Ioannes enormiſſima Regum flagitia. §.84. num.4.p.104. 105
Flagitium poſt beneuolam correptionem, & iuſtitiam irritat, & miſericordiam exacerbat. §.104.n.1.& 2.&c.p.134
Homo, qui iratum corripit hominem, fruſtrat correctionis fructum. §.308.n.2.& 3.p.375
Apoſtolos nuper incredulos, poſt opportunam reprehenſionem, fidei magiſtros Chriſtus conſtituit. paragr.195 n.2.p.466
Præmonere & reprehendere, aliena non ſunt à paternis benedictionibus; imò ſynonyma. *Ibid* n.3.p.466
Paterna filiorum increpatio, emendationem prophetat? paragr.395.n.4.p.466
Tempeſtiua reprehenſio, ſcelerum ſepulcrum eſt. *Ibid.*n.5.p.467

Reprobus.

Reproborum eſt retrorſum cadere, quia ibi cadunt, vbi non vident: iuſtus autem in faciem ſuam cadit, quia ibi cadit, vbi videt. §.333.n.2.& 3.p.401.402
Vide verbo, *Peccatum.*

Repulſa.

Chriſtus Deus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtentatione, arctiùs ſibi Diſcipulos deuinxit ſuos. paragr.98.n.2.& 3.p.128
Repulſa Dignitatum, eſt dignitatis meritum. §.157.n.2.& 3.p.196.197
Quàm ſit acerba petenti, petitionis repulſa. §.282.n.2.& 3.& 4.p.338.339
Deus vt orantis vota adimpleat, aliquoties orationis vota contemnit.§.337.n.2.& 3.p.406
Sæpe cæleſtis ſponſus ſpecie repulſæ, acrius ſuæ ſponſæ ſauciat amorem.§.388.n.1.& 2.& 3.p.458.459

Reſtituere.

Pro malis bona reſtituenda ſunt. §.62. num.2.p.82
Chriſtus Deus filij nomen Patri reſtituit in filiis. paragr.281.n.2.p.337
Vide verbo, *Furtum.*

Reſurrectio.

Quare Angelus in ſepulcro ſedere dicatur, Reſurrectionis magiſter. §.45.n.3.p.65
Reſurrectio potiùs quàm Paſſio, erit Paterni amoris incentiuum? §.189.n.2.p.235
Cur Dominicum corpus Reſurrectio conſecrare dicitur? §.322.n.3.p.390

Reus.

Titulo cognationis cum iudice abſoluitur.§.18.n.2.& 3.p.38
Reus qui inaurat vincula, ea diſſoluit. §.178.n.4.p.335
Indecora criminis accuſatio, aut infamem inuenit, aut facit. §.377.n.1.& 2.& 3.p.446
Carcer eſt certiſſimum facultatum naufragium, & reorum præda. §.379.n.1.& 2.& 3.p.448.449.

Rex. Princeps.

In re etiam liberalitatis, opportunè iuſtitiæ nomen auditur. §.5.n.2.& 3.p.25
Sublimior Regum potentia, inconſulti furoris ſuſpecta eſt, niſi aduocata Ratio hanc notam eluat. §.6.n.1.& 2.&c.p.26.27
Regum faſtus ſæpè naturam deſueſcit, & Dei potentiam æmulari præſumit? §.11. num.1.& 2.&c.p.31.32

Rex annorum arbiter eſſe affectat. §. 11. num. 5. p. 32
Anxiè timeat (vt rex Abimelech) ne ſit impunita Procerum libido. §. 19. n. 3. p. 39
Principes ægrè ferunt ab aliquo ſubditorum in aliquo ſuperari. §. 20. n. 2. & 3. p. 40
Principum defectus, faſtigium ſublimitatis perdit. §. 21. n. 2. p. 41
Auctoritatem conciliare delictis magnum ſcelus eſt, magno luendum. paragr. 21. n. 2. & 3. p. 42
Euariatio regiminis, & Gubernatorem deuenuſtat, & ſubditos inquietat. paragr. 32. n. 1. & 2. &c. p. 52. 53
Gubernationis negotium, non fallaci aurium relatione, ſed exploratoriâ oculorum viſione, ritè peragitur. §. 40. n. 2. & 3. p. 60
Otioſorum hominum machinaria arbitria, diligenter examinet: nam res factitia, diuerſiſſima eſt in ſe ipsâ, ac in humani factoris ideâ. §. 42. n. 2. & 3. p. 62
Nulli ſubeſſe, eſt regnandi gloria. §. 46. num. 3. p. 66
Subditos ad capita vltro cogi, gratiæ officioſitas eſt, & regendi peritia. paragr. 55. num. 2. & 3. p. 75
Lex obedituro cognata, obſequium ſubornat. §. 56. n. 2. &c. p. 76
Quiſquis ſe vltrò Principibus ingerit, latentis malitiæ ſuſpectus ſit. paragr. 70. n. 2 &c. p. 91
Siderea præfectura non tam Præfectos, quàm ſubditos claros reddit. paragr. 75. n. 2. & 3. p. 96
Non affectus, ſed Ratio in conſilium aduocanda eſt. paragr. 80. n. 2. & 3. p. 100
Scientia principandi, in parendi eruditur gymnaſio. paragr. 82. n. 2. & 4. p. 102
Regum crimina, indigentiam redemptionis ſingulariter probant. parag. 84. n. 2. p. 104
Reges lapſui nati dicuntur: in eiſque pænitentia peregrinari putatur. §. 84. n. 5. p. 105
In oppidis etiam procul à regiâ curiâ, obturganda etiam ſunt enormiſſima Regis flagitia? paragr. 84. n. 4. p. 104. 105
Cura erga infima & alia exhibetur prouidentiæ clauſula, & integritas. §. 91. num. 2. &c. p. 111. 112
Eoldé cibos & homini præſidenti, & ſubiectis animantibus aſſignat Deus. paragr. 92. n. 2. & 3. p. 113
Multiplex Principum lex, non exarmat malitiam, ſed ſæpè ſubditos ad inobedientiam armat. §. 100. n. 1. & 2 &c. p. 130. 131
Sciat, quod dum ſubditis præcepta imponit, illos facit ſui honoris arbitros. paragr. 102. n. 2. p. 132
Obſequium obedientis, verum facit mandatum præcipientis. paragr. 103. num. 1. & 2. pag. 133
Principum malitia, malitiæ refuga eſt. §. 103. n. 3. p. 133
Acerbioris ſupplicij bonum erubeſcat? § 109. n. 1. & 2. & 3. p. 138. 139
Supplicij minæ, ſupplicij meritum, ſine ſupplicio redimunt § 111. numer. 1. & 2. &c. p. 140. 141
Princeps, appoſita forma eſt, cui ſubiectus populus imprimatur. §. 122. n. 2. & 3. p. 151. 152
In acerbiſſimâ oppreſſione, nec gemere populo licet, nec Deum orare iuuat? §. 125. n. 2. & 3. p. 154. 155
Quod Moyſes Regi ſuadere deſperat, inflictæ plagæ arcane perſuadent. §. 126. n. 2. & 3. p. 155. 156
Quàm ſit ſubditis difficile, *Dominum* quaſi Deum colere. paragr. 128. n. 2. & 3. p. 158
Heneret is Principi Abrahamo donatur, vt promiſſa terræ felicitatem poſſet. §. 132. num. 3. p. 162
Principis virtus erit, ſuum plenariè officium adimplere. paragr. 133. n. 1. & 2. &c. p. 162. 163
Sæcularis viros, quos viuentes contempſit, mortuos ſerâ pœnitentiâ lugebit. paragr. 134. n. 1. & 2. &c. p. 163. 164
Ne Rex falſa conſultoribus propinat, vt approbationem ex eis quærat. §. 142 n. 1 p. 180
Nobilitas quæ Principum fauore venit, adulterina eſt? §. 156. n. 1. p. 196
Terrena felicitas, inter principis dona ſua merita computatur? § 158. num. 3. & 2. p. 197. 198
Principis præſentia vel puſillanimos animat, ignauoſque ingerit ad virtutem. §. 160. n. 2. &c. p. 199. 200
Primatorum hominum munera & obſequia, oblimonem Principum negotiantur. §. 164. n. 1. & 2. & 3. p. 203. 204
Ne ſubditos ſpoliet diuitiarum opinione, ne deſpiciet negotiatores. §. 165. n. 2. & 3. p. 204. 205
Citius inoliteam libidinem, & pietatis iura deſerit politicus princeps, quàm rationem ſtatus, quam ſibi parat poſſeſſam. paragr. 173. n. 2. & 3. p. 213
Non admiratione, ſed obſequio ſubditi appropinquant Principi. §. 175. n. 2. & 3. p. 331
Salomon non dicitur Rex, quia regnat patris merito? parag. 183 n. 2. p. 222
Ignorantia in Principe, magnum ſcelus eſt, & regiminis euerſio. §. 185. n. 2. &c. p. 231
Optimus Gubernator ad rem præſentem cæcè caligans, futuris oculatiſſimè prouidet. §. 186. n. 2. & 3. p. 232
Principatus callide aſtutos è candidè ſimplicibus elaborat. paragr. 198. n. 2. & 3. p. 244. Et §. 203. n. 2. & 3. p. 249
Vrbanitas Principum in re iuriſdictionis eruditur. paragr. 216. n. 3. p. 262. 263
Nemini ſeruire, quàm omnibus imperare, gratius eſt. §. 223. n. 2. & 3. p. 269
Dira ſeruitus libertati de oppreſſione affinis eſt. §. 224. n. 2. & 3. p. 270
Offenſi Principis iras, cælum priùs quàm terra veretur? §. 231. n. 6. p. 277
Benignitatis lenocinium eſt, in ſe ipſo experiri rigores, quibus alios addicit. §. 254. n. 2. & 3. p. 307
Feliciorne fortuna, virtuti aliquando militat? §. 262. n. 1. & 2 p. 315. 316
Principum nutus, Conatuum Doctorum extorquet ſuffragia. §. 267. n. 2. & 3. p. 322. 323
Vnius fratris purpurâ reliqui ſeptuaginta fratres fulgent. §. 284. n. 2. p. 351
Conſultior Principum prudentia, pro ſuæ auctoritatis decoro, proprias officinas velut ignorare videtur. §. 288. n. 2 & 3. p. 354. 355
Rex Nabuchodonoſor herbis alligatus, eas non extirpat,

extirpit,ne ſubditos eradicet. §.310.num.2. p.377
Principem eſſe, & effuſius laudari antiqua ſynonymâ ſunt. §.313. num.2. & 3.pag.381. 382
Principi Adamo ſpecies laboris indicitur, ne apud Principes præſcribat otium.§.326.n.2. p.394
Regum miniſtri, ſicut Pharaonis Magi, regni plagas augent. §.328.n.2 p.397
Violenta ſubditorum oppreſſio, Redemptorem vindicem expetit? §. 335. num. 2, pagin.404
Regum dubiis tantum reſpondet Collegium amicorum? §.356.n.3.p.426
Ne Principis latus & aures, vnus aut alter vindicet ſibi. §.357.n.2. & 3. p.426.427
Attentius Rex ſuo regno contulit,quàm fidentior Priuatus. §.358.n.1. & 2.& 3.pag.427. 428
Regum gratia, ſententiosè *Lutoſa* dicitur. §.360 n.2.p.429
Reges ambitione potentiæ, quos iniuſtè læſerunt,inde iniuſtius oderunt. §.375.n.2.& 3. p.444
Dum Princeps ſubditos cibat, eorum alit obſequium. §.386.n.1. & 2. &c. p.456 457
Regium Principum elogium eſt,vel menſæ reliquias non negligere. §.387.n.1. & 2. & 3. p.457. 458
Regum aula,rerum cæleſtium obliuionem procurat? §.389.n.2. & 3. p.459.460
Regum gratia, vitrea eſt, & periculis plena. §.390. n.1. & 2. & 3. p.460. 461
Ob regalium miniſtrorum furacitatem,regnum bellis tumultuat. paragr.396 n 4.p.468
Tempus & Nihilum, eſt potentiorum Principum ſubſiſtentia. paragr.400.n 2.p.471
Regum felicitas ſententiosè dicitur, Flos temporis. *Ibid.*n.4.p 471

Rubus.

In rubo eſt Deus,dum Moyſi iubet,vt in rubeto calceamenta ſoluat. §.254. num. 2. pagin.307
In rubo eſt,qui ad ſpinas & tribulos hominem damnauit. *Ibid.*num.3.p.307
Vel quaſi Angelificatus ignis in rubo, conſultiſſimè mutus eſt. paragr.394.n.3.p.465
Spinoſum rubi ingenium venerationem refutat. *Ibid.*n.2.p.465

Ruth.

Ruth è Boozi pedibus ad caput Euangelij tráſfertur. paragr.353. n.2. p.422.423

S

Sacerdotes.

BEne caligant Sacerdotis oculi, niſi de cælo illuminentur. paragr.14. n.3. p.34
Sacerdos ſummi Dei,ſit ſine patre, & ſine matre, id eſt, *ens.* paragr.83.n.3.p.103
Non bonus Sacerdos eſt rei Chriſtianæ peſtis. §.208.n.1 p.253
Reipublicæ euangelizatur non boni Sacerdotis interitus, etiam cum ingenti totius populi iacturâ. §.208 n.2 p.251.254
Deus à ſæuitia vindicatur,cùm Sacerdotum flagitia vindicat. *Ibid.*n.3.p.254

Sacerdotis Chriſti eximius nitor, in Melchiſedecho eius vmbrâ præclarè ſplendet. §. 209. n.1.p.254.255
Sacerdotalis officij candor vel progenitorum delictis infuſcatur. *Ibid.*n.2.p.255
Eſtne Sacerdotium diuinitatis nota? §.209.n.3. p.255
Sacerdotis titulo aſcendit Chriſtus in cælum? *Ibid.*n.4.p.255
Ioſephus diuinitatem aliquam ſpirans,congruè ducit Sacerdotis filiam. §. 239. n.4. p.285. 286
Sacerdotes opulenter olim dotabant filias? *Ibid.* n 5.p.286
Præcelſi muneris Dignitas,ſæpe magnos viros, aut inuenit, aut facit. §.355. n.1. & 2. &c. p.424. 425

Sacrificium.

Adeò delicatus eſt ſacrorum ritus,vt vel oculis parum fauentibus profanetur? §.248.num.2. p.300. 301
Sol crucis ſacrificium honorat,dum radios tunc abſcondit. *Ibid.*n.3.p.301

Salomon.

Non dicitur Rex, quia regnat Patris merito? §.183.n.2.p.222

Salus. Sanitas.

Myſtici pedis ſanitas, totius corporis ſanationem ſupponit. §.91.n.2.p.111.112
Impudens dicitur mulier,quæ de Chriſti fimbria ſperat ſanitatem? paragr.15. numer.9. pag. 35
Abiiciatur auaritia,vt ſanitas recipiatur. §.141. n.1. & 2. p.179
Vide verbo, *Ægrotus*, *Medicus.*

Samaritana.

Mulier Samaritana interrogando potius quàm aſſerendo Chriſti fidem perſuadet,& quare? §.210.n.2.p.256
Dum eius libidinem publicauit Chriſtus, omnia quæ in tota vita ſua fecerat,publicauit? §.290.n.2.p.356

Samuel.

Angitur Samuël ad vitam reuocari, quaſi veritus antiquæ gloriæ ærumnas? §.155.num.3. p. 195

Samſon.

Samſon primum opus fortitudinis celat,ne putetur incredibile, quoad vſque fama fidem negotietur. §.153.n.2.p.192.193
Cur Angelus Samſonis matri apparens,terribilis dicatur. paragr.365.n.2.p.434

Sanguis.

Non cùm profluit Sanguis,ſed cùm in circumciſione ſtetit, Deus placatur? paragr.47.n.2. pag.67
De Chriſti latere aqua exiuit,vt mundaret; Sanguis,vt redimeret. paragr.61.n.4.p.81
Quare Chriſti ſanguis non pro omnibus, ſed pro multis effuſus dicatur. §.166. numer.5. pag.206

Sapiens. Sapientia.

Vera nunc Sapientia, aliqua ignoratione conſtat? §. 25. n.1. & 2. &c. p.44. 45
Morbus eſt aliquis, per Sapientiam mori. *Ibid.* n.3. p.45
Cur eſum arboris Scientiæ vetat Deus? §. 25. n.3. p.45

Aliqua nunc ignoratio meliùs Deum cognoſcit. §.26.n.2.& 3.p.46
Vera ſapientia eſt,emanatio omnipotentis gloriæ? §.30.n.2.p.49
Regnum cęlorum dicitur,ſpiritus intelligentię. *Ibid.*n.3.p.50
Hominum verâ Sapientiâ ſanctificatur Deus? §.30.n.4.p.50
Fames & ſitis veræ ſapientiæ beat? *Ibid.*n.5. p.50
Sapientia eſt res omnium inuidioſiſſima. §.31. n.1.p.50
Pax,magiſtra eſt Chriſtianæ doctrinæ. *Ibid.*n.2. p.50
Diuiſionem inter Sapientes, etſi per cælum factam,non approbat Deus. §.31. num.3. pagin.51
Rixæ inter Catholicos ſapientes, Eccleſiam inquietant? *Ibid.*n.4.p.51
Pax inter ſapientes dat nomen ingenuum.§.31. n.5.p.51
Aliquando ductu naturalis & moralis Sapientiæ,non imus ad cælum, ſed erramus?§.51. n.4.p.71
Plus ſapit,qui vel modicè de ſuo ſapit,quã qui immodicè de alieno. §.63.n.2. &c. p.83.84
Velis,& ſenties,quod ſentire velis. paragr.76. n.1. & 2. &c. p.96.97
Sit nobis Deus velut mens noſtra,quò exactius in nobis Dei voluntas fiat. paragr.81. n.2. & 3. p.101
Doctrina cognatione hæret tenaciſſimè, & numeroſè propagatur. paragr.87. n.4. p.108
Qui ad doctrinam addit exemplum, dignitatem Euangeliſtæ æmulatur. paragr.170.n.3. p.210
Delicatior Diaboli cibus, ſunt luces extinctæ. p.188.n.5 p.235
Sciant Sapientes, quòd rei diſplicentis etiam opinio reprobatur. §.212.n.3.&c.p.258
Omni feritur plaga, qui ſuum æmulum fortunatum videt. paragr.213. n.2. & 3. p.259
Principum nutus, Curialium Doctorum extorquet ſuffragia? paragr.267. n.2. & 3.p.322. 323
Quam ſint homines propriæ ſententiæ peramãtes,quamuis ſæpè ſine riuali. paragr.268. n.2. & 3. p.323. 324
Sciolus quiſque, vel de dubitatione ſua ſic arroganter præſumit, vt illam ad ſui ingenij famam perpetuare procuret. §.298.n.2.& 3. p.364. 365
Nulla librorum ſcriptio, vel in peritiæ ſtylo, ſatis tuta eſt à vituperonum cenſu? §.305. n.2. & 3. & 4. p.372
Priſca ſapientia, ſolo antiquitatis titulo,de veritate diu poſſeſsâ non præſcribit.§.306.n.1. & 2. &c. p.373
Cauendum eſt,ne dum mutua vlciſcimur odia, rectæ fidei cauſam nos tueri ſimulemus. §.307.n.1. & 2.p.374
Sat gloriæ eſt honorum cupidis, ſi cum potiſſimis comparentur. §. 328. n.2. & 3. p.397
Sic nonnulli ſuæ ſcholæ tenaciſſimè adhæreſcunt, vt veritati ab aliis inuentæ planè renunciauerint. §.340.n.2.& 3. p.409
Iuuentutis audacia, feminarum garrulitas; nimis ſubtile,aut rude nimis ingenium lectioni Scripturarum officit. paragr.341.num.1. & 2. &c. p.409 410
Eximia laus canæ ſapientiæ eſt, iuniorem ſequi vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla.§.342. n.1. & 2. & 3. p.411.412
Secularis ſapientia, conſcientiæ gratulatur, & profana eloquentia balbutit ad diuina.§.352. n.2. & 3. p.421. 422
Regum dubiis tantùm reſpondet Collegium amicorum? paragr.356.n.3.p.426
Canam ſenectutem magis dedecet ignorare, quàm diſcere. §.371. n.1. & 2. & 3. p.440
Quiſquis putat rempublicam eius peritiâ indigere,ineptus eſt ad Dignitates.§.382.num.2. & 3. p.451. 452
Magiſtri vocabulum,quàm magni æſtimant ſapientes Magiſtri. §.392.n.4.p.463
Vide verbo, *Doctrina*, *Philoſophia*.

Sara.

Quoniam Sara ſterilis erat,fœcundus *Abraham* ſterilis dicitur. §.166.n.3.p.206

Sartor.

Suendi artem, non abſque furacitate Adamus dedicauit. paragr.220.n.2.p.266
Tobiæ vxor ſartoriam artem exercens, furti ſuſpecta fuit. §.220.n.3.p.266.267

Saül.

Prauum Saülis ingenium, beneficiis aduerſus benefactorem irritatur. paragr. 10. num.2. & 3. p.30
Æmuli Dauidis *Oculator* dicitur. §.59.num.2. p.59
Saül Dauidi iraſcitur de eo, ſuper quod Dauid iraſci oporteret. §.124.n.2.p.153.154
Saül cum Dauidis obſequio, obſequij ebibit obliuionem. paragr.164. n.3.p.204
Plus cruciatur Saül Dauidis bono, quàm inteſtino Dæmone. §.213.n.3.p.259
Expetit Saül à Dæmone obſideri, quàm vt æmulus Dauid, eius excantator habeatur. §.372.n.4.p.441

Scandalum.

Virtúſne ea eſt,quę ſcandalum creet? §.23.n.2. & 4. p.43
Prima Chriſti gloria occultatur,ne ſcandalizet. §.153.n.3.p.193

Schola.

Sit ſomnus,naturale vigiliæ gymnaſium.§.147. n.3.p.187
Sic nonnulli ſuæ ſcholæ tenaciſſimè adhæreſcunt, vt veritati ab aliis inuentæ planè renunciarint. paragr.340. n.2. & 3. p.409
Eximia laus canæ ſapientiæ eſt,iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla.§.342. n.1. & 2. & 3. p.411. 412

Scientia. Notitia. Cognitio.

Qui peccare ſe noſcit,corrigi vult. paragr.331. n.1. p.399
Peccatum in manibus, eſt veniæ prognoſticon. *Ibid.*n.2.p.400
Peccatum ante oculos, eſt remiſſionis titulus? §..31.n.3.p.400
Flagitioſius peccatum perfecta ipſius cognitione curatur? §.332.n.2. & 3.p.400.401
Reproborum eſt retrorſum cadere, quia ibi cadunt, vbi non vident: Iuſtus autem in faciem ſuam cadit, quia ibi cadit, vbi videt. §.333.n.2. & 3. p.401.402

Scribæ. Notarij.

Scribæ ſeu Notarij, ſtylis velut lanceis & ſagittis armantur. §.319.n.1.p.387

E Notario

E notario [illegible] prodigium eſt. *Ibid.* p.387
Impunitas Notariorum euerſionem regni portendit. §.319.n.2.p.387.388
Notarius ſub Regis pedibus, eſt regni diuturnitas. *Ibid.* p.387.388
Non felicitatur Dei populus, quouſque Notarij flagellantur? §.319.n.3.p.388

Scriptores.

Vide verbo, *Liber.*

Secretum.

Vide verbo, *Occultum.*

Secundus.

Primus, id eſt, victor, Secundus, id eſt, victus. §.48.n.1.p.68
Nomen Primi, & Secundi, pacatam concordiam inquietat. *Ibid.* n.2. & 3. p.68
Sat gloriæ eſt honorum cupidis, ſi cum potiſſimis comparentur. §.328. n.2. & 3.p.397

Seditio.

Vide verbo, *Pax.*

Senex.

Senum agnatum vitium eſt, nil vnquam magnum putare de eo, quem puerum aliquando nouerunt. §.253.n.1. & 2. &c.p.305.306
Merè grandior ætas reprobatur. §.161.n.1.&c. p.314. 315
Antelatio iunioris Dauidis, confeſtim compenſatur ſeniori Abrahamo. §.325. n.2.p.391
Eximia laus canæ ſapientiæ eſt, iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla. §.342. n.1. & 2. & 3. p.411. 412
Canam ſenectutem magis dedecet ignorare, quàm diſcere. §.371.n.1.& 2. & 3. p.440

Senſus.

Senſuum ingenia per aliena obiecta peregrinantur? §.35.n.2.p.55
Senſu carere putatur pauper. §.77 n.2.p.98
Senſuum ingenia ad voluptatem. paragr. 79. n.2. & 3. p.99. 100
Brutæ animantes arcano ſenſuum ingenio, Dei iuſſa percipiunt? §.78.n.1.& 2.& 3.p.98.99

Sententia propria.

Quàm ſint homines propriæ ſententiæ peramantes, quamuis ſæpè ſine riuali. §. 268. n.2. & 3. p.323. 324
Suus etiam deſtinatur dies Rationi explandæ. §.269.n.2.p.324

Sepulcrum.

Sepulcri teſtimonium pro Reſurrectione, inducium eſt. paragr.45.n.5. p.65
Sepulcralis aſpectus opum abdicationi blanditur. paragr.135. n.2. & 3. p.172. 173
Tempeſtiua reprehenſio, ſcelerum ſepulcrum eſt. paragr 395. n.5. p.467
Mortuos certò liberaturus erat Chriſti tumulus. paragr.398.n.2.p.469

Sequi. Sequela.

Callidus Deus ſpecie repulſæ, & independentiæ oſtentatione, arctiùs ſibi diſcipulos ſuos deuinxit ad ſequelam. §.98.n.2.& 3.p.128
Turbatur Chriſtus cùm videt homines ſequentes ſe? paragr.122. n.2. p.151. 152

Seraphim.

Seraphim, obſequio, citiùs quàm affectu, Deo appropinquant. paragr.175.n.3.p.215

Sermo.

Dei ſermo, voluntas eſt? §.37.n.4.p.57
Qui iuſtis vnus eſt ſermo, Impiis plures ſermones putatur. §.177.n.2 p.216.217
Vide verbo, *Lingua. Eloquentia.*

Serpens.

Vaferrimè Euæ ſuggerit, alteri reſeruari fructus illi interdictos. §.73.n.3 p.94
De ſerpente facto ex Moyſis virgâ, & de Magorum figmentis, nil differt loquendi modus. §.76.n.3.p.97
Serpens, qui futurus erat Virga prælustris, non ſerpēs, ſed virga nominatur. §.196.n.3.p.232
Serpens nō eſt, qui virga erit? §.201 n.2.p.247
Linguam ſubiecti ſerpentis mutuat Dæmon, vt ſæuius feriat Dominū. §.205.n.2.&c.p.251
Serpens caput fractus, Ioannis caput petere ſatagit. paragr.221.n.2.p.267
Serpens æneus, dum videbatur, curabat. §.332. n.2. p.400. 401
Serpens tubernator, venenum quod in alienam perniciem profert, ſine ſuâ continet. §.394. n.4 p.465.466

Seruus. Seruitus.

Domini nomen, obſequium, & amorem auertit. §. 128. n.2. & 3. p.158
Dominus pro ſeruo ſanitatis orator, exorator eſt. paragr.130.n.2.p.159.160
Domini pro ſeruis cura, cum ſublimiori liberalitate contendit. *Ibid.* n.3.p.160
Odia ſeruorum in Dominum. §. 205. n.2. &c. p. 251
Qui fratri ſeruit, vnus plures ſeruus eſt. §.206. n.2 &c. p.252
Nemini ſeruire, quàm omnibus imperare, gratius eſt. paragr.225 n.2. & 3. p.269
Dira ſeruitus libertati de oppreſſione affinis eſt. §.224.n.2. & 3. p.270
Benedictio Eſaü eſt, fratri ſeruire. *Ibid.* num.4. p. 270
Propria manus eſt expromptior famulus.§.259. n.1.p.312

Silentium.

Vis operandi ſilentio nutritur.§.2.n.1.& 2.p.12
Minacia verba euaporant furorem; taciturnitas in homine offenſo, ſæpe crudelitatis fomes & auguriū eſt.§.286.n.1.& 2.&c.p.352.353
Vel muta labiorum apertio, obſtetricante indiget gratia, ne faciat verborum aborſum. §.347.n.2.& 3.p.416
Arcana ſilentij vis, & ingenium acutè elimat, & eloquentiam concinnè elaborat. paragr.349. n.2.& 3.& 4.p.418
Silentio etiam ſua ineſt arcana eloquentia, quâ eleganter ſuadet. paragr.350.n.2.&c.p.419
Silentio Angeli confortatur Chriſtus? *Ibid.* n.3. p. 419

Simeon filius Iacob.

Simeon & Leui fratres, non tam ſanguinis, quàm malitiæ cognatione. paragr.294. n.2. p.360. 361
Simeoniana tribus ex Simeonis maledictione, ſcriptioni, & pædagogiæ addicitur. §.303. n.2. p.370

Similitudo.

Sat gloriæ eſt honorum cupidis, ſi cum potiſſimis comparentur. §. 228. n.2. & 3. p.274

Simplex. Simplicitas.

Sublimior Poteſtas callidè aſtutos è candidè ſimplicibus elaborat. §.198.n.2.& 3.p.244

Inter cor & linguam, totum ſalutis humanæ geritur ſacramentum. §.200.n.2.p.246
Superior ne ſit tam candidè ſimplex, vt ſemel videatur totus. §.202.n.2. & 3. p.248
Vide verbo, *Aſtutia.*

Singularitas.

Satiùs Religioſo foret in Religioné nõ ingredi, quàm ſingularitati ſtudere. §.393.n.5.p.464

Societas Ieſu. Ieſuita.

Ioſephus nomen inſcripſit in tenellâ infantium carne. §.265.n.1.p.320
Eſtne Ieſu nomen Chriſto Deo ſubſtantiale? *Ibid.*n.2.p. 0
Nomen Ieſu propagatur odij ſui lege. §. 265. n.3. p 320
Diſpoſitionis merito, nomen Ieſu Societati tribuitur. *Ibid.*n.4.p.320.321
Ieſuitis tribuitur nomen Dei, quod ambiret Adam? paragr.265.n.5.p.321
Iehonah nomen filiat nomen Ieſu, auguſtâ Nominis filiatione? paragr.266 n.2. p.321
Sacro-ſanctum Ieſu nomen, arcanè Ieſuitis filiatur. *Ibid.*n.3.p.321.322
Nomen Ieſu iuueneſcit, & velut viueſcit in Ieſuitis? paragr.266.n.4 p.322
Nomen Ieſu, ipſius Solis radio deſcriptum eſt in Ieſuitis. *Ibid.*n.5.p.322

Societas. Contubernium.

Abſentia Iudæ, glorificationis Chriſti initium fuit?. paragr.13.n.2.p.33
Angelorum nequam è cęlo eiectio, Beatitudinis compendium eſt? paragr.13.n.4.p.33
Impiorum contubernium, peſtilentiariam malitiam piis moribus exhalat. §.148.n 1.& 2. &c. p.187. 188
Nemini quantumuis concordiæ ſtudioſo, inter rixantes pax eſſe poteſt? §.234.n.2.&c.p.280
Iniquorum cognatam concordiam, malitia conflat. paragr 294. n.2. & 3. p.360. 361
Iniquorum ſocietas, teſtamentum dicitur. *Ibid.* n.4. p.361
Piæ nobilitatis elogium eſt, humilium conuerſationem non faſtidire, ſed perhumaniter ambire. §.361.n.2. & 3. p.430

Sodoma.

Sodomitæ orto Sole caſtigãtur, vt ignis ſupplicij luce Solis abſcondatur. §.109.n.2.p.138

Sol.

Vide verbo, *Lux.*

Solus.

Diſcedentibus Phariſæis, etſi multâ Diſcipulorum turbâ Chriſtus comitatus fuerit, Solus dicitur. §.136.n.3.p.173.174
Qui ſe ſolum putat idoneum ad præcelſum munus obeundum, illud faſtidire ſolet: ſecùs ſi ſcinerit, alios æquè idoneos cenſeri. §.329. n.2. & 3. p.398

Somnus.

Somniata Ioſephi gloria, fratrum mouet inuidiam; ſecùs exhibita? §.94.n.2.p.115
Sit ſomnium, naturale vigiliæ gymnaſium. §.147.n.3.p.187
Vel dormiens timeat à peſtilentiario malorum contubernio. §.148.n.4.p.188

Spes. Fiducia.

Cælo tanquam baſi innitatur. §.14.n.3.p.34
Spes, quæ in fimbriâ terram verrenti ponitur, rectene imprudens dicitur? §.15. n.5. p.35
De maiori periculo certius extruitur periculi aſylum. §.105.num.2. &c. p.135. & §.112. n.1. &c. p.141
Ad delicias, quæ ſpei humanæ gratè blandiuntur, faſtidioſè nauſeat poſſeſſio. §.114. n.1. & 2. p.143. 144
Non poſſeſſio, ſed ſpes bonorum temporalium, Mitibus permittitur? *Ibid.*n.3.p.144
Abrahamus plus ſperat de incerto, quàm fuerat ſecurus de proprio. §.137.n.2.&c.p.174
Humana imbecillitas, piæ fiduciæ conceptaculum eſt. paragr.138. n.2. & 3. p.175. 176
Vera amicitia fide potius quàm ſpe conſtat. §.150.n.2.p.189.190
Spes cæleſtium, terrenis erigitur donis? §.158. n.2.p.197
Naufraga ſpes in aſylo periculi ſui tutior eſt. §.172.n.2.& 3.p.212
Vltima neceſſitas, non ſit ſpei iactura, ſed fiduciæ conceptaculum. §.378.n.1.& 2.& 3. p.447. 448

Spina.

Vide verbo, *Rubus.*

Spiritus-Sanctus.

Opera bona cum ſpiritu facienda ſunt, Deum imitantes. paragr.28.n.4.p.48
Quia amor eſt, ſpeciatim dicitur Patris, & Filij ornatus. paragr.36.n.2.p.56
Cur non Spiritus-ſanctus, ſed Verbum conſuli dicatur. paragr.80.n.3.p.100
Spiritus-ſanctus nuſquàm *ſedere*, id eſt, gubernare dicitur? §.225.n 4.p.271.272
Spiritus ſanctus, quia amor eſt, Angelus id eſt, nuncius, non appellatur; §.259.n.3.p.312

Sponte.

Vide verbo, *Vltroneus.*

Stella.

Vide verbo, *Aſtra.*

Sterilis.

Vt terræ ſterilitas cultori imputatur, ſic Gubernatori diuturna ſubditorum prauitas. §.166. n.2. & 3. p.205. 206
Ficulneæ ſterilitas cultori Chriſto imputatur? §.166.n.4.p.206

Studium.

Quietis otium, & hominum ingratitudo, Bibliorum ſtudiis adulatur. §.327.n. 1. & 2. &c. p.395. 396
Iuuentutis audacia, feminarum garrulitas; nimis ſubtile, aut rude nimis ingenium, lectioni Scripturarum officit. §.341.n.1.& 2.&c. p.409. 410

Stultus.

Impiorum ratio, à diu inolitâ malitiâ, belluinis ratiocinationibus ſtulteſcit. §. 325. num.2. & 3. &c. p.393. 394

Stylus.

Vide verbo, *Eloquentia.*

Subditus.

Vide verbo, *Obedientia. Superior. Seruus.*

Sublimis.

Vide verbo, *Magnus.*

Subſiſtentia.

Tempus eſt, Regũ ſubſiſtentia. §.400.n.2.p.471
Chriſtus Deus, ſubſiſtentia Iuſtorum eſt? *Ibid.* n.3. p.471
Conſanguinei dicuntur, ſuorum ſubſiſtentia. §.56.n.2.p.76

Superior.

Superior. Gubernator.

[illegible] per ſubdito licet meliorem eſſe, quàm eius Superior, nunquam meliorem videri impunè licet. §.20.n. 2. & 3. p.40
Sciat Superior, quod [illegible] delictorum in-ueſtigatio, ſæpè medicinam non facit, ſed vulnus exulcerat. §.29. n. 2.&c.p.48.49
[illegible] tyrannica [illegible] Gubernator [illegible] ſubditos inquietat. §.32.n.1.& 2 &c. p.62
[illegible] quod Superior exaudiens noſcit, putet eſſe [illegible] §.38.n.2 & 3. p.58
Experientia [illegible] ſubditorum ingenia, ne ex [illegible] iudicet. §.40.n.5.p.60.61
Sciat, quòd cælum, id eſt, viri ſpirituales aliquãdò moroſius obediunt. §.52.n.2.p.71.72
Boni ſuperioris idea in aquis apparet: quæ vnũ corpus cõſtat, ęquale hat et dorsu, ipſa ſe pręcedit, vrget, & ſequitur. §.60.n.2. & 3.p.80
Ne diſtrictiorem [illegible] diſciplinam ob vituperonũ centuram. §.69.n.1.& 2.&c.p.89.90
Confers in regimine, ita Dei dictum. §.71. n. 2. p.92
De [illegible] tril [illegible] §.72.n 2. & 3. p.93
Superior quod ſit galari fauore alicui impendit, ceteris detrahit. paragr.73.n 2.&c. p.94
Ob communem ſubiectorum vtilitatem gloriæ ſuæ cedit. paragr.74.n.1. & 3.p.95
Sidetea præfectura non tam præfectum, quam ſubditos illuſtres reddit. §.75.n.2.& 3.p.96
Velis, & ſenties, quod ſentire velis. §.76.n.1. & 2. &c. p.96. 97
Ne putet pauperculos & inualidos ſenſu carere. paragr.77.n.2.& 3.p.98
Scientia gubernandi, in parendi eruditur gymnaſio. paragr.82.n.2. & 3.p.102
Eligendus præſul, ætatis, eruditionis & meritorũ indiget ſuffragio. §.83.n.1. & 2.&c.p.103
Laudatior Subpręfectorum peritia, Pręfectorum ideam feliciter exprimit in regimine. §. 85. n.2.&c.p.105.106
Eoſdem cibos & homini præſidenti, & ſubiectis animantibus aſſignat Deus. p[illegible].92. n.2. & 3. p.113
Boni ſubditi occultant Superioris defectus. §.118.n 2.p.147.148
Scelus publicatum, intimiùs patratori corporatur, & obdurationem publicatione negotiatur? paragr.120. n.2. & 3. p.150. & §.127. n.2 &c.p.156 157
Vt terræ ſterilitas cultori imputatur, ſic Gubernatori diuturna ſubditorum prauitas §.166. n 2. & 3. p.205.206
Ignorantia in Rectore, grande ſcelus eſt. & regiminis euerſio. paragr.185.n.2. &c p.231
Affectus ſic ſubornat ad gratiam, vt quod iniquum eſt, æquum & congruum eſſe videatur. paragr.190.n.2. & 3 p.236
Præfectura callidè aſtutos è candidè ſimplicibus elaborat. §.198.n.2. & 3 p.244
Ne ſit tam candidè ſimplex, vt ſemel videatur [illegible] paragr. 203. n.2. & 3. p.249
Subditorum in Superiorem odia. paragr. 205. n.2. &c. p 251
Sciant Superiores, quòd ognatum eſt depretiare eos, qui nos læſerunt. paragr. 212. n.2. & 3. p. 258
Nemini ſeruire, quàm omnibus imperare, gratius eſt. paragr.223. n.2. & 3. p.269
Quare Spiritus-ſanctus nuſquam gubernare dicitur? §.225.n 4.p.271.271
A præfecto offenſo nullum ſubdito [illegible] tutum aſylum eſt. §.231.n.2. &c.p.276.277
Iniuria Superiori illata, crimen læſæ maieſtatis putatur. Ibid.n.5.p.277
Magiſtratuum ardor pro ſuâ iuriſdictione nimis tuendâ, periculoſum tentamenti genus eſt. §.244.n.2.&c.p.296.297
Præpoſitorum zelus, ne totus ferueat pro tuenda Dignitate. §.245.n.2. & 3. p.297.298
Præfectura ingenio [illegible] parta vix ad honorem computatur. §. 250. num.2. & 3. p.302.303
Benignitas [illegible] lenocinium eſt, in ſe ipſo experiri [illegible] quibus alios ſeuere addicit. §.254. n.2. & 3 p.307
Præcipientis exemplum vigor præceptionis eſt ad ſequendum. §.255.n 1.& 2 &c.p.307.308
Qui manentem [illegible] Superiori donat, non donat vtramque. paragr.263.n 2.p.316.317
Nemo quantumuis pius & ſapiens, ſuę humanitati in tuto ſe credit. §.269.n.2.& 3.p.324. 325
Quam acerbè animum ſupplicantis excruciet, rei petitæ negatio. §.282.n.2.&c.p.338.339
Quod in conferenda Meliæ dignitate, Senatores cognati erga Ioannem; hoc Ioannes erga Chriſtum exequitur, ad obſequij exaggerationem. §.295. n.2. & 3. p.361.362
Superior, qui iratum corripit ſubditum, fruſtrat correctionis fructum. §.308.n.2.& 3.p.375. 376
Ad ſubditos [illegible] vitiis extirpandos de virtutis plantatione, valde difficilem ſe præbeat religioſus ſuperior. §.310.n.2 & 3.p.377.378
Quàm ſit difficile cognatis imperare. §.3[illegible]9. n.2. p.398
Præfecti ſola cognatio, meritum eſt ad præfecturas? paragr.359.n.1. & 3. p.428.429
Sæpè ſubditorum repulſa, Superiorum opinioni ſuffragatur. §.370.n. . p.439
Placet pati Præfectos eſt, Ægyptiacæ oppreſſionis compendium? §.370.n.2. & 4. p.439
Potentes, ambitione potentiæ, quos iniuſte læſerunt, indè iniuſtiùs oderunt. paragr.375. n.2. & 3. p.444
Pręfectorum eſculenta abundantia vrbanè ſuadet attentiorem erga [illegible] ſubditos prouidentiam. §.376.n.1.& 2. & 3.p.445
Quam ſubditus de Superiore victoriam reportat, pœnitenda & deflenda victoria eſt. §.381. n.2.& 3.p.450.451
Quiſquis putat rempublicam eius peritiâ indigere, ineptus eſt ad Dignitates. §. 382. n 2. & 3. p.451. 452
Arrogantiam prælationis appendicem, priſtina quondam ſeculi vilitas opportunè cohibet. §.384.n.2. & 3. p.454
Dum Superior cibat ſubditos, eorum alit obſequium. §.386.n.1. & 2. &c. p.456.457
Aſpera Gubernatorum ingenia, ingratiam, & irreuerentiam ſibi negotiantur. §. 394. n.2. p. 465
Inde vorax ignis, etſi quodammodò angelificatus, conſultiſſimè mutus eſt. *Ibid.* numer.3. p. 465
Venenum, quod ſerpens Gubernator in alienam perniciem profert, ſine ſuâ continet. §.394. n 4. p.465. 466

In

In re publicâ,adhuc iurata Magiſtratuum fides, ſuſpecta eſt? §.396.n.2. & 3.&c.p.467.468
Vide verbo, *Rex, Index, Reus, Supplicium.*

Superbia.

Principum faſtus ſæpè naturam deſueſcit, & Dei potentiam æmulari præſumit. §.11.n.1. & 2. &c. p.31. 32
Procerum arrogantia, ſubditos in omnibus ſuperare exambit. §.20.n.2. & 3.p 40
Superbia,non nobilium,ſed abiectorum vitium eſt. paragr.44.n.1. &c.p.63.64
Sublimius faſtigium ruinæ inſidiatur. §. 132. n.2. & 3. p.161. 162
Indignus laude, laudandus etiam eſt, vt laude dignus laudari permittatur. paragr.273.n.2. & 3. p.329
Sciolus quiſque, vel de dubitatione ſua ſic arroganter præſumit, vt illam ad ſui ingenij famam perpetuare procuret. paragr. 298. n.2. & 3. p.364. 365
Aliena gloria incredibilis eſt homini,qui ſuam nimis amat. paragr.314.n.2 & 3.p.382
Sat gloriæ eſt honorum cupidis,ſi eum potiſſimis comparentur. §.328.n.2. & 3. p.397
Quiſquis putat rempublicam eius peritiâ indigere,inidoneus eſt ad Dignitates.§.382.n.2. & 3. p.451. 452
Arrogantes inflat infelicitas. §.383.n.4.p.453
Arrogantiam prælationis appendicem, priſtina quondam ſeculi vilitas opportunè cohibet. §.384.n.2. & 3.p.454
Vide verbo, *Ambitio.*

Supplicium.

Regni Proceres ſupplicia ſæpè neſciunt,magno regni malo. parag. 18.n. .p.38
Flagitium poſt beneuolam correptionem patratum, iuſtitiam irritat ad acerbius ſupplicium. §.104.n.1. & 2. &c. p.134
In acerbioris ſupplicij terrore, diuinæ clementiæ leguntur characteres. paragr.106. n.1. & 2. &c. p.136
Seuerioris ſupplicij rigores Deus abſcondit. §.109.n.1. & 2. p.138
Supplicij minæ, ſupplicij meritum,ſine ſupplicio redimunt. §.111.n.1.& 2.&c.p.140.141
Supplicium occultum, medicina eſt;publicum, obdurationem de infamiâ ſæpe procurat. §.120.n.2. & 3.p.150
Pœnæ diuturnitas, repetita plaga eſt,& calamitatis acerba exaggeratio. paragr.123.n.2.&c. p.152. 153
Inurbanitatis culpa, præproperè ſeueriſſimâ mulctatur pœnâ. paragr.260.n.2.p.313
Iudæ flagitium,quod omnē menſuram excedit; ipſe in ſe dignè caſtigat. §.285.n.2.p.351
Laſciuia acerbè etiam patitur in nomine, ſupplicium,quod etiam meretur in re. §.291.n.2. &c. p 357. 358
Impudentia delinquendi,ſupplicij exigit pertinaciam. paragr.311.n.3.p.379
Supplicium de manu hominis, acerbiùs venit, idem verò de manu Dei, mitius euadit. §.369.n.2. & 3. p.438.439
Lot in ipſa inurbanitate, inurbanitatis ſupplicium inuenit. §.260.n.3.p.313.314

Suſpicio.

Scelera,quę curioſè ſuſpicioſa æmulatio in alio fingit, prophetiæ oculis inſpexiſſe ſibi videtur. §.39. n.2. & 3.p.59
Præuia infamiæ, eſt ſiniſtræ ſuſpicionis vigor. §.115.n.3.p.145
Quantum prauitatis in alio curioſis oculis ſuſpicaris, tantùm in te alios reciprocâ pœnâ videbit. §.117.n. 2.& 3.p.146.147
Aſtutè Pharao ſuſpicioſam de Ioſepho cautelam honore diſſimulat. §.198.n.3.p.244
Circumſpectæ cautelæ neglectus,in caſta etiam vxore maritorum zelotypiâ ſubornat.§.365. n.2. & 3. p.434
Attentiori occaſionum præſcindendarum cautelæ debet Chriſtus, nil æmulos in re libidinis aduerſus eius modeſtiam ſuſpicatos. §. 366. n.2. & 3. p.435
In re publicâ adhuc iurata Magiſtratuum fides, ſuſpectane eſt?§.396.n.2.& 3.&c.p.467.468

T

Temeritas.

Vide verbo, *Audacia.*

Templum.

Dum velum templi ſcinditur,Synagoga tumulatur,quia eius arcana pateſcunt. §.25. n.2. p. 45
Beniamin neminem adorat, quia in eius ſorte Templum erigitur. §.247.n.2.p.299
Deus in cęlo,velut in templo orandus.*Ibid.*n.3. p.299. 300
Adglomeratæ Templi laudes in Iacobeâ ſcala demonſtrantur. §.247.n.4.p.300
Adeò delicatus eſt Sacrorum ritus, vt vel oculis parùm fauentibus profanetur? §.248. n.1.& 2. & 3. p.300. 301

Tempus. Ætas.

Diuturnos diu patiendi labores, mellea virtutis voluptas compendioſè abbreuiat.§.242.n.1. &c. p.294
Anni parui ſunt,quos moleſtiis virtutis impendimus. *Ibid.*n.2.p.294
Dies virtutis laboribus deſtinatus, non dicitur habere veſpere & mane; quia virtus caret tempore. paragr.242.n.4.p.294
Abiectis primogenitis,natu minimos Deus eligit. paragr.261.n.2.&c.p.314.315
Quæ ſit, *Hora viua.* §.276.n.5.p.332
Tempus eſt potentiorum Principum ſubſiſtentia. paragr.400.n.2.p.471.472
Principum felicitas, ſententioſè dicitur, Flos temporis. paragr.400.n.4. p.472
Rex annorum arbiter eſſe affectat.§.21.n.5.p.32
Vide verbo, *Nouum, Senex, Dies.*

Tenebræ.

Primas mundi tenebras cælum creat. §.23.n.3. p. 44
Miraculis,& virtuti lenocinantur tenebræ.§.24. n.2.& 3. p.44
Præuiæ tenebræ ſunt lucis gratia. §.46.num.2. p. 66
Tenebræ, cenſus diei ſunt. §.47.n.3.p.67
Tenebris acerbiora ſupplicia Deus abſcondit, quaſi iuſtitiæ ſuæ bonum erubeſcat? §.109. n.1. & 2. &c. p.138. 139
Tenebrarum teſtimonium habet Chriſtus.§.154. n.2. p.193. 194
Moriente Chriſto Sol obſcuratur, vt abſconſam Iudæorum malitiam Tenebræ oſtendāt. §.218.n.2.p.274

Sol

Sol crucis ſacrificium honorat, dum tenebras tunc offundit. §.248.n.3.p.301
Perdita Euangelij drachma, melius ſtatim quæritur in tenebroſa nocte, quàm poſteà in clara diei luce. §.159.n.1.& 2. & 3.p.198.199
Tenebrarum nomine tenebroſus aër ſignificatur. *In comment. Litter.* Benedict. 1. n. 16. pag.6

Tentatio.

Dæmon Chriſtum deiicere intentat, ſeſe inferendo in humanam iuriſdictionem. §.234. n.2.p.280
Eſtne pia virtutis arrogantia, ferientem vitiorum vulnere, eodem telo ſtrenuè referire? §.334.n.2.&c.p.402.403
Sæpè qui magna vicit, minimis vincitur. §.101. n.1. & 2. & 3. p.131

Terra.

E matrice terra extat humana imbecillitas. §.15. n.1. &c. p.34.35
Etſi inculta & horrida, nobis placet, quia mater noſtra eſt. paragr.18.n.4.p.38.39
Separatione à cælo venuſtatur egregiè. §. 27. n. . p.47
Homo è terra formatur, vt eam ſtudioſiùs colat. paragr.56.n.3.p.76
Præmaturè nudatur aquis, ne vnquam non ſit vomeris patiens. paragr.57.n.2.p.77
Si terra emerſit, cur terræ nomen patietur naufragium? paragr.58.n.2.p.78
Leuis terræ puluiſculus, terræ humerus ſententioſè dicitur. paragr.59.n.4.p.79.80
Terra quia de ſuo ornatur, adſcititios cæli fulgores æmulari poteſt, de ornamenti præſtantia. paragr.63.n.2 p.83
Terra ante cælum exornatur, ne cælum omnibus prærogatiuis venuſtetur. §.64.n.2.p.84
Cælum intuere, vt terræ ſqualorem benè videas. paragr.67. n.2. p.87
Natali naufragio terra naſcitur. §.105. num.1. p. 135
Quovſque à terrâ ſeparetur cælum, cælum non dicitur. paragr.148.n.2.p.187.188
Adam non audet ſua dicere, quæ ſcit non eſſe de terra. paragr.240.n.2.& 3.p.286
Perdit nomen, quiſquis illud in terris perennare ſatagit. paragr.257.n.2.p.310

Teſtis.

Auditus, fallax teſtis eſt, ſecus viſus. paragr.40. n.4. &c. p.60
Indubia eſt veritas, cui militat infenſioris inimici ſuffragium. §.45.n.2.&c.p.65
Teſtis in re genealogiæ, quæ non eſt in Biblijs deſcripta, ſuſpectus mendacij eſt. §.113.n.2. &c. p.142. 143

Thamar.

A notâ libidine excuſatur, quia inter Chriſti progenitores cenſetur? §.317.n.4.p.386
Quod cœpit Thamaris libidine, conſummatur in caſtitate? paragr.318.n.2.p.386

Theologia.

Quietis otium, & hominum ingratitudo, Theologiæ ſtudiis adulatur? §.327.n.1. & 2. &c. p.395.396
Vide verbo, *Schola, Diſcipulus, Sapiens.*

S. Thomas Apoſtolus.

Quia imbecillior erat, animoſior euadit, reſumens de imbecillitate vires. paragr.138.n.2. p.175.176

Timor.

Vnus Deus timetur, multiplex contemnitur. §.4.n.1. & 2. &c. p.23.24
Pauidè timeatur Potentia non ſubiecta Rationi. paragr.6.n.2. &c. p.26.27
Qui Deum timet, ſecurus in timoris diuini aſylo, homines non timet, ridens mentitas mundi minas. §.108.n.1. &c.p.137.138
Nil citò timueris, ne periculum quod times, citiùs ad te veniat. paragr.121. n.1. & 2. &c. p.150. 151
Timor dignitatis, pia illius ambitio eſt. §.157. n.2. & 3. p.196. 197
Mundi gloria plus additur, dum timetur. *Ibid.* n.2. p.196. 197
Vſqueadeò metus metuendi cauſas exaggerat, vt ſæpè homo felicitatem periculi ſui timeat. §.194.n.2. & 3. p.240
Audacia de pretio timore armatur: neſcit audere, qui timere neſcit. §.195.n.2. & 3.p.241
Superior à ſubdito offenſus, quàm ſit timendus, ſumptuoſiùs exaggeratur. §.231.num.2. &c. p.276. 277
Blandimenta hominis de amicitiâ ſuſpecti, timorem exaggerant. §.300.n.3.p.367
Pulchra femina venuſtatis præſtigio, te Timoris amorem negotiatur. §.330.n.2.p.399
Timor Dignitatis, illius obeundæ meritum eſt. §.338.n.2.p.407
Vide verbo, *Periculum, Iuſtitia, Iudicium finale.*

Titulus.

Non tam ex præſenti, quàm ex futuro rerum ſtatu, totius hominis titulatur elogium. §.201.n.1.&c.p.247

Transfiguratio.

Cæli gloria in Transfiguratione oſtenſa, non publicatur, ne præ ſublimitate incredibilis videatur? §.12.n.2.p.32
Viſa in Thabore gloria, adhuc manet myſterium *Ibid.*n.3.p.32
Transfigurationis gloria occultatur, ne præ amplitudine ſcandalizet? §.153.n.2.& 3.p.192. 193
In Moyſe & Elia, gratior apparet gloria, quàm ſi in ipſis appareret Apoſtolis? §. 214. n. 3. p. 260
Vide verbo, *Beatitudo.*

Tribulatio.

Vide verbo, *Labor.*

Tribunal.

In re liberalitatis tribunal erigitur. §.5.n.4.p.26
Quare Spiritus-ſanctus nuſquam in tribunali ſedere dicitur? §.225.n.4.p.271.272
Paupertas in tribunalibus, reatus damnabilis eſt. §.231.n.2.p.276.277
Impunitas Notariorum, euerſionem regni portendit: acerbior eorum mulcta populos felicitat. §.319. n.1. & 2. & 3. p.387.388
Indecori criminis accuſatio, aut infamem inuenit, aut facit. §.377.n.2.& 3.p.446

Tributum. Vectigal.

Ne ſic explorent Principes ſubditorum cenſum, vt negotiatores diuitiarum opinione ſpolient. §.165.n.2. & 3. p.204. 205

Triſtitia.

Humani gaudij ſequela, mœror eſt. §.238.n.2. & 3. p.284
Profunda triſtitia ſæpè de inferno eſt; energumenúmque

menúmque aut inuenit,aut facit.§.245.n.2. p. 295
Lætis datur Spiritus prophetiæ, non mœſtis. *Ibid*.n.3.p.295
Triſtitia ad inferos deducit. §.243.n.4.p.295
Gaudij felicitas, & infelicitas triſtitudinis, vices reciprocant? §.252.n.3.p.304.305
Amor mœrore commutatur. §.256.n.2.p.309

Turbari.

Quare turbetur Chriſtus, dum ſe imitandum proponit? §.122.n.2.p.151.152

Tyrannus.

Tyrannus eſt Princeps, qui non eſt Rationi ſubiectus. §.6.n.2.&c.p.26.27
In acerbiſſimi oppreſſione,nec gemere populo licet,nec Deum orare iuuat. §.125.n.2.& 3. p.154.155
Dira ſeruitus libertati de oppreſſione affinis eſt. §.224.n.2. & 3. p.270
Violenta ſubditorum oppreſſio, Redemptorem vindicem expetit? §.335.n.2.&c.p.404

V

Vectigal.

Vide verbo, *Tributum.*

Venus.

Vide verbo, *Luxuria.*

Verbum.

Vide verbo, *Lingua. Sermo.*

Verbum diuinum.

Cur prius dicatur Ratio, quàm omnipotens? §.6.n.3.p.27
Dei ſermo,voluntas eſt? §.37.n.4.p.57
Cur Verbum diuinum non tam omnipotentiâ, quàm Paſſione, diabolum vincere voluit? §.6.n.2.p.26.27
Quare non Spiritus-ſanctus,ſed Verbum diuinum,conſuli à Patre dicitur? §.80.n.3.p.100
Quam ob rem Verbum diuinum,imago paternæ bonitatis dúntaxat alicubi dicitur? §.118. n.3. p.148
Vbi primùm nominatur Verbum diuinum,confeſtim omnipotens dicitur: & quare?§.286. n.1. p.352
Pater impaſſibiliter eſt Scriptor Sapientiæ genitæ. paragr.305.n.4.p.372
Sic à dextris ſedet Filius, vt Pater non ſedeat à ſiniſtris. paragr.324.n.2.p.392
In diuinis non eſt minor gradu. poſterior ordine. *Ibid*.n.3.p.392
Corporatur Verbum, vt oppreſſos ab Herode liberet? paragr.334. n.3.p.403

Veritas.

Veritas per bonos etiam traduces linguarum & aurium, malignè ſerpit. §.41.n.2.p.61
Prophetiæ ſpiritu opus eſt, vt quod Aaron audit à Moyſe,fideliter referat? *Ibid*.n.3.p.61
Indubia eſt veritas, cui militat infenſioris inimici ſuffragium. §.45.n.2.&c.p.65
Obedientia ſubditi,verum facit Superioris præceptum. paragr.103. n.3. p.133
Rara eſt veritas in re humanæ genealogiæ. §.113.n.2. &c.p.142.143.
Neceſſariúſne eſt prophetiæ ſpiritus, ad hiſtoriam retroacti æui verè narrandam? §. 304. n.1. & 2. &c. p.371
Priſca ſapientia ſolo antiquitatis titulo de veritate diu poſſeſſâ non præſcribit. §.306. n.1. & 2. &c. p.373
Eximia laus canæ ſapientię eſt,iuniorem ſequi, vbi clarior fulgurat veritatis ſcintilla.§.342. n. 1. & 2. & 3. p.411. 412
Vide verbo, *Mendacium, Doctrina, Sapiens.*

Verſutia.

Vide verbo, *Aſtutia. Simplicitas.*

Veſtis.

Pro veſtitu pauperi donato redonatur lucida veſtis,quę tranſit in corpus?§.145.n.3.p.184
Virginitas,exterioris habitus nomen eſt?§.182. n.3. p.221
Iudas vino, quod ſolet veſtes maculare, veſtes emaculas. §.310.n.3.p.358.389
Petrus in nauigio nudus, in mare ſe demergit indutus. §.133.n.2.p.162

Via.

Toto diuinioris omnipotentiæ adniſu opus eſt, vt homo ad terram promiſſionis, per viam Philiſthinorum pergere deſiſtat? §. 51. n.2. p.70. 71
Non tam peccator à viâ iniquitatis, quàm via iniquitatis amouenda à peccatore eſt, ne per illam incedat. paragr.51.n.3.p.71
Ductu naturalis & moralis ſapientiæ,non imus in cælum,ſed erramus? *Ibid*.n.4.p.71
Impiorum iter,peruium & tritum; & ſimul inuium,deſertum & inacceſſum dicitur. §.59. n.1. & 2. &c.p.79.80

Victoria.

Dehoneſtat victoria Zabulonis tribum? §.71. n.2.p.93
Sæpe qui magna vincit, minimis vincitur. §.101.n.1.& 2.&c. p.131
Quare Chriſtus,non omnipotentiâ, ſed paſſione Diabolum vincere voluit? §.6.n.2.p.26
Qui inimico muliebriter detrahit,eidem victoriæ pignus offert. §.217.n.2.& 3.p.263.264
Qui diligit inimicos, præclaram de illis victoriam reportat. §.235. n.2.& 3. &c. p.281
Generoſior extitit Zara, victoriam fratri cedendo,quàm ſi victor extitiſſet.§.271.n.1.p.326
Valde illuſtre eſt illuſtriori & ſublimiori cedere prælucendi gloriam. *Ibid*.n.1.p.326
Glorioſiſſimum fuit Angelo luctanti, Iacobo ceſſiſſe. paragr.271. n.3.p.327
Chriſtus victoriæ ſuæ fructum hominibus tribuit. paragr.354.n.3.p.424
Inæſtimabilis eſt eius virtus,cuius vinci, victoria eſt. paragr.374.n.2.p.443
Quam ſubditus de Superiore reportat victoriam, pœnitenda, & deflenda victoria eſt. §.381.n.2.& 3.p.450.451
Cur Amaſias victos Idumæorum adorat Deos? §.391.n.2.p.462
Victores cur adorat Achaz? *Ibid*.n.3.p.462

Vincula.

Idemne eſt,Vincula arctari,ac diſſolui? §.278. n.4. p.335
Cur Nabuchodonoſor herbis ligatus, vincula non detrahit? §.310.n.2.p.377
Vinculorum arcana dignitas, libertatis vindex eſt. §.380.n.1.p.449
Chriſtus refutat progenitores, qui vincula refutant. §.380.n.1.p.449
Chriſtus infans faſciis dirigitur, vinctionibus formatur. *Ibid* num.3.p.449.450

Cautela

Cantela Iſaaci vincula experentis, obſequij lenocinium eſt. §.380.n.4.p.450
Zara primogenituræ cedit, vinctionis gloriâ contentus? *Ibid.*n.5.p.450

Vindicta.

Vide verbo, *Inimicus.*

Vinum.

Iudas vino, quod ſolet veſtes maculare, veſtes emaculat. §.310.n.3.p.388.389

Vir. Vxor.

Vide verbo, *Coniux.*

Virga.

Moyſes Virgam timeat, ne Pharaonem timeat. §.108.n.3.p.138
Sæuus tunc draco, qui futurus erat Virga præluſtris; nō draco, ſed virga nominatur. §.186. n.3.p.232. Et §.201.n.2.p.247
In locum eloquentiæ, Virga miraculorum Moyſi ſubrogatur. paragr.348.n.2.p.417
Quare Iacobus virgam ſumit Ioſephi, cùm illum ad iurandum adigit? §.396.n.2.p.467

Virgo. Virginitas.

Virginitas eſt, diuinæ dilectionis munificentia. §.88.n.1.p.108
Virgo laude magis, quàm vituperio confunditur. *Ibid.*n.2.p.108
Chriſtus dicitur, mundi decus ex virginitate humilium. paragr.88.n.3.p.109
Virginitatis lampadem aura vanitatis extinguit. §.88.n.4.p.109
Virginitas, exterioris habitus nomen eſt? §.181. n.3.p.221
Mariæ & Ioſephi coniugium in virginitate deputatur. paragr.240.n.5.p.287
Vel Virgines fatuæ, non alienas extinguere, ſed ſuas lampades illuminare ambiunt. §.328. n.3.p.397
Prudentes virgines velut repudio alliciuntur? §.388.n.2.& 3.p.458.459
Vide verbo, *Caſtitas*, & *Luxuria.*

Virtus. Sanctitas.

Vltra perfectionem audet virtus, piâ ambitione merendi. paragr.16.n.2.&c.p.36
Virtuti præit vitium, ambitioſâ oſtentatione. §.19.n.1.& 2.p.39
Cùm vitia arrident, & proſunt, peccat qui rectè facit? paragr.23.n.2.&c.p.43
Virtus ſcandalizat? *Ibid.*n.3.p.43
Virtus occulta credibilior eſt, quàm publicata? §.24.n.1.& 2.&c.p.43.44
Bonum opus diem redimit, & ſanctificat. §.50. n.3.& 4.p.70
Virtus detergat antiquum vitij nomen. §.58. n.1.& 2.&c.p.78
Virtus ſæpè nomen reciprocat cum vitio. §.76. n.3.p.97
In re virtutis, potentia ad operandum, præproperè gaudet prærogatiuâ operis? paragr.89. n.2.& 3.&c.p.109.110
Quod in re virtutis fieri oportet, facere neceſſe eſt? paragr.90.n.2.& 3.p.110.111
Sæpè qui magna vincit, minimis vincitur. §.101.n.1.& 2.&c.p.131
Virtutis ſtudioſus, materiale etiam peccati ſtudioſè deuitat. §.147.n.2.&c.p.186.187
Virtutis præmium, erit generis nobilitas? §.156. n.2.p.195.196
Mundialis aliquando felicitas arcanè blanditur, & pro meritis computatur? §.158. num.2.& 3.pag.197.198
Quiſquis occaſionem virtutis rapit, inòpinatam inuenit felicitatem. §.161.n.2.p.201
Domeſtica virtus, pia dignitatum ambitio eſt. §.191.n.3.&c.p.237
Sanctitas in veritate dicitur, quæ de perſecutionum lucris reportatur. §.226.n.3.p.272.273
Illa eſt vera virtus, quæ paſſionibus reluctatur. §.229.n.2.& 3.p.275
Concordiam cum hominibus ſeruare, aliquis humanæ virtutis faſtus eſt? §.233.n.2.p.279
Virtutum coniugium, magis quàm corporum. §.240.n.6.p.287
Diuturnos patiendi labores, mellea virtutis voluptas compendioſè abbreuiat. §.242.n.1. & 2.&c.p.294
Virtutis menſura, patientia eſt? §.251.n.3.p.303.304
Iſaacus opibus & honoribus ſuum Eſaü ad virtutem ſtimulat. §.262.n.2.&c.p.315.316
In iram mens inſpiratur, quò indignatio opportuna ſit virtutis auxiliatrix. paragr.309. n.2.& 3.p.376.377
Eſtne pia virtutis arrogantia, ferientem vitiorum vulnere, eodem telo ſtrenuè referire? §.334.n.1.& 2.&c.p.402.403
Negat Chriſtum eſſe Deum, qui Chriſtianas virtutes erubeſcit? §.343.n.2.& 3.p.412.413
Vitæ aduerſa, virtutē conflant. §.374.n.4.p.443

Vita.

Viuamus ſucco radicis æternæ, ne areſcamus §.12.n.4.p.32.33
Reptilia non carere vitâ, moraliſſimè notatur. §.77.n.2.p.98
Hominem, non tam vita, quàm mors conſummat. paragr.96.n.2.& 3.&c.p.117.118
Magnos viros, quos viuentes contempſimus, mortuos ſerâ pœnitentiâ lugemus. §.134. n.2.& 3.p.163.164
Vita noſtra eleemoſynis coloratur. paragr.145. n.4.p.184
Eleemoſynę, viuę opes prędicātur. *Ib.*n.2.p.184
Vita de mortis memoriâ dulceſcit. paragr.274. n.2.p.330
Vitam qui ſollicitiùs quærit, mortem inuenit. §.275.n.2.p.331
Prima humanæ vitæ ſpiratio, moraliſſimè dicitur, Spiritus emiſſio. paragr.276.n.2.p.332
Dei præcordia, eſt velut humanæ vitæ matrix. *Ibid.*p.332
Vita humana, mortis fuga eſt. §.276.n.3.p.332
Hominis vita, tanquam flos deflореſcit, & amputatur. *Ibid.*n.4.p.332
Homines vix vnâ horâ viuâ potiuntur? §.276. n.5.p.332
Timetne Angelus in aſſumpto corpore mortē? *Ibid.*p.332
Qui ſemel à caſtitate deſciſcit, totâ ſuâ vitâ libidini ſeruit? paragr.290.n.2.p.356

Vitium.

Vide verbo, *Peccatum.*

Vltio.

Vide verbo, *Inimicus.*

Vltrò. Vltroneus.

Quiſquis vltrò ſe potentioribus inſinuat, latentis vitij ſuſpectus eſt. §.70.n.2.&c.p.91
Spontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat. §.86.n.2.& 3.p.106.107
Ardua pericula feliciter exantlare, ſpōtanei propoſiti ſtipendia ſunt. §.167.n.2.& 3.p.207

Vel

Vel ad rem maximè cupitam ab alio cogi, grauatè admodum ferre conſueſcimus. §. 196. n.2. & 3. p.242

Expetita miracula in pretio ſunt, vltronea ſæpè vileſcunt. §.70.n.2.p.91

Vnum. Vnitas.

Philiſthæi, qui vnum Deum formidant, plures vilipendunt. paragr.4. n.4. & 5. p.24

Legem vnam, vnam plures putare, inobedientię ingenium eſt. §.177.n.2. & 3.p.216.217

Vide verbo, *Pluralitas.*

Voluntas.

Velis, & ſenties, quod ſentire velis. paragr.76. n.1. & 2. &c. p.96. 97

Sit Deus velut mens noſtra, quò exactiùs in nobis Dei voluntas fiat. §.81.n.2.& 3.p.101

Spontanea voluntas operantis, operis difficultates exarmat. §.86.n.2. & 3.p.106.107

Diuinæ voluntatis character. §.103.n.1.p.133

Ardua pericula feliciter exantlare, ſpontaneæ volūtatis ſtipēdia ſunt. §.167.n.2.& 3.p.207

Voluptas. Deliciæ.

Præcedentem depuliſſe moleſtiam, eſt humanæ voluptatis gratia. paragr.46.n.2. & 3.p.66

Ad voluptabilia vel bruti ſenſus quaſi intellectu inoculantur, voluptatis veneficio. §.79. n.1. & 2. &c. p.99.100

Voluptas non tam de boni præſentis gratia, quàm de alienatione ſibi complacet. §.93. n.2.&c.p.113.114

Eodem vocabulo ſignificatur, & frui deliciis, & incommoda pati. paragr.94.n.4.p.116

Quibuſdam leuiſſimis commoditatibus nimis putantur indulgere, viti quos ſpirituales vocant. paragr.101.n.3.p.131

Ad delicias, quæ ſpei humanæ gratè blandiuntur, faſtidioſè nauſeat poſſeſſio. §.114.n.1. & 2. &c. p.143. 144

Mundi deliciæ à tergo relictæ, amœniores ſunt? §.140.n.2.p.177.178

Ægypti deliciæ, opportunæ ſunt, non vt poſſideātur, ſed vt relinquātur. §.142.n.2.p.180.181

Ægypti ager amœniorem ſe obiicit à tergo, quàm oculis. paragr.176.n.3.p.216

Sæpè viri, quos Spirituales vocant, leuiculis voluptatibus nimis indulgent. paragr.192. & 1. 3. p.238. 239

Bonum quoduis ab æmuli poſſeſſione, placendi gratiā fœneratur. §.114.n.2.& 3.p.143.144

Humani gaudij ſequela, mœror eſt. §.238.n.2. & 3. p.284

Diuturnos patiendi labores, mellea virtutis voluptas compendioſe abbreuiat. §. 242. n.1. & 2. &c. p.294

Inolita delictorum voluptas, hæreſum officina eſt. paragr.264. toto §.p.317.318

Prætiũs labor & induſtria, paradiſo & Beatitudini impenſa, vtriuſque delicias facit gratiores? paragr.279. n.2. & 3. p.337.337

Deliciæ, & ambitio oblitterant magnum Religioſi vocabulum. paragr.393.n.3.p.464

Votum.

Quale fuerit Iacobi votum habendi Dominum in Deum? paragr.128.n.2.p.158

Vrbanitas.

Vrbanitatis officioſitas eſt, vel ab honore reiectum honoraria commemoratione honeſtare. paragr.216. n.2. & 3. p.262. 263

Vrbanitas, ingenuitatis ſtemma eſt, & illuſtris nobilitatis inſigne. §.246.p.2.&c.p.298.299

Zaræ comitas illum retulit in progenitorum Chriſti catalogum? *Ibid.*n.3.p.298.299

Vrbanitas etiam in ægritudine, negligenda non eſt. paragr.146.n.4.p.299

Inurbanitatis culpa, præproperè ſeueriſſimā mulctatur pœnā. paragr.260.n.2.p.313

Lot in ipsā inurbanitate, inurbanitatis ſupplicium inuenit. *Ibid.*n.3.p.313.314

Vel in ipsa obſequiorum ſubmiſſione, in ingenuis elucet generoſitatis ſcintilla. §. 315. p.2. &c. p.383

In Dauide & Abrahamo recenſendis, negligit Scriptura præcedentiæ ciuilitatem? §.323. n.2. p.391

Antelatio iunioris Dauidis ſtatim compenſatur ſeniori Abrahamo. *Ibid.*p.391

Hebræorum Patriarchæ, non ſemper eādem ordinis prærogatiuā recēſētur. §. 23.n.3.p.391

Pia vrbanitas de Pythagoræ eruditur ſchola. *Ibid.*n.4.p. 92

Cæli politia ſugillat humanæ præcedentiæ vrbanas nugas. §.324.n.2.& 3.&c.p.392

Præfectorum eſculenta abundant ſuadet attentiorem erga alendos ... prouidentiam. paragr.376.n.2.& 3.p.445

Vultus. Facies.

Mitiorne erit gehenna, quàm iratum Chriſti Dei vultum pati? §.313.n.2.p.378.379

Reproborum eſt, retrorsùm cadere, quia ibi cadunt, vbi non vident: iuſtus autem in faciem ſuā cadit, quia ibi cadit, vbi videt. §.333.n.2. & 3.p.401.402

Z

Zabulon.

ZAbulonianam tribum victoria dehoneſtat? §.72.n.2.p.93

Nonniſi reliquis tribubus laudatis, Zabulonianam Debbora laudat. §.273.n.2.p.329

Zaram.

Zaræ vrbanitas illum retulit in progenitorum Chriſti catalogum? §.246.n.3.p.298.299

Generoſior extitit Zara, victoriā fratri cedēdo, quā ſi victor extitiſſet. §.271.n.2.p.326.327

Zara præmaturè exambit, eſſe Chriſti Dei progenitorem. §.317.n.2.p.385

Zara primogenituræ cedit, vinctionis gloriā contentus? §.380.n.5.p.450

Zelus Zelotypia.

Quò quis eſt magis perfect⁹, eò eſt magis Zelabilis, inuidię & malitię ingenio. §.21.n.3.p.41

Præpoſitorum Zelus, ne totus ferueat pro tuendā Dignitate. paragr.145.n.1. & 2.pag.297. Et §.244.p.296

Mauult Chriſtus ſuæ Poteſtati, quàm noſtræ vtilitati derogare. §.245.n.3.p.297.298

Nimius alienæ virtutis zelus, imperitorum vitium eſt. paragr.310. n.1. p.367. 368

Ideò nimius Ionæ zelus contra Niniuitarum malitiam, caſtigatur. *Ibid.*n.2.p.368

Zelotypus Deo irato nō credit. §.301.n.3.p.368

Deus ipſe Eliæ zelum reueretur. *Ibid.*n.4.p.368

Zeli ſeu ęmulationis officiales. §.312.n.10.p.381

Circumſpectæ cautelę neglectus, in caſtā etiam vxore maritorum zelotypiā ſubornat. §.375. n.2. & 3. p.434

Zelotypia cedit inuidiæ. §.372.n.2.p.441

F I N I S.